PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXLIX.

VICTOR III, ROM. PONT,, S. ANSELMUS LUCENSIS, WILLELMUS PRIMUS ANGLORUM REX, GUITMUNDUS ARCHIEPISCOPUS AVERSANUS, S. ANASTASIUS MONACHUS ET EREMITA, BARTHOLOMÆUS ABBAS MAJORIS MONASTERII, DURANDUS ABBAS TROARNENSIS, OSBERNUS CANTUARIENSIS MONACHUS, UDALRICUS CLUNIACENSIS, GODEFRIDUS STABULENSIS, WILLELMUS CALCULUS GEMMETICENSIS MONACHUS, GAUFREDUS MALATERRÆ MONACHUS BENEDICTINUS, GUILLELMUS APULUS, EBRARDUS WATINENSIS MONACHUS, BERNARDUS COMES BISULDUNENSIS, SAMUEL MAROCHIANUS EX JUDÆO CHRISTIANUS, GESTA PONTIFICUM CAMERACENSIUM.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1882

Ex typis societatis dictæ Societas impressionis et librariæ administrationum viarumque ferratarum
PAULO DUPONT — Parisiis, in via dicta Jean-Jacques-Rousseau, 41. (Cl.) 106.8.81.

SÆCULUM XI.

VICTORIS III

ROMANI PONTIFICIS,

SANCTI ANSELMI LUCENSIS,

OPERA OMNIA,

JUXTA MEMORATISSIMAS MABILLONII, CANISII, CARDINALIS ANGELO MAII, AUGUSTINI THEINERI, EDITIONES AD PRELUM REVOCATA.

ACCEDUNT

WILLELMI I ANGLORUM REGIS

COGNOMINE *CONQUESTORIS*,

EPISTOLÆ, DIPLOMATA ET LEGES.

Intermiscentur

GUITMUNDI ARCHIEPISCOPI AVERSANI, S. ANASTASII MONACHI ET EREMITÆ, BARTHOLOMÆI ABBATIS MAJORIS MONASTERII, DURANDI ABBATIS TROARNENSIS, OSBERNI CANTUARIENSIS MONACHI, UDALRICI CLUNIACENSIS, GODEFRIDI STABULENSIS, WILLELMI CALCULI GEMMETICENSIS MONACHI, GAUFREDI MALATERRÆ MONACHI BENEDICTINI, GUILLELMI APULI, EBRARDI WATINENSIS MONACHI, BERNARDI COMITIS BISULDUNENSIS, SAMUELIS MAROCHIANI EX JUDÆO CHRISTIANI,

SCRIPTA QUÆ EXSTANT.

TOMUM INCHOAENT

GESTA PONTIFICUM CAMERACENSIUM

Ex Editione V. Cl. D. Pertzii.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1882

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CXLIX CONTINENTUR.

GESTA PONTIFICUM CAMERACENSIUM

EDENTE V. CL. LUD. C. BETHMANN PH. D.

(Apud D. Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*; Script. tom. VII, pag. 393.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

§ 1. — *Gestorum auctor et fontes.*

Gesta pontificum Cameracensium (1) jubente Gerardo I episcopo (2) primus composuit canonicus quidam Beatæ Mariæ (3), Cameraci si non natus, a juventute tamen ibi degens (4), Gerardo familiaris (5). Scripsit ille Cameraci (6), in tres libros statim ab initio opus disponens (7), et quidem usque ad III, 34, a morbo recens sanatus (8), continuo calamo intra a. 1041-1043 (9), capita 35-60 autem nec temporum ordinem servant, ut priora, nec bene digesta sunt, sed adnotata tantum et in chartam conjecta quasi ad usum futuri libri; paulo post igitur conscripta videntur, eodem fortasse tempore quo auctor priora correxit atque tum in margine, tum in schedulis assutis auxit, vivente tamen Gerardo (10), nec multo post a. 1044 (11). Sermone utitur minus quidem eleganti, vocibus barbaris (12) non paucis intersperso, simplici tamen et a ver-

(1) Hunc titulum non auctor ipse constituit; — hic enim operi suo neque titulum generalem, neque nomen suum præfixit, sed singulos tantum libros inscripsit primum: *Liber primus de gestis episcoporum*; secundum: *Secundus de monasteriis quæ infra episcopium constant*; tertium: *Liber tercius de rebus g stis Gerardi episcopi*; — sed sequentes demum totum opus una cum continuationibus ita vocarunt, silicet Lambertus Atrebatensis, episcopus in charta anni 1067, in Baluzii Misc. V. 380, *legimus in gestis pontificum Atrebatensis Cameracensisque ecclesiæ*. i. e. in nostri libro I.30. Chronicon Marchianense in Annalibus nostris VIII, 427, indicatum: *ex. . . pontificum Cameracensium actis*, qui est nostri liber primus; Chronica S. Andræ Castri Cameracesii I, 6: *de Eruino. Gerardo, Lietberto atque Gerardo. . . . qui plenius nosse cupit in gestis eorum reperire quibit*, hoc est in nostri libro primo et tertio, et in Gestis Lietberti et Gerardi II; Excerptor Gaugericianus infra edendus loco in Annalibus nostris VII, 440, allato: *Ea quæ in hoc volumine de d. Lietberto a. C. v. e. continentur, sumpta sunt de libro gestorum pontificum Cameracensium*; et paulo post: *Incipiunt excerpta ex libro gestorum pontificum Cameracensium*; et postea de separatione Cameracensis et Atrebatensis sedis loquens: *si quis plenius nosse voluerit, gesta pontificum requirat*; Rodulfus denique in Vita Lietberti eam Gestorum partem quæ de Lietberto agit., c. 2, *Vitam Lietberti*, at c. 28, *gesta pontificalia* vocat.

(2) I, præf.: *precipiente domino nostro episcopo Gerardo*; qui sedit a. 1012-1051.

(3) II, 23. Lambras *villam s. Dei genitricis* duabus lineis post *nostram villam* vocat; I, 85: *hujus videlicet ecclesiæ*, sc. beatæ Mariæ Cameracensis; II, 11: *in nostram æcclesiam.*

(4) II, 5, *juvenculus vidi.*

(5) Cf. III, 12: *domnus episcopus referre solebat*; 22: *domnus episcopus nobis narrare solebat*; ibi: *d. e. sæpe narrabat*; 26: *domno episcopo narrante cognovimus.*

(6) I. præf.: *nostrarum urbium, Cameraci videlicet atque Atrebati*; 4: *huic nostræ urbi*; 7: *has quoque urbes*; 21: *in hac nostra civitate*; 80: *hujus ecclesiæ*; 92: *ab urbe hac*; 96: *urbem hanc*; 103: *urbe hac*; 114: *huic civitati*; II, 11: *in nostram æcclesiam*; ibi: *apud nos*; 12: *ad hanc viciniam*; 29: *urbe nostra.*

(7) I, 122: *de quo in tertio libro narrabitur.*

(8) Cf. II, 8.

(9) II, 23. de monasterio in Henim: *nuper . . . Robertus . . . canonicos inibi deputavit*, quod a. 1040 factum est: III, 21: *Herbraudum videlicet qui nunc est*, defunctum circa annum 1045; III 23: *Ottonis qui nunc est*, qui obiit d. 25. Maii 1045; ibid.: *Valerano, qui . . . nunc . . . boni testimonii abbas*, qui jam exeunte a. 1043. obiit.

(10) Ubivis enim et in his additionibus et per capp. 35-60 *domnus* appellatur.

(11) Nihil enim in his omnibus eum annum excedit.

(12) Ut *addexterare, adrumari, alimonia amicare, ampliorare, annorari, atrium* i. q. cœmeterium, *bachania, camisia, campus, capitaneus, caraxare, caraxatura, cervicatus, clangorium, clepere, clericus* i. q. discipulus, *cluere, debriatus, dequeri, didragmare, dissitudo, doctrinare, duricors, ememor, epacare, eulogiose, expilator, expictio, exsumptuare, frigoritici, funebritas, gaudiosus, guerra, gutteria, herbidare, incoucare, infiscare, inimicare, lactare, matricularius, ocdenarius, peccarium, perdonare, pinguamen, pompare, prebendæ, prediatus, prepotestas, profluvia, fides, rapinator, regimonium, repatriare, revadiare, sacellarius, sæpissimus, senior, sermentatus, siriaticus, turgor, solatiari, subtolarium, tranquillare tribua* i. q. treuga, *ultissimus.*

borum tumore multum alieno, neque similes in A sententiarum fine sonos sectante. Fontes adhibuit quam plurimos : Gregorium Turonensem, Gesta regum Francorum, Flodoardi Historiam Remensem, Hincmari epistolas; Annales Vedastinos, Einhardi (13), Sancti Gisneli (14); catalogos pontificum Cameracensium; vitas SS. Asmari atque Ermini auctore Ansone, Autberti auctore Fulberto, Vedasti auctore Alcuino, Leodegarii, Salvii (15), Gisleni, Landelini, Amati (16), Aichadri, Hugonis Rothomagensis, Gaugerici, Maxellendis (17), Aldegundis, Gudilae; Wiboldum de alea; Gerardi I epistolas; diplomata archivorum Cameracensis, Lobiensis, Maricolensis; narrationes Gerardi I atque aliorum (18). Hic fontibus ita usus est, ut nunc describeret integros, nunc excerperet, verbis pro libitu muta- B tis; imo diplomata etiam pro more illius temporis nequaquam accurate semper eum expressisse, chartæ ipsæ Cameraci adhuc servatæ luculenter docent; quod adnotavimus (19), ne nimia in talibus auctoritas scriptoribus mediæ ætatis tribuatur, ubi chartæ ipsæ non jam supersunt. Sed hæc in nostro sæculi sunt, non levitatis neque mendacii. Ubivis enim vera scribere volebat (20); et si non raro erravit, in chronologia maxime (21), nunquam tamen sciens falsa tradidit. Nec miracula nimium sectatur, nec rerum justarum tenuitatem commentis exornare studet; et quamvis jejuni sit animi neque ad historiam scribendam nati, simplex tamen est, et fidei neque ira nec studio corruptæ.

§ II. — *An Baldericus Gestorum auctor?*

Hæc sunt quæ certa de auctore scimus ex ipsius opere. Alia de eo testimonia non exstant, nisi tres epistolæ (22), e quibus Colvenerius, cui lucem debent, primus eruit, auctorem Gestorum fuisse *Baldericum, filium Aiberti domini de Sarchinville, sacellanum primo ac secretarium Gerardi I, deinde secretarium Lietberti et Gerardi II, postea canonicum et cantorem ecclesiæ Morinensis, inde archidiaconum Noviomensem, ac demum episcopum Noviomensem ac Tornacensem; obiisse Morinis a.* 1112, *ibidem in choro sepultum.* Sed jam Petrus Boschius (23) osten-

(13) I, 42.

(14) Deperditos, quos novimus tantum ex chronico Hannoniensi Jacobi de Guisia, qui quedam ex iis affert ad. a 937, 975, 984, 1000, 1005, 1035. Ex his noster exescripsit a. 975, 984, 1000, et procul dubio plura etiam quæ annalibus ipsis deperditis agnoscere jam non licet. — Annales etiam Rothnacenses inter fontes operis referendos esse, monuit V. Cl. Wilmans. V. Annalium nostrorum t. IX.

(15) Acta SS. junii V, 200.

(16) Ib. Sept. IV, 128.

(17) Acta SS. Belgii IV, 572.

(18) III, 12 22, 23; I, præf., 10, 34; II, 3, 12.

(19) I, 27, 39, 64, 77.

(20) I, præf : *nihil dubium, nihil fictum positum est . . . alioquin melius est tacere quam falsa proferre;* ib. 2 : *consultius reticere censuimus, quam fabulosum quid conficere*; ib. 28 : *melius est silere quam fabulosum quid conficere*; cf. c. 4.

(21) Ut I, 8, 16, 42, 49, 50, 60; II, 21 32; III, 13.

(22) Sunt autem hæ : *Gerardus Cameracensis seu Atrebatensis ecclesiæ episcopus religioso Huberto episcopo salutem. Mitto ad te Baldericum, dudum pii Lietberti a secretis et mihi nepoti ad idem servientem, qui te super dubiis in Domino consoletur. Vir est litteratus; et iis quæ Morinensium sunt imbutus ut tuæ et meæ gentis chronicon nuperum indicat. Quæ tuæ sunt sedis edocebit, et ab eo intelliges quæ cupis. Gaudeo super valetudine tua meliore, et te lubentius sufferre afflictionem desidero;* D *nam qui vindicari vult, a domino inveniet vindictam Æquissimum enim est, omnibus parcere episcopum, qui a Deo quotidie sibi parci expetit. Disce boni pastoris proprium esse pati et ferre, ponere faciem ut petram durissimam, et non confundi. In omnibus Deo gratias age, illi soli penitus inhærens; et ita improborum non senties offensam. Datum Cameraci in Februario, anno* 1182. Hanc unde habeat, Colvenerius non docet. Altera hæc est : *Raynaldus Remensium archiepiscopus Balderico Morinensium cantori salutem. Meum, dilecte, de tua Historia ecclesiæ Cameracensis et Atrebatensis requiris judicium: de qua quæ accepi a fratre Sigeberto, tibi rescribo. Illi tanquam sedula apis per piorum devota circumvolitans loca, nullum preterisse visus es, unde non aliquid decerpseris incredibili sedulitate. Sic itaque mirabilia Dei et sanctorum non erunt in terra oblivionis, et edificasti in generatione et generationem. Ideo usque nunc satis verecundiæ et modestiæ tuæ datum est : reliquam piorum votis et pii defuncti præsulis voluntati largire; et quod industria infatigabili et animo vel ad minutissima quæque attentissimo viventi consecrasti, mortuo non eripias. Exeute de manibus, ut in ecclesiis et monasteriis versetur. Mihi etiamnum presagit animus, rem istam tibi gloriæ posteritati usui, et nunc utrique ecclesiæ veluptati atque ornamento futuram. Datum Remis Idibus Januarii* C *anno* 1194 Neque hujus originem indicat Colvenerius. Tertia, « ex archivis ecclesiæ Ambianensis desumpta, » hæc est: *Dilecto confratri Balderico Noviomensium episcopo Godefridus Ambianensis Ecclesiæ episcopus salutem in Domino. Me indignum ad hanc pastoris curam evexit Deus: ut quod dignum devotione gregis est faciam. Cum itaque in hac diœcesi perantiquæ sint ecclesiarum fundationes, et jam injuria hominum diruta pleraque claustra, ut ea oblivioni perpetuæ non tradantur, sed piorum locorum recordatio sublevet fidelium animos, ad devotionem propagandi cultus divini, et ut multis intercessoribus Deus super malitia nostra fiat placabilis, et misericordiam largiatur, precor obnixe in Domino ut te labori pio accingens, aut potius in eo labore perseverans nostræ diœcesis et ecclesiæ fias exscriptor, sicut in ecclesiis Cameracensi et Morinensi fuisti fidelis calamus scribæ velociter scribentis. Non abscondas taleutum in terra, et benefaciens noli deficere. Salutat te Petrus archidiaconus, et ego tuus conservus in ovili Christi, in quo vale. Scripsi ad Sanctum Quintinum meas delicias juxta Peronæ villam, anno* 1118. *in Maio.* His adjungit Colvenerius « ephitaphium quod ante urbis Morinensis destructionem cernebatur in choro cathedralis ecclesiæ »: *P. Baldericus, hujus ecclesiæ cantor et episcopus Noviomensis, anno Verbi incarnati MCXII, prælationis suæ anno XV, pridie Kal. junii obiit, meritis plenus et Chronico Cameracensi ilustris.* Quod unde sumpserit, nescitur; Teruanna enim a. 1151 diruta fuit. Sed jam dom Rivet monuit: « Cette inscription n'est point originale, et n'a été faite qu'après coup sur la lettre de S. Godefroi évêque d'Amiens. »

(23) Acta SS. Aug. II, 668. Colvenerius atque Boschius soli sunt, quos consulere juvat; reliqui omnes repetierunt tantum, quæ illi dixerant, novi nil prorsus afferentes. Atque Miræus Opp. diplom. 1, 80;

dit, Baldericum episcopum, quem ipsa Ecclesia Noviomensis vocet *pastorem non aliunde illatum, non alium, sed suum, suo profusum utero, quem gremio susceptum ipsa sibi lactavit, quem sibi ablactatum ipsamet educavit et ab ipsis cunarum exordiis per ætatum et ordinum gradus sibi penitus vindicavit, ut habere gaudeat ex filio patrem, ex alumno rectorem, ex canonico suo et archidiacono Baldrico pontificem* (24) non posse eumdem esse cum nostro quem inde a juventute usque ad a. saltem 1044 Cameraci vixisse ex ipsius verbis constet, quemque anno demum 1082 ad Morinos transiisse, ibique anno adhuc 1094 vixisse epistolæ istæ tradant. Statuamus igitur oportet aut errasse Gerardum, ita ut Chronicon Cameracense a Balderico scriptum sciens, at a quonam Balderico nesciens, eum quem optime norat Baldericum, episcopum, cogitaret. — aut totam epistolam suppositam esse, id quod de reliquis etiam duabus Boschus *non uno ex capite* suspicatur. Atque revera habent apocryphi quiddam et, ut ita dicam, vagi; color est recentior non qualis illo tempore esse solebat; in prima chronicon Morinense scriptum indicatur, antequam auctor Morinos venisset; in secundo chronicon Cameracense, quod ante annum 1044 compositum fuisse scimus, anno 1094 adhuc ineditum repræsentatur, cum tatem prima epistola anni 1082 ejus mentionem faciat tanquam satis noti; in tertia senex, si noster esset, ad minimum 88 annorum ad historiam scribendam invitatur. Porro origo duarum prorsus est incognita; et quanquam Colvenerius, vir summæ in litteris etiam religionis, profecto non is fuit qui sciens falsa pro veris daret: ipsum tamen falli potuisse chartis jamdudum suppositis, nec incredibile est, nec ei quam memoriæ illius merito habemus repugnat venerationi. Quamobrem tum ipsæ, tum quæ iis solis innituntur — Balderici nomen, secretarii apud Liebertum atque Gerardum I.

A munus, transitus ad Morinos, chronicon Morinense (25) — si non prorsus neganda, adeo tamen dubia manent, ut sint quasi non sint. Multo probabilior, imo per ipsius auctoris testimonium (26) certa fere videtur Boschii conjectura (27), ex qua noster præter Gesta, et quidem prius quam ea, Vitam quoque S. Gaugerici e duabus vetustioribus conscripsit.

§ III. — *Gesta Lietberti.*

Auctorem in Gerardo I calamum sistere voluisse, supra ex ipsius verbis vidimus. At Colvenerius — et hunc reliqui secuti sunt omnes — Gesta Lietberti quoque eidem tribuit, hac una ratione inductus, quod in codice 2 tertio libro subjiciantur. Sed ipse dicit ea ibi scripta esse *alia manu eaque paulo recentiori*, unde certum fere videtur, in codice primario hujus 2 fonte, ea non fuisse (28). Sigebertus quidem (29), B Rodulfus biographus Lietberti, auctor chronicæ S. Andreæ Castri Cameracesii, et scriba codicis Hafniensis (30) ea jam in *libro gestorum pontificum Cameracensium* legebant; sed inde nequaquam sequitur, auctorem esse eumdem. Hic enim patroni sui Gerardi ultimos septem annos profecto non tam alto atque abrupto silentio transiisset, neque, credo, librum, a, 1044 absolutum, usque post a. 1076 reliquisset intactum — nam tunc demum gesta Lietberti conscripta sunt (31). — Sermo etiam quamvis colore non multum differat, studium tamen sententiarum singulas partes æquali sono terminandi multo magis apparet quam in præcedenti. Rodulfus porro hanc Gestorum partem *Vitam Lietberti* vocat (32), quo nomine vocare vix poterat, nisi a C prioribus separatam; et Cameracensis etiam abbreviator interpresque Gallicus, eo quod a Lietberto initium sumpserunt, ibi quamdam ut ita dicam cæsuram in Gestis fuisse ostendunt. Separavimus igitur Gesta Lietberti a tertio libro, tringinta amplius annis prius composito atque unius Gerardi rebus ab aucto-

Cousin Hist. de Tournay I, 152; Sanmarthani III, 819; Vossius De hist. Lat. p. 387; Gallia Christiana IX, 999; Ceillier Hist. gén. des auteurs eccl. XXI, 76; Fabricius s. v.; Bouquet VIII, præf.; X, 196; Baur in Erch et Gruber Encycl.; Thierry, Lettres sur l'hist. de France, n. 17, in omnibus Colvenerium sequuntur; — Paquot III, 633. ed. fol.; Rivet in Hist. Littéraire de Fr VIII, 400; Bouquet XI, 122; Leglay in Biographie univ. LVII, 310. et in editione sua, cum Boschio nostrum a Noviomensi episcopo diversum esse statuunt, reliqua autem quæ Colvenerius ex epistolis illis concludit, admittunt omnia, D scilicet auctorem Baldericum vocatum, secretarium fuisse Lietberti atque Gerardi II, librum suum tertium deduxisse usque ad mortem Lietberti, transiisse a. 1082 ad Hubertum episcopum Morinensem, ibique composito Chronico Morinensi, obiisse cantorem circa a. 1097.

(24) Verba sunt epistolæ a. R. decano atque tota congregatione Noviomensis ecclesiæ ad Lambertum Atrebatensem episcopum scriptæ quam edidit Baluze Miscell. V. 309, ex codice Atrebatensi, fidei indubitatæ. Atqui charta Rabodi Noviomensis episcopi, data 7 Decbr. 1093, quam exhibet Simonis Chartularium S. Bertini pag. 206, et Guérard., inter testes habet: *Signum Baldrici archidiaconi;* unde apparet, Baldericum postea episcopum, et jam a. 1093 archidiaconum Noviomensem, non posse a. 1094. fuisse cantorem Morinensem, id quod altera Rainaldi epistola contendit.

(25) Hujus nusquam mentio fit nisi in prima atque tertia epistola; quibus Colvenerius addit: *servatum fuit in archivis ejusdem ecclesiæ usque ad tempora Philippi de Luxemburgo episcopi Morinensis et Cenomanensis, qui Cenomanis obiit a.* 1519. *Hic transferri illud jussit ex Morinis ad collegium sancti Benedicti in urbe Cenomanensi.* Sed ibi jam Dom Rivet illud frustra quæsivit. Ejusdem operis codicem in bibliotheca Fouchetiana recenset Le Long, Bibl. hist. de France n. 3310. Sed jam doctus Cameracensis abbas Mutte dubitabat, num tale Chronicon omnino exstitisset.

(26) II, 4.

(27) Acta SS. Aug. II, 668. et Acta SS. Belgii II, 278.

(28) Attende etiam ad rasuram codicis 2 in fine III, 60, procul dubio a manu illa altera recentiori profectam; quæ rasura docet, ab initio ibi quædam fuisse, quæ opus ibi finem habere indicarent.

(29) A. 1054.

(30) Archiv. VIII, 440.

(31) Hoc inde apparet, quod Lietbertus raro tantum *domnus* vocatur, quam vocem auctor eo vivente scribens omittere non poterat.

(32) Vita Lietb. 2.

re destinato; damusque e codicibus 2, 2*, 7, in quibus solis leguntur.

§ IV. — *Gesta Gerardi II.*

Gesta Gerardi II restituimus ex 7, 7*, ubi alii operi a. 1180 composito tam arcte inserta leguntur, ut unum unius auctoris opus videri possit. Sed diligentius inspicienti statim apparebit ea quæ de Gerardo ibi habentur, scripta esse paulo post ejus mortem a. 1092 (33), et quidem auctore alio quam Gesta Lietberti (34), reliqua anno demum 1180 addita esse, ex Gestis sequentium episcoporum excerpta. Quominus autem Gerardi II quoque gesta excerpta tantum hic legi credamus, versio Gallica vetat statim indicanda, quæ non ex codice 7, sed ex Gestis ipsis facta, in Gerardo II ad verbum fere cum nostro convenit, in sequentibus multo amplior est. Et hic igitur, ut in Lietberto, separavimus, quæ in 7, 7*, et in editione Dom Brial XIII, 476, unica hucusque, unum opus efficiunt.

§ V. — *Gesta Manassis et sequentium. — Excerpta S. Gaugerici. — Abbreviato Cameracencis. — Versio Gallica.*

Gesta sequentium episcoporum non jam integra habemus, sed ope tantummodo duorum excerptorum atque versionis Gallicæ, qualia fuerint possumus conjicere. Anno siquidem 1180 monachus, ut videtur, Sancti Gaugerici (35), cum Gesta Lietberti, Vitam ejusdem et Gesta Gerardi II in unum volumen (36) conscripsisset, *successiones pontificum ab illo tempore usque ad presens tempus per annos ferme centum, hoc est ab anno incarnationis Verbi* 1090 *usque ad annum* 1180 *summatim designare intendens* Gesta Gerardi narrationem de sequentibus episcopis ex ipsorum Gestis excerptam (37) tam arcte subjecit, quasi unum opus esset; de suo nil addens nisi cap. 4-6, 9, de sancto Gaugerico, sed quædam omittens, quæ ex versione Gallica supplenda esse suo loco indicavimus. At hujus excerpti habemus tantum initium usque ad a. 1095: reliqua interciderunt, mutilis codicibus 7*, unde Dom Brial XIII, 476, et 7 autographo, unde nos illud dedimus. — Anno porro 1191 canonicus Cameracensis (38) Gesta Lietberti et sequentium sat breviter contraxit, et inde a morte Nicolai, ut videtur (39), de suo continuavit ad annum usque 1191. Qui quamvis et verba Gestorum quamplurimum mutaverit, et judicium de hominibus nonnunquam aliud habeat quam illa, tamen cum versione Gallica collatus summæ utilitatis est ad Gesta illa restituenda. Postea continuatus fuit ab alio quopiam; sed hæc interierunt. Opus unico codice 9 jam deperdito editum fuit in libro: *Supplementum seu continuatio chronici Cameracencis Balderico adscripti, ab a.* 1054 *ad a.* 1196. *Cameraci apud S. Berthoud.* 1786. 8vo, deinde Dom Brial XIII, 534, initio quod ex Gestis Lietberti fluxit omisso. Nos ex utraque editione damus, capitum destinctione de nostro instituta. — Sæculo denique XIII exeunte (40) Gesta Lietberti et sequentium genuina, non abbreviata, nescio quis in Gallicam linguam vertit, prouti tunc vertere solebant verbosius paulo quam textus Latinus, omnino tamen satis accurate. In Lamberto et Gerardo II, neque omisit quicquam neque addidit; in sequentibus, ubi Gestis ipsis deperditis, ex excerptis modo judicare licet, omisisse perpaucula tantum videtur, adjecisse nil nisi locos quinque (41) ex Lamberti Waterloi Chronico ad verbum desumptos. Quæ si detraxeris, Gesta deperdita Manassis et sequentium hæc versio sat bene supplet; quare dolendum, quod jam in anno 1135 desinit, fine unici codicis 10 deperdito. Ex hoc primus edidit Dom Brial XIII, 476; excerpto quædam dedit Leglay (42). Nos gestis Lietberti et Gerardi II, quibus nil novi inest, plane omissis, reliqua inde ab anno 1092. omnia ex ipso codice 10 iterum proponimus, capitum distinctione de nostro addita, locisque quibus excerptor Gaugericianus et abbreviator Cameracensis eadem narrant, in margine ubivis indicatis.

§ VI. — *Continuatio S. Andreæ Castri Cameracesii.*

Hæc sunt quæ de Gestis pontificum Cameracensium ad nos usque devenerunt. Continuationem quæ non ex eis fluxit, habemus unam, brevissimam annorum 1051-1179, auctore monacho S. Andreæ Castri Cameracesii (43); quam post Dom Brial XIII, 533, et Leglay, p. 308, subjungimus ex eodem quo illi codice 8 unico. — *Historia episcopatus Atrebatensis* (44), cujus finem Brial et Leglay ediderunt, neque ad Gesta pertinet, quippe a clerico Atrebatensi composita circa a. 1172, nec res Germanicas ullo modo tangit. Neque magis nobis edenda erant *Gesta quibus Atrebatensium civitas sub Urbano in antiquam reformatur dignitatem*, a Baluzio edita (45), quæ non sine utilitate cum Gestis conferentur, sed auctorem habent longe alium, Atrebatensem, circa a. 1102 viventem; neque quiquam ad nostram historiam conferunt.

(33) Cf. c. 9. in fine.

(34) Verba enim æquali sono desinentia in fine sententiarum adeo sectatur, ut colore sermonis inde longe alius sit a Gestis Lietberti.

(35) Conjicimus ex ampla de sancto Gaugerico narratione c. 4-6 9, quam de suo addidit, cum ea in Gestis non esset.

(36) Est ipse codex noster 7.

(37) C. 1 *Gesta pontificum requirat.*

(38) Cf. c. 26.

(39) Conjicio inde, quod c. 19 ultimo hujus decennio prorsus omisso statim ad successorem transit, abrupte satis et quasi fontibus subito destitutus, Gesta Burchardi ipse allegat c. 13.

(40) « Du temps d'Enguerran de Crequi, comme on le voit par le catalogue des évêques qui est à la tête du ms. » BRIAL.

(41) C. 28, 31, 32, 38, 39.

(42) P. 544, 551, 553, 554, 557-564, 571, 572.

(43) Cf. init. *in ista ecclesia.*

(44) *Auctores Cameracensis et Atrebatensis urbis ignorantur — manibus est interfectus.* In codd. 7 et 7*, quo usus fuit Brial XIII, 533, et ex eo Leglay, pag. 351.

(45) Miscell. V, 237, e codice Atrebatensi, jam Boloniensi (Archiv. VIII, 406), cujus apographum sæculi XV, vidi in bibliotheca Atrebatensi.

Gesta per mediam ætatem neque lectitata multis fuerunt: nec sæpe descripta. Usi sunt iis Lambertus episcopus Atrebatensis a. 1097 (46), Sigebertus a. 1105, Rodulfus in Vita Lietberti ante 1130 (47), Chronicon. S. Andræa Castri Cameracesii a. 1133, Andreas Marchianensis a. 1194, Chronicon Marchianense a. 1200 (48), Jacobus de Guisia c. 1380 (49). — Codices vero hi sunt :

§ VII. — *Codices.*

(1) C. sancti Gisleni, jam. Bibl. reg. Haagensis n. 303, ex libris a Leloup collectis emptus, membr., fol. min., foliorum 88, linearum in quavis pagina 28 ; scriptus una manu continua sæculi, XI, atramento tam fusco, ut integræ hic illic voces oculos jam fugiant ; quarum aliquot sub initium operis alia manus sæculi XII conata est restituere. Numeri capitibus præfixi octo tantum primis ; inde a nono desinunt. Prima cujusque capitis littera est rubra ; ornatæ non habentur nisi pauculæ sub initium operis. Tituli minio scripti, sed rubricatorem alium fuisse ac scribam, et ortographiæ diversitas indicat, et quod sæpius scriba non satis spatii liquit, ita ut rubricator marginem quoque adhibere cogeretur. Per totum vero codicem (50) manus alia, nitidior paulo, sed plane coæva, atramento plerumque nigriore additamenta ascripsit, tum in rasura, tum inter lineas atque in margine, tum vero in schedulis assutis, nunc breviora, nunc ampliora ; imo integra capita ita supplevit. Singulos autem in scriba primario atque in rubricatore pennæ lapsus corrigere, orthographiam non raro diversam mutare vocesque ab his tum casu tum consultu omissas supplere omnino dedignata est. Hanc manum ipsius credo auctoris autographam, curis secundis opus suum revisentis ; — nam de se ipso in hisce loquitur (51) ; reliqui codices omnes ea tantum habent quæ hic corrector, non quæ primo scriba exaraverat ; totusque harum correctionum additionumque habitus idem est, quem et in Thietmari, Liudprandi, Sigeberti, aliorumque codicibus autographis videmus. [Alia denique manus s. XII exeunte seu XIII, ineunte quasdam correctiones fecit in 1. 20, 68. — Codex jam primum tantum atque secundum librum continet ; desinit in media pagina antepenultima quaternionis foliis adhuc integri. Cui spatio paginæ et dimidiæ a scriba vacuo relicto, manus alia, sed coæva, inscripsit : *Ex decretis beati Gregorii papæ, quod monachi*, etc., quæ ab opere nostro plane aliena sunt. At tempore Colvenerii, qui eo apud S. Gislenum usus est, tertius etiam liber aderat usque ad vocem capitis 49 medii : *adhibuit*, in qua voce desinebat in fine quaternionis, sequentibus foliis cum fine operis deperditis. Quæ folia sub finem sæculi XII adhuc exstiterunt — tunc enim scriba codicis 2 ea adhuc excepit — sed sæc. XIV jam deperdita erant ; nam 3 tunc temporis scriptus ea non jam habuit. Ex hoc codice primario reliqui fluxerunt omnes (52). Usus eo fuerat Colvenerius ; eruit eum iterum Pertzius anno 1835 ; nos Haggæ comitum anno 1839. V. Cl. Holtrop bibliothecæ regiæ præfecto benignissime favente, denuo accuratissime contulimus.

(2) C. S. Mariæ Atrebatensis, jam deperditus, sed Colvenerio adhuc adhibitus, qui eum Gislenensi recentiorem dicit. Sed jam ante finem sæculi XII descriptum fuisse ex 1 inde apparet, quod 1, 20, 68, ea habet, quæ in 1 legebantur primaria, non quæ manus sæc. XII ex illis erasis superscripsit. Tituli minio exarati, prouti in 1, quem in universum satis accurate excepit ; additionem unam tantum inseruit, 1. 3. Post finem libri tertii legebantur Gesta Lietberti, sed « manu alia, eaque paulo recentiore scripta, » teste Colvenerio. Folium ultimum una cum alio quod continebat III, 48, et dimidium c. 49, jam tum deerat, cum 2* ex nostro describeretur. Novimus atque indicavimus ex uno Colvenerio auctore fide dignissimo, qui cum in notis suis a. vocat.

(2*) C. Sancti Vedasti, jam civitatis Atrebatensis, n. 666, chart., fol., anno 1482 a pluribus ex 2 descriptus, sed satis negligenter. Quæ legere non po-

(46) In diplomate apud Baluzium Misc. V, 380.

(47) Hunc aliqui putaverunt celebrem istum abbatem S. Trudonis ; at minus recte, ut ostendit necrologium S. Sepulchri Cameracencis in bibl. civ. Camerac. n. 734, ubi manu s. XII hæc leguntur : 2. *Non. Julii obiit Rodulfus noster monachus et sacerdos, qui domni et patroni nostri Lietberti Cameracensis ecclesiæ pontificis vitam, sudores quos pro eadem sudavit æcclesiæ, et finem vitæ præsentis, in uno volumine luculento sermone descripsit.* Auctor cum Lietberto a. 1064 fuit in Græcia, atque scripsit ante a. 1133 ; tum enim jam Chronica S. Andreæ Castri Cameracesii eum exscripsit. Opus ejus, bis jam editum, apud Dachery Spicil. II. 138 et Acta SS. 23 Junii, non iterum recudere noluimus, quippe quod maximam partem et Gestis Lietberti conflatum, inter fontes historiæ vix haberi potest. Capita enim 1-15, 28, 44, 53-57, integra excerpta sunt ex Gestis pontificum I, 114. III, 1. Gest. Lietb. 1-7. 14, 8, 16-24, quæ verborum tantummodo ampullis et flosculis poeticis atque biblicis Rudulfus extenuavit. Quæ propria inseruit paucissima, in notis ad Gesta Lietberti omnia excerpsimus. Caput 46 ad verbum descripsit ex diplomate Lietberti apud Miræum Opp. dipl. I, 155. Capita 16 27, 29-43, 45, 47-52, 58-66, auctoris propria sunt, exceptis Virgilii versibus quamplurimis, quibus iter Lietberti exornavit : sed quæ ex eis scitu digna sunt, horum plurima jam Chronica S. Andreæ 1, 15 ; II, 22-29, 31, excerpsit, reliqua nos in notis ad eamdem Chronicam dedimus, ita ut amplius non opus sit grana conquirere ex ista palea.

(48) Scriptum petente Simone abbate, qui præfuit a. 1101-1201 ; cf. Annales nostros VIII, 427.

(49) Hic raro tantum nec tam Gestis usus est quam epitome quadam earum Gallica, quam vocat *Historiam Cameracensem* ; eodem tamen nomine appellat Rodulfi vitam Lietberti ; cf. Annales nostros T. IX.

(50) His scilicet locis : 1, 5, 7, 10, 12, 17, 21, 23, 27, 40, 48, 52, 58, 64, 71, 93, 104, 114, 116, II, 5, 11, 12.

(51) I, 7 : *ut supra tetigimus* ; 10 *nostris diebus* ; 23. *huic operi necessarium duxi inserere* ; 27. *reperimus.*

(52) Id præ cæteris probant loci I, 3 ; 20, 40, 64. 68, 89, 93, 104, 108 ; II, 7. 48.

terant scribæ, ns spatium reliquerunt, in margine sæpius voce *desunt* indicantes. Quaternio integer cum I, 46-106 jam intercidit. Ipse contuli.

(3) C. regius Parisiensis, n. 5533ª, olim Baluzii membr. in quarto sæc. XIV, nitidissime exaratus atque accuratissime. Capitum tituli rubri; in tertio libro nulli. Hic illic spatium relictum, ubi vocem in 1 legere non jam poterat; sed hoc raro factum. Desinit in medio III, 49, quibus eodem calamo subjungit continuationem brevissimam *Post istum — Savine*, quam post Gesta daturi sumus. Ipse contuli.

(4) C. Affligemensis, dein societatis Jesu Antwerpiensis, jam bibl. Burgundicæ Bruxellensis n. 7675, chart., fol., s. XVI, continet Gesta, Chronicon Egmondanum atque Andream Marchianensem. Capitum distinctionem de suo nonnunquam mutavit, plura in unum conjungens. Post finem libri secundi eodem calamo descripsit quæ in 1 ibi alia manus inseruit; tum statim librum tertium subjecit, sine titulo, cui in margine alia manus addidit: *Sic habet ms. exemplar domini Preudhomme canonici Camerac.* Desinit in III, 49, medio; nil deperditum. Ipse contuli.

(5) C. Rubeæ Vallis, jam deperditus, sed Colvenerio adhuc visus et *r* notatus, qui cum dicit *in charta descriptum, idque satis imperfecte, ab annis circiter 60 aut 70. In eo multa pro arbitrio mutata sunt, et pro veteribus nova nomina substituta. Summaria capitum habet tantum in secundo libro, nec integre.* Scriba modo quam maxime arbitrario egit; III, 18-49, in unius lineæ spatium decurtavit; desinebat in III, 49, in media pagina.

(6) C. S. Petri Altimontis, jam civ. Duacensis, n. 800, ab Antonio monacho in Alto Monte exaratus sæc. XII, ex., membr., 8°, de quo egi in Annalibus nostris VIII, 428; inter alia continet Gestorum librum secundum inscriptione prorsus carentem. Scriba satis accurate egit, excepto quod pro libitu plura omisit. Capitum tituli rubri, numeri nulli. Ipse contuli.

(7) C. Hafniensis Tott. n. 520, mbr., quart., s. XII ex., olim *SS. Martyrum Floren. Hil. M. et P.*, sed scriptus, ut videtur, Cameraci apud S. Gaugericum. Continet Gesta Lietberti et Vitam ejusdem, cui scriba sine ullo titulo fol. 40 subjecit Gesta Gerardi atque continuationem ex Gestis sequentium episcoporum excerptam. Desinit fol. 40 in fine quaternionis, sequentibus deperditis. Codicem hujus continuationis esse autographum monet Waitzius noster, qui eum contulit atque descripsit in Annalibus nostris VII, 440.

[7*] C. S. Sepulchri Cameracensis, jam deperditus, sed a Dom Brial visus, qui inde Gesta Gerardi atque continuationem Gaugericianam edidit XIII, 476, descriptus fuisse videtur ex 7. Desinebat jamjam cum continuationis c. 8, fine deperdito.

(8) C. Gemblacensis. jam Bruxellensis n. 5468, mbr., fol., s. XI; in fine ab alia manu s. XI ex. as- A cripta sine titulo continet nostri capita I, 94-98, 104. Lectiones ejus notavi omnes.

[9] *Chartularium sæc. XII signatum A. ex archivis ecclesiæ cathedralis Cameracensis* teste Dom Brial XIII, 534, sub initium continebat quam ille inde edidit abbreviationem Gestorum a canonico Cameracensi confectam, cum continuatione *alia manu scripta sed adeo mutila, ut inde certi quicquam vix elicere fas sit.* Codex quo devenerit, nescimus.

(10) C. ecclesiæ Cameracensis catenatus, jam bibl. publ. Cam. 884, post catalogum episcoporum usque ad Enguerrandum de Crequi continet Gestorum versionem Gallicam, quam Dom Brial XIII, 476, ex ipso edidit. Finis codicis intercidit.

Editiones hæ sunt:

B Colv.) *Chronicon Cameracense et Atrebatense, sive historia utriusque ecclesiæ, tribus libris ab hinc 600 fere annis conscripta a Balderico Noviomensi et Tornacensi episcopo. Nunc primum in lucem edita et notis illustrata per Georgium Colvenerium. Duaci ex off. I Bogardi* 1615, in 8°, est editio princeps. Colvenerius tres codices nostros 1, 2, 5, habuit, e quibus nitidiorem auctioremque 2 pro fundamento posuit, sed ex 1 correxit, ubi necessarium sibi videretur; reliquas codicis 1 lectiones alicujus saltem momenti indicavit in notis; ex 5 utpote recenti atque interpolato pauca tantum attulit. In præfatione fusius de auctore egit, sed ibi tribus istis litteris quas primus protulit, in errorem se induci passus est, quod tamen nequaquam ipsi vitio vertendum, C cum epistola illa Noviomensis nondum per Baluzium esset edita. Commentarius denique, quamvis paulo prolixior, multa tamen continet nunc quoque utilia, quibus non sine fructu usi sumus; codices porro 2, 5, et tertium librum codicis 1 jam perditos, per ipsum modo novimus; cumque Colvenerius solida eruditione atque accurata diligentia inter primos excelleret, liber ejus præstantissimis auctorum quos media ætas tulit editionibus est annumerandus.

Bouq) Dom Bouquet ejusque continuatores Gestorum excerpta quædam ex editione Colveneriana inseruerunt tomis VIII, 278. X, 196. XI, 122. Dom Brial vero XIII, 476. 533 534. e codicibus nostris 3. 10. et ex 7*. 9. jam deperditis edidit ea quæ Gesta Gerardi, Gestorum excerptum Gaugericianum, abbreviationem Cameracensem, versionem D Gallicam esse supra exposuimus; et quamvis horum originem, fontes atque auctoritatem non satis perspectam haberet, eo tamen bene meruit, quod primus ea in lucem protulit.

Legl.) *Chronique d'Arras et de Cambrai, par Balderic chantre de Térouane, revue sur divers manuscrits et enrichie de deux suppléments, avec commentaires, glossaire et plusieurs index, par le docteur* Le Glay, *Paris* 1834, *in*-8°. Editor hoc libro, illud maxime efficere voluit, ut mediæ ætatis cognitionem atque studia historica, quorum amor ipsum ex medico fecit archivarium, popularibus quoque suis notam iterum redderet acceptamque, eosque ad

A ipsos e quibus historiam discere deberent fontes reduceret oblivione jamjam obrutos (53). Ideo in verbis auctoris edendis Colvenerium secutus est, adhibitis hic illic codicibus 2*. 6 ; plurimum vero studii collocavit in commentario, latiori quidem, sed vel sic libenter legimus auctorem, qui talia ita tractare novit ut non doctum opus legere, sed virum urbanum, qualis est, grata quadam cum elegantia narrantem audire nobis videamur. Auxit prætcrea libri utilitatem eo quod primus ibi edidit tertiam partem chronicæ S. Andre Castri Cameracesii, eo usque incognitæ ; quam, quod integram infra proponere possumus, ipsius viri amabilis debemus benignitati.

B Nostræ editionis ratio ea fuit, ut, cum codicem 1, ab auctore ipso correctum esse perspexissemus, Gestorum primum atque secundum librum plane ex hoc daremus, correctiones ejus, additiones, pennæ lapsus religiosissime ubivis indicantes, e reliquis vero codicibus ea tantum notantes, quibus vel ipsi eorumque natura cognosci, vel correctiones atque lacunæ in 1, temporum injuria factæ suppleri possent. Tertium quoque librum usque ad c. 49 med. ex eodem 1 dedimus, ipso quidem jam deperdito, sed Colvenerii egregia accuratione ejus absentiam adeo supplente, ut paucissima tantum dubia remanserint. Finem libri ex 2, id est Colvenerio, et 2* dedimus. Gesta Lietberti nos primi a præcedentibus separavimus, proponentes ea ex 2 seu Colvenerio, 2* et 7, qui unus finem eorum suppeditavit, hucusque ineditum. Gesta Gerardi restituimus ex 7 ejusque apographo 7*, a Dom Brial expresso. Gesta sequentium episcoporum integra cum non jam habeantur, tria opuscula exhibuimus ex quibus ea suppleri possint : excerptum scilicet Gaugericianum, auctius jam quam apud Dom Brial, e codice autographo 7 ; Abbreviationem Cameracensem, cujus codex unicus 9 non jam exstat, ex duabus editionibus a Berthoud et a Brial curatis, omisso tamen initio e Gestis Lietberti ad verbum descripto ; Versionem Gallicam e codice 10, et hujus initio omisso, cujus fons adhuc exstat. Continuationem denique S. Andreæ iterum ex codice 3 unico proponimus. In adnotationibus ea quæ jam apud Colvenerium atque Leglay recte dicta reperiebamus, geographica maxime, ab illis mutuati sumus, nomina eorum religiose ubivis apponentes ; præterea duo potissimum exsequi conati sumus : ut et chronologiam quam accuratissime explicaremus, et quæ ex aliis scriptoribus excepta sunt, litteris minoribus exprimeremus ubique (*).

L. C. Bethmann.

PRÆFATIO SEQUENTIS OPERIS

C Precipiente domino nostro episcopo Gerardo (54), in quantum vere indagari potuimus, de antiquitate nostrarum urbium, Cameraci videlicet atque Atrebati, sed et de earum quoque pastoribus memoriæ commendavimus ; non quidem ingenio freti sed monitoris dignitate compulsi, qui nostram pusillitatem apud peritissimas aures periclitari maluit, quam diutius tot temporum ordinem, tot gestorum seriem conticeri. Quæ quamlibet rustico sermone edita, satis tamen apparent liquida. Nec tamen eo lector temere moveatur, quod tam antiqua modernis reddidimus ; quia nihil dubium, nihil fictum positum est, nihil etiam revera preter quod aut in annalibus atque historiis Patrum, seu et in gestis regum, sed et in kartis quoque, quæ adhuc in archivo ipsius æcclesiæ sunt, repperimus, aut a certis relatoribus et visa et audita accepimus. Alioquin melius est tacere, quam falsa proferre (55).

LIBER PRIMUS

1. *Causa conditarum urbium prenotatur.* Urbibus quondam ædificandis ea primum causa ab auctoribus (56) extitisse dicitur, ut homines passim ritu ferarum oberrantes, quibus neque mos, neque cultus ratione magistra regebatur, nichilque divinum aut humanum sapiebant, sed propter errorem atque inscientiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur perniitiosis satellitibus ; — illi inquam homines instructis urbium mœnibus in unum convenirent, fidem colere et justitiam retinere discerent, et aliis parere sua volontate consuescerent ; ac non modo

(53) Præf. 10 : *A une époque où le patriotisme provincial se réveille, il est naturel que chaque contrée s'enquière un peu d'elle-même, et sache ce qu'elle faisait, alors qu'elle avait une existence indépendante et ne formait pas une banlieue de Paris.* Ibid. pag. 29 : *Puisqu'il est démontré aujourd'hui qu'on ne peut approfondir l'histoire qu'à l'aide des documents originaux, pourquoi l'étude de ces documents n'entrerait-elle pas dans l'enseignement classique ? Chaque collége royal ne pourrait-il pas avoir un cours de paléographie et de diplomatique appliquées à notre histoire nationale ? Les jeunes Allemands, en sortant de leurs classes, connaissent les Scriptores rerum Germanicarum ; ils ont lu Grégoire de Tours et Eginhard, deux écrivains français dont nos étudiants soupçonnent à peine l'existence. Si l'on veut qu'enfin la jeunesse ait des idées justes sur un passé qu'on lui a montré jusqu'ici sous des couleurs si fausses, il est temps de la mettre en relation directe avec ce passé lui-même. Les témoins oculaires sont là, pourquoi ne pas les faire entendre ?*

(54) Primo, qui sedit a. 1012-1051.

(55) Imitatus videtur Sulpitium Severum, cujus hæc sunt ultima verba prologi in Vitam S. Martini : *Alioquin tacere, quam falsa dicere maluissem.* Colv.

(56) Cf. Cic. Tusc. v, 2. Colv.

(*) Nos uncis concludimus. Edit. Patrologiæ.

labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam estimarent. Quæ nimirum causa, licet non improperanda videatur extitisse — non enim vile aut absurdum fuerat, homines agris et tectis silvestribus abditos ex feris et immanibus mites reddi ac mansuetos — in consilio tamen providentiæ ordinantis [1] longe altior rerum causa portendebatur; per quam humana prudentia, dum suis consulere usibus putabat, superventuræ posteritati utiliter ministraret; videlicet ut ipsis suis mœnibus nihil aliud pretendere viderentur, nisi quædam ut ita dicam regia ædificia construere, in quibus mox futura sancta mater æcclesia principalem suæ dignitatis arcem et apostolicam sedem obtineret. Habet namque penthatheucus Moysi, quia, Hebreorum populo ab Ægyptia dominatione revocato, Deus civitates gentium possidendas misticis beneficiis promitteret et donaret, juxta illud Psalmistæ: « Dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt (*Psal.* CIV, 44). Unde et occiduæ quoque regionis urbes, quas gentilitas muralibus machinis et miris nobilitaverat officinis, infusa per orbem æcclesia velut regiæ majestatis arces occupat.

2. *Conditores urbium Cameraci et Atrebati nesciuntur; Julius vero Cesar, superatis Alpibus et Gallis Atrebatum usque deveniens, Comeum ducem subjugavit.* Sed hæc de causa ædificandarum urbium sufficiant. De auctoribus vero earum dissensio plerumque invenitur, adeo ut nec urbis quidem Romæ origo diligenter possit agnosci. Nam plerique a Trojanis atque Aboriginibus, alii ab Evandro, alii a Romulo eam conditam fuisse asserunt. Unde nos nec historicos nec commentatores varia dicentes imperite condempnare debemus, quia antiquitas ipsa creavit errorem. Sed si tantæ civitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Facturus igitur mentionem sanctorum patrum, quos provida Dei dispositio Atrebatensi seu Camaracensi æcclesiæ preesse constituit, harum duarum conditores urbium scripto annotare debueram. Sed quia nomina aut memoriam eorum nec historiæ aut annales aut etiam fama superstes [2] servavere, de his consultius reticere censuimus, quam fabulosum quid conficere. De temporibus quoque conditarum eadem constat ratio, ut quorum auctores nesciuntur, et tempora sileantur, preter quod inter antiquiores et nobiliores urbes Atrebatum nomen obtinere, si quis historias Julii Cesaris relexuerit, non ignorabit. Hic namque postquam totius pœne orientis orbem Romano subjugasset imperio, regesque gentium tributarios fecisset, videns quod ei incerta bellorum prosperavissent, occidentales quoque regiones suo imperio adjungere meditabatur. A Unde superatis Alpibus, Gallisque [3] ad deditionem coactis aut gladio trucidatis, forte Atrebatum, quæ supererat in extremis Galliæ finibus, septus militaribus copiis devenit. Cui cum cives, Comeo duce, viro militiæ veteris stipendiis egregio et gentis suæ et patriæ salute ferventissimo, resisterent: indignatus quod Romanæ potentiæ resistere auderent, cui extrema Indiæ paterent, Assyrius atque Ægyptius parerent, Macedonia et omnis Palestina regio serviret, Scotia, quæ nihil terris debebat, atque Saxonia inaccessa paludibus et inviis septa regionibus, jam tremebat, postremo omnia subjecta erat, nisi quæ nimio æstu aut gelu invia sunt, et ideo extra Romanum imperium, quia eadem extra humanum B usum, — super his indignatus, vahementius obsidioni incubuit. Conflictum promptissime ab utraque parte, donec memoratus Comeus [4], Romani principis fortitudinem sustinere non valens, cum civibus ad deditionem cogeretur. Alii rebellionis ausum, et moras obsidionis in virum capiti ulciscendas acclamabant. Fit concursus, ad ejus advenientis spectaculum Romanis confluentibus. Alii videre dejectum desiderabant, quem paulo ante in amplissimo honore positum summæ rei preesse intuebantur; alii certabant illudere capto; alii vices rerum humanarum tam varias atque flexibiles mirabantur. Plerique consultius ingemiscebant, qui in alienis casibus sibi eadem posse accidere estimabant. Cesar pre ceteris move- C batur ingenita animi mansuetudine, illum dudum bellatorem superbum, subito potestati addictum hostium, alieni nutus sortem operiri, vitæ naufragum exulem spei, incestum salutis. Tantum valere momenta in preliis, ut brevi casu dispares sui reddant, cum aut potentes dejiciuntur, aut afflicti levantur. Itaque pars melior, eorum scilicet qui honore potiebantur, in quos potius Cesaris consilia reclinabant, mitiora consilia dabant. Maxima tamen apud Cesarem portio salutis viro fuit devotus patriæ animus et spectata in rebus bellicis virtus. Advertens namque in eum fidei et egregii animi constantiam, inter primos militaris negotii viros et regios consiliarios promovit, per quem postmodum multa strenuæ virtutis insignia peregit. Nam bello strenuus, D consilio bonus, quam frequenter innumeras hostium copias parva manu fuderit, non est presentis persequi negotii. Parent (57) autem usque in hodiernum constratis aggeribus loca apud Mariolum (58), ubi Romanæ acies castra metaverant.

3. *Quod Clodio rex missis exploratoribus cum grandi exercitu Cameracum ingressus, christianis interfectis urbem obtinuit.* Denique Cameracæ urbis licet auctor et ætas certa non pateat, inter antiquiores

VARIÆ LECTIONES

[1] Omnia Dei *addit.* 5. [2] supestes 1. [3] videns — Gallisque *in rasura, sed ab ipso scriba exarata.* [4] comes 1. 3.

NOTÆ

(57) I. c. apparent.

(58) Maroilles.

tamen nomen et famam obtinere eam, res ipsa indicat, quod in gestis antiquorum scripta sæpe memoratur[5]. Narrat item Francorum historia, quod postquam dominicæ sanctionis sententia gentili gladio ferienda Gallia traderetur. Justino imperatore [(*Gesta r. Fr.*) Clodio rex habitabat in Disbargo castello, in finibus Toringorum, regione Germaniæ. In his autem partibus, id est ad meridianam plagam citra Rhenum, habitabant Romani usque Ligerem fluvium. Ultra Ligerum fluvium Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes habitabant trans Rodanum, quod adjacet civitati Lugdunensi. Clodio autem, missis exploratoribus ad urbem Cameracum, in qua Romani habitantes jam christianæ religionis culturam exhibebant, ipse postea cum grandi exercitu Rhenum transiit, et Carbonarias ingressus, Tornacensem urbem obtinuit. Exinde usque ad Camerasensem urbem veniens pauco temporis spatio resedit, Romanosque quos ibi invenit, interfecit, Exinde usque Somnam fluvium occupavit.]

4. *Quod Clodoveus, rex quartus a Clodione, Ragnacharium consobrinum suum, pro eo quod cum in urbe non suscepit, congressione habita interfecit.* Sed et ejusdem historiæ textus indicat, quod Clodoveus rex quartus post Clodionem, in urbe Cameraco Ragnachario consobrino aut nepote suo custode relicto, in terris et civitatibus, quas usque Aurelianum occupavit, morabatur. Unde cum quodam tempore reverteretur, ipse Ragnacharius mundano fastu superbus, mutata fide ei urbis ingressum negavit. Hic propter obscenitatem morum et insolentiam Francos sibi adversos fecerat, maxime pro eo quod [(Greg. Tur. ii, 42) effrenis in luxuria, Venerio adeo fervebat incendio, ut nec a civium nec propinquorum conjugibus suas comprimeret cupiditates. Quæ quidem ei lætalis exitii causa extitit. Nam hujusmodi famoso ludibrio Franci efferati, causas quibus regi exitium maturetur nectunt, commentumque proditionis Clodoveo regi significant. Qui promissis proditores corrumpens, subærato fefellit auro. Pactio hæc fuit, ut regem hostibus congressuri desererent. Sumpta itaque de suis manu valida, Clodoveus adversum Ragnacharium movit exercitum; qui et ipse directa acie regi occurrere parat. Missis itaque exploratoribus ad contemplandum exercitum Clodovei, non advertit dolum nuntiorum, qui factiose regi audaciam ex majoribus copiis suscitabant Hujusmodi erant verba nuntiorum, cum quæreret ab eis[6], cui exercitus fortior comitabatur. *Tibi* inquiunt, *tuoque Faroni.* Nescius ipse dolose fictum, propter Faronem consiliarium suum quem ille solum posthabitis palatinorum primoribus super negotia regni constituerat,— de quo, cum muneris aut cibi aliquid allatum foret, dicere consueverat : *Sint ista mihi meoque Faroni*— regibus igitur congressis, hii dominum suum in ipso conflictu prœlii juxta conventum deserunt, ipsi per prona fugientes, simulato terrore, hostibus terga vertunt. Comprehensus Ragnacharius occiditur. Proditoribus autem, propter vitiatum aurum, adversum regem susurrantibus, ille respondisse fertur, tali eos præcio meritos, qui dominum suum sponte ad mortem ducunt; hoc illis quod viverent debere sufficere, ne detestandæ proditionis pœnas luerent in tormentis[7]. Legimus autem in gestis Remorum pontificum (Flod, I, 13), quod rege prœfato Clodoveo, ut posterius liquet, a sancto Remigio ac sancto Vedasto baptizato cum sororibus simul et cum magno Francorum exercitu pars quidem magna Francorum, adhuc incredula necdum conversa, cum isto Ragnacharo principe in locis trans Somnam fluvium, idest in urbe Cameraco, in infidelitate aliquandiu morabatur, donec superna gratia disponente, sed Clodoveo triumphante, idem Regnacharius, flagitiorum sectator ac turpitudinum, vinctus a Francis et a suis, ut modo diximus, traditus est et interemptus, omnisque Francorum populus ad Christi fidem per beatum Remigium convertitur et baptizatur,] sicut inibi legimus. Sed potius per beatum Vedastum credimus; nunquam enim sanctum Remigium in nostris partibus verbum Dei populo predicasse audivimus, sed ab illo et a rege noviter baptizato huic nostræ urbi ad convertendam gentem directum beatum Vedastum cognovimus ; quare illum hujus negotii auctorem credimus.

5. *Sevitia paganorum et clades cristianorum exprimitur.* Igitur propositi operis ratio exigit, patres utriusque sedis stilo prosequi, vel quibus qui ad pontificale solium successere. Porro has duas fuisse matres æcclesiæ sedes, certa res est, quæ nunc unius pastoris moderamine reguntur; quod facile ex descriptionibus Dyonisii papæ perpenditur, qui universis provinciis singulas sedes propriis terminis discrevit ; sicut etiam Hincmarus episcopus in suis libris diffinit (59). [Nota quod olim Cameracensis et Atrebatensis duæ fuerant quæ modo uniuntur. *Hæc auctor ipse ita in margine addidit.* Has duas sedes

VARÆ LECTIONES

[5] *Posthæc* 2 2'. *addunt* : Liber namque, qui jubente Julio Cesare ex senatus consulto a prudentissimis viris de Cosmographia inscribitur, ubi quidem totius orbis Romani nominis universa loca famosa distinguit, Cameracum etiam intromittit, et quanto a Bagato castro distet, id est 18 milibus, evidenter ostendit [6] factiose—eis *omisit* 3. *spatio relicto; nec 4 ea legere novit exceptis* fac.... copiis suscitabatur ejusmodi erat.... *unde apparet, et 3. et 4. ex ipso 1, descriptos.* [7] *Sequentia hujus capitis omnia in scedula assuta supplevit, ut videtur, scriba ipse.*

NOTÆ

(59) Ed. 44, ed. Sirmondi II, 719.

beatus Vedastus, quia post tot infestationes, quas diximus et dicturi sumus, plurimum vastatas repperit, sub uno regimine cohibuit. At vero primos earum patres quædam vetustatis obscuritas a nostra seclusit memoria, immo ea quæ peccatis exigentibus Galliarum æcclesias paganorum persecutio subvertit; quæ adeo in cristianorum populum efferbuisse legitur, ut cristiani, qui ea tempestate fuerant, per latibula divina celebrarent misteria. Si qui autem a paganis repperiebantur, aut verberibus afficiebantur aut gladio trucidabantur; multi in speleis aut fossis subterraneis (60) absconsi suffocabantur. Sic obeuntibus sacerdotibus, intermissa sacrorum officia; quicquid ad sacri cultus observantiam spectabat, remissum. Incumbentibus ruinis, alii se precipitabant, alii patriæ incendiis exurebantur; paucis tamen usque ad ultimum in suo munere perseverantibus, atque invicem se hortantibus, ne in posterioribus ponerent sacræ religionis officium, quam salutis præsidium. Recte secum, agi pietati impenderent, quod deberetur necessitati; pulcherrimum, si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid enim juvaret evadere, et superstitem vivere religioni? Preclarum potius commori pio muneri. Quodsi quis, periculi metu, deserat, sacrilegium est, si quis impleat, sacrificium est piæ passionis victoria. Infulati itaque sacerdotes inter suas hostias immolabantur, et amicti sacerdotalibus stolis inter corpora occisorum humi jacebant. Sed nec solum in sacris ministris tanta strages desevierat, sed et reliquum vulgus miserrima cede cruciabat. Humana itaque pariter atque divina maculabantur. Nonne et de his dixerat David: *Venerant gentes in hereditatem tuam, polluerent templum sanctum tuum, posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cæli; effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret (Psal* LXXVIII, 1-3). Simul enim tunc et gentes venerunt in hereditatem Dei, quæ auferrent omnia, et templa Dei polluta sunt manibus impiorum et insepulta jacuerunt cadavera interfectorum, ad escam avium et bestiarum voracitatem. Effusus sanguis, ut stagnaret in templum, deesset qui sepeliret; quia a viventibus in mortuos a mortuis in eos qui adhuc viverent, furor transferebatur. Solvebas Gallia antiquæ feritatis mercedem. Si quis cæsorum stragem recenseat, Babilonios in Hierusalem revertisse arbitretur. [(FLOD. 1, 6.) Hujus persecutionis meminit beatus Hieronimus in epistola de monogamia, dum barbariæ persecutionis planctum faceret ad Aggerundiam nobilem viduam, exhortans eam de perseverantia viduitatis, ita memorando inter cetera : « Innumerabiles et ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes et Pirineum, quod Occeano et Rheno includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruculi[8], Saxones, Burgundiones, Alamanni, et o lugenda respublica! hostes Pannonii vastaverunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacus nobilis quondam civitas capta atque subversa, et in æcclesia multa hominum milia trucidata. Wangiones longa obsidione deleti, Remorum urbs prepotens, Ambianis, atrabatus [Nota quod Hieronimus cum aliis urbibus destructionem quoque Atrebatis plangit. *Hæc auctor in margine*], extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes translatæ in Germaniam. Aquitaniæ novemque populorum Lugdunensis et Narbonensis provinciæ preter paucas urbes cuncta populata sunt, quas et ipsas foris gladius, intus vastat fames, » et cetera.]

6. *Sanctus Vedastus, divina dirigente gratia in hanc provinciam deveniens, Clodoveum regem, ob eventum belli minus prosperi ad cultum christianæ fidei coactum, ad sanctum Remigium ducit baptizandum.* Itaque dum hæc tirannica rabies in Christi æcclesiam deseviret, fuit civitas Atrabates sine principe sacerdotii usque ad tempus sancti Vedasti. Ecclesia destructa, locus in solitudinem redactus, ferarum habitatio factus est, [(*Vita S. Vedasti.*) Hic sanctus Dei confessor et egregius predicator, temporibus fortissimi regis tunc temporis Francorum Clodovei, in has divina dirigente gratia ob multorum salutem pervenit regiones.] Cujus rei ordinem et causam, quantum brevitas patitur, stilo prosequamur. Porro memoratus princeps fanaticis adhuc tenebatur erroribus involutus, [sed erat ei uxor religiosa baptismique sacramentis initiata, Chrothildis nomine *(V. Ved.)*,] filia Chilperici regis quem Gundebaldus rex frater ejus ortis simultatibus interfeceral. Hæc christianissima regina regem cotidie blandiebatur, suadens ab idolatriæ cultura ad unius veri Dei cultum converti, ut per mulierem fidelem salvaretur vir infidelis (*1 Cor.* VII, 14). Sed rex reginæ consilium minus audiebat, quia deorum suorum auxilio fieri estimabat in omnibus[9], quæ sibi prospere accidisse videbantur. Anxia de regis potius salute quam de Regni potentia regina, ubi salutis consilium regem contempsisse videt, dari ab Excelso postulat oportunitatis eventum, quo vel sic rex compulsus salutis suæ sumeret occasionem. [(*V. Ved.*)Bellum itaque rex Alemannis indicit, sed imparatos, ut voluit, non offendit. Nam hii collecta manu valida, circa ripas Rheni fluminis regi occurrere, patriamque suam bellica virtute defendere temptant.] Invocatis ad auxilium regis diis suis, Franci in ipso congressionis apparatu cœperunt mente deficere, et languentibus dextris, terrore

VARIÆ LECTIONES.

[8] *Ita* 1. 2. 3. herulei 5. [9] omibus 1.

NOTÆ.

(60) Tales nunc etiam per territorium Cameracense in Villers Plouich, in Inchy-Beaumont, in Beaumetz existere docet Le Glay.

simul et formidine dissoluti, vitæ potius desperatione quam victoriæ dispendio agitari. Videns rex palantem exercitum, supra vim terroris virtutem animi gerens, prohibet trepidare milites, magisque in prelium accendit, ne tanti estimarent mortis periculum quam gloriæ triumphum. Ipse itaque signifer revocans acies, primus equum in hostem egit, et clamore magno sequuti ceteri acriter dimicabant. Alemanni e contra viribus et numero prestantiores, quibus pro vita et patriæ libertate res erat, cœperunt fortiter Francos urgere; alii sagittis, alii telis, alii balistis cedentes confodere. Rex autem ubi multorum amissione videt dilabentem non posse subsistere exercitum, nec vocatos Deos instanti periculo sibi subvenisse, rebus desperatis fortissimum Deum christianorum, quem regina colendum ei suaserat, invocavit, voto se obligans, se cum suo exercitu sacro fonte diluendum, si conversis rebus victor ab hostibus remeasset. Nec mora recreatis viribus et reparatis agminibus, cum auxilio Trinitatis hostes invadunt, et pœne ad internecionem omnes devincunt, nisi quibus fuga aut deditio fuit ad vitam. Intelligens rex non tam sua virtute quam Dei munere hostes superatos, cui se fidei voto constrinxerat, [(*V. Ved.*) Tullum mox oppidum adiit, audito, ibi beatum Vedastum laudabili religione Deo servire]. Cui cum adventus sui causam exponeret, et pugnæ eventum, qui ex deorum invocatione in adversum cesserat, ad Christi nomen secundo successu provenisse notificaret: vir Domini, gratias agens Deo, qui gentibus regnum suum apperire dignatus est, cœpit catholicæ fidei ministerium regi adnuntiare, et ewangelicis assertionibus instructum duxit ad venerabilem virum Dei Remigium, qui tunc temporis Remensis ecclesiæ arcem tenebat; [(Flod., i, 15.) Vir ex sapientia virtutibusque factus, cujus spiritualium virtutum insignia testatur gens Gallica per eum ad Christum conversa; (*V. Ved.*) cui etiam Ormisda papa vices suas quondam in Galliis agendas commiserat. Vedastus igitur festinantem ad vitæ fontem deducebat regem. Quo in itinere cuidam cæco ad se clamanti vir Dei lumen reddidit oculorum, non sine admiratione palatinorum procerum, immo etiam regis, quem presentis exhibitio miraculi christianæ fidei fervore accendit. Cernitur usque in hodiernum ecclesia in testimonium virtutis hujus constructa, in qua orantibus et credentibus beneficia prestantur divina.

7. *Beatus Vedastus vinum de sicco vase protulit, et a sancto Remigio ordinatus episcopus, claudo vestigium et cæco reddit visum.* Baptizatus itaque rex cum optimatibus suis ad sceptra regni regreditur; sanctus vero Vedastus cum beato Remigio per aliquod temporis detinetur; ad quem nobilium et religiosorum multus [10] ob celebrem conversationis famam fit concursus. Inter quos cum eum doctrinæ celestis amore familiariter unus pre ceteris visitare consuescerel, et quadam die vespere incumbente sol ad occasum rueret, noluit virum absque caritatis viatico dimittere. Rogatus igitur puer vinum deferre cum exhaustum omne renuntiasset propter hospitum frequentiam, de fidei divitiis haud dubius, vinum de sicco vase superexcrescere dedit preciosum. Advertens beatus Remigius in virum conversationis et spiritualium donorum insignia, indignum duxit sidereæ lampadis lumen clausi sub tenebris, quæ ad salutem et illuminationem melius luceret multorum. Favente igitur rege Clodoveo, per Dei providentiam ordinatum episcopum ad evangelizandum Cameraco et Atrebato dirigit urbibus.] Liquet [11] ergo, quod rex iste, quanto impensius paternas sedes amaverat, tanto probatioris vitæ pastorem eo loci delegaverat. Ibi enim preter ceteras sedes, ut paulo superius dictum est (*c.* 4), specialius versabatur; ideoque majori gratia (61) ductus, pastorali regimine parochiam ditare conabatur; quippe nullum meliorem quam beatum Vedastum et ad ferocem populum edomandum et ad gratiam fidei excitandam arbitratus, per quem ipse fidem catholicam fuerat adeptus. Notandum vero, quod ut supra tetigimus (*c.* 5), hæ duæ parochiæ antea gemina episcopali administratione gaudebant; nunc autem, quia ab hoc sancto pontifice vastatæ repertæ sunt, uno regimine colliguntur [12]. [(*V. Ved.*) Qui in Atrebatæ urbis introitu claudum unum, alterum cæcum, clamantes ad se, hunc lucis ademptæ, illum ambulandi facultate donavit. Introgressus, stupet flenda urbis dejectione. Nam antiquis ferme temporibus sacræ eo loci fidei floruisse religionem agnovit; sed propter offensam incolentium, occulto sed justo Dei judicio tradita est cum ceteris Galliæ vel Germaniæ civitatibus pagano et perfido Hunorum regi Attilæ urbs quoque illa depredanda. Qui propter animi sævitiam nec sacerdotibus Dei, ut supra deflevimus, nec ecclesiis Dei reverentiam noverat impendere, sed omnia quasi tempestas immanissima ferro vastavit et igni. Perscrutanti, si quod signum ecclesiæ patuisset, nullum veteris templi indicium parebat, quia loci situs vepribus et spinis jam inhorruerat, et ubi quondam psallentium chori, ibi lustra ferarum videbantur. Tandem inter fracmenta murorum diligentius contemplatus, invenit] aram sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam, licet inter stragem murorum, tamen inlesam adhuc servari divi-

VARIÆ LECTIONES

[10] Regiosorum multos 1. [11] Liquet. [12] Colliguntur *in scedula assuta supplevit auctor ipse. Idem verba* Clodoveo p. D. providentiam *supra lineam supplevit, et* Favente, rege, Cameraco et Atrebato diri *in rasura scripsit.*

NOTÆ

(61) I. e. studio, amore ut II, 5.

nitus non ambigit. Qua in re intellexit vir sanctus — nobis quoque intelligere datur — ibi pontificalis cathedræ arcem extitisse, presertim cum et Dyonisius papa, quem juxta chronicorum fidem annis 253 ante Hormisdam papam, qui tempore fuit beati Vedasti, constat Romanæ ecclesiæ sedem tenuisse, inter ceteras has quoque urbes, Cameracum atque Atrebatum, ascriptas et cum suis parochiis eque distinctas reliquerit [13], cum singulas dioceses circumscriptis finibus ordinavit, et editiores quasque metropolitanas, inferiores vero suffraganeas esse instituit. [Nota quod Dyonisius papa inter cæteras sedes pontificales Cameracum et Atrebatum descripserit. *Auctor in marg.*]

8. *Quod in urbe Vienna habita sinodo a beato Mamerto, vocatus sanctus Remigius pro se sanctum Vedastum direxit ; ubi coepiscopi inter cetera quæ tractaverunt, jejunium quod triduo ante ascensionem Domini agitur, observari decreverunt.* [(V. Ved.) Reparatis templi ædificiis, beatus Vedastus circumjacentis provintiæ populos ab idolatria cultibus divinis mancipavit, fana deorum diruens, æcclesias ad summi decoris culmen erigens. Claruit ubique divinæ cognitio legis ; Christi nomen cunctorum audiebatur in ore. Signa autem et virtutes, quæ per eum divina exhibuit potentia, quia brevitatis stilus non capit, curiosis lectoribus liber vitæ ejus plenius indicat. Hujus temporibus habita sinodus Vienna urbe describitur, ad quam Galliarum episcopi a beato Mamerto convocati pœne omnes convenerunt ; (Flod., *H. R.* I, 16) ubi et ipsi beatum Remigium, utpote divinis eloquiis eruditissimum, et prestantioris gratiæ privilegio facundissimum, venire petierunt. At vir sanctus senio gravis, cum corporis imbecillitate detineretur, beatum illuc Vedastum vicariæ sollicitudinis cooperarium direxit (62). In ea namque urbe, ut beatus Gregorius Turonensis urbis episcopus scribit in gestis Francorum, tunc temporis inaudita cives prodigia terruerant. (*Gesta r. Fr.*) Hinc enim motu terræ maximo, multarum ecclesiarum subita eversione et ruentium palatiorum concussione, gravis animis dejectio incubuerat, instantibus prodigiis, mundi terminum et extremum judicii diem superventurum spectantibus. Porro ibi bestiæ multæ oberrantes, lupi ursi ac cervi ingressi per portam civitatis, homines plurimos devorantes, hoc per totum annum faciebant. Superveniente sollempni die paschæ, sanctus Mamertus ejusdem urbis episcopus cum in ipsa vigilia sacrum misterium celebraret, palatium quoque regale, quod editiore urbis loco eminebat, divino igne succensum est. Hanc divinæ indignationis animadversionem ex offensa hominum accidisse advertentes episcopi, communi consilio decreverunt servari jejunium, quod triduo ante ascensionem Domini usque nunc per omnes Galliarum ecclesias agitur ; sicque ipsa tribulatio atque subversio quievit.

9. *Beatus Vedastus de hoc seculo migravit, cujus exitum columna lucis illustravit. (V. Ved.)* Rexit igitur egregius Dei sacerdos Vedastus predictæ urbis æcclesiam annis circiter 40. Cujus mentionem beatus Remigius benigne recolit in testamento suo ita scribens (Flod. I, 18) : *Ecclesiæ Atrebatensi, cui Deo auctore Vedastum fratrem meum carissimum episcopum consecravi, ex dono jam dicti principis, id est Hludowici, quem de sacro fonte suscepi villas duas in stipendiis clericorum delegavi, Orcos videlicet et Sabucetum. (V. Ved.)* Ejus exitum columna lucis visa a cellula ejus ad cælum usque conspicuæ lucis tractu pertingere designavit, quam mox subsequentis obitus sacra illustraverat dies. Mirum illud, quod inter lacrimantium gemitus in terra psallentium voces audiebantur in cælo. Sepultus est autem in æcclesia beatæ virginis Mariæ, haud procul ab ipso altari, ad australem plagam. In quo loco per aliquot temporis quievit, quousque revelante Domino a viris sanctis Autberto atque Audomaro ad locum, ubi nunc ejus memoria fulget, feliciter est translatus, sicut in libro vitæ ejus, et plenius in gestis beati Autberti legitur. In qua translatione beatus Audomarus receptum corruptile lucis munus fertur reimpetrata cæcitate, vitasse. Hujus post obitum miracula alias diligens lector inveniet.]

10. [14] *De homine per advocatiam sancti Vedasti in campum sustentato.* Pauca vero, quæ nostris diebus meritis hujus beati confessoris a videntibus facta accepimus, nequaquam pretereunda estimavimus. In Derniensi (63) namque territorio quendam ex familia sancti Vedasti hominem mali rapinatores, alienæ substantiolæ inhiantes, pravis insimulationibus adorti sunt, et ob hoc suum advocatum in jus quærentes, ipsum quidem hominem ad singulare certamen quod rustice dicimus campum, provocarunt. Qui advocatum suum adfuturum pollicitus intra hujus legis diffiniendæ terminum, sumpta pera cum baculo, ad cenobium viri Dei pergere festinavit, causamque proclamans, abbatis advocatiam imploravit. Abbas autem pro difficultate longi itineris detrectavit ferre suffragium, immo divinum monuit expectare [15] auxilium. Omnino itaque desolatus ad

VARIÆ LECTIONES

[13] hanc q. urbem ascriptam reliquerit *primo habebat* 1 ; *sed auctor ipse ita correxit, ut nunc legitur.* [14] *Hoc et sequens caput in scedula assuta scripsit auctor ipse.* [15] expectaret 1.

NOTÆ

(62) Quæ his insunt plus quam dubia, exposuit Henschenius Acta SS. Febr. 1.

(63) Fortasse Ergny, arrondiss. Montreuil, vel Erny-Saint-Julien, arrond. Saint-Omer. Le Glay. Fortasse legendum *Dervensi*. Pagi Dervensis vocabulum in *Moutier en-Der* servatur. P.

sua revertitur, solaque in Domini fisus clementia, A suscepiam legem refellere nequaquam estimavit. Ergo prescripta die judicio se repræsentans, advocatiam Dei et sancti Vedasti sibi profuturam assumpsit, nullumque alliud scutum quam peram sibi opponendam fiducialiter ad dirimendam pugnam exclamavit. Factumque est divina operante clementia, quod ubi obluctator alter diligenter armatus, congressu habito illius inermis peram ingenti ictu percusserit, tanta et tam densa nebula inter eos de ipsa pera statim exoritur, ut neuter alterum videre potuisset.

11. *De homine quoque per sanctum Vedastum liberato.* In una quoque æcclesia, quæ in episcopio Leodecensi sita, in honore sancti Vedasti colitur, raptor quidam pessimus compositis fraudulenter calumniis hominem cepit, nexisque post tergum manibus et fune ascellis supposito, torquendum durius abducebat. Quem mox cælitus emancipatum respiciens, equo desiliit, illumque per se fore solutum quoquo modo existimans, male verberatum iterum artius vinculavit. Equoque ascenso, repente quoque laxatum intuitus, cum furore etiam per coman arripuit, verberibusque affectum, tertio per genitalia obligavit. Nec longum vero, dissolutum respexit, sicque tandem devictus, divinæ potentiæ cædendum estimavit. Hoc autem meritis sancti Vedasti a Deo concessum nemo qui dubitet.

12. *Post Vedastum successit Dominicus, postea Vedulfus, deinde beatus Gaugericus.* Beato Vedasto ad pontificale solium Dominicus successit, cui Vedulfus. Ab isto ceterisque successisoribus ejus Camaracensis æcclesia specialem principatus aulam accepit, quæ sacerdotali regimine multo ante tempore, sicut et Atrabatus, vacarat, ex quo Galliarum quoque æcclesias barbaricæ persecutionis cædes vastaverat. Sed non idcirco jure quis dubitabit, an huic æcclesiæ aliqui ante prefuissent rectores? cum hoc ex descriptionibus Dyonisii papæ facile datur intelligi, ut superius (*c* 5, 7) expresse ostensum est[16]; vel quod Clodio rex Romanos, quos ibi christianos invenerat, interfecerit. Hujus Vedulfi episcopi licet aliqua forte memoranda gesta fuissent, incertum tamen, an desidia an raritate scriptorum, quibus sæpe multa silentio consenescunt, ad nostra usque tempora superstite fama non durarunt; preter quod in gestis beati Gaugerici (64), qui ei successit ad pontificatum, legimus, illum rebus humanis exemptum ad meliora transisse. Per quod datur intelligi, non eum hujusmodi meriti fuisse, cui supplicia pro culpa, verum premia reddantur pro innocentia, quod est ad meliora transisse.

[13. (*V. Gaug.* (65) *m.* 1.) *De Bertoaldo episcopo.* Post excessum beati Gaugerici successit in sede pontificali Bertoaldus, ex Francorum nobilitatis prosapia, vir apostolicus ac dote virtutum preclarus. Hic amore ac veneratione beati Gaugerici ductus, qua semper ut filius flagrabat, in cubiculum sancti viri, unde animam ad cælos emisit, lectum suum constratum locavit, non presumptione lubrici animi, sed certus, qui hunc locum nullæ adversæ partis fantasticæ insidiæ vexarent, quem vir tantus sui obitus casu dicavit. In quo cum aliqua nocte pausaret, apparuit illi per visum beatus Gaugericus, blande quidem ac leniter alloquens, ut promptius emoto lectulo presumptionis culpam meminisset piare, si propicium sibi eum habere voluisset. Mox B ille summoto lectulo, quod jussum fuerat explevit, et in eodem cubiculo altare Domino in memoria[17] beati Gaugerici dedicavit, pigneribusque sanctorum compositis, divinis cultibus aptavit; ubi usque in hodiernum celebratio sancta peragitur, immo et Deo vota solvuntur.

14. *Interfuit sinodo Bertoaldus episcopus cum sancto Arnulfo et multis aliis; ubi necessaria ecclesiæ tractata sunt* (*an.* 625). Reperimus etiam in gestis Remorum episcoporum (*Flod.* II, 5), *quod ipse Bertoaldus* episcopus interfuit sinodo, quam Sonnatius Remorum episcopus celebravit, cum Teoderico Lugdunensi, Sinduflo Viennensi, Sulpitio Bituricensi Medegiselo Turonensi, [Senoco Elosanensi, Leontio Santonensi, Modoaldo Treverensi, Chuneberto Colo- C niensi, Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi cum multis etiam aliis episcopis, quorum nomina brevitas neglexit. Reperitur quoque sanctus Arnulfus interfuisse Mettensium presul. In qua sinodo multa leguntur utilia constita, de rebus scilicet æcclesiæ qualiter tractandæ sint. De clericis videlicet, si qui rebellionis ausum sacrementis se aut scripturæ conjuratione constrinxerint, atque insidias episcopo suo callida allegatione confecerint; ut si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priventur. Item si quis judex cujuslibet ordinis clericum publicis sanctionibus inclinare presumpserit, aut pro quibuslibet causis absque conscientia et permissu episcopi distringere, aut contumeliis vel injuriis afficere presumpserit, communione privetur. Item si D quis homicidium sponte commiserit, et non violentiæ[18] resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum; sic tamen, ut si pœnitentiam egerit, in exitu communionis viaticum non negetur. Item si clericus proficiscens de civitate ad alias civitates voluerit aut provincias pergere, pontificis sui epistolis commendetur; quod si sine

VARIÆ LECTIONES.

16 ut s. e. o. e. *auctor intra lineas supplevit.* 17 honore 5. 18 violente 1. *et Flod.*

NOTÆ.

(64) Antiquioribus, inter Acta SS. Augusti II, 670. Acta SS. Belgii II, 273.

(65) A nostro composita ante Gesta; conf. Acta SS. Aug. II, 670. Acta SS. Belgii II, 308.

epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur. Item si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus aut potestate suffultus, decendente episcopo res cujuslibet conditionis in domus vel agros æcclesiæ positas ante reserationem testamenti vel audientiam ausus fuerit occupare, vel æcclesiæ repagula effringere et supellectilem infra domum æcclesiæ positam contingere vel scrutari presumpserit, a communione christianorum penitus abdicetur. Item ut clerici cujus libet ordinisneque pro propriis neque pro æcclesiasticis causis aliter adire debeant forum, nec causas dicere audeant, nisi quas cum permissu et concilio episcopi agere eis fuerit omnino permissum. Item viduas, quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas, nullus neque per auctoritatem regiam neque qualicumque potestate suffultus aut propria temeritate, rapere vel trahere audeat. Quodsi utrique consenserint, communione priventur. Preter hec etiam alia multa tractata sunt, quæ licet satis utilia, tamen breviloquio gaudentes, pretereunda estimavimus.

15. *(V. Gaug.* III, 3.) *Isto presule fur in basilica sancti Gaugerici, sancto Gaugerico intimante, comprehenditur.* Sub hujus tempore fur quidam intempesta nocte basilicam sancti Gaugerici ingressus, sacrum viri sepulchrum, quod miro artificii opere auro et gemmis renitebat, spoliare cupebat. At vir Domini janitori suo per visum apparuit, memoriamque suam a latronibus temptatam intimavit, denuntians, ut captum furem sine læsione abire permitteret. Sicque factum est.

16. *Subnectitur Ablebertus sive Emebertus, ex sancta stirpe progenitus.* Post Bertoaldum succesit beatus Ablebertus qui ita in catalogo episcoporum nominatus, ab incolis vero et vicinis Emebertus dicebatur(66). (*V. Guad.*) Hic ex Bracbatensi pago oriundus, parentibus siquidem et vitæ et generis dignitate clarissimis, patre videlicet Wittero comite, sancto viro, atque Amulberga matre editus est. Cujus etiam quattuor sanctæ sorores fuerunt hæ : Reinildis, Sarachildis, Ermenlindis, beatissima quoque Guodila, junior ætate, sed non minus prestantior sanctitate. Quæ profecto antequam nata, ab angelo beatissimæ matri nunciata, dies suos bonis operibus vincere studuit, multisque virtutibus et miraculis, ut ipsius vitæ liber editus insinuat, coruscavit. Qui etiam liber Ablebertum pontificem et mira sanctitate clarum protestatur, et morum ingenuitate conspicuum; quod nec dubitandum, presertim cum et tam sanctis et tam magnificis natalibus ortum (67). Hic nimirum prelibatæ sororis, id est Guodilæ, jam triduo sepultæ, tumulum a latrone pestifero violatum audiens, ingemuit, latronemque anathematis vinculo innodavit ; immo etiam exerta imprecatione, ut signis fatentibus saltem posteros non lateret, obtinuit; hoc modo sane, ut si vir esset, claudus vel quolibet modo debilis fieret, si femina, vitio quod vulgo dicimus gutteriam (68), semper non careret. Et hoc mirabile dictu ; namque omnem ipsam progeniem hæc ita postea habere, liber ipse fatetur. Unde datur intelligi, virum altioris meriti extitisse.]

17. *Hic ad Martinas sepultus est, sed ad Milbodium translatus* [19]. Fuit autem huic, ut ferunt, predium, quod Martinas (69) dicitur, familiis quidem et rebus circumfluis locupletissimum, de quo Dei genitricis æcclesiam (70) hæredem fecerat, sed, nescimus qua causa nisi infestatione paganorum, amiserat. Hic superveniente die suæ vocationis, in eodem pago, villa videlicet quam loci habitatores Ham (71) dicunt, defunctus, migravit a mundo ; illucque sepultus, deinde ad Martinas deportatus, postea vero ad Melbodium translatus, ibique nunc quiescens, resurrectionnis diem expectat.

[18. (17.) *De sancto Autberto.* (*V. Autb.*) Post hunc in sede pontificali beatus successit Autbertus (72), vir egregius et vitæ merito conspicuus, temporibus Dagoberti regis Francorum. Qui pro familiaris amicitiæ gratia, qua eum singulariter amabat, fratribus qui in æcclesia beatæ Mariæ famulabantur, ubi vir Dei pontificalis cathedræ fungebatur officio, unum regalis munificentiæ fiscum donavit, quem Oneng (73) ab antiquo dicebant. Hujus beati viri gesta pro raritate scriptorum non plene patuerunt, preter quod in gestis sanctorum qui ipsius fuere temporibus, pauca repperimus, in quibus celebri memoria ipse recolitur, de quibus aliqua breviter narramus. Puerum quendam (74) ex sacris fontibus susceptum et sacris literis traditum, cum attentius ad sacros ordines promovere meditaretur, fallentibus verbis deceptum, diabolus ad

VARIÆ LECTIONES

[19] *Hunc titulum auctor ipse postea inter lineas et in margine minio supplevit.*

NOTÆ.

(66) Multum errat noster, Ablebertum a. 640 mortuum confundens cum Emeberto seu Hildeberto, fratre S. Gudulæ, qui circa a. 705 episcopus factus est ; cf. 33. Ad hunc Emebertum, S. Gudilæ fratrem, pertinent, quæcunque in hoc atque sequenti capite narrantur.

(67) Sc. protestetur, Colv.

(68) Goitre.

(69) Videtur esse Merchten in Brabantia. Le Glay.

(70) Cameracensem.

(71) Ham prope Vilvorde.

(72) A. 633, exponente Ghesquierio in Actis SS. Belgii III, 535.

(73) Onnaing, inter Valenciennes et Condé. Colv.

(74) S. Landelinum. Colv.

exteriora retraxit. Qui adsumptis sibi nequissimis et seditiosis hominibus, cœpit viatores infestare, trahere, spoliare. Qui cum his studiis attentius insisteret et vir beatus ejus ruinam defleret, forte unus ex conplicibus suis raptus ad supplicia (75), juveni cui dabatur hæc vidisse magnum incussit horrorem. Cui post horrendam visionem angelus de cœlo apparens, protestatur talibus cum quoque suppliciis debitum, pro eo quod virum Dei Autbertum reliquisset. Hoc terrore correptum juvenem vir sanctus recepit, aluit, et ad sacerdotium usque promovit. Cujus multa in libro vitæ ejus miracula usque in presens, si cui est otium, inveniet.

19. (18.) (*Ibid.*) *Quod S. Gislani œcclesiam consecravit, sanctum Vincentium excoluit, sanctam Waldetrudem et sanctam Aldegundem velavit (Ibid.)* Sub eodem fere tempore beatus Gislenus ab Athenis digressus, dum ortis simultatibus apud beatum Autbertum accusaretur: ille advertens simulationis causas, non solum non condempnandum estimavit, sed cum magna veneratione suscepit, æcclesiamque quam idem sanctus Gislenus construxerat adsumpto secum beato Amando, in honore apostolorum consecravit. Hic beatum Vincentium qui ante Madelgarius dictus est, cum vitæ sæcularis actibus occupatus teneretur, et militaribus negotiis et regii generis conjugio esset nobilis, in tantum divini amoris fervore accendit, ut militiæ cingulo postposito, laxoque conjugio, monastico habitu sumpto, sub sanctæ conversationis regula se constringeret. Cujus uxor, beata scilicet Waldetrudis, adsumpta sibi germana sua, quæ virginitatis propositum Domino dicarat,— hæ ambæ sumptis a beato Autberto sacris velaminibus, hæc in monte qui dicitur Castrilocus (76), illa in loco qui dicitur Melbodium (77), divinis se cultibus usque [20] ad finem exercuerunt. Erat vero in Melbodio monasterium a beata Aldegunde constructum, quod beatus pontifex in honore beatæ virginis Mariæ et sanctorum apostolorum consecraverat, adhibitis secum viris religiosis, quos vitæ Ipsius liber editus insinuat [21].

20 (19.) (*Ibid.*) *Sanctum Vedastum levavit.* Atrebato etiam in honore beatæ Dei genitricis Mariæ æcclesia fuerat dedicata, in qua pontificalis apicis thronus habebatur. In hac beatus Vedastus, cujus supra (78) meminimus, haud procul ab altari, verso ad australem plagam sepulchro, quiescebat. Quem beatus Autbertus designato sibi ab angelo ædificandi oratorii loco, et fundata æcclesia, adhibito secum beato Audomaro Terwanensis urbis episcopo, transtulit. In qua translatione idem beatus Audomarus, cum esset cæcus, receptum lumen parvipendens, amissam subito cæcitatem reparavit; ubi in memoria presentis seculi [22] æcclesia constat adhuc in honore beati Autberti constructa. In loco vero divinitus designato vir Domini monasterium construxit, et ex rebus suis æcclesiæ in usum famulantium pro rerum opportunitate donavit. Cujus rei seriem libellus vitæ ejus plenius ostendit. Beatus Vindicianus, qui ei successit in episcopium, existentibus causis abbatiam Theoderico regi donavit, retento sibi pastoralis privilegio regiminis. Beatus vero Autbertus populo suo ad cultum dominicæ fidei mancipato, feliciter clausit diem, sepultusque est in æcclesia beati Petri (79), quæ extra muros urbis Cameracæ erat ædificata; nunc autem, ampliatis mœnibus et monasterio meliorato, intra mœnia urbis [23] ipsius quiescit.

21. (20.) (*A. Ved.; cf. V. Leod.*) *Vinditianus episcopus successit, et de martirizato S. Leodegario.* Post ejus excessum (*an.* 670) beatus Vinditianus ejusdem æcclesiæ sedem regendam suscepit temporibus Theoderici regis, filii Clodovei ex Bathilde prudentissima regina. Hic Theodericus post Clotharium fratrem, qui prior in regnum patris cum Bathilde matre successit, summam regni suscepit, renitentibus plurimis ex Francorum principibus, maxime propter Ebroinum, qui major domus regiæ illis permolestus erat. Unde consurgentes adversum Theodericum et Ebroinum, utrosque, tonsis capitis crinibus, in Burgundia Luxovio monasterio recludunt, et Childericum tertium fratrem, qui in Austrasiis partibus imperabat super cunctum regnum susci-

VARIÆ LECTIONES.

[20] de se c. se u. 1. [21] *ita* 2. *et primo etiam* 1. *sed in hoc manus quædam sæculi XII. ex., non auctoris nostri, voces* quos v. i. l. e. i. 20. S. V. I. A. e. i. h. b. D. g. M. *erasit, et partim in rasura, partim in margine scripsit sequentia, ex Vita S. Autberti ad verbum excerpta :* beato videlicet Amando, Ursmaro abbate et coepiscopo, necnon Audoeno Rothomagensis urbis episcopo, sed et Humberto bone memorie episcopo et abbate, seu Ettone et Eloquio abbatibus, et Ermino viro illustrissimo, dedicavit, *et in summo sequentis paginæ margine :* Sanctum V. I. Atrebato e. in h. b. D. g. Marie *Idem habent* 3. 5 *unde apparet codicem* 2, *qui ea nondum habet, jam ante sæculi XII finem exceptum fuisse ex* 1. [22] *ita* 2. *et primo* 1. *sed eadem illa manus s. XII.* ex presentis se *eraso scripsit* tanti miraculi, *quod habent etiam* 3. 4. 5 [23] ubis 1.

NOTÆ.

(75) Scilicet inferni, ut patet ex vita S. Autberti COLV.

(76) Mons.

(77) Maubeuge.

(78) Cap. 6. sqq.

(79) Nunc Saint-Géri. De tempore mortis cf. Ghesquiere Acta SS. Belgii III. 537, qui a. 669 statuit. Sed Annales Vedastini hæc habent : *Anno imperii Justiniani* 3, *anno incarnati Verbi* 687, *corpus S. Vedasti Deo disponente tranfertur angelica revelatione a sede pontificali a duobus pontificibus Auberto et Audomaro sanctis, post annos episcopatus sui* 118. *Qua translatione peracta, vir sanctæ et dignæ memoriæ Autbertus episcopus migravit ad Dominum; cui successit* Vinditianus, *meritis et operibus et ipse magnificus.* Annales Elnonenses minores, in chronologicis tamen non nimiæ fidei, habent sub a. 676: *Sanctus Vinditianus regit episcopatum Cameracensem;* 686: *Corpus S. Vedasti transfertur a sede pontificali in Nobiliaco.* Porro ann. Blandinienses a. 697 : *Translatio s. Vedasti post annos obitus sui* 128.

piunt; sanctum vero Leodegarium Augustidunensem pontificem super domum regis constituunt. Sed non multo post Franci, regem propter levitatem et[24] insolentias suas non ferentes, coorta seditione eum interfecerunt; sicque Theodericus in regnum, Ebroinus vero in priorem gradum restituitur. Qui nequissimis doctus consiliariis, estimans se memorati pontificis factione ab antiqua potestate dejectum, crudelissimis cum tormentis affecit, et in territorio Atrabatense transductum decollari fecit in loco qui dicitur Silva sancti Leodegari (80), sepultusque est in villa quæ dicitur Serein (81), quæ est in confinio Cameracensis episcopii et Morinensis[25].

22. (21.) (V. *Leod.*) *De corpore hujus martiris episcopis Ansoaldo, Hermenechario, et sancto Vindeutiano*[26] *contendentibus, sorte Ansoaldus habuit.* Nec mora, miraculorum ejus fama circumquaque diffusa, ad palatium regis usque celebriter innotuit. Ubi tunc forte inter ceteros proceres Ansoaldus Pictavensium et Hermenecharius Augustidunensium episcopus, sanctus quoque Vindicianus aderant. Quorum primus sancti martiris corpus monasterii quodam et consanguinitatis privilegio vendicare cupiens, alter vero episcopatus jura preferens, tertius, id est beatus Vinditianus, locum martirii et sepulchri, quem in diocesi sua Deo volente martyr susceperat, contestatus, hanc inter se non improbandam disceptationem confecerant, donec ex sententia ceterorum pontificum tribus epistolis horum trium nominibus subscriptis et confuse sub palla altaris obtectis, factaque in commune oratione, Pictavensi episcopo ex indiciis sanctum corpus deberi declaratum est.

23.[27] (22.) *Miraculum de sancto Amato, quod tempore sancti Vindiciani presulis contigit Cameraco.* Sub hujus quoque pontificis tempore in hac nostra civitate quoddam contigit mirabile, quod huic operi necessarium duxi inserere. (*Vita Amati.*) Ea namque tempestate, dum prefatus rex Theodericus in sanctos Dei seviret, diabolica agitatus stimulatione sanctum Amatum Senoniensis æcclesiæ presulem exilio religandum deputavit; longeque ab illis partibus, in municipio Viromandensi quod Perrona vocatur, sub custodia admodum reverentissimi viri Ultani abbatis mancipandum destinavit, scilicet ut quem ferro non audebat perimere, longa saltem exilii tribulatione maceraret. Sancto igitur Ultano de medio facto, timens rex impius, ne sanctus presul repatriaret, elegit quendam virum nomine Mauruntum Adalbaldi ducis atque sanctæ Rictrudis filium, quem Perronam direxit, atque ut beatum presulem alias secum digne custodiendum duceret, imperavit. Siquidem preclarus Dei athleta hujusmodi precepto parere non distulit, sed quod jussum fuerat, quantocius properans, exulem sanctum honorifice tractando secum inde adduxit. Illis ergo ad Austrevandensem pagum tendentibus, contigit, ut refocillandi gratia Cameracum diverterent ad urbem. Ubi ceteris circa ministerium satagentibus, beatissimus presul, parti quam Maria testante Domino optimam elegit, semper intendens æcclesiam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ haud longe ab hospitio subintravit, ibique quantum Domino carus erat, evidentissime claruit. Intranti enim, ut in umbris solet, lumen oculorum solis claritate perculsum obtunditur. Unde ipse minus perspicax, radio solis, qui per foramen parietis infulgebat, pro servo usus est; quoniam fatigatus itinere, materiale onus, ut spirituale levius adsumeret, deponens, cappam suam atque manicas suas radio solis tanquam ibi protensæ ferulæ ignoranter injecit. Quæ sol ipse suscipiens, dum orationi prostratus incumberet, famulando sustinuit. Dispositis interea quæ domi necessaria erant, beatus Mauruntus sancti vestigia subsecutus, cum æcclesiam introisset et exuvias sancti de sole pendere deprehendisset: Deumque mirabilem glorificando predicans, tanti viri pedibus se prostravit, suamque ignorantiam accusans, si quid in eum peccasset, veniam postulavit. Non enim illi antea competenter servierat, utpote quem tanti meriti apud Deum fuisse nondum noverat. At mitissimus presul clementer[28] indulsit, et non multo post viribus resumptis, iter quoque resumunt quod cœperant, laboremque suum divini sermonis dulcedine lenientes, Hamaticum (82) deveniunt. Quo in loco diutissime commorantes, non minimum profecerunt. Relicto denique Hamaticæ cenobio, sacer presul educitur. Broilumque (83) perductus est. Ipse vero juxta basilicam cellulam sibi fabricari precepit, intra quam quandocumque oportunum erat sese continens, vigiliis, orationibus atque jejuniis incessanter corpus fatigavit, usque dum tam egregium militem Dominus de terris ad cœlos evocavit (*an.* 690).

24. (23.) (V. *Max.*) *Quod tempore hujus sancti viri virgo Dei Maxelendis martirizatur percussorque execatur.* Sub hoc fere tempore quædam virgo in territorio Cameracensi, nobilissimis orta natalibus,

VARIÆ LECTIONES.

[24] *deest 1.* [25] C. e. et M. *auctor ipse exaravit* [26] Vincentiano 1. [27] *hoc caput deest totum* 1. 3. 4. 5 *extat in uno* 2. 2*. *Procul dubio auctor illud in* 1. *suppleverat in scedulla assuta, sed quæ postea periit* [28] *deest* 2*.

NOTÆ.

(80) Le bois de Lucheux. Le Glay.
(81) Serein est le nom de la place qui se trouve au milieu du village de Sus-Saint-Léger. Le Glay.
(82) Hamage, prope Marchiennes. Le Glay.
(83) Bruel.

circumventa est a quodam juvene non ignobilis generis, sed ignobilis animi, ut ejus conjugio jure matrimonii copularetur. Quæ dum nec auro aut gemmis nec ullo ornamentarum genere frangi potuisset, quominus virginitatis propositum laxaret, et more nobilium feminarum viro potenti jungeretur, nec parentes suos super hujusmodi consilium audire nollet; desperato juvenis amore captaque oportunitate, qua puellam paternis ædibus solam posset offendere, assumpta secum ne fandorum turba sociorum, domum omnem circomvallarunt, et facta irruptione domum omnem perscrutati sunt; tandemque loculum in quo virgo latebat curiosius contemplantes, inventam violenter traxerunt usque ad locum ubi nunc constructa est basilica in honore omnium sanctorum, precipue quidem sancti Vedasti necnon et veneratione ipsius sacræ virginis. Tunc funestus carnifex, dentibus frendens, evaginato gladio percussam interfecit. Qui mox ut sanguinem virginis vidit, justo Dei judicio cecus factus est. Sepultaque est in basilica beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctique Sulpicii confessoris, quæ constructa est in villa quæ vocatur Pomeriolas (84)

25. (24.) (*Ibid*). *Quod beatus episcopus virginis corpus ad locum interfectionis retulit, et Harduinus lumen recepit.* Trienno vero expleto post passionnem ejus, quædam matrona nobilis, nomine Amaltrudis, voce divina commonita est, ut beatum Vindicianum Cameracensem episcopum adire deberet, ut ipse cum clero suo ac plebe vicina sacrum corpus ad locum interfectionis cum summa veneratione referret, quia locum illum Dominus signis et miraculis clarificare disposuerat. Quod beatus pontifex, mox ut referentis verba audivit, implere curavit. Porro Harduinus, qui eam interfecerat, licet miserrime et cum ignominia, adhuc in cecitatis suæ tenebris vivebat. Qui ut sacrum virginis corpus ad locum memoratum referri audivit, dampnans et recognoscens peccatum suum, obviam corpori se jubet duci, et ante feretrum se prostravit. Ad quem mox ut sacri corporis bajuli pervenerunt, lumen recepit currensque ad episcopum, narravit quanta sibi acciderant. Ex presentis igitur occasione miraculi episcopus verbo dato ad populum, sanctum corpus in æcclesia supramemorata sepelivit (an 673)]

26. (25.) *Quod super res Atrebansis æcclesiæ S. Mariæ privilegium a Johanne papa confirmari obtinuit.* Hoc autem scriptum repperimus, quod vir Dei venerabilis episcopus sanctæ Dei genitricis æc- A clesiam Atrebatensem ex rebus propriis una etiam cum rege Theoderico augmentans, villis, æcclesiis, terris, molendinis ceterisque subsidiis ampliavit, atque in generali placito residente rege prefato, seculares ac judiciarias potestates per pontificalem auctoritatem, præsentibus quidem multis coepiscopis cum rege etiam jam dicto astipulantibus, scripto privilegio et a Joanne papa confirmato, ab illa æcclesia omnes penitus exclusit. Quod privilegium tale est : « Sancto et universalis æcclesiæ provisori beatissimo Johanni papæ Romano episcoporum episcopo, Vinditianus servus servorum Dei minimus, B in Christo Domino quidquid felicius. Notum sit paternitati vestræ seu omnibus sanctæ Dei ecclesiæ prolibus, si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul Dubio in æternam beatitudinem retribui confidimus. Nos quidem de tanta misericordia et pietate Domini confidentes, in conventu venerabilium episcoporum nostrorum coram rege pissimo Theoderico in generali placito, hanc epistolam roboravimus, roboratumque in perpetuum fore optamus. Lex priscorum quoque exposcit auctoritatem, ut quicumque voluerit de rebus suis propriis C vendere, cedere, condonare, suum strumentum secundum legem Salicam licentiam habeat alligare. Quapropter noverint omnes fideles, presentes ac futuri, pontificali auctoritate hoc episcopale privilegium constructum a memorato rege Theoderico, ut inviolabiliter conservetur ab hodierno die et deinceps. Per pontificalem auctoritatem omnes seculares et judiciarias potestates excludimus omnemque clamorem et omnem invasionem ab æcclesia sanctæ Mariæ Atrebatensis civitatis ; sed ut liceat canonicis Deo inibi famulantibus ex hoc et in reliquum tempus quiete vivere, ab omni mundano strepitu sequestra- D mus. Si autem talis extiterit causa, ut successores nostri precaria vel beneficia de rebus ad clericorum usum pertinentibus patrare maluerint, hoc interdicimus. Interdictu etiam anathematis et pontificali auctoritate stabilimus, ut ipsum monasterium cum his villis, Belrenio (85), Medonivilla (86) inter has duas villas mansos (60), culturas 11, æcclesias 2 cum omni dote et omnibus appenditiis, Aquis [92-30] (87) in pago Atrebatense cum æcclesia et dote seu omnibus appenditiis, Friscinicurte (88) cum omnibus appenditiis, Batzala (89) cum æcclesia et omnibus ejus appenditiis Berleta (90) cum omnibus appenditiis, Squasia (91) cum

VARIÆ LECTIONES

[29-30] Aquisgrani 1. *sed.* grani *erasum est.*

NOTÆ.

(84) Non est Pommereul, sed Saint-Souplet, in cujus torritorio ager quidam adhuc Pommereul vocatur. Le Glay.

(85) Beaurains. Colv.

(86) Moyenville. C.

(87) Aix-les-Fampoux. C.

(88) Fresincourt. C.

(89) Basseux. C.

(90) Berlette (arrond. Saint-Pol.), sed nil ibi possident canonici Atrebatenses. Legendum videtur, quod in codice 5 recentior manus correxit, *Boyletta*, Boille, cujus bagi, inter Atrebatum et Bapalmas siti dominium habet capitulum Atrebatense. C.

æcclesia et dote et omnibus ejus appenditiis, Ors (92) cum omnibus appenditiis, Santscido (93) cum suis appenditus, Radonvilla (94) cum molendino uno super Crientionis fluviolum (95), alio molendino in Dommica curte (96), Maraculo (97), cum integritate, æcclesia cum dote, decimancula [31] in Rodulfi curte (98), similiter in Vinziaco [32] (99), ex hodierno die et in reliquum tempus sit in potestate canonicorum in ipso monasterio Deo servientium Nec aliquis presumat ex his quæ diximus, quæ memoratus inclitus rex de rebus propriis et de aliis per regale preceptum eidem loco delegavit ad opus clericorum, inferre aliquam molestiam, sed liceat eis quiete omnia possidere, quo valeant liberius pro pace Sanctæ Dei ecclesiæ et vita regis et conjugis ac filiorum ac statu regni, Domini clementiam exorare. Si quis vero observator hujus privilegii a nobis [63] editi extiterit, accipiat mercedem a Domino, et benedictionem a vobis et ab omnibus nobis in presenti vita, et in futura vitam æternam, amen. Qui vero nostræ auctoritati parvipenderint, et hanc pontificalem auctoritatem manu nostra roboratam infringere voluerint, inde dirigimus ad vestram clementiam ut quod a nobis roboratum est, stabile permittatis non solum a vobis, sed ab omnibus nostris episcopis qui sunt erga vos. Deus omnipotens, qui cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis, faciat vos memorem intellectoremque sui, placeatque vobis propter eum in orationibus vestris meminisse etiam mei. » — Atille : « Vindiciano cum coepiscopis degentibus Galliarum finibus fraternam visitationem et paternam benedictionem. Audite sententiam quam dico. Si quis de successoribus vestris, vel comes seu cupiditas judicum aut ulla opposita persona, hanc donationem vel confirmationem, quam pro Dei intuitu et amore divino fieri vel firmare decrevistis, minuere aut a loco distrahere maluerit : apostolica sententia damnamus, et per pontificalem auctoritatem a liminibus Sanctæ Dei æcclesiæ sequestramus, et a cœtu supernorum segregamus, et a regno Dei excludimus: sancti Petri Christi janitoris atque clavigeri celestis regni interdictu interdicimus, et cum Juda traditore domini nostri Jesu Christi sorte permittimus, ut in die judicii cum diabolo et ministris ejus, luctu quatiente, inferno perfruantur sine gaudio. Amen. Ego Johannes papa hoc privilegium a mea parvitate editum firmavi ac roboravi. Ego Marinus vicarius sedis apostolicæ firmavi ac roboravi. Ego Andreas episcopus subscripsi. Ego Bonibertus episcopus subscripsi. Ego Laurentius episcopus [34] subscripsi. Ego Pedelbrandus episcopus subscripsi. Ego Nautor episcopus subscripsi. Ego Hilarius episcopus subscripsi. Ego Constantius episcopus subscripsi. Ego Martinus episcopus subscripsi. Ego Christophorus episcopus subscripsi. Ego Thomas episcopus subscripsi. Ego Felix episcopus subscripsi. Ego Audoinus archiepiscopus subscripsi. Ego Austregisilus episcopus subscripsi. Ego Ravengarius episcopus subscripsi. Ego Silvinus episcopus subscripsi. Ego Leodegarius ab impio judice Ebroino cathedra Augustidunense depositus scripsi et subscripsi. Data 8. Idus Mari, anno 7. regni domini nostri Theoderici regis, indictione 2 *(an.* 685). Ego Vinditianus episcopus jussu domini Theoderici regis et rogatu Johannis summi pontificis scripsi et subscripsi.

27. (26.) *Quod vir domini Vinditianus, adhibito secum S. Lantberto, in villa Hunolcorth æcclesiam consecravit.* Preterea vero idem prefatus pontifex Vinditianus in vico qui, a sede Cameracense fere septem milibus distans, vocabulum Hunolcurt (100) ab antiquis accepit, monasterium, accercitis secum non paucis coepiscopis unaque etiam beato Lantberto Leodecense martire preciossissimo, ad laudem Dei et venerationem sancti Petri consecravit, ibique clericos et sanctimoniales constituit. Postea vero vir Domini in villa Savia (101), suo videlicet predio, in oratorio qui lem sancti Martini aliquandiu conversatus, sacris operum indiciis non parum claruerat, creberimisque collocutionibus, exhortationibus, apostolicis predicationibus, multos inibi ad normam vitæ salubris exequendam excitaverat [35]. (27.) Veterem vero kartulam in archivo æcclesiæ sancti Huntberti reperimus, quam sub presentia et favore hujus sancti pontificis ipse vir sanctus tunc temporis abbas, de villa Maceriis (102) scripsit, ita se habentem [36] : « 12 anno regni domini nostri Childerici gloriosi regis, 15. Kalendas Aprilis [37] *(an.* 672). Ego in Dei nomine Chonebertus [38], etsi indignus peccator, cogitans de

VARIÆ LECTIONES.

[31] decima cui. 1. [32] s. uiuinziaco. 1. 3. 4. 5. in unziaco 2. [33] uobis 1. [34] *deest* 1. [35] *Reliquam cujus capitiis partem auctor ipse in scedula assuta supplevit, post* excitaverat *signum* : : : *ponens quod initio scedulæ repetit. Reliqui novam lineam incipiunt;* 4. *in margine scripsit* : Videtur hic aliquid deesse. *Colvenerius novum caput incipit, cui de suo titulum præfixit in nullo codice obvium.* [36] *Sequens diploma ex M S. Maricolensi sigillo s. Humberti munito, Henschenius edidit in Actis SS. Martii III,* 560. *unde quæ a nostro differunt, subjicimus, ut quænam fides huic habenda sit in talibus appareat.* [37]. 15. Kal. A. *desunt Mar.* [38] Humbertus *Mar.*

NOTÆ.

(91) Ecoivres. L.
(92) Ors, prope Castrum Cameracesii ; sed nil ibi possidet capitulum. C.
(93) Aut Sauchy-Cauchy sive Sauchy-l'Estrée, aut Sus Saint-Léger. L.
(94) Ronville. C.
(95) Le Crinchon, rivus Atrebatum percurrens, officiis purpurariis aptissimus, quibus civitas Romanorum maxime tempore excellebat.
(96) Demencourt, in suburbio civitatis Atrebatensis. C..
(97) Marœul, d. Atrebat.
(98) Roclincourt. L.
(99) Onzain. C.
(100) Honnecourt ; cf. II, 10.
(101) Eadem quæ supra Squavia, Ecoivres.
(102) Maizière-sur-Oise. L.

Dei timore vel æterni boni retributione seu abluendis meis peccatis; quia dicit Scriptura: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos perducant in æternas mansiones sanctorum; rursumque dicit: « Facite vobis saccos elemosinæ qui non veterascunt [39] — iccirco dono, quod imperpetuum donatum esse volo, ad sacrosanctum monasterium quod vocatur Maricolas, quod vir illustris Huntbertus [40] quondam suo opere construxit, ubi ego ipse indignus peccator abbas preesse videor [41], consecratum in honore sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi et Sancti Petri et Pauli apostolorum vereliquorum dominorum qui in ipsa basilica venerantur, situm in pago Fanomarcensi (103) super fluviolum qui vocatur Helpre (104): hoc est [42] partem maximam de possessione nostra in villa nuncupata Macerias, sita in pago Laudunensi super fluvium Iseram, quam de avia mea Deo sacrata Audeliana [4] quondam dato precio per venditionis titulum comparavi, hoc est mansos dominicos, ubi ipsa Audiliana mansit, vel postea nos edificavimus, et terrationes (105), et servos et ancillas illos et illas. Hos igitur mansos cum terris concidis et pascuis in integrum per hanc seriem epistolæ nostræ donationis, quam Ulfinum notarium scribere rogavimus, ad ipsam basilicam sanctæ Mariæ Mariculis (106) constructam, a presenti die tradimus ad possidendum. Hæc omnia supra nominata ad ipsum monasterium delegavimus, ut ipsi monachi vel successores nostri in suo jure vel dominatione a presenti die recipiant ad possidendum, tam in terris quam domibus, edificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, absque ullius judicis interpellatione [44] habeantque in sua potestate tenendi, dandi, vendendi, commutandi, vel quod exinde voluerint faciendi. Propterea in ista epistola definimus, ut nulla altera [45] ratione calumnia in postmodum inter ipsos servos Dei vel heredes nostros non adcrescat, Si quis veros post nos, quod futurum esse non credimus, si aliquis, de heredibus nostris aut quælibet opposita persona contra hanc donationem nostram, quam fieri rogavimus, venire aut infringere voluerit: primitus iram trinæ majestatis incurrat, et sit anathema, et deleatur nomen ejus de libro viventium celesti, et cum justis non scribatur, sed sit consors Judæ Iscariotis qui Dominum tradidit [46] et si emendare noluerit, mutet Deus sensum ejus et in illo judicio recipiat quod Ananias et Saphira receperunt in præsenti, et insuper inserat cogenti fisco auri libras decem, et decem argenti pondo coactus exsolvat [47]. Nec si quid repetit, nihil [48] valeat vindicare. et merces nostra inantea proficiat ad salutem. Et si aliqua strumenta, aut anterioris aut posterioris quolibet ingenio vel argumento, de nomine nostro in propinquis meis vel extraneas personas fuerit ostensus aut ullo unquam tempore apparuerit, falsarius esse cognoscatur, et inanis permaneat. Sed [49] presens donatio a me facta omni tempore firma et inviolata permaneat, stipulatione subnixa idoneorum testium, domni videlicet Vindintiani episcopi, et Fulberti mei fratris, sed ill. ill. [50] Actum Maricolis, Ipse tamen Chonebertus [51], etsi peccator, abbas, propria manu confirmo. »

38. *Sepultus est in monte S. Eligii.* De Vita hujus beatissimi pontificis atque gloriosissimi confessoris Christi pauca retulimus, quæ aut pro raritate et ignavia scriptorum neglecta putamus, aut pro seditionibus procellosis quibus sanctas Dei æcclesias semper naufragasse supra diximus (*c.* 5), scripta disperiise credimus. Quod profecto minime est dubitandum. Fieri enim potest ut, cum tantis subversionibus æcclesiarum una etiam volumina, quibus series vitæ et miraculorum hujus sancti viri continebatur, auris quidem ridentibus (107, disperirent. Quoniam vero pro supramemoratis causis existentibus incertum est etiam quanto videlicet tempore æcclesiam Cameracensium rexerat, et quæ personæ ejus funebritati (108) interfuerant: ideo ex his melius est silere quam fabulosum quid conficere. Hoc autem pro certo audire sufficiat, quod ad remunerationem sui laboris die obita 5 Idus Martii (109) migravit ad Christum, sepultusque est in basilica, in loco videlicet qui dicitur Mons sancti Eligii, ubi quondam ipse, cum egrotaret apud Brosellam (110), diocesis suæ territorium, jussit se transferri, pro co quod ibi beatus Eligius habitationis suæ fecerat diversorium, cui beatus Vindicianus familiari usu dilectionis inheserat.

29. *Clericus quidam tumulo sancti viri nescienter insultans, lumine privatur, et item illuminatur.* Post

VARIÆ LECTIONES.

[39] r. d. f. v. s. e. q. n. v. *desunt Mar.* [40] Rodabertus *Mar. quod rectum; fundator enim non fui S. Humbertus ipse, sed Radobertus, alias Chronebertus seu Chunebertus dictus. Ex hac nominis forma* Chunebertus *error nostri ortus esse potest.* [41] u. c. i. i. p. a. p. v. *desunt Mar.* [42] h. e. *desunt Mar.* [43] Andiliana *const. Mar.* [44] advocatia, vexatione *addit Mar.* [45] *deest Mar.* [46] sed s. c. I. l. q. D. t. *desunt Mar.* [47] et insuper — exsolvat *desunt Mar.* [48] *deest Mar.* [49] et *Mar.* [50] ill. et ill. *Mar.* [51] Humbertus *Mar.*

NOTÆ.

(103) *pagi. quem veteres . . . Fanummartinse dixerunt, juniores a nomine præfluentis fluvii Haynau vocaverunt.* Folcuini g. abb. Lob. 1.

(104) Helpe mineure, prope Maroilles Sambram influens. L.

(105) I e agros cultos.

(106) Maroilles ad Helprom in Hannonia, d. Camerac.

(107) I. e. ventis tradita, aurarum ludibria facta; cf. II. 4, *de quibus maximam partem invidæ auræ se rapuisse lætantur.*

(108) I. e. funeri.

(109) A. 713, secundum A Vedast.

(110) Bruxella esse videtur.

multum temporis, cum jam Dominus sanctum suum mirificari disponeret causa, intervenit quæ signis evidentioribus jacentis merita manifestaret. Erant Atrebati nobilium virorum filii, litteralibus disciplinis sub magistro erudiendi. Et tempus advenerat quo ipsi pueri, ab eodem magistro rogati, ad scriptoriam artem liquorem facere deberent. Locus autem, quo vir Dei sepultus quiescebat, jam vepribus et spinis plenus erat, nec habitator inibi erat, pro eo quod gentilium infestatione locus ex multo tempore desertus fuerat. Hujus rei, quam narro, testes usque ad nostra tempore superfuere. Supramemorati namque clerici (111) cum circumjacentis nemoris spineta lustrarent, ad basilicam forte divertunt. Ubi dum hi, quibus altior mens fuerat orassent, juniores situm interioris æcclesiæ curiosius contemplabantur. Unus autem ex his ad tumulum viri Dei incautius accedens, sicut terra dehiscens a summo usque deorsum rimam fecerat, ille arrepto sarculo cœpit spelunquam quasi insultans fodicando pretemptare. Qui statim cætitate percussus, cœpit palpando ducem quærere, ducem clamare. Exterriti qui aderant subita eventus immutatione, magis sibi quisque timebat, ne percussi simili sententia plecteruntur. Sciscitantibus autem privati causam luminis, respondit, ex insultatione temeraria, quam tumulato intulerat, sibi misero hoc accidisse. Invento igitur salutaris remedii consilio, puerum capitis sui deditione (*112*) tantæ animadversionis iram placare suadent. Sicque factum est; mox lumine recepto, puer haud mediocriter castigatus rediit.

30. *Ubi Fulbertus episcopus sanctum corpus beati Vinditiani honorifice levavit.* Hujus itaque miraculi fama per vicinam regionem pertonuit, plebemque longe lateque super venerationem tanti viri excitavit. Qua etiam Fulbertus pontifex attonitus, qui post illum *15*us in episcopio extitit, sanctum corpus levare disposuit, et honorifice in locello lapideo conditum repperit (*circa an.* 940). Suum autem archidiaconum, ut ferunt, Honoratum juxta quiescentem intactum reliquit.

31 *Ubi meritis Vinditiani cæcus illuminatur.* Erat preterea in territorio Atrebatensi mulier habens unicum filium, qui, patentibus oculis, lux ipsa multo ex tempore negabatur. Hunc mater secum adsumptum ad sepulchrum beati Vinditiani conduxit; ubi perductum super altare cereum offerre fecit, ipsaque paululum oratura prosternitur. Manifesta Dei virtute puer lumine recepto, recto itinere cœpit regredi, nihil hesitans et viæ ducem non requirens.

32. *Item quædam mulier cæca visum recepit.* Mulier item quædam in territorio Pontico erat non ignobilis, sed privato lumine debilis; quæ paratis vaticis, proficici Romam ad limina apostolorum pro recipienda salute disposuerat. Nocte igitur ea, qua sequentis diei mane profectionis iter paraverat, divinitus commonetur, ud ad sepulchrum beati Vinditiani cum oblatione sua properaret, ibi optatæ lucis commertia receptura. Facto itaque crepusculo, carpento superimposita, ut monita fuerat explevit. Veniens igitur ad tumulum viri Dei, mox ut terram oculis attigit, aperti sunt oculi ejus, et sic gaudens rediit ad propria.

33. *Multi diversis cruciatibus plexi sunt, quod templum ejus violarunt.* Heinrico autem quondam imperatore, ortis simultatibus inter Balduinum (113) et Arnulfum comitem (114), Balduinus collecta manu Arnulfum, quia numero inferior erat, a Valentianis expulit; quod quidem castrum imperio Heinrici subjugatum fuerat. Indignatus imperator rerum insolentia, castrum et ipse obsidione clausit (*an 1006*). Ad hunc Robertus Francorum rex innovandæ amicitiæ gratia, sed et Richardus Rotomagensium dux, cum infinita multitudine convenerunt. Gens ipsa ferox et inquies (115), et avaritiæ studiis fervens, nec æcclesias Dei immunes reliquerant incursionis. Porro Atrabatensem provinciam peragrantes, patriam misera cæde vexabant. Ex his aliqui ad montem sancti Eligii, de quo supra disseruimus (c. 28); devenientes, audierunt monasterium multis pecuniis et congestionibus refectum. Facto igitur agmine, templum irrumpere nitebantur. Renitentibus clericis, unus barbarico furore conmotus, telo vibrato unum ex sacerdotalibus viris in ipso aditu templi prostravit; ceteri vero, fraternæ necis dolore accensi, pertinacius rebellabant. Difficultate igitur facta, cum hostes templum effringere non possent, unus eorum, vesano spiritu armatus, tectum templi ascensu superavit, et per laquearia sese intro summisit, et improvisus viros a tergo ferire cœpit. Turbati qui aderant, cum hostem in medio sui cernerent; dum posteriora defendunt, liberum anterioribus aditum præbuerunt. Qui irruentes plerosque necaverunt, et cruentis manibus sancta contaminantes, thesauros ecclesiæ, vestes etiam sacerdotales sustulerunt. Nec longum tamen lætati, mox (116) inter se spolia diviserunt, plerique arrepti a dæmonio torquebantur; alii linguis adusti, alii proprio morsu precisis, plerique curibus exustis, misero cruciatu plectebantur. Fama hujusmodi ceteris terrorem incussit, ne de spoliis æcclesiæ illius attactis seva quoque pestis eos incenderet. Sed et comes (117 mox ut in patriam reversus est, quæstione facta de thesauris dictis sub posito sacramento, usque ad minimum quadrantem fecit persolvi. Unus autem ex

NOTÆ.

(111) I. e. discipuli, *clerçonnets.*
(112) I. e. ut monachum se futurum promitteret.
(113) Flandrensem.
(114) Valentianensem, cf. c. *115*.
(115) I. e. inquieta.
(116) I. e mox ut.
(117) Richardus Normannorum dux. Coln.

illis qui interfuerat violatoribus æcclæsiæ, unam in partem sibi campanam retinuit; quam cum diu celasset, parte corporis premortua tandem confiteri coactus est quod avaritia suadente negaverat. Missa igitur legatione ad matricularios (118), duplo restituit, sicque saluti pristinæ redditus est.

34. *Hildebertus successit, post Hunoldus, tum Hadulfus.* Beato Vinditiano Hildebertus (119) in episcopium successit (*an* 718). Cui Hunoldus. Hoc defuncto (120), ad episcopale solium Hadulfus eligitur, quem asserunt quidam filium fuisse sancti Ragnulfi martyris; de quo hi, qui nostris superlucere temporibus fideles, testati sunt multa se ad sepulchrum ejus vidisse miracula.

35. *Hunc Engranus episcopus levavit in cujus elevatione mulier a dæmonio liberata est.* Hic Hodulfus in æcclæsia sancti Petri apostoli, quæ intra muros castelli Atrebatensis est juxta monasterium sancti Vedasti, sepultus est (121) (*an.* 728). Hujus vero sanctitas procedente tempore multis mirisque portentis ostensa est. Quorum precipuus testis edituus monasterii sancti Vedasti Engrano Cameracensi episcopo visiones quas plerumque viderat propalavit. Qui ergo testem idoneum animadvertens, sanctum corpus levavit. In qua elevatione, ad declaranda sancti viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirifice liberata est; unde episcopus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulfi solemnia in numero sanctorum notificavit.

36. *De Trawardo episcopo.* Post Hadulfum Trawardus substituitur in sedem (*an.* 728.)

37. (36.) *De Gonfrido episcopo.* Post quem ejusdem monasterii Guntfridus rector extitit (122).

38 (36.) *De Albrico episcopo.* Post cujus excessum Albricus (*an* 770).

39. (37.) *De Hildoardo episcopo.* Post Albricum Hildowardus (*an.* 790), tempore Karoli Magni, successit, qui duas tabulas eburneas pulchre sculptas, anno 12 sui episcopatus, ut in eisdem tabulis liquet, fieri jussit. Hic autem usque ad tempus Luduvici Pii superfuit [52] multisque commodis æcclesiam instruere curans, ab ipso imperatore immunitatis preceptum hujusmodi obtinuit [53]: « In nomine Domini Dei et salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus A divina ordinante providentia imperator augustus Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum [54], quia vir venerabilis Hildoardus Cameracensis urbis episcopus obtulit obtutibus nostris immunitates, avi [55] videlicet nostri, regis Pippini [56], et genitoris nostri, Caroli bonæ memoriæ prestantissimi imperatoris in quibus continebatur insertum, qualiter idem genitor noster et antecessores reges prædictam sedem, quæ in honore est [57] sanctæ Dei genitricis [58] Mariæ semperque virginis, ob amorem Dei tranquillitatemque B consistensium fratrum [59] sub plenissima tuitione et immunitatis defensione [60] habuissent. Pro firmitate [61] tamen rei postulavit a [62] nobis prefatus episcopus. ut eorundem regum auctoritatem [63], in amore Dei et reverentia [64] sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostra firmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter adquievimus, et ita in omnibus concessimus atque per hoc preceptum nostræ auctoritatis confirmavimus Precipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quilibet [65] ex judiciaria potestate, in æcclesias vel [66] loca vel agros seu reliquas possessiones prædictæ æcclesiæ, quæ [67] moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem nostri imperii [68] juste et legaliter memorata tenet vel C possidet æcclæsia, vel ea [69] quæ deinceps a catholicis viris eidem æcclesiæ fuerint collata [70], ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas fasciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius æcclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ipsius commorantes [71] nequaquam destringendos [72]; nec ullas redditiones [73], aut inlicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere [74] presumat. Sed liceat memorato presuli suisque successoribus predictæ [75] æcclesiæ, cum cellulis et rebus vel hominibus sibi legaliter subjectis, immunitatis [76] nostræ defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, vel totius imperii Deo nobis D collati [77] vel conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, libere Dei misericordiam ex-

VARIÆ LECTIONES.

[52] H. a. u. a. t. L. P. s. *Auctor ipse inter lineas adscripsit.* [53] *chartam originariam hujus præcepti vid adhuc in tabulario Cameracensi extantem, imperatoris manu subscriptam, sigilloque munitam; cujus varias lectiones subjicio.* [54] quam et f. *charta.* [55] auu *ch.* [56] pippini regis *ch.* [57] quæ est in honore *ch.* [58] genetr. *ch. const.* [59] t. fratrum ibidem c. semper sub *ch.* [60] defensionem *ch.* [61] firmitatem *ch.* [62] *deest ch.* [63] auctoritates *ch.* [64] reverentiam *ch.* [65] quislibet *ch.* [66] aut *ch.* [67] quas *ch.* [68] i. n. *ch.* [69] eas *ch.* [70] eidem conlatæ f. eccl. *ch.* [71] commanentes *ch* [72] distringendos *ch.* [73] redibit. *ch.* [74] s. penitus e. *ch.* [75] s. res. p. *ch.* [76] s. sub i. *ch.* [77] conlati. *ch.*

NOTÆ.

(118) I. e. æditos, qui matriculam seu registrum baptizatorum tenebant, *les marguilliers.*

(119) Sive Emebertus, de quo cf. supra c. 16.

(120) Anno 718, secundum Ann. Vedast. Alii obiisse dicunt 9 Jan. 717.

(121) Obiit ann. 718 secundum Annales Vedastinos, Petavianos, Laureshamenses.

(122) Fecit translationem sancti Landelini, 15 Jun, 770. Unde apparet Albericum non ante anni 770 finem episcopum factum. Idem obiit 7 Jan. 790. Cameraci in bibl. publ. extat adhuc codex canonum Hibernicorum n. 619 eo jubente scriptus, uti testatur subscriptio in fine ipsa scribæ manu addita *Expl. liber canonum, quem domnus Albericus episco*

rare. Et quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius æcclesiæ concinnanda perpetualiter concessimus ab habendum. Continebatur etiam in eodem precepto domni et genitoris nostri, quod si quis dux, comes, vicarius, seu quislibet ex judiciaria potestate auctoritatem domni genitoris [78] nostri vel antecessorum regum irrumpere [79], aut violare præsumpserit, solidos sexcentos culpabilis judicetur; videlicet ut duæ partes in archivum ipsius æcclesiæ admittantibur, et tertiam fiscus regalis recipiat, ut nullus tale quid audeat [80] perpetrare. Quod ita et nos per hanc nostram auctoritatem confirmamus, ut sicut a domno et genitore nostro vel [81] antecessoribus regibus collatum atque confirmatum est, ita [82] deinceps inviolobiliter conservetur. Haec quippe auctoritas aut fidelibus sanctæ Dei æcclesiæ et nostris verius [83] credatur, manu propria subter eam firmavius et annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludowici serenissimi imperatoris. Ego Durandus diaconus ad vicem Helisacharii recognovi Amen. Data est 17 Kal. Maias, anno Christo propitio 3 domni [84] Hludowici piissimi augusti, indictione 9 (*an* 816). Actum Aquis grani regio palatio [85], in Dei nomine. Amen [86]. »

Hic etiam inter fuisse sinodo invenitur [(Flod., II, 18) quam anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi 814 Vulfarius Remensium archiepiscopus in æcclesia Noviomensi cum aliis cœpiscopis habuit, ubi videlicet sententia ventilita est inter Vendilmarum (123) et Rothardum (124) episcopos, de terminis parrochiarium suarum.

40. (38.) *De Halitchario, quem Ebo archiepiscopus subjecta epistola humiliter alloquitur (Ib., 16).* Hildowardo (125) vero Halitcharius successit, vir doctrina apostolicus et fide catholicus. Hic præcibus Ebonis Remensi sarchiepiscopi sex libellos de remediis peccatorum et ordine vel judiciis pœnitentiæ conscripsit (126); ad quem Ebonis talis extat epistola : « Reverentissimo in Christo fratri ac filio Halitchario episcopo, Ebo indignus episcopus salutem. Non dubito tuæ in notum esse caritati, quanta nobis æcclesiasticæ disciplinæ, quantisque nostrorum necessitatibus subditorum, et insuper mundialium oppressionibus, quibus cotidie agitatimur, cura constringat. Idcirco, ut tecum contulit, ex Patrum dictis, canonum quoque sententiis, ad opus consacerdotum notrorum excerpere pœnitentialem minime valui; quia animus cum dividitur per multa,

A fit minor ad singula. Et hoc est, quod in hac re me valde collicita, quoniam ita confusa sunt judicia pœnitentium in presbyterorum nostrorum opusculis, atque diversa et inter se discrepentia et nullius auctoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint discerni. Unde fit, ut concurrentibus ad remedium pænitentiæ, tam pro librorum confusione quam etiam pro ingenii tarditate nullatenus valeant subvenire. Quapropter, carissime frater, noli te ipsum nobis negare, qui semper in divinis ardenti animo disciplinis ac solerti cura scripturarum meditationibus perfectissimo otio floruisti. Arippe quæso

B sine excusationis verbo hujus sarcinæ pondus, a me quidem tibi impositum, sed a Domino cujus onus leve est, levigandum. Noli timere, neque formides hujus operis magnitudinem, sed virliter [87] accede, quia aderit tibi qui dixit : « Aperi os tuum, et ego « adimplebo illud. » Scis enim, optime, parvis parva sufficere, nec ad mensam magnatorum pauperum turbam posse accedere. Noli tuæ devotionis nobis subtrahere scientiam, noli accensam in te sub modio ponere lucernam, sed precelso eam superpone candelabro, ut luceat omnibns qui in domo Dei sunt fratribus tuis, et profer nobis veluti scriba doctus,

C quod accepisti a Domino. Aderit tibi hujus laboris itinere illius gratia, qui [88] duobus discipulis euntibus, tertium se socium reddidit in via, et apperuit illis sensus, ut sanctas intelligerent Scrirfuras. spiritus paraclitus omni veritatis doctrina, et perfecta caritatis scientia, tua resplendeat [89] pectora, carissime frater. Vale. »

41. (39) *Ad Ebonem Halitcharius epistolam rescribit (Ib.)* Ad quæ [90] idem talia rescribit Haltcharius : « Domino et venerabili in Christo Eboni archiepiscopo, Halitcharius minimus Christi famulus salutem. Postquam, venerande pater, directas bea-

D titudinis vestræ accepi litteras, quibus me hortari dignati estis ne mentis acumen inerti torpendique otio summitterem, sed cognitioni ac meditationi cotidie sacræ scripturæ me vigilanter traderem, et insuper ex sanctorum Patrum canonumque sententiis pœnitentialem in uno volumine aggregarem : durum quidem mihi et vale difficile tremendumque hoc quoque fuit imperium, ut hanc suspicerem sarcinam, quam a prudentibus cognosco relictam. Multumque renisus sum voluntati vestræ, non velud procaciter durus, sed propriæ infirmitas tarditate admonitus. Hac etedim cura sollicitus, necessarium

VARIÆ LECTIONES.

[78] d. et g. *ch.* [79] inrumpere *ch.* [80] auderet *ch.* [81] vel ab. a. r. prædictæ ecclesiæ conlatum *ch.* [82] ita et *ch.* [83] v. certiusque c. *ch.* [84] Helisachar r. data XVII. Mai. a. C. p. tertio imperii d. nostri H *ch.* [85] p. r. *ch.* [86] n. feliciter a. *ch.* [87] uidenter 1. *cui auctor ipse* uiriliter *superscripsit.* virliter 2. videnter *supersc.* viriliter s. fidenter 5. *Flod.* [88] quam 1. [89] vel irradiet. *superscriptum* 1 3. *unde* 2 2*. *in textu habent* resplendeat vel ir2adiet. *Flodoardus teste Colvenerio scripsit* resplendeat, *quod recentior quidam mutavit in* repleat. [90] atque 1.

NOTÆ.

pus urbis Camaracincium et Adrabatinsium fieri rogavit. Deo gratias amen. Cf. annales nostros, VIII, 432.

(123) Noviomensem.

(124) Suessionensem.

(125) Obiisse putatur 4 Jul. 816. Certe diploma a Ludovico imperatore nactus est adhuc 14 Apr. 816, de quo cf. Miræum II, 930.

(126) Editos a Canisio in Antt. Lectt.; cf. Fabricium s. v·

duxi, ut aliquandiu me a scribendi temeritate suspenderem; quia sicut perpendi injuncti operis difficultatem, ita et injugentis auctoritati nec volui nec debui usquequaque resistere; certus, quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adjuvaret precipientis dignitas, quam gravaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete. »

42. (40.) *De Constantinopolim plurima sanctorum pignora attulit* (*A. Einh.*, *an.* 828). Hic ab imperatore Karolo (127) Constantinopolim missus, et a Michahele imperatore, sicut inde reversus ipse retulit, honorifice susceptus est. Unde ipse multa et preciosa sanctorum pignora, sancti videlicet protomartyris Stephani, Cosmæ, Antimi Nicomediensis épiscopi, et Teodori martyris, quæ in æcclesia beatæ Mariæ continentur adhuc, asportavit; necnon et tabulas eburneas, quibus libri cooperti ibidem esse spectantur. Hujus vero tempore (*A. Einh.*, an 818) Luduwicus Pius rex per Cameracum transiens, Aquisgrani ad hibernandum revertitur. Beatus vero pontifex in pace cum patribus suis dormitionem suscipiens, sepultus est in Monte sancti Eligii (*an.* 830)].

43, (41.) *Successsit beatus Theodericus, quem Ebo archiepiscopus sibi in sinodo judicem elegit.* Post hunc summi sacerdotii munus Theodericus a Luduwico suscepit (128), vir spectate sanctitatis et prophetiæ spiritu divinitu illustratus. Cujus tempore Lotharius patrem Luduwicum regem consentientibus falsis episcopis, maxime Ebone Remorum archiepiscopo a regni imperio dejecerat. Principibus tamen injuste dejectum animadvertentibus, et eisdem episcopis, qui ante consenserant, acclamantibus, in pristino honore restitus est. [(Flod., II, 20). Post hæc congregata sinodo in Metensi æcclesia sancti Stephani, imperator præ cunctis Ebonem accusat, quod eum falso fuerat criminatus, et eisdem falsis criminibus appetitum a regno dejecerat, armisque ablatis, nec confessum nec convictum contra regulas æcclesiasticas ab æcclesiæ aditu eliminaverat. Qui objecta erubescens seque male fecisse recognocens, ut in sinodo omnia legaliter adimplerentur, secundum Affricanos canones sibi judices episcopos delegit, inter quos etiam Teodericum episcopum convocavit.] Iste etiam anno Domini 832. 16. Kal Decembris ordinationem clericorum fecit in monasterio Laubiensi (129). Anno etiam 844. dédicavit monasterium in Vaslero (130(, petente Hariberto abbate.

44. (42.) *Ubi sanctum corpus beati Vedasti quæsivit, implorantibus monachis, et invenit.* Dani vero tunc temporis per viciniam hujus dioceseos male debaccantes, æcclesiis insultabant. Quare vir Domini Theodericus, pie monentibus et implorantibus monachis, quia dubitabatur et incertum erat, quo in loco positum crederent preciosissimum corpus sancti Vedasti, quæsivit et invenit anno quidem dominicæ Incarnationis 852; inventum vero ita paravit, ut si forte metus Danorum cogeret, fugientes aliorsum deferrent.

[45. (43.) *Uubi in sinodo de Ebonis depositione et Hincmari ordinatione scriptum protulit* (Flod, III, 11) Hujus etiam diebus honorabilis presul Hincmarus, post Ebonem depositum ejusdem ecclesiæ episcopus anno sui episcopatus 7, sinodum habuit comprovincialem apud Suessonicam urbem in monasterio sancti Medardi, cum Venelone Sennensi archiepiscopo, Amalrico Turonensi, et hoc Theoderico Camaracensi episcopo, et multis aliis episcopis et abbatibus, residente quoque in medio glorioso rege Karolo (*an* 853). Ubi quædem necessaria æcclesiæ Dei sunt pertracta negotia. Ad quam sinodum accedentes quidam Remensis æcclesiæ canonici ac monachi, clamaverunt suspensos se a prefato archiepiscopo suo ab administratione ordinum æcclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam provecti fuerant. Electi igitur judices utriusque partis, id est archiepiscopi et clamatorum, auditis causis altrinsecus, judicaverunt: quod si Ebo archiepiscopus in suo statu manens, canonice hos fratres ordinaverit, deberent ministrare; si autem injuste dejectus et canonice restitutus, post suam canonicam restitutionem eosdem ordinaverit, sine ulla quæstione deberent etiam ministrare. Interrogatis itaque ordinatoribus Hincmari de Ebonis depositione et Hincmari ordinatione, surgens Theodericus Camaracencis episcopus, porrexit in conspectu principis et sinosi scriptum, continens ordinem depositionis prefati Ebonis. Tunc ventilatum est qualiter exauctoratus episcopus restitui debeat, et quia idem Ebo restitutus canonice non fuerit, insuper et ab apostolica sede, Sergio papa confirmante dejectionem illius, dampnatus extiterit, ut in laica tantummodo communione maneret. Sicque decretum est ut quicquid in ordinationibus æcclesiastis Ebo post depositionem suam egerat, secundum traditionem apostolicæ sedis, preter sacrum baptisma, quod in nomine sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum haberetur, et ordinati ab eo æcclesiasticis gradibus privarentur. Tunc unus ex dejectis fratribus libellum proclamationis exposuit in medio, in quo continebatur, quod ideo se ab Ebone permisissent ordinari, quia viderant, suffraganeos Remensis aeclesiæ in unum cum litteris imperatoris Lotharii convenisse, et eundem Ebonem restituisse. Sed et litteras, quasi ex nomine Theoderici episcopi et ceterorum ejusdem dioeceseos episcoporum manibus roboratas, ostenderunt: qui-

NOTÆ

(127) Ludowico potius.

(128) *Halitcario Cameracenci episcopo defuncto, Theodericus jussu domini imperatoris ordinatur.* Ann. Vedast. a. 830. Sed Galliæ Christianæ auctores d. 25 Junii 831 obiisse statuunt Halitgarium; cf. Mabillon Annales a. 650.

(129) Cf. Folcuini G. abb. Lob. 11.

(130) Walers en Faigne, in confiniis Hannoniæ et Picardiæ.

bus recitatis falsisque comprobatis, jussi sunt communione privari, pro eo quod episcopis talia objicere presumpsissent. His ita terminatis, Hincmarus archiepiscopus primatus sui locum recepit. Cujus extant scripta plurima, quæ ipse de fide catholica et de conservando jure catholico conscripsit.

46. (44.) *Scripta Hincmari ad Teodericum et ad alios quosdam (ibid.*, cap. 21). Inter quæ etiam Immoni Noviomagensi episcopo, pro consilio et auxilio dando Theoderico Cameracensi presuli super quodam inobediente, qui Deum non timebat et æcclesiasticum ministerium non reverebatur. Ipsi etiam Theoderico pro quodam Hettone, Lotharii regis vasallo, cui communi consensu pœnitentiam injunxerat, qui se absolutum a prefato Theoderico fuisse fatebatur; et pro quodam presbytero, quem idem Theodericus excommunicaverat, pro quo papa Romanus Hincmaro litteras miserat, quas ipse eidem Theoderico mittebat. Item pro prefati Hettonis absolutione. Item pro rebus Remensis æcclesiæ, quas sibi per prestariam Theodericus delegari petebat. Maioni quoque illustri comiti, gratiarum referens actiones pro benignitate et sollicitudine quam domno Theoderico Camaracensi presuli, viro sancto, et æcclesiæ ipsius exhibere curabat Scripsit etiam Lothario regi [91], filio imperatoris Lotharii, pro electione episcopi æcclesiæ concedenda Cameracensi. Necnon Gontario Coloniensi, ut intercedat apud Lotharium regem, et satagat pro electione canonica Cameracensis episcopi post decessum Theoderici venerandi presulis. Mortuus enim erat. Item secundo vel tertio pro eadem re, affirmans, non nisi regulariter in diebus suis illic episcopum ordinandum.]

47. (45.) *Domno Theoderico suis predicente coxa frangitur.* Hujus vero tale factum, quibusdam qui suis prope temporibus fuere referentibus, cognovimus, quod progrediens ad quendam [92] diocesis suæ locum pro sanctione æcclesiastica, cum adhuc tribus fere milibus ab urbe distaret, in spiritu casus sui periculum agnovit, quod comitantibus secum intimavit, dicens : *Noveritis, frates, haut longe periculosam nobis instare ruinam.* Cui cum comitantes, ut locum declinasset, monerent : *Nequaquam*, inquit, *fratres mei, voluntatem Dei effugere debemus, qui ideo percutit, ut sanet, idcirco vulnerat, ut medeatur.* Necdum verba compleverat, et ecce in occursum ejus vir quidam mendicus advenit. Qui cum se ad salutandum episcopum pronior inclinasset, mulus cui episcopus insederat, ex salutantis motu territus, subito in diversum resiliit, et ruentis eliso crure, apertum campum tenuit. At comites ruentem episcopum excipientes, propriis ulnis ad urbem bajularunt.

48. (46.) *Inauditum miraculum super quodam predone a sancto episcopo excommunicato.* Postea vero vir quidam negotiis militaribus deditus, sed rapacitatis studiis intentus, possessiones sanctæ Mariæ, quæ in territorio Atrebatensi conjacebant, frequenti incursione depopulari consueverat. Qua de re sepe ab episcopo vocatus, cum maleficii sui finem dare noluisset, presul apostolicæ auctoritatis virga feriendam ejus rabiem estimavit. Semel igitur, bis, et tertio vocatum, sed renitentem, excommunicavit· Ille ad augmentum dampnationis suæ reatus sui culpam non solum recognoscere noluit, verum ipsam presulis excommunicationem furiosius spernere verbisque tumentibus reprobare cœpit, et majorem tirannidis suæ violentiam minari : cum repente inter furentis blasfemiam infelix, per secretam naturam fusis visceribus, Dei judicio percussus interiit, sepultusque est procul ab urbe juxta viam publicam, ubi nec mortuus partem cum fidelibus habere meruisset. Porro manifesto divinæ animadversionis judicio, terra quo sepulturæ locus ambiebatur, tribus per circuitum cubitis ab imo ita exarsit, ub ab occultis meatibus incendio emisso fatisceret; et cum id cernentibus mirum et formidandidum esset illud magis stupebant, quod per triennium in agro illo ros aut pluvia non cecidit, nec gramen apparuit. Expleto vero triennio, cum vir Dei nocte quadam per extasim in sublime raperetur, vidit miserum miro et formidando suplicio cruciari. Cujus sorte miserrima conpunctus, mox ut in se rediit, sumptis secum quos voluit, ad sepulturam usque pervenit; expositoque consilio, licet auctoritatem non haberet, servum unum, qui ei habendis usibus inhæserat, causas defuncti agere jubet, et ut impositum modum pœnitentiæ pro eo ipse expleret, data sibi ab episcopo pro hac expletione (131) libertatis optione, Postea vero tellus visa est herbida re [93].

49. (47.) *Quod tempore hujus templum beati Gaugerici inceptum est, et eodem anno obiit.* Sub hujus beati pontificis diebus, anno videlicet incarnationis Domini nostri Jesu Christi 863. 16. Kal. Julii, inceptum est templum sancti Gaugerici ædificari, quod postea honorifice consummatum, sed tempore quidem Rotradi, ejusdem sedis ab ipso Theoderico tertii episcopi, ut in sequentibus legitur (c. 61), a Normannis etiam cum civitate insensum est. Eodem vero anno, Nonas Augusti, Theodericus episcopus ad remunerationem suorum laborum vocatus, diem clausit, sepultusque est in monasterio sancti Autberti. Sed tempore tertii (132) Ottonis imperatoris, sub Fulberto ejusdem sedis episcopo translatus est in Germaniam, sicut in sequentibus legitur.

50. (48.) *Post hunc æcclesia a pastore tribus annis vacavit Hilduino contra canones instituto.* Post hujus

VARIÆ LECTIONES

[91] regis 1. [92] quoddam 1. [93] P. v. t. v. e. h. *auctor scripsit in rasura duarum linearum et dimidiæ.*

NOTÆ

(131) I. e. ut hoc expleret.

(132) Falsum; primus fuit; cf. c. 79,

excessum (*an.* 863) æcclesia Cameracensium a pastorali regimine per tres circiter annos vacavit, hac scilicet contentione habita inter Hincmarum archiepiscopum et imperatorem (133) Lotharium. Siquidem imperator cuidam clerico Guntberto episcopii contulit digntatem; sed archiepiscopus cum suis cœpiscopis, hoc fieri contra sacros canones advertens, cum omni auctoritate refragatus est, cunctisque ipsius æcclesiæ clericis ac militibus sub anathemate interdixit, ne quis eorum cum adultero pastore ullum assensum aut familiaritatem habere putasset; usumfructum vero terræ, quod imperatoris erat, tantummodo commodareat. Quare non diu moratus, invitus abcessit. Dehinc vero imperator Tetboldum quendam clericum intromisit; sed similiter ea contentione frustratus, exivit. Tertio quoque Hilduinum, suum cognatum sed et suum capellanum, ipsi æcclesiæ perficere estimavit; sed quia contra legem canonicam erat, Hincmarus quoque benedictionem cum omni virtute negavit. His ergo ita contendentibus, æcclesia pastorali regimine destituta labefactabatur. Unde Nicholaus papa graviter motus, sepe Lotharium. immo quoque Hincmarum, quasi super id negotii negligentem et incuriosum, directis epistolis succensebat. Huc itaque litteras hujusmodi ad nicolum papam direxisse reperimus, [(Flod. iii, 12.) « Domino unice singulariterque suscipendo, patrum patri et summa venerationem honorando, reverentissimo papæ Nicholao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum episcopus ac plebis Dei famulus. In epistola vestræ sanctitatis, per Odonem episcopum opiscopis in regno Lotharii pro prejudicio Cameracensis æcclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturam cujus neglectu eadem æcclesia ultra decimum mensem pastore vacaret? Unde ut non negligens a vestro apostolatu succensear, judico, auctoritati vestræ post directas Illothario et episcopis regni ejus atque Hilduino, qui eandem ecclesiam inregulariter occupavit, ita ut ante quam ipsas mitteretis epistolas, hactenus prejudicium permanere; meque Lotharium regem, et legatis et litteris, pront potui, sæpe et eousque inde commonuisse, donec regiis suis litteris mihi respondit : Hilduinum ad vestram auctoritatem suum legatum misisse, et nihil aliter de prefata ecclesia, nisi ut egerat, disponere debuisse, donec a vobis inde responsum acciperet. »

51. (49) *Hilduinus expellitur, sanctus Johannes subrogatur.* Itaque supradicta contentio inter imperatorem et archiepiscopum tamdiu processit, donec imperatore Lothario mortuo, Hilduino expulso anno dominicæ Incarnationis 866, Johannes sanctæ memoriæ episcopus a Lothario minore, filio Lotharii imperatoris, præordinante divina gratia, substituitur. Hic autem regia in aula nutritus cantoris officio fungebatur. Hujus enim in superficie sepulturæ tale scriptum canstat marmori caraxatum (134).

Regum magnifica fueram nutritus in aula.
In qua cantoris nomine functus eram.
Non propriis meritis, sola pietate Tonantis,
Antistes ista factus in urbe fui;
Quam prestante Deo monui contempnere semper
Illecebras mundi, gaudia vera sequi.
Nunc autem facto carnisque animæque dirempta,
Septima post sexta sabbata (135) *perficio,*
Donec in adventu Christi sua membra resumat
Spiritus, octava jam radiente die.
Qui legis hunc titulum, frater, subsiste parumper,
Et dic, æternam promerear requiem.

[52].(50) Flod. III, 21) *Quod Johannes ordinationi Bertulfi episcopi interfuit.* Hunc in ordinatione Bertulfi Trevirensis archiepiscopi venerabilis Hincmarus, cujus paulo ante mentionem fecimus, ex jussione Karoli regis, cum Hincmaro Laudunensis episcopo et Odone Belvacensi ad petitionem Adventii Mettensis [94] et Arnulfi Tuilensis episcoporum ejusdem Trevirensis dioeceseos miserat, informans eos, quomodo id rite fieri deberet canonica apostolicaque auctoritate, ut sacris regulis nulla aut negligentia aut presumptione in aliquo discederent.

53. (51) Flod. III, 23) *Plurima scripta Hincmari archiepiscopi ad domnum Johannem.* Huic, id est domno Johanni Cameracensi, petenti commendatitias dari sibi Romam proficiscenti litteraa, ex nomine domni Hincmari Adriano papæ offerendas, rescribit : quod si reddituros obsequium, cæsari Romam velit ita pergere, ut obsequio Deo debito cæsaris contrarium non esset obsequium, canonicas libenter ei litteras tribueret; sin autem pro causa Lotharii resis, quæ inter eum et ipsius uxorem diu ventilata fuerat, quoniam commmandatitias in hac re dare litteras non valebat, reprehensibiles dare non audeat, quia nec debeat : presertim cum nuper dominus Adrianus litteras ei suæ auctoritatis per Actardum Namnetensem episcopum miserit, in quibus significaverit se certamina, quæ sedes apostolica per antecessores suos Benedictum et Nicholum in hac causa certaverat, sequi; monens eum, ut quod super hoc negotio gestum est, nullatenus enervari consentiat; intimansque, qualiter excommunicata fuerit Waldrada. Addit etiam, quod

VARIÆ LECTIONES.

[94] *lineæ superscripsit ipse auctor.*

NOTÆ.

(133) Errat noster, Lothario imperatori imputans quæ ejus filius Lotharius minor rex egit. Imperator enim, jam a. 855 defunctus, non potuit successorem dare Theoderico, quem a 863 demum obiisse constat. Neque litteras eidem imperatori dirigere potuit Nicolaus, a. demum 858 papa creatus. Errorem jam notavit Colvenerius.

(134) I. e. inscriptum.

(135) I. q. feria; cf. Ducange.

sine consilio coepiscoporum litteras ei demissorias, maxime pro re incerta, dare nequiret. Item de obitu Lotharii, exhortans, ut sine dilatione ad Karolum regem veniat. Item pro quodam presbitero Cameracensis parochiæ, qui se ipsum castraverat, frequenti monitus id agere visitatione, nesciens quid inde sacri decernerent canones ; consiliumque admonens, ut diligenter investigetur, quibus sit modis admissum, et interim per indulgentiam presbiter idem maneat in ordine suo, donec in provinciali sinodo, quid exinde tenendum sit inveniatur, quod nec preceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum repperiatur adversum. Item gratiarum referens actiones pro beneficiis sæpe sibi ab eo impensis, petens, ut requirat sermonem sancti Augustini de lapsu monachi et viduæ, ac sibi ad transscribendum mittat, vel transscribi faciat et ad proximam sinodum sibi afferat ; expositionem quoque Bedæ in proverbiis Salomonis ad eandem sinodum sibi deferri petens. Intimat etiam, quod papa Romanus Karolo regi et episcopis ipsius regni quædam mandata direxerit, de quibus in sinodo sit necesse tractari ; unde et rex metropolitanis regni sui litteras miserit, precipiens, ut coepiscopos suos ad eandem convocarent sinodum. Item pro parte decimæ, quam sibi significatum fuerat ab antiqua regia capella tulisse, et alteri quam noviter sacraverat addidisse ; quod quia contra regulas esset, emendare, si sit actum, suadet. Item pro quodam presbitero qui ad sedem Remensem proclamaverat, prejudicium se pati questus ab eodem presule suo, interdicto sibi cum rebus suis officio quoque sacerdotali, nec sponte confesso nec regulariter convicto pro tumultu et homicidio perpetrato, ubi interfuerat et invitus arma defendendo se sumpserat, hominemque vulneraverat, non tamen quam [95] occisus fuerat. In quibus litteris ostendit ex auctoritate sacra quid discretionis in hujusmodi sit causa tenendum, et quæ sacrorum canonum sint adhibenda capitula. Scribit ad eundem et alia quædam.]

54. (52) *Preceptum super possessiones quas in pago Condrense sanctæ Mariæ adquisivit.* Hic Johannes possessiones in pago Condrense (136) sanctæ Dei matris æcclesiæ a quodam Machario adquisivit conventione quidem inter se facta hujusmodi et scripto præcepto : « Bene possidet ille res in hoc sæculo, qui de terrenis atque caducis comparat premia sempiterna. Quopropter nos in Dei nomine Macharius et conjunx mea Gondrada, cogitantes de Dei amore vel æterna bona retributione, pro animarum nostrarum remenio seu pro anima domni ac senioris nostri Johannis Cameracensium episcopi, aliquas res nostras, quas ipse ad hoc faciendum nobis donare dignatus est, et quas illi domnus imperator Lotharius per suam misericordiam et per suum preceptum in jus proprium dedit quæ habentur in pago Condrostinse, donamus atque transfundimus ad partem æcclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi jamdictis venerabilis qontifex domnus Johannes presidere videtur. Hoc est : in vico Hoio (137), super fluvium ejusdem nominis Hoio, æcclssiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, mansum dominicatum cum castitiis (138) ad quem aspiciunt de terra arabili bunuaria [96] (139) 4, de silva bunuaria 200; sunt ibi molendini 2. In alio loco in villa Haidis, mansum dominicatum cum castitiis et arboreto super fluvium Selevum, ad quem aspiciunt de terra arabili bunuaria 33, de prato bunuaria 9, de silva bunuaria 100, mansi serviles 6, est ibi camba (140) 1. In aliio loco in villa Bacilla mansum dominicatum cum castitiis super Gorbia, ad quem aspiciunt de terra arabili bunuaria 47, de prato bunuaria 3, de silva bunuaria 50, mansi serviles 4, est ibi camba 1. In alio loco in villa Halogis super fluvium Pauleia mansos 3, habentes de terra arabili bunuaria 35. In alio loco, qui dicitur Falmana, in villa Grandicampo, mansum dominicatum cum castitiis, ad quem aspiciunt de terra arabili bunuaria 30, de silva bunuaria 200, mansi ibidem deservientes 8. Et in loco nuncupato Glevo est mansus 1. In alio loco in villa Harsanium, super fluvium Wenna, mansum dominicatum habentem de terra arabili bunuaria 12, de prato bunuaria 2, de silva bunuaria 50, quæ habetur in loco Carcinio; mansos serviles ibidem deservientes absos (141) 4, unus ex illis est situs in loco Carcinio, alter vero in loco Wadingo super jam dictum fluvium. Quæ colligunt in summa mansi 31, et inter terram arabilem et prata ad dominicatum pertinentia bunuaria 140, et de silva bunuarir 600 et eo amplius, exceptis communiis quæ habentur in loco nuncupato Carcinio, et quicquid ad predicta loca aspicit, cum omnit integritate, et terras cultas et incultas, pervia, wadiscapia (142), prata, pascua, silvas, communias, aquas aquarumque decursus, et mancipia utriusque sexus, quorum 150 sunt. Ea videlicet ratione hæc omnia superius dicta ad partem supradictæ sanctæ Dei æcclesiæ Cameracensis tradimus, ut dum nos

VARIÆ LECTIONES.

[95] eum qui *Flod.* [96] bunu *semper 1. excepto quod bis* br. *scribit, scilicet* de silva br CC *et postea* de terra arabili br. XXXIII.

NOTÆ.

(136) Le Condros, inter Dinantum et Leodium.
(137) Huy, ubi l'Hoioul Mosam influit.
(138) Ædificiis.
(139) *Bonnier*, mensura agri, non ubivis ejusdem magnitudinis, sed in universum = 1 1/2 hectare. Adhuc in usu est in Belgio.
(140) Brauerei.
(141) Incultos.
(124) Aquagium, aquæductus.

advixerimus, liceat nobis usu fructuario excolere et possidere; et infans nomine Achildus, quam ipsa conjunx nostra Gundrada de alio viro peperit, necnon et infantes qui de eadem ipsa conjuge nobis nasci turi sunt, si superstites nobis fuerint, similiter habeant, dum advixerint, usufructuario ad excolendum et possidendum; et sic post nostrum et nostrorum infantum de hac luce discessum, hæc omnia cum omni integritate et emelioratione ad prefatam sanctæ Dei æcclesiam Cameracensem revertantur. Similiter et in compensatione hujus meriti dedit nobis idem senior noster Johannes episcopus, per consensum supra fidelium clericorum Cameracensium et laicorum, ex rebus sanctæ Mariæ Cameracensis æcclesiæ villam quæ dicitur Villare, quæ est sita in pago Hagnœnse, super fluvium Unctium, ubi habet mansum dominicatum, et de terra arabili ibi aspiciente bunuaria 112, de prato bunuaria 4, de silva per estimationem inter Villare et loco nuncupato Harilegias bunuaria 100 et æcclesiam unam. In Gentlinio cum æcclesiastico manso habente de terra arabili bunuaria 12, et molendina 2. In ipso Villare cum mansis 2, et cambis 2. Mansos etenim qui ad supradictum mansum dominicatum deserviunt vestitos (143) 12, et alios qui nuper vestiti sunt 12, qui nec adhuc integrum possunt solvere censum absos 16. Mansuras etenim in ipso Villare 9, quæ debent solvere solidos 6, et dicitur 8, et sunt absi [97]. In loco nuncupato Grandovillare inter mansuram et terram arabilem bunuaria 3. In alio loco nuncupato Munliaco inter mansuram et terram arabilem bunuaria 3; quæ colliguut in summa mansi 44; et mancipia utriusque sexus, quæ ad ipsum Villare aspiciunt, seu quiquid ad predictum locum cum omnibus appendiciis et integritatibus suis pertinet, terras cultas et incultas, pervia, wadiscapia, prata, pascua, silvas, aquas aquarumque decursus. Hæc omnia nobis concessit domnus senior noster Johannes episcopus, eo videlicet tenore, ut sicut superius diximus, dum advixerimus, utrum, et quod dedimus et quod accepimus, potestatem habeamus; necnon et supradicta Acheldis, seu et ceteri infantes nostri, qui de jamdicta conjuge mea nascituri sunt, si superstites nobis [98] fuerint, similiter dum advixerint, potestatem habeant usu fructuario excolere et possidere. Et pro ipso usu censuimus annis singulis solidos 2, ut ipsos, dum advixerimus, exsolvere faciamus; similiter et nostri infantes, dum advixerint, exsolvere faciant ad partem supradictæ æcclesiæ Cameracensis, in festivitate purificationis sanctæ Mariæ; et si de ipso censu tardi aut negligentes apparuerimus, fidem exinde faciamus, et contra supradictam sanctam Dei æcclesiam hoc componamus. Et de ipsis rebus vel mancipiis ullo modo potestatem non habeamus dandi vel commutandi aut alienandi, nisi ad salvandum et emeliorandum, dum advixerimus; et post nostrum et nostrorum infantum de hac luce discessum, hæc omnia supradicta cum omni integritate et emelioratione ad sanctam Dei æcclesiam Cameracensem revertantur. Si vero, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus ac proheredibus nostris contra hanc donationem nostram sive precariam venire aut eam inquietare temptaverit, iram Dei omnipotentis et sanctæ Trinitatis incurrat, et a liminibus sanctæ Dei æcclesiæ alienus existat. Et insuper ad partem fisci auri libras 10, argenti ponda 30, coactus exsolvat. Et hæc donatio pariter cum precaria firma et stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Cameraco civitate ante altare sanctæ Mariæ, Idibus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 885 (144) indictione 7 et anno 35 regni domini nostri Karoli regis, et in successu Lotharii regis 5. Ego Johannes episcopus hanc donationem relegi, et propria manu firmavi. ✝ Signum Macharii et uxoris ejus Gundradæ, qui hanc donationem pariter cum precaria fieri vel firmari rogaverunt. Ego Ernaldus indignus presbiter et manualis notarius hanc donationem jubente domno Johanne episcopo scripsi. »

55. (53.) *Æcclesiam Laubiensem ab inquietudine Karlensium liberavit.* Excrescente denique discordia inter Karlenses et Lotharienses, æcclesia Laubiensis male labefactabatur: adeo quippe, ut everso penitus loco famulantes pulsum iri crederentur. Episcopus tamen divino consilio usus (*an.* 868), poleticum (145) quod adhuc in eadem æcclesia reservatur, scripsit; et hoc apostolica auctoritate, sed et a conprovincialibus episepis confirmato, omnes æcclesiæ ipsius pervasores a Christianorum societate sequestrans, tali modo æcclesiam a tanto naufragio inmunem reliquit.

[56.(54.) (FLOD. III,22.) *Hunc Hincmarus Laudunensis episcopus in sinodo sibi judicem elegit.* Hoc vero in scriptis Remensium episcoporum invenimus, quod Hincmarus Laudunensis episcopus pro multis culpis ac pro morum obscenitate ab archiepiscopo Hincmaro, suo, avunculo, districte in conventu sinodali impetebatur. Qui itaque secundum Affricanum conci-

VARIÆ LECTIONES

97 *numerus* in 1. *deest, spatio non relicto.* 98 nobint 1.

NOTÆ

(143) Cultos.

(144) Error inest huic numero. Annus 35us Karoli incipit 20 Jun. 874; in successu Lotharii 5us incipit 9 Sept. 873: indictio 7a fuit anno 874. Quamobrem hæc charta non potest conscripta esse nisi a. 874 aut 875.

(145) Explicatur loco Folcuini Gest. abb. Lob. 13: *Quartodecimo igitur regni sui anno* (Lotharius) *redditus villarum nostrarum describere jussit, quod polipticum vocant. Facta est autem hæc descriptio a Johanne episcopo.*

lium, judices electos expetit; inter quos etiam domnum Johannem obtinuit. |

57. (55.) *Sepultus est extra monasterium sanctæ Mariæ in æcclesia sanctæ Crucis; sed a Gerardo episcopo in monasterium translatus est.* Postquam autem ipse domnus Johannes dormitionem accepit in Christo (*an.* 879), sepultus est in basilica, quæ erat in honorem sanctæ Crucis constructa juxta monasterium sanctæ Mariæ ad australem plagam, ibique quievit usque ad tempus Gerardi episcopi, qui ei tredecimus in sedem successit. Nimirum predicta basilica jam ex parte corruerat; ex quo vero stare videbatur, ex vetustate ruinam minabatur. Cumque ipse domnus episcopus predictum monasterium ampliorari usque ad sepulcrum Johannis episcopi disposuerat, condigna veneratione corpus de sepulcro levavit et infra monasterium sepelivit. Ubi nonnulla postmodum patrata probantur miracula, ubi frigoritici atque diversis ægritudinibus occupati venientes, optata merentur sospitate donari.

58. (56.) *Contractus homo ad sepulcrum sancti Johannis salute donatur.* Superest adhuc homo, Walterus nomine [99], cui membris adeptis langor a puero gressum, cetera quoque corporis officia negaverat. Nam marcentibus nervis talares cruribus adheserant, ut nullo conamine sejungi valerent. Hunc lectulo impositum mater ad sepulcrum viri Dei bajulari fecit, ibique per aliquot dies orationibus sum filio perstitit. Superveniente nativitate sanctæ Mariæ, quæ 6 Idus Septembris agebatur, inter ipsa matutinalia officia, cum forte paululum obodrmisset, vidit, ut ipse adhuc refert, senem quendam sibi adsistere, cujus tactu consolidata sunt crura ejus. Hic autem per aliquot annos ex stipendiis æcclesiæ alitus est [100].

59. (57.) *De puero contracto, sed meritis beati pontificis sospitato.* Nec dissimile illud quoque videtur, quod iterum divina clementia meritis sancti viri contulerit. Quendam namque puerum, nomine Heribertum, ex familia sancti Gaugerici vivere adhuc cognoscimus, quem post suæ nativitatis triennium tanta debilitas crusculorum (146) forte contractis nervis, obrepserat, ut alio pœne triennio pedum officia non haberet. Unde mater sedulo gemens, unicum vehiculo impositum per multa loca sanctorum deportavit; sed nullius medicinæ profectum adepta, tandem ante sepulcrum hujus beati pontificis collocavit. Hunc itaque non multo post, operante divina clementia meritisque hujus sancti episcopi medelam impetrantibus, ambulantem reduxit. Hoc ergo sancto viro reservari, Dei providentia dispen-

A sante, credimus, ut quanti videlicet meriti sit, fatente quidem ipso miraculo, aperte videretur. Multo denique alii a variis langoribus curati sunt.

60. (58.) *De Rotrado episcopo.* Sancto vero Johanni in episcopium Rotradus successit. Hic fuit temporibus | (*A. Vedast.*) Arnulfi imperatoris (147), quem australes Franci, videntes quidem imperatoris Karoli, filii Luduvici Transrenensis, vires ad regendum invalidas, eo dejecto, ad imperiale solium promoverunt.

61. (59.) *Hoc presure civitas Cameracus cum templo sancti Gangerici a Normannis succenditur.* Sub hujus etiam diebus (*A. Vedast.*) procellæ Nortmannorum per omnem hanc viciniam miserabiliter intonabant, qui anno Dominicæ incarnationis 881, 5 Kal. B Januarii Cameracum ingressi, incendiis et occisionibus civitatem omnem devastarunt; et ad cumulum furoris sanctum et venerabile templum sancti Gaugerici incendentes, cum infinita preda ad sua castra reversi sunt. Iterum vero remeantes circa sollemnitatem sancti Petri, urbem Atrebatum devenerunt; omnibus quos ibi repperere interfectis, circuita omni terra ferro et igne cuncta populantes, ad sua revertuntur. Inter hujus seditionis tempestates vocatus episcopus, diem clausit (*an.* 887.) tumulatusque est in æcclesia sancti Autberti.

62. (60.) *Sequitur Dodilo episcopus.* Post Rotradum regendæ æcclesiæ curam Dodilo suscipiens, anno Domini 887 (148) et 16 Kal. Aprilis episcopus ordinatur (*A. Vedast.*). Hic unam juris sui villam, C Buxerias (149) nomine, stipendiariis fratrum qui in æcclesia beatæ Mariæ famulabantur, delegavit.

63. (61.) *Multa scripta, quæ Fulco archiepiscopus Dodiloni episcopo et aliis quibusdam miserit.* De hoc in gestis Remensium pontificum reperimus (Flod. iv, 6), quod Fulco ejusdem sedis archiepiscopus, scripta illi miserit pro placitis sibi ab eo datis, ad quæ minime attenderat, monens et rogans, ut satagat venire ad proximum placitum, ubicunque rex Odo fuerit cum episcopis, quando rem, de qua tunc agebatur, de Hildegarde et Hirmengarde terminare deberent. Accusatores quoque ipsius Hirmengardis, eosque qui presbiterum luminibus privari ac suspendi jusserunt, cum his omnibus, qui D eidem infandæ jussioni paruerunt vel factores hujus sceleris exstiterunt, commoneri faciat [101] et canonice convocari, ut huic conventui se studeant presentare. Item pro eadem causa gratias referens, quia devote ipsius commonitionem susceperit, et ad constitutam diem paratissimus occurrerit. Illud vero succensare videtur, cur, cum de negotiis ecclesiasticis ageretur causa, non per clericum, sed per laicalis ordinis hominem sibi mandare voluisset. Ipse vero domnus

VARIÆ LECTIONES.

[99] W. n. *auctor ipse superscripsit.* [100] Hic — est *auctor ipse addidit.* [101] faciant 1.

NOTÆ.

(146) I. e. crurium.
(147) Errat paululum in tempore; Rotradus obiit a. 887 ineunte, ut apparet e cap. 62, et Arnulfus regnum adeptus est mense demum Novembris exeunte.
(148) A. 888 secundum Ann. Vedast.
(149) Boussy, inter Cambrai et Bapaume. Colv.

Fulco, partim senioris servitio detentus, partim corporeæ incommoditatis molestia prepeditus, juxta condictum venire nequiverat. Admonet etiam eum meminisse debere, qualis ipse erga eum quondam extiterit, qualiter sine rege, sine ullo ipsius parti consulente modis omnibus institerit, ut ad hunc episcopalem perveniret honorem, cum adhuc perfecte notus non esset; ita tamen pro eo egerit, veluti pro fratre carissimo, quia crediderat et credebat in eo simplicem prudentiam, fidem non fictam, firmam et indemutabilem stabilitatem. Speraverat etiam in omnibus sibi cooperatorem et adjutorem fore. Per illam ergo sinceram dilectionem, quam in ipso credebat, eum se dicit monere, mandans ut posthabita omni dilatione vel occupatione, ad condictum conventum episcoporum presens adesse studeat, nulla causa excepta, nisi tantum infirmitate corporea. Personas etiam premissas, quas per alteram significaverat epistolam, commoneri canonice faciat, ut preparatæ ad solemnem cœtum episcoporum die prefixa se satagant presentare. Item cum ceteris coepiscopis Didone Laudunensi, Hetilone Noviomensi, Riculfo Suessorum, Herimando Morinensi, scribens huic presuli Dediloni significat, hos premissos in urbem Remensem convenisse presules, ad tractandum de pervasione Balduini, de quo scripserat eidem Dodilo, admonere illum, ut resipisceret a pravo temeritatis suæ fastu. Sed quoniam idem presul rescripserat, occurrere se eisdem presulibus se nequivisse, quia suum iter Nortmanorum preripuit gladius, ceu de communi conpatitur exitio. Ceterum quod petierat de Balduino, in hoc adquiescit ei, ut admonendo, exhortando et increpando sedulo eum corripiat, ut a sua corrigatur pravitate, divinas ei proponens sanctorum sententias Patrum. Litteras etiam eidem Balduino ab ipsorum episcoporum parte dirigi significat. De quibus hortatur, ut si fuerit in presens, ei recitentur; si absens fuerit, per suum archidiaconum ipsi transmittat, qui etiam eas illum, intelligere faciat. Quod si et eum ille nequiverit adire, litteras ipse publice coram se legi faciat in loco ubi Balduinus religionem pervasit, et deinceps nisi resipuerit, non ei vel monachus vel canonicus vel quilibet rite Christianus adjungatur, si non anathematis vinculo implicari voluerit. Si Hetilo quoque ad civitatem Adtrabatem venerit, Dodilo illi occurrat ut de hac re quod agendum est canonice peragere possint, et quidquid inde fecerint, litteris sibi significet. Hetiloni presuli litteris mandat, ut proficiscatur cum fidelibus regis ad Atrabatem, agens pro posse, quod in alio scripto agendum sibi repperit significatum. Item pro his, quæ a Dodilone Cameracensi patiebatur episcopo, asserens, quomodo pro benefactis ab eo sibi contumeliosa retribuantur, adsciscensque hunc sibi testem, qualiter eumdem Dodilonem paterno simplicique benignitatis affectu ad potiora provexerat; sed et quomodo Rodulfus vir devotus abbatiam quandam in hujus Hetilonis parrochia sitam, Remensi delegaverit æcclesiæ, committens simul eidem [102] corpus beati Calisti papæ et martyris, quod impetratum a Romana detulerat urbe. Intimat ergo, qualiter precatus sit amicabiliter prefatum Dodilonem ad Atrabatense castellum venire, et inde pignera prefati martyris honorifice levare atque usque ad cenobium sancti Quintini deducere (FLOD. IV, 16). Hunc etiam Hetilonem expetierat, ut ad ipsum cenobium occurreret, et tandiu cum sacro comitaretur corpore, donec ipse domnus Fulco veniret, et decenter illud excipere usque ad Remensem valeret urbem deducere, ubi tamdiu servaretur quousque, pace reddita, loco proprio, ipsius Hetilonis parrochia sito [103], restitui posset. At Dodilo cum debuisset agere quod petebatur, e contra filiationis ac fraternitatis posthabita reverentia, in medio occurrens viæ et de manibus gestantium sanctum pignus abripiens, apud se reposuit dicens non illud se cuiquam redditurum, nisi eidem Hetiloni in cujus dinoscebatur fuisse parrochia depositum; et hoc ipsum novæ fraudis argumento gessisse, quo valeret prefatum corpus sacrum cuidam Hucboldo comiti tradere. Quocirca petiit hunc Hetilonem, ut missum suum ad eum dirigat et paterno ac fraterne amore ipsum redarguens corrigat, et in memoriam ei revocet quomodo religionis solius et fidei, quam in eo fore credebat, intuitu illum absque regis aut principis alicujus expectatione in sede pontificali locaverit; moneatque ut a cœpta temeritate pedem revocet, ne aliquid hunc eundem archiepiscopum contra se, quod idem nolit, agere conpellat. Hunc quoque precatur Hetilonem obnixe, ne illi assensum in re tali prebeat, sed justæ parti in omnibus faveat, et thesaurum celestem Remensi æcclesiæ a prememorato viro traditum, urbi ac basilicæ ipsius restitui non solum consentiat, sed etiam totis viribus adjuvet.]

64. (62) *Preceptum quod super res Sanctæ Mariæ ab Arnulfo rege firmari obtinuit.* Denique æcclesiam summo labore gubernans, multis commoditatibus munire exercuit. Illo etiam petente Arnulfus rex præceptum immunitatis hujusmodi sanctæ Dei genitricis æcclesiæ scriptum roboravit : « In nomine Domini nostri et salvatoris Jesu Christi, Arnulfus divina gratia rex. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus, superna gratia nos muniri non diffidimus. Proinde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Dodilo, Cameracensis urbis episcopus, obtulit obtutibus nostris immunitatis beatæ memoriæ antecessorum nostrorum, regis videlicet Pipini ac imperatorum Karoli Magni seu Ludowici, in quibus continebatur insertum qualiter predicti

VARIÆ LECTIONES

[102] ejusdem 1. [103] *deest spatio relicto* 1. 3.

antecessores nostri reges denominatam sedem, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semperque virginis, ob amorem Dei et tranquillitatem fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulavit nos prefatus episcopus Dodilo, ut eorumdem regum auctoritates in amore Dei et reverentia sanctæ Dei genitricis Mariæ nostra auctoritate confirmaremus. Quod ita per interventum venerabilis episcopi nostri Salomonis libenter adquievimus, et ita in omnibus concessimus atque per hoc preceptum nostræ auctoritatis roboravimus. Precipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in æcclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones predictæ æcclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet æcclesia, vel ea quæ deinceps a catholicis viris eidem collata fuerint æcclesiæ, ad causas exigendas aut freda vel mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius æcclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes nequaquam distringendos, vel ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere presumat. Sed liceat memorato presuli suisque successoribus res predictæ æcclesiæ cum cellulis et rebus vel hominibus sibi legaliter subjectis sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi una cum clero et populo sibi subjecto libere Dei misericordiam exorare. Et quidquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius æcclesiæ concinnanda perpetualiter concessimus adhibendum [104]. Preterea constituimus, ne quis dux vel comes atque vicarius, seu quislibet ex judiciaria potestate nostram vel antecessorum nostrorum regum auctoritatem [105] violare presumat. Quod si fecerit, causis regalibus sit obnoxius, et insuper solidis 600 culpabilis judicetur; videlicet ut duæ partes in archivum ipsius æcclesiæ admittantur, et tertiam fiscus regalis noster recipiat, ut nullus tale quid audere [106] deinceps presumat. Quod ita et nos per hanc nostram auctoritatem confirmamus, ut sicut a beatæ memoriæ antecessoribus nostris predictæ æcclesiæ collatum atque firmatum est, ita et deinceps inviolabiliter conservetur. Et ut hæc nostra auctoritas a fidelibus sanctæ Dei æcclesiæ et nostris verius certiusque credatur, manu propria subter eam firmavimus, et anulo nostro jussimus insigniri. Signum domni Arnulfi invictissimi regis. Wichingus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi. Data 8. Idus Junii anno incarnationis Domini 894. indictione 12. anno 7. domni Arnulfi piissimi regis. Actum Wormatiæ in Dei nomine feliciter. Amen [107]. »

[65. (69) *Consecrationi Herivei Remorum archiepiscopi interfuit* (Flod. iv, 11). Hic ordinationi Herivei archiepiscopi cum ceteris interfuit, scilicet Riculfo Suessorum episcopo, Olgario Ambianensi, Mantione Catalaunensi, Rodulfo Laudunensi, Olfrido Silvanectensi, ceterisque diocesaneis consensum prebentibus et decretum hujus ordinationis corroborantibus. [(64.) Hic autem exstructis muris, menia urbis in tantum ampliavit, ut monasterium sancti Autberti, quod extra erat, infra murorum ambitum cohiberet. Monasterium etiam Dei genitricis Mariæ ædificatum Kalendis Augusti sollemniter consecravit, tabulamque altaris argenteam quam nostris diebus vidimus, sciphumque argenteum, quem diebus festis subdiaconi in manibus ferunt, calicem quoque, cum aliis quoque ornamentis æcclesiæ fecit. Monasterium etiam Laubiense adhibito secum Stephano Leodecensi episcopo consecravit (150). Qui inter hæc morte preventus, diem clausit in ipsoque sanctæ Mariæ monasterio ad septemtrionalem plagam sepultus est.

66. (65) *Stephanus sequitur, qui in sinodo cum Isaac comite coram archiepiscopo pacatur.* Dodiloni successit Stephanus in sedem pontificalem, vir tam æcclesiasticis quam secularibus disciplinis sufficienter instructus, qui res ejusdem sedis æcclesiæ amplioravit et preceptis regiis confirmavit. [(Flod. iv, 19.) Hic interfuit sinodo quam habuit Seulfus Remorum archiepiscopus, successor Herivei, in villa Troslegio (*an.* 924). Cum episcopis Remensis dioceseos affuere nonnulli quoque comites. In qua et Isaac comes ad satisfactionem venit, pro his quæ prave perpetraverat adversus æcclesiam Camaracensem, quoddam castellum Stephani, presulis ejusdem urbis, dolosa comprehensum pervasione

VARIÆ LECTIONES

[104] c. ad habendum *charta originalis quam vidit Colv.* [105] *hanc vocem auctor ipse adscripsit; deerat in charta originali teste Colv.* [106] videre 1. 3. [107] *Post hanc vocem auctor ipse signum posuit* ☧ ┼, *et in scedula assuta, eodem signo repetito, scripsit verba :* Hic autem exstructis — plagam sepultus est. *Sed statim postea ipse se corrigens, eodem atramento lineam duxit in margine ab illo signo ad vocem* corroborantibus; *ita indicans, additamentum illud non capiti* 64, *sed* 65. *adjungendum. Ad hanc lineam non attendens,* 3 *illud additamentum capiti* 64. *annexuit;* 2. *vel saltem Colvenerius exhibet quidem post c.* 65 *sed novum caput inde facit, de suo titulum addens, quem nec* 1. *nec* 3. *habet.*

NOTÆ

(150) Cf. Folcuini Gesta abb. Lob. 18. Facta est consecratio post a. 901, quo anno Stephanus Leodiensem episcopatum suscepit. Obiit igitur Dodilo inter a. 902-911.

succendens. Proquo facinore vadatus in hac sinodo, centum libris argenti pacatur cum prefato Stephano episcopo, satagente Heriberto et aliis qui aderant Frantiæ comitibus.]

67. (66.) *Hujus obtentu Karolus rex super prebendas fratrum, Sanctæ Mariæ hanc immunitatem restauravit.* Hoc etiam petente, Karolus rex super prebendas fratrum sanctæ Dei genitricis æcclesiæ preceptum, quod deflagrata civitate perierat, renovavit hoc modo : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus divina propitiante clementia rex Francorum, vir illustris. Quotiens utilitatibus æcclesiarum et commodis Deo serventium rationabiliter providemus, hoc nobis tam ad corporis quam animæ salutem, quamque ad stabilitatem regni totius nobis a Deo collati et conservandi, provenire posse peromnia confidimus. Porro autem nosse volumus omnium fidelium nostrorum strenuitatem, tam presentium, quam quoque futurorum, quod vir venerabilis Stephanus, sanctæ Cameracensis æcclesiæ presul, nostram adiens magnificentiam significavit nobis, clericos jam dictæ sedis suæ habere quidem res ejusdem episcopii suo victui delegatas, super quibus etiam regale preceptum, olim largiente Zuentebolcho rege, habuerant ; sed eadem civitate deflagrata, preceptum, quoque voracibus flammis absumptum est. Hujus ergo rei negotio nostræ pietati supplicavit humiliter, quo illud dampnum nostra instauraremus munificentia. Quod etiam facere pro Dei amore ac fratrum inibi Deo famulantium libenti adquievimus mente et ex rebus, quas hactenus quoquo ordine juste et legaliter possident, hanc eis autoritatem innovari pro tutamento jussimus. Precipientes ergo edicimus, quatinus prefatæ clerici æcclesiæ domos quidem proprias, quas habent in civitate, quibusque voluerint, in congregatione tamen ejusdem loci, hereditario duntaxat jure sive per venditionem et emptionem seu per commutationem aut plane per traditionem sibi invicem libere pro voto concedant. Porro territorium monasterii, quod fuit extra urbem ; pariter et villas suis usibus deputatas, scilicet pago quidem Cameracensi Carneres (151), Lis (152), Venzenzias (153), Muntiniacum (154), Gualtercurt (155), Gundreceias (156), Hainoensi vero comitatu Oninium [108], Virmandensi autem Toriniacum ; porro Suessonico Carisiolum ; simul cum mancipiis utrius-

A que sexus, cum terris cultis et incultis, pratis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, cambiis, silvis, et omnibus ad res fratrum predictas pertinentibus, modo et deinceps in perpetuum tam presentes quam et futuri ejus loci successores clerici teneant atque possideant, habentes potestatem jure tantum hereditario ex eis facere quidquid communi decreto per unanimem consensum juste delegerint. Sane si, quod minime arbitramur, aliquis huic nostro obvius decreto quidlibet aut injuriam agere nisus fuerit, sexcentis solidis culpabilis judicetur, ita ut duæ horum partes ejusdem loci fratribus

B cedent, et tertiam fiscus recipiat regis ; et insuper quod inique molitus est, evindicare nullatenus valeat, ut nemo jam tale quid usurpare presumat. Et ut hujus edicti auctoritas ineluctabilem perenniter obtineat vigorem, manu eam roboravimus propria, et anuli nostri digna illustratione jussimus condecorari. Signum Karoli regis gloriosissimi. Hugo regiæ dignitatis notarius ad vicem Herivei archiepiscopi subnotavit. Datum 13. Kal. Januarii, indictione 14, anno 19, regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante 14, largiore vero hereditate indepta I (*an* 911, *Dec.* 20). Actum villa Cruztiaco

C in Dei nomine feliciter. Amen. »

68. (67,) *Preceptum, quod rex super abbatias, quas contulit* [109] *huic episcopo, confirmavit.* Idem etiam Karolus rex abbatias, Marellias (157) videlicet et Crispin (158), obtentu comitum quos paulo post dicturi sumus, viro huic concessit, et super hujus rei negotium preceptum roboravit hujusmodi [110] : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus divina propitiante clementia rex Francorum. Christianæ conversationis religio bipertito videtur regimine subsistere, regali utique et sacerdotali. Ergo

D saeerdotale decet regiis augmentari ac sublimari honorum munificentiis, quod regalis diu dignitas resideat in solio regni sub æquitatis virga, juxta quod Deus de se in sapientia loquitur : « Per me reges regnant et judices legum decreta discernunt. » Hac de causa noverit omnium sanctæ Dei æcclesiæ fidelium religiositas, quia comites venabiles Hagano ac Rodulfus nostram adeuntes serenitatem humiliter expetierut, ut sanctæ Cameracensis æcclesiæ, cui preest presul Stephanus, vir quippe totius regni strenuus, ad sanctam Dei genitricem Mariam largiremur [111] sub perpetua seculi subjectione,

VARIÆ LECTIONES,

[108] *ita charta originalis* ; omnium 1. [109] commisit *e corr. manus s. XIII. habet* 1. 4. [110] *charta ipsa intercidisse videtur : apographum s. XIII. vel XIV. vidi in archivo Insulensi ; neque Colvenerius habere potuit nisi apographa duo in archivo Cameracenci.* [111] committeremus 1. *ex corr. ejusdem manus sæ. XIII*; et 3

NOTÆ.

(151) Carnières.

(152) Aut Vieislis aut Neuveslis, ad rivum Selles, quatuor leucis a Cameraco distans. Colv.

(153) Venzenzias, sive Venzelzeias quod habet charta originaria adhuc Cameraci exstans, locus fuit ubi postea ædificatum est Château-Cambrésis. Fortasse autem significatur Vendegies-sur-Ecaillon. Le Glay.

(154) Montigny.

(155) Postea Wahiercourt, villa diruta inter Ribecourt et Marcoing olim sita, in agro cui adhuc nomen Wiercourt remansit. Le Glay.

(156) Honnechies, prope Câteau-Cambresis. Le Glay.

(157) Maroilles.

(158) Crepin, prope Condé.

in pago Hainoense super fluenta Helpræ abbatiunculam dictam Marellias [112], ubi jacet sanctus Hunbertus corpore, in æcclesia quæ est in honore sancti Petri dedicata. Nos itaque illorum cognoscentes congruam esse petitionem, devote eandem abbatiunculam cum suis omnibus adjacentiis delegamus ad predictam sedem sanctæ Mariæ perpetualiter ibi habendam. Dehinc et venerabilis comes Sechardus expetiit ipse, ut in pago prefato Hainou super flumen Hon abbatiunculam dictam Crispin [6] ubi jacet sanctus Landelinus in æcclesia honore sancti Petri dicata, quam abbatiunculuam idem dictus Sechardus beneficio habebat, concederemus sanctæ Mariæ ad prescriptam sedem Cameracensem, perpetualiter, ibi habendam [113] cum suis omnibus adjacentiis. Et ita fecimus. Verum precatu predictorum comitum permittimus ob remedium animæ nostræ prescripto antistiti Stephano, in locis suæ concessis æcclesiæ [114] hoc est Marellias seu Crispin, mercatum statuere et teloneum inde capere. Et circum ista loca, quantum unius leugæ tetenderit spatium, neque comes neque ulla judiciara postestas freda exercendi potestatem habeat; neque quilibet presentium vel succedentium de illis dictis abbatiunculis sanctæ Mariæ Cameracencis æcclesiæ temptet facere abstractionem, subreptionem, divisionem, refragationem, inquietudinem, contradictionem, prejudicium, violentiam; sed cum villulis suis ac earum continentiis, videlicet æcclesiis, ædificiis, silvis, pratis, pascuis, terris, aquis aquarumque decursibus farinariis, piscationibus, perviis, vineis, mancipiis desuper commanentibus, et quicquid ibi in omnibus rebus juste et legaliter appendit, habendum possidendum [115] sanctæ Mariæ ad supradictam sedem radimus; faciantque rectores ejus acclesiæ [116], exinde, quodcunque sua suorumque poposcerit utilitas. Unde hoc preceptum firmitatis industria facium, manu firmamus nostra ad opus sanctæ Mariæ [117], et anulo nostro jussimus sigillari. Signum Karoli regis incliti, Gauzelinus notator vice Rotgeri archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Datum 6. idus Septembris, indictione 8, anno 28, regnante Karolo rege glorioso, redintegrante 23, largiore vero hereditate indepta 9 (*an.* 921, *Sept.* 8). Actum in palatio Heristallo feliciter. Amen. »

69. (68.) *Domnus Stephanus cursu consummato migravit a seculo.* Episcopus iste ex Alsatio pago natus, ex rebus sui juris æcclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, cui ipse Deo auctore preerat, heredem fecit. A regibus multa optinuit, quæ eidem æcclesiæ contradidit: familiam multam contulit; res preterea quasdam, quæ in episcopo subtractæ fuerant æcclesiæ, redintegrari laboravit. Hic in terra nativitatis suæ morte preventus, de qua se ad sedem propriam reportari jussit, clausit diem anno Donicæ incarnationis 934. 3. Idus Februarii (159).

70. (69.) *Subintroducitur Fulbertus episcopus.* Domino Stephano Fulbertus succedens, faventis et suffragantis Gisleberti ducis obtentu, cathedræ pontificalis prærogativam adeptus est. Hic [118] ex pago Brabatensi, de villa videlicet Wiluva (160) ortus, vir quide in bonis moribus instructus, sanctæ Dei æcclesiæ sedem multis commodis munire semper laboravit.

71. (70) *Contentio inter Isaac superbum comitem et Fulbertum episcopum; tamen victore episcopo comes expellitur.* Tunc temporis Isaac comes abbatiunculam beati Hunberti, cui, ut paulo superius diximus (c. 68), episcopum Stephanum rex Karolus prefecerat, possidebat, ipsamque regiam ac locupletem abbatiam sanctissimi Gaugerici cum omnibus appendiciis sibi beneficiatam de regio jure tenebat [119], dimidium scilicet Cameracæ urbis castellum, cum medietate quoque publicorum vectigalium simulque etiam cum altera moneta. Et quia urbs sub diversitate biremis dominii agebatur; ea siquidem naufragante aliquando rectores ipsi inter se ortis simultatibus collidebantur. Semper enim inter ministros eorum pro rebus exigendis audiebatur confragosa seditio, semper excrescebat violenta atque gravis utrimque tumultuatio; quæ paulatim graviore motu excitata, eo usque processit ut in arma plerumque moverentur. Hæc itaque et hujusmodi comes magnanimus impatienter accipiens, in iras furibundus pre nimia indignatione excandut, tantique turgoris cervicem adversus domnum pontificem erexit, ut eum quadam die una cum suis sede relicta mandaret quantotius aufugere, solus videlicet postea totius urbis indiscrete negotia possessurus. Unde presul perterritus, tamen Dei clementia fisus, tam superbæ

VARIÆ LECTIONES.

(111) *ita omnes codices et, alterum ex apographis chartæ quæ vidit Colvenerius.* Maricolas *apographum Insulense et altirum Colvenerii. Post hanc vocem eadem illa manus s. XIII. addit* tuendam ; *idem habet* 3. *ejusdem manus s. XIII : et* 3. 5. 113 respiciendam 1. *e corr.* 114 *ita* 1. *scripserat. Sed manus illa s. XIII. erasis verbis* ob — æcclesiæ, *in rasura scripsit* ob r. a. n. duabus prescriptis ecclesiis. hoc est M. Idem habet 3. 115 *erasis* hab. poss. *manus illa scripsit* conservandum amplificandum. *Idem habent* 3. 5. 116 *erasis* rectores e. a. *illa manus scripsit* fratres ipsarum ecclesiarum. *Idem* 3. 5. 117 *erasis* s. M. *manus illa scripsit* fratrum. *Idem* 3. 5. 118 Hinc 1. 119 possidebat — tenebat *in rasura auctor ipse.*

NOTÆ.

(159) Eumdem diem habet Necrol. Beatæ Mariæ Cameracensis s. XII. Sed Flodoardus in Annalibus hæc habet sub a. 933: *Artoldus archiepiscopus Fulbertum urbi Cameraceni præsulem ordinat;* cf. Flod. A. Rem. IV, 24 et Flodoardus annum ut noster a nativitate Christi, non a pascha incipit.

(160) Infra III, 49. *Wileve* dicitur. Fortasse est parochia Woluensis, ubi situm est monasterium Rubævallis. COLN. Rivus quoque prope Vilvorde Woluwe appellatur.

ussioni obtemperaturum se es se spopondit; sed ut tamen probrosus sui perfugii pudor populum lateret, vel usque in noctem indutias poposcit. Qui nec difficile ita accedit, eo sane tutior, quia nequaquam eum tanti estimabat, ut sua jussa auderet eludere. Hoc igitur impetrato, in diversas partes episcopus ancipitem animum rapit; quidnam prius in tantis et tam subitis perturbationibus intendere possit, quærit. Nec mora, divino consilio usus omnes amicos atque fideles infra indutiolam hanc cum omni studio jussit tacitus convocari, eorumque suffragio suæ curæ consuluit. Nam nox illa tanti copiam exercitus ei peperit, ut, Deo volente, versa sententia hostem incautum diluculo extra civitatem compelleret, ipseque cum suis in propria sede conpos animi resideret. Post hæc vero aliquot diebus interpositis comes reversus, collecta valida manu, resumptis viribus urbem repetiit, multasque inquietudines ingerens, episcopum aliquandiu lacessivit. Denique etiam alternis conflictibus gravis inter se contentio adolevit.

72. (71.) *Quod, ubi imperator Otto precibus regis Luduwici super hostes satisfecit, Cœmraci Fulbertum visitavit.* Interea (*an* 938) Gallorum princeps, Hugo videlicet qui dicebatur Magnus, Willelmus quoque Rotomagensium dux ferocissimus, regem suum Luduwicum assidua infestatione inpugnabant, diuque inter se utrinque sine intermissione dimicabant. Videns autem rex non posse se absque aliena ope inimicorum superare sævitiam, imperatorem, Ottonem videlicet Heinrici regis filium, cujus sororem Gerbergam matrimonio duxit sibi adjutorem adstringere estimavit, missisque oratoribus ad id negotii cum precibus invitavit. Qui continuo fraternis monitibus familiariter accinctus, duces suos ac principes bello parari precepit; paratisque viaticis, absque dilatione juxta precatum castra movit (*an.* 946); sicque primo Parisium, deinde Rotomagum usque perveniens, omnes vicinias devastavit, ibique satis miserandam pestem edidit. Exin vero exhaustis ultione hostibus, cum repatriare deberet, in ipso quidem reditu in urbem Cameracensium castra metari disposuit, visitaturus quippe, quomodo domnus Fulbertus episcopus in rebus æcclesiasticis se haberet.

73. (72.) *Otto imperator abbatiam sancti Gaugerici episcopo confert et inde preceptum subjectum corroborat.* Ubi cum perventum est, domnus episcopus quam familiariter eum excepit, amicisque obsequiis summa cum veneratione deserviens de incussionibus a comite prelibato sibi inrogatis cum supplici querimonia proclamavit. Qui causis auditis, molestias episcopo illatas, sicuti pius, perinde atque episcopus ipse indoluit; suorumque competenti consilio usus, secundum legis publicæ judicium pri-

A vato comite, abbatiam sancti Gaugerici ex integritate supradictarum rerum, unde videlicet contentio cœperat, sed et alteram abbatiam, quam supra diximus (161), sanctæ Dei æcclesiæ genitricis Mariæ in perpetuum habendas contradidit. Super quod scripta confirmavit hujusmodi: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto, divina propiciante clementia rex. Noverint omnes fideles nostri præsentes scillicet et [120] futuri, qualiter pro Dei amore et sanctæ et intemeratæ semper Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, necnon et animæ nostræ salute, interventu quoque fidelium nostrorum, scilicet Fridurici archiepiscopi et dilecti germani nostri Brunonis et Cuonradi ducis atque Herimanni ducis et ceterorum B fidelium, concedimus a die presente et hora sanctæ Mariæ ad sedem Cameracensis æcclesiæ, cui venerabilis Fulbertus episcopus; Deo annuente, presidere videtur, abbatia sancti Gaugerici omnem ex integro, cum omnibus rebus et possessionibus domi extraque pertinentibus, sicuti juris nostri hactenus juste ac legaliter visa est fuisse; concessa pariter omni publica functione vel exactione ad jam fatum sancti monasterii locum pertinente. Ut nullus comes vel quilibet rei publicæ minister illic potestatem habeat aut mallum tenendi vel bannum vel freda exigendi aut aliquam districtionem faciendi, sed per omnia ita sub potestate sint episcopi, qui, Deo prestante, per successionem eidem prefuerit C æcclesiæ, deinceps et in perenni tempore, sicuti usque modo juris fuerunt potestatis nostræ. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per succedentium curricula temporum inrefragabiliter firmiorem in Dei nomine optineat vigorem, manu propria nostra subtus eam firmavimus, et anuli nostri impressione corroborari precipimus. Signum domni Ottonis invictissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Rotberti archicapellani recognovi. Data 2 Kal. Maii anno Dominicæ Incarnationis 947, indictione 6, reggante pio rege Ottone anno 14. Actum Aquisgrani palacii in Domino feliciter. Amen.»

74. (73.) *Amulricum comitem et filiam Isaac quam matrimonio sibi duxit, episcopus pio consanguinitate* D *sejunxit.* Alter itidem comes ex pago Hainou, Amulricus nomine, vir genere nobilissimus et juxta secularis gloriæ pompam fortunatissimus, filiam Isaac æque comitis prefati duxit uxorem. Multis autem internoscentibus atque deferentibus conperiens Fulbertus episcopus, eos, sponsum videlicet et sponsam, proximæ cognitionis consanguinitate propinquos et ideo contra legem copulatos, facto consilio canonice ab invicem sejunxit, datoque pœnitentiæ modo, hoc tantum scelus admissum expiari precepit. Quod parentes atque amici moleste sed et

VARIÆ LECTIONES

[120] *deest* 1.

NOTÆ.

(161) Marseilles, c. 68.

dolenter ferentes, modo minarum asperitate episcopum perterrefaciunt, modo tamen precibus et preciosis muneribus conveniunt; quin etiam uberrimas hereditates sanctæ Dei æcclesiæ promittunt ut sive scilicet eorum minis coactus, sive promissorum munerum affectatione in aliam sententiam flexus, disjunctos fortasse reconjungeret, inconvulsosque amodo manere permitteret. Hujus rei suggestione episcopus commotior factus, quia in ipso timor Domini preponderabat, minas posthabuit, et ne a norma canonicæ legis pretio emptus forte desesceret, promissa calcavit; immo et juxta prophetæ increpationem, nolens animas quæ moriuntur B vivificare (*Ezech.* XIII, 19), precibus eorum minime adquievit, sed totius auctoritatis judicio in perpetuo segregavit. Unde liquido apparet quod nullus turbo minarum a proposito legis movere valebat, nulloque appetitu munerum sæcularium captabatur, quomodo hi, quos hodie aut terrore vel favore potentioris personæ coactos, aut lucris avaritiæ inhiantes, ausim dicere, æcclesiasticæ institutionis disciplinam malis operibus depravare sæpe conspicimus.

75. (74.) *Quod Hungari, hac vicinia devastata, ad urbem usque venerunt. Quam cum non possent expugnare omne suburbium cum templo sancti Gaugerici combusserant.* Sub iisdem diebus (*an*, 953) Hungari per regiones hujus provinciæ male sæviebant C Christianos captivabant, profanatisque sacris cultibus, æcclesias incendebant. Quo perterritus Fulbertus episcopus, impigre imminentem ruinam previdens, urbem attentiore cura muniri exercuit et in monasterium sanctæ Mariæ beatissimum Gaugericum, thesaurum videlicet preciosissimum, recondidit; presaga siquidem mente suspicatus, quod mox rei probavit eventus. Nam aliquot post diebus interlapsis, anno videlicet ab Incarnatione Domini 953, 8 Idus Aprilis, ipsi Hungari promptiore impetu bellatoriam disciplinam preferentes, huic urbi advolarunt, triduoque immorati, totius generis pestem ediderunt. Siquidem nostris, quia adversum tot erant paucissimi, intra tuta murorum receptis, D suburbana nullis resistentibus adurunt ædificia, diripiunt civium patrimonia; denique prosperis successibus læti studia prelii munitionibus urbis advertunt, temptantesque irruptionem, nostris tamen acriter defensantibus, minime proficiunt. Itaque fatigati, non procul ab urbe fixis tentoriis in prata videlicet juxta Scalth fluvium concedebant, quiete ciboque curandi, posthac urbis excidio reversuri. Non usquequaque tamen nostri octiosi fuere nec inulta civitatis omnino passi, dispendia. Ubi enim hostibus paululum remotis, nepotem regium cujus nomen excidit, virum videlicet bellicis artibus preditum, cum paucis novissimum incedere de muris prospiciunt: mox quidem Odo, vir acris consilii et mente promptior, sociorum aliquot audaA ciores, quibus affectus patriæ ruinæ contemptum mortis infuderat, legit, hostemque in compendiario intereeptum tramite subito persecuntur. Qui circumfusus multitudine, dum cedere pudoris estimavit, utpote vir animi inmodicus, refugientibus sociis in prelium ruit; moxque a latere circumventus, nostrorum tamen dispendio, absciso capite obtruncatur. Unde victoriam adepti, caput astæ defixum in summo muro, illis lætum, suis miserabile spectaculum, suspenderunt. Audito, rex Bulgio — sic enim dicebatur — furore accensus, casum amici miserabiliter ingemuit; solitoque acerbior nepotis mortem ulcisci gestiens, urbem cum suis repetiit. Tum vero satis acriter illis quidem foris furentibus, istis vero intus fortiter resistentibus, utrimque diu certatur, omnique genere telorum decernitur. Illos dolor fraterni capitis pertinaciter accendebat, his amor patriæ et ultima spes audaciam ministrabat. Et dum id geritur, merens episcopus modo Dei genitricem precibus exagitat, coramque beatissimi Gaugerici feretro procumbens, dignetur esse defensor crebro ingeminat; modo vero per propugnacula cursitans, suos viritim confortat et iustruit, viriliter dimicent, invincibiles pugnent; Dei enim esse contra alienigenas pugnam, illi futuram victoriam. Interea fessis dum ad interruptionem nihil succederet, solvere obsidionem consultius estimarunt; suamque fidem veniæ et salutis obsidem offerentes, istam pactionem, incertum dolone an fide conpositam pretenderunt, ut, si videlicet sibi caput redderetur, ipsi omnem predam et omnes captivos, sed et omnia quæcumque in hac vicinia rapuerant, usque ad minimum restituerent, posita deinde pugna pacem compondituri. Hi vero magis dolo suspecti, exorata refutant. Quo Hungari amplius et inrationabiliter efferati, incendere templum leviori negotio arbitrati sunt; murorumque expugnationem declinantes, ad fastigia templi tela ardentia certatim jaculantur. Ad hoc nostris tandem quædam mentium fuit consternatio, gravisque pre timore defectio prevalere hostes, non habere sibi locum defensionis. Sane illis sine intermissione jaculantibus, jam victor ignis pene inrecuperabiliter tecta teneret, nisi quidam ex clericis, Seraldus nomine, Dei credo virtute roboratus, sumpto secum aquæ vasculo cito super templum ascenderet. Qui resticulis nixus, quas desuper trabibus clangorii (162) artificiose innexuit, sparso latice ignem extinguebat, volucrique studio super culmina cursitans, operam omnem hostium eludebat. Mirabile dictu. Sane in conspectu adversariorum discurrens et vulneri patens, sed quos res ipsa indicat, meritis beatissimæ Dei genitricis et sancti Gaugerici interventione protectus, sua opera ab excidio templum eripuit. Hinc animi nostrorum erecti, divinum siquidem auxilium sentientes, formidinem ponunt, ac validioribus animis

NOTÆ

(162) Campanile

ad renitendum incombunt. Itaque hostes cum impossibilitatem vincendi ullo modo cernerent, cum pudore et dolore ab obsidione desistunt; sed quod in suburbio intactum ante reliquerant, cum furore perurunt. Si quos autem bello habiles forte deprehendissent, continuo jugulabant; quod vero neci et igni superfuisset, captivitati reservabant. Post hæc etiam, quod gravius est et magis lugendum, decoram et venerabilem basilicam sancti Gaugerici, ut scilicet superbis edificiis exterius insignitam, ita etiam intérius multis pecuniis rati refertam, facto agmine nitebantur irrumpere; sed obstinatissime renitentibus canonicis cum multitudine vulgi, non poterant effectum habere. Unde quidam incendendum minabantur; multi vero propter plumbea tecta difficultatem videntes, potius relinquendum estimabant. Cedebant ergo tantæ difficultati, et jam abscedebant, cum furiosus quidam ex clericis in clangorio sedens in medio sagittam contorserat. Quo acriter exasperati ampliore numero pro ulciscenda injuria ad monasterium refluunt: factoque diu impetu, tandem irrumpentes, multos de populo, quos intus reppererant, sternunt; ex clericis quoque Ansfridum, Anselmum, Grinbertum, Teodericum, Gentionem exanimant. Novissime vero intra laquearia ignem ponentes, venerabile templum tamen diuturno et difficili negotio subverterunt, adeo sane, ut ambustis sublimis structuræ ædificiis, lamentabile dictu, culmina cum vasta ruina devolverentur, plumbique, quo summa desuper tecta cooperiebantur, liquefacti rivus huc illuc per declivia quæque decurrens, plateis quidem natantibus, fossas impleret in circuitu. Posthæc congregatis captivis, cum infinita preda abscesserunt.

76. (75) *Ubi sanctum Hermetem pristino loco restituere studuit.* Danis quoque circa istam provinciam non minus furentibus, et ut liquet ipsas historias legentibus, sanctas Dei casas incendentibus, beatus Hermes martir Christi, quem papa Alexander Romæ baptizavit, de Ronasce (163) villa Brabatense, de monasterio videlicet quod beatus Amandus construxit, ad monasterium villæ Ende (164), quæ juxta Aquisgranum sita est, primo asportatur; deinde vero Coloniam usque translatus, non pauco ibidem tempore demoratur. Unde intercedentibus aliquot annorum curriculis, inter utrumque clerum, id est, inter Rotnascenses atque Endenses, magna exorta est disceptatio. Danis enim remotis rebusque sanctæ Dei æcclesiæ in prosperitate restitutis, Romascenses suum moliuntur referre patronum; Endenses vero unanimiter refragati retinere contendunt, utpote videlicet preciosum thesaurum. Hæc igitur altercatio inter sea liquandiu processit. Rotnascenses autem consilio saniore preventi, domnum Fulbertum pontificem suppliciter adierunt; suæque deplorationis seriem inculcantes, obnixe implorarunt, ut quia de parrochia ejus translatus fuerat, ibi etiam a violentis extortum sanctum martirem reportari cum omni labore contenderet. Horum itaque causam competentem previdens episcopus, omnimodo laboravit, quoadusque beati martiris glebam ad proprium locum referri coegit. Pro tanti ergo beneficii recompensatione predicti fratres villam, quæ ab incolis Newehova (165) nuncupatur, sanctæ matri æcclesiæ Cameracensium libenter contulerunt.

77. (76) *Otto rex immunitates sanctæ Mariæ renovans, teloneum hujus civitatis cum moneta episcopo contulit.* Petente ipso pontifice, Otto imperator auctoritatem immunitatis, quam antecessor suus Karolus super sedem Cameracensium fixit, inrefigendam etiam confirmavit; eique insuper omne teloneum cum moneta ipsius civitatis contradens, postmodum omnes fiscalium functionum mutilationes per subjectam hujusmodi testamenti paginam sequestravit: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Otto divina propiciante clementia rex. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus, divini cultus amore favemus, superna gratia nos muniri nequaquam diffidimus. Proinde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam presentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Fulbertus, Cameracensis urbis episcopus, obtulit obtutibus nostris immunitates beatæ memoriæ antecessoris nostri Karoli, in quibus continebatur insertum, qualiter predictus antecessor noster Karolus rex nominatam sedem, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semperque Virginis, ob amorem Dei et tranquillitatem fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuisset [121]. Pro firmitate tamen rei postulavit nos prefatus episcopus Fulbertus, ut ejusdem regis auctoritatem in amore et reverentia sanctæ Dei genitricis Mariæ nostra auctoritate confirmaremus. Quod ita per interventum dilecti episcopi nostri Rihharii (166) libenter adquievimus, et ita concessimus atque per hoc preceptum nostræ auctoritatis roboravimus. Precipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in æcclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones predictæ æcclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet æcclesia, vel ea quæ deinceps a [122] catholicis viris eidem collata fuerint æcclesiæ, ad causas audiendas, aut

VARIÆ LECTIONES

121 habuissent 1, 3. 122 *deest* 1.

NOTÆ

(163) Renaix, Flandrice Ronse; inter Oudenarde et Grammont.

(164) Inda vel Cornelismunster.

(165) Nieuwenhoven, prope Grammont et Ninove Colv.

(166) Leodiensis. Colv.

freda vel mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius æcclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes nequaquam distringendos, vel ullas retributiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere presumat. Sed liceat memorato presuli suisque successoribus res predictæ æcclesiæ, cum cellulis et rebus vel hominibus sibi legaliter subjectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi una cum clero et populo sibi subjecto libere Dei misericordiam exorare. Et quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius æcclesiæ concinnanda perpetualiter concessimus ad habendum. Insuper nostra largitione concedimus prefato episcopo et successoribus ejus omne teloneum cum moneta civitatis suæ Cameracensis, eo videlicet tenore, ut novem partes episcoporum usibus deputentur, decima vero pars ad usus fratrum ejusdem congregationis perpetualiter in elemosina nostra proficiat. Præterea constituimus, ne quis dux vel comes atque vicarius seu quislibet ex judiciaria potestate nostram vel antecessorum nostrorum regum violare presumat constitutionem [123]. Quod si fecerit, causis regalibus sit obnoxius, et insuper solidis sexcentis culpabilis judicetur; videlicet ut duæ partes in archivum ipsius æcclesiæ admittantur, et tertiam fiscus regalis noster recipiat; ut nullus tale quid audere deinceps presumat. Quod ita et nos per hanc nostram auctoritatem confirmamus, ut sicut a beatæ memoriæ antecessore nostro predictæ æcclesiæ collatum atque firmatum est, ita deinceps inviolabiliter conservetur. Et ut hæc nostra auctoritas a fidelibus sanctæ Dei æcclesiæ et nostris verius certiusque credatur, manu propria subiter eam firmavimus, et anulo nostro jussimus insignari. Signum Ottonis serenissimi regis. Bruno cancellarius ad vicem Rotberti [124] archicapellani recognovi [125]. Anno 5 regnante Ottone serenissimo rege (*an.* 940). Actum est Ingelcheim [126] in Dei nomine feliciter. Amen. »

[78. (77.) *Quod petenti regi sanctum Gaugericum et sanctum Autbertum episcopus sanctum Theodericum et alii viri corpus contulit (V. Auth.)* Otto iste gloriosus princeps eo tempore circa instructiones ac restaurationes æcclesiarum exercebatur attentior; jamque quattuordecim pontificalis magnificentiæ sedibus conditis, quandam etiam metropolim Magadaburch vocabulo struxit. Cui enim ab episcopis suis multa sanctorum pignera impetrasset, Fulbertum episcopum sanctorum Gaugerici videlicet atque Auberti corpora sibi dari postulavit; felicissimam sane arbitratus suam fore metropolim, si tantorum confessorum patrociniis fulciretur. Hujus vero petitionem episcopus declinare formidans, incerto hæsit; sed tamen beneficiis, quæ multa jam ei prestiterat, ut diximus, ne [127] videretur ingratus, suæ petitioni effectum promisit. Qua in re presul anxius, in diversa parte animum ancipitem flectit; vidensque difficultatem negotii, sive donet sive neget, utrumque sibi fore periculosum advertit. Si enim neget imperatoris benivolentia offensum iri; si vero donet, suæ provinciæ futuram perniciem, utpote viduatæ patronis, per quos et temporalem meruit salutem et celestem sperat beatitudinem. Inter hæc medius pontifex, tandem sibi provida ratione consuluit, paucisque suorum quibus secreta credebat abhibitis, clam duorum sacerdotum corpora, sancti videlicet Teoderici episcopi, de quo supra diximus (*c.* 49), et alterius cujus nomen excidit (167), detectis sepulchris accepit; feretrisque honorifice involuta, cum aliquot etiam articulis sancti Autberti, imperatori concessit.] Quod si quis latius scire desiderat, librum quem Fulbertus doctor karissimus de vita sancti Autberti, jubente domno episcopo Gerardo, inscripserit, legat. Hoc autem absque Dei pia dispositione contigisse non dicam, cum etiam beatus vir Domini Theodericus hanc remunerationem a Domino et venerationem a populo mereretur, et ne nostra provincia suis defensoribus privaretur; quos etiam si subducere vellet, fateor quidem nullo modo posset. Quem enim sensum cives habituros existimas, si advocatum suum Gaugericum eripi sibi cernerent, per quem felix civitas Cameracus feliciter illustrata, nomen suum propagavit ubique gentium? Immo ne ipsi quidem imperatori, credo, vivi cederent.

[79. (78.) *Quod in sinodo apud Engulenhein testimonio et auxilio Fulberti Artoldus restituitur, et Hugo expellitur* (Flod. iv, 35). Apud Engulenhein sinodo congregatæ coram ambobus regibus, Ottone videlicet et Luduwico, cum Marino Romanæ sedis vicario unaque etiam cum multis coepiscopis Fulbertus interfuit (*an.* 948); ubi series litis pro episcopio Remensium inter Artoldum et Hugonem ventilata est. Ubi vero cum ipse Artoldus, absente quidem Hugone æmulo, coram regibus et omnibus qui aderant suæ

VARIÆ LECTIONES.

[123] *deest* 1, 3. [124] Ruodperti *charta orig.* [125] *posthæc charta originaria teste Colvenerio habet :* Data III Kal. Junii, anno autem ab Incarnatione Domini nongentesimo XL, indictione XIII, *quæ noster minus accuratus omisit. Sed in die errorem inesse oportet. Nam 4 Kal. Jun. Otto duas chartas dedit in civitate Salze, quare die sequenti non potuit apud Ingelheim versari.* [126] ingele 1. [127] *deest* 1.

NOTÆ.

(167) Rofradi, secundum Molanum. Natal. SS. Belgii, 5 Aug.

reclamationis querelas protulisset, introgressus quidam Sigebaldus, premissi Hugonis clericus, attulit litteras, quas Roma detulerat, quasque jam in alia sinodo Mosomi propalaverat; asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas. Qui domnus precepit [128] eas coram sinodo recitari. In quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Wido episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Belvacensis, Rodulfus Laudunensis, Fulbertus Cameracensis, ceterique cuncti Remensis dioceseos episcopi, easdem litteras ad sedem delegaverint apostolicam pro restauratione Hugoni in sede Remensi et expulsione Artoldi. Postquarum lectionem exurgens Fulbertus cum prefatis ceteris presulibus, qui in eisdem litteris nominabantur, eas litteras refutavit, astruens quippe, eas antea nunquam se vidisse vel audisse, neque in eaB rum delegatione consensum prebuisse. Cui dum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstrepens, precepit domnus Marinus suggerens universæ sinodo, ut sibi consilium et rectum judicium proferrent super hujusmodi calumniatore et calumniarum in episcopos delatore. At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse lectis capitulis de hujusce calumniatoribus, judicant et unanimiter censent, eum quo fruebatur honore privari debere ac secundum capitulorum tenorem in exilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio multatus, a conspectu sinodi reprobatus abcessit. Artaldo vero presuli, qui omnibus se sinodis presentabilem fecerat, non refugiens sinodale judicium, episcopium Remense juxta canonum instituta et sanctorum Patrum decreta omnino retinenC dum atque disponendum decernunt, laudant atque corroborant. |

80. (79.) *Post Fulbertum succedit Berengarius in sede pontificali.* Bernengarius hunc in episcopio secutus summam regiminis sumpsit (*an.* 956); vir siquidem ex nobili parentela Germaniæ ortus (168), sed et Ottonis imperatoris proxime consanguineus. Qui quoniam magis secularibus quam æcclesiasticis negotiis implicatus, per excellentis prosapiæ sublimitatem animum quodam pulsu jactantiæ attollebat, morum et vitæ obpugnationibus sumpto officio contraibat. Hic etiam tantæ feritatis extitisse dicitur, ut non modo lingua et natione, sed etiam moribus populo suo barbarus esse videretur. Quanto etenim regii generis ei aspirabat auctoritas, tanto ferocior populum sæpe vexabat. Sæpe itaque, partim propter ejus animi immoderatam levitatem partimque propD ter civium repugnantium ferocitatem atque inobedidentiam, inter se difficilis oriebatur seditio; aliquando vero intererat implacabilis congressio. Quod autem tantas infestationes edebat, quod tantas inquietudines irrogabat, hoc nimirum non potius episcopi, quam insolentiis suorum civium possumus imputare, quos semper pre ferocitate inobedientes omnibus suis episcopis audivimus atque rebelles existere.

81. (80.) *Ubi principum terrore, quos secum adducebat, cives humiliati episcopum receperunt.*. Quodam vero tempore, cum in Germaniam propter obsequium cæsaris profectus aliquandiu moraretur interim cives una eademque voluntate collecti, factaque unanimiter conspiratione, adeo sunt inter se constricti, ut pontificem reversurum negato ingressu ab urbe excluderent. Qui cum expletis rebus sedem pontificalem repeteret, in ipso quidem reditu ei innotuit civilis conspiratio. Statim ergo, quia suos tam virtute quam numero adversus tanti populi turbam inferiores videbat, cum grandis ignominiæ probro iter factum remensus, Brunonem tunc temporis monarchiam regni sub fratre tenentem aggreditur; suisque causis declamando prolatis, obnixe deprecatur, ut suo videlicet juvamine fultus sedem clausam violenter possit irrumpere, debitamque ultionem pro accepta injuria in populo rebellante exercere. Nec difficile copioso impetrato exercitu. Arnulfum quoque Flandrensem comitem adivit, villamque Lambras (169) pollicitus, eum sibi consocium, immo et adjutorem adhibuit. Cives vero cum tanto auxilio reverti comperientes, sibi consulere estimarunt, longeque dissimulatis rebellionis motibus, absque suscipicione veniret, nuncios ablegarunt. Cum suis itaque tantum, ceteris siquidem reversis, urbem est absque difficultate regressus.

82. (81.) *Comiti Arnulfo Lambras extorsit, et duas villas Coureng* [129] *et Ferroras ab ecclesia divulsit.* Nec multo post pre levitate suæ insolentiæ prefato comiti Arnulfo, cujus auxilio urbem repetit, villam Lambras, qua eum conduxit, vi reextorsit, minatus sane, quod si eam vindicare presumeret, totas Flandras ei combureret. Preterea duas villas, Coureng et Ferroras (170), ab æcclesia sanctæ Dei Matris divulsit et quidam militi beneficiavit.

83. (82) *Ubi cives invasit, et alios interfecit, alios excecavit.* Evoluto autem aliquo temporis intervallo, sibi a populo factæ dehonorationis reminiscens, socia agmina evocavit, civesque incautos subita incursione invasit, palantesque feriendo usque ad monasterium sancti Gaugerici persecutus est No-

VARIÆ LECTIONES

[128] *hæc vox deest* 1. qui d. e. c. s. r. jussit 3. qui d. Marinus p ferens litteras, quas idem Sigebaldus Romam detulerat, p. *Flodoardus.* [129] *in.* 2. *superscriptum est* Condreng, *unde Colv.* villam esse *putat Gundreccias, supra* c. 67, *memoratam.*

NOTÆ.

(168) Flodoardi An. s. a. 956) : *Fulbertus Camaracensis episcopus defungitur, et ipsum episcopium cuidam Berengario transrhenensi clerico tribuitur, nepoti Bovonis Catalaunensis quondam episcopi quique Remis ordinatur ab Artoldo archiepiscopo.* Necrologium beatæ Mariæ Cameracensis, s. XII id habet: 16 *Cal. Sept. obiit Fulbertus episcopus, qui dedit terram apud Durith. cantoris in usus*

(169) Prope Duacum.

(170) Ferrières prope Câteau-Cambrésis. COLV.

vum genus spectaculi! Continuo namque armati limen sanctissimæ ædis absque reverentiæ modo irrumpentes, alios interfecerunt, alios truncatis manibus et pedibus demembrarunt; quibusdam vero oculos fodiebant, quibusdam frontes ferro ardente notabant. Deinde autem lanceas interfectorum et aliorum captas, sicuti furiosus erat, carpento ad cumulum imponi precepit, et ad insinuandam suæ ultionis atque victoriæ pompam ad predium suum, in villam videlicet cui nomen Betendorth [130], suis familiaribus mittere festinavit.

84. (83.) *Quod nocte a sancto Gaugerico percussus obiit.* Nec hujus pontificis factum desino demirari, qui templum beatissimi confessoris violare non timuit, quem Valterus castellanus, tiro inhumanissimus, in simili negocio nostris diebus non revereri nescivit. Quadam namque die alicunde cum suis veniens, duos fratres, Aldonem videlicet et Balduinum sibi inimicissimos forte obvios habuit; moxque caballo cui insedebat calcaribus fosso eos involans, hastaque dorsis pene contigua jamjam imminens, jamjam mortem minitans, adusque radicem montis fugientes persequitur, distantes sane a monasterio fere novem passibus. Videns autem eos effugio sanctissimi templi propinquantes sanctumque confessorem auxilio geminantes, sequi ulterius formidavit tandemque prorumpens in hac voce, ait: *Scitote vos hodie mihi ereptos beati Gaugerici suffragio!* Si ergo vir multæ immanitatis ob amorem Dei et venerationem sui confessoris inimicis parcens habere tolerantiam didicit, quanto magis pontifex vel contemplatione sacerdotalis officii, quo fungebatur, debuerit? Attamen quia tanto sceleri effugium aut latebrum vel per aliquem pœnitentiæ modum non quæsivit, dignum sane conpendium supplicii non longo post tempore solvit. Coloniam namque profectus cum quadam nocte in lectulo pausaret, apparuit ei semivigilanti beatus Gaugericus, quippe visus eum pro admissis increpare, bacculoque quem manu gestabat, postmodum graviter pulsare. Qui mox expergefactus, cum gravi planctu ingemuit, vocatisque cubiculariis visionem in ordine pandens, casum sui periculi indicavit. Ex qua percussione aliquandiu elaborans — certa res est — non multo post interiit (171), in basilica quidem sancti Gereonis sepultus. Capellani vero, hujus (172) videlicet ecclesiæ clerici, nescio quibus insimulationibus temere suspecti, relictis quidem pontificalibus ornamentis aufugerunt.

85. (84.) *Engrannus substituitur.* Post hujus excessum Engrannus, ante Corbiensis cenobii sancti Petri monachus, obtentu Brunonis prefati archipatris, cum quo pro rebus fratrum quas trans Rhenum procurabat, notitiam et familiaritatem habebat, ad episcopale solium promovetur. Hic tam æcclesiasticis quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus mira erga gregem karitate pollebat; omnique mansuetudine plenus, tanto ambitu religionis episcopii dignitatem implebat, ut propositum monachi nullo modo excedere videretur. Semper namque in æcclesiasticæ culturæ studio insudabat, gregemque commissum exemplo vitæ innocentis morumque bonorum informatione doctrinabat.

86. (85.) *Ad conventum generalem villam Perronum clamaturus perrexit, suoque clerico, quia secum preceptum non gessit, æcclesiam abstulit.* Hic etiam propriis rebus æcclesiam augebat, et si qua subtraherentur, publico judicio evindicare et restituere satagebat. Siquidem eo tempore Bruno dux sive archiepiscopus conventum generalem cum multis principibus et episcopis apud quandam villam, cujus nomen non subvenit (173), habuisse dicitur, in quo de pace et religione sanctæ Dei æcclesiæ statuque regni salubriter et competenter tractatum est. Ubi etiam Engrannus episcopus ire disposuit, clamaturus videlicet villam sanctæ Mariæ Perronam (174), quam Hasbanienses more beneficiali tenebant; precepitque Widoni suo cancellario, ut kartam ejusdem villæ, quam in archivo æcclesiæ reppererat, secum gereret, ut per hanc apertius certiusque clamare videretur. Quo cum perveniens et ad evolvendam declamationem paratus, kartam capellano rogaret: nimirum se erile preceptum oblivioni tradidisse advertens, ingenti stupore diriguit, tandemque se oblitum fuisse respondit. Unde confusus episcopus ad sua remeavit; hocque impatienter ferens, capellano æcclesiam, quæ est in villa Salliaco (175), abstulit.

87. (86.) *Clausit diem Engrannus episcopus, ab Hadulfo Noviomensium episcopo sepultus.* Denique vero, cum monasterium sanctæ Mariæ cum totius studii accinctu ad occidentalem plagam ampliaret, culpis quidem civium exigentibus, morte preventus opus imperfectum reliquit; trienioque æcclesiam

VARIÆ LECTIONES.

[130] *ita.* 1. 3. Betencorth Colv., *quod foret* Béthencourt *inter Cameracum et* Câteau-Cambrésis.

NOTÆ.

(171) Eum a. 958 adhuc vixisse, discimus e diplomate Ottonis I, quod primus protulit Leglay ex archivo Cameracensi, Coloniæ Id Junii 958 concesso ecclesiæ Cameracensi, *ubi venerabilis episcopus Berengerius præesse cognoscitur.* Engrannus si revera triennio tantum sedit, ut noster c. 87 tradit, Berengerum obiisse oportet a. 962 vel sequenti. Diem autem obitus in Necrologiis Cameracensibus frustra quæsivi.

(172) I. e. beatæ Mariæ Cameracensis.

(173) Fortasse Compendium, a. 959; conf. Flodoardi Annales.

(173) Prope Binche, inter Mons et Charleroi. Le Glay. Cf. c. 112.

(175) Sailly.

moderatus, migravit ad Christum (176). Hujus funebritati interfuit Hadulfus Noviomensis episcopus, A qui cum in monasterio sanctæ Dei Genitricis ad australem partem honorifice sepelivit.

88. (87.) *Huic succedit in episcopio Ansbertus, qui in æcclesia sancti Autberti octo canonicos constituit.* Sequitur Ansbertus, vir videlicet literalibus disciplinis eruditus, qui tunc Atrebatensis monasterii æque monachus atque Cameracencis æcclesiæ archidiaconus, postmodum vero pro rebus sancti Vedasti, quas in pago Baduensi prævidebat, imperatori notus, culmen episcopalis cathedræ adeptus est. Ille vero propriis pro opportunitate collatis, quater binos canonicos in æcclesia sancti Autberti deputavit. Hic autem, ut antecessores jam diximus B et ut successores posterius dicturi sumus, graves atque multas injurias ab ipsis suis militibus sustinuit, adversumque eorum contumacias diu contendit. Ad horum itaque insolentias sopiendas, Arnulfum quendam illustrem comitem (177) multis beneficiis conductum sibi adscivit, illoque adjuvante cervicatos (178) superans, aliquandiu quievit. Rexit igitur quinque annis æcclesiam, ad patresque suos appositus, in æcclesia præfata, sancti videlicet Autberti, honorifice sepelitur.

89. (88.) *Wiboldus subrogatur, et ludus regularis quem fecit subscribitur.* Sequitur Wiboldus, Noviomensis æcclesiæ archidiaconus, vir videlicet tam secularibus quam æcclesiasticis disciplinis satis C inbutus. Iste siquidem clericis aleæ amatoribus regularem ludum artificiose conposuit, quo videlicet in scolis se exercentes, karitate vitia vincere assuescerent, sæcularemque et jurgiosam aleam refugerent. Quem ludum hoc modo incepit (179).*

1. 1. 1.	*Karitas.*	3.
1. 1. 2.	*Fides.*	4.
1. 1. 3.	*Spes.*	5.
1. 1. 4.	*Justitia.*	6.
1. 1. 5.	*Prudentia.*	7.
1. 1. 6.	*Tumperantia,*	8.
1. 2. 2.	*Fortitudo.*	5.
1. 2. 3.	*Pax.*	6.
1. 2. 4.	*Castitas.*	7.
1. 2. 5.	*Misericordia.*	8.
1. 2. 6.	*Obedientia.*	9.
1. 3. 3.	*Timor.*	7.
1. 3. 4.	*Providentia.*	8.
1. 3. 5.	*Discretio.*	9.
1. 3. 6.	*Perseverantia.*	10.
1. 4. 4.	*Bonitas.*	9.
1. 4. 5.	*Modestia.*	10.
1. 4. 6.	*Longanimitas.*	11.
1. 5. 5.	*Mansuetudo.*	11.
1. 5. 6.	*Benignitas.*	12.
1. 6. 6.	*Sapientia.*	13.
2. 2. 2.	*Compunctio.*	6.
2. 2. 3.	*Gaudium.*	7.
2. 2. 4.	*Sobrietas.*	8.
2. 2. 5.	*Delectatio.*	9.
2. 2. 6.	*Suavitas.*	10.
2. 3. 3.	*Astutia.*	8.
2. 3. 4.	*Simplicitas.*	9.
2. 3. 5.	*Hospitalitas.*	10.
2. 3. 6.	*Parcitas.*	11.
2. 4. 4.	*Patientia.*	10.
2. 4. 5.	*Zelus.*	11.
2. 4. 6.	*Paupertas.*	12.
2. 5. 5.	*Lenitas.*	12.
2. 5. 6.	*Virginitas.*	13.
2. 6. 6.	*Reverentia.*	14.
3. 3. 3.	*Pietas.*	9.
3. 3. 4.	*Indulgentia.*	10.
3. 3. 5.	*Oratio.*	11.
3. 3. 6.	*Amor..*	12.
3. 4. 4.	*Judicium*	11.
3. 4. 5.	*Vigilantia.*	12.
3. 4. 6.	*Mortificatio.*	13.
3. 5. 5.	*Innocentia.*	13.
3. 5. 6.	*Contritio.*	14.
3. 6. 6.	*Confessio.*	15.
4. 4. 4.	*Maturitas.*	12.
4. 4. 5.	*Sollicitudo.*	13.
4. 4. 6.	*Constantia.*	14.
4. 5. 5.	*Intellectus.*	14.
4. 5. 6.	*Suspiratio.*	15.
4. 6. 6.	*Fletus.*	16.
5. 5. 5.	*Hilaritas.*	15.
5. 5. 6.	*Compassio.*	16.
5. 6. 6.	*Continentia.*	17.
6. 6. 6.	*Humilitas.*	18.

NOTÆ.

(176) Folcuinus abbas Lobiensis, testis de semetipso certe fide dignissimus, in Gestis abb. Laub., c. 28, hæc tradit a. 965 facta : *Folcuinum . . . . Coloniæ in presentia imperiali . . . ordinari fecit. Ordinatus est ergo ab Ingranno Cameracensi episcopo, in ipso Domini natalicio*, quod festum Otto revera anno tantum 965 Colonia egit. Hinc sequitur Engrannum non ante d. 26 Dec. 965 obiisse. At nec multo post defunctus esse potest, si revera Ansbertus quinque annis sedit, Wiboldus uno, ut noster c. 88 et 91 tradit.

(177) Aut Arnulfum Juniorem, Flandriæ comitem inde ad 27 Martii 965, aut eum qui infra c. 95 indicatur.

(178) I. e. contumaces; cf. Ecclesiast. XVI, 12. LE GLAY.

(179) Seqens ludus, in codicibus ubi separatim D legitur, ut in Bruxell. n. 2088, plerumque *Wiboldi alea regularis* dictus, originem debere videtur ludo Pythagorico seu Rythmomachiæ, de qua egi in Annalibus nostris VIII, 383, 488, si tamen illa Wiboldo antiquior est. Hunc Wiboldi ludum carmine Gallico tractavit Houillon, *Le jeu du seigneur Wibold*. Cambrai 1832, 8.

* Seorsim jam dedimus in WIBOLDO, ad annum 965, Pastrologiæ tom. CXXXIV, col. 1007, juxta editionem V. cl. D. Leglay; sed ne omisso textu, et quidem brevissimo, notæ simul doctissimi editoris Germanici desiderentur, unde textui magna obscuritate involuto lux non parva affulget, iterum, hic recudere operæ pretium ducimus. EDIT. PATROLOGIÆ.

« Cleros eolice, latialiter sors dicitur; hinc cleronomia hereditas, cleronomus heres; inde clerici nuncupantur, eo quod sint de sorte Domini. Canon Grece, Latine regula; ab eo canonici regulares nominantur. Ergo quia idem canon — quoniam a perfidis et spe boni carentibus alea reperta atque prave usitata est — ut discordiam, perjuria ceteraque vitia, clericos interdicit aleatores fore : opido condecet, ut relictis vitiis examussim sibi quique virtutes sortiantur. Libet itaque, ex eadem qua præfati sumus alea quendam clericalem et ut ita diximus regularem, non cavillandi aliquem causa, sed exercitandi gratia, comere ludum. Karitatem omnium principatum obtinere virtutum, nemo qui verba Evangeli dicentis : « In hi[illegible]bus universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* xxii, 40), » intelligit, nescit. Ubi ergo tanta profunditas manet vastam uberrimamque virtutum propaginem de se profert. Itaque ponamus Karitatem cum sua multimoda subole nominatam, et singularis quibusque numeros sortibus tali moderamine congruos aptemus, ut isto contineri, quod illa examinare, neque hac ostendi, quod hic fas sit nequeat invenire (180). A principali siquidem principalis principium inicians, perque binarium ac ceteros usque ad senarium currens, suimet eorumque revolutione tripartita, 20 sanctæ matris contineat filias et in Sapientia limitet (181). Postque binarius Conpunctione inchoans, 15 ejusdem, Reverentiæ; hinc ternarius, a principio Pietatis. 10, Exmologeseos; sicque quaternarius a Maturitate, 6, Fletus; ab Hilaritate quoque quinarius, 3 conplectens, Continentiæ fine claudetur (182). Senarius vero ultimus, ut primus Simplicitate gaudens (183); custodem virtutum possideat Humilitatem. Quæ simul junctæ 56 fiunt. Et si diligentius respiciamus, intuebimur, quod hæc progressio numerorum, a ternario ocdenarium scandens (184), singulæ sibi virtutum, virtutes legat. Prima quidem, secunda, ultima et penultima singulas (185); tertia et antepenultima binas; quæque intra ipsa sunt, similiter a principio et fine usque ad quatuor mediasque senas junctæ, ternas, quaternas vel quinas recipiunt virtutes, et vigesimum primum in sese invicem semper exprimunt numerum. Sunt igitur 3, 4, 17, et 18, qui singulas metiuntur, Karitatem videlicet, Fidem, Continentiam et Humilitatem; 5 et 16, qui binas, Spem et Fortudinem, Fletum et Compassionem; 6 et 15 ternas, Justitiam Pacem et Compunctionem; Confessionem Suspirationem et Hilaritatem; 7 et 14, quaternas, Prudentiam Castitatem Timorem et Gaudium, Reverenciam Contricionem Constantiam et Intellectum; 8 et 13 quinas, Temperantiam Misericordiam Providentiam Sobrietatem et astutiam, Sapientiam Virginitatem [131] Mortificationem Innocentiam et Sollicitudinem; 9 et [132] 10, 11 et 12 senas discernunt, Obœdientiam Discretionem Bonitatem Delectationem Simplicitatem et Pietatem, Perseverantiam Modestiam Suavitatem Hospitalitem Patientiam scilicet et Indulgentiam, Longanimitatem Mansuetudinem Parcitatem Zelum Orationem quoque et Judicium, Benignitatem Paupertatem Lenitatem Amorem Vigilantiam utique ac Maturitatem. Et ut per singula redeamus : cujus per ternarium, nisi sanctificatricis et in ejusdem redeuntis principii unitatem vocabulum signabimus Trinitatis? Quid autem per quaternarium, nisi quatuor evangelistarum tubas [133]? Hi simul collati, illam sanctissimam, plenam donis karismatum, septiformem gratiam demonstrant. Septenarius vero bis dictus, et assumpto ternario 17 quaternarioque 18, ecce qualiter, 3, 7 atque 4 in sese redeunt. Possumus etiam 10, decalogi mandatum quod sub lege quondam et nunc [134] sub gratia operatur, et, 8, octavam quæ needum agitur ætatem,

VARIÆ LECTIONES.

[131] virginitatis 1. [132] II. *omnes* correxit *Colv.* [133] evangelicas tubas 3. evangelistas turbas 1. [134] n 1. n. 5. non2; *correxit Colv.*

NOTÆ.

(180 Constructio hæc esse videtur : *ut isto* (numero) *contineri nequeat, quod illa* (sors) *examinare nequeat; neque hac* (sorte) *ostendi fas sit quod hic* (numerus) *invenire nequeat; et* sententia : *aleæ quolibet modo jactæ nunquam numeros dare possunt qui non etiam in una ex* 56 *sortibus inveniantur; neque quæquam ex his sortibus numeros exhibet, qui non etiam in aleis cadere aliquando possint :* seu ut breviter dicamus : *quod alearum combinationes, tot sortes habentur.* Boetius Epo, a Colvenerio laudatus, ita locum explicat : « Ait Wiboldus se cuique virtuti daturum numerum aliquem, qui uni soli congruat, quemque frustra alibi requiras. Id autem sic intellige, ut cuborum superficies superiores attendas, quarum singularum numeros in latere virtutum requirere cogaris. Ut si verbi gratia, jactis cubis habeas tres binarios, hos ad latus Compunctionis reperies, alibi nusquam. Alioqui si tres binarios pro senario numero accipias, eundem reperies in Justitia et Pace. »

(181) Id est : principalis numerus, I, currit ad senarium, primo per 1 ab 1 — 6, deinde per 2 a 2 — 6, tum per 3 a 3 — 6; et sic deinceps linea tripartita decurrens, 21 combinationes sive sortes efficit, quæ continent 20 virtutes præter matrem omnium Caritatem.

(182) Id est : *Postque binarius, a Conpunctione inchoans, quindecim ejusdem* (sanctæ matris Karitatis filias virtutes complectens), *Reverentiæ* (fine claudetur); *hinc ternarius, a principio Pietatis* (inchoans), *decem* (virtutes complectens) *Exomologeseos* (fine claudetur); *sicque quaternarius, a Maturitate* (inchoans), *sex* (virtutes complectens(, *Fletus* (fine Claudetur); *ab Hilaritate quoque* (inchoans) *quinarius, tres complectens, Continentiæ fine claudetur.*

(183) I. e. in alia sorte non occurrens; neque enim 6. 6. 6. neque 18, per totam tabulam uspiam reperiuntur nisi in hac une sorte) uti quoque 1. 1. 1. et 3, semel tantum habentur, in una sorte prima.

(184) I. e. quarta columna, summam cujuslibet sortis continens.

(185) Scil. *recipiunt virtutes.* Prima summa (3.)

asscribere. Sed hæc tria modo amplius decuit commemorare. Ergo clangorem sancti Evangelii tubarum, qui aure cordis sanctam Trinitatem intimo amore diligit gratiaque septiformi finetenus tueri cupit, caritatem, in qua universa lex impletur (*Rom.* xiii, 8), fidem, sine qua [135] inpossibile est placere Deo (*Hebr.* xi, 6), continentiam, ut abstineat se a vitiis, quo virtutes continere valeat, humilitatem, qua [136] sine qui virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat (Greg. *hom.* 7 *in ev.*), habere quærat; habita caritative, fideliter, continenter, atque humiliter exercere satagat, ut ad eorum cumulum pervenire queat. Quinario numero quinque sensus conjungere possumus; qui fluiter [137] ductus et unitate assumpta, in sextum decimum surgit. Si enim hos 5 per phisicam, logicam et ethicam castigamus, ut ad unitatem caritatis, quæ Deus est (*I Joan.* iv, 8), semper redeamus: has profecto virtutes, quæ in duobus numeris insignitæ videntur, naturaliter, rationabiliter moraliterque possidebimus. Senarius, cujus sexta pars, 1, in tertia medietas, 3 [138], quia perfectus est numerus, suis bene constans partibus, perfectio operis ei deputari potest. His igitur sibi replicatis, [139], ternario addito, 15 facit. Simus ergo perfecti operibus bonæ actionis, et nitamur conscendere 15 psalmographi gradus, ut sanctam Trinitatem in Sion cernere mereamus (*Psal.* lxxxix, 8), et horum procul dubio numerorum expertes virtutum non erimus (186). Adest iterum 7, gratia spirituali refertus, 14 depromens per binarium. Eundem itaque precemur Spiritum, ut per practicam nobis ad theoricam vitam pervenire largiatur, quatinus virtutibus ejus ascisci mereamur. Sed [140] quia supra retulimus æternitatem (187), de qua titulus psalmorum 6 inquit. « In finem pro octava, » octenario posse conferri, sicut 10 inferius afforerebamur: huic utique si addantur 5, 13 explicabunt. Bene etiam quinque sensus octavæ vitæ supponuntur, quia non solum hæc, nisi voluptuosus eorum appetitus [141] camo et freno spiritualis modo disciplinæ coerceatur [142], sed nec ea quæ ab Abel singularum [143] datione stolarum, donec justitia convertatur in judicium sanctique in terra duplicia possideant (*Isa.* lxi, 7), agitur, meretur (188). Nunc autem 9, 10, 11 et 12 supremi remanent; quorum primus novem celicolarum ordinibus, secundus [144] decem legalibus verbis, tertius dignis pœnitentiæ fructibus, quartus novi duodenis testamenti præconibus consecrati effulgent. Quintus, quoniam, ut scriptum est: « In multis delinquimus omnes (*Jac.* iii, 2), » quisquis instituta decem prætergrediens in undecimo offendit, splendore 12 gemmarum jubaris redimitus (*Exod.* xxviii, 21), ut ad reparanda 9 pristina dampna succrescant, per denarii mandata regrediens, undenis æcclesiæ cilicinis operiatur sagis, ut possit quandoque dicere cum psalmista [144]: « Convertisti planctum meum in gaudium, et reliqua (*Psal.* xxix, 12). »

« Igitur quia virtutes numerosque qualicumque modo ordinavimus, qualiter nunc sortiri debeant, censeamus. Tres itaque sumamus tesseras, quæ singulæ senas facies habeant, variis notatas numeris — quo major, senarius; alii in ceteris uno semper minores usque ad assem; qui simul fiunt 21; — et nostris vocalibus quinque, videlicet A, E, I, O, V, singulas eodem ordine depingamus, ut quater replicatæ eundem equiperent; eo tamen tenore, ut in prima A, in secunda E, tertia I, ab asse incipiens, directo semper scribatur tramine, et eodem apice finiatur ita:

	o	*a e*		*v*	*e i*		*a*	*i o*
a	*v*	*i*	*e*	*a*	*o*	*i*	*e*	*u*
	a	*o v*		*e*	*u a*		*i*	*a e*
e	*e i*	*a e i*	*i*	*i o*	*e i o*	*o*	*o v*	*i o u*
i	*o v*	*o v a*	*o*	*v a*	*v a e*	*v*	*a e*	*a e i*

VARIÆ LECTIONES

[135] que 1. [136] *fortasse* scilicet ter *legendum*. [137] III [a] *habet* 1. [138] replicatos 1. 2. [139] se 1. [140] appetus 1. [141] coexerceatur 1. [142] singulorum 1. [143] sedm 1. 3. [144] p. qduoq. dicem ps. 1, 4.

NOTÆ


secunda summa (4), ultima (18), penultima (17) semel tantum quæque in tota columna occurrunt, et in singulas quæque virtutes metiuntur; tertia (5) et antepenultima (16) bis quæque occurrunt; 6 et 15 ter occurrunt; 7 et 14 quater; 8 et 13 quinquies; 9, 10, 11, 12 sexies. Simul vero hi numeri, si bini conjunguntur sibi correspondentes (primus et ultimus, secundus et penultimus, et sic deinceps), semper efficiunt 21.

(186) I. e. non erimus expertes earum virtutum, quæ his numeris exprimuntur.

(187) I. e. *octavam quæ necdum agitur ætatem* ut supra noster eandem expressit. Non opus igitur est ut cum Colvenerio scribamus *octavam ætatem*.

(188) I. e. *nisi... appetitus... coerceatur*, *non solum hæc* (octava vita, seu ætas, i. e, beatitudo æterna corporis et animæ) (non) *meretur* (wird verdient; « non » ex sequenti « nec » supplendum) *sed nec ea* (vita solius animæ meretur) *quæ ab Abel agitur singularum datione stolarum* (in albis — cf. Apocal. 6, 11; 7, 13. — usque ad adventum octavæ illius ætatis, seu diem novissimum) *donec justitia convertatur in judicium*.

« His ita dispositis, volumus ut per has tres, A sicut et in prefato solet ludo, numeri qui supputandi sunt, prout sors dictaverit [145], suo semper ordine requirantur. Y vero sextam archivamque vocalem, non solum, quod modo eadem minime indigemus lingua et nostratum regulas orthographorum ad plenum non observamus, sed quia compendiose operis studemus vulgariterque nostri ridiculum exercere, prætermisimus (189). Ceterum consonantes,— quoniam sedecim in alfabeto remanent, excepta Q, quam gramatici supervacuam nominant quamque [146] ideo non annumeravimus, quia ex currente sibi socia, videlicet V, sine qua vim litteræ amittit, perfacile hic comprehendi potest, et septenusdecimus numerus ad peragendum quod volebamus, quasi embolismus videbatur, — igitur sicut vocales tetragonis, ita consonantes uni tantummodo trigonæ piramidi, quæ quattuor superficies haberet, inserere oportet ita :



« Quæ tamen tali lege tenebitur, ut si vel una inferiorum ejus consonantium in nomine virtutis, quæ vocales secroverit, reperta fuerit, pro ceteris omnibus computetur, et quod tetragoni sui superficie superiori, hoc ista inferiori, id est basi sua, demonstrabit (190). Nec inmerito; quippe cum corpus, cujus istæ quæ similitudinem illis animæ figurantibus retineant (191), sive naturali compositione sui decenter ornatum, seu aliqua portione diminutum, sive [147] monstruosa superfluitate aucmentatum, spiritum aut integrum aut nullum habere videatur; et eo discedente, hoc imum, unde sumptum est, repetat ilementum, ille revertatur ad Dominum qui dedit illum *(Eccles.* xii, 7). Sic projectis simul e manu cubis cum triangulo, eorumque singillatim litteris perspectis, mox recurrendum erit ad marginem numeros cum virtutibus continentem. Eodemque, ut præfatum est, discretionem vocali uni similiter tripartitæ reperto, virtutem quam [148] latere habebit, notare debemus, vocalesque illius apparentibus, si valemus, conponere vocalibus, et ita privatim compotes [149] ejus esse, ut pares nobiscum ludentes nequaquam eandem ulterius in eodem ludo sibi valeant vindicare. Tali utique disceptatione vicisim alternando gyraindoque jocantes virtutes omnes sortibus partiantur; et si non equa lance mutuo dividuntur, hi qui vel una ceteris amplius superabundaverint [150], item prelaturam in ceteris sibi cessisse gaudeant. Ita dumtaxat, ut karitas, quæ gemina est, si oportuerit (192) pro duabus computetur virtutibus. Quæ etiam ob unius tantummodo litteræ eclipsin, id est A, bina [151] post primam examinetur projectione (193), quod de ceteris omnimodis fieri inhibemus. Et usque ad oram illius diei sextam eminentiores, inferiores sui discipulos vocantes, suadere debebunt [152], ut virtutes quæ eis sorte desunt, bonis moribus satagant impetrare. Inferiores quoque niati tessere cognoscentes, ac velut sibi prelatis..... pedagogis [153], non aliter eos nuncupare audeant, quam magistros. At si contigerit, C ut neuter neutrum superare queat, omnes equanimiter utrique in alterutrum possidentes virtutes, una semper sint caritate concordes, et fraterno gratulentur nomine. Potest idem et alio [154] modo efficatior lubentiorque fortasse aliquibus fieri, quo quisque projectis tribus tantummodo tesseris, non ad vim ilementorum sed ad summam simul collatam respiciens, quotquot tali reppererit ut prælibatum est, numero redimitas, gloriabitur se possidere virtutes.

« Hæc taliter tibi, lector, proponimus, ut si quid stilus exigit, utiliter adnectas [155], aut corrigendo D detrahas; nihil tamen blasphemiæ inferas; et si laudare nolueris, ne disperdas. Quod si ludus vilescit aut anime tedium gignit, saltem numerorum utilis coaptatio virtutumque diligibilis inquisitio nec otiosa exercitatio mentem ad eum convertant, ut collatione numerorum exerciteris, virtutumque cumulo gratuleris. In quibus adquirendis si vincas, non elatio-

VARIÆ LECTIONES.

[145] ditaverit 1. [146] remanet exceptaq. per gramatici s. n. quique 1. [147] siu 1. [148] quæ *omnes ; correxit Colv.* [149] c potest 1. 4. [150] *ita Colv.;* superabundavit it prelaturam 1. 3. [151] eclipsin. i x. a. bina 1. [152] debe ut virtutes 1. *ita spatio aliquot litterarum relicto, quas scriba in exemplari, quod descripsit, legere non poterat. Prorsus eodem modo 3.* [153] satagunt impetrare, inferiores qq niati tessere c. a, v. s. prelatis pedagogis 1. *ita iterum spatio relicto; voces igitur post* quoque *et post* prelatis *scriba ipse legere jam non potuit. Eadem prorsus habet* 3. tessere *deest* 2. *fortasse* nominatim? [154] alia 1. 3. [155] acnestas 1. 3.

NOTÆ.

(189) Junge : *Y vero sextam Achivamque vocalem prætermisimus, non solum quod... non observamus, sed quia ridiculum* (jocum, ludum) *nostri operis compendiose vulgariterque* (ad captum vulgarem) *exercere studemus.*

(190) I. e. in cubis jactis valent numeri seu potius litteræ superficiei superioris, in pyramide vero litteræ superficiei inferioris.

(191) Significat, vocales animæ, consonantes corpori comparari. Colv. Sed locus videtur corruptus, et *quæ* mutandum, aut q i, i. e. *quasi*, hoc sensu : *cujus istæ* (consonantes) *similitudinem retineant, illis* (vocalibus) *figurantibus quasi animæ ;* — aut, quod Pertzins proponit in *eque*, hoc sensu : *cujus istæ* (consonantes) *similitudinem retineant, illis* (vocalibus) *æque animæ figurantibus* (scil. similitudinem); quod multo magis placet.

(192) I. e. si ludentes parem virtutum numerum nacti sunt. Colv.

(193) Karitas in suo latere habet tres unitates.

nem; si vincaris, non habebis confusionem. Si enim minus adeptus fueris, obediens; si plus, obedientem debes esse diligens Omnibus has in Christo virtutes sectantibus, actus et moribus recolentibus sit gratia et pax in æternum.

« Onoma dactilicis actoris quæritur ipsis.
Si numeris? primum faciunt, apicemque secundum,
Octavumque decem bis ducti, sicque novenis
Tertius ingeritur, quartus hinc esse duobus,
Quattuor et denis quintus, mox denique sextus
Undenis legitur, bis binis septimus, atque
Limitat in numeris ter senis ultimus ordo.
Queis simul illatis theorica summa sacratur
Virginitas animæ, mandataque dena refulgent,
Quæ qui custodit cœli sibi gaudia sistit (194).
Admonet hic ludus tabulatum pergere clerum,
Nomina virtutum condere quo valeant. »

90. (89.) *Ubi primores Cameracensium Wilbodum sibi dari episcopum a rege petierunt.* Hunc primores Cameracensium — ex his enim originis claram propaginem trahebat — una eademque voluntate acclamant, directisque imperatori epistolis cum multo favore sibi donari episcopum expostulant. Nec difficile imperator, comperta bona opinione illius, mox precibus eorum voluntario affectu adquievit, assensumque tribuens, eorum legationem libenter implevit.

91. (90.) *Italiam pergit ad regem pro dono episcopii; sed æstivo itinere fatigatus, postquam reversus est, non multo post obiit.* Statim ergo Wiboldus de consensu imperatoris certior factus, pulsantibus etiam prefatæ urbis primatibus, ad imperatorem, qui tunc temporis in partibus Italiæ morabatur (195), ad tantum munus suscipiendum ire festinat. Erat autem æstivum tempus, quod ei maxime ipso in itinere abitus et reditus obfuerat. Nam dum dignitatis

A tanto munere suscepto rediret, adeo quippe æstu torrente [156] fatigatus est, ut cum ad æcclesiam usque pervenerit, vix campanam (196), cujus tintinnabulo episcopii dignitatem vindicandam sibi indicare deberet, vix, inquam, pre molestia ægritudinis movere potuerit. Textum vero evangelicum auro et lapidibus pulchre insignitum, sed et multos codices, quos secum attulit, æcclesiæ Dei matris concessit. Qui postea in ipsa valitudine in tantum laboravit, ut vix unius anni curriculo rexerit æcclesiam; migransque a sæculo, in eadem basilica sanctæ Mariæ ad meridianam plagam tumulatur.

92. (91.) *Precibus Rotberti monachi rejectis, Tetdo episcopus subrogatur.* Illo autem die suæ dormitionis cum patribus sortito, quidam Rotbertus no-
B mine, monachus in villa Solemia, quæ ab urbe hac octo millibus distat, res sancti Dyonisii procurabat. Qui depositionem episcopi audiens, honore quidem sæculari captus, primates civitatis pretio conveniendos estimavit, et ut illum communi suffragio episcopum sibi ab imperatore fieri postularent, magna largitus eis munera, multo majora spopondit. Qui statim oberati [157] legationem imperatori miserunt, et ut sibi quem legerunt pontificem, ipse etiam consentiens dignetur concedere, rogaverunt. Videns vero imperator quod, quia antea Wiboldum secundum suam electionem facili assensu eorum precibus attribuit, ideo etiam [158] admittendi episcopum facultatem suo vellent fortasse arbitrio reservari : cum omni profecto refragatione eorum legationi effec-
C tum impertire negavit. Verum quidem altiore consilio preventus, Tetdonem, sacris moribus strenuum, non modice literatum, primis atque majoribus Saxoniæ progenitum, Coloniensis æcclesiæ sancti Severini prepositum, licet renitentem, quia pravos mores et ferocitatem audierat Cameracensium, competenter tamen ad pastoralis regiminis sublimavit

VARIÆ LECTIONES.

[156] torrentem 1. [157] oberrati 1. [158] *post hanc una vox erasa in 1.*

NOTÆ.

Porro in aleis tres faciunt unitates in prima alea A, in secunda E, in tertia autem I. Nec potest contingere sorte Karitas, nisi aleæ in superiore sua superficie has tres unitates teneant. Jam autem si exigas omnes vocales vocis *Karitas*, deficiet te unum A, nam constat duobus AA et uno I. Facit itaque potestatem Wiboldus iterum projiciendi, et periclitandi, si jactis aleis dabuntur in harum superficie superiori bina AA, et unum I. Vel certe unica solum alea, quæ vocalem E habet in monade, iterum jacienda est, ut si det vocalem A, confeceris quod attinet ad vocales vocem *Karitas;* sin minus, totus jactus fuerit inanis. Colv.

(194) I. e. *Si onoma* (nomen) *actoris* (auctoris) *ipsis numeris dactilicis* (versibus hexametris) *quæritur* (supple ; *hic accipe*). *Primum apicem* (nominis litteram) *et secundum et octavum faciunt decem bis ducti* (numeri, i. e. vicesima alphabeti littera V) ; *sicque tertius* (apex nominis) *ingeritur* (scribitur) *novenis* (nona littera I) ; *hinc quartus esse legitur duobus* (secunda littera B): *et quintus quattuordenis* (O), *mox denique sextus undenis* (L); *septimus bis binis* (D) ; *atque ultimus ordo* (apex nominis) *limitat in numeris ter senis* (S). *Queis simul illatis* (quibus
D versibus decem simul scriptis) *theorica summa sacratur* efficitur sacra summa mystica, scilicet vox) *Virginitas* (« hæc vox enim decem litteris componitur. » Colv.) *Animæ mandataque dena refulgent* (« decem versus numerum decalogi referunt. » Colv.); *quæ qui custodit, cœli sibi gaudia sistit* (procurat). Ita efficitur VIBOLDVS.

(195) Ibi fuit Otto a. 962-964 et 967-972 med. Cum autem Engrannus d. 25 Dec, 965 adhuc in vivis fuerit, ejusque successor Ansbertus teste nostro quinque annis sederit, porro Wiboldus unum, hujus iter non cadere potest nisi in æstatem a. 971 aut 972. Quod si annum 972 statuimus, Wilboldi obitus caderet in medium a. 973, itaque post obitum Ottonis I. Verum ab hoc ipso Ottone illi successorem adhuc datum Tetdonem legimus capite sequenti ; unde Wiboldo annus 971 med. — 972 med. tribuendus videtur.

(196) Hæc campana Aldegundis vocata, quando episcopus Cameraci præsens erat, quovis vespere

officium. Ordinatione itaque peracta, vir Dei venerabilis, compositis necessariis rebus, sane gregem commissum visitaturus ad sedem sibi concessam devenit. Sed vix sermone poterit explicari, quot postea injurias, quot contumelias, quot etiam adversitates a suis perpessus est !

93. (92.) *De injuriis, quas episcopus a militibus suis sustinuit.* Sub eodem namque tempore erat vir quidam Johannes nomine, potens tam Cameracensium quam Vermandensium genere, qui majordomatu ceteris prestabat in urbe sub pontificali auctoritate. Sed quo major ceteris atque potentior, tanto pejor pontifici atque ferocior. Porro, ut de reliquis taceam, vir Dei presul venerabilis, lapidum congestiones et calcem, omnem quoque materiam paraverat, unde æcclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ amplificare disposuerat. Sed inter agendem exigente rei necessitate ad imperatorem profectus est. Ubi vero, dum moraretur, interim predictus castellanus ipsas materiales cumulos sibi convehi fecit, et ex his domum cum summo ædificio in eodem castro fundari. Hoc ubi factum reverso pontifici nuntiatur, altius ingemuit, divinamque clementiam diutina lamentatione ad ulciscendam tantæ temeritatis audaciam excitavit. Nec multo post coacto copiosi exercitus auxilio, exterminavit eum ab urbis confinio. Qui fugiens in pagum Vermandensem, in castrum videlicet sancti Quintini, amicis quidem et cognatis suffragantibus, sub Alberto comite aliquandiu receptatur ; ibique rogato auxilio, tantam satellitum copiam sibi conjunxit, ut aliquando occultis insidiis hunc de improviso erumpens, villas hujus viciniæ misera populatione vastaret. Unde pontifex plerumque exterritus, quonam modo tantæ inmanitatis latronem reprimere possit, diversæ motibus meditationis excitatur. Hæc illum cogitantem, Walterus quidam Lenensis castri (197) vasallus, juxta eminentiam secularis potentiæ clarus, sed versutia [159] et calliditate ingenii plenus, factionum stipamine circumvenit, pollicitus sane, quod si filio suo æquivoco quicquid Johannes tenebat beneficiaverit, eumque vice Johannis adsciscere voluerit, totis

A viribus urbem constanter adversum impetum illius tyrannidis defensaret, ipsumque frequenti expugnatione devinceret. Quare letus episcopus illum recepit, sed et quod rogabat absque difficultate ei contradidit. Qui tamen postea verbis predictæ promissionis fidem derogans, non tantum episcopum non juravit [160], sed etiam priore molestior, plures et diversas injurias adversum pontificem et successores ejus exercuit. Johannes vero possessiones suas alieno herede pervasas ingemiscens, asperior factus non ante compescuit, donec episcopus crebra infestatione coactus, tantumdem pæne beneficii ei restituit.

94. (93.) *De obitu Ottonis imperatoris et de successione filii sui Ottonis.* Eodem tempore Otto imperator sanctissimus, tutor fidissimus, norma justitiæ,
B cultor devotus Ecclesiæ, spes pacis, amator religionis, provectus ætate plenusque dierum feliciter migravit ad Christum (*an.* 973, *Mai.* 7). Post cujus excessum Otto filius suus gloriosissimus, licet primævo flore tyrunculus, tamen consilio bonus, bello strenuus, et, ut paucis concludam, patris tam et moribus quam nomine imitator simillimus, habenas imperii moderandas suscepit. Sed quia junior erat, Henricus dux Bajoariorum cum totis sed presumptis renisibus contra se cervicem erexit, dedignatus scilicet ejus imperio subjugari. Unde aliquanto temporis intervallo inter se [161] contentio usque ad bellum processit ; sed nec longo post, ut posterius dicam, illo ad deditionis jugum reflexo, facta pace concordia intercessit.

C 95. (94.) *De rabie Raineri et Lautberti contra imperatorem.* Audita igitur longe lateque morte imperatoris, Rainerus atque Lantbertus, filii videlicet Raineri (198), quem vivente adhuc imperatore archiepiscopus Bruno, qui sub fratre monarchiam tenebat, pro insolentiis, pro rapinis, pro ecclesiæ incussionibus, pro multis etiam sceleribus sæpe arguendo corrigebat, sæpe beneficiis ejus servitiam placando leniebat ; sed cum tamen ejus feritatem siriatico turgore inflatam nullo modo premere potuerit, in exilio tandem perpetuo dampnatum fratri

VARIÆ LECTIONES

159 versuta 1. 160 juvavit *corr.* juvit 1. 161 ense 1. 3.

NOTÆ

pulsabatur. Episcopus factus cum prima vice ecclesiam intrabat, ipse eam pulsabat, jurejurando confirmans se illam restituturum cum forte fracta foret. Quod factum est a. 1396 et 1416 ; quo anno refusa hanc accepit inscriptionem :

Sera sono, dum præsul adest, ejusque periclis
Pendeo; tunc aliis pro causis obligo cœtum.
Per prius Aldegundis erat, prout est mihi nomen.
Sum refici jussa, Plonchet fabricam moderante,
M semel et C quater octo per octo redactis.

LE GLAY.

(197) Lens.

(198) Tertii seu Longicolli, comitis Hannoniæ. Eodem loco conquerentem lege Folcuinum in Gestis

D abb. Lob., c. 26. Codici Evangeliorum ecclesiæ Cameracensis n. 309, sæc. x, manus quædam s. x ex, vel XI inc. in fine hæc inscripsit : *Hæc sunt nomina malefactorum, qui ecclesias ms..... re cum comite Rainero succenderunt : Albertus comes, Painuwalo, Rotbertus, Setwinus, Baldricus, Hildebrandus, Ratholo, Fastradus, Fulcuinus, Borgardus, Tetmarus, Sarawardus, Rotlandus, Lietselmus, Arnulfus, Johannes, item Johannes, Otmarus, Rotmundus, Tietselmus, Lochardus, Wiamarus, Stephanus, Euremarus, Amolricus, Gerardus, Gonterus, Amolricus, Fulcradus, Hubaldus, Arnulfus, Fredericus, Rotbertus, Landricus, Otselmus,... Obuldus, Tietselmus, Goismondus, Gonzo et filius ejus, Harduinus, Gontmarus, Gotselo.*

contradidit (*an.* 957), terramque suam primum Richario [162] nobili viro, sed hoc defuncto Warnero et Raynaldo, quibus etiam defunctis (199), Godefrido atque Arnulfo comitibus nobilissimis contulit, filiosque ejus præfatos a patriis finibus pro eisdem insolentiis eliminavit; — illi, inquam, audita morte imperatoris, revocantibus quidem quibusdam scelerosis pacem odio habentibus, filiis videlicet Belial, patrios fines regressi, terram patris violenter volentes repetere, super Hagnam fluvium castrum Bussud (200) munierunt, ibique satis et super dum [163] licuit sevierunt. Hoc autem juvenis imperator audiens collecto exercitu castellum obsidione clausit, diruit captosque rebelles in exilio misit (*an.* 974, *Jan.*) Ad hanc etiam obsidionem Tietdo episcopus interfuit. His ita gestis, præfatum ducem Bajuvariorum, illi ut diximus resistentem, cum suis adiens invasit, sed Domino volente citissime victum et ad deditionem paratum imperio subjugavit.

96. (95). *Ubi idem rapinatores contra fideles imperatoris in prelio congressi terga verterunt.* Interea vero predicti fratres Rainerus et Lantbertus, coacti inopia moresque patrios imitantes, rapinis insistebant, quietemque publicam interpolantes, minus potentes utcumque vexabant. Denique in partes Karlensium concedentes, Karolum, regis Lotharii fratrem pravis moribus deditum, pariterque Ottonem, Alberti Vermandensium comitis filium, cum aliis quoque multis raptoribus suo auxilio adsciverunt; suam quippe callide deplorantes erumnam: se videlicet exheredes et exutos patrimoniis factos extorres paternæ habitationis, terram in qua nati sint sibi negari, ad ulciscendam ergo injuriam socia arma precari. His ergo fulcientibus atque comitantibus, reformatis quidem bellicis usibus, ad montem Castrum properato contendunt, ibique anno Dominicæ Incarnationis 976 super fideles imperatoris, comites videlicet Godefridum atque Arnulfum, facto impetu irruerunt. Illi tamen non minore spiritu excitati, suis quos presentes habebant coactis, extra munitionem emergunt; preruptoque periculo sese offerentes, inexpectato omni nisi Dei tantum auxilio, manus conserunt, diuque utrinque certato, tamen fructu victoriæ potiuntur. His ad sua receptis, nec longum, Otto (201) predium illud Gogicum (202), quia sibi esset contiguum, Arnulfo presumpta vendicatione eripuit, ibique castello munito, urbem hanc, quia nec longe distat, frequenti incursione concitavit.

97. (96.) *Rex Karlensium Lotharius imperatorem Ottonem incautum invadit, et ideo Otto collecto agmine regnum ipsius devastavit.* Post hæc autem imperator, jam pacato regno et omnibus sibi ante resistentibus virtute sedatis, quietus et cum prosperitate quæ Dei sunt tractans, apud palatium Aquisgrani circa festivitatem sancti Johannis morabatur (*an.* 978); cum repente Lotharius rex Karlensium, nepos videlicet suus, illum volens privare imperio, occulta expeditione adeo incautum paravit invadere, ut pridie antequam preoccuparetur, posset resiscere [164]. Qui quoniam hujus rei improvidus putabat se non habere in presens ad renitendum copiam, movens se a loco, cum omni secessit familia Coloniam; sane arbitratus se oportere quidem ad tempus cedere, ut postmodum ex industria potius posset resistere. Cum autem rex Lotharius illuc perveniens, suis quidem dispositionibus elusis illum minime offenderet, ibique Gallis bachantibus [165] atque latrocinantibus, multa populatione satis desevisset: illi nimirum revertenti Otto legationem dirigere festinavit, aperte videlicet denuntians, quod propter ultionem suæ tantæ perfidiæ nullos ei dolos aut insidias innecteret, non fraude subriperet, sed sublatis omnibus fraudulentiis, Kalendis Octobribus ad debilitandum sui regni imperium procederet. Interea itaque imperator suæ terræ duces et principes bello accinctos convocari

VARIÆ LECTIONES.

[162] *ante* Richario *signo*: *facto*, *auctor ipse eidem voci*: duci Godefrido *superscripsit:* primum duce Godefrido Richario 2. 3. duci Godefrido alias Richario 5. [163] dum dum 1. [164] resistere 2. 3. 8. rescire 3. [165] i. francis debachantibus 8.

NOTÆ.

(199) Contradicunt Annales Leodienses, Floreffienses et Marchianenses, ex uno fonte deducti omnes, a. 973. *Bellum fuit in Perrona inter Raginerum et Warnerum.* Hæc cum nostro Sigebertus ita conflavit sub a. 973: *Raginerus et Lantbertus paulatim resumptis viribus a Francia redeunt, et cum Guarnero et Rainaldo, qui comitatum patris eorum occupaverant, bello apud Perronam confligunt, eosque cum multis perimunt, et super Hagnam fluvium castello Buxude munito Lotharingiam infestant*, in quibus nil nisi verba *eosque cum multis perimunt*, de suo addidit. — Hoc unicum est, quantum sciam, testimonium nostro contradicens. Quod si verum est, Godefridus atque Arnulfus non jam a Brunone comitatum Hannoniæ accepisse possunt, seb ab Ottone II demum. Godefridus iste Vetulus fuit comes Virdunensis; Arnulfum Delewarde Hist. de Hainaut II, 208, putat esse filium Isaaci comitis Cameracensis et Valentianensis. Comes Flandrensis, ut Mejerus, Lipsius et alii volunt, esse nequit jam ob diploma Ottonis infra c. 112 relatum anni 1001, ubi item Arnulfus comes occurrit, cum Arnulfus Junior Flandrensis jam a. 988 obierit.

(200) Boussoit super fl. Haine, prope Binche. Le Glay. Castrum d. 21 Jan. jam captum fuisse. ostendit charta Ottonis, quam Gandæ in archivo S. Bavonis descripsi, *data* 12 *Kal. Feb. a. d. i.* 974, *ind* 2, *anno regni d. O.* 13, *imp. autem* 4. *Actum Bosgut in D. f. amen* (apud Miræum 1, 49, falso *Bosgrat* legitur). Natale Domini imperator adhuc Trajecti celebraverat.

(201) Alberti Virmandensis filius. Colv.

(202) Gouy en Arouaise. Colv.

precepit, vocatisque omnis rei causam cum gravitate proclamationis intimans [166], expeditionem super Lotharium ducere destinavit. Ad cujus exhortationem cuncti animos flectunt, indignantesque sibi factum dedecus, omnes unanimiter quasi vir unus invicem conspirationem faciunt, et pro fidelitate patris, qui eos familiariter enutrivit, usque ad exitum vitæ sese deservitum ire promittunt. His ergo adscitis atque coactis, tantæ copiæ exercitum movit, ut nemo tantam postea vel ante vidisse se meminisse potuerit. Et ne sua premissa legatio regem Lotharium fallat, prescripta quidem die in regnum ejus pervenit; prosperisque usus successibus primo Remensium, deinde Laudunensium, sed et Suessionensium, novissime vero partes Parisiorum diversa peste vastavit. Paternis tamen moribus instructus, æcclesias observavit, immo etiam oppulentis muneribus ditare potius estimavit. Deinde vero ad pompandam victoriæ suæ gloriam Hugoni, qui Parisius residebat, per legationem denuncians, quod in tantam sublimitatem Alleluia faceret ei decantari, in quanta non audierit, accitis quampluribus clericis *Alleluia te martirum* in loco qui dictur mons Martirum, in tantum elatis vocibus decantari precepit, ut attonitis auribus ipse Hugo et omnis Parisiorum plebs miraretur [167].

98. (97.) *Ubi Lotharius Ottonem insequitur, sed, Axona fluvio intercurrente, pugna differtur.* Qui cum [168] satis exhausta ultione congruam vicissitudinem se rependisse putaret, ad hiberna oportere se concedere ratus, inde simul revocato equitatu, circa festivitatem sancti Andreæ (*Nov.* 29), jam hieme subeunte, reditum disposuit: romensoque itinere, bono successu gestarum rerum gaudens, super Axonam fluvium castra metari precepit. Sed tamen quia iste fluvius, si quando imbres incubant, in tantum excrescere solet, ut absque navigio effretari non possit: suggerente atque exhortante comite Godefrido (203), ne quid videlicet inpedimenti tantæ copiæ militum in difficili transitu contingeret, preterlegere festinavit, paucis tamen famulorum remanentibus, qui retrogradientes — nam sarcinas bellicæ suppellectilis convectabant — pre fatigatione oneris, tenebris siquidem jam noctis incumbentibus, transitum in crastino differre arbitrati sunt. Sequenti vero die collectis quos potuit, Lotharius, licet inferior numero, ex pudoris tamen conscientia presumptionem colligens, occulte usque ad predictum fluvium hostes prosequitur. Cujus improviso impetu ipsi rei bellicæ portatores perterriti, dum sibi natatu consulere estimarent, subito excrescentibus undis,

A lapsis viribus mortui dimerguntur. Ipsa etenim nocte in tantum excrevit alveolus, ut difficultate importuosi littoris neuter alteri manum conferre potuerit; hoc ita sane, credo, Dei voluntate disposito, ne strages innumerabilis ederetur utrimque. Licet enim inferior Lotharius, ut ferunt, sese certamini miscuisset, cepit tamen jumenta, comminuit vehicula, quæ magis oneri quam usui in periculis habebantur. Parata vero navicula, per internuntios Otto Lothario mandat ut, si ei dimicandi sedulitas suppeteret, aut ille profecto sumptis obsidibus, ne forte videlicet aliqua suorum parte transacta, pluribus vero transigendis, dolo iter intercludendum suspicaretur, pugnatum transire festinaret; aut econtra ipse ab B eo sumptis quoque obsidibus, remenso fluvio adversus illum remearet, commissaque invicem pugna, cui Deus annueret, laureatus regni imperio potiretur. Hoc audito, comes quidam Goisfridus (203) nomine prorumpens in voce ait: «Quid tot ab utraque parte cædentur? Veniant ambo reges in unum tantummodo, nobisque procul spectantibus, summam periculi soli subeuntes una conferantur, unoque fuso ceteri reservati victori subjiciantur.» Ad hæc Godefridus itidem comes cum indignatione: «Semper, inquit, vestrum regem vobis vilem haberi audivimus non credentes; nunc autem, vobismetipsis fatentibus, credere fas est. Numquam nobis quiescentibus noster imperator pugnabit, numquam nobis sospiti- C bus in prelio periclitabitur. Hoc tamen eum fore victurum diffidimus, si vestro cum rege conferretur singulari certamine [169].»

99. (98.) *Multis seditionibus Tetdo episcopus atque molestiis a suis vassallis concutitur.* Hoc igitur modo regibus inter se discordantibus, jam dictu difficile est, quot procellis factionum intonantibus ab ipsis suis vassalis afficitur Tethdo episcopus. Quoniam namque imperatorem, malorum scilicet tortorem, in predicti belli negotiis occupatum noverant, ideo inpunitatis securitatem colligentes, episcopo, utpote simplici viro et linguæ regionis ignaro, subdolis suggestionibus injurias sæpe irrogabant. Aliquando etenim Walterus, totius veritatis effœtus (205), prætenta per dolum fide devotionis terrorem verisimilis D causæ incutiens illudebat; fraudulenter sane denuntians, Lotharium regem ad urbem incendendam collecta manu venire paratum, et omnem viciniam excidio collaturum. Qua de re presul perterritus, Walterum multa mercede donabat, plus pollicitus, si quovis modo tantæ pestis molimina epacaret (206). Qui fingens se mittere legationem ad amicos et propinquos in domo regia versantes, quasi ut

VARIÆ LECTIONES

[166] insinuans 8. [167] admiraretur 8. [168] imperator dum 8. [169] *hic* 8. *addit:* Inter hæc quidam in reclusione multo tempore famulatus Deo predixit, quod nullus illorum, qui hujus scandali auctores fuerunt, ultra septennium viveret. Quod et res probavit. *Cf. Alpertus* (*Mon. SS. IV.* 697).

NOTÆ.

(203) Vetulo, comite Ardennensi et Hannoniensi.
(204) Grisagonella.
(205) Qui jam fœtum edidit, jam nil amplius habet. Colv.
(206) I. e. omnino pacaret. Colv.

regem mitigarent, interpositis aliquot diebus ad episcopum iterum veniebat, suisque precibus suoque ingenio paratam expeditionem, rege quidem mansuefacto, quievisse referens jactitabat. Hac fraude episcopi gratiam captans, maximam opulentiam donorum excipiebat, immo vero cum aliis beneficiis villam cui nomen Lambras extorserat. Id quoque Heriwardus aliquando. Hic ante pre infidelitate relicto episcopo, raptoribus quorum mentionem jam fecimus, Rainero videlicet atque Lantberto, se addidit; verumtamen sub his parum proficiens, postea ad episcopum sub specie fidelitatis remeavit. Qui etiam versutis factionibus atque adulationibus sub quadam specie familiaritatis gratiam episcopi sibi emercabatur, eique aliquando suspiciosa et verisimili commentatione dolos machinabatur, asserens videlicet Raynerum atque Lantbertum ad bona episcopi devastanda parari. Hanc itaque false compositam suggestionem presul vere accipiens, haud mediocri sollicitatione constringebatur, illique, si quo genere ingenii eos mitigare valeret ne veniant, commutationem multæ mercedis pollicebatur. Qui protinus ad falsitatis illatæ suspicionem confirmandam illos quidem mitigandos adire se simulans, aliorsum declinat, et paulo post remeans quasi impetrata pace, promissa sibi reposcit. Huic itaque et aliis perniciose illudentibus tanta impendit, ut adhuc sedes episcopalis, sed et omnis parrochia, se divulsam ingemiscere videatur. Sub hac etiam specie ipse Heriwardus advocatias aliquantarum villarum quasi pro defensione presumpsit, sed plus quam inimicus prædo assiduis exactionibus devastavit.

100. (99.) *De obitu Tetdonis episcopi, et quid in celebratione missæ divina pietas ad nutum ejus operatur.* Sub hujus autem tempore, Arnulfo sene Flandransium comite mortuo, mox irruens Lotharius rex (207), possessionnes illius, abatias videlicet sancti Amandi, sanctique Vedasti cum castello, Duvaicum quoque, sed et omnia usque ad fluvium Lis cum omni occupatione invasit. Quod certe maximum metum incussit episcopo, conjicienti videlicet illum regem mox fortasse suam etiam urbem, quod proxima esset, occupaturum. His igitur et hujusmodi motibus semper affectus, mœrore tabescebat, sibique aliquando cum flebili querimonia

A properans dicebat: « Quid tu, o miserrime Teddo, quid tu patria relicta inter barbaros devenisti? Ecce tuis plana, sed et digna recompensatio meritis, quod tuum patrem sanctum Severinum reliquisti. » Inter hæc ergo episcopus, a tanto naufragio enatare conatus, Coloniam revertitur; et ne diutius tantis verberibus quateretur, credo, Deo miserante morbo correptus migravit a sæculo, et in basilica sancti Severini sepultus est. Nec [170] pretereundum, quod ei a superna pietate concessum a certis relatoribus accepimus. Quadam namque die, dum in monasterio sanctæ Mariæ super altare sancti Salvatoris sacrum mysterium celebraret, et ubi ventum, quod corpus Dominicum de more sacerdotali ad os offerre debe-

B ret: mox mirum in modum ipsa sacrosancti corporis confectio ad nutum episcopi cælitus sublevata, manibus ejus, ministris mirantibus, insiluit.

101. (100.) *Karolus dux causa titionis Cameracum ingressus multa mala edidit.* Quo defuncto, multo asperioris pestilentiæ causa exoritur, multo tempestuosioribus procellis ecclæsia Cameracensium naufragatur. Siquidem imperator a finibus sui regni procul remotus, super Sclavones quos adversum ierat expugnandos morabatur; relictique principes Lothariensum, quidnam de restitutione episcopi facerent, ambigebant. Jam vero Lotharium regem res Atrebatensis episcopii occupasse audierant, ideoque illum fortasse subita incursione urbem Ca-

C meracensium pervasurum esse formidabant. Quare comites, Godefridus videlicet, quo dignitate morum alter illustrior, alter non erat consilio prestantior, Arnulfus quoque, admodum sollicitati, Karolum ducem regis Lhotharii fratrem, quem Otto imperator multis beneficiis conductum, ut fraternis motibus secum fortior resisteret, citeriori Lotharingiæ sub se prefecerat — hunc, inquam, collato utrimque consilio adorsi monuerunt, ut urbem suo pastore orbatam festinanter ingressus, ab incursione fratris immunem, sed a cunctis quoque pervasoribus defensaret, vassallosque ejusdem loci ad fidelitatem imperatoris sacramento et obsidibus constringeret, dum imperator reversurus in patriam, episcopum

D rediberet. Huic consilio Karolus libenter accessit sed male tractans, non æquæ executionis actu libravit. Nam copioso agmine comitatus cum prefa-

VARIÆ LECTIONES.

[170] Nec — insiluit *auctor ipse postea in margine supplevit; sed quum codex a bibliopega concideretur, primæ cujusque lineæ litteræ abscisæ sunt, in prima* Nec p, *in secunda* quod ei a, *in tertia* te con. *in quarta* relat, *et sic deinceps. Damus has lacunas, prout Colvenerius eas ex* 2. *supplevit*; 3. *ita habet*: Non p. quod superna p. c. a. c. majoribus a. Q. n. d. d. i. m. s. M. ante a. s. S, s. m. c. e. u. v. esset, q. c. dominicum more s. offerre d. mirum in m. de sacrosancti c. mysterio ad n. episcopi *reliqua desunt, unius lineæ spatio relicto.*

NOTÆ

(207) Hic quædam confundit noster. Arnulfus senex obiit d. 27 Martii 965, et Lotharius Flandriam Gallicanam eodem anno invasit. Sed ut supra c. 87 certo constare vidimus d· 25 Dec. 965 Engrannus adhuc Cameracensem sedem tenuit. Itaque nec mors Arnulfi, nec Lotharii incursio *sub Tetdonis tempore* accidisse potest. Fortasse cum hac priore Lotharii expeditione noster confundit alteram anno 978 Aquisgranum versus susceptam. Porro Tetdonem metu Lotharii Coloniam secessisse ibique defunctum esse narrat. Sed mense adhuc Januario a. 974, i. e. novem annis post illam incursionem, episcopus cum imperatore castrum Buxudis obsedit; igitur poster demum Coloniam secessisse potest; quod tædio incursionis a. 965 patratæ anno 975 seu 978 facere nimis foret ridiculum.

prefatis etiam comitibus in urbem venit; sed tamen, sicuti erat inepti atque tardi ingenii, destandas usurpationes exercuit, adeo ut raptor potius quam tutor, potius temerator quam observator esse videretur. Unde indignati præfati comites et in iras moti illo quidem eo loci relicto, ad sua reversi sunt. Porro ille deinceps opportunitatem et gratiam loci atque sufficientiam totius alimenti nactus, uxorem sibi adfuturam esse mandavit, cui in cubiculo episcopi cum tota præsumptione lectum sterni precepit; omnesque opes in usibus episcopi exhibendas in superfluis commessationnibus tota effusione consumpsit. Thesaurum ecclesiæ dissipabat, prebendas vendebat immo et æcclesiastici ministerii negotia emptus pretio largiri mercantibus usurpabat; sicque totius infamiæ sarcinam tamdiu gessit, donec imperator reversus ad melius restituit.

102. (101.) *Rhotardu episcopalem casthedram suscepit.* Jam vero brumalis intemperieri pruinis incumbentibus, imperator revocata manu a bello, ad villam Polidam, propriam videlicet sedem, in natale Domini est reversus (208) (*an.* 979). Ubi cum ei vacatio Cameracensis æcclesiæ suggeritur, communi suffragio, et acclamatione Lothariensium, immo et obtentu Nocheri Leodecensium episcopi, Rothardo ex prosapia nobili orto, piis moribus adornato, infulam presulatus impertivit; quippe æstimans illum lenitudine ingenii sevitias Cameracensium posse pressurum (209). Hujus doni sublimitate adepta, circa initium quadragesimæ (*an.* 980.) commissum gregem visens, urbem petiit; nec multo post ab Alberone Remensium archiepiscopo summa cum veneracione ordinatus est utpote cum quo amicitiam et familiaritatem a puero tenebat, ex quo videlicet in scholis Gorgiensis (210) monasterii pariter condiscipuli extiterant.

103. (102) *Quod idem episcopus castellum Vinciacum diruit.* Suscipiens itaque vir venerabilis summam regiminis, contumeliarum exacerbationes multas et inexplicabiles repperit. Urbs etenim tota diverso modo non tantum exteris, sed etiam domesticis incussionibus, ut supra dictum est (*c.* 93. 99), laborabat; nulla pax interveniebat. Sed, ut reliqua taceam, nihil gravius, quam contra Ottonem prefatum Gogicensis castri [171] ferebat, qui tanta et tam creba incursione urgebat, ut omnes agricolas villarum, sed et totius urbis homines fecisset sibi tributarios. Quin etiam ut graviori infestatione premeret, juxta viculum, qui nomen Vinciacus (211) — distat autem ab urbe hac quattuor milibus —

A castrum munire festinabat; et fecisset quidem, ni episcopus tempore rescivisset. Illo namque id muniente et diversa operositate pertinaciter moliente, sinistro nuncio pontifex excitatus, nec mora, præfatis comitibus Godefrido atque Arnulfo cum aliis Lothariensibus legationem misit, ut, coacto milite ad destruendum opus sibi inimicum venire festinarent. Qui caute absque comperendinatione sumptis cunctis nocte ad episcopum veniunt, eique auxilium nimis copiosum atque armis munitissimum ferunt. Mane itaque facto, episcopus tanta ope sustentatus, civibus quoque suis atque rusticis comitatus locum munitionis invasit, castrumque turritum et jam pene perfectum, Deo adjuvante, demolito aggere [172] coæquavit arenis. Hoc ei maximam virtutis
B gloriam peperit. Dein vero tyrannum modo viribus terrificans, modo muneribus lactans, novissime omnimodo devictum sibi pacavit; sicque pacem et benivolentiam, preter Walterum suum castellanum, convertit. Porro iste multas adversus episcopum excitavit, inquietudines irrogavit, quamvis ei episcopus multa donasset multisque beneficiis suas possessionnes auxisset. Postea pontifex venerabilis monasterium sanctæ Mariæ perfecit, quod, ut diximus (*c.* 87), Engrannus episcopum cœpit, sed eisdem prenotatis seditionibus prepeditus ac statim morte preventus, imperfectum reliquit. Aram sanctæ Dei genitricis Mariæ aurea tabula ex lapidibus preciosis insignita vestivit; calicem etiam majorem cum patena purissimo fecit
C ex auro. Geminas quoque campanas magnas atque satis sonoras, quæ adhuc in turri quam struxit dependent, ex propriis sumptibus fabricavit. Villam vero quæ dicitur Villaris (212), altari sancti Johannis in usibus fratrum ejusdem æcclesiæ sanctæ Mariæ deputavit.

104. (103.) *Imperator contra Sarracenos bellum iniens vincitur, nec multo post obiit.* Decursis autem temporum spaciis, Otto imperator et rex Lhotharius inter se federati pacantur, et utrumque regnum facta tranquillitate quievit (*an.* 980). Interea Otto Romam profectus Sarracenos per terras Apuliæ desevire audierat; et sicuti juvenis audax, manu validus, animo exæstuat, moras precipitat (*an.* 981). Qui nec mora, non multis quos presentes habebat
D fultus, facto itinere illuc pertransiit; nec passus se expectare suos per intervalla itinerum sequunturos, mox contra hostem prelium inconsulte commisit. Armabat enim consuetudo vincendi et ignorantia cedendi. Sequidem congressu habito (*an.* 982), licet

VARIÆ LECTIONES.

171 *excidisse videtur* invasorem, *vel tale quid; cf. c.* 96. 172 agere 1.

NOTÆ.

(208) Otto II in palatio Polde bis Natale Domini egit, a. 974 et 979. Verum contra Slavos non a. 974 profectus est, sed a. 975 et 977. Igitur hoc loco annus 979 intelligendus est.

(209) Werde swingen konnen.

(210) Gorzia.

(211) Vinchy.

(212) Villers-Pol, prope Quesnoi. COLV.

numero longe inferior, multam cladem hostium edidit, sed tamen gloriam victoriæ superatus amisit. Nam sine consilio fortitudo in temeritate convertitur. Qui [173] transfugio sibi consulere æstimans, quia terra evadere non posset, velociter se misit in mari, visamque naviculam inimicorum, quam preter ullam suspitionem forte non procul a litore conspexerat, alacri sed et difficillimo natatu ascendit. Hunc enim jam pæne lapsabundum miserati remiges, admoto navigio susceperunt, longeque dissimilem et ignotum arbitrantes, causas infortunii rogaverunt. Ille vero tandem eorum barbara collocutione advertens se hostibus incaute oblatum, mox præ formidine fallere doctus, utpote inter hostes vitæ naufragus, quoquo modo potuit evasionis opem quæsivit. Finxit enim se quendam fore hominem ex ipsa Bar maritima urbe multis opibus affluentem, verum errore viæ incidisse naufragium. Illos tamen ditatum iri pro conpendio, si illæsum perducerent. Quo remiges empti cum ad votum cæsaris predictæ civitati admovissent naviculam, statim lætus imperator Teoderico Mettensium episcopo cæterisque suis principibus,qui in ipsius urbis tuitione recepti, regis periculum condolentes, ipsum quidem captum putabant, totius rei seriem per internuntios tacite inculcavit, et ut quasi ad remunerandos nautas sibi præmia afferrent callide ammonuit. Qui mox, inopina mandata gaudenter amplexi, scrinia ceteramque supellectilem regiam ad navim imperatori tulerunt, unaque etiam velocissimum cabalum adduxerunt; nautis vero ad convecta munera intendentibus, imperator extra naviculam vivaciter exilit, equoque ascenso, ita delusis hostibus, preter spem, credo, adjuvante Domino illesus evasit. Unde cum probro abscedens, pudore succensus, meliori consilio militarem copiam sibi ad reparandum prelium quærere estimavit. Verumtamem interim morte preventus, paulo post intervallo occubuit (*an.* 983, *Dec.* 7), Romæ quidem in porticu sancti Petri sepultus.

105. (104.) *Lotharius rex Karlensium et Einricus dux Bajoariorum quisque pro se tendunt ad imperium Lothariensium, puerque regius ab Einrico rapitur, sed postea vi eripitur.* Quo passim comperto, repente gemina labes mali regno exoritur. Nam ut se habet inquietudo morum, immo aut sæcularis ambitio, Lotharius rex, Henricus quoque dux Bajoariorum in prisca odia recrudescunt [174], pacem quidem bello

A mutantes, et quod patre vivo non poterant, modo superstiti libero æquivoco regni prærogativam eripere nitentes, ad usurpandi imperii potentiam intendere estimarunt. Huic enim proximitas loci, illi vero necessitudo generis aspirabat. Dux nimirum Heinricus regium puerum factiose raptum tenebat in custodiam, eique, ceteris principibus invitis atque dolentibus, imperialem gratiam adimebat. Interea mortuo Wifrido Virdunensium episcopo (*an.* 982 *vel* 983), multis profecto episcopalium militum resistentibus, aliquot vero consentientibus, urbem cum presumpta vendicatione Lotharius ingreditur (*an* 984). Dein quoque episcopatum Cameracensium se occupaturum esse minatur. Qua in re Rothardus pontifex haud mediocri terrore commotus, sapientissimo B tamen consilio usus, regem humiliter aggreditur, et in tantum ejus gratiam molli prece mercatur, ut prius urbe Leodecensium capta, priusque aliquantis principum Lothariensium subjugatis, ipse quoque postmodum absque difficultate subjiceretur. Pace itaque impetrata, spe tamen suspensa, interim quievit, dum Domino adjuvante puerum captum imperatoris filium sui principes de manu tenentis cum virtute extorserint et in jure paterno locaverint. Hic (213) postea, tam virtute quam ætate proficiens, adeo viguit ut ei rex Lotharius urbem Virdunensium captam et Godefridum comitem reddiderit (214) (*an.* 985).

106. (105.) *Epistola quam Laubienses monachi miserunt episcopis Rothardo Cameracensium, et* C *Nochero Leodecensium.* Nec absurdum videri putamus inserere quod Laubienses monachi, jam dudum pastore viduati, domnum Rothardum episcopum et Nocherum Leodecensium epistolariter aggressi (*an* 990), subrogari sibi abbatem Herigerum scripto hujusmodi petierunt : « Dominis et patribus episcopis venerabilibus Rothardo et Notkero, humilis Lobiensium caterva devotissima fidelium orationum munia. Jamdudum pastore viduati, diutissime vero rectoris sollicitii diligentia destituti, vestram convenimus paternitatem submissi, quoniam quidem alterum vestrum animabus, alterum Deus voluit subintendere corporibus (215), ut eum nobis provideatis abbatem, qui hoc sit quod dicatur, id est, D ut et corporibus paterno affectu necessariam curam impendat, et animarum salutem pastoris vigilantia non neglegat ; sitque interiorum curam in exterio-

VARIÆ LECTIONES

[173] Qui—illesus evasit *primo non erant in* 1. *sed statim pergebat* convertitur. Unde com probro *et cetera. Sed auctor ipse verba* Unde cum—estimavit *lineis transductis delevit, et signo* ꝭ *post* convertitur *inserto omnia illa* Qui—illesus evasit *in scedula assuta supplevit, præfixo eodem signo* ꝭ. *In* 2. 8. *verba.* Unde, cum — estimavit *desunt sed* 3. 5. *habent ea.* [174] retrudescunt 1.

NOTÆ

(213) Otto III.

(214) Godefridum reddere paratus fuit Lotharius, sed sub quibusdam tantum conditionibus. Quas quia Godefridus subire noluit, libertatem non consecutus est nisi mortuo demum Lothario.

(215) In spiritualibus enim Cameracensi, in temporalibus Leodiensi episcopo subjectum erat monasterium Laubiense.

rum occupatione non minuens, et exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat; cujus jussio vel doctrina velut fermentum divinæ justitiæ in discipulorum mentibus conspergatur, qui et studeat plus amari quam timeri, et in imperiis suis, sive secundum Deum, sive secundum seculum, providus sit et consideratus, ceteraque a beato Benedicto deprompta pro possibilitatis humanæ sollicitetur affectare convenientia. Ad quæ utcumque affectanda nullum hoc tempore aptiorem invenire potuimus, quam domnum Herigerum, virum [175], Deo teste, non secundum suam sed secundum nostram estimationem, ante annos multos et nobiscum socialiter ut fratrem conversatum, multisque emolumentis nobis proficuum, pluribus vero nostrorum magistri et educatoris strenuæ adimplentem officium. Cui licet desit sua attestatione catalogus virtutum a beato Benedicto in abbatem defloratus, tamen ad hæc aspiranda bonæ intentionis semper affuit intuitus, secundum illud evangelicum: « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit (*Matth.* vi, 22); » id est quodlibet sit opus in publico, bona tamen intentio maneat in occulto. In cujus electionem noveritis non deesse nostram unanimitatem, secundum nostræ regulæ institutionem, quæ precepit vel omnino concordem in hoc fieri congregationem, vel saniori consilio etiam quamvis minimam partem. Nam etsi sit aliquis huic electioni non consentaneus, licet occultus, hic in se tulit sententiam, non refragante etiam vestra conscientia, quod omnino inutilis velit esse et inproficuus. Ad hoc autem animarum regimen aspirasse cum pecunia vel ambitione, quæ prima est de quadripartita pastoralis curæ subdivisione, Jesum testamur et tremendum ejus judicium, in nostra scientia non esse. Qualiter autem doceat, id est ut sciat unde proferat nova et vetera, certum est et vobis et nobis, ei sufficienter subesse. Sed et qualiter vivat, quod potissimum esse persensimus quod ejus conscientiam remordeat, inculcavimus ei quique sanioris fuimus consilii, beati Benedicti consolatoria, quæ sunt in hæc verba: « Dum » inquit « de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et dum de monitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus. Nimis est enim ethnicus et publicanus qui, alios reprehendens, nolit inreprehensibilis esse, cum idem beatus Benedictus dicat: « Quæcumque discipulos docuerit esse contraria, in suis actibus judicet non agenda. » Et de minori substantia sollicitum: « Nihil » inquit « deest
A timentibus Deum (*Psal.* xxxiii, 10). « Et: « Non affliget Dominus fame animam justi (*Prov.* x, 3). » Et: « Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem (*Psal.* xxxvi, 25). » Propter hoc primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* vi, 33). » Ad ultimum sub obtestatione divini timoris objecimus illud beati papæ Gregorii (*Cur. past.* 1, 5), de his qui prodesse possunt et preesse refugiunt. « Tantorum » inquit « in tremendo judicio rei futuri sunt, quantis hic prodesse potuerunt. » Ad hæc præbente illo assensum, et nos sub vestro et ceterorum testimonio promittimus ei nostræ secundum regulam obedientiæ bonum, et, salva in omnibus vestra auctoritate,
B satis nos ei facturos de nostra secundum propositum nostrum subjectione. Non autem existimet excellentia vestræ solertiæ, in hac nos electione verbis tantum fucatis et coturno eloquentiæ deservire voluisse, sed potius ea quæ desolationi nostræ et ipsi electo scimus necessaria fore, ex vero et non ficto corde vestræ magnitudini deprompsisse. »

107. (106.) *De inregularitate Fulradi abbatis, et quod inimicabat comitem Flandrensium et episcopum Rothardum.* In illo vero tempore Fulradus, falso nomine monachus, abbatiæ preerat sancti Vedasti, qui, inregulariter vivens, prolationem sancti nominis exuebat dignitate honoris Curis namque pastoralis sollertiæ male posthabitis, plus nimio sæcularibus negotiis inplicabatur, ac lenoci-
C nante carnis desiderio, horreo dicere, speciem sancti habitus omnino mentiebatur. Quod enim in usibus æcclesiæ sive fratrum deberet expendere, hoc nimirum, attat! per amicarum conciliabula turpiter profligabat. Qua de re ab episcopo sæpe clam vocatus, districte judicatur, graviter arguitur; sed cum, incorrigibili rigore duratus, ab incepto minus desisteret, publice reprehensus, virga apostolicæ auctoritatis jure feritur. Postea tamen speciem pœnitentiæ induens, ad satisfactionem recurrens, confessus culpam, rogans veniam, absolutione donatur. Procedente vero tempore pristinæ pravitati rursus adhærens, ut suis quidem feculentiis laxior possit insistere, cœpit inter episcopum et inter Arnulfum (216). Flandrensium comitem suosque fideles novam odiorum materiam interferre, ut presul videlicet inimicitiis comitis sollicitus, ejus
D nequitias desinat corrigere. Hoc profecto versutus incentor ad ampliandas discordias cum subdola et verisimili assertione addebat, se habere videlicet sancti Vinditiani ejusdem sedis episcopi privilegia, apostolica auctoritate confirmata, in quibus decre-

VARIÆ LECTIONES.

[175] *ita correxi*; verum 1. *rell.*

NOTÆ.

(216) Balduinum Barbatum potius, Arnulfo anno 988 successorem factum; hunc enim intelligendum noster ipse ostendit infra, c. 116, *inter ipsum et comitem Balduinum, ut supra diximus. falsas comminationes discordiarum seminabat.*

tum esset, monachos sancti Vedasti non debere habere [176] respectum ad pontificem aeclesiæ Cameracensium; ex hoc sane falsam argumentationem trahens, quod beatus Vinditianus suo tempore omnes inquietudines a monasterio sancti Vedasti scripto precepto exclusit, ut quiete et secundum regulam sancti Benedicti monachi viventes Deo servirent; non ut inordinate [177] et turpiter conversantes, veluti iste cum suis, a proposito deciscerent. Porro iste, qui contendebat disciplinam et increpationem episcopi declinare, et contra evangelicæ et apostolicæ institutionis auctoritatem a jugo episcopi cervicem deditionis excutere, male intelligebat sententiam sancti benedicti, ubi, tractans de ordinando abbate, inter cetera dicit: « Episcopus, ad cujus diocesim ipsum monasterium pertinet. » Quod quid sit, si cui ocium est diligenter intueri, ejusdem voluminis scripta discutiat. Infelix quidem male ememor factus quanta humilitate et quanta reverantia sui antecessores quondam dominum Theodericum ejusdem sedis episcopum adierunt, eo videlicet tempore quo Dani per viciniam hujus dioeceseos miserabiliter seviebant (*vide* c. 44(i inplorantes sane ut, quia tantæ moli impares tam arduam causam absque auctoritate episcopi attemptare formidabant, corpus sancti Vedasti quæsitum a loco moveret, et inpositum feretro pro metu Danorum ad deferendum aliorsum pararet. Qui suorum vota competenter previdens, quæque rogabant familiariter implevit, studioque suæ auctoritatis illo preciosissimo thesauro ad æcclesiam Belvacensium circumfusa multitudine plebis translato, ab eisdem fratribus laudes et gratiarum actiones maximas competenti jure suscepit. Post dissitudinem (217) vero longissimi temporis, terris quidem Danorum abcessu quietis, cum idem monachi sanctum corpus ad pristinam sedem referre disponerent, beato pontifice Theodorico jam dudum defuncto, Dodilonem successorem ejus quartum ad hujus rei negotium invitare estimarunt; directisque ad eum precibus, auctoritatem suæ præsentiæ postularunt. Hic, suorum desiderio satisfaciens, ad ecclesiam prememoratam Belvacensium perrexit: sanctoque thesauro summa cum veneratione ad suum locum relato, verbum inde faciens ad populum, annuam diem relationis sancti corporis (*Jul.* 15) perpetuæ celebritati sua episcopali auctoritate commendavit, Unde beatus pontifex ab eisdem fratribus obsequiorum exibitione donatur, munificisque laudibus honorifice cumulatur. Has autem benivolentiæ et subjectionis reverentias, quas sui antecessores omnibus episcopis hujus dioeceseos exhibebant, iste cum suis sequacibus Fulradus obli-

A vioni [178] male tradebat, qui contra evangelica et apostolica decreta episcopo subjugari detrectabat. Postea tamen multa auctoritate subjectus esse convincitur; tandemque resipiscens ad deditionis jugum, quamvis invitus, reflectitur; quia quicumque jugum episcopi declinare contendit, etiam Christi refugere convincitur. Nemo enim absque episcopalis ministerii conditione ad unitatem æcclesiæ colligitur) præsertim cum ipse legislator Dominus cum suis discipulis subjectus fuisse sacerdotibus in evangelio multifarie reperiatur, ipso attestante, qui ait: « Non veni legem solvere, sed adimplere (*Matth.* v, 17). » Ad discipulos autem subjectos pravis sacerdotibus dicit: « Quod dicunt, facite, quod B autem faciunt nolite facere (*Matth.* xxiii, 3). »

108. (107.) *Immunitates super rebus Sanctæ Mariæ corroborari regiis preceptis obtinuit.* Predium vero quod dicunt Fontanas (218), nec procul abest, æcclesiæ sanctæ Dei matris adquisivit, necnon et immunitates æcclesiæ ab antecedentibus imperatoribus insignitas, ab Ottone etiam tertio corroborari per testamentum hujusmodi paginæ: « In nomine sanctæ individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus superna gratia nos muniri diffidimus nequaquam. Proinde noverit industria omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum, quia vir C venerabilis Rothardus Cameracensis urbis episcopus obtulit obtutibus nostris immunitates beatæ memoriæ avi nostri Ottonis et ejus æquivoci genitoris nostri imperatorum augustorum; in quibus continebatur insertum qualiter predicti imperatores augusti nominatam sedem, quæ est in honore sanctæ Dei genitris Mariæ semperque virginis, ob amorem Dei et tranquillitatem fratrum ibidem consistentium semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulavit nos prædictus episcopus Rothardus ut ejusdem regis auctoritatem, amore et reverentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, nostra auctoritate confirmaremus. Quod ita per interventum episcopi illius aliorumque D fidelium nostrorum, Hildebaldi Wormaciensis æcclesiæ venerabilis episcopi, et Nothgeri Leodicencis æcclesiæ honorandi præsulis, atquievimus, et ita in omnibus concessimus atque per hoc preceptum nostræ auctoritatis roboravimus. Precipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus aut aliquis comes vel quislibet ex judiciaria potestate, in æcclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones ipsius æcclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet æcclesia, vel

VARIÆ LECTIONES.

[176] abere 1. [177] inordinante 1. [178] oblioni 1.

NOTÆ.

(27) Distantiam.

(218) Fontaine Notre-Dame.

ea quæ deinceps a catholicis viris eidem collata fuerint æcclesiæ, ad causas audiendas aut freda vel mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius æcclesiæ, tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes nequaquam distringendos, vel ullas retributiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat vel ea quæ [179] supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato presuli suisque successoribus res predictæ æcclesiæ, cum cellulis et rebus vel hominibus sibi legaliter subjectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi una cum clero et populo sibi subjecto libere Dei misericordiam [180] exorare. Et quicquid exinde fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius æcclesiæ concinnandis [181] perpetualiter concessimus ad habendum. Insuper nostra largitione [182] concedimus prefato episcopo et successoribus ejus omne teloneum cum moneta civitatis suæ Camoracensis, eo videlicet tenore ut novem partes episcoporum usibus deputentur, decima vero pars ad usus fratrum ejusdem congregationis perpetualiter in elemosinam nostram proficiat. Præterea constituimus ne quis dux vel comes atque vicarius seu quislibet ex judiciaria potestate, nostram vel patrum nostrorum regum [183] violare presumat. Quod si fecerit, causis regalibus sit obnoxius, et insuper solidis sexcentis culpabilis judicetur, videlicet ut duæ partes in archivum ipsius æcclesiæ admittantur, et tertiam [184] fiscus regalis noster recipiat; ut nullus tale quid audere deinceps præsumat. Quod ita et nos per hanc nostram auctoritatem confirmamus, ut sicut a beatæ memoriæ avo nostro et genitore nostro predictæ æcclesiæ collatum atque firmatum est, ita deinceps inviolabiliter conservetur. Et ut hæc nostra auctoritas a fidelibus sanctæ Dei acclesiæ et [185] nostris verius certiusque credatur, manu propria subter eam firmavimus, et anulo nostro jussimus insigniri. Signum domni Ottonis gloriosissimi regis. Hildebaldus episcopus cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data 5 Kalendas Julii, anno domi-

A nicæ incarnationis 991. indictione 4, anno autem tertii Ottonis regnantis 8. Actum Novimago feliciter. Amen.

[186] (108.) « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia rex. Si nos piis fidelium precibus facile prebemus exorabiles, credendum est in principatu stabiles et æterna beatitudine mansuros fore perdurabiles. Quapropter omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet ac futurorum, noverit industria qualiter nos Notgeri episcopi necnon et Hildeboldi ceterorumque fidelium petitionem adimplentes, dedimus unum forastum Rothardo episcopo Cameracensis æcclesiæ, ad æcclesiam sanctæ Mariæ, ob remedium animæ no-
B stræ nostrorumque parentum, tendens in longitudine a Sauvlonir monte (219) usque in illum locum ubi duæ Elpræ cadunt in Sambram; in latitudine autem a villa quæ dicitur Basius (220), et loco qui vocatur Gurgunces (221), ita ut Sambra decurrit et duæ Elpræ, usque ad interiorem ripam ulterioris Elpræ. Nostroque banno firmavimus, ea videlicet ratione ut nulla majorum minorumque persona in bivangio predicti forasti, nisi cum licentia prefati episcopi Rothardi ejusque successorum, venari præsumat; sed ipse ejusque successores ex nostro regio dono venationis potestative teneant, et quibuscumque placert, venandi licentiam concedant. Et ut hoc nostræ donationis munus firmum consistat, hoc
C preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare jussimus, manuque propria, ut infra videtur corroboravimus. Signum domni Ottonis gloriosissimi imperatoris. Hildiboldus episcopus et cancellarius vice Villigisi archiepiscopi recognovi. Acta 8 Kal. Maii, anno dominicæ incarnationis [997] [187], indictione 8, anno [188] autem 1 Ottonis imperantis. Actum est Granni (222) palatii feliciter, Amen. »

109. *De obitu Rothardi episcopi.* Interea Rothardus episcopus ad remunerationem sui laboris vocatus, migravit a seculo [*an.* 995] (223), sepultusque est juxta monasterium sanctæ Mariæ ad australem partem. Super cujus tumulum cuidam suus familiaris præpositus, cui nomen Godelinus, ædificavit oratorium apostolorum Simonis et Judæ et sancti Severini.

VARIÆ LECTIONES.

[179] *deest* 1. [180] D. m. *desunt, spatio sex fere litterarum relicto* 1. 3. [181] concinnanda 1. 3. [182] largitionem 1. [183] *scilicet auctoritatem, cf. c.* 64. [184] *tertia* 1. [185] *est* 1. [186] *Seqens diploma in* 1. *auctor ipse post addidit in scedula jam deperdita, sed Colvenerio adhuc visa. Deest* 5; *sed legitur in* 2.3. [187] *numero spatium relictum in* 1. 2. 3. *Ex tribus hujus chartæ exemplaribus, Cameraci tempore Colvenerii servatis, duo, habebant a.* 995. *tertium* 983. *Indictio* 8. *fuit anno* 995; *sed tunc Otto nondum fuit imperator; quippe qui coronatus fuit demum,* 21. *Maii* 996. *Atqui mense Maio* 997. *Otto revera Aquis degebat; quare chartam huic anno adscriberemus, ni noster statim traderet Rothardi in hac charta nominati successorem Romam profectum una cum Imperatore, illuc etiam ad imperii culmen sublimando, et a Gregorio consecratum, qui ipse* 3. *Maii* 996. *demum papa consecratus est. Errorem igitur inesse oportet in diplomate* [188] anno-amen *desunt.*

NOTÆ.

(219) Videtur esset Montplaisir, prope Câteau. Le Glay.

(220) Barzy, canton de Guise. Colv.

(221) Gourgonce, prope Barzy. Colv.

(222) Aquisgrani.

(223. Necrol Beatæ Mariæ Camerac., jam bibl. Cam. n. 165, sæc. XIII ex. : 15 *Kal. Sept. obiit Rothardus episcopus.*

110 *Erluinus succedit et Romæ ordinatur.* Post hunc substituitur Erluinus (*an.* 995), qui, æcclesiæ Leodecensium archidiaconus, tam et æcclesiasticis quam secularibus negotiis eruditus, qui sæpe terendo limina principum, longe lateque emicuit clarus. Hunc Nocherus bonæ memoriæ episcopus ad Mathildem, cui ipse Erluinus familiaris erat, filiam videlicet Ottonis senis imperatoris, abbatissam æcclesiæ Quitinaborch (224), monuit ire festinanter, ut suo suffragio ad episcopii dignitatem adtingeret. Quidam quoque Azelinus nomine, de Truncinis (225) villa, Balduini Flandrensium comitis de concubina filius, postea tamen Parisiorum episcopus, Sophiam sororem juvenis imperatoris pecunia adorsus est, ut ejus obtentu pontificii culmen sortiretur. Ab utraque igitur parte imperator pulsatur, sed tamen, Deo disponente, magis alterius rogationi inflectitur. Nam sorore Sophia nesciente Mathildi amitæ consenserat, atque Erluino in die solemni sancti Dionisii regimen pastorale commiserat. Qui tanto munere suscepto, urbem commissam petiit; sed bona antecessoris sui Rothardi a Waltero et ab aliis, qui milites æcclesiæ esse deberent, vastata repperiens, ingemuit. Per idem vero tempus (991) Arnulfus Remensium archiepiscopus pro multis sceleribus, et maxime pro infidelitate sui senioris (226), ab episcopali gradu depositus erat; in cujus vice Gerbertus, quo litteratior postea nemo extitit, subrogatus sedebat. Hoc autem, ventilantibus tamen quibusdam episcopis, inventum est quod quia absque scientia et auctoritate papæ Romanæ sedis erat degradatus, ad eamdem sedem recursus legitime patere [189] valeret. Unde, quia inter eos diuturna contentio habebatur, Romam cum domino imperatore illuc etiam ad imperii culmen sublimando Erluinus profectus est a papa ordinandus (*an. 996, Mart.*). Sed paulo antequam ibi pervenirent, Johanne papa defuncto (*Mai.* 3), Bruno, qui postea Gregorius appellatus est, ad sedem apostolicam, assensu Romanorum, promovetur (*Mai.* 21). Ab hoc igitur consecratus imperator sumpsit diadema imperii, Erluinus vero culmen pontificalis sacerdotii.

111. Exin vero inibi habita sinodo coram imperatore, papa residente cum episcopis, abbatibus presbiteris, cum de necessariis [190] æcclesiæ negotiis satis tractaretur: Erluinus episcopus surgens populatores suæ parrochiæ cum gravitate querimoniæ A indicavit, sed et quod nuper opes sui antecessoris, ut premisimus, a Waltero et ab aliis devastatas reppererit, in medio proclamationem extulit. Unde papa confirmante, immo episcopis, abbatibus, cunctis quoque qui ibi residebant assentientibus, caraxaturam fieri obtinuit hujusmodi [191]: [« ✠ Gregorius episcopus servus servorum Dei... » (*Vide Patrologiæ tom. CXXXVII, col.* 904). « Scriptum per manus Petrisgionis notarii et scriptoris sanctæ Romanæ æcclesiæ, in mense Maio, et indictione 9. In Christo bene valete ✠ Anno pontificatus domni Gregorii summi pontificis et universalis æcclesiæ papæ, anno 1, imperii vero domni Ottonis tertii imperatoris anno 11 (227-228). »]

B 112. *Novum castellum regia auctoritate firmavit* (*an.* 996). His ita gestis ad sedem commissæ æcclesiæ pontifex remeavit, sedatisque militibus, quietam terram suæ parrochiæ repperit, preter paucas villarum circa silvam Terasciam (229), quas quidam ex Laudunensibus atque Vermandensibus perniciosissimi milites sæpe occultis infestationibus inquietabant, sæpe apertis invasionibus lacerabant. Unde præsul sollicitus, in Perrona villa (230) super Savum (231) fluvium, quam multo ante tempore huic æcclesiæ subtractam, sed tempore Dodilonis episcopi, ut ante retulimus (232) a Cendeboldo rege restitutam, rursum vero nescimus quomodo redivulsam virisque potentibus beneficiatam, mutuatis ta- C men rebus, quas Johannes episcopus in pago Condrensi et Hasbaniensi huic æcclesiæ adquisivit, Erluinus redemit; — in hac inquam villa, circa quam predicti raptores gravius grassabantur, castellum muniri imperiali præcepto obtinuit, ut hoc esset obstaculum latronibus præsidiumque libertatis circum et circa rusticanis cultoribus. Quod præceptum immunitatis subnectere ratum duximus ita: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Otto superna favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis divino cultui mancipatis proprietates sublimare atque honore saugere studuerimus, id non solum laude humana prædicandum, verum etiam mercede divina remunerandum scimus et D vere credimus. Unde agnoscat multitudo omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum, quod nos Erluwino venerabili episcopo, ob interventum Leonis episcopi et cæterorum, dedimus jus, fas atque licentiam faciendi statuendi ac construendi merchatum, cum moneta, theloneo,

VARIÆ LECTIONES

189 *ita conjecit Colv.;* pa 1. *erasis postea quinque fere litteris. 1.* prevaleret 3. 190 nessariis 1. 191 *post hanc vocem in 1. reliqua pars paginæ vacua relicta est; sequens pagina summa incipit:* Novum castellum *etc. eodem prorsus calamo atque atramento. Deest igitur bulla, sed scriba eam supplere voluit. Idem plane factum est in 3. Colvenerius bullam dedit ex 2, quam hic inscrimus uncinis inclusam, quippe quam auctor dandam sibi proposuerat, ut testatur verbo* hujusmodi.

NOTÆ

(224) Quedlinburg.
(225) Cronghene, prope Gandavum.
(226) I. e. contra dominum suum Hugonem Capet.
(227-228) Falsum. Imperii fuit I, regni XIII.
(229) La forêt de Thiérache s'étendait des sources de la Sambre aux limites du comté de Namur. LE GLAY.
(230) Hodie le Câteau: cf. c. 86.
(231) Selle. LE GLAY.
(232) Errat noster; nil ea de re retulit.

banno et totius publicæ rei ministeriis, in quadam proprietate sanctæ Kameracensis æcclesiæ, in loco qui vocatur castellum sanctæ Mariæ, quod vocabatur antea Vendelgeias, quod [192] situm est in pago Kameracensi ac comitatu Arnulfi comitis (233). Atque prædictum merchatum, monetam, theloneum, bannum, cum tota publica functione, in proprium concedimus sanctæ Kameracensi æcclesiæ, tali tenore ut nullus dux, marchio, sive comes, seu aliquis homo ullam potestatem habeat super memoratum merchatum, nisi cum licentia episcopi Erlewini suorumque successorum. Unde imperiali jubemus atque statuimus potentia ut omnes homines jam dictum merchatum visitantes, euntes, negotiantes atque commorantes, eundo et redeundo talem obtineant pacem, qualem juste detinent negotiatiores in merchato Kameracensis civitatis. Igitur quicumque predictum merchatum frangere seu violare temptaverit, conponat talem nostri juris bannum, qualem prout lex exigit, qui solvere debent, qui illud Kameracense merchatum temerarie inquietaverint. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmior permaneat, hanc paginam manu propria roborantes, sigillare jussimus. Signum domni Ottonis cæsaris invicti. Heribertus cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovit. Data 11. Kal. Mai. Anno dominicæ incarnationis 1001, indictione 14. Anno tertii Ottonis regni 17, imperii 5. Actum Ravennæ feliciter, amen. »

113. *De injuriis militum, et quod monasterium sancti Autberti ampliavit et episcopalem domum sublimavit.* Ab ipsis vero suis militibus, quos in sui castelli custodes ordinavit, plerasque injurias excepit; sed tamen eisdem devictis, interveniente concordia et interposita pace quievit. Hujus præceptione Godefridus suus quidam archidiaconus monasterium sancti Autberti, quod intra muros urbis est, amplioravit; et ipse episcopus in stipendariis fratrum duas villas, unam Avesna (234) videlicet reddidit, alteram vero Tiliodium (235) contulit, ut servitus Dei augeretur, numerus fratrum multiplicaretur. Ipse etiam pontifex episcopalem domum superbis ædificiis sublimatam fundavit.

114. *De obitu tercii Ottonis, et de succedente Einrico.* Interea vero obortis simultatibus inter comites Balduinum (236) videlicet Flandrensem atque Arnulfum Valentianensem, asperrima excrevit discordia, quæ usque ad bellum procedens quietem hujus civitatis plerumque interpolavit. Nam quia Erluinus episcopus cum Arnulfo comite, utpote cum communis deditionis sub imperatore consocio, familiaritatem habebat, Balduinus civitati huic multas incommoditates irrogabat. Gravius etiam furori incubuit, ubi mortem imperatoris tercii Ottonis audierit. Siquidem [193] eodem tempore (*an.* 1000) imperator, Romam profectus, in antiquo palacio quod est in monte Avontino versabatur; et sicuti juvenis, tam viribus audax quam genere potens, magnum quiddam, immo et impossibile cogitans, virtutem Romani imperii ad potentiam veterum regum attollere conabatur. Mores etiam æcclesiasticos, quos avaricia Romanorum pravis conmercationum usibus viciabant, ad normam prioris gratiæ reformare estimabat. Ut autem efficacius hoc perfecisset, summam familiaritatis gratiam exhibebat Romanis; ipsosque, ut locorum accolas et morum ac consuetudinum gnaros, suis Teutonicis preferens, consiliarios sibi habebat et primos. Nimirum bene et satis caute dispositum, si effectum contingeret. Sed neutrum habitum. Quo enim inclinatiorem Romanis prestabat gratiam, tanto cervicatiorem prodidere superbiam. Plerumque etenim maxima familiaritas contemptum parit. Porro cum et legis observantiam et justiciæ normam æquo moderamine exerceret, mox oborta indignatio, mox de amore in odia efferati, ut se habet eorum effrenis inæqualitas morum, amicitiam seditione mutarunt. Tantoque processu crevit discordia, ut facto impetu Mazelinum quendam preclarum juvenem, imperatori familiarem, perimerent. Denique et ipsum [194] imperatorem coacta manu valida in jam dicto palatio ita clausere per triduum, ut nec ei alimenta ferri [195], nec quis aut exire aut introire ad illum potuerit (*An.* 1001, *Jun.*). Vixque evasisset periculum, ni Einricus dux Bajoariæ, qui, ut in consequentibus [196] liquet, post hunc infulas regni induit, Hugoque marchio Italiæ tempore subvenirent. Hii nimirum, sicat suis castris exterius [197] erant, subita rerum conversione attoniti, quid intenderent addubitant, preruptamque hostium audaciam verbis consultius mitigandam quam armis estimant excitandam. Horum itaque furorem pacifice convenientes, verborum mollicie lactant, dicentesque se pacem interposituros [198], aditum soluta obsidione inpetrarunt. Qui ad seniorem ingressi, manum obsidentium invincibilem, nullam sibi tutam spem nisi aufugio [199] intimarunt; ideoque ipsum clam hostibus foras callide eduxerunt. Sic itaquo imperator cum Ger-

VARIÆ LECTIONES

[192] *que 1.* [193] *Sequentia* eodem — cometæ apparuerunt *primo non fuerunt in 1, sed inter* siquidem et imperator *una tantum vox septem fere litterarum legebatur. Hanc autem vocem aucter ipse delevit, deletaque signum ·:·:· imponens, illius loco verba* eodem — cometæ *apparuerunt in scedula assuta adjecit. Hanc 2. 3. viderunt adhuc descripseruntque; 5. non jam habuit. neque quicquam inde nunc superest nisi foramina acu facta in membrana pauxillumque fili.* [194] *deest 4.* [195] darent 3. [196] connentibus 3. [197] extrinsecus 2. [198] ini::turos 3. [199] transfugio 2.

NOTÆ

(233) De eo cf. supra c. 95.
(234) Avesne-le-Sec, prope Bouchain. Colv.
(235) Tilloi prope Cameracum. Colv.
(236) Barbatum, a. 988-1036.

berto papa, qui cognominabatur Silvester, una [200] egressus, Ravennam et alias provinciæ urbes peragrat, et ad ulciscendam irrogatam injuriam cogit auxilium. Dum hæc vero intendebat, morbo correptus, morte preventus, anno dominicæ incarnationis 1002 [201] diem clausit. Ipso vero anno antequam moreretur, multa prodigia in cælo visa sunt. Nam quadam die 19. Kal. Junuarii (*An.* 1002, *Jan.* 21), circa horam 9. quasi quædam facula ardens fisso cælo cum longo tractu instar fulguris terris delabitur, tanto sane splendore, ut non modo qui foras in agris, verum etiam in tectis, irrupto [202] per quæque patentia lumine, oculi [203] ferirentur. Ipsa vero cæli fissura dum clementis in se invicem propinquantibus [204] sensim evanesceret, interim, mirabile dictu! quasi in similitudine serpentis, crescente quidem [205] capite cum ceruleis pedibus visa est figurari. Et hoc non sine grandi admiratione multis spectantibus paulo post disparuit. Ipso etiam anno cometæ apparuerunt. Imperator contra Romanos cum multa expeditione committere bellum profectus, diem obiit, sed inde a principibus suis, ducibus, episcopis honorifice revectus, in æcclesia Aquisgrani sepultus in pace quievit. Post cujus decessum principes Lothariensium Heinricum, Heinrici præmissi ducis Bajoariorum filium, sibi legunt ad regni imperium, virum videlicet moribus pium, consilio providum, bello strenuum, defuncti imperatoris proxime consanguineum. — Ipse vero Balduinus interim multa manu collecta Valentianense castrum obsedit, atque Arnulfo, quia longe numero erat inferior, expulso vendicare presumpsit. Quibus ita gestis Heinricus rex excitatus, Balduinum sæpe ad justitiam vocavit; sed semper renitens vocationes ejus sprevit. Rex itaque paucis post diebus, multitudine suorum principum fultus, immo etiam cum Rotberto rege Karlensium, sed et pariter cum Richardo duce Rotomagensium idem castellum cum indignatione aggressus, super Balduinum irruit; sed exigentibus peccatis populi, immo et aliquot suorum fraude detrectantibus, frustrata spe nihil proficiens in sua remeavit (*An.* 1006).

115. *Timens Balduinum episcopus ad regem vadit.* Postea hujus obsidionis incentorem Erluinum episcopum Balduinus existimat, ideoque in ipsum et in viscera totius urbis districtam ultionem sę facturam esse minatur. Unde præsul perterritus, civitatis statum et rei publicæ negotium archidiaconis et primis militum commendavit, et ne incaute ab ipso minace tiranno opprimeretur, regem expetiit. Ubi sane tamdiu demoratus est donec videlicet rex coacto multo milite castrum Gandavum ad devastandam terram invadit. (*An* 1007), captisque aliquot

A ex Balduini primis militibus, adeo Balduinum perterrefecit, ut mox suus effectus, ad totius generis satisfactionem veniens, castellum Valentianense ei reddiderit, datisque obsidibus cum sacramento quoque fidelitatem et pacem ei servaturum esse inantea spoponderit. Postea tamen gravibus et multis seditionibus premitur, et ideo Balduino, ut sibi esset auxilio, castellum hoc Valentianense beneficiavit.

116. *De rabie Fulradi abbatis, et quod, dejecto illo, abbatia donatur Richardo.* Unde pontifex aliquandiu pacem adeptus, sed ab insolentiis premissi Fulradi minime feriabatur, qui easdem turpitudines quas Rothardus sopierat redintegrare nullatenus cessabat; et quia episcopus eum sæpe vocatum di-
B stricte et canonice arguebat, inter illum et comitem Balduinum, ut supra diximus (237), falsas commentationes discordiarum seminabat, sane comiti deferens habere se supra dicta privilegia. Infelix ille! qui beatum Augustinum non advertebat memoriæ dicentem male illos disputare contra claves æcclesiæ, qui auctoritatem æcclesiasticam, quam in episcopis constat fateri, contendunt adnullare; alioquin æcclesia quæ in episcopali auctoritate habetur, potestatem ligandi atque solvendi neutiquam habere valeret. Ille autem sacros monitus episcopi parvipendens, magis magisque lenociniis insistebat et ab inceptis pravitatibus minime desciscebat. Unde ab Erluino non minus quam antea a Rothardo sæpe publice reprehensus, sed constanter resultans et se
C procaci calliditate defendens, tamen vinculo anathematis obligatur. Preterea vero ad cumulum sui furoris et ad augmentum suæ dampnationis, incentore quidem diabolo motus adversum pontificem, tanti turgoris cervicem erexit, ut multa manu coacta, consentiente comite Balduino, super bona ejus quæ in territorio Atrebatensi erant, incendia perpetraverit. Divina tamen clementia dispensante [206] enormitas suorum scelerum nequaquam diu latere potuit comitem; sed plane deprehensus, calumniarum precium luit. Comes namque illius nequitiarum studia tandem advertens, diu se circumscriptum fallaciis conscius indoluit; illiusque delationes magis dolo congestas quam fide suffultas intelligens,
D in ipsum delatorem omnes causas jure transfudit. Namque Atrebati in ipso claustro monachorum statuto consilio (*An.* 1004) episcopum, utpote preceptorem et magistrum æcclesiæ, invitavit; ponensque rationem cum fratribus, qualiter Fulradus abbatiam eatenus moderatus est, episcopo audiente quæsivit. Conperto autem quo nihil religionis interius doctrinaverit, exteriusque bona male dissipaverit, legaliter et canonice reprehensum in custodia epi-

VARIÆ LECTIONES.

200 Roma 2. 201 *numerus anni deest* 3. *spatio relicto.* 202 irrumpens 3. 203 oculos 2. 204 remeantibus 2. 205 qui 3. 206 despensante 1.

NOTÆ.

(237) c. 107, *inter episcopum et inter Arnulfum Flandrensium comitem.*

scopus misit, summamque abbatiæ Herlbertus boni testimonii monachus sumpsit. Hic perfectæ et inreprahensibilis conversationis ac religiosæ simplicitatis plenus, sed ad tanta reparanda et reordinanda, quæ suus antecessor destruxit, minus idoneus. Quare et huic amotam abbatiam Richardo religiosissimo viro (238) comes, providente episcopo atque ordinante, moderandam commisit. Qui in tantum fratres norma disciplinatæ religionis extruxerit, et in tantum res stipendiarias multiplicare exterius laboraverit, ut in nostris viciniis, Deo annuente, nulla abbatia religione sit præstantior aut opibus locupletior. Hic etiam, extincta Fulradi malicia, semper domno episcopo cum tota reverentia subjectus extitit, eique in omnibus, sicuti decet, intemerato amoris signaculo obsecundavit [207]. Fulradus vero, rapta secum pecunia quam de rebus sancti Vedasti furto subtraxerat, æcclesiam Remensium expetit, deploratisque suarum erumnarum necessitudinibus, Arnulfum archipræsulem, qui tunc temporis æcclesiæ preerat, suo consilio oblatis muneribus flectere estimavit. Illum namque et ministros ejus oppignoravit precio, ut sibi, quasi per prejudicium deposito, forte recursus ad privatam gratiam ipsius auctoritate pateret. Erat enim ipse archiepiscopus degener animi; et, quamvis supradictæ institutionis consultibus prejudicare nullo modo valeret, tamen donorum avidus recipiebat oblata, suæ quidem avariciæ magis quam illius consulens causæ. In cujus ferendo suffragio dum aliquanto temporis intentionem spei suspenderet, in ipsa urbe turpem conversationem agebat, et cum Judeis negotia exercebat. Interim tamen miser morte præventus, divina ultione percussus, inpœnitens nec confessus diem obiit (*an.* 1004).

117. *De obitu Walteri castellani.* Interea Walterus castellanus gravi langore correptus, facta legatione episcopum precatus est ut filio suo Waltero terram suam beneficiaret, eique filius salvo usu paternæ hereditatis militaret. Episcopus vero patre intolerabili filium procul intolerabiliorem futurum, ut postea probavit eventus, existimans, quod rogabatur abnuit sed tamen paululum flexus, ita facturum se esse respondit, si prius ei prævaricationes quas contra æcclesiam et pauperes Christi fecerat usque ad satisfactionem emendaret, immo et villam Salliacum, quam invito episcopo tenebat, redderet. Porro istam villam suæ (239) uxori hoc pacto præstitit, ut ei (240) femineis operibus deserviret, suique senioris (241) malitia quiesceret. Verum quia pontifex ipse neutrius ullam commutationem habebat, id est neque uxor promissum obsequium exhibebat, neque viri ejus servitiam cessare videbat, villam reextorquere quaerebat. Ille autem quamvis morti, morbo immedicabiliter fatigante, propinquus, tamen nullo modo emendacionis resipuit, suosque milites ad se vocans, ad fidelitatem sui filii sacramento constrinxit; monens quippe et cohortans ut, si forte moreretur, filium suum tota deditione cum fide et benivolentia observarent, adversusque episcopum pertinaciter sustentarent. Denique, intercedente aliquo temporis, episcopum quoque infirmitate laborantem Balduinus comes visitare advenerat, quem Walterus ferme moriens auxilio sui filii precibus attraxerat. Qui Walterus non multo post cum tanta malicia, dato fine malorum, in ipso langore vitam finivit.

118. *De eo* [208] *quod moriente episcopo, Walterus filius Walteri domum episcopalem invasit.* Pontifex quoque, diutino morbo laborans, diem suæ vocationis expectabat. Walterus vero tam sevitia quam natura patrissans (242), patrem etiam omnimodo referens, adversus episcopum insanire nequaquam cessabat. Egritudine enim episcopi crescebat Walteri ferocitas. Quare præsul sæpe, graviter motus, usurpatoris insolentiam virga perpetuæ dampnationis ferire disposuit, sed quorumdam suorum precibus, ac precipue Seiheri Lenensis, hujus videlicet patrui, flexus, aliquamdiu distulit. Hic Seiherus, providus consultor, nepotis superbiam modo prece modo minarum asperitate comprimens, iram vero episcopi jure excitatam precum lenitate humiliter lactans, eos nimirum pacavit: eo siquidem pacto ut Walterus pro admissis viginti libras argenteorum revadiaret, ac inantea se quieturum esse promitteret. Deinde præsul blande ac leniter exhortatur ut fidem dictis adhibeat, et, si morte preventus in ipso langore hominem exiret, æcclesiam fideliter et viriliter teneat donec alter pastor succedat. Hoc autem male oblitterans, subduxit effectui. Paucis namque diebus interpositis, invalescente morbo, ad dissolutionem corporis episcopi tota domus increpuit, ita ut mortuus foris estimaretur. Audito Walterus continuo lætus, cum multitudine suorum armatus, fractis foribus domos clericorum furibundus irrupit, quas et stabula quoque episcopi raptis caballis direptioni contulit. Ad cujus furorem episcopus, jam quidem marcentibus oculis, viribus destitutis, cum nimia difficultate aures intendens, sibi adhuc viventi insultari alto suspirio graviter infremuit, manibusque paululum celo directis, latronem hunc in die ultionis coram summo judice condempnandum invocans, posthac cum hac indignatione 3 Nonas Februarii spiritum exalavit (243) (*an.* 1012).

VARIÆ LECTIONES

[207] *Sequentia usque ad finem capitis auctor ipse in margine supplevit.* [208] *deest 1.*

NOTÆ

(238) Abbati S. Vitoni Virdunensis, defuncto a. 1046.
(239) I. e. ejus, Walteri.
(240) I. e. sibi, episcopo scilicet.
(241) I. e. mariti.
(242) I. e. patri similis.
(243) Ann. Quedlinb. 1012: *obiit Erluinus Camerinus episcopus, cujus loco ordinatur Gerhardus.*

119. *De tumulatione episcopi.* Interea suis merentibus funus exequiali cultu paratur, corpusque in monasterio sanctæ Mariæ[209] cum debita veneratione defertur. In cujus depositione ceteris hejulantibus, Walterus præ gaudio perstrepens debachatur, totus siquidem direptioni et latrociniis deditus. Postremo vero, ne cujus nequitiæ genus pretermitteret, Seihero fratre sibi adhibito, in monasterium ubi exequiæ fiebant cum furore armatus concessit, et, nullius reverentiæ intuitu revocatus, capellanos ultima obsequia reddentes stricto gladio usque ad altare sanctæ Mariæ miserabili spectaculo effugavit. His ita turbatis sepulturam distulit, donec Richardus præmemoratus abbas Atrebatensis cœnobii veniens; in monasterio sancti Autberti ad aquilonarem plagam tumulavit.

120. *De sevitia Walteri.* Jam vero difficile dictu est quam gravis tempestas desolatæ civitati incubuit, quanta ruina rei publicæ statum involvit. Nam Walterus, totius tempestatis materia, intra urbem ingenita ferocitate seviebat, sibique ad tantam malitiam Rotbertum Perronensem adsciscens, domum episcopalem alienus heres occupare præsumpsit. Qui magis magisque efferatus, patriis usibus temeratis, intolerabiles injurias miseris exercuit in civibus. Qui enim pecuniam non dabat, in vinculis rapiebatur. Nec minus etiam raptores exteri, liberam sibi latrocinandi securitatem in defunctione episcopi præsumentes, circa viciniam grassabantur, labefactabant omnia. Quod quam sit iniquum, judicio omnium relinquo estimandum: ipsum videlicet, ut dominum, juxta libidinem cuncta rapere, nec ab aliis saltem prædonibus defensare. Nemo etiam ab injuriis Walteri feriabatur, nisi qui cum eo quovis modo sentire videbatur. Domesticos sane exsumptuabat, locupletabat alienigenas, ut per eorum scilicet predicationem in barbaros usque bonæ opinionis gloriam propagaret. Creberrime deplorantium civium conquestiones invicem conferuntur, A miseros se non habere patronum, sed expilatorem publicum; nullum aliud sibi futurum remedium nisi longius aliquo secederent et tantæ bestiæ furori vel fuga exemerentur. Videri enim sibi tolerabilius quodvis exilium, quam domicilium domesticum ubi dies in direptione, noctes vero transiguntur in formidine.

121. *Ubi Seiherus frater Walteri ab episcopii spe decidit.* Ut etiam liberiorem furori auctoritatem pararet, præsumpta adinventione Seiherum fratrem ad imperatorem misit, pontificio sublimandum. Qui vero in ipso processu itineris audito (244) alteri collatum, spe quidem frustratus, ad sua reversus est.

122. *Ab ambitione quoque hujus episcopii legatio* B *Azelini pellitur; Gerardo traditur.* Ad hoc quoque Azelinus ambitiosissime jam dudum anhelabat, quem post Rothardi decessum Sophia favente episcopatui inhiasse prediximus (*c.* 110). Qui etiam paulo antequam domnus Erluwinus ex hoc seculo decederet, suæ ambitioni consulere estimans, suos imperatori legatos dirigere festinavit, per quos ejus benivolentiam fortasse empturus ad episcopii prerogativam pertingeret. Hujus itaque jussa exequentes, imperatoris præsentiam agressi sunt; domnumque Erluwinum morti vicinum intimantes, promissis magnis muneribus donum episcopii Azelino expostulant, ut, quod post Rothardum nequiverat, saltem post Erluinum inpetrare posse se gaudeat. Qui cum finem episcopi expectare rogati cum aliquantula spe repatriarent, inter repatriandum siquidem deposi- C tionem Erluini audientes, iterum remenso itinere imperatorem adierunt, præsulemque defunctum nuntiantes, oblatis preciosis muneribus donum honoris Azelino obnixe poposcerunt. His autem repulsis, communi suorum usus consilio, potius Gerardum suum capellanum estimavit donandum (*an.* 1012), de quo in tertio libro narrabitur.

EXPLICIT LIBER PRIMUS DE GESTIS EPISCOPORUM.

INCIPIT SECUNDUS

DE MONASTERIIS QUÆ INFRA EPISCOPIUM CONSTANT.

PRÆFATIO.

De gestis episcoporum prout memoria occurrerit [210] dicto, et de diversis eorum actibus, quantum ariditas ingenioli patitur, usque ad postremitatem (245) domni Gerardi episcopi, qui nunc est, pertractato, primus liber finem expostulat. Secundus vero D ut ab ipso domno episcopo incipiat, videtur ordo exigere. Sed, eo ad tempus relicto, de monasteriis quæ infra ditionem episcopii sunt, facta interim ordinis interruptione decrevimus disserere, monstrantes sane qui locus, qui cultus, quæve sanctorum corpora, vel cujus generis sunt servientes.

VARIÆ LECTIONES.

209 memoriæ 1. 210 occurit 6.

NOTÆ.

Necrologium b. Mariæ Cameracensis, jam bibl. Camerac. n. 219, sæc XII inc. ex antiquiori descriptum: 3 *Non Febr. obiit Erluinus episcopus, qui tertiam prœbendam liberam dedit in fratrum usibus.*

(244) I. e. postquam audivit.

(245) I. e. usque ad postremum episcopum Colv.

Dicturi itaque de singulis, a monasterio beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ exordium capiamus, ut quod videlicet capitali titulo ceteris prestat [211], ceteris etiam jure preferatur.

1. *Primo de monasterio sanctæ Mariæ, et de quodam homine inibi periclitato et postea sospitato.* Nimirum iste locus [212] divinis miraculis ad laudem et honorem Matris Domini plerumque audivimus illustrari ; sed per negligentiam scriptorum obsoleta memoriæ subtrahi condolemus [213]. Nos autem pauca de multis, quæ aut a videntibus accepimus aut ipsi nuper vidimus, tacere non patimur. Nam tempore Erluini episcopi accidit ut quidam cementarius sive carpentarius, Helfridus nomine, exigente rei necessitate campanarium monasterii hujus scanderet, pede vero fallente per lubrica lapsus, semianimis in ipso choro multis spectantibus humi corrueret, tanto sane impetu devolutus, ut si quis ariolus eum victurum forte promitteret, scissura effossi [214] pavimenti, ubi cecidit, presagium procul dubio posse refellere videretur. Dissolutio enim pavimenti, quæ diu affuit, testabatur difficultatem periculi, mortemque vicinam desperata omnino salute potius vadabatur. Ad hunc mox derepente cum stupore et affectu humanæ miserationis concurritur, et in tam subito casu miserabiliter condoletur. Hujus vero familiares mærore affecti, Dominum triste incusabant, ac maxime in sanctam Mariam eulogiose (246) fremebant, dicentes : « Quare illi obsequium exhiberi, quæ servientem sibi periclitari sustinuit ? » Denique apprehensus in lecto ponitur, ac non spe salutis, sed potius affectu humanitatis medicinalibus curis diligenter et inpense perungitur, paulatimque refotus, postea tamen meritis credo santæ Mariæ subvenientibus saluti restitutus, longo post tempore vixit. Multos etiam a variis cladibus liberari fama certissima constat.

2. *De campanario cadente, sed meritis sanctæ Mariæ in erectione reducto.* Nuper vero (247) domnus Gerardus episcopus caput monasterii cum cripta ampliare, et, ut jam pœne consummato labore apparet, meliorare disponens, vetusta ædificia funditus jussit everti (*an* 1021 *vel* 1023). Cum ergo operarii juxta dispositum uno eodemque studio ad diruendos parietes diu luctarentur : jam parte siquidem convulsa, subito crebris ictibus vetustæ maceriæ præ antiquitate nutantes, culmine disrupto, plus esti-

A mato (248) usque ad locum campanarii vastam cum nimio fragore traxere ruinam. Quo fragore clerici ac laici, pusilli et magni omnes attoniti, subito a domibus prosiliunt, ac imminentis ruinæ periculum conspicantes, magis in casu campanarii contristantur. Hujus enim moles quo editior et quo amplius campanarum pondere gravabatur, tanto promptiorem, sed et graviorem ruinam minabatur. Adeo etenim in orientem se vertit pendula gravitate, ut nemo aspiciens jacturam illius propiore periculo dubitare potuerit. Populo autem clamante et Dei misericordiam postulante, mox mirum in modum, meritis ut credimus et intercessione gloriosæ Dei Matris, suspenso paululum casu in erectione (249) reduci-
B tur, tectumque reliquum cessante fusura (250) solidatur. Trabes vero de superioribus ædificiis divellitur, et super cornu altaris sanctæ Mariæ, quod episcopus intactum manere præcepit, omne comminuit. Quo fuso, pignera sanctorum, quæ olim in consecratione ipsius altaris posita fuerant, divino nutu illesa repperiuntur.

3. *De fratre episcopi inibi curato.* Illic etiam modernis diebus Elbertus frater episcopi, de laico monachus factus (251), ut nos ipsi palam vidimus, de longa infirmitate sospitati redditus est. Hic nimirum gratia fraternæ visitationis Cameracum venire disponens; dum iter carperet, tanto langore corripitur, ut pervenire non posset, sed in ipso itinere apud monasterium Prejecti martiris (252) exceptus a fra-
C tribus, diutinum tempus sub intolerabili dolore exigeret. Ut vero parum medicinali ope refotus vix equo insidere potuerit, ad fratrem, non facile tamen, fecit se bajulari ; ubi etiam diu tam graviter elanguit, ut mox moriendum assererent. Contigit autem ut post longam egritudinem, nocte solemni beatorum confessorum scilicet Vedasti atque Amandi, matutinos celebraturus, monasterium sanctæ Mariæ sumptis baculis ingredi estimaret. Cui mirabiliter a Deo visitatus adeo convaluit ut, dimissis paululum baculis quibus sustentabatur, erectus, ipso die remedium morbi non sine multorum admiratione sentiret. Quod donum meritis sanctæ Dei matris et prelibatorum confessorum posse adscribi non du-
D bium est.

4. *De situ monasterii sancti Gaugerici patris gloriosissimi.* Post monasterium sanctæ Mariæ, beati etiam Gaugerici, gloriosissimi confessoris Christi et

VARIÆ LECTIONES.

211 preest 4. 212 *ita* 1. 2. 3. 5. *eta prima manu* 6. *sed hic correxit* istum locum. 213 *Sequentia usque ad c.* 4. *omisit* 6. 214 effosi 1.

NOTÆ.

(246) I. e. elegiose.

(247) *Domnus Gerardus a* 1021, *pontificatus vero sui* 10, *caput monasterii S. Dei genitricis Mariæ Cameraci* 8 *Kal. Apr. ingenti et mira apparatione construere cepit*, dicit Chron. S. Andreæ Castelli Cameracensis I, 8. Sed noster ipse infra III, 49. . . . *seditionibus impeditus, usque ad a. d. i.* 1023. . . . *inchoare non potuit.*

(248) I. e. magis quam æstimaretur. Colv.

(249) I. e. statum rectum.

(250) I. e. ruina, ut statim infra *quo fuso* pro *quo ruente*. Colv.

(251) S. Andreæ Castri Cameracesii ; obiit a. 1047 secundum Chron. S. Andreæ Cam., V Id. Mai. secundum Necrol. S. Mariæ.

(252) Saint-Prix, prope Saint-Quentin. Colv.

ejusdem urbis episcopi, secundo in loco non inconvenienter subnectere estimavimus [215]. Multum etenim decet et bene congruum est ut, cujus patrocinio sub prelatione Matris Dominicæ civitas Kameracensis sustentatur, cujus nominis preconio illustrata sublimatur, ejus quoque domum in hoc opusculo juxta domum ejusdem dominæ Virginis consequenter ponamus. Tempore namque hujus pontificis, ut ipsius vitam (253) legentibus liquet, in vertice montis ubi nunc monasterium est, habebatur veteris dementiæ lucus, ritibus videlicet demonicis priscis temporibus ad subversionem animarum ab idolatris dedicatus. Unde vir Domini gaudenter memorandus, divino consilio afflatus, lucum succidere estimavit, atque idolis stirpitus eversis, basilicam in honore beati Melardi construxit (*circa an.* 600). Sicque locum spurcitiis deditum fecit orationis et sacrificii domum, sane sibi previdens inibi suæ dormitionis mausoleum et gratæ mansionis habitaculum [216]. Cum enim post trigesimum nonum sui episcopii annum cunctipotens Rex, sed et dispunctor largissimus suum militem fortissimum sudoribus suis responsurus ad remunerationem vocasset: in eadem basilica, ut ante destinaverat, honorifice tumulatus ressurrectionis diem expectat. Mox igitur reges et principes ac potentissimi quique, signis et prodigiis quibus ante obitum multifarie coruscaverat excitati, ac multo amplioribus, quæ per ejus merita misericors et miserator Dominus post obitum indesinenter operari dignatus est, attoniti, ad sanctissimi viri sepulchrum diversis ex partibus confluxerunt, tantique viri patrocinio sese juvari implorantes, opulentissima munera obtulerunt. Statimque ex affluentia rerum cum omni sedulitate monasterium ampliatur, fratrumque numerosa cohors ad serviendum Deo et suo sanctissimo confessori imperpetuum delegatur. Hæc autem domus, in montis supercilio sita, aperte insinuare videtur ipsum videlicet mansorem egregium semper terrena calcasse, cælestibus toto desiderio inhiasse Exin vero locus ex diversi generis ope ditatur, multisque beneficiis virorum bonorum adeo augmentatur, ut non modo circum et circa viciniam crassiores uberioresque villarum colonias, verum in longe remotis regionibus, ut scripta quæ in archivo æcclesiæ sunt attestantur, diversa et ut ita dicam totius generis emolumenta donarent. Qui locus olim tam eligantia quam tota opportunitate preeminens, universæ provinciæ gratiam multiplicem et maximum honorem prestabat, urbemque excellentia suæ dignitatis quamplurimum insignibat. Erat enim veneranda atque regalis abbatia, ex omni sufficientia florens, cujus multiplici gratiæ nihil conferre putares

A Sed postquam, ut in primo libro breviter tetigimus, sub persecutionibus primo paganorum, deinde Hungarorum cum ceteris quoque Galliarum æcclesiis, mortalium culpis exigentibus, cum omni thesauro miserabiliter populata subvertitur: non solum ad gratiam prioris status reformari non potuit, verum et quod dolendum est, magis magisque dejecta in præcipitium ruit. Quia enim rectorum imbecillitas tam varias et tam in diversis partibus possessiones longe diremptas et prope positas sua providentia simul cohibere non poterat: vicini raptores improbissimi quique vitiato jam quidem sæculo, quod boni pro salute et remediis animarum contulerant, ut se habet amor humanæ ambitionis, abstulerant. Quod etiam pejus est, ne ipsi quidem rectores quidam, B quin raperent, cleperent (254), detraherent, fraudulentiæ tecnam declinaverant. Et quid dicam? olim frequentior numerus, fratrum nunc ad quinquagenos præ inopia derivatur, qui domno Gerardo episcopo statagente, cotidianum victum in refectorio communiter sumunt. In hujus autem patris nostri memoria et veneratione monasteria, sed et frequentiores basilicæ non tam in prope quam in longe positis regionibus constructæ sunt, ubi beneficia petentibus divina præstantur et ad laudem et gloriam confessoris sanctissimi multa et inenarrabilia virtutum prodigia divina clementia operari dignatur Ea vero quæ huc aut a certis relatoribus contigisse accepimus, aut nos contingere semper cernimus, C modum pre pluralitate excedunt, nec ullo numeri termino claudi possunt. De quibus maximam partem invidæ auræ se rapuisse lætantur (255), paucissima vero, quæ non potuere celari in primo libello succincte perstrinximus; plenissime tamen in illo volumine, quod de vita ipsius inscribitur (256), si cui libet, poterit invenire.

5. *De inergumino sanato.* Sed ut hæc pagina sanctum et gaudiosum nomen se habere lætetur et rideat, pauca ex his quæ vel ipse juvenculus moderno tempore vidi, annectere ratum duxi. Preter quamplurimos namque utriusque sexus freneticos, quos illuc videram sospitatos, unum seorsum dicam, cui nullum præ nimietate furoris estimo comparandum. Iste namque ore spumans, dentibus frendens, licet D manus post terga revinctus et a suis misere cæsus, vix tamen teneri poterat, quin ex totis viribus omni bachaniæ imperteritus, diabolo violentiam suggerente, vacaret. Semper enim illicita loquebatur, derepente insiliens, homines incautos plerumque mordebat. Ad monasterium vero beatissimi confessoris magna difficultate perductus, non minus per aliquot dies sevire videbatur, ita ut nemo se illi ob-

VARIÆ LECTIONES

[215] estimamus 6. [216] *sequentia usque ad c. 9. desunt.* 6.

NOTÆ.

(253) Antiquiorem, in Actis SS. Augusti II; Actis SS. Belgii II, 276. Ex ea *in vertice — sacrificiis domum* ad verbum descripta sunt.

(254) I. e. *furarentur.* Græce κλέπτω. Etjam Plautus: *rape, clepe, tene, harpaga.* EDIT PATROL.

(255) Cf. I, 28.

(256) Auctore nostro, in Actis SS. Augusti II; Actis SS. Belgii II, 278.

vium dare auderet. Nec longum tamen, pio intercedente patrono a superno medico misericorditer visitatus, sanæ et integræ mentis opem recepit, suisque cum gaudio ad sua reversis, ipse Gerardus — hoc enim illi vocabulum — in monasterio Deo et suo sanctissimo confessori famulaturus manere estimavit. Ubi cum diu summa devotione familiariter deserviret, contigit, ut cum quadam die gratia (257) visitandi paternam coloniam invitaret. Ad quam cum tenderet, nec longe quidem adhuc distans sacerdotem canitie decorum, vultu habituque venustum, ut ipse referre solebat, obvium habuit, qui eum interpellans verbis hujusmodi: « Quo tendis? inquit. Et ille: Jam dudum est, domine mi, quod sanctissimo patri Gaugerico pro collatis beneficiis deservio, nunc autem parentes quid faciant visitaturus, ad patriam remeare exæstuo. Melius est, inquit, tibi, ut maneas, ne forte collati beneficii videaris ingratus. » Hic autem conceptis paternæ gratiæ affectibus, datos postponens monitus, dum paululum procederet, mox multo pejus quam antea a demonio corripitur, adeo videlicet dementatus ut occurrentes sibi quosque lapidare prorsus intenderet. A multis vero non facile captus, loris nexus ad monasterium iterum attrahitur, et quia contra fidem catholicam convitia diabolo doctore jactabat, nunc minis tunditur, nunc flagellis qualitur; nemo tamen rabidi oris falsificam garrulitatem conpescere potuit, donec inter flagella et vincula ante sancti viri sepulchrum prostrato [217] ex lassitudine somnus obrepsit. Qui cum vero post aliquantulum expergefactus surrexisset, mox divinitus mente recepta, cunctis admirantibus et præ gaudio illacrimantibus, cum magna confusione pudoris et pœnitentiæ ante sepulchrum prosternitur; confessus culpam, veniam erroris deprecatur. Denique compos animi omnino effectus, monasticis se obsequiis fideliter mancipavit, non ausus quoquam ultra secedere, donec post multum temporis a fratribus sumpta licentia Romam obtinuit pergere. Notandum vero beatum Gaugericum procul dubio extitisse eum scilicet sacerdotem quem illi paulo ante diximus occurrisse.

6. *De contracto sanato.* Est adhuc homo in monasterio serviens, Hildebertus nomine, quem post longam ægritudinem meritis sancti viri sospitatum cognoscimus. Hic nimirum per totum fere anni circulum nescio cujus generis morbo adeo angebatur, ut maxima parte corporis premortua, circa humanorum usum studia nullo officio fungeretur. Hujus pro restitutione salutis pater in frequentibus medicorum conductionibus portionem suæ substantiolæ absque ullo profectu se erogasse dolebat, nec quid intenderet reperire valebat. In hac itaque mæstilicationis perturbatione sollicito occurrit tandem sanum ac salubre consilium, ut beati videlicet Gaugerici expeteret medicinale suffragium; sane ubi infirmi persæpe solerent accipere sanitatem, inergumini quique sive lunatici liberarentur. Statim ergo facta deliberatione, ægrotum vehiculo inpositum ad monasterium attulit; ponensque ante sepulchrum, ipsum quidem, si saluti redderetur, obsequiis beatissimi Gaugerici imperpetuo mancipandum devovit. Cur producam sermunculum? paululum jacuit, divinæ medelæ adeptus est gratiam; pro tantique beneficii conpendio monasticis usibus deserviens, postea in monasterio conversatur.

7. *De incendio meritis sancti Gaugerici extincto.* Anno dominicæ incarnationis 1027 [218], Id. Julii oborta est in ipsa civitate vasta pestis incendii, quæ jam civitatis magna parte combusta, furentibus siquidem flammis, ventis agitantibus, invalescens ad domos etiam prope sancti viri monasterium sitas usque pervenerat, ac inevitabiliter correptas edaci populatione involverat. Jam vero majoris metus causa de suspecta templi conflagratione exoritur. Non enim fortasse dubium quin, si proxima domicilia cremarentur, ipsum et monasterium igne raperetur. Flammis autem invalescentibus, metus amplior incubuit, globisque volantibus, totus tam populus quam clerus sublato in cælum clamore infremuit. Moxque duo ex clericis de sententia ceterorum, sanctum sepulchrum celeriter adeuntes, presumpta quidem de timore audacia thecam argenteam sanctissimi corporis extrahunt, cursimque tollentes, flammis furentibus obviam ferunt. Statim ergo, divina clementia operante meritisque sancti viri suffragantibus, ita totus ignis submisso furore obtorpuit, ut rorulento desuper imbre respersum estimares. Multa etiam occurrunt referenda, sed angusta brevitas libelli non patitur. Quod vero de multitudine diversorum languentium loquar, qui illuc cotidie confluentes sanitatem recipiunt? Quid hæc dicam, cum amplius visu quam dictu semper appareant? Nuper sane et me ipsum febribus intolerabiliter laborantem sospitati, Deo gratias, restituit.

8. *Scriptor suam subinfert molestiam.* Maxima incommoditas febris, quæ me diu tenuit, verba modo succingere cogit. Licet enim modo pulsa molestia, Deo gratias, paulisper in corpore convalescam, adhuc tamen ipso recenti dolore mens sauciata labascit, nec ei virtus integra ad plene scribendum sufficit. Hujus ergo opusculi negotium stricto kalamo interim prosequamur.

9. *De sancto Autberto.* Sancti Autberti monasterium ad paucos canonicos situm est intra menia urbis. Ubi siquidem petentibus divina præstantur beneficia

VARIÆ LECTIONES.

[217] a. s. v. s. pr. *inter lineas auctor ipse.* [218] XX° VII° *habet* 1, *ubi incertum utrum* VII° *ad annum pertineat, an sit dies Iduum. Idem prorsus habent reliqui.*

NOTÆ

(257) I. e. studium, affectus, ut, I, 7.

et, Deo cooperante, ad sui confessoris gloriam multa fiunt prodigia, quæ ratitate scriptorum et ignavia memoriæ certum est esse sublata.

10. *De Hunulchort.* Transeamus ad monasterium sancti Petri in villa Hunulchurt [219], ubi sanctam Pollinam requiescere, scripto repperi. Hoc nimirum illustris vir, Amalfridus nomine, cum uxore Childebertana fundavit (*an* 677), deputatisque sanctimonialibus filiam suam Aurianam præfecit; fuitque olim religione florens et opibus, nunc autem, postquam viris militaribus beneficiatum est, ad paucos canonicos derivatur.

11. [220] *De villa Barala.* In vico etiam qui Barala (258) ab incolis nomen accepit, monasterium canonicæ congregationis extitit, a Clodoveco quidem rege ut ferunt conditum, et a beato Vedasto in honore sancti Georgii consecratum. Illic enim brachium ejusdem martiris habebatur. Hoc autem locupletissimum et venerabile columnæ marmoreæ, et antiqua pulchra ædificia quæ adhuc supersunt, fuisse testantur. In diebus autem Dodilonis episcopi (*circa an* 881) videntes canonici Normannorum bachaniam circa istam provinciam ubique desevire, et, ut superius memoravimus, profanatis sacris cultibus sanctas Dei casas incendere, sacras reliquias cum suis quibusque necessariis in nostram æcclesiam attulerunt, ab ipso nimirum episcopo humane suscepti. Ubi per aliquod temporis demorati cum jam, adversariorum decessionem arbitrantes, ad sua repedandi licentiam flagitassent, nolens episcopus eis adquiescere, ad tempus monuit differendum : sane hostium precavere perfidiam, eorum reditus suspectos doli ; ne temere crederent vanæ opinioni, certam securitatem potius expectarent. Audientes ergo sic episcopum, manserunt aliquandiu. Paucis vero post diebus interpositis, iterum adeunt episcopum, asserentes hostem excedere, omnia tuta, securum etiam sibi patere recessum. Ad quos episcopus : « Quænam, inquit, vos movet temeritas? Quod asseritis, non credo, sed fortasse vos fallit opinio; mane adhuc, moneo, state, nihil apud me vestris usibus interim defuerit. Porro gens illa ferox est et callida, nulli parcens; si incauti incideritis, maturior ausus seriorem luet poenitentiam. » Illis autem contra obnixe flagitantibus, et omnia tuta procul dubio astipulantibus, adjecit: *Cum hæc ita sit vestra sententia, esto! in vestra manu deliberationem contituo*; *illud tamen pignus preciosi brachii apud me retinebo*; hoc quodam presagio ita disponens ne, si, videlicet, quod postea probavit eventus, adversarii incursarent, thesaurus tanti ponderis disperiret. Accepta itaque hujusmodi liceniia, paratis viaticis, cum tanta obstinatione remeare cœperunt, demen- A tes, qui supraposito pontificis non adquievere consilio. Necdum enim tribus milibus iter ab urbe confecerant, cum ab inprovisis hostibus intercepti, gladio ceciderunt. Monasterium quoque suum diruitur ; tota vicinia circum et circa, præter munitiones, male deripitur. Æcclesiolæ vero reædificatæ unus tantum sacerdos postea prefuit, illudque sacrum brachium apud nos taliter hodie usque remansit.

12 [221]. *De villa Sanctis.* Nec procul hinc apud Sanctos (259) — id loco vocabulum — puellarum basilica, ubi sancta Saturnina quiescit, traditur extitisse. Porro hæc virgo de Germania præclaris natalibus orta, a pueritia suam virginitatem Domino vovit. Quam cum parentes juxta ritum secularem maritare disponerent, integritatem pudoris cælesti sponso servare malens, viriles thalamos procul abB horruit. Videns autem quia aut voluntati parentum non posset resistere aut protervi sponsi appetitum evadere, a paternis ædibus latenter egressa fugam iniit; et, ad hanc viciniam usque perveniens, juxta predictum vicum cursum vitæ martirio consummavit. Nam vir ille cui pacta a perentibus erat, palentem usque ad ipsum locum persecutus est. Quem cum post tergum virgo venerabilis eminus prospexisset, tota intremuit, et quomodo se morsibus infestantis bestiæ exemere, nescit. Quid enim faceret? Mox, uti erat animal simplex, pastoribus qui illuc gregem pascebant, abscondenda se interserit, taliterque quærentem latere estimavit. Quod tamen juvenis aucupatus, ut lupus esuriens super innocentem oviculam irruit, evaginatoque gladio decollavit. Quæ mox, ut antiquitas relatorum C audet asserere, proprium caput manibus sumpsit, populoque spectante usque in æcclesiam quæ in ipsa villa in honore sancti Remigii aderat deportavit. Ad cujus ergo venerationem a fidelibus christianis facto monasterio, puellaris congregatio delegatur, sed, predictis causis intercipientibus, ad unius presbiteri obsequium redigitur. Est autem antiqua relatio quod longo post tempore Saxones, incertum qua causa, ad hanc viciniam devenerunt, et per ipsum vicum transeuntes, audita quidem sacra opinione, partem corporis sacræ virginis asportarunt.

13. *De monasterio sanctæ Mariæ Atrebatensium.* Veniamus nunc ad Atrebatense territorium, Monasterium namque sanctæ Mariæ, ubi quondam pontificalis cathedræ principatus fuerat, quadraginta D canonicos habet. Illud vero Modernis diebus Rodulfus, ipsius ecclesiæ thesaurarius, concilio domni Gerardi episcopi ampliavit; essetque locus venerabilis et minus indigens, nisi fastuosa Flandrensium comitis excellentia, quæ juxta supereminet, adver-

VARIÆ LECTIONES

[219] Hunulchurh 1. 3. Honulfocurte 6. Honullicurte 2. [220] *hoc caput, primo septem lineis comprehensum, auctor postea in rasura atque scedula annexa ita ampliavit.* [221] *Hoc caput primo quatuor lineis comprehensum auctor ipse in rasura et in margine ita ampliavit.*

NOTÆ

(258) Baralle, inter Cambrai et Arras. Colv.

(259) Sains-les-Marquion. Le Glay.

sari aliquando consuevisset. Ibi vero juxta altare Dei genitricis Mariæ, quod beatus Vedastus suis diebus consecraverat, anno quidem secundo Gerardi episcopi (1013), multæ et multum preciosæ sanctorum reliquiæ inventæ sunt, ad quarum illustrationem diversa miracula per tres circiter annos divina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis usibus solidati, multique a diversis langoribus curati, sospitate donantur.

14. *De sancto Vedasto.* In castro vero Atrebatensi monasterium sancti Vedasti, quod supra diximus (I, 20) a sancto Auberto fuisse constructum, monachorum religione letatur, multisque virtutum prodigiis cælitus illustratur.

15 *De duabus basilicis.* Huic etiam infra idem castrum duæ basilicæ juxta subjacent canonicorum, una videlicet in honore sanctæ Mariæ, altera vero sancti Petri apostoli.

16 *De Maraculo.* Est etiam in vico Maraculo (260) monasterium canonicorum, ubi sancta quiescit Bertilia, quæ hoc ipsum suum predium sanctæ Mariæ tradidit.

17. *De Albiniaco.* Rursus vero in vico Albiniaco (261) monasterium est canonicorum, sancti videlicet Chiliani, qui Scotus fuisse traditur.

18. *De monasterio sancti Vinditiani.* Item in Monte sancti Eligii — sic enim locus dicitur — canonicorum quoque est monasterium sancti Vindiciani Cameracensium episcopi, quod postquam viris militaribus infiscatur, pro immunitione [imminutione?] rerum ad raritatem fratrum redigitur.

19. *De Lucau et Pas.* Preterea in viculis Lucau (262) et Pas duæ basilicæ sunt canonicorum, quæ postquam quoque militaribus viris in beneficiis traduntur, ad inopiam elapsæ sunt.

20. *De Cella sancti Salvatoris.* Est autem vicus ex rebus sancti Vedasti, nomine Berclaus (263), in paludibus quidem situs, pecori ex sufficentia pascuæ aptus, omninoque etiam monachorum usui oportunus. Illuc ergo Leduvinus abbas (264), considerata rei oportunitate, monasterium fundare disposuit, siquidem et episcopalis auctoritas aspiraret; quippe duplici usu satis competenter proviso : quod inibi videlicet partem ex monachis, qui ad cœnobium sancti Vedasti frequentiores confluxerant, delegaret; et bona æcclesiæ circumjacentia tutius possiderentur. Itaque domnum Gerardum episcopum in conventu sinodali conveniendum estimavit, suæque deliberationis effectui coram omni sinodo licentiam postulavit. Cujus auctoritate nec difficile impetrata, monasterium ædificare festinavit, consummatumque ab ipso domno episcopo consecrari obtinuit. Loci autem vocabulum episcopus immutavit, sicque Cellam sancti Salvatoris statuit nominari

21. *De Duwaconci castro.* Preterea etiam apud castellum Duwaicum (265) monasterium est canonicorum, ubi corpora sanctorum jacent Morantii (266) atque videlicet Amati. Sciendum est autem quod ante constitutionem hujus castelli usus telonei, quod nunc pro imminentis Flandrensium comitis potentia in ipso castello mutato pristino ritu sumitur, apud Lambras villam sanctæ Dei genitricis solvebatur. Erat enim regius fiscus, sed tempore Stephani episcopi a Karolo rege sanctæ Mariæ donatur habendus. Illo etiam tempore portus illuc habebatur; postquam vero incolatus hujus castelli cœperat, illic navigii usus derivatur, et huic nostræ villæ tantum dimidia portio telonei solvitur. In hac autem villa rex Childebertus forte (267) sepultus est. Cui, cum ad obsidendum fratrem suum, qui tunc temporis Tornaco morabatur, ire pararet, beatus Germanus Parisiacensis episcopus præsago [222] spiritu prædixerat non posse se consummatum ire illiusmodi negotium, si germanæ neci eo spiritu intenderet. Hic autem verbis surdescens, exequi parat dispositum. Sed ne beati pontificis irritum haberetur presagium, in ipso itinere morte preventus, in predicta villa Lambras subterratur.

22. *De Lenensi monasterio.* Apud castrum Lenense (268) habetur quoque monasterium canonicorum, ubi sanctus quiescit Vulganius, qui Scotus traditur extitisse.

23. *De villa Henim.* In vico etiam quem dicunt Heniæ (269) est basilica in honore sancti Martini, antehac unius tantum presbiteri acta. Nuper vero Rotbertus Atrebatensis de remedio animæ tractans, consilio Gerardi episcopi, expensis propriis rebus duodecim canonicos inibi deputavit (*an.* 1040).

24. *De vico Belgico.* Item vero in territorio Atrebatensi, in vico videlicet qui Belgicus (270) ab incolis nuncupatur, exstat basilica canonicorum sancti Remigii, ubi divina sæpius miracula cœlitus fieri

VARIÆ LECTIONES.

221 presaga 1. 2. *sed hic corr.* 4.

NOTÆ

(260) Marœul d. Atrebat.
(261) Aubigny, arrondiss. de Saint-Pol. Le Glay.
(262) Lucheul, prope Doulens.
(264) Billi-Berclau, ad fl. Deule. Colv.
(264) S. Vedasti, c. 1022, c, 1041.
(265) Douai.
(266) I. e. Mauronti, Saint-Morand. Colv.
(267) I. e. casu fortuito; nam *postea Suessionas in basilica sancti Medardi... translatus, juxta Chlotachorium patrem suum sepultus est*, teste Gregorio Tur. IV ult. unde sequentia hujus capitis omnia noster sumpsit, verbis quidem multum mutatis. In nomine autem errat noster; Sigebertus enim fuit, non Childebertus.
(268) Lens en Artois. Colv.
(269) Hennin-Liétard, inter Douai et Lens.
(270) Jam incognitus. Nec Belgeville, nec Belge ad fl. Ternoium, nec Blangiacum esse, jam Colvenerius docuit, eo quod hi loci nunquam fuerunt diœcesis Atrebatensis. Idem affert Bellovacum Artesiæ, et Belle prope Aubigny, et Berlette ad fontem Scarpæ ; sed monet in his nulla ecclesiæ collegiatæ monasteriive existere vestigia. Sequens nominis Belgici

dicunt. Notandum vero quod locus iste antiquitus adeo preminebat, ut ab eo omnis nostra regio etiam usque in presens Belgica diceretur.

25. *De vico Hasnum.* In vico etiam quem dicunt Hasnum abbatia fuerat regalis olim atque ditissima, ubi ex maxima parte requiescunt corpora sanctorum Marcellini et Petri. Nunc autem degeneris sæculi moribus viciatis, ubi tunc clerici pauci deserviunt, desolatam et inopem condolemus.

25. *De Marceniis.* Apud villam quoque Marcenias (271), virgo [223] Dei gloriosa Rictrudis ex propriis opibus et prædiis consilio sancti Amandi, qui tunc temporis insignis habebatur, monasterium struxit, ubi sanctimonialibus ad serviendum delegatis, ipsa etiam abbatissa habenas regiminis moderata est. In cujus vita plurimum, et post vitam aliquantulum religio crevit, ususque æcclesiasticus regulariter adolevit. Seculo autem semper, ut diximus, in deterius viciato, ipsarum etiam puellarum ordo viciari et depravari cœperat; jamque magis ac magis depravatus mos in degeneri posteritate usque in presens duraverat. Nuper vero jamdictus abbas Leduwinus, Gerardo episcopo et marchione Balduino satagentibus, feminas turpiter viventes mundato loco exturbavit, ac monachos qui melius et religiosius [224] Deo et prelibatæ virgini, quæ ibidem quiescit, deserviant, constituit.

27. *De Hamatgia.* Nec procul hinc, in villa Hamatgia (272), beata quoque Christi famula Eusebia, predictæ scilicet virginis filia, ex rebus hereditariis æcclesiam struxit, quam, sanctimonialibus constitutis, etiam ipsa abbatissa pro modo facultatis multa ope dotavit; quæ nunc per sæcularitatem multum delapsa, vix paucos canonicos habet.

28. *De Duneng.* Rursus quoque in vico Duneng (273) beata Rainfredis ex sui juris rebus cellam fundavit, et, sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam abbatissa regimonium duxit. Hanc [225] autem postea incumbente inopia inclinatam pauci canonici incolebant, donec consilio domni Gerardi episcopi et Leduwini abbatis, moderno tempore Balduinus comes ad pristinum statum restituit, ibique monia- A libus regulariter institutis, abbatissam nomine Ermentrudem præfecit.

29. *De villa Haspro.* Quo tempore Normanni maxime quidem Rol tyranno incentore per hoc regnum, ut per alia, desevierint, et ceu supra diximus (I, 61), culpis christianorum exigentibus æcclesias sanctorum passim combusserint: tantæ formidinis tempestate corpora sanctorum, Aycadri, videlicet atque Hugonis, de Gemegio (274) cenobio, quod super fluvium Sequanam non procul ab urbe Rotomago situm est, ad villam Hasprum, quæ ab urbe nostra non plus quam decem milibus disparatur, allata sunt. Quam villam utrum ab antea possessam subjacuisse prælibato monasterio, an tunc temB poris aut a rege aut a quolibet principe pro remedio animæ receptationi sanctorum traditam fuisse dicamus, incertum est. Ex his certe beatus Aycadrius, a sancto Filiberto ejusdem cenobii abbate probatissimo abbas etiam constitutus, regimen sacrum agebat, vitæque moribus et virtutum coruscatione fulgebat. Ad cujus piam conversationem sanctus vir Domini Hugo Rotomagensis episcopus, Karlemanni regis filius, divina inspiratione succensus, relictis siquidem episcopatus habenis curisque sæcularibus abdicatis, disciplinam monachorum et habitum ex toto desiderio appetivit; sacrisque magistri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus emicuit. Ambo autem qui et quales extiterint, eorum Vitas C legentibus evidenter occurrit. His nimirum apud hanc villam posthac remanentibus, monasterio facto, monachis delegatis, ad laudem eorum pius et misericors Deus multa, immo et celeberrima virtutum prodigia dignatus est operari, in tantum sane ut nemo ex vicinis potentibus aut in expeditionem aliquando transeuntibus, ulla presumptionem antehac audeat irrogare. Sed quia monachorum abbas longe aberat, eosque rarissime pro difficultate longinquitatis visitare solebat, in libertate soluti sæculum sectabantur, inregulariterque viventes usque ad tempus Gerardi episcopi, utpote absque rectore, periclitabantur. Quod videns episcopus, abbatem ut hoc corrigeret sæpe commonuit; sed quia, ut dixiD mus, longe aberat, correctionem morabatur. Conti-

VARIÆ LECTIONES

[223] *erasum* 1. *expunctum* 2. Marc. gloriosa matrona Rictr. 5. *cf. infra III,* 8 *et Ducange s. v. Virgo.* [224] *ita* 2. 6. religiosus 1. [225] *hoc caput in* 1. *primo ita desinebat :* Hanc autem . . . . canonici. *Sed scriba ipse, non auctor, erasis quinque vel sex vocibus quæ inter* autem *et* canonici *fuerant, rasuræ superscripsit* postea i. i. incli, *reliqua* natam — prefecit *in margine supplevit eodem prorsus atramento quo reliqua omnia. Vocem* canonici *delere oblitus est. Sequenti vero tempore quum codex a bibliopega concideretur, primæ cujusvis lineæ litteræ abscisæ sunt, scilicet* natam, nici, donec, mni Ge, Leduwi, moder, etc. *Hæc* 2. 6. *legerunt adhuc atque exibent, prouti supra dedimus;* 4. *jam manca ita exhibet* : p. i. inclinantem p. c. incolebant . . . . consilio d. G. e. et . . . . abbatis . . . . tempore . . . . DE VILLA, *etc.*; 3. *habet* : p. i. inopia pauci c. i. cum consilio domni G. e. et L. a. m. tempore comes ad pristinum statum reduxit ibique m. r. i. a. n. E. p. *Denique* 5. *totum locum ita exhibet mutatum* : Sed postmodum consilio domni Gerardi episcopi et Leduini abbatis Balduinus comes ad pristinum statum monialium reduxit, ibique moniales sancti Benedicti, cum ante fuissent regulares, introduxit, quibus abbatissam E. p.

NOTÆ.

etymologia hac una nostri auctoritate nititur. Isidori Orig. XIV, 4 : *Belgis civitas est Galliæ, a qua Belgica provincia dicta est.* Cf. Annales nostros t. IX, p. 305.

(271) Marchiennes.

(272) Hamage, propre Marchiennes.

(273) Denain, inter Douai et Valenciennes.

(274) Jumièges.

git autem episcopum pro æcclesiastica sollicitudine forte per hanc villam transitum facere, præfatoque abbati Leduino — comes enim erat itineris — obscenam monachorum conversationem indicare. Salubri etiam, immo competenti consilio hortatus est illum ut, si quas res sancti Vedasti in vicinia prelibati conobii haberet, eas siquidem pro hoc monasterio, quod sibi esset contiguum, commutaret, hunceque[226] locum pro conpendio æternæ remunerationis meliorare satageret. Qui inter hujusmodi colloquia incerto hæsit, et tamen acsi difficile recusavit. Nec multo post autem temporis intervallo abbas salubriter consultus, bene et diligenter considerata oportunitate, notum fecit episcopo, se executorem fore monitionis, si ab ipso abbate Teoderico commutationem impetrare valeret. Unde letus episcopus, continuo directa legatione abbatem Teodoricum adorsus est, monstrans animæ periculum, ni tempore sibi consuleret. Cum longe esset positus, locum commutare deberet; quod si nollet, adjuncto sibi Balduino marchione falsos monachos expelleret, locumque emendare cum omni auctoritate satageret. Super quod abbas competenti consilio usus, mandatis episcopi satisfacere estimavit, rebusque sancti Vedasti, quæ in sua vicinia circumjacent, susceptis, villam Hasprum Leduino abbati contradidit (*an.* 1024). Hæc autem commutatio coram Rotberto rege Francorum coramque comitibus, Balduino videlicet Flandrensium et Ricardo Rotomagensium, facta est, et eisdem corroborata (275). Abbas itaque Leduinus, ut edificator videlicet idoneus, locum cum summo studio, ad laudem et venerationem sanctorum qui ibidem quiescunt, emendavit, novisque edificiis et claustro regulari insignire exercuit.

30. *De Valentianis.* In castro Valentianensi monasterium est canonicorum, quod Arnulfus comes consilio et auctoritate Rothardi episcopi (276) in honore sancti Johannis Baptistæ construxit, rebusque pro oportunitate collatis, duodecim canonicos deputavit.

31. *De monasterio sancti Salvii.* Nec procul hinc olim quidem sancti Martini æcclesiola, nunc autem monasterium canonicale in veneratione etiam sancti Salvii episcopi et martiris constat. [(*V. Salv.*) Ipso namque tempore sanctus Salvius, totus supernæ patriæ inhians, causa peregrinationis habenas reliquit episcopii, profectusque peregre, prædicationi operam dare estimavit. Igitur de loco ad locum procedens, verbum Dei populo suggerebat, et maxime celebrationibus missarum instabat. Verum ubi ad ipsam viciniam deveniret, ac quadam die de Valentianense portu ad vicum Condatum transiret, a quodam pestifero factis insidiis captus, in custodia religatur, raptisque indumentis sacerdotalibus et ornamentis episcopalibus, quæ secum portaverat, obtruncatur. Sepultusque a viris religiosis in supradicta sancti Martini æcclesia, tunc ad præsens et postea multis præconizantibus miraculis, quanti et qualis meriti extitisset apparuit, ut plenissime in libro suæ passionis repperitur. Unde attonitus princeps regionis Karlomartellus, pro salute animæ de ipso fisco Valentianense et de aliis rebus locum augmentavit, sumptumque stipendiarium deputans, canonicos constituit.]

32. *De Marecolis.* Sanctus quoque vir Dei Huntbertus, sanctitate conspicuus et non modice prediatus, ex patria Laudunense decedens, in villam Mareclias (277) locum suæ sanctæ conversationis elegit; ibique de rebus propriis et prædiis monasterium in veneratione sanctæ Dei genitricis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli apostolica auctoritate construxit (278). Illucque fratribus ad deserviendum statutis, ipse etiam Domino serviens, virtutum signis et doctrinæ vitæque meritis satis clarus emicuit, ibique laborem hujus vitæ consummans, sepultus in pace quiescit. Hanc siquidem abbatiam primus Otto imperator, Heinrici regis filius (279), ut in primo libro latius digessimus, tempore Fulberti episcopi habendam tradidit sanctæ Dei matris æcclesiæ Cameracensium.

VARIÆ LECTIONES.

[226] duneque 1.

NOTÆ.

(275) Hanc commutationem anno 1044 adscribit Miræus ob chartam Leduini, editam in Opp. diplomat. I, 265, ubi hæc leguntur: *Principi æternitatis... Ego Luduinus abbas... Sed nostro tempore, dico a. i. summi et veri pontificis I. C. millesimo quadragesimo quarto, per Gerardum Cameracensem et Atrebatensem episcopum quæsitum est, quærendo atque retractando alterutrum sic peractum est, ut nos consilio seniorum et vicinorum necnon nostrorum fratrum, cellam quæ dicitur Haspra a comite Richardo et Teodorico abbate Gemeticensis cœnobii dono acciperemus, quia vicinior nobis erat; ipsi quoque Anglicurt cellullam viciniorem sibi nostra donatione possiderent. Testes hujus rei fuerunt: Richardus comes, qui donationem... Robertus archiepiscopus frater ejus. Richardus filius Richardi. Robertus frater ejus. Wairinus Belvacorum presul, nostræ congregationis frater. Actum Rodomis, mense Januario in octava epiphaniæ, indictione 6 regnante serenissimo rege Francorum Roberto, anno imperii sui* 28. Verum illud *quadragesimo* aperte mendosum est, et mutandum in *vigesimo;* annus enim 28us Roberti est 1024; porro Robertus archiepiscopus obiit a. 1037. Warinus a. 1030, et Theodericus abbas jam ante annum 1030. Recte igitur Colvenerius annum hujus commutationis 1024 esse statuit; et jam Jacobus de Guisia eumdem a. 1024 tradit (ed Fortia IX, 246).

(276) Igitur intra annos 979-995.

(277) Maroilles.

(278) Cf. I, 27, Acta SS. Belgii IV, 117.

(279) Erat noster; supra enim, I, 68, ipse narravit Carolum regem eam tradidisse Stephano episcopo, anno 921.

33. *De villa Waslero.* In villa quoque Waslero (280) beatus Landelinus monasterium ad paucos fratres condidit, cui sanctum Dodonem bonæ memoriæ virum præfecit. Hic nimirum sacris moribus cluens, votæ innocentiam duxit, ibique deposito onere fragilitatis, feliciter in pace quiescit.

34. *De villa Fescau.* In villa etiam Fescau (281) monasterium est, ubi sane sanctus vir Domini, Hetto videlicet Scotus, divina providentia dirigente, deveniens, aliquanto tempore conversatus est; tandemque cursum suæ peregrinationis finiens, migravit ad Christum. Au cujus meritum declarandum divina pietas multa dignata est operari documenta virtutum. Unde quidam ex religiosis viris sancto viro tantorum emolumenta bonorum tradiderunt, ut aliquot canonicos admitterent.

35. *De monasterio quod est in villa Alto Monte.* Nec prætercam vicum, quem Altum Montem (282) dicunt, nec inmerito sic nominatum; cum beatus Vincentius, cum multis viris religiosis, qui cum eo fuerant, sua conversatione reddiderit sublimatum. *(V. Auth.)* [Porro iste Vincentius comes egregius, videlicet sanctæ Waldetrudis maritus, juxta quidem sæcularem eminentiam et rebus et genere potentissimus, eruditione tamen et crebris monitionibus beati Autberti pontificis informatus, sæcularis militiæ pompam procul abhorruit, Deique obsequiis mancipare se potius estimavit.] Igitur dum de loco suæ conversationis expetendo sollicitus curam gereret, non defuit divina pietas, sancti viri desiderium completura. Nam quadam nocte pluit Dominus nivem, et omnem regionem circum et circa niveo rore respersit, excepto paululo loci, quod in supradicto vico in modum videlicet crucis respergendum reservavit. Quod vir Dei suo desiderio celitus contigisse altiore consilio intellexit; divinoque indicio certior factus, mox eodem in loco monasterium ex proprio sumptu fundavit; quod etiam suus magister Autbertus, viris secum religiosis adhibitis, in honore apostolorum Petri et Pauli dedicavit. Ibique vir sanctus feliciter conversatus, laudabilis vitæ sanctitatem ducere adstuduit. Ad cujus piam conversationem multi viri religiosi confluxerant, traditisque prædiis et propriis rebus cum sacro viro degentes, ad vitæ regularis normam sese constrinxerant. Cum autem locus a regibus et principibus augmentari et frequentia fratrum populosus cœpisset haberi: ut liberius Deo vacaret, in secretiorem locum secessit, quem etiam locum paulo posterius dicam. Hujus vero forma et exemplo religio monachorum postea multo tempore adolevit, sed per incursus gentilium, immo et per crebras seditiones domesticorum subripiente inopia, ordo monachalis ad canonicalem redactus, sic ad tempus domni Gerardi episcopi usque remansit. Quod vero cernens episcopus, præcepto Heinrici imperatoris consilioque Herimani comitis (283), ac voluntate sui fratris Godefridi, fratris videlicet episcopi, qui ex parte Herimanni comitis ipsum locum in fisco tenebat, emelioravit, et facto abbate Fulcoino, in pristinum ordinis statum reformavit (*an.* 1016). Hic autem vir bonæ memoriæ abbas cum summo studio et labore nominis sui officium librans, et usum regulæ interius docuit, et locum omnem pro modo temporis, utpote adhuc videlicet novitium, pulchris ædificiis et usui monachorum necessariis exterius insignivit.

36. *De Melbodiense monasterio.* Dicendum est quoque in Melbodic (284) monasterium puellarum, [(*V. Autb.*) quod beata Christi virgo Aldegundis ad opus suæ conversationis ex propriis prediis struxit; quod etiam beatus Autbertus, multis viris secum adhibitis, dedicavit. Hæc nimirum virgo laudabilis, soror sanctæ prælibatæ Waldetrudis, a beato Autberto doctrinata velamen piæ religionis accepit, ibique cum plurima turma sororum puræ vitæ innocentiam ducens, deposita corporis gleba, celesti sponso cum ardenti lampade obviam perrexit.

37. *De Laubiensi cœnobio.* Transeundum est ad Laubiense cenobium (285), quod sacris initiis sancti Landelini ad tanti honoris, qui nunc est, paulatim pervenerat titulum. [(*V. Autb.*) Hunc nimirum Landelinum in primeva quidem ætate a beato Autberto pontifice litteris et moribus sacris imbutum, postea vero fallente diabolo pii magistri profugium, spreto clericatu manui prædatoriæ in libro vitæ ipsius legimus sociatum. Hunc, inquam, postquam magister benignissimus diuturna lamentatione et jugi prece ab errore revocatum quasi pater filium suscepisset, ac saucium dulci correctione ac benivola consolatione recreasset, in prælibato loco tunc temporis solitario secedere monuit, ut disciplinatius videlicet errata corrigeret et emendatius viveret. Peracto itaque habitationis ædificio et in veneratione apostolorum Petri et Pauli consecrato (286), — paucis siquidem viris nitidæ vitæ secum receptis, — monitiones et mandata magistri æqua lance moris et operis adimplevit, et de die in diem proficiens, ad vitæ sanctissimæ culmen transcendit. Ubi vero locus viri sancti pia conversatione florere cœpisset, et ex munificentiis regum sive potentum quorumlibet quanto rebus exterius, tanto etiam numero monachorum interius habundaret: mox inde remotus, siquidem ut Deo strictius manciparetur, secretiorem locum, quem paulo post dicemus, expetere

NOTÆ.

(280) Wallers St-Hilaire, sive Wallers en Faigne. Secundam Fulcuinum autem, cap. 4, non Landelinus hoc monasterium condidit, sed Ursmarus.

(281) Fussiaux, prope Avesne. Le Glay.

(282) Hautmont, prope Maubeuge.

(283) Eihamensis sive Virduneusis; cf. III, 6.

(284) Maubeuge.

(285) Lobbes.

(286) Secundum Folcuinum in Gestis abb. Lob. 4. Ursmarus demum hoc fecit, anno 697.

estimavit. (*V. Ursmari.*) Secessurus autem, eo loci præfecit beatum virum Dei Ursmarum, piis moribus præditum, in functoria tantum prædicatione (287) sacratum episcopum (*an.* 689). Hic etiam vir de villa Fleon (288), quæ infra silvam Terasciam (289) sita est, oriundus, formam innocentis vitæ fratribus exhibuit, diesque suos in bonis operibus egit.] Hoc igitur doctore, et dein beato Ermino succedente, de quorum monasterio subsequenter narrabimus, effloruit locus, et ad Dei gloriam, ut usque in presens apparet, mos plene adolevit æcclesiasticus.

38. *De monasterio sanctorum Ursmari et Ermini.* Horum itaque beatorum Dei confessorum dormitionis habitaculum subjungamus. Erat namque æcclesia parochialis subjacens prelibato cenobio, quæ juxta, scilicet in vertice montis, sita est; ubi ipsi monachi, sed et omnes collimitanei circum et circa degentes, tumulandi ferebantur. Ad hanc etiam beatissimi viri Ursmarus atque Erminus, cum defuncti sunt, portantur humandi; quorum meritis declarandis divina pietas multa miracula dignata est operari. Sed quia supra de sancto Ursmaro parum tetigimus (*c.* 37), non incongruum, si de sancto quoque Ermino aliquid explicemus. [(*V. Ermini.*) Hic nimirum vir vitæ laudabilis, et non parum prædiatus, de pago Laudunensi oriundus extitit, et de die in diem in bonis operibus proficiens, omnium virtutum cluebat commertiis. Quem quia odor bonæ opinionis illius longe lateque increbuit, beatus Ursmarus, supradictum monasterium (290) regens, sepius accersivit, diemque suæ vocationis imminere intelligens, ipsum rectorem monasterii [227] officiique sui post se supparem et ministrum pontificemque delegit (*an.* 711). In functione igitur vicaria subrogatus, totum se in divinis cultibus propensius mancipavit suique magistri forma instructus, de creditis ovibus curam sollicite gessit.] Illud etiam predium suum Ercli in usibus fratrum expendit. Postquam vero ambo ad remunerationem vocati, primo quidem beatus Ursmarus (*an.* 713), dein vir Dei Erminus (*an.* 737), in jam dicta parrochiali æcclesia tumulati fuissent, tot et tantis munificentiis locus ille donatur, ut modernis temporibus monasterio facto, canonici mitterentur.

39. *De Monte Castriloco.* In villa Castriloco (291) duo quoque monasteria habentur, unum quidem puellarum, [(*V. Auth.*) quod sancta Waldetrudis, conjunx sancti prelibati Vincentii atque soror beatæ Aldegundis, edificavit. Cum enim vir suus beatus Vincentius, relicto mundi naufragio, monasterii portum expetierit, ipsa quoque divina clementia inspirante, calcare seculum estimavit, sanctoque debriata spiritu, a beato Autberto confortata, habitum sancti velaminis sumpsit. Deinde vero ex suis dotalibus beneficiis et propriis prediis ipsum monasterium in honore sanctæ Mariæ, ex sententia et auctoritate sancti Autberti patroni sui, condidit. Ubi etiam adscitis non paucis familiaribus feminis, puritatem vitæ laudabilis ducens, celesti sponso obviam itura, lampadem lucernæ sibi inextinguibilis preparavit.] Alterum vero monasterium est canonicorum sancti Germani.

40. *De cella sanctis Gislani.* Nec procul hinc, in loco videlicet quem dicunt Cellam, monasterium est monachorum sancti Gislani [(*ibid.*). Iste nimirum, angelica visione monitus, ab Athenis digressus, cursum suæ peregrinationis in ipsa parte direxit, illudque monasterium auctoritate sancti quoque Autberti, sed et sancta Waldetrude, cui tunc temporis familiari dilectione inhæserat, opitulante, fundavit (*circa an.* 640.)] Qui quantus vel qualis vixerit, liber qui de Vita ipsius componitur, largiter edixerit.

41. *De Crispinio vico.* In vico Crispinio (292) monasterium canonichorum, ubi sanctus vir Dei Landelinus, ut jam paulo superius diximus (*c.* 37), pro frequentia fratrum relicto Laubiensi cœnobio, commendato viro Dei Ursmaro regimine suisque rite ordinatis rebus, secessit, viteque nitidioris perfectione exacta migrans ad Christum, in pace sepultus multis virtutibus coruscavit. Hæc autem abbatiola, ut in primo libro in preceptis regalibus videri potest (I, 68), sanctæ Dei matris æcclesiæ Cameracensium subjacere debere traditur; sed infestationibus gentium subripientibus, aut in mutatione regni modo divulsa, militaribus viris beneficio infiscatur.

42. *De villa Condato.* Apud villam quoque Condatum (293) olim regalis et dives in honore sanctæ Mariæ abbatia fuerat puellarum; nunc autem est monasterium, præ inopia, paucorum canonicorum. Ubi sane sanctus vir Dei Wasnulfus, genere Scotus, cursu peregrinationis consummato, sepultus cum patribus in pace obdormivit (*circa an.* 700), hujusque meritis omnem locum illustravit miraculis.

43. *De villa Lutosa.* Est monasterium quoque canonicorum in honore apostolorum Petri et Pauli, in vico qui dicitur Lutosa (294), quod construxit beatus Amandus; et est dives abbatia, ubi vir Dei venerabilis Baidilo requiescit, qui corpus sanctæ Mariæ Magdalenæ de Hierusalem in Burgundiam in loco Vercelliaco attulisse fertur.

VARIÆ LECTIONES.

[227] monasterium 1.

NOTÆ.

(287) I. e. ad Dei verbum prædicandum gentibus, non autem peculiari alicui loco adscriptum. Colv.

(288) Floyón.

(289) Forêt de Tiérache, in finibus Picardiæ.

(290) Laubiense.

(291) Mons.

(292) Crépin.

(293) Condé, ad Scaldim.

(294) Leuze, inter Ath et Tournai. Le Glay.

44. *De vico Rotnasce.* In vico Rotnasce (295) est A monasterium canonicorum, a sancto quoque Amando in honore eorumdem apostolorum constructum, ubi martir Dei preciosus Ermes quiescit. Hoc autem demiramur, quod hunc locum tam antiquum et tam opulentum Ludowicus Pius Endensi cœnobio (296) subjacendum donavit.

45. *De villa Iham.* Est etiam locus super Scaldum fluvium, quem dicunt Iham, ubi modernis temporibus honorabilis vir comes Godefridus (297) et uxor sua Mathildis, matrona videlicet memorabilis, — erat enim suum predium, suis usibus oportunum — castro quidem munito, navigium, mercatum, teloneum, ceteraque negotia statuerunt; infra B castrum vero monasterium in honore sanctæ Mariæ, deputatis canonicis, fundaverunt. Extra autem Herimannus filius duo monasteria struxit, unum sancto Laurentio, alterum vero sancto Salvatori. Nunc igitur locus, utpote noviter instructus, ex omni sufficientia floret et tamen esset uberior, nisi crebro hostili incursione quateretur, quod maxime ab inimicis Dei patitur pro stabilitate regni et fidelitate imperatoris.

46. *De villa Sungeias.* Repetamus etiam locum, quem relictis quidem in Altomonte fratribus, expetiisse beatum Vincentium prediximus. [(*V. Autb.*) Hic profecto ab incolis Sungeias (298) nuncupatur. Ubi ipse vir Domini a frequentia populare remotus, fratribus sociatis, monasterium struxit, ibique exactis hujus vitæ cursibus feliciter, sepultus cum filio suo Landrico Meldensi episcopo in pace quiescit.]

47. *Monasterium in loco Maslinas.* Apud Maslinas (299) quoque monasterium est canonicorum, ubi quiescit preciosus Dei martir Rumoldus, genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens, ibi martirizatus est. Hoc autem monasterium ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maxime augmentatur.

48. *Monasterium sancti Guntmari.* Nec procul hinc est monasterium (300) canonicorum, quod ex propriis prædiis vir Dei Guntmarus illustris laicus struxit (*circa an.* 775), ibique sepultus diem resurrectionis spectat [228].

LIBER TERTIUS

DE REBUS GESTIS GERARDI EPISCOPI [229].

1. Domnus imperator Heinricus, ut superius diximus, suorum principum unanimi consilio usus, Gerardo suo capellano, adhuc diacono, non infimis parentibus Lothariensium atque Karlensium edito 301), apud Arvitam (302) villam Saxoniæ Kalendis Februarii donum largitus est episcopii (303) [*an.* C 1012], Hunc in puericia Albero Remensium archiepiscopus, pro consanguinitate, sed et pro prædiis quæ ex patre matris in ipsa terra habebat hereditario jure tenendis, secum permissione parentum abduxit, et sub regula canonica degentem familiariter educavit. Sub cujus liberali eruditione et normam æcclesiasticæ religionis et mundanæ disciplinam satis viderat honestatis. Episcopali vero munere infulatum (304) ipso quidem die et crastino, purificationis scilicet gloriosæ Dei genitricis

VARIÆ LECTIONES

[228] *Hic desinit* 1. *in media pagina penultima quaternionis integri, nullo ex ejus foliis deficiente, folio ultimo recto. Alia manus coæva statim subjunxit :* Ex decretis beati Gregorii pape, quod monachi ubique sacerdotali officio ministrent, *etc., quæ codicis paginam ultimam et dimidiam penultimæ a scriba vacuas relictas adimplent. Eadem hoc loco in* 4. *leguntur, sed recentior manus deletis ascripsit :* Hæc sunt omittenda ut extranea. Erant enim alio charactere adscripta in ms. exemplari S. Gisleni. — *Tertii libri in* 1. *jam ne vestigium quidem apparet; at Colvenerius adhuc vidit ediditque; cujus in edendo atque annotando fidem egregiam atque vere accuratam fuisse cum primo atque secundo libro docti simus, cum sequimur testem fide dignum in annotandis codicis* 1. *lectionibus per librum tertium, qui hodie superest tantum in* 2*. 3. 4. *sed fuit etiam in* 1. 2. 5. [229] *Ita Colv. ex* 1. *ut videtur; cf. I,* 122. *Titulo omnino caret* 4. *In* 3. *ita legitur :* Domnus Gerardus in episcopum Cameracensem creatur. Iste est qui ecclesiam Cameracensem perfecit et dedicavit, Liber tercius. *Capitum inscriptiones Colvenerius per totum librum de suo adjecit quas nos ejecimus; in codicibus enim non extant.*

NOTÆ.

(295) Renaix, inter Oudenarde et Grammont.

(296) Inda seu Cornelismünster prope Aquisgranum.

(297) Filius Godefridi Ardennensis. Cf. Auctarium Affligemense Sigeberti a. 1005-1033.

(298) Soignies, inter Mons et Brüssel.

(299) Mecheln.

(300) Lierre, ad Netham, prope Mecheln. Le Glay. Cf. Acta SS. Oct. V, 678.

(301) Patre Arnulfo Florinensis cœnobii fundatore, matre Ermentrude. Colv.

(302) Hodie Erwitte in Westfalia, ubi igitur imperator a. 1012, minime vero a. 1013, moratus est, Pertz.

(303) Colvenerius, et multi post eum, Gerardi successionnem anno demum 1013 ascribunt, cum Kal. Febr. ab imperatore episcopio donatus dicatur. Erluinus autem III Non. Febr. demum obierit. Sed quæ in sequenti capite narrantur, a. 1012 facta esse inter omnes constat; atque Heinricus qui teste nostro I, 122, jam ante Erluini obitum per legationem Azelini episcopum morti vicinum esse dixerat, facile jam tum Gerardo potuit concedere quod Azelinus quoque vivente adhuc episcopo sibi petere non incongruum censuerat. Diplomata Gerardi edita auxilii nihil afferunt; in charta a. 1046 a Miræo Opp. dipl. 1, 55, prolata, legendum esse patet *Henrici regis anno* VIII. *presulatus domni Gerardi* XXXV.

(304) I. c. donatum; ordinatus enim fuit Remis, cf. cap. sq. Le Glay.

Mariæ, secum imperator detinuit ; tertio vero die licentiam discedendi accommodans, abbatibus videlicet Richardo (305), et Berthal lo Eudensi, sed et Herimanno comiti (306) per legationem precepit, ut Gerardum comitantes ad urbem commissam usque deducerent. Hiis ergo comitantibus, cum iter faciens Valentianense castrum pene subiret, Balduinus comes (307), audito rei exitu, etiam comitaturus occurrere festinavit ; tantaque copia fultus in urbem pervenit, a populo videlicet et clero cum leta et officiosissima celebritate susceptus. Missi vero regii predictam (i, 120) Walteri sevitiam audientes, mordaciter illum et cum indignatione reprehendunt ; immo et quo spiritu cum aliis malis etiam domum episcopalem occupare presumpserit, rogant. Qui mox falsam defensionem objiciens, fallaciter conposuit, quod ita se facere non causa rapinæ, sed tuitionis adversus Balduini comitis impetum, cui male suspectus erat, disposuit. Hoc autem longe a rei veritate seclusum, ac magis dolo quam fide suffultum fore respondent, presertim cum suas opes intactas reliquerit, episcopales vero abnormi effusione consumpserit. Tandemque cum asperitate erroneo consulunt, monentes ut melioratus ab insolentiis desisceret (308), correctisque præteritis, fidelitatem episcopi in reliquum observaret. Id continuo quam sancte promisit, sed ut posterius multis modis videbitur, fidem sermonibus derogavit.

2. Procedente vero aliquo temporis (*an.* 1012. *Marti*), ipse domnus Gerardus, ordinatis suis rebus vassallisque ac clericis sibi sacramento constrictis, ad imperatorem in villam videlicet Novimagum (309) se contulit, et cum aliis imperatoris fidelibus etiam Balduinum comitem pariter duxit ; ubi ei imperator villam (310) Waleras beneficiavit. Hoc autem in loco ipsum domnum Gerardum in sua presentia fecit ordinari presbyterum. Denique ipsi accommodata remeandi licentia, mandat ut in die sancti paschæ sibi famulaturus, Waltero secum pariter adducto, ad æcclesiam Leodecensium adveniret. Sic reversus, multa iterum mala repperit ; quippe querulis pauperum clamoribus triste pulsatus, quorum Walterus alios verberabat, alios insuetis exactionibus semper vexabat. Super hæc ergo tirannum increpans, animæ pericula monstrat. Verum ille inobedienter audiens monitus saluberrimos omnino depravat. Cum autem pascha propinquante ad prefatam æcclesiam episcopus imperatori serviturus

A secundum monitum ire disponeret, cum suis fidelibus etiam Walterum, ut secum pergeret, parari precepit. Quo renuente, ipse præsul cum suis aliis in urbem Leodecensium, præscripto termino (311), imperatori occurrere festinavit, debitumque obsequium exhibens, super Walteri injuriam et inobedientiam exclamavit. Post hæc vero monuit illum imperator, ut secum ad novum episcopium dedicandum, in civitatem videlicet Bavenberg, una proficisceretur, ibique in sua presentia a missis apostolicis multisque coepiscopis sive abbatibus, qui illuc ad encenia (312) templi convenire deberent, ordinaretur episcopus. Qui et si honorabilius et disciplinatius coram regia pompa et Lothariensi sollertia sciret se ordinandum : tamen loci amore, B quo nutritus fuerat, captus, a nullo quidem nisi a metropolitano Remensium archiepiscopo se ordinatum iri velle respondit ; quippe satis provide ac competenter causam considerans, ne forte videlicet eo etiam ipse consuetudini sedis metropolitanæ contraire videretur, quod domnus Erluinus episcopus ob supradictam contentionem (i, 111), Romæ ordinationem susceperat. Quo audito, imperator altioris consilii illum advertens, libenter acquievit, dataque reditus licentia, largitus est ei librum consecrationes clericorum et ordinationem episcopi continentem, ut per hunc videlicet consecratus, haud fortasse quidem indisciplinatis moribus Karlensium inregulariter ordinaretur. Unde mox ad sua cum honore et prosperitate concessit. Nec C multo post paratis viaticis cum suorum primoribus excepto Waltero, æcclesiam Remensium petens, summa cum veneratione pontifex ordinatur (313) [*Apr.* 27]. Sic itaque sublimatus, oves sibi commissas revisit quantocius ; sed nequaquam ab insolentiis Walteri feriatur. Ceterum aures suæ querimoniis pauperum non vacabant, eorum scilicet quos Walterus, ut dictum est; injuriose torquebat ; quos etiam pessime affectos, direptis substantiolis, in vinculis mancipabat. Unde imperator exclamante iterum episcopo graviter excitatus, sed et recordatione hujusmodi controversiarum, quas in Erluinum quoque dudum exercuerat, efferatus, illustres viros comites. Godefridum scilicet (314) D postea ducem, fratremque Herimannum, huic urbi direxit, et ut ad se tantæ immanitatis virum facerent ire, mandavit ; certe satis admirans, quod cum se castellanum advocatumque civitatis aiebat, numquam aulam regiam frequentaret. Qui comites

NOTÆ.

(305) S. Vitoni Virdunensis.

(306) Eihamensi ; cf. ii, III, 2, 4, 6, 8.

(307) Flandriæ, Barbatus.

(308) i. e. descisceret.

(309) Nimwegem. Ibi rex mense Martio a. 1012 commoratus est.

(310) Insulam potius.

(311) Ann. Hilsdesh. 1012 *rex. . pasca Laodicie celebravit. Inde.... Babenberg progressus est; ibi venerabile monasterium... 2. Non. Maii consecratum est.* Leod. Ann. 1012. *Heinridus rex pascha celebravit Leodii.*

(312) Dedicationem. a καινός. *novus.*

(313) Chronicon S. Andreæ Castelli Cameracesii, anno 1133 conscriptum, hæc habet i, 3 : *episcopalem benedictionem* v *Kal. Maii adeptus est.*

(314) Filium Godefridi Vetuli, comitem Virdunensem, postea ducem Lotharingiæ inferioris.

herilibus obtemperantes jussibus, Walterum conveniunt, ac pristinæ reconciliationis ingratum et insolentiæ reum haud mollibus indignationis motibus redarguentes, plurimum dequesti sunt : cum videlicet non solum promissam emendationem irritam fecisse, sed ad augmentum suæ tirannidis iram episcopi amplius provocasse. Sibi enim totius rei prepotestatem penitus usurpare, episcopo vero solum nomen ac speciem honoris relinquere. Ad districtum ergo judicium imperatoris contendat monuerunt. Ad hæc ille perterritus, mox incredibilis pœnitentiæ speciem induit, et quem crederes ulterius nequaquam esse lapsurum, obsidibus quidem cum sacramento oblatis, congestis etiam precibus, ad totius (315) generis satisfactionem tota se humilitate dejecit; adeo sane, ut etiam ipse domnus episcopus, miseratione pulsatus, iratos comites precibus mitigaret. Quo petente comites emolliti, suspectum omne prætergrediuntur [230], susceptisque quinque majoris pretii obsidibus, Walteri precibus accedere estimarunt; eo videlicet pacto, ut ni infra constitutum placitum episcopo satisfaceret, judicandus postmodum presentiam imperatoris adiret. Hoc autem et ipsi obsides coram omni populo dejerarunt, quod si pactum ullo modo solveret, mox episcopum secuturi, illum omnino desererent.

3. Hiis ita gestis, nec longo post, Walterus non solum evacuavit promissum, sed etiam multo pejus sui furoris ampliavit incursum. Nam dum episcopus Gerardus ad obsidionem Mettensium civitatis aliquamdiu cum imperatore moraretur (*an.* 1012, *Aug.*), Walterus nescio quid male suspectans, mox fide mutata, bona episcopi exteriora vastavit, immo et suburbium civitatis igne consumpsit. Quod ubi delatum foret episcopo, cur hoc fecisset satis superque obstupuit, presertim cum ipsum nichil læderet, verum inviolato fidei pacto condictum placitum expectaret. Walterus autem soluti federis pretendens pœnitentiam, suæ præsumptioni oportuna calliditate prævidit. Quo enim gravius advertit se offendisse episcopum, tanto altioris præsidii quærit sibi suffugium [231]. Nam Robertum regem et Odonem comitem (316) precatores sibi et adjutores paravit, et ut domnum episcopum placaturi, suæ temeritati veniam rogarent, obtinuit. Verum hii circa negocium aliud occupati, Harduinum Noviomensum episcopum cum aliis etiam oratoribus usu vicario ad Gerardum pontificem delegarunt. Qui tempus acceptabile pœnitentibus aucupati, circa initium qua-

A dragesimæ (*an.* 1013) reducto Waltero precatum venerant, ac precum delinimento [232], iram episcopi mitigantes, omnes in preces descenderant. Horum itaque rogationes episcopus, quem putares obstinatissimum et inexorabilem, non vilipendere [233] ra um duxit, sed domesticarum necessitudinibus ærumnarum altrinsecus deploratis, eorum precibus assensum porrexit, hujusmodi tamen conventionibus suorum amicorum sacramento collatis.

4. Tunc etiam temporis in monasterio sanctæ Mariæ Atrebatensium juxta altare multorum sanctorum reliquias preciosas contigit inveniri (cf. II, 13). Ad quarum quidem merita propalanda divina clementia diversi generis signa et prodigia operante, B non solum ex vicinis, sed etiam longe positis regionibus per totum fere biennium multitudo maxima confluebat.

5. Ipso vero in tempore, cum post Nocherum sanctæ memoriæ episcopum, Baldricus Leodicensis æcclesiæ adeptus est dignitatem (*an.* 1008), Lantbertum comitem (317) assumere in amicitiam estimavit, utpote consanguineum et ideo adjutorem patriæ futurum. Hujus autem perfidiam Gerardus episcopus plerumque compertam intimavit, et ne illum sibi adsciscerct, exortatur; hominem esse enim subdolum, fide vacuum; timendas ejus calliditates. Quod profecto postea ita probavit eventus. Episcopus enim cum in villa Huvardas (318) castellum muniret, ad firmitatem videlicet pacis, ad ma- C leficos territandos : ipse Lantbertus, furoris sui obstaculum videns, mox fide mutata, congregata valida manu, Rotberto [234] Namurcensi comite sibi abhibito, non erubuit præsulem invadere; omnibusque fugatis, Herimannum tantummodo comitem (319), cui erat pudori fugere, ibi in æcclesia sancti Gorgonii, ubi quidem, spe resistendi sublata quia fugerant cuncti, secesserat, captum Rotberdi comitis custodiæ commendavit (*an.* 1013, *Oct.* 10). Quod quamvis amicis ejus, multum dolentibus ne diu teneretur, suspectum foret : divina tamen clementia, quæ vota omnium supervadit, in melius prosperavit. Rotbodi namque comitis mater (320), sano usa consilio, Herimannum comitem suis amicis se redditum ire promisit, si pro tanta commutatione D sibi gratiam amicorum ipsius Herimanni et imperatoris, quem offenderat, resarcirent. Quod cum rescirent episcopi Gerardus atque Baldricus, imperatorem in loco qui Confluentia dicitur sinodum celebrantem (321) et de episcopo Mettensium, qui

VARIÆ LECTIONES

[230] *ita* 4. 5. precorgrediuntur 1. 2. 3. [231] suffragium 4. [232] delimento 3. delimente 2*. [233] *ita conjecit Colv.*; vili pondere *codd.* [234] *ita hic et secundo loco* 1. Roberto 3. 4 Roberto 5. Rotbodo 2. Rotboldo 2*. *In tertio loco autem* Rotbodi 1. 2. 3. 4. Rotbboldi 5.

NOTÆ

(315) I. e. cujusvis, *jeder Art.*
(316) Campaniæ
(317) Lovaniensem, de quo ci. I, 96.
(318) Hougard prope Tirlemont. Cf. Vitam Balderici.
(319) Virdunensem seu Eihiamensem, fratrem Godefridi ducis; cf. c. 1.
(320) Ermengarda, filia Caroli ducis.
(321) Ann. Quedl. 1012: *Heinricus rex, ad festa S. Martini Confluentiæ veniens, magnam syno-*

inimicis suis inhaeserat, tractantem agressi sunt, et ut comitissa poscebat, et imperatoris gratiam impetrarunt. Sicque comes Herimannus sentiente Lantberto a captione solutus est.

6. Est autem monasterium in pago Hainou, in villa [235] quæ dicitur Altusmons, quod, ut posterius (322) lectori occurrit, sanctus Vincentius, beati Autberti predicatione de laico monachus factus, ex rebus sui juris sub monachorum religione construxit, ac sub regia manu per multos annos non mediocriter floruit. Supervenientibus autem causis diversarum tempestatum, quas legimus, comitibus in beneficium traditum est, et ad tantum casum paulatim devolvitur, ut, monachis quidem egestate coactis, paucorum clericorum custodiæ mandaretur. Procedente vero tempore contigit Arnulfo, patri domni episcopi, a comite Herimanno in beneficio conpensari. Hic profecto audito de antiquitate et summa veneratione loci, sicuti vir sanus, ad pristinum gradum voluit reformare; sed subripientibus causis bellorum non potuit. Post cujus excessum, cum Arnulfi [236] filio (323) hereditarie cessit, hujus nimirum meliorare volentis desiderium divina clementia secundavit. Ipso enim tempore (*an.* 1012) frater suus ad pontificium sublimatur; cujus tam consilio quam auxilio pulsis quidem canonicis, domno abbate Ricardo (324), monachorum religio revocatur (*an.* 1016). Qui Ricardus postea Fulcuinum abbatem sibi substituere estimavit. Hunc ergo domnus episcopus Gerardus unaque abbas Ricardus imperatori presentarunt abbatia donandum. Nullum enim abbatias præter imperatorem aut episcopum largiri, cuiquam fas est, quamvis advocatiæ earum laicis commendantur. Subrogatus itaque Fulcuinus, multo labore monasterium, quod desertum invenerat, domno episcopo adjuvante, tam claustro et ceteris ædificiis quam regulari fratrum servitute munivit. Quod ita innovatum, Kalendis Maii in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ut ante fuerat, domnus episcopus consecravit. Abbas autem clericorum incursus, qui ejecti fuerant, ferre non poterat, nisi domnus episcopus virtute compesceret.

7. Eodem vero tempore defuncti ducis (325) Ottonis (*an.* 1013, *vel* 1014), filii Karoli, Godefridus antea dictus (326), intercessione Gerardi episcopi et obtentu majorum fidelium imperatoris, adeptus est dignitatem. Inter quem et Lantbertum comitem jamdudum vetus fervebat discordia; quos Gerardus episcopus, licet Lantberti profluviam fidem et instabilem animum noverat, tamen ne qua calliditate Godefrido in tam novo honore officeret, interposita pace amicavit. Hic itaque ad tantum culmen promotus, cum honore et maxima virtute fidelitatem imperatoris agebat; sane adeo, ut nemo melius pacem patriæ dilataret, bella sedaret. Illo siquidem rectore consilii, imperator superborum cervices subigebat hostesque vincebat.

8. Juxta castrum Montem fonticulus est (327), per multos annos ab incolis sanctæ Waldetrudis veneratione servatus, ubi infirmi perfusi sospitatem meritis sanctæ Virginis [237] recuperare feruntur. Ubi cum eo tempore quædam femina pergeret pro infirmitate lavatum, repperit quasi recenti cruore respersum, et dum lavaretur, visa est facie sanguinolenta. Quo prodigio domnus episcopus bella imminere predixit; quod ita ipsa res postea indicavit.

9. Denique vero tempore procedente (*an.* 1015), Lantbertus jam dictus cum Rainero nepote suo, Raineri filio, inimicitiam adversum ducem Godefridum et Herimannum fratrem, soluto fœdere, iterum excitavit, alternisque pulsibus contentio invicem eo usque processit, dum in campum Florinensem convenientes, asperam pugnam committerent (*Sept.* 12); Dei tamen justo judicio Lantbertus cum multa quoque suorum strage cæsus occumberet. Postea idem Rainerus et Heinricus Lantberti filius, paternos quidem mores omnino imitati, super fideles imperatoris plerosque impetus faciebant, ac humanis [238] operibus morumque insolentiis imperatorem male offenderant. Videns autem Gerardus episcopus domnum imperatorem circa alia negotia occupatum, in quantum potuit salutem patriæ sapienter previdit; sibique coepiscopus Albaldo (328) videlicet et Haimone (329) adhibitis, gratiam imperatoris ipsis malefactoribus pace interveniente optinuit.

10. Hiis ita gestis, Rainerus ad integrandam amicitiam filiam Herimanni comitis sibi quæsivit matrimonio copulari. Sed hoc, pro consanguinitate quæ dicebatur, esse illicitum Gerardo episcopo

VARIÆ LECTIONES.

[235] valle 2*. [236] *ita correxit Colv.* Arnulfo *codd.* [237] matronæ 3. *cf. II,* 26. [238] *ita codd.* inhumanis *conjicit Colv.*

NOTÆ.

dum habuit, Thiedoricum Metensem . . . causa damnandi.

(322) I. q. *retro;* scilicet prouti enim lector in legendo procedit, præcedentia post se relinquit.

(323) Godefrido Florinensi., cf. II, 35.

(324) S. Vitoni Virdunensis.

(325) Lotharingiæ inferioris. Sigebertus Ottonis mortem a. 1005, ponit, falso, uti ex nostro apparet.

(326) C. 2. Virdunensis, filius Godefridi Vetuli, frater Herimanni comitis Eihamensis seu Virdunensis.

(327) Hic fons S. Waldetrudis etiamnum exstat in magna silva Montensi a dextris viæ qua Bruxellam itur, uno prope miliario ab urbe Montensi, juxta antiqua murorum rudera, quæ *muri paganorum* appellantur, in pago cui nomen Castrum. Neque hodie sine veneratione est. Colv.

(328) Seu Adelboldo Traiectensi.

(329) Virdunensi.

estimanti omnino displicuit. Et tamen postea consilio coepiscorum usus, invitus siluit, quippe proponentium beati Grogorii monitus suo discipulo Augustino collatos. Cui, cum Anglos predicatione Dominici verbi erudiens ad fidem Christianæ religionis excoleret, si virum ac mulierem seu quartæ seu quintæ propaginis junctos inveniret, junctos etiam si nollent (330) pateretur, ammonuit, gratia videlicet propagandæ novæ Christianitatis. Prolem enim esse futuram, quæ melius legem servarent. Hoc ergo potius consentire deberi, ne forte aliquid esset dispendium antiquæ Christianitatis. Si enim tanti viri gener fieret, spem fore pacis; sin autem, naufragium patriæ.

11. Item etiam comes quidam Gerardus (331), secundum secularem pompam male fastuosus, plerisque assultibus imperatorem irritabat; illique quasi capiti et domino omnium malorum, cuncti rebelles et infideles imperatoris subjecti, cuncta mala perpetrabant. Qui parata valida manu, circa viciniam ducis Godefridi, illum quidem incautum estimans, quadam die cum incendiis et deprædationibus desevire accessit. At subito dux nuntiis excitatus, collectis quos présentes habebat, in fidelitate imperatoris sed et in Dei clementia fisus, adversum hostem ierat; bellumque iniens, Gerardo fugato et unico filio (332) vulnerato capto, postmodum vero defuncto, victoriam adeptus est *(an.* 1017, *Aug.* 27). Quæ causa reliquis infidelibus magnum incussit timorem, ac patriæ intulit pacis et quietis tranquillitatem.

12. Dehinc vero in campo Florinensi factum est bellum *(an.* 1015 *Sept.* 12), ubi Lantbertus comes cæsus, finem fecit suæ tirannidis, una etiam non paucis altrinsecus interfectis. De quo quia quiddam mirum ac memorabile domnus episcopus referre solebat, notare congruum estimavi. Ipsa namque nocte, cum ad Florinas tenderet bellaturus, incestus siquidem apud Nivellam cum quadam moniale dormivit, quæ ei in fibula suæ camisiæ reliquias preciosas innexuit, ut per earum merita videlicet in ipso prelio periculum evasisset. Ubi vero cum ventum est, super ceteras vestes etiam loricam induitur, et ut moris est bellantium capiti impositam (333) loricæ strictim commisit, subtus quidem reliquiis in fibula camisiæ ex industria reservatis. Quo munimine fretus, inpenetrabilis ferro bellum agebat, donec ex Dei voluntate sanctæ reliquiæ per medias vestes et per loricam subito erumpentes, procul A acervo lapidum insiderent, in albo quidem panniculo involutæ. Statim comes viribus destitutus, occubuit cæsus. Quomodo vero reliquiæ exiluissent unus ex persequentibus comitem intuitus, dum cæteri interficiunt hostem, inventas in sua ocrea festinanter abscondit. Post bellum vero rediens domum, in ipsa coxa cœpit graviter infirmari, morboque crescente coactus, qualiter illud sanctum pignus invenerit, confessus est. Quod cum fama comitis Herimanni, cujus miles erat, auribus detulisset, cum omni desiderio reliquias quæsitas habuit; et tamen postea imperatori has roganti concessit. Domnus autem episcopus illud incestum superius dictum credere non potuit, donec ipse B cum Baldrico episcopo in eodem monasterio causam diligentius ventilavit. Ubi quidem monialis rubore suffusa, tandem culpam est confessa.

13. Post bellum vero Gerardi quod jam diximus, illas seditiones, quas sororii imperatoris (334) contra statum regni sæpius incitabant, domnus episcopus duxque Godefridus una cum aliis fidelibus imperatoris multo labore sopierant; ducique Bajoariorum Herimanno (335), qui privatus fuerat, ducatum postea impetrarunt (Dec).

14. Eodem tempore mortuo Baldrico Leodicensium episcopo *(an.* 1018 *Jul.* 29), Vulpodo subrogatur, ac jubente imperatore a Gerardo episcopo ad eandem æcclesiam ductus, dono episcopii intronizatur. C Iste siquidem omni religione præditus, normam justitiæ suis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit.

15. Sub hiisdem diebus Engebrandus monachus abbatiæ Laubiensis æcclesiæ prærat *(an.* 1007-1020); sed sub specie regularis habitus seculariter vivens, nomen officii inpugnabat. Nichil enim religionis interius doctrinabat, et exterius bona æcclesiæ turpiter dissipabat. Unde quidnam agerent ambo episcopi, Gerardus videlicet et Vulpodo, invicem consulentes, iste quia in sua parrochia est æcclesia, ille quia in suo abbatia est territorio, eum ejicere moliuntur, et tandem effectum adepti, sed non sine magno labore, pepulerunt *(an.* 1020). Qui postea depositum se absque legali judicio attestans, tandiu adversus episcopos clamores excitavit, dum indicto D placito idem episcopi iterum cum multis abbatibus convenirent, illumque coram omni populo confessum et devictum canonice ab officio jure privassent. In cujus vice Richardum summæ religionis virum (336), divina gratia præordinante, substi-

NOTÆ

(330) Scil. disjungi. Colv.

(331) Primus, comes Alsatiæ, filius Everhardi comitis ex Eva, sorore Cunigundis imperatricis.

(332) Sigifrido; cf. de hac pugna Thietmar. vii, 45.

(333) *Galeam* exidisse videtur. Colv.

(334) Gerardus ejusque fratres, filii sororis imperatricis. Hæc habet Thietmar. viii, 9, sub an. 1018: *Godefridus dux et Gerhardus comes imperatoria potestate pacificati sunt.*

(335) Errat noster; Heinricus fuit, frater imperatricis) cf. Thietm. vii, 39, 48.

(336) S. Vitoni Virduninsis et L. Vedasti Atrebatensis jam abbatem.

tuunt (Sept. 22), qui et spiritualibus doctrinis monachos ædificaverat, et res exterius, ut videri nunc potest, multiplicare studuerat.

16. Ea etiam tempestate Richardus abbas, ut et liberius Deo servire potuisset, et pro cœlesti potius quam pro humana affectatione se onus sumpsisse cunctis notificaret, a regimonio Atrebatensis æcclesiæ se relaxare disposuit, consilioque Gerardi episcopi in sua vice Leduinum, ex laico piæ religionis monachum factum, substituit.

17. Defuncto autem Heriberto venerabili Coloniensis æcclesiæ episcopo (*an.* 1021), Peregrinus subrogatur, in ipsaque æcclesia in natali apostolorum Petri et Pauli, coram imperatore, adstantibus quidem multis episcopis pariterque etiam domno Gerardo episcopo, ordinatur (*Jun.* 30) Post quam ordinationem imperator Noviomagum petiit, ibique suis, quos Greci in partibus Apuliæ, circa urbes videlicet Salernam, Beneventum, Capuam debachantes premebant, se subvectum iri disposuit. Paratis ergo viaticis iter arripiens (*Aug.*), domnum Gerardum episcopum usque ad monasterium Sanctas (337) secum adduxit, ipsumque magnis et optimis muneribus, in auro videlicet, in palliis in precioso etiam vase argenteo, honorifice donans, cum amore et benivolentia ad sua remeare permisit. Exin vero emenso itinere super Grecos inruens, Trojam civitatem obsidione vallavit [239] (*an.* 1022, *Maii*); illucque domni Gerardi episcopi mentionem faciens, ei munera iterum misit, sane mandans totius benivolentiæ commercia.

18. Episcopi vero patre defuncto, ipse domnus episcopus apud Florinas, pro reverentia siquidem loci quo natus fuerat immo et pro salute animæ patris, et illud monasterium sancti Gingulfi, quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, et alterum sancti Johannis ex rebus suis et fratrum suorum non tam pulchra ædificiorum quam forti operositate fundavit. Sed hoc quidem (338) clericorum, ilud vero monachorum, utrumque annuente Baldrico Leodicensium episcopo, in cujus parrochia sunt, consecravit. Denique illa abbatia (339) domni abbatis Richardi regimonio commendata, sed et magni imperatoris Heinrici auctoritate firmata, cœpit florere, ac postea magis magisque. Deo gratias, tam affluentia rerum quam sanctitate monachorum effloruit.

19 Erat etiam locus quidam silvis ac paludibus inhabitabilis [240], qui ab incolis Mereweda (340) nomen accepit, ubi videlicet Mosa et Wal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur. Nullusque ibi præter venatores ac piscatores habitare antea consueverat, eratque episcoporum Trevirensis videlicet ac Coloniensis, sed et aliquot abbatum, in piscatione et venatione communis possessio. Huc nimirum Theodericus, Arnulfi Gandensis filius, — qui participium monarchiæ Frisonum tenebat, — quia Frisones pro morte patris quem interfecerant suspectos habebat, secesserat; factoque quodam municipio, alienus invasor ipsam terram præsumpserat possidere, sed et negotiatores inibi navigantes, gravissimo censu constringere. Unde imperator Henricus clamore excitatus ac maxime Albaldi episcopi (341), cui major portio de ipsa communi possessione cedebat, monitione compulsus, duci Godefrido, sed et episcopis Colonesium, Trejectensium, Leodinensium, ut exercitum adunarent, edixit (*an* 1018). Qui cum juxta decretum regium iter facerent, inter agendum accidit prodigium, quod mihi non videtur esse silendum. Baldricus enim episcopus in vico Trejectensi in monasterio sanctæ Mariæ condidit criptam, desuper jam altari erecto. Unde cum ipso die post orationem egressus, cum in navim intrare deberet etiam cum ipso exercitu profecturus, mirabile dictu, fuso altari totum illud opus diruitur. Hinc ergo malum omen multi opinabantur, sive publicum sive privatum episcopi, ut paulo post probavit eventus. Ipse enim cum aliis etiam arrepto itinere, mox infirmitate preventus, in villa quæ Herewardus (342) dicitur [241] remansit. Ceteri vero cum innumerabili multitudine permeantes, Teodericum cum paucis Frisonibus quos secum habebat, adorti sunt (343), procul dubio se victuros esse putantes. Quis enim tantum ac tantæ

VARIÆ LECTIONES.

239 *Sequentibus omnibus omissis* 5. *abhinc statim ad* c. 49. *transit ita* : Omissis quidem ergo multis infestationibus ab ipso Waltero domino Gerardo illatis ipse domnus Gerardus, postquam primum urbem commissam, *etc.* 240 *post* incolis *collocant* 2* 3. 4. 241 *ita Colv.* 2*. fertur 3. Herewarda ut fertur. 4.

NOTÆ.

(337) Sains-les-Marquion, c. II, 12.

(338) Scil. Sancti Gengulfii; apud Sanctum Johannem enim ab initio regulam S. Benedicti viguisse satis constat. In codice Sigeberti originario Gemblacensi manus una sæculi XII medii hæc notavit ad an. 1010: *In cenobio Florinensi pro clericis, qui ad hoc usque tempus deserviebant ibi, monachi sunt constituti*; ad an 1015: *Baldricus episcopus Florinensem abbatiam adquisivit ei qui præerat Leodicensi episcopatui*; et ad an. 1088: *Monasterium sancti Johannis in Florinis concrematur anno 62° suæ consecrationis*, unde sequeretur illud consecratum esse an. 1026. Sed hoc falsum est, cum et ex nostro, et ex Vita Balderici ep. Leod. sciamus, illam consecrationem factam tempore Balderici episcopi, qui obiit d. 29 Jul. 1018.

(339) Sancti Joanis, Richardus est celeber ille abbas S. Vitoni, S. Vedasti et S. Petri Laubiensis.

(340) Merwede, inter Gorkum et dordrecht. Ad totum caput cf. Alpertus De div. temp. II, 20. Thietmar. VIII, 13.

(341) Trajectensis.

(342) Herwerden.

(343) Ad Vlaardingen, prope Schiedam, in dextra Mosæ ripa, ubi mare influit.

virtutis exercitum prevalere ambiget [242], præsertim cum usu bellico et disciplina militari prestarent, et imperatori studio placendi inniterentur? Cum ergo comminus conflixissent, derepente incertum quis diabolico instinctu vexatus in hac voce bis horrendum erupit: *Fugite, fugite*. Quo Lotharienses exterriti, nescimus quo Dei occulto judicio, omnes fugam inierunt (*Jul.* 29). Ex quibus quam multa ac quam miserabilis cædes facta est, non est presentis negotii explicare. Nec tam tamen ab hostibus ferro quam timore vexati, inter naves dum fugerent in numero (344) periclitabantur, manifesto quidem quod scriptum est: *quia unus mille et duo fugarunt decem milia* (*Deut.* xxxii, 30). Dux autem Godefridus, quem secunda bellorum accenderant, undique circumfusus, dum fugere pudoris estimat, fugientibus sociis solus in prelium ruit; cæsisque quos adversum ierat, a latere circumventus, tamen capitur [243] vulneratus. Timens autem Teodericus tantæ magnitudinis virum in captione tenere, suæ temeritati consuluit, eumque, ut sibi imperatoris gratiam emereetur, abire concessit. Ipso vero die, et, ut multi conjectant, eadem hora qua bellum factum est, Baldricus episcopus in predicta villa (345) hominem exivit, Letgiam tamen ad sepeliendum devectus. Ad quem tumulandum domnus Gerardus episcopus per legationem vocatus, ire non distulit, sed fraterno ductus amore per totam noctem celeriter equitavit. Cum vero circa Montem castrum iter carperet, adhuc quidem prelii quod fuerat factum ignarus, tunc primum de prelio et de captione ducis acceperat. Duplici ergo memore affectus, viam metire festinat, semperque quoscumque habebat obvios, de prelio consulebat. Antequam vero Letgiam pervenisset, adrumatur ei ducem redisse. Mox ergo repentina rerum conversione non solum episcopus, sed et multi alii, merorem quem de obitu episcopi conceperant, gaudio quod habebant de ducis incolumitate, mutarunt. Ad quem festinus episcopus in castrum videlicet Argentolum (346) permeavit; a quo quidem honorifice susceptus, omnem ordinem belli audivit. Sciendum tamen quod ante illud prelium (347) fere per quatuor menses cometa visa est, solito tamen mirabilior, in modo videlicet quammaximæ trabis.

20. In illis diebus, monasterio sancti Gisleni in villa Cella, unde supra mentionem fecimus (ii, 40), preerat quidam abbas nomine Simon, qui secula-

A riter vivens, res æcclesiæ distrahebat. Post cujus excessum (*an.* 1015) ad tantam paupertatem deduxit, ut vix quatuor monachi remanerent. Domnus autem episcopus hoc previdens, quæsivit abbatem; sanctumque virum Wenricum nomine imperatori obtulit dignitate donandum. Quamvis enim abbatia pauper sit et exigua, pendet tamen de manu regia. Qui abbas factus (*ann.* 1015 *vel* 1018), cum ad commissum monasterium pervenisset, omnia dissipata miratur; et non tantum præsentia dampna deplorat, verum etiam multas incursiones latronum, qui illuc quamplurimi conversantur, postea perpessus est. Quorum unus, nomine Aldo, nominatissimus raptor, multas inrogabat injurias, in tanta quidem presumptione sublatus, ut infra claustrum cum ra-
B pinis et armis aliquando versaretur. Unde episcopus comitem Rainerum (348) frequenti clamore pulsavit, sane surdum, quia et ipse raptor, raptoribus favere consueverat. Contigit autem, domnum episcopum alio tendentem per illud monasterium transitum facere. Ubi cum pervenisset, predictum latronem invenit, captumque Albaldo Trejectensium episcopo commendavit. Post unius vero anni curriculum, domnus episcopus multarum precibus delinitus redire permisit, promittentem videlicet et sancte dejerantem quod rapinis se subtraheret, fidelis æcclesiæ cum omni devotione mansurus. Hoc vero irritum faciens, postea ab insolentiis non cessavit. Sed paulo post per misericordiam Dei morte correptus, in ipso tamen cimiterio, multo suorum
C precatu, sed nesciente episcopo, tumulatur. Quod quam nefarium fuerit divina clementia propalavit. Post biennium enim, cum alii humando ipsius tumulus foderetur, de toto certe corpore nullum vestigium præter unum subtolarium (349) reperitur. Per hoc ergo cunctis intelligere datur quantæ dampnationi in tartaro impii deputantur.

21. Post obitum vero domni abbatis Wenrici duos abbates, alterum post alterum, comes Rainerus substituit; hoc siquidem modo abbatiam vendicare presumens. Quod quia nefas esset, domnus episcopus sua auctoritate rejecit, cum, ut supra diximus (c. 6), abbatiam quamlibet nullus preter imperatorem aut episcopum debeat commendare. Postea vero imperator quem voluit, Herbrandum
D videlicet qui nunc est (350), monente domno episcopo, ut dignum est, sublimavit. Hic etiam multa mala perpessus est a comite Rainero.

VARIÆ LECTIONES

[242] ambigeret 2*. *et ex corr.* 4. [243] *ita correxit. Colv.* capere 1. 2. 2*. 3. tandem capite 4.

NOTÆ

(344) Sc. magno.
(345) At Thietem, viii, *obiit in Tiele, eodem die.*
(346) Argenton, inter Gemblours et Namur.
(347) Contradicit Alpertus De div. temp, ii, 20: *Antequam hoc prodigium in cœlo appareret, circa litus oceani bellum coortum est.*
(348) Montensem.
(349 Calceum) inde Gallica vox *soulier*.
(350) Obiit c. 1045.

22. Inter hoc etiam illud memoriæ commendandum est, quod in ipsis diebus in vico quodam Trejectensis dioeceseos accidisse domnus episcopus nobis narrare solebat sibi certe ab episcopo Albaldo (351) relatum. Quia namque Aquaticorum Frisonum circa ipsam parrochiam moris est, aut vix paucos aut nullos eucharistiam in die sancti paschæ velle gustare : ipsa siquidem die sacerdos in quodam videlicet vico ejusdem dioeceseos, populum celesti alimonia refecturus, plebeculam ammonere curavit, ut ad percipiendum celestis vitæ sacramentum venirent. Quibus de more cunctantibus, unus qui major ceteris aderat, instinctu diabolico agitatus, misterium Christi blasphemare non timuit, dicens malle sibi peccarium (352) plenum cervisiæ, quam illud celestis epulum mensæ. Ut autem majorem hæsitationem intulisset ceteris, addidit omnes ipso anno morituros, quotquot essent ipso die celestem alimoniam assumpturi. Quo nimirum omnes exterriti, sicuti rudes, Dominicæ mensæ se subtraxerunt. Ille vero blasphemus ad quandam tabernam de more profectus, cervisiam nimiam inconcavit; sicque debriatus ascenso equo, dum alio cum suo armigero tenderet, mox divina ultione percussus de caballo corruens, collum siquidem fractus spiritum exalavit; in atrio (353) tamen, quia major (354) erat villulæ, subterratus. Quod quantum nefas fuerit, divina clementia non multo post mirabiliter indicavit. Sed nec pretereundum, quod armiger in ipsa hora, qua dominus suus de caballo corruit, divinitus sit excecatus, sed postea penitens, Dei miseratione lumen recepit. Tunc temporis vero Albaldus episcopus apud imperatorem Henricum in Saxonia morabatur. Ubi cum audita hujusmodi causa, ipsius blasphemi tumulationem in atrio accepisset, altius ingemuit, satisque hoc indignum judicans, ut infidelis sit particeps fidelium defunctorum, statim detumulari præcepit, Sed quia hoc nemo præ timore ipsius parentelæ facere auderet, ipse episcopus ab imperatore discedens, per eundem vicum transitum faciens, blasphemum defodi fecit, defossumque per pedem fune ligato longe trahi precepit. Qui cum traheretur, licet quindecim fere diebus sub tumulo jacuisset, per spatium unius miliarii, mirabile dictu, cervissam ac si recens bibisset, emovuit. Quod quia domnus episcopus sæpe narrabat, scribere ratum duxi, ne posteres latuisset, ut infideles quique quaterentur terrore, fideles vero merito letarentur.

23. Item quam mirificum sub illis diebus Alberto Vermandensi comiti, fratri videlicet Ottonis, qui nunc est (355), dignum quidem recompensante divina clementia, accidisse, domno episcopo narrante cognovimus, nolumus præterire. Hic nimirum comes summi malitiæ deditus, officium linguæ in detractione, in perjuriis, in scurrilitate, sed et in omni genere pravitatis exercuit. Quod cum diu fecisset, justo Dei judicio tandem gravi et intolerabili languore percussus, pœnas luit, et ex consideratione suorum scelerum perterritus, — pie siquidem monente monacho Walerano, qui tunc sub Richardo abbate monasterii sanctæ Hunegundis (356) prepositus erat, nunc autem, Deo gratias, boni testimonii abbas — falsam pœnitentiam induit, postea sub monachali habitu Domino serviturus (*circa ann.* 1016). Tonso igitur capite, adsumpto habitu, ex illa infirmitate aliquantisper convaluit; moxque instinctu diaboli, cui totus inhæserat, relapsus ad vomitum, consilio matris aliorumque fautorum, qui hoc eum per insaniam fecisse dicebant, militari clamide iterum sumpta mutavit cucullam. Statim vero iterum inevitabili morbo corripitur, et ut digna meritis suis recompensatio omnibus appareret, lingua ejus divino igne succendi reperta est. Cui cum hora exitum maturasset, stulti canonici corpus Domini detulerunt. Quod cum gustasset, mox in hiis verbis ultissimis spiritum exalavit : *Ferrum*, inquit, *quod mihi clerici*[244] *detulerunt, me occidit.* Quem visitaturus cum jamdictus monachus iterum adveniret, latentem ignem in ore volens cognoscere, moribundum os difficillime cultello reclusit, et linguam usque ad palatum, miserabile visu, crematam matri ac fratri et ceteris adstantibus aperte monstravit; certe insinuans manifestum Dei judicium, et hoc meritis suis digne compensum, qui, quoad vixit, linguam omni malicia depravavit. Quod quia certus relator, ipse videlicet monachus, domno episcopo intimavit, ad honorem domini nostri Jesu Christi memoriæ commendavi, ut quicumque audierint improbi terreantur, boni vero merito gratulentur.

24. Ea tempestate cum aliis multis coepiscopis interfuit etiam domnus episcopus consecrationi Beroldi Sessonensium episcopi, in ipsa videlicet æcclesia Sessonensi. Ubi siquidem Azelinus Laudunensium episcopus Harduinum Noviomensium episcopum omni calliditate et fraudulentia criminatus, procul extorrem[245] et indignum fraterna conventione eorum coepiscopis qui aderant exclamavit. Ad cujus

VARIÆ LECTIONES.

[244] canonici 2. [245] extorret *Colv.*

NOTÆ.

(351) Abaldoldus episcopus fuit a. 1010 1027.
(352) *Becher.*
(353) I. e. cœmeterio. COLV.
(354) *Meier, maire.*
(355) Obiit 25 Mai. 1045.
(356 Humolariæ, Homblieres prope Saint-Quentin. « Walerannus abbas obiit a. 1043 exeunte, et successor ejus Bernardus sedit eodem anno 1043, quo Otto comes Virmandensis confirmavit Humolariensibus donationem prædii apud Curcellas. » Gallia Christ. IX, 1077.

rei experientiam litteras ex nomine domni apostolici falso signatas in medio publicavit, in quibus Harduinum pro multis criminibus anathematizatum esse contendit. Ad quod roborandum aliquot coepiscoporum fraudulenter illectis, etiam domnum episcopum illicere estimavit. Domnus autem episcopus ejus commenta declinans, quamvis Harduini lapsus aliquot non nesciret, longe dissensit, judicans certe, Harduinum nequaquam judicio ejus debere dampnari, cujus consilio objecta crimina perpetrasset. A capellanis enim eorum, Harduinum hortante Azelino quædam turpia fecisse audierat. Quorum vero contentio diu invicem ventilata, eo usque processit, ut instinctu diabolico in arma volare excandescerent. Domnus autem episcopus partim blandimento verborum lactans, partim canonicis ferulis alterutrum pungens, ad tempus difficillime tranquillavit.

25. Defuncto A. (357) Remensium archiepiscopo, Azelinus Laudunensis quendam laicum Ebulonem nomine, antea suum secretarium et suæ calliditatis conscium, acclamavit, et ut rex concederet, suis adulationibus inpetravit; virum sane nullius disciplinæ, nihil etiam litterarum preter pauca silogismorum argumenta scientem, quibus idiotas ac simplices quosque ludificari solebat. Sub specie vero litterarum ad tanti honoris fastigium multo ante tendebat, spemque suam multa pecunia cumulabat, quam usuris turpiter acervabat. Hoc quoque Azelinus multo ante quæsivit et nunc maxime insudabat, quatinus per eum suas callidates liberius exerceret. Ad cujus ordinationem et consecrationem vocatus domnus episcopus, altius reclamavit, et hoc indignum, ut postea probavit eventus, et contra divina eloquia factum juxta illud apostoli: *Non neophitum (I Tim.* III, 6), viva contradictione redarguit.

26. Postea tamen procedente tempore videns quia emendari non poterat, fraterna siquidem coepiscoporum quibus inhæserat ammonitione ductus, ad quandam sinodum, quam in Monte sanctæ Mariæ (358) celebraturi essent, convenerat. Ubi nimirum Azelinus timens objectiones Harduini, quem suspectum habebat, illius commenta pervertens sibi consuluit, epistolamque, quam de Harduini culpis inscripserat, uni episcoporum porrexit legendam. Quæ cum alta voce in medio legeretur, auditum est anathema esse inter eos, Harduinum videlicet ibi adstantem. Quo lecto sinodus perturbatur, magnaque altercatio facta, tamen diligentius discutienda in alteram sinodum usque differtur.

27. Ipso in tempore videntes episcopi Beroldus Suessionensium, et Walerannus Belvacensium, præ inbecillitate regis peccatis quidem exigentibus statum regni funditus inclinari, jura confundi, usumque patrium et omne genus justitiæ profanari: multum rei publicæ succurrere arbitrati sunt, si Burgundiæ episcoporum sententiam sequerentur. Hii nimirum totius auctoritatis expertes, commune decretum fecerunt, ut tam sese quam omnes homines sub sacramento constringerent, pacem videlicet et justitiam servaturos. Hujusmodi igitur commento predicti episcopi excitati, superioris quidem Galliæ coepiscopis conspirantibus, etiam domnum Gerardum episcopum, ut secum sentiret pariter monuerunt. Qui altius causas advertens, procul rennuere estimavit, cunctisque perniciosum consilium ac inpossibile intelligens, nullum assensum porrexit. Hoc enim non tam inpossibile quam incongruum videri respondit, si quod regalis juris est, sibi vendicari presumerent. Hoc etiam modo sanctæ æcclesiæ statum confundi, quæ geminis personis, regali videlicet ac sacerdotali, administrari precipitur. Huic enim orare, illi vero pugnare tribuitur. Igitur regum esse seditiones virtute compescere, bella sedare, pacis commercia dilatare; episcoporum vero, reges ut viriliter pro salute patriæ pugnent monere, ut vincant orare. Hoc ergo decretum periculosum esse omnibus: omnes videlicet aut jurare aut anathemati subjacere. Omnes enim communi peccato involvi, si commento hujusmodi uterentur. Itaque episcopum dissentiemtem ceteri coespiscopi occultis reprehensionibus improbabant, dicentes eum non esse pacis amicum, qui pacem volentibus dissentiret. Postea vero suorum crebro hortamine circumventus, sed maxime abbatum, Leduini (359) videlicet et Rotrici (360), precatu coactus, adquievit invitus. Sed quod ante reclamabat, postea probavit eventus. Vix enim paucissimi crimen perjurii evaserunt.

28. Sic itaque domnus episcopus divina eruditione scutatus, leges æcclesiasticas, prout poterat, viriliter tuebatur, cunctisque adversantibus obviabat invictus. Leodicenses ergo archidiaconos, qui aut amore pecuniæ aut amicorum gratia ducti, excomunicatos ab ipsis cunabulis totum vitæ spatium in omni pravitatis genere consummantes, inter fideles quidem Christianos concedebant pariter tumulari, juste redarguit, et ut hoc abhorrerent, fraterna correctione ammonuit hoc modo: « Gerardus gratia Dei, licet immeritus, episcopus, sanctæ Leodicensis æcclesiæ archiaiaconis, illud supplere moribus inoffensis, quod exigit prerogotiva nominis, quoniam quidem semper de caritatis vestræ actibus fraterna affectione sollicitor, » etc. (*Reliqua vide in* GERARDO *Patrologiæ tom.* CXLII, *col.* 1313.)

29. Dehinc vero Adalberonem Laudunensium præsulem, qui episcopium, quo fungebatur, Widoni clerico, nepoti videlicet Beroldi episcopi, vendere usurpavit et secum in sede pentificali collocare putabat, hoc scripto correxit: « Domno Adalberoni

NOTÆ

(357) Arnulfo, qui obiit a. 1023, vel, secundum Ann. Mosomag., a. 1021.

(358) Mont-Notre-Dame, prope Bazoches, non procul ab urbe Suessionensi.

(359) Vedastini.

(360) Bertiniani.

sanctæ Laudunensis ecclesiæ episcopo Gerardus gratia Dei coepiscopus. Etsi hucusque vario de vobis plebis rumore nihil movebamur, » etc. *Vide ubi supra, col.* 1317.

30. Item ad archiepiscopum Ebulonem qui hoc consenserat, ita scribit: « Ebuloni archiepiscopo Gerardus nullius meriti coepiscopus. Quoniam quandam execrandæ usurpationis novitatem infra diocesim vestram coalescere audivimus, » etc. *Vide ibid., col.* 1318.

31. Ad episcopum Suessonensium, unde supra: « Beroldo nomine et merito episcopo Gerardus nullius meriti coepiscopus, quicquid ad beate vivendum præstantius. Quoniam quandam execrandæ consuetudinis novitatem infra sanctam æcclesiam coalescere audivimus, » etc. *Vide ibid., col.* 1318.

32. « Gerardus nomine, non merito episcopus, Leduino abbati et omni congregationi sancti Patris nostri Vedasti sub eo degenti, et omnibus hanc paginam devote legentibus, et vita et pax a Deo multiplicetur, qui est vita et gloria cunctis in se credentibus. Quoniam sanctæ matris æcclesiæ cognovimus vos esse filium, imitando patrem vestrum misericordem Deum, » etc. *Vide ubi supra, col.* 1319.

33. « Gerardus episcopus nomine, non merito, G. abbati virtutum roborari incrementis. Leodicenses archidiaconi nuper de Hezelino et nepte nostra, uxore ejus dicta, habuerunt concilium, unde miramur, postquam ex veritate cognovimus, quod et quemadmodum inter eos fecerunt judicium. Audivimus enim, eundem Hezelinum nunc primum dixisse, quia semel cum ea concubuit; quod factum hactenus tacuit, dum apud pleraque conventicula proinde interpellatus extiterit; a quibus etiam pro inpossibilitate ejusmodi, rubore verecundiæ aspersus crebro rediit. Ubi revera suum tacere nihil aliud fuit, quam contradicentibus assensum prebere. Ergo non ultra debuerat audiri in hoc apud sinodale concilium, ubi a magistris concilii attentius inquirenda est probata veritas, vel refutanda falsitas prolatorum verborum. Sed esto, semel cum ea concubuit; quid autem de reliquo? videlicet quod cum ea octo annis aut plus eo conversatur, nec ulterius eam cognovit, neque spes est ulla, ut in futurum debeat aliter expectari? In quibus discernendis audiatur doctor æcclesiæ Paulus apostolus, qui ad Corinthios scribens, ait: « Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro (*I Cor.* VII, 3). » Et dehinc prosequitur: « Nolite fraudare in invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in id ipsum, ne temptet vos satanas propter incontinentiam vestram (*ibid.*, 5). » Quam sententiam de talibus judicantes exponant nobis quid Apostolus vult intelligi dicens: « nisi forte ex consensu; » aut si debitum uxoris per octo annos semel coeundo ex consensu ejus potuit exolvi. Si vero nituntur ultra aliquid quærere, audiant quid alias idem dicit apostolus: « An experimentum Christi capitis ejus qui loquitur in nobis? (*II Cor.* XIII, 3). » Quod vobis scribendum estimavimus, ut hanc apostolicam sententiam eis proponatis evidentius, qui aliter quam legitime noverint judicare de talibus. Cui aut concedant, aut eam detestantes, quid rationabilius invenerint prætendant.

34. « Domino Ambianensium ebiscopo Fulconi Gerardus gratia Dei Cameracensium coepiscopus, et hujus vitæ innocentiam et cœlestis[246] cum angelis gloriam. Quod confrater noster Terwanensium episcopus Drogo a comite Balduino tantis injuriis inpulsatur, » etc. *Vide in* GERARDO, *ut supra, col.* 1321.

35. Sub hiis diebus (*an.* 1023, *Jul.*), cum forte imperator Henricus in Aquisgrano palatio tam de æcclesiasticis quam et de secularibus pertractaret, in ipsa interim æcclesia provincialis sinodus ab episcopis celebrata est. Ubi siquidem inter archiepiscopum Coloniensium Pilegrinum et Durandum Leodicensium pontificem altercatio non parva incanduit, pro monasterio videlicet Burcitho (361-3), quod uterque suæ parrochiæ subjicere contendebat. Domnus autem Gerardus episcopus, ut testimonio veritatis litem compesceret, viva voce increpuit, quod episcopi Leodicenses quinque abbates illius monasterii sine ulla contradictione archiepiscopi consceraverunt immo et ipse, imperatore rogante et Baldrico episcopo Leodicensi petente, in presentia domni imperatoris in Aquensi æcclesia sanctæ Mariæ prefati monasterii clericos ordinavit, ipsumque monasterium cum archiepiscopo Poppone Trevirensium et Haimone Virdunensium consecravit. Eo ergo sibi videri rectius Leodicensi quam Coloniensi regimonio subjacere. Quod ita quoque ceteris testificantibus, archiepiscopus preter ullam sinodalem reverentiam ira commotus abscessit-

36. Sed nec oblivioni tradendum, quod per aliquot dies, dum sinodus celebraretur (*an.* 1023, *Jul.*), tanta siccitas aeris et intemperies æstus excanduit ut multi mortalium præ nimio ardore deficere putarentur, sed et aliquot animalia subito laberentur extincta. Econtra vero columnæ marmoreæ ipsius æcclesiæ uberrimis et insuetis madoribus visæ sunt insudare, adeo ut quorumvis manibus forte lavandis sufficere posset; pavimenta quoque marmorea veluti scatentia tanto liquore natabant; ut ex industria respergi ab ipsius æcclesiæ custodibus putarentur. De quo multi sapientes attoniti, quid conjicerent nesciebant, sed pro humano intuitu imminere ruinam aliquorum principum presagabant, quos

VARIÆ LECTIONES.

[246] celestem 3.

NOTÆ.

(361-3) Burtscheid.

ab æcclesiæ fidelibus constaret esse plorandos. Et A vere utique: cum paulo post primo quidem dux (364), deinde imperator interierunt; quorum casibus sancta æcclesia, ut posterius dicturi sumus, desolationem comparasse deplorat.

37. Hinc autem imperator egressus (*Aug.*), ad Evosium (365 villam pulcherrimam, quam beati videlicet Gaugerici nativitas illustravit, cum primoribus quidem suorum palatinorum intendit, ibi scilicet cum [247] Rotberto rege colloquium habiturus, sed et de statu imperii, ac non tantum de mundanis verum de spiritualibus locuturus; sapienter quippe disposito, ut in eo loco, ubi beatissimum Gaugericum noverat ortum, ejus gaudiosam festivitatem, quæ 3. Idibus Augusti est, celebrare veniret. Qui B nimirum quanto major tanto humilior, regi Rotberto, cum ad se veniret, in villa Mosomo (366) in die festo sancti Laurentii occurrere estimavit, in crastino vero sancti Gaugerici venientem ad se cum summa veneratione suscepit. Hoc autem tam speciale colloquium et tantæ solemnitatis conventum non est meæ parvitatis evolvere; ubi quidem diversarum nationum duces ac satrapæ, ubi summorum et illustrium virorum, tam episcoporum videlicet quam et abbatum, in numero confluxere personæ. Ad hoc autem plurimi convenerunt, ut dignitatem imperatoriam mirarentur, quam tantopere fama laudabat. Ibi certe pacis et justiciæ summa diffinitio mutuæque amicitiæ facta reconciliatio; ibi quoque diligentis- C sime de pace sanctæ Dei æcclesiæ maxime tractatum est, et quomodo Christianitati, quæ tot lapsibus patet, melius subvenire deberent. Exin vero sese invicem consulentes, ubinam iterum conventuri domnum etiam apostolicum una cum tam citra quam ultra Alpinis episcopis secum habeant, nusquam aptius quam Papiæ decernunt. His ita gestis, cum ab invicem discedere debuissent, ac vero quis tanta ac tanti ponderis munera sufficienter poterit estimare, quibus vicissim imperator regem donavit, ab archiepiscope videlicet Coloniensium et a domno Gerardo episcopo, sed et a duce Godefrido simul oblatis? Rex imperatorem donare cupiens, quæcunque potuit munera ut susciperet præsentavit. Qui D omnibus cum gratiarum actione remissis, utpote ditissimus, dentem tantummodo sancti Vincentii martiris, ne immunis videretur, retinuit. Nec solum autem imperator regem putavit domandum, verum etiam omnes tam episcopos quam abbates, sed et majores quosque preciosis muneribus accumulans, nullum pœne indonatum reliquit. Quicumque ergo illuc convenerant imperatoriam magnificentiam cognituri, mirati profecto quæ viderant, dicebant se plura vidisse quam rumor fuisset. Nullum enim regem aut Persarum aut Arabum huic conferre audebo, quamvis eos cunctis gentibus opibus prestare legissem.

38. Inde etiam imperator procedens, Virdunum perrexit (*Sept.* 8), nativitatem sanctæ Mariæ celebraturus, legatis quidem regiis secum deductis, qui ibi responsionem comitis Odonis audirent, quomodo se ab objectis Rotberti regis, a quo arguebatur, defenderet. Ipsa vero in die domina imperatrix, quia eam in processionem domnus episcopus addextravit (367), ei stolam auro gemmisque contulit insignitam. Ibi etiam domnus imperator motus aliquamdiu inter Odonem et Theodericum Tullensem (368) accensos, castellis dirutis, quæ Odo injuste condiderat, interposita pace sopivit. Præterea monasteriis [248] totius civitatis, primum quidem capitaneo, deinde ceteris, preciosa munera erogavit. Dein vero Mettis perveniens, per singula monasteria multas opes distribuit, nullumque bonum aut clericum aut monachum preteriit indonatum, veluti quodam præsagio imminentem diem, qui nimium vicinus erat, sui obitus prævideret. Novissime vero domno Gerardo episcopo commeatum, ut ad sua reverteretur, accommodans, aurum plurimum didragmavit (369), ac postea valedicens, sanctæ Mariæ duo pallia, unum simplex, alterum in modo crucis aurea superficie insignitum, transmisit per eum.

39. Reversus itaque domnus episcopus, a consuetis malis Walteri minime feriatur. Inter quæ plurima, juvenem suum quendam Rotbertum nomine, tam nobilitate generis quam virtute præstantem, quia suspicabatur eum suæ tirannidi obstiturum, cœpit paulatim odio insectari. Sed non quievit, donec eum, quamvis sub interpellatione domni pontificis, qui eos fœderare quærebat, in tribuis (370 positum, etiam die Dominica interfecit. Pro qua re et aliis huic similibus eum exterminavit ab urbe. Sed paulo post, culpis Christianorum exigentibus imperatore defuncto, aliis quidem causis coactus, in Castellum recipere estimavit, sub conventione tamen sacramento subnixa. Sed quia sepissime perjurium incidens, non raro culpas solitas iterabat, conventiones illas sæpissimas, quas domno episcopo, dum reconciliaretur, callide promittebat, ratum duximus subnectendas, ut lector videlicet pius patientiam episcopi conpatiens admiretur, et immensam tiranni sevitiam cum admiratione deploret. Sunt autem hujusmodi:

40. « Fidelitatem sicut tibi promisi attendam,

VARIÆ LECTIONES

[247] *deest* 3. 4. [248] monasterium 5. monasterii 2*.

NOTÆ

(364) Godefridus Lothariensis.
(365) Ivoi, ad fl. Chiers.
(366) Mouzon, in Ardennis.
(367) I. e. ad ejus dextram ivit.
(368) Ducem Lotharingiæ superioris Le Glay.
(369) I. e. plenat manu divisit.
(370) I. e. treviis, unde Gallica vox *trebves trèves* i. q. treugæ.

quamdiu tuus fuero et tua bona tenuero; et postpositis Karlensibus custumiis (371), talem honorem tibi observabo, qualem Lotharienses milites dominis suis et episcopis. Et si quid contra te peccavero et ex parte tui de satisfactione facienda monitus fuero, talem justitiam tibi, nisi mihi indulseris, faciam, qualem supradicti Lotharienses milites suis dominis et episcopis faciunt. »

41. Sacramentum quod Odo, Rotbertus, Anselmus, Lantbertus, petente Waltero juraverunt: « Ab hac hora inantea non erimus tibi in damno, de vita, de membris, de Cameracenci episcopio, de terris, de castellis, neque de ceteris bonis, quæ hodie tenes et per nostrum concilium inantea adquisieris, salva fidelitate dominorum nostrorum, quos hodie habemus. Et pro hoc pacto destruende dominum non faciemus, neque militem adquiremus. Et si Walterus contra te peccaverit, et ni infra duas quadragesimas (372) emendaverit, ex parte nostri contra te adjutorium non habebit. Et si monueris, per rectam fidem te juvabimus sine malo ingenio. »

42. « Notæ sunt omnibus conventiones, quas iterum habemus cum Waltero nostro; sicut etiam dudum culpas inauditas, quas contra nos commisit, pro Dei amore amicorumque suorum dimisimus, eo videlicet pacto, ut sic permansisset deinceps in fidelitate nostra, sicut tunc ipse et sui amici juraverunt. Quamquam hanc promissionem horribiliter et inaudite infregisset, ita iterum eo tenore ei indulgemus, et pro Dei amore et petitione regis Rotberti et episcopi Harduini (373) atque comitis Balduini et comitis Odonis, nec non et Ottonis, Rotberti, et aliorum amicorum suorum, qui hoc placitum fecerunt, quatinus melius prioribus has alteras promissiones conservet. Nobis erit ita obsequens in omnibus, sicut in primo promisit. Clericis et laicis nostræ æcclesiæ, si aliquid super illum clamaverint, aut secundum legem aut secundum concordiam in ratione [249] et judicio erit; et insuper de quibus justiciam facere potuerimus illi, justiciam quoque faciet per nos, si clamaverint, illis omnibus. De civitate nostra nullam guerram [250] faciet, quæ ad dampnum veniet nobis et episcopatui nostro, nisi licentia nostra. Si hanc promissionem infregerit et admonitus de justicia fuerit, sicut jam dictum est, infra duas quadragesimas emendationem faciat, ubi duo vel tres sint amici, qui hoc placitum fecerunt; et si sonia (374) eos tenuerit, probetur ipsa, et infra aliam quadragesimam placitum expectabimus. Hanc conventionem ex utraque parte servabimus per rectam [251] fidem sine malo ingenio.

43. « Si iste filius Walteri, nunc obses noster, mortuus fuerit, alterum pro eo nobis dabit, talem per quem nos securos de sua fidelitate reddet; et quicquid injuste super nos invasit, dum ammonitus a nobis fuerit, secundum judiciam fidelium nostrorum determinabitur. Si Walterus mortuus fuerit, et adhuc filius ejus in potestate nostra fuerit, reddemus illum militibus suis et bona sanctæ [252] hujus æcclesiæ, quæ per rectitudinem (375) pater tenet, servato tamen pacto ab eo nobis promisso, et domino nostro imperatore et me de fidelitate sua redditis securis. Et si ego Gerardus vocatus episcopus, antequam reddatur filius, mortuus fuero, reddetur patri, servatis tamen conventionibus supradictis, et si regi Lothariensi talem securitatem fecerit, unde securus esse possit.

44. « Non diu in supradictis promissis permansit, sed de malo in pejus ruens, æcclesiam mihi commissam in direptionem et conculcationem habuit, et ita contra me se erexit, ut tribus diebus me in hac civitate cum suis satellitibus armatus obsideret, et ne quis meorum hinc exire auderet. Qua de causa Heihampus ad me venit, ubi comitem Herimannum mecum habui, et ut hæc ei perdonarem petivit. Ego ejus petitioni suorumque amicorum annuens, hæc omnia ei dimisi, et de hiis quæ emendavit, omnes leges perdonavi, et ut restauraret pauperibus quod injuste eis abstulit, jussi; quod annuit, sed non adimplevit. At ille iterum, ut prius, domino meo et mihi sacramento fidelitatem promisit, et quia sicut Lotharienses milites suis dominis et episcopis obediunt, mihi obediret, juravit.

45. « Walterus, malis assuetus, omnia sacramenta postposuit, et deterius quam umquam fecisset, postmodum fecit. Quam maliciam diu sustinui, et ut se emendaret semper monui. Cumque videret me diutius talia non passurum, statuto placito inter me et illum, comitem Ottonem duxit secum. Qui de tantis malis missus ad rationem, iterum evictus omnia emendavit, et quia pauperibus sua restauraret promisit, et quia mihi subjiceretur, sicut Lotharienses milites suis dominis et episcopis subjiciuntur, ut prius promisit. Ego vero comitis Ottonis petitione omnes leges ea conventione ei dimisi, ut non amplius in me delinquere quid deberet; si autem deliquisset et ad justiciam venire admonitus esset, infra tres hebdomadas mihi justificaret. Qua de causa mihi comes Otto Godefridum et Ivonem obsides dedit, ut si Walterus hæc non observasset, ex sua parte adjutorium non haberet; si autem ipse comes hoc infregisset, ipsi obsides in potestatem meam, si

VARIÆ LECTIONES.

[249] *ita legendum, monente jam Colvenerio;* juratione *codd.* [250] werram 3. [251] s. perfectam 3. [252] *deest* 3. 4.

NOTÆ.

(371) *Coutumes de France.*
(372) I. é. *quarantaine*, spatium 40 dierum.
(373) Noviomensis.
(374) Sive sunnis, impedimentum; unde Gallicum *soin.*
(375) *De droit.*

essent ammoniti, venirent. Quod ipso comite Ottone A jubente mihi firmavit jurejurando uterque obses. In ea conventione, quæ in me commisit ipse Walterus et sui propter eum, ab illa die dimisi, ut si amplius in me delinqueret, quod emendare nollet aut non posset, præterita futuris jungerentur, et judicium quod sui æquales de beneficio prius judicaverunt, esset stabile, et sine, dilatione excommunicare. Quod autem ad pœnitentiam et ad Christianitatem pertinet, non dimisi, sed in conventionem habuit, ut inde ipse et sui rationem redderent. »

46. Promisit Otto comes Deo sanctæque Mariæ et episcopo Gerardo in manu sua, ut si Walterus umquam ab illa hora contra episcopum æcclesiamque sibi commissam in aliquo deliquisset, quod emendare nollet, aut non posset, numquam ab illo aut de B suis auxilium sive consilium sive receptaculum, quod ad dampnum veniret episcopo, æcclesiæque sibi commissæ ; nec suus esset, nec suum beneficium teneret sine consilio episcopi [253] ; et juravit, quod hoc secundum suum scire per rectam fidem fidem attenderet sine malo ingenio. Ivo juravit, quod comes Otto suo consilio non dimitteret, quin sacramentum supradictum attenderet, et, si exire vellet, per rectam fidem sequi faceret si posset ; et si in culpam caderet, quam emendare nollet aut non posset, consilium sive auxilium, sive receptaculum ei non præstaret quod esset ad dampnum episcopo Gerardo æcclesiæque sibi commissæ ; et quod hoc per rectam fidem observaret sine malo ingenio, salva fidelitate domini sui. C

47 Duodecim obsides Walterus dedit episcopo Gerardo, quorum hæc sunt nomina.... [254] qui juraverunt, quod non dimitteret eorum consilio ipse Walterus, quin hanc fidelitem attenderet ; et si in culpam caderet, quam emendare nollet aut non posset, postquam ammoniti essent, infra octo dies ad justitiam ducerent si possent. Quod ni faceret, infra alios octo dies ad episcopum cum beneficiis eorum, si ammoniti essent, per rectam fidem venirent et numquam ei consilium sive auxilium darent, quod ad dampnum episcopo æcclesiæque sibi commissæ esset, et episcopum juvarent contra eum per rectam fidem.

48. Hæc est quoque conventio novissime apud Schelmas [255] oppidum facta, quam, ut cunctis innotesceret, semilatino sermone hujusmodi domnus D episcopus promulgavit : « Hic siquidem, quia cum pro culpis innumerabilibus excommunicavimus, in tanta dementia adversum nos insurrexit, ut quosdam nostrorum, qui partibus ejus non favebant, quæreret interficere, militesque suos, qui secum erant excommunicati, majorem æcclesiam sanctæ Mariæ, aliasque æcclesias violenter conpelleret introire. Et ideo magna necessitas nobis incubuit, ut æcclesias a divino officio faceremus cessare. Multa quoque mala nobis et nostris fecit, quæ longum est enarrare. Tandem non valens ejus insaniam diutius ferre, nihil de suo auferentes, expulimus eum a nostra civitate. Expulsus autem cepit adversum nos amplius sevire, villasque nostras cum ecclesiis quas potuit deprædari atque igni concremare. Postea jussu nostri senioris a comite Balduino et filio ejus Tornacum conductus, ubi interfuerunt dux Gozelo et episcopus Leodicensis, nullam nobis justitiam fecit, sed fraude sua omnibus manifestata, in malicia perseveravit. Sed ut tandem cogente necessitate oportunitatem invenit, hoc placitum in presentia Hugonis episcopi (376), comitis quoque Balduini et filii ejus, necnon Ottonis et Eustachii, nobiscum firmavit [256]. »

49 Ex quo domnus episcopus Gerardus urbem commissam primum intravit, videns quidem tam augusta quam vetusta monasterii sanctæ Mariæ ædificia, ac annosorum parietum fissuram suspectans, mox animum ad meliorandum intendit, si forte, Deo præstante, tempus ei suppeteret oportunum ; sed quia, ut supra retulimus (II, 2), tam intestinis quam extraneis seditionibus, inpeditus, usque ad annum Dominicæ incarnationis 1023, sui vero præsulatus [257] inchoare non potuit. Tunc vero divina misericordia fretus, ac multorum fidelium Dei orationibus quibus oderat roboratus tam, antiquas moles parietum demoliri precepit. Quo facto, omni studio accinctus, utpote sapiens architectus, incepto labori sollicitus instat, et [258] necessariis sumptibus prudenter expensis, ad reedificandum tantæ difficultatis opus anhelat ; quippe timens, ne aut morte preventus aut qualibet alia causa coactus, opus inperfectum relinquat. Ad hoc vero difficilius nihil esse, quod suum desiderium remoretur, advertit, quam lenta convectio columnarum, quæ procul ab urbe fere in trigesimo miliario cædebantur. Divinam ergo clementiam deprecatus ut sibi propius solamen aliquod præstare dignetur, quadam siqui-

VARIÆ LECTIONES.

[253] *scil.* obtineret, *vel* reciperet. [254] *nomina desunt omnibus ; in* 2*. 3 4. *ne spatium quidem iis relictum*- [255] *ita* 1. 2. 2* Schelinas 4. Chelmas 3. *Sequentia* oppidum — ornamenta adhibuit deerant *in* 2. *folio exciso. Eadem desunt* 2*, *spatio trium litterarum relicto, et margini inscripto :* desunt reliqua. [256] « *Verba placiti, exciso etiam folio in exemplari Santi Ghisleni, desiderantur, et, ut verisimile est, alia nonnulla de fine Walteri,* » *dicit Colvenerius. Sed quum neque* 2. *nec reliqui quicquan hic exhibeant ejusmodi immo ne vestigium quidem lacunæ in ullo appareat, nil excidisse in* 1. *credimus. Nam quod Colvenerio folium excisum videbatur, hoc jam scriba ipse delevisse potest, antequam conscriberet ; quod sæpe factum videmus* [257] *numero spatium relictum in codd.* [258] *deest* 3.

NOTÆ.

(376) Tornacensis. COLV

dem die ascenso equo, per nostram viciniam in multis locis abdita terræ scrutatur; tandemque Deo opitulante, qui numquam deest sperantibus in se, in vico quem dixit antiquitas Lesden (377), qui quarto miliario ab urbe secedit, aperta terra, juxta votum lapides columnares invenit. Nec solum ibi sed etiam propius, in villa videlicet Nigella (378) fodiens, aliud genus bonorum lapidum se reperisse lætatur. Unde Deo gratias reddens, totum se studio pii laboris accinxit; ac ne amplius demorer, operante divina misericordia, opus immensum septennio, anno videlicet Dominicæ incarnationis 1030 (379) reddidit consummatum. Exin vero, quod consequens erat, prout decuit, 15. Kalendas Novembris solemniter et ut ita dicam plus quam solemniter dedicavit. Quis enim tantæ gloriæ pompam digne sufficit enarrare, aut quis dicacissimus verborum ambitu tantam dignitatem poterit cohibere? ubi videlicet sanctorum corpora nostræ dioeceseos cum plebe et clero in unum congregata, ubi choros tam monachorum quam et canonicorum catervatim commixtos, ubi etiam non tantum urbem interius, verum et campos exterius passim utriusque sexus multitudine pernatare videres. Quomodo autem sanctorum corpora circa altare domnus episcopus ordinasset, summæ pietatis est memorare ac piis auditoribus salutare. Ipse namque pariterque obbas Richardus, ambo videlicet secmentati (380), beatissimum Gaugericum, utpote pontificem summum et sanctæ dedicationis magistrum precipuum, cum summa devotione tollentes, laudibus decantatis, clero quidem ac populo præ gaudio dum hæc spectarent illacrimantibus, in cathedra pontificali, sicut ante fuerat, collocarunt. Juxta quem medium sanctos quoque pontifices Autbertum, Vindentianum Hadulfum, qui et ipsi ejusdem altaris comministri fuerant, altrinsecus statuerunt, interposito etiam baculo sancti Vedasti cum reliquiis suis. Deinde vero ceteros, id est martires confessores ac virgines, unumquemque juxta ordinem suum, in circuitu prout decebat conposuit. Porro sic conpositos quisquis spiritualiter senserat, procul dubio sanctæ consecrationis studio credidit incumbentes. Sed quid de nundinis solemniter institutis? quid etiam de ceteris solemnibus ornamentis? Quod nimirum facilius admirari possumus quam referre. Consecrato ergo monasterio, multa ornamenta adhibuit [259]; aureaxa tabulam ampliavit, utrisque lateribus argenteas subrogans; cruces aureas cum ventilabris (381) æque aureis renovavit; calicem aureum, pallia quoque et casulas addidit, et in aliis quibusque utensilibus curam apposuit. Ad luminare procurandum eo loci, ubi sancti Johannis constat oratorium, duos mansus, in Andrelec (382) deputavit; et cum necesse fuerit inservient resarciendo operi ejusdem oratorii. Præterea in [260] Wileve (383) prædium Fulberti episcopi his adnumeravit. Restaurationi novi operis octo mansus in Letfringen (384) cum æcclesia sua delegavit. Medietatem de villa Ireneias (385) cum æcclesia ad usus pauperum dedit. Ad prebendam fratrum æcclesiam in villa Maionis, quæ Fontanas dicitur (386), et alodium Gertrudis addidit. Villam Pescant de parentum hereditate cum familia utriusque sexus stipendiis eorumdem contradidit. Cujus censum ita bipertivit, ut in dedicatione æcclesiæ medietatem ejus insumerent, reliquamque in die ordinationis suæ, quoad viveret, perciperent, eoque seculo subtracto, predictam ordinationis diem in anniversariam transitus sui commutarent. Prædium Rolaincurt (387), quod a Ragnelino accepit, episcopio adjunxit; itemque [261] aliud in Bragbant ad Hadonis crucem. Quartam quoque partem Perronensis fisci, quam a quattuor ingenuis hominibus adquisivit, Rotberto scilicet atque Hubaldo, Athelino, Suevo, mensæ episcopi ad Castellum sanctæ Mariæ, cui circumjacet, destinavit. Sancti Andreæ oratorium inibi a fundamento construxit (388), tertiamque partem quartæ partis supradicti fisci contulit congregationi monachorum, quam pia sollicitudine fovit quamdiu vixit. Alodium Theoderici montis, quod Hervardus miles et Fulco nepos ejus hereditabant, eis (389) manere voluit, et Watineas (390), quam de suo

VARIÆ LECTIONES.

[259] *in hac voce* 1. *Desinebat tempore Colvenerii, ut ipse dicit,. ultimo quaternione deperdito. Qui quaternio exeunte sæculo XII adhuc extans — tunc enim* 2. 7.. *cum descripserunt — jam s. XIV. deperditus fuit*; 3. *enim non jam habuit, sed in voce* adhibuit *desinens, eodem calamo statim subjungit brevissimam continuationem :* Post istum — Savine, *quam infra subjiciemus. Etiam* 4. 5. *in voce* adhibuit *desinunt, in media pagina; nil deperditum. Sequentia igitur non damus nisi ex* 2. *quem Colvenerius, et* 2*. *quem nos habuimus.* [260] *deest* 2*. [261] Item 2.

NOTÆ.

(377) Lesdain. Colv.

(378) Noyelles, in sinistra ripa Scaldis. Le Glay.

(379) A. 1027, xv Kal Nov. consecratum dicit Chronica S. Andreæ Castelli Cameracesii i,21, ex annalibus ejusdem monasterii, ut videtur, hoc describens.

(380) I e. vestibus segmentatis, acu pictis, induti.

(381) Vexillis.

(382) Anderlecht, prope Bruxellas.

(383) Cf. i 70.

(384) Fortasse Ledringhem, arrond. de Dunkerque. Le Glay.

(385) Fortasse Ivergny, arrondissement de Saint-Pol. L.

(386) Fontaine N. D., vel Fontaine-au-Pire, vel Fontaine-en-Beauvois, vel Fontaine-l'Evêque. L.

(387) Raillencourt, arr. d'Arras, aut Rœllecourt, arr. de Saint-Pol. L.

(388) 10 Kal. Oct. 1025 dedicatum dicit Chron. S. Andreæ Castelli Cameracesii ii, 19. Ad sequentia cf. diplomata Gerardi atque Conradi II, apud Miræum Opp. dipl. I. 55.

(889) Sc. monachis.

(390) Wattignies, arr. d'Avesne. L.

jure Hervardus jamdictus possederat, et quicquid in Briasto (391) Fulcuinus atque Resino habere videbantur; villamque insuper quæ Fontanas dicitur; et in Petrosa tertiam partem cum æcclesia; prædiumque in Solman a Fagala acceptum, aliudque in Bermerene (392) a Gonthone milite; itemque in villa quam Mansum sancti Andreæ nominare voluit, medietatem; æcclesiamque de Ferrerias (393) concambiatam [262-5] a fratribus sanctæ Mariæ; aliamque sancti Benigni; et de Ors, et de Wasvilare (394); et de Viseto, et apud Bragbant alodium quoddam Ham cum æcclesia; æcclesiam de Liniaco (395); de Furnis [266] aliam; in Cameraco aliam sancti Martini cum furno; medietatem telonei novi castri cum ambabus æcclesiis et molendino uno.

50. Diebus posthæc abiisse [267] datis, sors dedit ultima Henricum regem divæ memoriæ diem obire (*an.* 1024, *Jul.* 13). Cujus a vita recessus quantum desolationis fuerit hominibus, pro nobis melius loquatur mundus in suis calamitatibus. Tandem collecti principes Saxonum apud Maguntiam, prefecerunt sibi in regem Conradum (*an.* 1024, *Sept.* 8). Quorum ordinationi dux Gothilo, princeps videlicet Lothariensium, contraire voluit; episcoposque Coloniæ, Noviomagi, Virduni, Trajecti, Leodii allocutus, sacramentum a singulis accepit, nonnisi ejus consensu manus se ei daturos neque ad eum ituros. Hoc idem dux (396) Theodericus comesque Haynocensium Raginerius cum sibi conplicibus sacramento firmaverunt. Quod episcopi primi infregerunt, qui se primos dederunt, canticumque populi malum facti sunt (397). His omnibus pactionibus non accesserat domnus episcopus, sed conapatur eos ad pacis redigere [268] gratiam, postquam cognovit eorum minus bene sanam sententiam. Interim suspendit suum a regis præsentia gradum, (ne ipsis fieret [269] scandalum offensionis) directis tamen officiose legatis, macula se exuit suspicionis. Nihilominus regem Francorum placare muneribus studuit, ne sibi primitus usurpationem inferret, quam toto regno facere ad consilium habuit, Balduinum preterea comitem repressit modeste, ne sibi munitiones construeret Cameraci, Walteri corruptus fraudulentiis. Ducibus tandem post annum et fere medium ad pacem flexis, cum eis ad Aquas Grani palatii ivit, seque deditioni regis libens obtulit (*an.* 1025, *Dec.*). Processu temporis Balduinus, filius Balduini, cupiens se æquare patri, ab eo dissidium fecit; adiensque imperatorem, per eum se speravit posse consequi a domno episcopo, ut sibi propugnacula liceret construere in Cameraco, adversus patrem rebellaturo. Qua spe privatus est, contradicente episcopo [270]. . . . . . .

51. Triburiæ secus Maguntiam imperator Conradus de diversis partibus episcopos convocavit, ut quæ utilitatis et religionis sunt, ad invicem conferrent (*an.* 1036, *Mai.*). Qui post aliqua dictorum suorum hoc habuerunt capitulum, ut si quando jejunium primi mensis in ea hebdomada, qua constat caput jejunii (398), sicut solet, evineret, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione conplectur. In hoc rursus moderatissimus pastor antiquam patrum consuetudinem servari monebat, et in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum, pro consuetudine antiqua, censebat. Cujus oblata sententia visa est congrua, et ab eis decreta est tenenda.

52. Istiusmodi decretum a Franciæ episcopis datum est servari subjectis sibi populis. Unus eorum celitus sibi delatas dixit esse literas, quæ pacem monerent renovandam in terra. Quam rem mandavit ceteris, et hæc tradenda dedit populis: Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret; sui sanguinis vel [271] cujuslibet proximi, ultor minime existens percussoribus cogeretur indulgere; jejunium in pane et aqua omni sexta feria observarent, et in sabbato a carne et pinguamine; soloque hoc contenti jejunio in omnium peccatorum satisfactione, nullam se scirent ab eis aliam addicendam pœnitentiam. Et hæc sacramento se servare firmarent, quod qui nollet, christianitate privaretur, et exeuntem de sæculo nullus visitaret nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quam plurima dederunt mandata, quæ oneri visa sunt replicare. Hac novitate pulsatus mandati presul noster, infirmitatique peccantium condescendens, secundum decreta sanctorum patrum ad singula suum formavit eloquium. Genus humanum ab initio trifariam divisum esse monstravit, in oratoribus (399), agricultoribus, pugnatoribus; horumque singulos alter-

VARIÆ LECTIONES

[262-5] Fereria cambiatam 2*. [266] Furnes 2*. [267] *ita* 2. 2* ab hisce *conjecit Colv.* [268] *ita conjecit Colv.* redire 2.2*. [269] ferret 2*. [270] *Post hæcduarum linearum spatio relicto,* 2* *margini ascripsit*: Desunt. *De* 2. *nil annotavit Colvenerius.* [271] licet. 2*.

NOTÆ.

(391) Briastre, arr. de Cambrai. L.

(392) Bermerain; sur l'Escaillon, arr. de Cambrai. L.

(393) Ferrière, arr. d'Avesnes, ou Ferrière, près du Câteau L.

(394) Saint-Benin, Ors, Basuel, canton du Câteau. L.

(395) Ligny, arr. de Cambrai. L.

(396) Lotharingiæ.

(397) Cf. Thren. 3, 14: *factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Colv.

(398) Caput jejunii vocantur quatuor dies a feria quarta Cinerum usque ad primam dominicam quadragesimæ. Colv. Sigebertum de jejunio quatuor temporum, apud Martene Thes. I. 298.

(399) I. e. orantibus, seu sacerdotibus. Hœc tripartitio Noe tribuitur, filis suis dicenti: *Tu supplex ora, tu protege, tuque labora.*

utrum dextra lævaque foveri, evidens documentum dedit: « Oratorum a sæculi vacans negotiis dum ad Deum vadit intentio, pugnatoribus debet, quod sancto secura vacat otio; agricultoribus, quod eorum laboribus corporali pascitur cibo. Nihilominus agricultores ad Deum levantur oratorum precibus, et pugnatorum defensatur armis. Pari modo pugnatores, dum reditibus agrorum annonantur (400) et mercimoniis vectigalium solatiantur armorumque delicta piorum quos tuentur expiat precatio sancta, foventur ut dictum est mutuo. Quibus — dum Abraham et Josue et David ex voce Domini arma tulisse in prelium vetus ostendit pagina, et sacerdotes gladio accingunt reges, regnante gratia in nostra matre æcclesia Dei sponsa — officium non est in culpa, si deest peccatum in conscientia. Hos et apostolus ministros Dei appellat, ita dicens: « Minister enim Dei est, vindex in iram[272] *(Rom.* XIII, 4), subinferens: « Non enim sine causa gladium portat *(ibid).* » Rapinas reddere debere, ut vetus (401) sileat mandatum, Zachæi satis est exemplum, dicentis ad Dominum: « Si quid defraudavi, reddo quadruplum *Luc* XIX, 8). » Nec peccant qui repetunt, licet audiant: » Si quis quæ tua sunt tulerit, ne repetas (*Luc* VI, 30 . » Duo enim legimus: et tacuisse Dominum[273] interrogatum, et non[274] interrogatum, fuisse locutum. Cujus silentium ita non est otiosum, quemadmodum est salutiferum ejus verbum. Ut enim laudavit Zachæum de rapinarum redditione, ita siluit de earum repetitione pro inevitabili necessitate. At ubi dixit: « Ne repetas, » permisit perfectis, quod habebant in voto, pro resecanda cupiditate; non imperavit, ut dixi, pro necessitate. Itaque illic non prohibuit repetere, et hic concessit non repetere. Inde reges per sanctos patres edocti, statuerunt firmas leges, ut res suas injuste sublatas æcclesia vel quilibet juste repeteret; quas legaliter cogeretur qui rapuerat, restituere[275]. Similis stat sententia inter percussorem hominis et ultorem proximi. Percussor enim debet ultorem satisfactione placare et muneribus, quem læsit et offendit subtractis amici mortui consolationibus. Neque cogi debet absque placatione ad ignoscendum, cui dominus misit ab altari reconciliatorem[276] munus offerentem (*Matt.* V, 23, 24), quem utinam minus perfectum, hæc a pœnitente oblata trahat[277] benivolentia. Jejunium in sexta vel et septima feria generaliter non est omnibus inponendum[278], quibus nec una est sanitas corporis nec æqualiter remordet accusatio peccati; sed nec sufficiens est omnibus peccantibus hæc satisfactio credenda. Crescentia enim[279] in dies crimina purganda sunt secundum evangelii apostolorumque et canonum atque pontificum decreta, nec est conveniens, ut alia his contraria, qui præsunt, jubeant[280] populo; eisque concordent, qui organa facti Spiritus sancti, per ejus flatum sonuerunt sua verba, vel scripta, ne videantur destructa. Excommunicatione quoque non sunt feriendi, qui hæc sacramento firmare[281] noluerint, cum de servando uno mandato satis infirma sit[282] fragilitas humana, nedum perjurio in omnibus his neglectis teneatur astricta. Quando autem ab hoc sæculo ad aliud quis habetire, mens ejus naturaliter habens oblivisci et memorari, magnitudine seu novitate viæ nimis extra se sparsa et propterea aliquantulum sui oblita, consolationibus piorum debet revocari, ut pœniteat de peccatis, etiamsi tunc usque fuit obdurata; ne dicam, ut ei postulanti hæc, quod absit, denegetur misericordia. Mortuum etiam quemlibet peccatorem terræ tradere, Dei dixit auctoritas, ex quo peccator omnium peccatorum, occisor, audivit: « Terra es; et in terram ibis *(Eccle.* III, 20). » [283] — De dictis nostris hoc volumus repetere, ne quis inprovidus nos putet non satis aperte [284] verba evangelica protulisse contra episcoporum statuta; quia Dominus quædam sua mandata dedit imperfectis pariter et perfectis, quædam perfectis. Quod sufficiat ad testimonium; quia cum dixisset juveni cuidam « Mandata nosti? » subinferens: « Non occides, » ceteraque hujusmodi, illeque respondisset: « Hæc omnia custodivi a juventute mea, » ait: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes et da pauperibus *Luc.* XVIII, 20, 22). » Alio quoque in loco de eunuchis disputans, « Qui potest, » inquit, « capere, capiat; non enim omnes capiunt (*Matth.* XIX, 12). » Nec nos fugit, posse dicere quemquam, quod regnum celorum non ingreditur nisi perfectus quisquam. Cui nos digito insinuamus, « quia stella a stella differt in claritate (1 *Cor.* XV, 41), et verba Domini replicamus: In domo patris mei mansiones multæ sunt (*Joan* XIV, 2). » Quarum ut ita dicam secundum nos inæqualitas nonnisi ad ejus omnipotentem facta est voluntatem. Quibus ut una servetur æqualitate quantitas, inviolabilis data est ad alterutrum karitas, quod est in singulis, communicans omnibus, cum quicquid factun est[285], sufficiens sit ad omnia per hoc quod habet in propria natura Et de nobis dicimus similia, quorum imperfectionem supplet, cui dicit propheta: « Melior est misericordia tua super vitas *(Psal.* LXII, 4). » Per quam fit,

VARIÆ LECTIONES,

[272] ira 2*. [273] Deum 2* [274] *deest* 2*. [275] restitucionem 2*. [276] reconciliationem 2*. [277] tulabat 2*. [278] ignoscendum 2*. [279] *ita* 2*. quidem *Colv.* [280] *ita Colv. deest* 2*, [281] confirmare 2*. [282] *deest* 2*. [283] *Sequentia hujus capitis omnia in* 2 2*. *post* redierunt *demum in fine c.* 54. *leguntur. Sed quum appareat, ea ibi sensum non habere, sed arctissime cum hoc nostro capite cohærere, ea huc transposui. Error scribæ* 2. *inde natus erit, quod in* 1. *hæc omnia* De — æqualitas *ab octore ipso in scedula assuta adjecta errant procul dubio, quam sedulam scriba* 2. *loco non suo inseruit.* [284] sapere 2* [285] sit 2*.

NOTÆ.

(400) I. e. annona nutriuntur.

(401) I. e. Veteris Testamenti.

ut quod habebunt singuli in cælesti vita, sufficiens A sit gloria, participabuntque cunctorum lætitia, karitatis perfectione pleni, ut fit æqualitas. »

53. Causa post hæc fuit, qua Duacum petiit. Ubi conventus populi vocibus de statuenda pace falsa, respondit pro tempore, quod perceperat ab eo qui est idem heri et hodie (*Hebr.* XIII, 8), nec immutatur crastino tempore. Suggesserat in aures omnium Walterus, qui erant foris et intus, episcopum paci nolle adquiescere ; non quia erat filius pacis, sed quia liberius quærebat studere artibus suæ malignitatis. Collegerat duo superius dicta (*c.* 52) : ne quis arma ferret, nec direpta repeteret, studebatque, ut preteritæ vitæ rapinis et cædibus quibus pastus fuerat, silentium daretur, et ex tunc licentius, nullo ferente arma, assuetis malis frueretur. Quod præsciens episcopus, sedato populo calliditates illius exposuit, utque paci non esset contrarius, debita sua multiplicia illi indulsit, tantum ut in reliquum populus de eo pacem in veritate quærere, etiam cum dampno, si per hoc posset fieri, propriæ substantiæ, qui illi ut dictum est, pro [286] hoc universa relaxaverat debita.

54. His ita gestis, Balduinus tunc temporis Flandrensium comes hortari cœpit episcopum, ut populo favens, pacem sacramento firmare juberet. Ille ne tunc quidem a sensu bono deficiens, non alia quam quæ lex et evangelium adnuntiat, jubere professus est. Tandem tædio victus, inter confines Cameraci et Atrebati multis sanctorum corporibus delatis, cum maxima turba ad locum designatum venit. Sed ne hic quidem feriabatur [287] Walterus, nunc circumcirca, nunc foras et intra ambulans et mussitans, hunc repugnare paci, in tantum ut populum commoveret prope ad inferendam vim. Qui minime fractus, hunc publice tali modo pro confutanda [288] ejus malitia allocutus est, dicens : « Pictura insinuat imaginem diaboli ad aurem stare Simonis, suggerentem quæ voce proferret adversus Petrum apostolum contendens. Nec tua te refert actio, qui ad malum ad quod non sufficis, commoves ceteros. » Deinceps [289] populum ad audiendum sedat, et quam inter se pacem quærerent, qui commanducare eum D volebant, edocet. Factoque verbo de salute animæ quæ christianitatis lex jubet sua sponte se servare (402), promittere monet; et cum deviarent, ad pœnitentiam redirent. Alacres itaque facti, dicta ejus pro vero tenentes, unanimes promiserunt, et ad propria cum pace redierunt.

55. Italiam Conradus imperator adiit (*an.* 1036), ut ad votum de regno ageret, et arma ferentes impugnaret. Cumque inibi degeret, quosdam Longobardorum episcopos partibus Odonis (403) faventes inreverens factus in vincula conjecit (*an.* 1037). Mediolanensium autem archiepiscopus (404), re pro alia pari modo captus, fuga sibi consuluit. Contra quem exasperatus, loca quæ late patebant, incendio absque homine fecit (*Mart.*). Nam id consilii cum Longobardis habuerat, qui in commune decreverant juramento potentes cum infimis, nulla ratione se passuros quemlibet dominum, qui aliud quam vellent, contra eos ageret. Supervenit tandem dies pentecostes (*Mai.* 29), quæ poscebat, inter missarum sollempnia pro consuetudine coronari regem. Igitur B quæsita, nulla reperta est æcclesia, præter unam parvulam secus ipsam civitatem. Et ecce a mane cœperunt audiri tonitrua, coruscare fulgura tam gravia, ut plures in domibus mente excederent, aliquanti exhalarent inter missarum officia [290], sicut Bruno episcopus (405), qui missam cecinit, testatus est. Bertulfus etiam quidam secretarius regis sanctum se vidisse dixit Ambrosium, pro his quæ rex male gerebat, indignatione commotum. Post hæc relicto hoc negotio inperfecto, iter convertit cis Alpes (*an.* 1039, *Aug.*), nec multo post languore afflictus est [291]; et vita apud Trajectum privatus (*an.* 1039, *Jun.* 4), Henricum filium suum regni et laboris dimisit heredem. Ad quem sæpedictus pon- C tifex iens, manibus se illius commisit, pariterque dux Gothildo, qui aliquantulum denegare disposuerat. Cujus Conradi mortem hæc precesserunt signa. Anno ante transacto, mense Aprili, data 8. Idus, visa est in celo inter orientalem et australem plagam quasi ignea trabes magnæ magnitudinis, quæ currens super solem jam ad occasum vergentem, visa est in terram cadere. Cujus vestigia diu potuerunt videri, sicut fit ubi nubes clauduntur post coruscationem. Hoc ipso [292] autem quo diem clausit anno eclipsis solis [292] fuit pridie Idus Maii (406); et 2. Nonas Junii, ut dixi, ipse obiit.

56. Subsequente autem mense Augusto (*an.* 1039) cum ipso rege Trajectum (407) venit domnus episcopus, et rogatu episcopi Nithardi (408) levavit corpora sanctorum confessorum Gondulfi et Monulfi, acceptis sibi inde reliquiis ; et consecrata est ibi æcclesia in honore sancti Servatii. Mettis postea consecrata est æcclesia sancti Stephani prothomartyris, ubi etiam interfuit precatu Theoderici, ejusdem urbis episcopi, qui ei dedit preciosas reliquias ipsius martyris Christi, quas secum detulit.

VARIÆ LECTIONES

[286] per 2*. [287] quid feriebatur 2. [288] consueta 2*. [289] deinde 2*. [290] a. e. tres etiam i. m. sollempnia 2*. [291] *deest* 2*. [292] ipso *et* solis *desunt* 2*.

NOTÆ

(402) I. e. servaturos.
(403) Campaniensis.
(404) Heribertus.
(405) Mindensis.
(406) Errat noster; fuit 55 d. 22. Aug.
(407) Mastricht.
(408) Leodiensis.

57. Aldonem de Vido, qui ecclesiam [293] sancti Gaugerici in advocationem tenebat, quam nimis affligebat, multis [294] convictum nequitiis a civitate expulit. Erat enim fraudulentus valde, et alienus a veritate et fidelitate ipsius. Campum (409) contra eum accepit, unde se recredidit (410), et legaliter fecit [295], dum suum adjudicatus perdidit [296]. . . . .

58. Domnus Gerardus [297] episcopus dedicationem æcclesiæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ (411) facturus, removit altare a proprio loco; et effossa terra quæ circa erat, multæ sanctorum reliquiæ ibidem repertæ sunt; insuper brachium confessoris Christi Vedasti, et non modica pars de capite ejus et quibusdam membris. Consecrata est igitur ipsa æcclesia sollempniter 2. Non. Januar., apportato sancti Vedasti corpore cum aliis sanctis a monachis ejusdem loci [298]. . . . .

. . . .

59. Paucis ante transactis diebus, Lietduinus, ex laico monachus et abbas monachorum post factus, a sæculo abiens laudabiliter, et ad aliud perveniens ut speramus feliciter *(circa an.* 1044), tristes reddidit quos ad omne bonum instruxit. De quo ut aliquantulum dicam: per indoctam Dei sapientiam, stultam ostendit grammaticorum inflatam doctrinam, dum quicquid seculi fuit, sollicitus cavit, et quæ Dei sunt, fidelis operator adimplevit. Hic abbatem Richardum, religiosum admodum virum, et Fredericum, comitis Balduini avunculum (412) a sæculo conversum, prudentem et justum [299] introduxit, per quem locus ille in sancta religione et mundi facultate cœpit pollere, et ab eo (413) loco subrogatus, nobiliter, ut decuit, in omnibus bonis permansit. A fundamento monasterium restauravit (*an.* 1031) et omnibus utilitatibus ampliavit, et in omnibus justificationibus Domini sine querela vixit. Huic, postquam eum Deus tulit, abbas Joannes successit, electus a fratribus, domno episcopo Gerardo favente cum comite Balduino [300].

60. « Domino Heinrico augustorum serenissimo, Gerardus episcoporum ultimus et servorum Dei servus, pacis et salutis perpetuæ munus [301]. Peccatis meis hoc reputo, ut solatium qualecumque, quod mihi seni jam fesso de vobis hucusque promittebam, in vitæ tempore ultimo subtraxerit Deus, non vos, cui incessanter pecco. Breviter tamen hoc vestris auribus suggero, quia de fidelitate servanda ad communis regni statum apud vos in culpa non habeor. Trigenta annos ducimus, quo in nostra urbe inter pagensium nostrorum gladios vivimus. Quibus quam multa data sunt ab æcclesia nostra, cotidiana distributione, quæque ab Ottone et Heinrico divæ memoriæ regibus, prædecessoribus meis episcopis collata, mihi etiam, et a patrimonio sunt reperta, non sunt suggerenda. Et sicut liberalitas vestra sacellarium (414) habet, qui causis supervenientibus cotidianas expensas faciat, ita et ego sacellarius eorum sum, ut dilatio mortis, ne dicam vitæ requies eorum qui mecum sunt acquiri valeat, quod virga disciplinæ vestræ habuerat (415) facere. Et hæc cujus nisi regni gratia? E contra [302] adgravata est manus plagæ vestræ super nos, quando parvitas nostra minus idonea est habita apud vos. Hoc tamen domino dico, ut de me mala quælibet estimet, de utilitate vero et causa quasi provisionis nostræ non quibuslibet pias aures præbeat, sed eos consulat, quibus gens et patria est cognita, plusque utilitati quam suggestioni credat. Nec tamen regiæ congruit personæ, impugnatores hactenus pacis familiares habere, et eos per quos viguit procul adjicere. In vero mihi credite, quia suasio ista res est simulata, non vera, et idcirco vobis obedire distuli, quia nec vobis nec nobis quies ultra maneret. Sane non adeo mirum, si ab re plus justo mihi indignemini, sicuti [303] Mauricius Gregorio (GREG. ep. 4, 31), quamvis longe infra Gregorium. Verenda vero quam subiit Mauricius vindicta, dum est heri et hodie (*Hebr.* XIII, 8), cujus potimur vicaria persona. Per eum qui formavit et adunavit æcclesiam de latere suo, vos precamur, ne scindatis [304] et dissipetis eam; ne, quod absit, extra eam inveniamini per purgationem ventilabri Dei. Loquaces adolescentes cum Roboam ne admittite, quin potius per silentem Chusi, David sapientissimus princeps inter tres (*II Reg.* XXIII), quasi te [305]. » . . . .

. . . .

VARIÆ LECTIONES

[293] *in* 2. *teste Colvenerio « Hujus capituli quinque priora verba erant erasa, sicuti et finis; unde magna cum difficultate ea legere potui. » In* 2*, *ubi jam inde a c.* 49. *nulla est capitum distinctio, locus ita legitur :* secum detulit qua ferebatur sancti G. *spatio uni voci relicto,* [294] nimis 2*. [295] *ita* 2*. *cui* dum *deest* fiet *Colv.* [296] *posthæc in* 2 *quædem erasa erant In* 2*. *duarum vocum spatium relictum.* [297] *posthæc duarum vocum spatium reliquit* 2*. [298] *posthæc in* 2. *erasæ erant* 14 *lineæ : in* 2*. *lineæ et dimidiæ spatium relictum.* [299] et Fr. — justum *desunt* 2*. [300] *Post finem hujus cap. cum in* 2. *vacaret semipagella, aliquis recentiori manu adscripsit hæc verba* : Anno 1148. 8. Idus Septembris Cameracensis ecclesia S. Mariæ, et ecclesia S. Auberti, totumque Castellum uno eodemque incendio perierunt. » COLV. [301] *post* usque quasi te *teste Colveterio « desunt duæ circiter lineæ. Quæ sequuntur ad finem usque Lietberti alia manu, eaque recentiori scripta sunt; phrasis tamen similis eundem redolet auctorem. » Scriba* 2*. *margini adscripsit :* desunt paucula*; tunc eodem calamo pergit sine ulla distinctione :* Huic quidem, etc.

NOTÆ

(409) I. e. duellum.
(401) Se reddidit, victum se professus est.
(411) Atrebatensis.
(412) Cf. Mab. Acta SS. Bened. sæc. VI, I, p. 190.
(413) Sc. Richardo ; cf. c. 16. COLV.
(414) Sive saccellarium, *Sackelmeister*, a *saccus.*
(415) I. e. debuerat, *avait à faire.*

GESTA LIETBERTI EPISCOPI [306]

1. (*Cap.* 61.) Huic quidem Gerardo pontifici dom- A nus Lietbertus in episcopatum successit, qui ex Brachatensi patria (416), nobili ortus prosapia, a progenitoribus (417) educandus puer commissus est sub ipsius Gerardi pontificis (418) disciplina. Puer igitur iste docibili ingenio præditus et assidua pii magistri doctrina informatus, gemina scientia affatim imbuitur. Quem videns pius pater bonis studiis crescere et per dies singulos ad meliora conscendere, cœpit eum vehementer diligere et consiliorum suorum participem facere; et, ut amplius in scientia eum confirmaret, regendas scolas sanctæ Mariæ matris æcclesiæ ei commisit, qui honor propter laborem rarus [307] nobilibus committitur, sed quanto rarior, tanto magis [208] honorabilior conprobatur. Hujus igitur ministerii exercitatione perfectioris scientiæ B culmen juvenis ille cepit attingere, et inter sapientes sapienter pollere. Cognita vero episcopo scolastici industria, separavit eum a puerorum doctrina, faciens illum semper consistere in presentia sua, et lateri suo adhærere, et in judiciis suis tam publicis quam privatis auditorem in primis, et mox judicem insistere. Sicque factum est, ut juvenis ille parvo post tempore in divinis et in humanis efficacissime claresceret. Quem videns episcopus bonis virtutibus [309] abundare et castitatem inviolatam conservare, cœpit eum diligere, præ omnibus, et privata et publica facere ex consilio ipsius. Et quia eum divina clementia et sapientia et virtutibus exaltaverat, commodum duxit eum episcopus magnificare, conferens ei archidiaconatum et præposituram et cetera majora C ministeria æcclesiæ. His [310] acceptis honoribus ita utebatur, ut majoribus perfruendis dignior judicaretur.

2. (*Cap.* 62.) Post aliquantum vero temporis ipsi Gerardo pontifici, vergentibus annis ad occasum, senectus obrepsit, pro qua debilior jam fiebat a priori statu, in tam divinis misteriis quam in humanis negotiis. Sed Lietbertus quem a puero nutrierat [311], quem honoribus exaltaverat, in utroque val juvabat. Accidit interea, ut Gualterus Cameracensis castellanus ab inimicis suis interfectus interiret (419) (*an.* 1041), unicumque filium cum uxore sua superstites sibi relinqueret. Quæ quidem uxor, Ermentrudis nomine, ab insania mariti sui non cessavit, sed per pejora quæque oberrans, mariti sui nequitias superexcellit. Et quia malitiam per se, ut volebat, exercere non potuit, — filius enim ejus puer erat —, tirannum quendam nomine Johannem, advocatum Atrebatensem, sibi in conjugium copulavit, suique et filii sui patronum esse constituit. Filius autem ille mox mortem obiit, secundum quod scriptum est : *Generatio impiorum peribit* (*Psal.* xxxvi, 28). Johannes vero, cui mater pueri nupserat quique per matrem beneficium pueri invaserat, nitebatur aut vi aut dolo illud sibi transducere, quod lex nulla sibi permittebat. Porro ut res faciliores haberet effectus, cœpit ipsum Gerardum pontificem magnis sollicitare promissionibus, et pecunia corrumpere necessarios et familiares ejus. Hujus quidem consilii Litbertum, inter fideles pontificis sapientissimum, participem esse noluit, timens ne

VARIÆ LECTIONES

[306] *hunc titulum de nostro suplevimus; in* 2. 2*. *non adest.* Incipiunt excerpta ex libro gestorum Cameracensium pontificum. De domno Lietberto successore Gerardi episcopi 7. *qui hic incipit. Ex eo capitum distinctionem instituimus.* [307] rarius. [308] *deest* 7. [309] operibus 7. [310] Sic. 7. [311] *ita* 7. nutriebat 2. 2*.

NOTÆ.

(416) Est terra de Alost. ubi Brakele. Colv.

(417) Necrologium Beatæ Mariæ Cameracensis in bibl. Camerac. n. 219. sæculo xii in.. ex antiquiori descriptum, hæc habet : 5. *Kal. Febr. obiit Lietbertus pater Lietberti episcopi.* 8. *Idus Sept. obiit Osburgis mater Lietberti episcopi.*

(418) *carnis genere sibi propinqui*, addit Rodulfus in Vita Lietberti. Sed dubium efficit, quod noster nil ea de re notavit.

(419) *Cameraci... ad ostium monasterii sanctæ Mariæ, dum oraret, ut aiunt — nos id parum compertum habemus — a quattuor viris ad hoc ipsum conventione facta paratis interficitur.* Chronic. S. Andreæ Castri Cameracesii ii, 8. Annales Elnonenses minores hæc habent : 1041. *Walterus Cameracensis castellanus ad januam æcclesiæ sanctæ Mariæ dum oraret, interfectus est. Tamen vero antequam morti debitum persolvisset, quod injuste fecerat, Deo et sanctæ Mariæ atque episcopo æccle-* D *siæ voluit emendare. Episcopo autem renuente quod obtulit, juxta sententiam episcopi excommunicatus obiit, et sepultus est secus Oisium, in monte Erni. Quod quidem ad tantum mali pervenit, ut omnis regio Cameracensis fere igni combusta, jussu uxoris suæ Ermentrudis penitus vastaretur. Hujus itaque mortem comes Flandrensis Balduinus dolens, graviter tulit, quod ab atrio sanctæ matris æcclesiæ corpus ejus injuste ab episcopo sequestratum fuisset, et ideo injuste, quia moriens coram astantibus se culpabilem Deo reddidit. Qua de re ab archiepiscopo et a comite Balduino episcopus coactus, cum juste absolvit, quem injuste ligavit; et sic corpus ejus a loco superius nominato dissepultum, ad S. Amandi monasterium secus Elnonem fluvium situm translatum est, et sepultum est in claustro monacorum ante fores æcclesiæ. Epitaphium ejus*

Continet hæc fossa Gualteri principis ossa.
Quem Cameracensis orantem perculit ensis.

prudentia et fidelitate ejus ab incepto repelleretur. Unde ut eum a consultu pontificis longe faceret et a civitate procul expelleret, confictis causis inimicitias ei insimulabat; quibus si locus esset, mortem etiam ei collaturum plerisque revelaverat. Interea Gerardus episcopus infirmabatur; et cum ætatis decrepitæ molestia acutæ febris valitudine angebatur ta ut a domo sua nisi alterius manibus exportatus exire non valeret, neque disponere, quid sibi vel rei publicæ utile esset. Domnus vero Lietbertus cum eo assidue esse non poterat, propter simultatem et insidiam, quam adversus eum Johannes inferebat; Ideoque apud novum castrum sanctæ Mariæ custodiæ ejus deputatum morabatur, nisi aliquando episcopum refocillationis gratia visitaret, congregato constipatus exercitu. Gaudebat igitur Johannes de ejus absentia, sed nihil tamen impetrare ab episcopo valebat, eo quod ab amicis Lietberti dissolverentur et ad nihilum traherentur omnia petitionis suæ ingenia.

3. (*Cap.* 63.) Cum hæc agerentur, superveniente suæ vocationis tempore præsul Gerardus defungitur (420) (*an.* 1051, *Mart* 14); Johannes tamen in civitate remanet, castellatura indonatus. Porro sepulto honorabiliter sicut decebat Gerardo pontifice, Henricum regem (421) Lotha-Karlensium [312] adeunt domnus Lietbertus præpositus et archidiaconus aliique archidiaconi cum casatis (422) Cameracensis æcclesiæ, reportantes baculum pontificalem, et nuntiantes episcopi sui depositionem. Audiens imperator obitum tanti viri, pie ei, eo quod omnibus amabilis erat, condoluit, cepitque quærere diligenter, quem in loco ejus similem subrogare potuisset. Cui quidem hac in re sollicito, occurrit animo (423), quod Lietbertus ejusdem Cameracensis æcclesiæ prepositus, qui suus jam dudum capellanus [313] erat, quem fidelissimum sibi et æcclesiæ illi sæpe necessarium in multis probaverat, ad regendam æcolesiam Cameracensem idoneus enitebat*..

* *Hoc potissimum loco addere libuit excerpta Cameracensia apud Jacobum de Guise obvia, edit. Paris.*, t. VIII, p. 450. Cujus (*scil.* Herluini) audito decessu, imperator Gerardum, capellanum suum, ad sedem ipsam destinavit. Qui multas injurias ab hominibus suis illatas, non minus post ecclesiæ collata beneficia [passus], carnis solutus ergastulo, nutritum suum, dominum Libertum, dereliquit successorem. Sed ipsius Gerardi temporibus, in ecclesia Attrebatensi juxta majus altare reliquiæ sunt inventæ, quæ ibidem hodie conservantur. Ad quarum inventionem multa infirmis sunt per tres annos continue collata beneficia. Dominus Libertus ecclesiam Beaurim (424) cum decima canonicis Attrebatensibus dedit et Berle (425), et ecclesiam sancti Sepulchri in civitate Cameracensi fundavit, in qua cum multo honore sepultus requiescit. Dominus Gerardus junior Liberto successit.

VARIÆ LECTIONES

[312] *ita*. 7. ariensium 2. riensium 2. [313] *ita correxit Colv. ex Vita Lietberti*; manibus 2. 2. 7.

NOTÆ.

(420) Diem obitus II idus Mart. esse, in eo conveniunt Necrologia S. Gaugerici (in bibl. Camerac. n. 55 descriptum s. XI ex., ex antiquiori), Beatæ Mariæ (bibl. Camer. 219, s. XII). Aquicinense (bibl. Duac. n. 825. s. XII in.) et Chron. S. Andreæ Castelli Cameracesii, anno 1133 compositum. Annum plerique statuunt 1050, alii 1048. Sed Colvenerius affert diploma Lietberti episcopi monasterio S. Autberti concessum anno Domini 1057, *et præsulatus ipsius anno septimo*, et Miræus Opp. dipl. 1, 153 et 155 duo alia *anno* 1064 *præsulatus domni Lietberti anno* 14°, unde sequitur, Lietberti primum fuisse annum 1051. Rodulfus porro in Vita Lietberti, ante annum 1131 conscripta, hæc habet c. 18 : *Convenit in unum Cameracensis ecclesia, pari consensu electura d. Lietbertum.... Post hæc Henricum regem adeunt novus electus, scilicet domnus Lietbertus præpositus et archidiaconus a. a. c. c. C. a. n. destructionis suæ casum flebilem et e. s. d. Illis quippe diebus apud Aggrippinensem Coloniam excubans, super observationis quadragesimæ die resurrectionis dominicæ præstolabatur dominicum, consulturus ibidem nobile suorum palatinorum suorum consilium.... cui quidem in hac re sollicito suggestum est a Cameracensibus, quod Lietbertus.... electus esset ab omnibus... Electus est in die sancto paschæ domnus noster Lietbertus ab imperatore cunctisque palatinis principibus.... Actum est Aggrippinæ in palatio imperiali, confirmatum in ecclesia* S. *Petri principis apostolorum*. Atqui imperatorem Coloniæ pascha celebrasse a, 1051 scimus ex Herimanno Augiensi (a. 1048 fuit in bavaria) a. 1049 Goslariæ ; a. 1050 Trajecti). Idem Rodulfus ecclesiam S. Sepulcri consecratam dicit *anno* 1064, *indictione* 2, *anno quoque pontificatus domini nostri et patroni Lietberti* 14°, eumdemque mortuum dicit *anno pontificatus sui* 26°, *dominicæ incarnationis* 1076°, qui loci ambo dant annum consecrationis 1051. Eumdem denique annum 1051 indicat Chronica S. Andreæ Castri Cameracesii II, 12, ubi v. notata. Cf. etiam Acta SS. Junii IV, 585. — Mirum itaque est quod Simon abbas S. Bertini in Chartulario S. Bertini, ed. Guérard, p. 184, exhibet diploma Balduini comitis Flandrensis, datum *anno d. i.* 1056, *indictione* 9... *die sancto Epiphanie, astantibus hujus rei testibus*, inter quos tertius est : *Signum Gerardi Cameracensis episcopi*. Nomen Gerardi falsum esse, luce clarius apparet ; sed indictio quadrat. Fortasse in charta fuit : *Signum L. Cameracensis episcopi*, quod *L* pro *G* legens, Simon *erardi* e conjectura supplevit pro *ietberti*.

(421) Imperatorem potius ; jam enim 25 Dec. 1046 Romæ coronatus fuerat.

(422 *Attachés à la maison*, domestici. A Cambrai cette dénomination s'appliquait surtout aux 24 *francs fiévez*, institués pour connaître, sur le *conjurement* du grand bailli, des affaires féodales, civiles et criminelles, qui étaient de la juridiction de l'evêque. LE GLAY.

(423) Paulo aliter Rodulfus loco supra indicato narrat, Lietbertum jam domi electum fuisse a clero atque populo, antequam Coloniam irent ; hanc electionem imperatori suggestam et ab eo confirmatam.

(424) Beaurain.

(425) Berles.

P. 454. Verum quia superius in capitulo immediate A præcedente digressi sumus a coordinatione vera ac successione episcoporum Cameracensium, a tempore obitus videlicet Gerardi, qui ultimus extitit episcopus tam Attrebatensis quam Cameracensis ecclesiarum, et dimisimus coordinationem episcoporum Cameracensium insequendo episcoporum Attrebatensium successiones; hic consequenter, Deo duce, prout reperire valui, ad Cameracensium episcoporum catalogum revertor. Nam in ecclesia Cameracensi primus post dictum Gerardum, cujus temporibus facta fuit episcopatuum dictorum divisio, successit Gerardo Manasses, solus regnans in solo episcopatu Cameracensi. Manassi successit Walterus. Waltero successit Odo. Odoni successit Burgardus. Burgardo successit Lietardus. Lietardo successit Nicholaus. Nicholao successit Petrus. Petro successit Robertus. Roberto successit Alardus. Alardo successit Rogerius. Rogerio successit Johannes. Johanni successit Nicholaus electus. Nicholao B successit Hugo electus. Hugoni successit Petrus de Corbolio (426) episcopus. Petro successit Johannes de Bethunia. Johanni successit Godefridus de Condato in Hannonia. Godrefrido successit Guiardus. Guiardo successit Nicholaus de Fontanis. Nicholao successit Ingelramnus. Ingelramno successit Guillelmus de Hannonia. Guillelmo successit Guido de Collo-Medio (427). Guidoni successit Philippus de Margny. Philippo successit Petrus de Milapi (428). Petro successit Guido de Babylonia (429). Guidoni successit Guido de Venthadorio. Guidoni successit Petrus Andree. Petro successit Robertus de Gebennis (430). Roberto successit Gerardus de Dainvilla. Gerardo successit Johannes Cherclaus, tempore schismatis ecclesiæ. Johanni Cherclaus successit Andreas de Sancto-Paulo, frater comitis Sancti-Pauli.

Tom. IX, p. 464. *Ex historia Cameracensi.* Hoc anno (1047) fuit maxima mortalitas Cameraci, ratione cujus episcopus Gerardus benedixit magnum cimiterium extra muros civitatis Camera- C censis, et incœpit ecclesiam parvam in honorem sancti Nicholai episcopi atque sancti sepulchri, sed eas non perfecit: et illuc sepeliebantur defuncti, quia cimiteria civitatis erant omnia repleta (431).

Ib. p. 466. *Ex Sigeberto.* Eodem anno (1049) moritur Gerardus, episcopus Cameracensis. *Ex hist. Cameracensi* (432). Anno Domini 1049. Henricus imperator dedit dominium temporale totius civitatis Cameracensis Lieberto noviter electo in episcopum Cameracensem; et (433) eodem anno Johannes expulit canonicos extra ecclesiam beatæ Virginis et clausit portas civitatis ante Liebertum episcopum, et tenuit contra ipsum. Sed tandem Balduinus, comes Flandriæ, reposuit dictum episcopum in pacifica possessione totius civitatis, et exulavit dictum Johannem. Hic episcopus Liebertus a Guidone archiepiscopo Remensi fuit consecratus una cum regina Franciæ, uxore Henrici regis Francorum (434).

Ib. p. 470. *Ex historia Cameracensi.* Hoc anno (1052), incœpit fundare Liebertus episcopus Cameracensem abbatiam in honore sancti Andreæ in Castello Cameracisii.

Ib. p. 472. *Ex Sigeberto*: Eodem anno (1054). Liebertus, episcopus Cameracensis, terram sanctam et sanctum sepulchrum visitare voluit, prout potuit, cum sumptibus magnis (435); sed dum esset in Cypro, coactus a Sarracenis, invitissime repatriavit.

Ib. p. 476. *Ex historia Cameracensi* (436). Hoc anno (1064) Liebertus, episcopus Cameracensis, fundavit ecclesiam sancti Sepulchri Cameracensis, et eam dotavit et dedicavit, et monachos apposuit.

Tom. XI, p. 158. *Ex historia Cameracensi.* Modicum ante tempora ista (1080), Hugo dominus d'Oisi cepit episcopum Cameracensem Lietbertum proditorie de nocte in lecto suo, postquam fessus dedicaverat quamdam ecclesiam et magnum populum confirmaverat, et interfecit camerarium episcopi et multos nobiles qui erant cum episcopo volentes eum adjuvare. Dictus autem Hugo cepit dictum episcopum nudum [314] in lecto, et incarceravit eum in castro suo d'Oisi. Richildis autem comitissa Montensis, audiens quod ejus pater spiritualis sic tractatus fuerat, congregavit aciem magnam in Hannonia, et mandavit filio suo Arnoldo, tunc comiti Flandriarum, quatenus ad ipsam accederet cum decenti comitiva. Quæ post paucos dies una cum Arnoldo proprio filio Cameracisium per Duacum subintrantes, totam terram Hugonis devastantes, Hugone fugiente, castrum d'Oisi ceperunt, et, cunctis interfectis, dominum Lietbertum episcopum vinculatum repererunt, quem cum honore permaximo ad civitatem Cameracensem reduxerunt, et in propria sede reposuerunt cum magnificentia (437). Pares Cameracisii cum civitate considerantes victoriam, honorem et commodum a comitissa Montensi et ejus filio Arnulpho (*sic*) eis impensa, tractare cœperunt comitissæ de satisfactione pecuniaria et expensis persolvendis; sed comitissa respondisse fertur sola benedictione episcopi contentari; et (438) superaddidit ecclesiæ beatæ Virginis et episcopo terras, possessiones et jocalia quam plurima: tandem reversa est ad propria in suo castro Montensi.

4. *(Cap. 64. 1051.)* Vocatis [315] itaque Cameracensis æcclesiæ legatis, tam clericis quam laicis, suæ voluntatis sententiam eis aperuit, Lietbertum videlicet prepositum se preficere velle episcopum æcclesiæ Cameracensi, quem ad regendam æcclesiam illam

VARIÆ LECTIONES

[314] nondum *ed.* [315] advocatis 7.

NOTÆ.

(426) Corbeil.

(427) Colmieu.

(428) Mirepoix.

(429) *Balonia.* Mss. de S. Germain; Gui d'Auvergne. FORTIA.

(430) Pierre de Genève? FORTIA.

(431) Cf. Rod. c. 46.

(432) Rod. c. 13: — *donavit civitatem Cameracum cum suis appenditiis omnibus domno Lietberto imperator Romanorum Henricus secundus.*

(433) Cf. Gesta Lietberti infra p. 492.

(434) Cf. Chr. S. Andreæ Cam. et Rod. c. 19, 20.

(435) Cf. Chron. S. Andreæ; Rod. c. 41.

(436) Cf. Gesta ep. Camerac., col. 191, A. Rod. c. 47-49. anno 1064. Reliqui annorum numeri in fontibus desiderantur.

(437) Brevius in Gestis episc. Camerac., col. 190 in Rod. c. 56.

(438) Cf. Gesta ep. Camerac. col. 190 et Rod. c. 56.

utilem esse credebat, suæque commodum fidelitati. His auditis omnes assensi sunt, præter unum archidiaconum, Cuonem [316] nomine, qui mox convictus est contradixisse invidia potius, quam ulla alia ratione (*Mart.* 31). Sicque annuente isto cum aliis omnibus, donavit episcopatum Cameracensem domno Lietberto imperator Romanorum Henricus secundus. Videres igitur omne palatium gaudio repletum esse et exultatione, et incipientem ipsum etiam imperatorem *Te Deum laudamus*, prosequi episcopum cum clero et populo usque in æcclesiam, cum hujus ymni jubilatione. Magnificatus est pontifex a rege et principibus ejus in magna gloria, et receptus est a suis cum gratiarum actione et letitia magna. Pontifex, facta fidelitate imperatori, et omnibus competentibus adimpletis, satagebat ad civitatem suam reverti (439).

5. Sane Johannes ille, qui ei infensus Cameraci remanserat, audivit præcurrente fama, quod factum fuerat, quia domnus Lietbertus accepto episcopatu lætus remeabat. Hac pro causa valde irascitur, secumque diu reputat, quid facto opus sit [317]. Postea satellites in unum convocat, eisque secretum animi sui insinuat, dicens, se Lietberto nuper episcopo facto nullum introitum civitatis Cameracæ indulgere, nisi se castellanum prius ipsius civitatis voluerit facere. Precepit igitur omnibus illis, paratos esse semper in armis, ad repellendum episcopum illum, nisi sibi [318] hoc in dono satisfecerit. Dein matrem æcclesiam sanctæ Mariæ violenter invasit, et ejectis canonicis, thesauros æcclesiæ et quodcumque intus invenit, ditioni suæ mancipavit, custodesque suos armatos inibi posuit. Basilicam itaque pontificalem cum militibus suis introiit, et uxorem suam in camera pontificis introducens, stratum suum in lecto pontificali parari fecit, sibique et satellitibus suis de pontificalibus sumptibus precepit ministrari (440).

6. (*cap.* 65.) Interea dum hæc agerentur, novus civitati appropinquat episcopus. Cui Johannes cum parato occurrens exercitu, portas clausit, et longe reppulit [319] ab introitu. Episcopus itaque ad novum Castellum sanctæ Mariæ divertens, cum honore et lætitia recipitur a suis.

7. Ibique aliquandiu mansit, donec Flandrensium comes Balduinus a rege Francorum revertens et per ipsum Castellum transitum habens, eum ibi invenit [320], et de episcopio ejus lætus effectus, usque ad civitatem Cameracensem eum secum deduxit. Comes

A vero dum ad civitatem propinquaret, mandavit Johanni, ut ipse et sui a civitate exirent, et liberum introitum episcopo venienti permitterent. Johannes autem quia contradicere ausus non erat, adimplevit comitis domini sui mandatum per omnia, sicut jussus fuerat. Intravit igitur episcopus civitatem suam duce comite cum magna gloria, et expulsus est adversarius ejus Johannes cum magna ignominia.

8. (*Cap.* 66.) Pontifex vero ejecto Johanne precavens in futurum, et timens, ne vel ille Johannes vel quilibet tirannus huic similis in castellaturam illam aut vi aut ingenio intraret, et postea justus heres

B eam repetens inde turbas faceret, ultro Hugonem Gualteri castellani defuncti nepotem, eo quod legitimus heres erat, ascivit, eique castellaturam illam concessit. Et quia iste Hugo adhuc puer erat, sed propinquum quendam Ansellum (441) nomine, moribus et armis egregium, habebat, hujus custodiæ puerum cum bono ejus (442) commisit; quem Ansellus ille usque ad præfinitum tempus optime et fideliter rexit.

9. Johannes igitur, castellatura quam injuste usurpaverat privatus, nec quicquam mali adversus

C episcopum proinde presumens facere — prohibitus enim erat a comite — ipsum comitem Balduinum, cujus ligius (443) miles erat, dereliquit, et ad imperatorem Romanorum Henricum se contulit, quem sciebat tunc temporis inimicum esse Flandrensi comiti. Hujus quidem miles effectus, sciens quia imperator secundam profectionem in Flandriam adversus Balduinum [321] pararet, promisit ei, quod exercitum suum illuc deduceret, si a Lietberto, cui noviter episcopatum dederat, castellaturam Cameracensis civitatis dari sibi fecisset.

10. (*Cap.* 67.) His auditis imperator, quia in ter-

D ram comitis depopulaturus venire desiderat [322], lætus efficitur, estimans se facile impetraturum ab episcopo, quod a Johanne postulabatur. Denique nec multum temporis interfuit, cum imperator, parato exercitu et Johanne ductore constituto, ex pacto et petitione ejus, ut in Flandrensem patriam [323] deveniret, iter aggreditur (*an.* 1054). Pertransiens igitur omnia interjacentia sui regni loca, pervenit ad Maen (444), vicum quendam super Scaldum fluvium, non longius quam duobus milibus a Valentianis, ubi pontes volebat facere, et sic in terram Balduini, quæ [324] presens transito flumine occurrebat, intrare. Sed Balduinus comes alteram partem ripæ cum suo exercitu jam preoccupaverat, per quam imperator

VARIÆ LECTIONES

[316] *ita* 2. 7. *Vita Lietb.* Chunomen 2*. [317] *ita* 7. *Vita Lietb.;* opus sit factu 2. 2*. [318] *deest* 7. [319] *ita* 7. *Vita Lietb.* repellit 2. 2*. [320] invenerit 2. 2*. [321] comitem *addit* 7. [322] desiderabat 7. [323] provintiam 7. [334] quem 2.

NOTÆ.

(439) Hæc omnia Coloniæ acta fuisse in die paschæ narrat Rodulfus in Vita sancti Lietberti.

(440) idem supra I. 101. narratur de Karolo duce.

(441) De Ribodimonte.

(442) *Son bien*, i. q. possessiones.

(443) Ledigman.

(444) Maing. LE GLAY.

in terram ejus transire parabat. Sedentibus itaque A imperatore et comite e diverso, neque altero alteri nocere valentibus propter altitudinem intercurrentis fluvii, pars quædam ab imperatorio exercitu clanculum segregata, per Cameracum civitatem adversus imperatorem sedentem imparatum [325] offendere, et sic ex improviso superare. Quod quidem fectum fuisset, nisi ad ultimum per legatum monitus comes cum suis fugeret, et custodiam littoris vacuam derelinqueret [326].

11. (*Cap.* 68.) Hoc viso imperator Scaldum fluvium, paratis pontibus, transiit, et terram Balduini [327] hosti (445) suæ devastandam distribuit; sicque depopulando eam præda et igni, usque ad Debullientem rivum (446) cum exercitu suo pervenit. Quo in loco præfatus Johannes, acceptis secum B satellitibus suis coram imperatore veniens, rogavit eum, ut castellaturam Cameracensem sibi donari fecisset secundum promissum suum, si vellet amplius a se et a suis habere conductum.

12 (*Cap.* 69.) Igitur imperator vocavit ad se Lietbertum episcopum — presens enim erat, — et postulare cepit, ut Johanni castellaturam donaret Cameracæ civitatis. Hiis auditis, episcopus usque ad animam conturbatur, cum jam eam justo heredi donasset, et sevissimus tirannus injuste eam repeteret. Respondit tandem, se non posse facere quod imperator imperabat, quia Hugoni legitimo heredi [328] secundum legem patriæ jam eam donaverat. Imperator propter instantem necessitatem volebat petitioni Johannis satisfacere; episcopo au- C tem videbatur, quod fecerat, nullo modo se posse dissolvere. Imperatori quod petebat leve videbatur et modicum; episcopo quod petebatur grave et mortiferum. Si enim infandum hominem contra jus aliena petentem in civitatem suam reciperet, neque intus pacem præ tirannide ejus haberet, neque foris exheredatum et parentes ejus sustinere posset. Humiliatus igitur et conturbatus episcopus usquequaque, vivificationem petebat a divina miseratione, volens donum suum legitime perfectum inviolabiliter permanere. Sentiens igitur imperator, se blanditiis impetrare non posse quod petebat, cœpit abuti violentia, precipiens episcopum a militibus rapi, et extra potestatem (447) ejus positum in D custodia reservari. Tandem episcopus cœpiscoporum et amicorum [329] liberrimis consiliis correptus sciensque, quod secundum apostolum regi debeat esse subjectus (*Rom.* XIII, 1), annuit imperatori de Johanne quod petebat, sicque in suam potestatem rediit, liberatus ab omni custodia.

13. (*Cap.* 70.) Quo facto, accinxit se rursum Johannes ad deducendi negotium, si fieri posset aliquo pacto, per clausulam illam ducere imperatoris exercitum. Laboranti igitur homini et quærenti id ipsum perficere, portæ clausulæ illius apertæ sunt de media nocte; sicque clausulam illam introivit imperator, facta inimicorum suorum resistere volentium non minima cæde. Pertransiens autem clausulam illam, et interfectis a dextris et a sinistris occursantibus sibi, ad Islense castellum (448) pervenit, ubi Lantbertus comes Lensensis cum multis ei occurrens, interfectus occubuit. Ab eo quidem castello divertit ad Tornacum civitatem, ubi in quodam municipio inclusit non parvam militum electorum fugientem multitudinem, quos obsidione et ad ultimum fame oppressos conpulit ad deditionem. Illis igitur acceptis et per ergastula militum suorum in custodia reclusis, imperator cum gloria ad civitates regni sui rediit. Sed nos a proposito deviavimus, dum opera imperatoris prosequentes, aliquantisper a gestis domni Lietberti pontificis siluimus. Remittamus igitur bella imperatoris et magnifica facta edituis (449) ejus, et nos ad gesta pontificis quæ restant redeamus.

14 (*Cap.* 71.) Recedente imperatore in regni sui patriam, recessit quoque domnus Lietbertus episcopus Cameracum in civitatem suam. Qui Hugonem puerum, quem castellanum fecerat, non a se reppulit, sed non minori cura quam ipse Ansellus, constitutus custos ejus et tutor, fovet eum et enutrit, ducens in irritum donum illud castellaturæ, quod per violentiam imperatoris donare coactus est Johanni. Hoc autem factum imperator pie pertulit, nullaque injuria proinde episcopum affecit; quin potius donum illud, quod ab illo Johanni factum fuerat, suis muneribus alioque beneficio restauravit, pacisque concordiam inter episcopum et ipsum reconciliavit. Sciebat enim factum fuisse nutu consilii sui, quod episcopus ipsi Hugoni primum castellaturam donaverat.

15. Episcopus igitur letificatus adepta imperatoris gratia et de superata Johannis quæstione injusta, civitatem suam Cameracum exaltare omnimodis satagebat. Cives itaque, qui diutinæ seditionis oppressione paupertati redacti fuerant, pacis dulcedine vivificati quasi de sepulchro mortis resurgebant. Præ labore enim et studio pontificis, in civitate Cameracensi et circumquaque in omnibus appenditiis misericordia et veritas sibi obviabant, justitia et pax oscula libabant (*Psal.* LXXXIV, 11). Aperta et reserata sunt omnia, nec fur inventus neque rapax

VARIÆ LECTIONES.

[325] ininparatum 2. [326] dereliquisset 7. [327] comitis 7. [328] I a lh. *deest* 7. [329] suorum *addit* 7.

NOTÆ.

(445) I. e. exercitui.

(446) Le Boulenrieu, prope Evin, arrond. de Béthune. Le GLAY.

(447) I. e. terram suæ ditionis.

(448) Lille, cui originem dedit Balduinus a. 1066, fundata ecclesia Sancti Petri.

(449) Ostiariis.

A neque injurians quisquam[330], qui aliqui dampna inferat. Clerici in æcclesiis opulentia referti, laudes Deo referebant; laici cum omni pace officia sua exercebant; beatum dixerunt populum cui hæc sunt, immo beatiorem episcopum, per quem tanta pacis gaudia pullularunt.

16. (*Cap.* 72.) Interea Hugo castellatura donatus ætate proficiebat, tempusque proximum instabat, quo Ansellus regimine ejus carere et ipse bonum suum (450) recipere debebat. Porro Ansello videbatur, quia ad regendam [331] castellaturam juvenis ille nondum esset idoneus; ideoque protelare volebat custodiæ suæ officium, si sibi permitteret episcopus. Sed quamvis pontifex de imperfectione Hugonis id ipsum sentiret cum Ansello, nolebat tamen ipsum fraudari a prefiniti temporis spatio, putans juvenem B per disciplinam suam ad veritatis viam posse revocari, si cæcitatis suæ ignorantia a recto deviaverit. Sic Ansellus nullatenus impetrare valuit prece vel precio, quin Hugo castellaturam suam non reciperet in die suo. Adepto itaque Hugo honoris sui gubernaculo, continuo palam fecit omnibus, quod claudebat in animo. Antea enim quomodo cum cognosceres, cum prohiberent simul ætas, metus et magister? Modo vero suæ potestatis compos, totius magisterii et disciplinæ contemptor, fasque nefasque confundens, post pravitates cordis sui et illicitas voluptates graditur sine respectu aliquo. Potestne respectum justitiæ tenere, qui in civitate domini sui et in foro ejus lignarium (451) per angariam (452) colli- C git [332]; cum id unquam antecessor ejus non fecerit, et contradictio reclamet et prohibeat domini sui? Factum est autem hoc lignarium a Hugone castellano in civitate Cameracensi, et positum est in inclastro [333] (453) sancti Autberti ad contradictionem Lietberti pontificis; et hæc fuit prima causa de injuriarum ejus primitiis.

17. Secunda injuria talis exstitit, quod Ermenaldo villico et cubiculario episcopi decem vaccas abstulit et in civitate sua, se præsente, adduxit et comedit ipsumque Ermenaldum ad ultimum comprehensum alligavit catenis. Quod cum episcopo nuntiatum esset, valde indoluit, venitque ad domum castellani, volens scire, quare cubicularium suum teneret in vinculis. Ille vero mox ut advertit domum intrasse D dominum suum, fuga lapsus est per alterum domus ostium. Vociferante igitur episcopo et adjurante in sacramenti nomine, ne abiret, sed stans de Ermenaldo quem ceperat [334] rationem redderet: stare noluit, sed ascenso equo aufugit. Hoc viso, episcopus Ermenaldum vinculis mancipatum repperiens, fecit absolvi, et secum quasi ab orco subtractum lætum reduxit.

18. Postea vero Hugo infecta pace domum rediit, et ab incepta perversitate non cessans, prioribus malis pejora superaddidit. Cives namque meliores et ditiores contumelia et injuriis afficiebat, alios indempnatos et injudicatos in cippo (454) vilissimo concludens, et inter dedecora plurima barbam illiis evellens. Evremarum namque, de ditioribus civibus unum, inhonestetraxit ad cippum publicum; Geraldum quoque, inter mercatores intus et foris satis cognitum, corpore quidem et ætate provectum, tirannis etiam reverendum. Pro hiis et aliis hujusmodi sæpe correptus ab episcopo, et emendari nolens, sed in pejus corruens, excommunicatus est ab eo. At ille et hoc etiam contempsit, nullamque misericordiam quærens vel meliorationem promittens, ad comitem Sancti Quintini abiit, ibique aliquandiu versatus, quicquid mali potuit, adversus episcopum et æcclesiam ejus fecit.

19. (*Cap.* 73.) Post paucos autem dies in Cameracensi pago non longius a civitate quam decem milibus, apud quendam locum Porrivallem dictum, municipium firmavit, in quod introiens cum satellitibus suis, res vicinas devastabat episcopii, transeuntes diripiens, circumquaque manentes afficiens rapinis. Hoc autem episcopus diu ferre non potuit, sed collectos equites et pedites ad municipium illud direxit. Municipium vero illud assultu [335] opprimitur, et coangustatum et igne succensum ad terram prosternitur; sicque locus ille a satellitibus et a latrunculis emundatur. Hugo igitur ille destructo municipio ad aliud divertit, cui Inceium (455) antiquitas nomen imposuit, paredasque et mala plurima in episcopum repetivit. Quod etiam episcopus moleste accepit, copiosamque armatorum multitudinem ad locum illum deduxit; fuissetque continuo municipium illud solotenus subversum, nisi Rotbertus de Perrona cum suis dolo obstitisset, qui venerat in pontificis auxilium. His ita incassum decursis, Cameracenses infecto negotio ad civitatem suam sunt reversi

20 (*Cap.* 74.) Interea Hugo ille quandam juvenculam, Adam nomine, neptem videlicet Richeldis Montensis comitissæ, cepit amare, eamque in conjugium sibi velle cupide copulare. Sed quia excommunicatus quomodo quaque ratione id perficeret, nesciebat. Incendio siquidem carnalis amoris devictus, ad Richeldem comitissam progreditur, obnixe obsecrans

VARIÆ LECTIONES

[330] quisque 7. quilibet *Vita Lieth.* [331] regendum 7. [332] collegit 7. [333] est in claustro 7. [334] acceperat 2. 2*. [335] *ita* 7. *Vita Lieth.* saltu 2.

NOTÆ.

(450) *Son bien.*
(451) *Magasin de bois.*
(452) I. e. violentam exactionem, de lignis quæ ad comburendum in civitatem advehebantur. COLV.
(453) *Enclos,* i. q. *enceinte.*
(454) *Le cep,* ferrum quo captivorum pedes includuntur; tum pro carcere ipso. LE GLAY.
(455) Inchi-en-Artois, canton de Marquion. LE GLAY.

eam, ut sibi in matrimonium conjungeret Adam neptem suam. At illa precibus ejus devicta, ad ultimum annuit quod petebat, si prius absolutus esset anathemate, quo ab episcopo Cameracensi vinctus erat. Quid faceret? Absolutionem non curabat magnopere; quærit tamen eam ab episcopo per internuntios, desiderio ardens concupitæ puellæ. Porro episcopus fatigatus multimodis injuriis ejus, absolvere eum nolebat, nisi prius dimissionem manu propria—quod et vulgo werpire dicitur—faceret ex omni beneficio, quod infra ambitum Cameracæ civitatis habebat. Hugo vero ad ultimum ambitione juvenculæ inflammatus, fecit episcopo secundum optionem ejus: werpivit palam omnibus, præsente episcopo suisque militibus, præsente comitissa Richelde suisque principibus, quicquid habebat beneficii infra civitatem ipsam Cameraci; sicque absolutus, fidelitatem episcopo fecit de reliquis castellaturæ bonis, et inde obsides dedit.

21. Hæc autem fidelitas non diu est ab ipso Hugone observata, quia in natali [336] sancti Andreæ jurejurando promissam, infregit eam 2. feria post palmas. In hac enim feria majoris ebdomadæ (456), Atrewasiam (457) silvam penetrat, et omnia quæ ibi repperit jumenta Cameracensium, ablata injuste abduxit secum. Qui cum sæpius moneretur ab episcopo in fidelitate jurata, ut ea redderet, noluit, sed et in ipso absolutionis die, qui est ante parasceven, diffidentiam (458) domino suo mandavit. (*Cap.* 75) Postea Cameracum derelinquens, divertit ad Oiseium (459), malumque [337] quod potuit sicut primitus facere instituit adversum [338] episcopum. Mandavit igitur episcopus ei non semel sed plus vice tertia, ut ante conspectum ejus veniens, præsentibus comparibus suis in rectum (460) staret de injustitia sua. Ipse vero crebro sub nomine terræ suæ et in [339] fidelitate quam juraverat commonitus, ad ultimum ante conspectum domini sui presentibus comparibus suis venit; sed de quibuscumque interpellatus est rectum facere nolens, injustior quam venisset, recessit. Unde compares ejus et alii quamplurimi nobiles, qui communi utriusque causa huic placito interfuere, Hugonem reum vocantes, terram quam de episcopo tenebat, ei adjudicavere.

22. Hugo autem ad municipium, quod apud Oiseium sibi paraverat, abjudicata terra sua rediit, et malum adversus episcopum facere non cessavit. Episcopus tamen patienter ferens hæc omnia, abjecto timore parrochiam suam circuibat, æcclesias

A quæ consecrandæ erant benedicens, et cetera ministerii sui opera perficiens. Accidit autem, ut cum hujus laboris exercitio ad quandam villam Buricellum nomine deveniret, æcclesiamque villæ ejus consecrandam benediceret, et post consecrationem in confirmandis etiam hominibus [340] fatigatus, ibidem pernoctaret. Prefatum vero Hugonem sermo hujus rei non latuit; qui acceptis secum complicibus suis ad domum illam pervenit, in qua jam lecto receptus episcopus lassata membra commendabat quieti. Fractis [341] domus hujus ostiis, et quibusdam resistentibus interfectis, pervenit ad cameram, in qua [342]
B pontifex cubitabat cum Wiboldo preposito suo et capellanis suis. Sentiens Wiboldus dolos et violentiam hujusmodi, ostio cameræ quasi pro obice sese opposuit; sed unus pluribus resistere non valens, fracto ostio ab ipso Hugone interemptus occubuit. Denique episcopum, sicut in lecto jacebat, cum camisia tantum ille insanus homicida non timuit accipere, et ad Oiseium municipium suum ita nudum asportare, clausumque in custodia retinere.

23. (*Cap.* 76.) Hac igitur fama Arnulfus comes Flandrensis, et mater ejus Richeldis excitati, sum-
C ptis militibus suis continuo ambo ad Oiseium venere, et requirentes episcopum in sapientia et fortitudine, sine mora inventum reduxerunt eum Cameracum cum grandi gloria et honore, donantes insuper muneribus æcclesiam sanctæ Mariæ aliaque monasteria civitatis Cameracæ. His itaque digne et laudabiliter perfectis, Flandrensium comes cum matre sua in patria sua lætus rediit. Episcopus igitur perfecto odio [343] in Hugonem incitatus, eum insequi non cessavit, quoadusque destructo Oiseii municipio, eum procul pelleret a Cameracensium finibus. Expulsus taliter a Cameracensi patria, de omni cla-
D more siluit adversus episcopum in omni ipsius episcopi vita; terra [344] quoque requievit a facie malignitatis ejus.

24. (*Cap.* 77.) Interea episcopus superveniente senio cœpit corpore languescere [345], sed de æterna vita sollicitus, in animo convalescere; hereditatemque [346] preclaram, quam ab antecessoribus possidebat ad mundi hujus gloriam, transferre studuit ad nanciscendam æternæ vitæ letitiam. Tantum enim de hereditatibus, et sui juris reditibus ad æcclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ Cameracensis æcclesiæ per cartarum instrumenta contulit, ut inde refectionem cibi et potus habeant canonici per omnes dominicas totius anni; ita tamen, ut in omnibus

VARIÆ LECTIONES.

[336] natale 7. [337] malum 7. [338] adversus 7. [339] *deest* 7. [340] populis 7. in chrismandis turbis *V. Leitb.* [341] autem addit 7. [342] c. ubi p. 2. 2*. [343] i. toto animo 7. totis animi viribus V *Leitb.* [344] t. q. r. a. f. m. e. *desunt.* 7. terra — hereditatemque præclaram *desunt* 2* [345] lassescere 7. [346] hereditatem 7.

NOTÆ

(456) I. e. Char-Woche.

(457) La forêt d'Arouaise commençait vers le château d'Encre, et s'étendait jusqu'aux sources de la Sambre. Le Glay.

(458) Défi, herausforderung.

(459) Oisy, prope Arras.

(460) Zurechte.

secundis feriis a congregatione generaliter missa celebretur pro anima ejus et pro cunctis fidelibus defunctis. Et quia de caritate erga æcclesiam sanctæ Mariæ et canonicos ejus illata disserui, non reticebo penitus, qualem se aliis civitatis monasteriis exhibuerit. Monasterium sancti Sepulchri ab ipso fundo ædificavit (461), et posito inibi abbate [347] cum monachis, locum illum possesionibus et commodis rebus decenter, sicut presens tempus probat, ditavit. In æcclesia vero sancti Autberti regulares canonicos cum abbate constituit [348] (462); altaria valde bona et possessiones preclaras superaddidit; canonicis ejectis, qui ibidem negligenter deserviebant prebendas magnifice de suo proprio restauravit; Erleboldum, qui æcclesiam sanctæ Crucis ædificavit, et rebus et consilio multum juvit, et in eligendis et ponendis canonicis numerum et electionem adhibuit. Ecclesiam sancti Vedasti, quam fecit idem Erleboldus, fecit consilio et auxilio ejus. Monasterium sancti patris nostri Gaygerici non pretermittam, cui dedit in Athene hujus [349] civitatis decimam, et cum rebus aliis valde bonis ad pedem montis ejusdem sancti Gaugerici cambam unam. Clericos vero A et laicos suos ita diligebat, sicut gallina, quæ congregans pullos suos fovet eos sub alas suas. Nulli igitur de civibus suis nocuit, cum omnibus prodesse studuerit. Civitatem itaque, quam episcopus factus pro werrarum seditione desertam invenit, populosam et oppulentam moriens dereliquit. Novum vero castrum sanctæ Mariæ et abbatiam sancti Andreæ apostoli et cenobium sancti Humberti de Maricolis in melius semper exaltare non cessavit. Preterea congregationi sanctæ Mariæ Atrebatensi ecclesiam de Belreim tradidit. Et in monasterio sancti Vindiciani apud montem sancti Eligii sito canonicos B regulares constituit, et ejectis inde canonicis illis, qui antea ibi negligenter deserviebant, multa de suis bonis superaddidit. Tandem inter hujusmodi bonorum operum exercitia decidit in infirmitatem, quam per tres fere annos cum multa patientia sustinens, in vigilia sancti Johannis Baptistæ plenus dierum obiit mortem (463). Sepultus est autem in multa gloria, cum dolore tamen filiorum, in sancti Sepulchri æcclesia, quam ipse edificaverat et abbate et monachis decenter adornaverat.

GESTA GERARDI II EPISCOPI [350]

1. Sub tempore quo secundus (464) Henricus Romanum tenebat imperium, succesit secundus Gerardus ad Cameracensem episcopatum post avunculum suum Lietbertum, habita cleri et populi Cameracensis omnium electione, cum assensu et dono regalis potentiæ. Qui mox sacratus a Hugone Diensi, precepto Hildebrandi tunc apostolici, apud Augustidunum, regrediens honorifice susceptus est a commisso sibi populo Cameracensium. Cum autem in suo introitu suscepti officii jura voluit exercere, et sibi commissis debitam dilectionem conferre, et pacem de inimicis aquirere, imprimis Hugonem castellanum, quem usque in finem suus predecessor Lietbertus sibi passus est inimicum, per comitem C senem Robertum et per principes Flandriarum preparavit sibi hominem (465) et amicum, tam per fidem quam per sacramentum. Retinuit tamen episcopus in suis manibus redditus castellani, quæ continebantur infra urbem Cameraci. Ex illa vero concordia terræ quæ incultæ erant, negocian-

VARIÆ LECTIONES.

[347] *ita* 7. posuit i. abbatem 2. 2*. [348] *Hic desiit* 2. *ultimo folio deficiente.* 2. *ita desinit:* constituit. Abbatia valde. Interea episcopo superveniente senio cæpit corpore lacescere. Vita solicitus in animo convalescere hereditatem. Hic finitur liber Atrebatensis ecclesiæ S. Mariæ. 1482. *Sequentia igitur unus nobis servavit* 7. *quocum conferenda est Vita Lietberti c* 57. [349] *ita correxi;* d. mathene 7. [350] *titulum capitumque distinctionem supplevimus; non erat in* 7. 7*; *e quibus hæc Gesta damus.*

NOTÆ

(461) *Consecravit* 25. *Oct.* 1064. Vita Lietb. c. 49. Chartam fundationis habet Miræus Opp. dipl. I. 155.

(462) *Quarta Maii MLXVI* inserit Vita Lietberti. Chartam dedit Miræus Opp. dipl I, 157.

(463) *Anno* 1076 secundum Auctarium Aquicinense ad Sigebertum; 9 *Kal. Jul.* 1076 secundum Ann. Laubienses et Necrologium S. Sepulchri Cameracensis s. XII; *tradidit spiritum* 26° *ordinationis suæ anno . . . et . . .* 10 *Kal. Julii decedente sole migravit ad Christum. . . . Ante quinquenium quam vita decederet, effodi sepulchrum sibi fecit, quod certis diebus revisens, et primo quidem desuper incumbens, lacrimis et gemitibus fossam perfundebat; deinde pane vel carne vel aliis cibariis implebat, quæ pauperibus erogari mox faciebat. Sepultus est autem cum gloria et honore pontificali anno pontificatus sui* 26° 9. *Kal. Julii, domi-* D *nicæ incarnationis a* 1076. Vita Lietberti. Necrologium S. Mariæ Cameracensis s. XII inc. 9. *Kal. Jul. obiit Lietbertus sanctæ memoriæ et religionis episcopus. Qui altare de Andreleth cum appenditiis suis, et tertiam partem in Lietscinis, et dimidiam villam Ogeii, sicut in carta sua scribitur, ad usus nostros libere et legitime tradidit; et in Cameraco decimam monetæ et materam quam injuste perdideramus, redidit; et in vico de Pasquerthrau cambam unam, et in Bolengria furnum unum, et in foro gavalum unum nobis de proprio comparavit: et legitime cum his multa alia nobis et æcclesiæ nostræ, sicut bonus pastor, confirmavit, et ne quis infringeret, excomunicavit.* Notula historica s. XII, quam dedi in Annalibus nostris VIII, 428, aperte mendosa est.

(464) Imperator rex tertius.

(465) Vasallum.

tur (466); rerum abundantia citius reformatur, quod isopia retrohabita tota obliviscitur.

2. In plenitudine ergo pacis et gaudii clero et populo intus et foris posito, decrevit episcopus imperatorem adire, de quo ipse honorem receperat sanctæ Cameracensis ecclesiæ. Sed non loge adhuc multum recesserat, cum cives Cameraci male consulti conspirationem multo tempore susurratam et diu desideratam juraverunt communiam. Adeo sunt inter se sacramento conjuncti, quod nisi factam concederet conjurationem, denegarent universi introitum Cameraci reversuro pontifici. Quod et factum est. Episcopus enim adhuc per Lobias transiturus, a suis fidelibus audivit, quod fecerat iniquitatis populus; statimque revertens atque suos B homines adversus tot cives videns numero esse impares et virtute inferiores, accepit secum amicum suum, scilicet Balduinum Montensem comitem, ad arcendam civium superbiam et ad delendam eorum profanam communiam. Cui non sine militia comitis Cameracum intrare volenti, populus conspiratus contradixit ingredi. Veruntamen episcopus stultitiæ plebis suæ malens misereri quam ulcisci, optulit illis fidem facere, quod in curia sua tractaret aliquando de facta contra eum conspiratione. Data itaque fidutia, cives domum leti reversi sunt, quasi sedata et oblita eorum injuria. Sed suis fortasse peccatis exigentibus, inscio presule, sublato rei auctore, a militibus pecuniam civium superborum rapere desi- C derantibus in suis domibus subito invaduntur, et ut quisquis obvius fuit inimico inimicus, aut vulneratur aut interficitur. Sic casu repentino cives attoniti, in æcclesiam sancti Gaugerici confugiunt universi, sed ad ultimum devicti, ultro in captione deliberantur episcopi. Expoliatur itaqne civitas, cives amittunt pecunias, ultionem patitur iniquitas, destituitur tota conjuratio, facta iterum fidelitas juratur episcopo.

3. Post hanc exterminatam communiam, mox machinata est quedam iniquitas adversus pontificem, quæ per Dei providentiam non habuit radicem nec venit ad perfectionem. Quidam civis venerabilis, nomine Wibertus et mercator per multas ter- D ras cognitus, in prefata communia quendam fratrem suum Fulbertum, concivem et commercatorem prudentissimum, inter occisos interfectum perdiderat. Unde iram continuam et mortale odium super episcopum occulte ferebat. Quapropter pactionem habuit cum inimicis episcopi, quod eis traderet civitatem Cameraci. Sed quomodo accidit de cogitata proditione, non solum presentibus, sed etiam posteris volo significare. Idem enim Wibertus illam fieri dispositam confessus est episcopo proditionem, ab eo quippe non machinatam, sed per eum fieri ab inimicis episcopi sibi latenter quesitam. Quos quia noluit nominare pontifici, judicatum est illum tandiu debere plecti, donec proditores illos cogatur A confiteri. Ergo Wibertus ille per judicium ad stipitem ligatur, duabus virgis crudeliter flagellatur, et tamen nichil amplius confitetur. Quare servientes episcopi ipsum nudum ligatis manibus post tergum per mediam civitatem sicut proditorem, extra muros duxerunt, linguam abscidentes oculos eruerunt; novissime interfectum sui parentes pudibundi et dolentes secus viam publicam sepelierunt. In homicidio itaque, quod fit pro virtute tenenda justiciæ, testatur Augustinus episcopum non peccasse; ait enim: *Occidere hominem non semper est criminosum, sed malitia et non legibus occidere est criminosum.*

4. Sedata igitur predicta civium conjuratione, brevi adhuc preterito tempore, a prelibato Hugone castellano renovata est malitia de castellania, quam infra Cameracum retinuerat episcopus in manu sua. Bona nanque episcopi apud Atrebatum tam circa quam infra, et apud Mariolum et ubicunque potuit, omnia dissipavit; bona etiam æcclesiarum Cameracensium ubique depopulata combussit et consumpsit. Extensa igitur per annos plurimos castellani persecutio et terrarum continua vastatio indesinenter compellit rusticos villas dimittere, rebusque ablatis vagos et exules per aliena mendicare. Cujus malum intolerabile sapiens episcopus non valens tolerare, secundo Roberto Flandriarum comiti marcas argenti ducentas tribuit, propter miseriam inopum et gemitum pauperum, ut illum Hugonem a castellania omnino exhereditaret, et a finibus Cameracensium, immo Flandriarum, procul expelleret. Quid dicam ultra? factum est ita; fugatum Hugonem recepit Anglia. Ibi exilium, ibi paupertatem, ibi multa sustinuit contraria. Nunquam sibi ad patriam revertendi occurrit animus, quandiu vir providus domnus Gerardus vixit episcopus.

5. Dum vero videret episcopus in futuro providentissimus, quod terræ suæ de inimico Hugone pacem concesserat Deus, in tempore pacis laboravit fieri, ut si aliquando vel ille Hugo vel alii contra se exurgerent inimici, saltem in urbe tam ipse quam sui contra hostes existerent fortes et securi. Ecce bona provisio, ecce paterna sollicitudo, ecce opus optimum civibus et rusticis valde necessarium, scilicet preparare et fideliter operari, ut domus suæ corpora et substantiæ ab impugnatione hostili infra urbem possint defendi. Unde eisdem civibus auxiliantibus, totam in circuitu civitatem, vallo ligneo prius compositam, ipse episcopus munivit muro lapideo fortius, fossatis relevatis et plurimis inter murum coedificatis turribus. Castellum etiam infra civitatem, in quo erant et æcclesia beatæ genitricis Dei et cenobium sancti Autberti, muro excelso firmavit, fossato relevato alto et terribili.

6, Intento igitur in bonis actibus episcopo, gratia Dei facti sunt conversi milites duo id tempore illo, Walterus vero unus dicitur, et alter Sicherus,

NOTÆ.

(466) *Cultiver*, versio Gallica.

ambo ingenui, bonis ornati moribus, ambo repleti fervore divini spiritus. Ardentes ergo per Spiritum sanctum, seque contitentes habere unam voluntatem et unum animum, confidenter mandaverunt ipsum episcopum venire illis apud Duacum. Volebant enim ejus consilio locum eligere, ubi Deo possent servire. In suo itaque alodio qui Aquiscinctus dicitur, in loco quidem horroris et vastæ solitudinis, quandam edificaverunt, æcclesiam assensu et consideratione ejusdem pontificis, immo auxilio, de suis rebus propriis. Ab initio enim usque in finem fuit illis militibus in cunctis edificationibus æcclesiæ coedificator episcopus. Tandem parata ecclesia, et his quæ ad cultum æcclesiasticum pertinent decenter compositis, et ibidem deputatis abbate et monachis, consecravit eam presul venerabilis in die scilicet sancti Dyonisii martyris (*an.* 1079), sub nomino et honore sancti Salvatoris Dei omnipotentis. Tunc predicti milites Walterus et Sicherus tradiderunt ad usus monachorum inibi Deo famulantium alodia sua, terras suas, servos et ancillas et quicquid possidebant in terra. Tradidit quoque ibidem Ansellus de Ribodimonte villas duas, Verethum et Obercicurtem ; quod quidem fecit annuente episcopo, utpote quas in feodo tenebat de illo. Fecerunt ibi alii multi multa donaria, quæ idem episcopus perpetuavit fratribus per privilegia. Ipsa vero Aquicinensis æcclesia Cameracensi æcclesiæ eternam promisit obedientiam et subjectionem. Promisit pariter episcopus, se ibi nunquam positurum abbatem, nisi per eorundem monachorum electionem.

7. Post hoc opus beatum et memoriale, studuit episcopus diversis conatibus in presenti vita preparare, quod pertinere intellexit ad profectum et salutem animæ suæ. Quapropter pro sua et parentum suorum salvatione deputavit alodia sua de Lietseinis et de Wilrehem in æcclesia beatæ Mariæ. Dedit etiam altaria, quorum cartæ habentur (467), et necesse non est ut hic nominentur.

8. Hospitale pauperum, quod est secus atrium sanctæ Crucis, prostrato veteri, sicut nunc apparet, renovavit, et capellulam quæ inheret hospitali ; quam in solempnitate omnium defunctorum cum venerabili expensa cibi et potus consecravit, et ut ibi cantaret parrochialis presbiter dominica et quarta et sexta feria, duos modios tritici de eleemosina hospitalis per singulos annos dari sibi constituit ; ita ut presbiter idem et infirmos visitaret, et in Christo consultos et communicatos mortuos sepeliret.

9. Adhuc unum opus, ut sapiens architectus, fecit idem episcopus, quod laudandum est ab omnibus presentialiter aspicientibus. Venerabilem æcclesiam beatæ Mariæ olim combustam et dirutam a capite superiori usque ad chorum sancti Johannis pulchre et honeste reformavit. Ipsa enim laquearia, plastrum, brevesque fenestras longiores renovavit, capita columpnarum in utroque latere turpiter fixa et corrupta decenter coronavit. Comparaverat etiam colores optimos ad agendam picturam per totam æcclesaim ; sed heu ! inter agendum accidit quod morte preventus reliquit inceptam. Sed quia voluntas bona apud Deum opus est perfectum, secure cum psalmista potest dicere : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ*. Et credimus, quia ejus Deus miserebitur, cum dicat divina lectio ; *Ubi te invenio ibi te judicabo*. Rexit episcopatum per annos sedecim atque dimidium. Obiit pridie Kalendas Augusti [*an.* 1092) (468), sepultus in medio æcclesiæ matris Domini. Divina igitur miseratione anima ejus requiescat in pace. Amen.

GESTA MANASSIS ET WALCHERI

EXCERPTA PER MONACHUM SANCTI GAUGERICI [351].

1. Post (469) mortem Gerardi episcopi multa et gravia mala intra et extra urbem Cameracum longo tempore acciderunt, quorum scilicet malorum omnium causa et origo fuit ambitio, superbia, nec non insolentia matris aeclesiæ canonicorum. Qui dum se alterutrum preferre contendunt, dum sibi alium nisi ad suum libitum seu commodum præferri non patiuntur, discordia eorum actum est, ut quattuor personæ eligerentur, quæ postmodum eodem honore privarentur ; non solum autem, sed etiam ipsa mater Cameracensis æcclesia, filiæ suæ, hoc est Atrebatensis æcclesiæ, subjectione et obedientia orbaretur [352]. Quæ videlicet omnia multaque alia mala si quis plenius nosse voluerit, Gesta pontificum requirat. Nos autem successiones pontificum ab illo tempore usque ad presens tempus per annos

VARIÆ LECTIONES

351 *titulum supplevimus. In* 7. 7*. *hæc omnia præcedentibus Gestis Gerardi continuo calamo subjiciuntur discrimine nullo, quasi unum esset opus.* 352 vel orbata est *superscriptum in* 7.

NOTÆ

(467) Apud Miræum Opp. dipl. I. 75.

(468) II. *Id. Aug.* secundum Necrologium Aquicinense s. XII.

(469) Hoc capud integrum deest versioni Gallicæ ; non igitur fuit in Gestis, sed excerptori Gaugericiano debetur.

ferme centum, hoc est ab anno incarnati Verbi A 1090 usque ad annum 1180 summatim designare intendimus.

2. Igitur Gerardo secundo defuncto (*an* 1092), qui a beato Vedasto 32[us] Cameracensi atque Atrebatensi æcclesiæ prefuit, Cameracensis æcclesiæ clericis, ad quos nimirum specialiter eligendi episcopum cura pertinebat, diversa inter se sentientibus, cives adversus illos animo concitati dixerunt, quod nemo erit episcopus, nisi quem imperator et melior pars cleri et populi elegerit. Quibus auditis, prepositus æcclesiæ preparavit se ad deferendum imperatori pontificalem baculum. Cui custos æcclesiæ occurens ex adverso in faciem ei restitit, juris sui id esse adserens. His ergo pro hoc ad invicem litigantibus, unius anni spacium et eo amplius B transiit, ignorante imperatore, defunctum esse Gerardum episcopum. Quam ob rem cives (470) egre ferentes, quod tamdiu civitas et patria rectoris careret patrocinio, quendam Francigenam nomine Manassen elegerunt. Super quo clerici valde indignati convenerunt in unum, et prepositum nomine Mascelinum elegerunt. Civibus autem huic electioni contradicentibus, clerici sensu et virtute cordis infirmi, facillime cesserunt (471). Deinde cives duo candelabra argentea 30 marcas pensantia et calicem aureum 7 marcarum ab æcclesia tollentes, electo suo Manasse dederunt; quæ ille accipiens, perrexit ad cesarem. A quo non inventa gratia, cum quali veste fuerat profectus, cum tali etiam est reversus. Jure namque ab augusto est repulsus, quo- C niam a populo canonice nequaquam fuerat electus. Propterea gravior discordia civium adversus clerum facta est, arbitrantium, quod factione illorum factum esset, ut electus suus Manasses a cesare repudiatus fuisset (472).

3. Veruntamen dum sic secum rixantur, dum ita contra se disceptant, inopinatum malum et onus nimis grave utrisque advenit. Atrebatenses etenim occasione hujus tam diutinæ dissensionis elevati, consilio inter se habito, episcopum elegerunt nomine Lambertum (*an.* 1093). Quo facto Cameracenses indignati sunt, conturbati sunt, commoti sunt; pudor et dolor apprehendit eos, quia filia in matrem, D discipula super matrem presumpserat erigere cervicem; nempe a multis retro temporibus, et fortassis a diebus beati Gaugerici, qui quartus a beato Vedasto utrique sedi prefuit, tale quid ab eis nequaquam fuerat presumptum.

4. Beatus (473) siquidem Gaugericus, qui, ut prediximus a beato Vedasto quartus utrique sedi prefuit, urbem Cameracensem amplius quam Atrebatensem dilexit, frequentavit, et habitare in illa potius sibi placuit, quia profecto et clerus honoratior et populus in ea numerosior habebatur. Hinc est, quod sedes Cameracensis quinque habet archidiaconos, Atrebatensis vero nonnisi duos. Sed et ipsa civitas præ aliis urbibus pulchra est et decora, sicut hi qui Jerosolimam petentes diversas urbes conspexerunt, attestantur. Sunt quidem plures aliæ longitudine et latitudine atque divitiis nobiliores, sed situ et domorum compositione non ita, quamvis crebris incendiis deturpata sit. Asserunt etiam, quia urbi Jherosolimæ nulla similior existat. Nam sicut urbs Jherosolima ab oriente habet montem Oliveti, sic etiam urbs Cameracensis ab oriente habet montem qui vocatur mons sancti Gaugerici. Et sicut dominica in ramis palmarum rex et patriarcha cum clero et populo procedunt ascendentes in montem Oliveti, ibique palmas accipiunt, quibus acceptis veniunt in vallem Josaphat, ubi legitur evangelium et sermo fit ad populum: ita profecto et in urbe Cameracensi eadem ipsa die cuncta civitatis turba in unum collecta, cum clericis pariter et monachis procedentes, supradictum montem ascendunt, ibique palme benedicuntur et distribuuntur. Dehinc descendentes pergunt ad sanctum Sepulchrum, et in atrio ejusdem ecclesiæ quasi in valle Josaphat stationem faciunt; ibi etiam legitur evangelium, et sermo fit ad populum. In latere autem predicti montis, quasi in Bethania, æcclesia sancti Lazari habetur, juxta quam habitant leprosi. Porro in ipsa urbe æcclesia est sanctæ Dei genitricis, æcclesia sanctæ Crucis, æcclesia sancti Sepulchri, et aliæ septem. Ultra pontes vero extra portam æcclesia est sancti Salvatoris. Quid [353] autem de libertate hujus urbis dicam? non episcopus, non imperator taxationem in ea fecit, non tributum ab ea exigitur, non denique exercitum ex ea educit, nisi tantummodo ob defensionem urbis, et hoc ita, ut eadem die ad domos suos valeant reverti. Nuper quidem tempore Petri filii Theoderici comitis Flandriæ, qui post Nicholaum fuerat electus in episcopatum istius urbis, — non quidem canonice, nam infra ætatem, infra ordines erat — hujus inquam tempore Fredericus imperator in expeditione adversus Italiam profecturus, mandavit sibi pecuniam mitti; sed hoc neque ipse, neque alius ante vel post illum fecisse perhibetur.

VARIÆ LECTIONES.

[353] Quid — perhibetur *in scedula assuta exhibet* 7.

NOTÆ.

(470) *Cum casatis* addit Abbrev. Cameracens. cap. 5, procul dubio ex Gestis.

(471) Hæc Abbr. Camerac. c. 5 ita habet: *Mas. sacerdotem et prepositum, qui tamen ad declinandum populi furorem gratis cessit.*

(472) Abbrev. Camerac. c. 5 addit, ex Gestis procul dubio: *Ex hoc graviter clericis longe a civitate depulsis, nisi sacrosanctis tactis jurassent, quod nec per epistolam nec per nuncios Manassen apud imperatorem impedissent.* Post hæc in versione Gallica sequuntur quædam, quæ in Gestis fuisse, sed ab excerptore Gaugericiano omissa esse videntur, scilicet totum c. 2.

(473) Hoc caput et duo sequentia non fuerunt in Gestis, sed a nostro addita sunt. Eorum loco versio Gallica habet quædam c. 3: *archidiacremeismes.*

5. Notandum interea, quia beatus Gaugericus sepedictum montem a quodam burgario comparavit, et illic æcclesiam sub honore et nomine beati Medardi construxit, adunatisque monachis fratrem suum nomine Landonem illis prefecit. In eadem quoque basilica beatus Gaugericus sepultus est, et sepulchrum ejus hodieque venerationi habetur. Si autem aliquis querat, quomodo ab ordine monastico ad clericalem venerit, paucis expediam. Deus omnipotens, diligens justitiam et odio habens iniquitatem, flagitiis et facinoribus christianorum offensus, ad correptionem illorum arripuit virgam furoris sui et baculum, gentem videlicet paganorum, hoc est Hunorum, Normannorum et aliorum similium. Qui diversis temporibus a suis finibus exeuntes, terras Galliæ atque Germaniæ invaserunt, urbes et castella subvertentes, viros cum mulieribus interemerunt. B Ecclesias quoque ac monasteria virorum pariter et mulierum incendentes, eos necaverunt. Denique in cenobio nobis vicino, hoc est Altimontis, trecentos simul monachos trucidaverunt, qui in uno poliandro illic sepulti requiescunt. Simili modo etiam cenobium sancti Medardi, quod, ut prediximus, beatus Gaugericus in supradicto monte construxerat, destructum fuisse a majoribus accepimus. Verum ne quis tunc crederet vel adhuc credat, quod sua virtute et non potius Dei voluntate atque permissione tantam urbium et æcclesiarum destructionem tantamque stragem christianorum, non solum peccatorum, sed etiam justorum perpetraverint, et ut peccatoribus quidem ad purgationem, justis vero ad coronam talis tantaque afflictio proveniret : Huni sabbato sancto urbem Mettis circumdederunt, sed C murorum firmitate diffidentes recedere disposuerunt. Cumque discederent, statim nutu divino muri coram eis corruerunt. Ipsi autem intrantes urbem succenderunt, habitatores ejus interemerunt. Veruntamen æcclesiam beati prothomartyris Stephani incendere nullatenus valuerunt. Voluerunt quidem, sed quia Christus noluit, non potuerunt. Alio quoque tempore Normanni similiter sabbato sancto urbem Namnetem invadentes, episcopum sacrum baptisma celebrantem una cum clero pariter et populo peremerunt.

6. Castigatis igitur filiis, et eis per quos castigati fuerant duplici contritione contritis, suscitavit Do- D minus viros sibi devotos, temporali potentia sublimes, divitiis et facultatibus locupletes, qui ea quæ inimici ejus sua feritate et malitia, licet Dei justitia et permissione, destruxerant, ipsi sua devotione et divitiarum abundantia sibi a Deo benigne concessa repararent. E quibus duo potentissimi fuerunt, Gerardus scilicet comes de Rosscelon et Karolus rex cognomento Calvus, qui tunc temporis Francis pariter atque Germanis imperabat. Quorum primus A novem æcclesias in honore sanctæ Dei genitricis aut fundasse aut reparasse narratur; quarum una est Viceliacensis, in qua corpus beatæ Mariæ Magdalene ab urbe Aquensi delatum et illic sepultum magna christianorum devotione frequentatur. Alter vero, hoc est rex Karolus, tredecim æcclesias in honore beati Petri apostoli similiter aut construxit aut restauravit ; quarum scilicet una est supradicta basilica, quam, et jam diximus, sanctus Gaugericus in honore sancti Medardi construxerat, sed a paganis vastata fuerat. Hanc ergo rex Karolus restaurans, nomini et honori beati Petri apostoli intitulavit ; centum quoque canonicos ibidem posuit, et eis centum prebendas delegavit. Idcirco anniversarium ejusdem regis per annos singulos in eadem æcclesia 2. Non. Oct. sollempniter agitur. Hoc igitur modo isdem locus ab ordine monastico ad clericalem devenit, et a nomine sancti Medardi ad nomen beati Petri transivit. Quod autem nunc beati Gaugerici nomine vocitatur, ideo fit utique, quia isdem beatus confessor in eadem basilica sepultus fuerat ; deinde miraculis clarescentibus corpus ejus de sepulchro elevatum et in feretro argenteo reconditum, retro altare beati Petri in eminenti loco, sicuti in presentiarum cernitur, honorabiliter collocatum est. Altare quoque in ejus honore ante feretrum ipsius consecratum est; sed et aliud altare in cripta juxta sepulchrum illius dedicatum est. Veruntamen honor atque dignitas principalis altaris necnon etiam totius æcclesiæ beato Petro apostolo remansit et permanet usque in hodiernum diem. Hinc est quod in rogationibus monachi æcclesiæ dominici sepulchri ad eandam basilicam procedentes in ingressu ejusdem æcclesiæ antiphonam imponunt : *Tu es pastor ovium;* et ita cantando in chorum convenientes, subjungunt vigilias et collectam de eodem apostolo.

7. His ita occasione separationis Atrebatensis æcclesiæ a matre sua Cameracensi æcclesia interpositis, ad propositum revertamur. Dolens igitur Cameracensis æcclesia, Atrebatensem a se esse separatam, domnum Walcherum archidiaconum suum in episcopum elegit, sperans procul dubio, prudentia atque instantia illius predictam divisionem posse redintegrari (474). Electus autem juxta morem perrexit ad cesarem ; qui quoniam a clero et populo canonice fuerat electus, ab augusto quoque est gratanter atque honorifice receptus. Donavit etiam ei episcopatum pariter et comitatum urbis Cameracensis. Verum Walchero ad imperatotem pergente, Atrebatenses quoque cum suo electo Romanum pontificem adierunt, et consecrationem ipsius ab illo optinuerunt (*an.* 1094. *Mart.* 19). Quibus acceptis, uterque cum gratia, Walcherus quidem cesaris Henrici, Lambertus vero papæ Urbani, reversus est;

NOTÆ.

(474) Hic paucula de Walchero omisit noster ex Gestis, quæ supplenda sunt ex versione Gallica c. 3 *et disoient — riens de l'eglise.* Cf. Abbrev. Camer. c. 6.

et a suis, ille scilicet Cameraci, iste autem Atrebati cum honore susceptus est (475). Quibus gestis, Walcherus a Remensi archiepiscopo gratiam suæ consecrationis humiliter requisivit. Archiepiscopus autem absque licentia summi pontificis qui Lambertum jam consecraverat, hoc facere non presumpsit. Tunc Walcherus Urbanum papam petiit, et apud eum gratiam invenit (476). Denique litteris illius et duobus testibus, hoc est Turonorum archiepiscopo et abbate sancti Basoli, perceptis, Remorum archiepiscopo se presentavit; quibus ille acceptis, ad consecrationem Cameracensis episcopi se preparavit. In ipso autem consecrationis articulo sepedictus Manasses supervenit, et eandem consecrationem fieri contradixit. Qui a metropolitano et coepiscopis ejus examinatus, excommunicatus est et ab ecclesia expulsus. Consecratione igitur sollempniter peracta, Walcherus cum pace et gaudio ad propria revertitur, et a suis cum honore et letitia recipitur, cantantibus clericis antiphonam, *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* (477).

8. Postmodum (478) autem Walcherus episcopus Urbanum papam adiit, et querimoniam de amissione Atrebatensis æcclesiæ fecit. Cui Urbanus affectum compassionis non vere, sed sicut postea claruit, ficte demonstrans, utrisque episcopis, Walchero videlicet et Lamberto, diem et locum designavit, ubi de hoc tractare deberet. Quibus convenientibus, Romanus pontifex a Cameracensi episcopo trecentas marcas sibi dari petiit. Episcopo autem hoc recusante, indignatus papa submonuit nefandum Manassen — nam presens aderat — repetere episcopatum Cameracensem. Quod dum fecisset, Walcherus ad omnia sapienter atque rationabiliter respondit, dicens Manassen a laicis contra canones instrusum et ideo ab imperatore juste repudiatum, a metropolitano quoque et coepiscopis ejus examinatum et excommunicatum; se autem a clero et populo canonice electum, ab augusto et papa approbatum, a metropolitano et coepiscopis ejus legitime consecratum, eodem papa hoc per litteras jubente, Turonorum archiepiscopo et abbate sancti Basoli testibus. Quibus dictis, summus pontifex denegat omnia. Stupentibus qui aderant, et dicentibus secundum canones agi debere, dominus papa respondens, *Cessent*, inquit, *canones; meœ leges erunt auctorizabiles*[334].

9. Hic (479) apparet quia omnia papa erat, et « sic volens et sic jubens » quando sibi placebat, « erat ei pro ratione voluntas. » Si enim timorem illius, qui aufert spiritum principum, pre oculis tunc habuisset, utique Cameracensi episcopo rationabiliter dicere potuisset : « Frater, habes unum episcopatum, et illud certe magnum sufficere tibi debet; et quamvis ab initio usque nunc utraque sedes uni episcopo paruerit, tamen quia modo jam duo sunt episcopi consecrati, ita permanere perpetuo ratum esse decerno, quoniam episcopatuum sedes mutare, conjungere, seu disjungere, solius apostolicæ sedis est prerogativa. » Si hoc summus pontifex dixisset, nemo eum ob hoc juste calumpniari, quin potius laudare debuisset, si videlicet singulis sedibus singulos dedisset pontifices. At vero quia propter negatam pecuniam episcopum canonice electum et illius precepto consecratum tam abrupte et tam impudenter dejecit, et ei hominem cunctis execrabilem superposuit, omnibus patet hoc eum irrationabiliter fecisse. Certe si Walcherus pecuniam postulatam dedisset, ipse quidem detrimentum animæ suæ et famæ et etiam pecuniæ passus fuisset, et tamen æcclesiam amissam nullatenus recuperasset, sed de die in diem diversis consiliis et tediosis dilationibus animum illius Romanus pontifex afflixisset. Quod nimirum sepe accidisse novimus, et cotidie accidere non dubitamus. Veruntamen quid miramur hominem summæ sedis et ideo potestatis excessisse, cum videamus alios longe inferioris potestatis, non solum in ecclesiis sed etiam in monasteriis, in auferendis seu largiendis honoribus vel officiis non meritum aut scientiam subjectorum attendere, sed suum aut odium aut amorem privatum adimplere ? Unde et beatus Jeronimus de talibus tractans, *Illis*, inquit, *tribuunt clericatus gradum, quorum sunt obsequiis deliniti*; et beatus papa Gregorius, *Sepe*, inquit, *contingit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor*; et subjunxit : *Judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in causis subditorum sua vel odia vel gratiam sequuntur.*

10. Igitur Walcherus Cameracensis episcopus qui pro recuperanda Atrebatensi æcclesia sedem apostolicam supplex adierat, non solum eam minime recepit, sed etiam episcopatum Cameracensem, quem canonice acceperat et habebat, amisit, nulla omnino alia culpa interveniente, nisi quia pecuniam, cui nimirum omnia obediunt, summo pontifici dare noluit. Quam ob rem tristis et merens pro injuria injuste sibi illata a concilio recedens, Cameracum reversus est. Cunque civitati appropinquans processio ei pararetur, ut moris est, quociens episcopus ab apostolica sive imperiali curia revertitur : bene consultus renuit tunc cum processione suscipi-

VARIÆ LECTIONES.

334 *Hic Briali tempore desinebat* 7*; *sequentia uni* 7. *debentur.*

NOTÆ.

(475) Iterum noster plura omisit, supplenda ex vers. Gall. c. 4. *Adont — joyeusement*. Ea in Gestis fuisse ostendit etiam Abbreviat. Camerac. c. 7, ubi quædam ex his leguntur.

(476) Iterum omissa quædam, supplenda ex vers. Gall. c. 5. *Puis monstra evesques;* atque : *Et si — excumenioit.*

(477) Omissa paucula, supplenda ex vers. Gall. c. 5 : *et fu mis — volentiers.*

(478) Hoc caput a nostro decurtatum est, in Gestis fuisse videtur tale quale in versionis Gallicæ c. 6. legitur. Cf. etiam Abbrev. Cam. 7.

(479) Hoc caput totum deest in vers. Gall., fortasse igitur a Gaugericiano nostro fuit additum.

Mandavit tamen ut sequenti die personæ ad se convenirent, quatinus ejus relatione agnoscerent quid in concilio de predicto negotio actum fuisset. Quod dum presentibus per singula retulisset, stupore maxime repleti sunt omnes. Audientes igitur quod pro pecunia [355]. . . . . . .

GESTA PONTIFICUM

ABREVIATA PER CANONICUM CAMERACENSEM [356].

(*Gesta Gerardi* 1-9.) 1. Post beatum istum Deo et hominibus commendabilem Gerardus nepos ejus moribus et genere, communi Cameracensium electione et assensu Heinrici II imperatoris, mandato apostolici tunc apud Augustudunum commorantis (480), ab Hugone Diensi episcopo est consecratus in episcopum; et ad sedem suam reversus, interveniente Roberto Flandriarum comite, Hugonem castellanum suum a domno Lietberto prius ejectum, in hominem recepit et amicum; retentis tamen in manibus suis redditibus castellani, qui infra muros civitatis continebantur. Unde cives in unum conspirantes, episcopo absente, diu desideratam conjuraverunt communiam. Episcopus autem cum gravi multitudine, pace simulata, revertens, et ad judicium curiæ suæ conjuratores invitans, civitatem est ingressus, et ecce milites ipsius pecuniam civium desiderantes super incautos irruunt et occidunt, et direpta multorum substantia, viventes in fidelitatem episcopi, abjurata communia, reducuntur. Conjuratione tamen iterum facta contra episcopum, Wibertus quidam, qui fratrem suum in prædicta seditione perdiderat, eam episcopo propalavit; sed quia juratores prodere noluit, virgis flagellatus et ligatis a tergo manibus, abscissa lingua, oculis erutis, percussus gladio, in via publica est tumulatus.

2. Hugone autem castellano episcopi interim episcopum et suos enormiter infestante, Robertus Flandrensis muneribus et beneficio gavalli (481) provocatus, ipsum jure castellaniæ penitus privavit, et Anglia profugum et quærentem refugia tuto suscepit latibulo. Ut vero civitas interius secura quiesceret, muro lapideo et vallo a terræ visceribus elevato, decenter episcopus eam munivit, et castellum intra civitatem, relevatis fossatis et turribus multipliciter implexis, firmavit artificio quodam commendabili.

3. Sub diebus illis fundatum est Aquiscintense cœnobium Dei specialiter inter homines habitaculum per duos milites, Walterum scilicet et Sigerum. Quorum propositum diligenter promovens episcopus de feodo suo et beneficiis suis locum concessit locupletari. Haffliginense quoque monasterium, Dei secretarium, predicti pontificis auctoritate per homines laicos et idiotas ad eum deductum est religionis cumulum, quod usque in hodiernum prerogativam obtineat monastici ordinis, et privilegium quotidianæ in pauperes erogationis.

4. Præter hæc omnia, providens sibi in futurum episcopus, allodia sua de Lestines et de Woirchem et altaria plurima, sicut in privilegiis ejus invenitur, in usibus canonicorum suorum contulit liberaliter; et hospitale pauperum juxta ecclesiam sanctæ Crucis de novo reparavit; ecclesiam quoque beatæ Dei genitricis olim combustam et dirutam a capite superiori usque ad chorum sancti Johannis multis impensis et expensis reformavit in melius. Et ita regens episcopatum per sexdecim annos et dimidium, ad patres suos appositus, sepultus est in medio ecclesiæ sanctæ Dei genitricis.]

5. (Cf. *Exc. Gang.* 2, 3.) Gerardo episcopo ad meliora translato, gravis dissensio nata est inter clerum et populum. Clericis enim per multum tempus ex intestina discordia eligere dissimulantibus, cives cum casatis quemdam Manassem Francigenam elegerunt in episcopum; et clerici communi voto instituerunt dominum Maselinum sacerdotem et præpositum; qui tamen ad declinandum populi furorem gratis cessit, et multi ex clericis Manasse adhæserunt. Quare paratis omnibus itineri suo necessariis, asportatis secum de thesauris ecclesiæ aureo calice et duobus candelabris argenteis, ad imperatorem est profectus (482); sed non impetrata ipsius benevolentia, sine beneficio regalium ad suos redivit inglorius: ex hoc graviter clericis longe a civitate depulsis, nisi sacrosanctis tactis jurassent, quod nec per epistolam nec per nuncios Manassen apud imperatorem impedissent.

6. Sub hoc rerum tumultu Attrebatenses, quod diu ante conceperant opere complentes, proprium sibi de mandato summi pontificis præfecerunt episcopum, et a subjectione Cameracensis ecclesiæ suam cervicem, occasione discordiarum quæ Came-

VARÆ LECTIONES

[355] *hic desinit 7. in fine quaternionis, sequenti deperdito; cf. Waitzium in Annalibus nostris VII,* 442.
[356] *titulum de nostro supplevimus; damus ex Dom. Brial XIII,* 534, *qui expressit codicem* 9, *jam deperditum, sed initium operis, de Lietberto episcopo, omisit.*

NOTÆ

(480) Error, natus inde, quod virgulam inter verba Gestorum Gerardi *apostolici* et *apud* ponendam neglexit noster.

(481) *Gabelle.* Gesta Gerardi habent tantum, *comiti marcas argenti* 200 *tribuit.*

(482) Manasses.

racenses graviter affligebant, nullis se opponentibus, excusserunt. Casati etiam ad libitum suum omnia diripientes, munitiones plures circumquaque erexerunt, præstantes hominium comiti Flandriarum, ut securius quæ invaserant obtinerent. Talibus rerum mutationibus quasi de gravi somno evigilantes tam cives nostri quam clerici, mutato in melius proposito, Remorum archiepiscopi consilio et assensu imperatoris, Walcherum ecclesiæ suæ archidiaconum, ob defensionem injuriarum suarum, in pastorem elegerunt et episcopum.

7. (*Vers. Gall.* 4.) Ipse vero confisus in Deo salutari suo, collectis amicis suis et solidariis, castrum de Goy in Arrasia et de Rumilly, Manasse perempto, speluncam quoque latronum Saucit diruit et terræ coæquavit. Primos suæ vocationis dies istis futuræ probitatis dedicavit argumentis (*Exc. Gaug.* 7). Postmodum vero cum litteris apostolicis Rainaldo suo metropolitano præsentatus est, ut ei munus consecrationis impenderet; sed Manasses ejus adversarius superveniens et domnum papam appellans, ne promoveretur interdixit. Walcerus vero nihilominus consecratus in episcopum, quod ad securitatem patriæ reliquerat imperfectum, subjiciens adversarios, suos defendens, multa complevit sagacite (*Ib.*, 8). Interea proficiscens ad generale concilium, quod domnus Urbanus papa apud Claremontem celebrabat, contra præsumptionem Atrebatensium declamaturus, Manassem adversus ipsum plurima proponentem incautus offendit, et non expectato judicio a consilio recedens, sententiam excommunicationis incurrit, et Manassæ confirmata est electio auctoritate concilii per contumaciam adversarii, licet minus haberet canonicæ institutionis.

8. (*Vers. Gall.* 7). Ex hoc ergo conjurantibus cum Walcero clericis et civibus quod eum nulla ratione desererent, promissam ei semper exhibendo operam, Manasses Remensium archiepiscopus, electi Manassæ avunculus, interdicto totam terram subjecit, quæ Walceri cognoscebatur obedire mandatis (*Ib.*, 11). Unde multi qui sanum sapiebant ex clericis et laicis, ab ejus fidelitate sive familiaritate recesserunt, impetrantes ab archiepiscopo ut consecrationis honorem Manassæ nepoti suo conferre non differret (*Ib.*, 12). Quo facto, licet domnus Walcerus gravius sibi periculum instare cognosceret, castellum tamen Ogeyum, Busiginium et Busseniis, assultibus infinitis et bellorum virtute vicit et diruit, in pace gratissima civitate sua et suis in integrum restitutis (*Ib.*, 14, 15). Clericis tamen quam maxime propter interdicti sententiam ab ejus latere defluentibus, ad imperatorem Henricum consilii causa et auxilii divertit, et Manasses cum gloria susceptus est in sede pontificali. Non multum tamen gloriatus est in subditorum devotione; quia, revertente Walcero cum nunciis et militibus imperatoris, paucis comitantibus timore supervenientium, civitatem cui solo præerat nomine re spoliatus, specie tenus

A militans, deserens exivit, et quasi de novo cives et clerici domno Walcero per imperatoris mandatum sunt confœderati.

9. (Cf. *ib.* 16, 18, 19.) Procedente vero tempore Roberto Flandrensium comite ex mandato archiepiscopi in peccatorum suorum remissionem, quia diutius erat excommunicatus, contra Cameracenses arma movente, rex Henricus in ultionem illarum injuriarum partes istas aggressus, et ceciderunt ab impetu exercitus sui castella ista, Marconium, Paluels, Inceniun, Esclusa, Bulecnium; sed tempore hyemandi imperatore in terram Germaniæ recepto, Robertus Cameracensibus imminet, et jacturam suorum penitus in ipsos refundit: ea tamen conditione pax demum intercessit, quod nisi imperator
B tempore graminis superveniret, ipsum Robertum et successores ejus in dominos et patronos in æternum susciperent.

10. (Cf. *ib.* 20, 21, 22, 32.) Sic igitur sub nomine pacis bello suspenso, mandant Cameracenses archiepiscopo, quatenus ad ipsos veniret beneficium collaturus absolutionis; quod et factum est, Walcero interim apud Estruem præsidium suum commorante, quod per majores terræ ab alto dejectum adhuc ruinarum suarum servat indicia (*an.* 1103). Walterus autem suorum patrocinio fortior effectus, ad civitatem denuo, pacato sibi Godefrido filio Anselmi, quem Cameracenses sibi contra episcopum præfecerant, adhuc excommunicationis portans notam penetravit, translato interim domno Manasse ad
C Suessionensium episcopatum, qui tunc temporis pastore carebat. Igitur pro domno Walcero supplicaturi Cameraci majores et canonici domum Remensem adierunt; sed ipse domini papæ quas de novo receperat litteris in medio publicatis, præcepit in virtute obedientiæ ut statim episcopum eligerent, quia Walcerus episcopatus dignitatem sine retractione demeruerat.

11. (*Vers. Gall.* 32.) Electus itaque est ab omnibus domnus Odo Sancti Martini Tornacensis abbas, et post triduum electionis suæ ab eodem archiepiscopo in episcopum consecratus; et reversus Tornacum celebravit ordines et synodum, nihil habens de regalibus, licet Cameraci receptus, sed solum militans fidelium suorum stipendiis quæ ipsi gratis
D offerebantur (*Ib.*, 23, 27, 31). Walcerus autem omni spe destitutus, ad Obertum Leodiensium episcopum se contulit, et post apostolorum limina visitans, ab apostolico in eum statum quem habuerat ante episcopatum ex integro est restitutus (*an.* 1104), et ad extremum omnibus pro Christo derelictis, in monasterio sancti Nicolai de Sylva sub habitu et religione monachorum degens, correctis vitæ prioris excessibus, actus suos fine bono conclusit (*Vers. Gal.* 24, 26, 29, 30). Odo autem episcopus per Robertum Flandrensem, qui Cameracum de manu imperatoris Henrici in feodo tenebat, intra urbem receptus est; sed imperatoris Henrici qui patrem suum persequebatur potentia longius ejectus, quia Flandrensium

comes imperatori reconciliatus civitatem nostram ipsi libere reddiderat, apud Inciacum mansionis suæ invenit diverticulum, donec, mediante summo pontifice, imperator Henricus per virgam et annulum, sicut ipsi papa concesserat, Odonem de episcopatu liberaliter investivit. Sed revocato privilegio talis concessionis, quod contra canones domnus papa imperatoribus indulserat, Odo episcopus propter formam et modum suæ investituræ depositus, Aquicinctum perveniens sub obedientiæ mandato dormivit in Christo.

12. (*Vers. Gall.* 33.) Domnus Burchardus, imperatoris familiaris et intime notus, communi electione et dono imperatoris successit Odoni (*an.* 1118); sed propter discordiam inter papam et imperatorem super investitura per virgam et annulum, per biennium consecrationem obtinere non potuit, multis ei suam dejectionem comminantibus. Sed tandem interveniente merito vitæ, quo specialiter inter comprovinciales enitebat, et impetratis super hoc domini papæ litteris, quod diu desideraverat, oleum consecrationis est consecutus, et quidquid distractum fuerat de mensa episcopali, theloneum scilicet, monetam et molendinos, multa pecunia redemit de manu creditorum, modis omnibus elaborans ut dispersa colligeret, diruta ædificaret, inventa non minus fideliter reservaret (*Vers. Gall.* 34, 38). Novum etiam castellum quod de dono imperatoris, sicut superius dictum est, ecclesiæ Cameracensi appendet, de manu Balduini et Caroli comitum Flandriæ liberum mira sollicitudine recepit, licet Robertus ultimus et Balduinus filius ejus illud de manu imperatoris sibi beneficiatum et in feodo tenuissent. Perempto etiam Carolo comite apud Brugas horrenda proditione, Hugo castellanus castellaniam Cameracensem, quam de prædicto comite tenebat, ab episcopo, sicut decebat, hominio facto et fidelitate præstita, suscepit, demolito prius castello quod in Crevecœur in receptaculum prædonum fuerat ab eodem Hugone constructum.

13. (*Vers Gall.* 37.) Istius episcopi monitis et consilio Werimboldus civis quidam iter perfectionis arripiens, in hac civitate Cameracensi multa pecunia pedagium redemit, et demum in hospitali pauperum juxta Sanctæ Crucis ecclesiam pauperibus pauper pro Christo effectus humiliter curam exhibuit. O vere commendabilem episcopum! qui in locis valde a sua sede remotis genitus, et apud Cameracenses advena. plus suis per industriam contulit quam nobiles nostri vel pompa sæculi vel amplitudine carnalis generationis. Itaque post infinita beneficia suis et ecclesiæ suæ collata, sicut in gestis et scriptis ejus legitur, plenus operibus bonis et elemosinis, in consortium fidelium virtutum pennis transmigravit.

14. (*Vers. Gall.* 40, 42.) Eodem tempore papa Innocentius cum multitudine episcoporum et cardinalium per Cameracum transiens, descendit Leodium cum Lothario rege et principibus Germaniæ (*an.* 1131, *Mart.*), multa de statu ecclesiæ collaturus, in qua collocutione obtentu regis Lietardus Cameracensium episcopus efficitur. Post suam consecrationem quasi nihil amplius sperans vel timens, sibi plene deditus, minus intentus liberalitati, omnibus factus est odiosus. Unde Gerardus cognomine Mautillastres adversus episcopum insurgens Novum castrum cepit et incendit, et cum multitudine inhabitantium et sanctorum reliquiis quinque ecclesiæ ignis violentia deperierunt; episcopi autem bona circumjacentia sine contradictione Gerardus suis distribuit, reliqua vero ad nutum suum possedit. Solus Simon de Oisy, filius castellani, dolens super desolatione episcopatus, adversus Gerardum werram viriliter movit, et tandem reduxit in amicitiam episcopi Cameracensis, tali satisfactione præmissa, quod miles daret quinque solidos et quilibet peditum viginti denarios ad restaurationem ecclesiæ beatissimi Andreæ; et sic omnes prædictæ iniquitatis participes sunt absoluti, sed pro contemptu episcopi nihil horum datum est executioni.

15. (*Vers. Gall.* 43.) Prepositus etiam domus episcopalis, quem propterea, ut in ore multorum erat, destituere conabatur episcopus, ut infra proprium domicilium licentius suis abuteretur voluptatibus, cum quibusdam clericis et civibus domno Remensi manifeste suggessit, quod episcopus declinans palatium propter enormem suam libidinem, ad domos divertebatur privatorum, quod præbendas venderet, et ecclesias nonnisi condicto pretio consecraret. Domnus ergo Remensis sub præsentia tantum quinque episcoporum paterne conveniens Lietardum, ex ore ipsius quæ proponebantur non esse falsa intellexit, mandans et consulens ut infra proximam Epiphaniam, ne publice convinceretur, quasi spontaneus recederet et ibidem ultra non compareret: quod se facturum sub præsentia coepiscoporum suorum Lietardus episcopus confirmavit. Sed digressus ad imperatorem postulabat ut per ejus interventum misericordiam apud domnum papam et archiepiscopum inveniret, ibique impetravit privilegium, quod præpositus prædictus et servientes episcopi non feodati, invito episcopo, ministeriis ejus se ingerere non præsumant. Dissimulante autem episcopo post elapsum terminum quod promiserat, supervenerunt litteræ archiepiscopi et summi pontificis auctoritas, ut festinanter ab episcopatu recederet, plangendus per omnia quod vir litteratus et venustate corporis commendabilis prædicta notabilis infamia cum vultus sui confusione et nominis opprobrio a sede episcopali turpiter dejiceretur (*an.* 1137).

16. Deposito Lietardo, Cameracenses Othonem quemdam Præmonstratensis ordinis canonicum elegerunt, ea conditione si imperatori placeret facta electio. Sed ipso nullo modo præbente in hoc assensum, missi sunt duo abbates Walterus Sancti Autberti et Parvuinus Sancti Sepulcri, ut per gratiam imperatoris idoneum ecclesiæ Cameracensis episco

pum providerent. Electus est itaque per Dei providentiam domnus Nicolaus ejusdem ecclesiæ præpositus, a primis ibidem annis enutritus, cunctis acclamantibus et imperatoris favore super hoc plenissime gratis impetrato. Multitudo namque principum qui tunc in curia constituti fuerant, ipsum electum et amicum et consanguineum suum recognoscebat. Susceptus igitur cum gaudio inæstimabili a clero et populo, quantus futurus esset in prima sui vocatione monstravit. Gerardum namque Maufilastre qui Novum-castrum episcopi et bona episcopatus violenter occupata tenebat, cum a colloquio Simonis de Oisy minus cautus reverteretur, episcopus cum apud Theunium villam suam, nulla pro libertate ecclesiæ timens subire pericula, cepit, et usque intra civitatem captum adduxit cum multitudine armatorum copiosa. Ibi receptis obsidibus et multis juramentis de fidelitate sibi servanda in posterum, recepto etiam Novo-Castro cum suis appendiciis, Gerardum dimisit, collocatis insuper hominibus suis in castro de sancto Auberto, ob majorem terræ suæ et suorum securitatem.

17. His ergo primitiis commendabiliis honorem suscepit consecrationis, solum dans operam circa ecclesiæ suæ exaltationem, cui se totum tota sollicitudine impendebat. Cunctis itaque sub tranquillitate pacis gaudentibus, prædones quidam de familia Gerardi Maufilastre, terram istam depopulantes, dignam maleficiis suis pœnam a Cameracensibus receperunt. Quare Gerardus, rupta pace quam diu invitus simulaverat, werram episcopo indixit et civibus, validis terram suam firmans munitionibus; et episcopus Nuvum-castrum vallo et turre firmissima munire non supersedit. Collecta itaque gravi pugnatorum copia, Gerardus castrum obsedit prædictum, sed manifesto Dei judicio, dum præ cæteris ferventior instaret, nullo suorum vulnerato vel lapso, solus corruit, et intra muros uncis ferreis protractus, multisque confossus vulneribus et lapidibus obrutus, prius terribilis, nunc occubuit miserandus; pro cujus nece miserabili majores terræ gravius episcopo comminantes, multis et variis tumultibus ipsum tandem ad hoc induxerunt, ut illos omnes qui manus extenderant in Gerardum a finibus terræ suæ procul eliminaret.

18. Sed, pace foris reformata, seditiones interius oriuntur. Cives etenim Cameracenses comitem Hannoniæ intra muros suos contra episcopum receperunt, cum eo fædus facientes; quia castrum de sancto Auberto Simoni nepoti suo de Oisy contra consilium eorum et voluntatem in feodo tenendum concesserat. Unde etiam domum Simonis infra urbem in contemptum episcopi diruentes, sententiam excommunicationis et interdicti et comes et cives canonico judicio incurrerunt. Omnibus tamen his turbationibus per Dei gratiam et auxilium comitis Flandriarum (483) in pace terminatis, post famosam illam stragem apud Crievecuer factam, et hæreditas sua filio Gerardi, facta fidelitate et hominio, est restituta, et competens satisfactio facta est episcopo pro excessibus supranominatis. Evoluto postmodum non multo temporum curriculo, comes Flandriæ Simonem de Oisy adversus eum rebellantem multum cœpit werris affligere et munitiones ejus occupare; sed domnus episcopus, vir moribus prædicabilis, ipsum sicut hominem suum, sicut nepotem suum et amicum suum, cœpit consilio et auxilio super omnes defendere, non timens iras majorum ob suorum protectionem in se provocare. Tandem ipso mediatore in hanc pacis formam convenerunt, quod comes Flandrensis de manu episcopi suscepit in feodo Osyacum et castellaniam Cameracensem, quam immediate prius Simon de episcopo tenuerat, et Simonem de prædictis comes sæpedictus feodavit provida circumspectione, quod in modo pacis de jure episcopi nihil deperiit, sed potius hominium Flandrensis accrevit.

19. Exorto interim famoso schismate in Romana Ecclesia inter Alexandrum et Octavianum (*an* 1160), imperator Fredericus cum universo imperio suo partes secutus est Octaviani; Francia tota cum reliquo terrarum orbe Alexandri electionem sequente, gravis exorta est in ecclesia Dei dissensio, unitatem Christi dividentibus illis qui sua sequuntur et non quæ Jesu Christi. In hac autem divisionis varietate cum digna memoria recolendus Nicolaus episcopus ita se gessit medium, quod nec ab obedientia Remensium, quibus in spiritualibus obnoxius erat, Alexandro subjectus resiliret, nec imperatoris offenderet partes, quibus de regalibus suis fidelis et devotus esse tenebatur. Itaque sub hac rerum incertitudine operibus, magnanimitate præclarus episcopus, in cordis contritione et confessione oris domino Deo suo satisfactionem (quia qua ingemuerit hora peccator exauditur) apud Sanctum Quintinum ægritudine gravatus, et in monte sancti Martini circa finem suæ diœcesis exemptus est a terrenis (*an* 1167). Relatus est igitur ad sedem suam suorum manibus, et gloriosam in ecclesia Dei genitricis in parte occidentali, nunquam postmodum visurus occasum, consecutus est sepulturam. Sub specie etenim sæcularitatis vir iste militans, inter sæculares omnibus se pro tempore conformans, licet aliquando terrenæ contagionis maculas contraxerit, multitudine tamen benefactorum quæ diversis in locis liberaliter contulit, delictorum suorum sarcinam in subditos suos misericors per Dei misericordiam abjecisse credatur, quia nullum bonum a bonorum retributore manet irremuneratum.

20. Domnus Petrus, Philippi nobilissimi Flandriarum comitis frater couterinus, Sancti Audomari præpositus et Flandriæ cancellarius, obtentu fratris

NOTÆ.

(483) Theoderici.

sui, cujus terror per terras finitimas et fama nominis per longe positas late se diffuderat, electus est in episcopum multis electionem approbantibus, quam plurimis, licet factum displiceret, opponere se non audentibus. Imperatoris etiam factæ electionis accessit assensus, quia quamplurimis internunciis comitis fractus, licet in primis pubertatis annis consisteret electus acquievit, ratum habens quod curia Romana dispensans de ætate et ordinibus, non improbabat. Dum vero moras innecteret electus in adeundo imperatorem, Cameracenses sibi volentes providere in futurum, ne novæ circumquaque surgerent munitiones, Thunium-Episcopi, quod domnus Nicolaus episcopus contruxerat, penitus diruerunt; sed electo viriliter eos expugnante, coacti sunt denum multa pecuniæ erogatione restituere, quod sicut gens indomita dextruxerant contumaci præsumptione. Sed diebus electi istius civitas nostra cum finitimis suis circumquaque quievit, nullis audentibus vel valentibus Flandrensium impetum sustinere, quorum potentia et viribus suos et sua solo electionis nomine militans domnus Petrus protegebat. In omnibus autem suis actibus, sicut juvenis et nobilis, multis erat commendandus, nisi quod de patrimonio Christi suæ satisfaciens nobilitati, nunquam ad sacros ordines et consecrationis honorem aspiravit, episcopi portans non onus, sed honorem, abhorrens officium, sed cum omni integritate episcopatus quærens emolumentum. Quare post plures electionis suæ annos prorumpens ad hoc quod diu affectaverat, abjecta dignitate suæ electionis et clericalis professionis libertate, habitum induit militarem, ad lasciviam sæculi et pompas mundi relapsus, ducens uxorem comitissam Nivernensem ut filios carnis procrearet, repudiata sponsa Christi quæ sine sui corruptione filios parit spirituales (*an.* 1174-1175). Non multum tamen delectatus est in terrenis, quia non est flatus hominis in manu ipsius, sed in ejus potestate qui terribilis est apud reges terræ, in terra uxoris sublatus de medio, in multa delictorum suorum pœnitentia, apud Hilsodunum (484) sepultus, nostræ mutabilitatis exemplum immatura morte præventus viventibus dereliquit.

21. Robertus Ariensis præpositus et in Atrebatensi ecclesia obtinens prærogativam electionis, vir mirabili fortunæ prodigio de modico et humili in præclaros dignitatum gradus sublimatus, utpote Turonensis thesaurarius, sancti Audomari, sanctique Amati Duacensis et beati Donatiani Brugensis præpositus, Flandrensium comiti Philippo singulariter familiaris, multis clericum reclamantibus, in Cameracensium pastorem est electus ab illis qui fortunæ beneficium in eo mirantes, sperabant quod ecclesiam suam singulariter exaltaret, qui singulariter exaltatus mundo stuporem incusserat. Imperator etiam ut investituram regalium susciperet ad preces descendens, offerendo prius ipse prævenit, et regalibus nunciis multo uberius præmissis, ad sedem suam eum multa gloria suscipiendum destinavit. Constitutus ergo in sede vocationis novæ, plurima præter fidem et spem audientium promittebat, et auream se redditurum ecclesiam suam pollicebatur, ex abundantia rerum affluentium sibi præsumens, ignorans tamen quid pararet sibi dies post futura. In his igitur sibi prospere succedentibus, majorum adversum se odium provocavit et invidiam, in tantum quod apud Condatum diœcesis suæ vicum, dum multitudine modum excedente transiret, a paucis ipsi insidiantibus percussus occubuit, miserabiliter a suis derelictus, crudeliter a nefariis interfectus (*an* 1174), subita mutatione manus Altissimi de summis relatus ad ima: ipsa rerum experientia docens nos efficaciter nullam rebus humanis, quantumcunque applaudant, adesse constantiam. De loco igitur occisionis suæ Ariam relatus, ubi multa munificentiæ suæ monumenta relicta sunt oculis intuentium, gloriose sepultus faciem conditoris sui in extremo suscitandus præstolatur intuendam.

22. Domnus Alardus Cameracensis archidiaconus et thesaurarius, vir omnium rerum affluentia ita divino munere superabundans, ut promptuaria ejus plena eructarent ex hoc in illud, et beatum dicerent omnes dominum et domum cujus hæc essent, quibus reclamantibus, in pastorem et episcopum et meritis suis et majorum suorum obtentu fuit electus (*an*, 1174). In Italiam proficiscens, ut munus regalium de manu imperatoris susciperet — quod, licet de majoribus quidam reclamarent, efficaciter obtinuit —, et ad sua reversus vir sine dolo, sed et mitissimus in populo suo evidenter apparuit, expertus in successorum doctrinam et exemplum, quod in potentia multitudinis et in prælationis dignitate pax hominis et abundantia rerum non existit, sed beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui in mediocritate sua sperant per misericordiam ejus. Sic tamen se exhibuit in diebus senectutis suæ, in quibus et vocatus ad altiora fuit, ut se præberet diligendum omnibus, et ad exequendum quod susceperat episcopatus officium præter vires corporis multoties exhiberet officiosum. Consummatus autem in brevi (*an.* 1177), ne malitia cor ejus immutaret, apud Valcellas se sepeliri decrevit, ut religiosorum obtineret precibus quod sibi de propriis meritis provenire non præsumebat.

23. Post transitum domni Alardi domnus Rogerus de Waurin, archidiaconi et thesaurarii obtinens dignitatem in ecclesia Cameracensi, communiter electus est (*an.* 1178), et sine difficultate investituram recepit de manu imperatoris, quia quondam gratiam ejus promeruerat, cum ipsum et dominum Alardum episcopum pridem in pacis unitatem revocasset. Consecratus etiam fuit solemniter Romæ in monte Aventino in ecclesia sanctæ Sabinæ, a

NOTÆ

(484) Issoudun, in Biturigibus.

D. Willelmo Remorum archiepiscopo et ibidem cardinali creato in concilio Lateranensi a domino papa Alexandro, prius mitratus quam consecrationis obtineret dignitatem. Suis vero postmodum cum omni jocundicate restitutus, cum summa pace rexit ecclesiam, hoc solum excepto quod comes Flandriæ, episcopo moram Romæ faciente, præposituram Novicastri, ipso nesciente, multa pecunia comparavit, occupaturus totum jus episcopi ratione suæ portionis, nisi provida sollicitudine remedium episcopus tantæ præsumptioni sedulus adhibuisset. Nulla namque timens pericula vel mortis vel exilii, majoribus Flandriæ et ipso comite contra eum insurgentibus, hoc multis expensis et laboribus exhaustus tandem evicit, quod præpositura post mortem comitis libera ad jus episcopi devolveretur, et comes eam dum viveret, jure suo tantum contentus, assignatis in morte sua cui placeret septingentis libris, quieti possideret; et hujusmodi transactio confirmata est imperatoris et regis Franciæ et majorum quorumlibet, quorum in hoc testimonium valere potuerit, privilegiis.

24. Orta postmodum inter ipsum et cives suos discordia, quia communia civitatis minus licenter et libenter contra libertatem clericorum manus extendebat, ad cæsaris audientiam fuit appellatum: ubi majoribus curiæ pontifici adnitentibus, quia communiæ conjuratio omnibus ecclesiæ libertatem diligentibus est odiosa, ab imperatore solemniter communia Cameracensis fuit abjudicata, concessaque fuit episcopo imperatoris edicto potestas ordinandi de civitate et civibus prout ecclesiæ tranquillitas et episcopi ententia decrevisset; et super hoc privilegium fuit indultum et principum testimonio consignatum, et omnia communiæ insignia fuerunt penitus exterminata. Domino autem episcopo minus discrete quoddam jugum servitutis gravissimæ civibus suis se impositurum comminante, cum potius a severitate foret temperandum, cives ab imperatorem festinantius, cum multa pecunia recurentes, eliminato communiæ nomine quod semper abominabile existit sub nomine pacis, cum tamen pax non esset, contra episcopum et clericorum libertatem, sicut hodie est experiri, privilegium sua voluntate et seditione plenum reportaverunt. O primam felicitatem

A magno permutatem infortunio, dum privilegium libertatis in quædam servitutis instituta commutatur!

25. Werris præterea et multiplicibus tum familiarium suorum persecutionibus, tum amicorum suorum causis et necessitatibus, quasi in area tritici trituratus episcopus, in illa famosa peregrinatione quando a Saracenis novissime subjugata fuit Iherusalem, cum cæteris iter arripuit peregrinandi desiderans laboribus et sudore proprii corporis diluere quod inter nos conversatus ex episcopalis negligentia regiminis contraxerat et humanæ culpa contagionis. Multis autem exhaustis periculis, ad sanctæ civitatis perveniens obsidionem, cœpit gravius infirmari, et apud Tyrum relatus, episcopatum resignans et pauper effectus pro Christo, sub habitu canonicorum regularium migrans a sæculo (*an.*
B 1191) cum planctu omnium familiarium suorum ei assistentium in Sanctæ Crucis ecclesia monumento receptus, extrema sui abjectione pænitendi monimentum suis deseruit, conferens in refectionem canonicorum quotidianam regeriam quatuor mencaldorum farinæ per hebdomadam, ut, indeficiente pane, eorum orationibus in æternum reficiatur.

26. Quot autem et quanta patres prædicti contulerunt ecclesiæ nostræ beneficia, licet ex privilegiis nobis indultis perpendere manifestius, quia nobis ipsorum largitione quotidiani panis abundantia confertur, ea conditione ut fideliter jura matris suæ servantibus etiam cœlestis retributio conferatur. Sed ecce in die Domini, infidelitatis timemus argui, quia, nobis quasi nescientibus, de integritate et dignitate episcopali quæque pretiosa deperierunt, ca-
C stra videlicet ista Paluel, Oisy, Haveraincourt, Crivecuer, Wallaincourt, Busignies, Saint-Obers, Hordain, et facta sunt nobis quasi clavus in oculis, cum deberent esse propugnacula securitatis; forastrum [357] quoque regium quod episcopis datum est in usus venandi, et deputatum in defensionem marcæ imperialis, ita penitus deperiit, quod nec sylvæ penitus vestigia retineat, nec aliquod præbeat obstaculum incursantibus: in quibus omnibus revocandis, prout tempus exigit, unicum restat consilium, ut, evaginato gladio Petri, alius quem adhuc vagina concludit, efficaciter conseratur [358].

GESTORUM VERSIO GALLICA.

1. (Cf. *Except. Gaug.* 2.) Après la mort l'evesque Gerard (*an.* 1092) ot (*Gallice* eut) dissention et grant discorde entre le clergiet de Cambray. Si (*ainsi*) n'eslirent evesque en grant tamps. Si estoient moult hay et moult blamé du peule *(peuple)*, et quant vit li peules que li cannone ne faisoient mie evesques, si qu'il devissent, si assemblerent contre Dieu et les drois de sainte eglise, et tinrent une audience, et jurerent entr' iaux (*eux*) qu'il ne seroit evesques
D ne chilz ne chiulz aultres, mais chiulx que li empereres y envoyeroit. Puis ot li peules consel qu'il envoyeroient le croche l'evesque a l'empereur Henry le tierch. Dont fu pres del porter un gentiulx homs qui ot nom Masselins, prevos de l'eglise; et dist que c'estoit ses droits. Mais moult tost le contredi Erlebaus, coustres de l'eglise, et dist que c'estoit li siens drois. Ainsi escrimerent longtamps pour porter le croche, et ne fut pas portée. Ainsi passa uns ans entiers, qu'il

VARIÆ LECTIONES.

357 *i. e.* forestum. 358 *Hic desinit* 9. « *quæ ibi adhuc sequentur, scripta sunt alia manu, sed adeo mutila, ut ex eis certi quidquam vix elicere fas sit.* » BRIAL.

n'y ot evesques; et ne sçavoit li empereres que li evesques Gerars fust encor mors. Après se assembla li peules et eslirent evesque contre Dieu et contre les drois de sainte eglise, qui ot nom Manasses, homs jones (*jeune*) d'ans et de meurs. Quand ce vis li clergies si furent durement tourble, et vinrent en capitle, et eslirent par divine inspiration un noble homme, sage, religieux, prevost de l'eglise, qui ot nom Masselins. Quant ce oırent li lay, si furent plain aussi comme de foursenerie, et contredirent terriblement à l'eslection que li capitles avoit faite, et jurerent que Menasses seroit evesques, celui qu'il avoient eslit. Apres jurerent que se aucuns des clers leur contredisoit, que il l'ochiroient. Adont se apparilla li eslis Manasses d'aler a l'empereur, et li bourgois par force tolirent du tresor de l'eglise 7 candelabres de pur argent, qui pesoient 30 mars et un calice de pur or de pois de 7 mars, qui etoient aournés de moult de pierres précieuses. Ainsi envoyerent li bourgois leur eslit à court, mais pas ne le rechupt li empereres, ains revint à confusion. Lors crut haine et discorde entre le clergiet et le peule. Car li bourgois disoient que li clerch avoient envoyet letres à l'empereur, qu'il ne rechupst mie leur eslit, et moult d'aultres causes y ot de haine et de dissention. Ainsi fu li eglise de Cambray long tams veve, desolée, sans pasteur, et estoit en grand tribulation.

2. A cel tamps avoit un mal homme à Cambray, qui ot (*eut*) nom Foulkes; si estoit vidame de la cité. Ichiulx comme il vit que l'eglise estoit sans deffenseur, si entra el palais l'evesque, o lui moult de chevaliers, et saisi les rentes de l'evesquiet (*évêché*), et en vivoit outrageusement, et poi curoit (*paucum curabat*) du domaige de l'eglise, et ne vosist pas que elle euist un boin evesque. Qaand ce virent li anemi de l'eglise, si furent moult esjoi (*joyeux*), si orent consel ensamble, et fremerent (*fermerent*, i. q. *fortifièrent*) castiaux pour apresser la cité. Entre lesquels un chevaliers, qui ot nom Amouris, en fit un a Gouy, et Manasses un a Rumilly. Puis alerent al comte de Flandres Robert, et releverent leur terres de lui, contre leur serment et les droitures du l'evesquiet. Puis guerrierent le païs à grant forche (*force*), si que la cité qui devant avoit guerres de langues et de tenchons (*tençons*, certamina poetica), l'ot après d'armes, de fu (*feu*) et d'espée; et gasterent si le païs que à paines y demeura-il ahaniers (*laboureurs*) qui les terres cultivast.

3. (*Excerpt. Gaug*, 3.) En cel tamps que la cités avoit discorde dedens, et de ses anemis si grant oppression dehors, si li avint un grans maulx qui n'ot point de recouvrier. Car li clergiés d'Arras, comme il virent que chil de Cambray ne faisoient mie evesque, si qu'il devissent, si orent consel ensamble, et eslirent evesque Lambert archediacre de Theruwane — che fu fait l'an de grace 1095 (*potius* 1093) — et fisent ainsi chief del membre. Quand ce oïrent le clergiet de Cambray, si furent

A trop iriet (*irati*), et alerent à l'archevesque de Rains Regnault, et li prierent conseil qu'il poroient faire; il leur respondit qu'il elueussent evesque preudomme, sage, qui peuist l'eglise soubstenir en si grands tribulations. Adont avoit en l'eglise uns archediacre de moult grant valour, et dist au capitle, qui s'il li voloient aidier, il estoit apparilies d'aler à Rome contre Lambert l'eslieut (*élu*) d'Arras; mais caseuns ressongna le travel d'aler à Rome, et disent: « *Chiulx qui est eslis, y voist, et se deffenge si comme pour soi meismes.* » (*Ib.* 7). Puis fu li clergiés mis à grant angouesse de dolear, en tristece, en tribulation, et ne sçavoient par cui il peuissent estre delaiset de leur anemis. Dont penserent et heurent consel ensamble, qu'il ne sçavoient clerch plus

B ydoine, de plus grant valour pour l'eglise relever de ses possessions, que l'archediacre messire Gaucher; et disoient qu'il estoit bien dignes de plus grant honneur. Car il estoit nés de noble lignie, plains de grand clergie (i. q. *savoir*), bien instruits des sept ars. Aultre raison avoit aussi qu'il fut eslis; car li empereres leur avoit mandet par lettres qu'il le eslisissent. Dont fu eslis messire Gauchiers par le commun assent de tous, et sans riens de l'eglise il ala a l'empereur Henri le tierch, qui le rechupt (*reçut*) a grant honneur, et se assenti à l'eslection, et li ottria le seigneurie de Cambray; dont ot grant joie el palais le roy, et li rois meismes commencha *Te Deum laudamus*.

4. Endementiers que li esliux Gauchiers estoit o
C l'empereur, li papes Urbains li seconds sacra Lambert l'eslit d'Arras (*an.* 1094, *Mart.* 19), et par son commandement fu il rechups à Arras à grant honneur. Puis revint li esliux Gauchiers à sa cité, où il fut rechups à moult grant leeche (lætitia, *liesse*, *joie*). Adont vint li vidasme Fouques à l'evesque, et devint ses homs lieges par foi et par serment. Puis li jurerent feuté et clerch et lai. Ainsi comme li boins evesques Gauchiers fu de nouvel venu à s'eglise, si s'efforcha moult durement de amer ses subgis, de vivre en pais entr'eux, d'aquerre amis à s'eglise; mais li orghieulx et li malisces des caseis del païs estoit vers lui trop grans, et croissoit forment. Car Hues, Amouris, Manassès et Anseaux, desquelx nous avons descure dit, rebellerent briefment contre lui, pour ce qu'il cremoient perdre les castiaux qu'il
D avoient fremés entour Cambray pour la cité destruire, tant qu'elle fust sans evesques. Il se cremoient aussi, pour ce qu'il avoient fait hommage al comte de Flandres et relevé leurs terres de lui. Dont chil quatre devant dit faisoient adont trop de grieftés al païs par le force le comte de Flandres Robert. Quand ce vit li evesques, si ot tre grant pitié des poures qui perdoient leurs possessions, dont ammonesta humblement par douches parolles ses anemis, et leur pria qu'il se atargaissent de faire mal à sen eglise. Mais rien n'en fisent. Après sa proyere, il leur promist grans dons, si abatissent les castiaux qu'il orent fais contre lui, et cuissent

A à lui pais ; et tout ce il despiterent. Quand vit li evesques qu'il ne les pooit avoir amis par dons ne par promesses, si assembla grant plenté de saudoyers, et fit tant qu'il ot 700 chevaliers, et deffendi lors son païs moult vigheureusement contre ses anemis (*Abbr. Camerac. 7*). Adont fist il assalir un castiel à Goy en Arouaise, et fu pris à grant forche par l'aide de Dieu, et y fu pris Amouris ses grans anemis, qui le castiel avoit fait, et le tint en prison par un an entier ; et il se repenti des maulx qu'il ot fait à l'eglise, et devint amis à l'evesque, et li jura feuté, et ainsi fu mis hors de la prison. Puis fist il assalir le castiel de Rumilli que Manassès ot fait faire, et y fisent longtamps ; car li ville estoit fort fermée de haulx murs et de profons fossés, de quoi moult s'enorguillirent chil de dedens, et convoitoient moult qu'il puissent le païs destruire. Mais un poi de tamps après les gens l'evesque l'assalirent de si grant vertu, que par la volonté de Dieu li castiaux fu pris, et Manassés ilucc occis ! Lors fist li evesques le castiel abatre et arraser, et tout mettre à fu et à flame. Puis fist assalir un aultre castiel qui ot nom Sauchis, qui estoit fosse de larrons ; si le prist par l'aide de Dieu, et y heut pluisieurs des reubeurs occis et aucuns pris, et ainsi fu li païs delivrés de ces malfaiteurs. Quand li eslis vit que li païs estoit auques en pais, si donna moult de biaux dons à ses saudoyers, et ainsi se partirent de lui moult joyeusement.

5. (*Exc. Gaug. 7*). En icel tamps fut li eslis si occupés de mettre pais en sa terre, qu'il n'avoit heut espasse de lui faire ordenner, et n'estoit pas prestres. Si comme il vit avoit un poi de repos, si ala à Rains à l'archevesque Rainaut, et li pria qu'il l'ordenast à prestre, et il lui refusa jusques à tant qu'il en aroit commandement du pape. Lors ala li esliux à Romme et supplia au pape Urbain le second qu'il fust ordonné à prestre, et li pape le rechupt benignement. Puis monstra li esliux Gauchiers au pape les grieftés que le quens de Flandres Robers avoit fait à l'eglise de Cambray. Puis fist aussi sa complainte de l'eslection de Manassés, comment il avoit estet eslieux du peuple contre droit, et comme grant tribulation il avoit fait puis se eslection : et de toutes ces complaintes furent tesmoing devant le pape li archevesques de Tours et plusieurs aultres D evesques. Quand li papes oï ces coses, si confrema monsieur Gauchier l'esluit, et le renvoya par ses lettres à l'archevesque de Rains, et commanda qu'il l'ordennast, et par le commandement du pape ala o lui li archevesques de Tours et li abbés de S. Basle, et si commanda aussi li papes qu'il ne souffrist pas que chiulx Manassès fesist plus de griefs à l'eglise de Cambray pour se eslection, car elle estoit nulle. Si commanda aussi li papes à celui Manassès qu'il rendist le tresor de l'eglise, qu'il avait mauvaisement portet, ou se chou non, il le excumenioit. Quand li archevesques vit la grant grace que li papes faisoit à l'eslit Gauchier, si fist ce que li papes mandoit. Puis assigna li archevesques jour de beneir l'eslit à Laon, o lui moult d'evesques. En l'eure qu'il devoit estre sacrés, si parvint Manassés et le contredi. Con grans tenchons et con grans dissentions il fit ilucc, long seroit à dire. Dont orent consel li evesque assemblés de ces eslections, et disent par sentence diffinitive que li eslection monsieur Gauchier estoit bonne et loyaulx, et Manassés fu forment des evesques excumeniés, fournigiés et boutés hors de l'eglise, et lors fu messire Gauchier sacrés en grant reverence. Puis vint à sa cité, et fu rechus à très grant honneur, et fu mis en sa chayere de l'evesque de Laon Elynant. Puis fu commandé de par le pape que tout obeissent à lui grand et petit. Puis manda li papes et li archevesques au B comte de Flandres Robert qu'il cessast dore en avant de faire griefs à l'eglise de Cambray, et qu'il ait à lui bonne pais, et qu'il aime l'evesque Gauchier, garde honneur et soubstiegne ; et s'il ne le fait, il le excumenie ; et li quens le fist volentiers.

6. Quand li evesques vit qu'il fu confremés et siege, si ot très grant desirier de relever l'eglise, et pensa premiers de Lambert qui avoit ostet tel membre qu'est Arras de l'evesquiet de Cambray ; lors manda au pape Urbain par solempnel message qu'il li assignast jour contre Lambert qui avoit ainsi Arras, et ilucc estoit evesque ; et li papes li remanda moult admiablement qu'il li aideroit, et li assigna jour pour la seconde domée de l'avent, et en certain lieu à Clermont, et manda aussi à Lam- C bert adversaire l'evesque qu'il fust là à tel jour (*an.* 1095). Dont ala au jour li evesques moult efforchliement, et li papes le rechupt à fause acolée, si que puis apparu. Car Lambert estoit ja venus au pape en secret et li avoit donné très grans dons, pour ce qu'il ne fust desposés, et ainsi avoit le pape atrait par ses douces parolles. Puis tempta li papes l'evesque Gauchier, s'il li volroit plus donner que Lambers, et demandoit trois cent mars d'argent : mais li evesques les denoia, et pour itant perdi il sa querelle. Car sitost que li evesques Gauchier prist à parler devant les evesques qui ilucc estoient en concile, et il faisoit sa complainte de Lambert evesque d'Arras, et disoit que contre les droits de se eglise li papes l'avoit confremé evesque ; li papes fu forment iriés et s'escria moult durement (*Exc. Gaug.* 8) : « Laissiés ester vos droits et vos canons ; car toutes les lois que jou ay données seront auctorisables. » Lors commanda à Manassen qui ilucc estoit presens, qu'il fesit sa complainte, oïans tous, de se eslection. Adont furent si esbahi li evesques et tout le clergiés de ce que li papes commandoit, que ne le poroie dire. Puis se leva Manassen, et commencha à dire que Messire Gauchiers n'estoit mie evesques selong droit, mais il meismes deuist estre evesques qui fu premiers eslis, at moult d'autres choses mist avant chilz Manassès. Et li papes argouoit moult l'evesque Gauchiers qu'il repondist tost à Manassen ; et il moult sagement demanda un poi de respit.

Après un poi tist li evesque Gauchiers sa narration, comment Manassès fu eslieux contre droit sans l'assent du clergiet, et fu refusés de l'empereur, et fut excumenié à Laon en plain concile de evesques; mais il meisme fut esliux selong les droits de saincte eglise, et par le commun assent du clergiet, et confremés de l'empereur qui li donna la seignorie de la cité, et confremés aussi du pape par ses lettres, et sacrés et beneis de l'archevesques de Rains; et de ce il l'appelloit en tesmoignage, car il estoit illuec presens. Lors se leva li archevesques de Rains; et dist que c'estoit vérités; mais li papes nel crei. Après monstra li evesques Gauchiers les lettres de sa confremation saillées du pape meismes, et il tout denoia. Si que li papes ot oy aus deux les parties, si commanda à rendre jugement et messire Gauchiers se cremi, si s'en parti devant sentence rendue. Dont fist li papes rendre sentence par le consel d'aucuns evesques, ne mie de tous, et restauli Manassen evesque, et excumenia monsieur Gauchier, sans ammonester si que faire ne deubt *(Ib.* 10).

7. Puis revint messire Gauchiers à se eglise, et la pourcessions vint contre lui, et le voloit recepvoir à grant honneur; mais pour ce qu'il estoit tristes et dolans et en grand tribulation, si leur deffendi à faire joie, et lendemain manda tous ses amis, et leur conta ce que fait estoit el concile à Clermont. Quant se oy li clergiés et li peules, si furent moult tourblé, et hairent le pape durement, et consillierent à leur evesques qu'il ne obeeist plus au pape, s'il ne rendoit Arras à la cite de Cambray, et ot aussi consel que il ne cessast mie de faire office d'evesque; mais puis li tourna à contraire.

8. Après ces coses Foukes li Visdame, de cui deseure avons dit, et Amouris que li evesques mist hors de prison, et moult d'aultres li plus grant de la cité, prisent à haïr leur evesque et recepvoient lettres et messages de Manassen; et il leur promettoit or, argent, villes et possessions, mais qu'il s'acordaissent à lui et lui manderent par lettres qu'il fust contre yaulx à Avesnes en Haynau à parlement; et il si fu, et leur donna moult de grans dons, et il le rechuprent à seigneur et à evesque, et releverent de lui leur terres et leur fiefs. Puis consilierent à Manassen qu'il alast à l'archevesque de Rains, et messist en ban l'eglise de Cambray et tout le païs, et ainsi fu fait pour accroistre le confusion l'evesque Gauchier.

9. En cel tamps trespassa de cest siecle Rainaus archevesque de Rains *(an.* 1096, *Jan.* 21). Si fu après archevesque Manassès, oncle de celui de Manassen de cui nous disons, et pour ce qu'il trouva l'eglise et le païs en ban, si li tint aussi : dont furent moult esjoi tout li anemi monsieur Gauchier. Mais après ce fisent-il merveilles. Car il n'eslongierent pas l'evesque, ains buvoient et mangeoient o lui, et li donnoient conseil de ses besongnes, et en derrere le traïssoient, et ne se targeoient de faire mal à l'evesque, fors que pour le menue gent qui moult amoient l'evesque, pour ce qu'il estoit doux et piulx; et toujours ama et quist pais; et li grant le haioient pour ce qu'il vouloient les poures fouler, et li evesques les deffensoit.

10. A icel tamps avint à l'evesque grans adversités, car il fut excumenié de Romme et de Rains; quand li clerch virent que li grant del païs l'assaloient ainsi, si eleverent ausni contre leur evesque, et avint adont que li archevesque de Rains leur menda par ses lettres qu'ils laissassent le canter et le service de Dieu, s'ils ne recepvoient Manassen à evesque et li faisoient obedience; et chil tantost cesserent. Quand ce oy li evesque Gauchiers, si fu moult esmervilliés et parla moult douchement à ses cannones, et dist qu'il voloit faire par leur consel si que par ses boins fiulx et ses boins amis, mais qu'il volsissent à lui obeir et reprendre le chanter; et il repondirent en grand desdaing que rien n'en feroient. Puis furent-ils si tourblé par ire, qu'il prisent les corps sains és eglises, et voloient les saintuaires porter hors du païs. Si comme il en aloient o toutes les reliques, si monstra dieux grant miracle, car si très grans habundance de pleue et si grans horreurs de vens chaï sur eulx, que mouvoir ne se porent. Dont coururent après yaulx chevalier et sergant de l'evesque. Si que li clerch les virent, si furent moult esbahi, et li clerh s'en coururent forment, et laissierent les reliques, et li sergant les raporterent és eglises à grant honneur.

11. Entre ces coses se dalu moult li evesques des
C adversaires qui se canonne li faisoient, et il s'assamblerent en l'eglise S. Gery, et furent illuec aussi que en lieu de refuge. Adont leur manda li evesques moult humblement, et les ammonesta par trois fios moult douchement, qu'ils ne creissent pas mal vais consel, mais demoraissent en la cité, servissent Dieu et à lui, si qu'il devoient en bonne foy, et obeissent; et chil riens n'en fisent, ains prierent à l'evesque qu'il leur ottriast qu'il peuissent issir de la cité sauf leurs corps et leur avoir. Et li evesques leur repondi moult debonnairement qu'il voloit qu'il fuissent asseur où qu'il demouraissent (cf. *Abbr. Cam.* 6). Lors alerent li canonne à l'archevesque de Rains Manassen, dire que s'il voloit beneir Manassen et sacrer à l'evesque, il lui feroient aubedience et guerpiroient l'evesque Gauchier; et ainsi fu fait.

D 12. Quand Manassès fut beneis evesques, si crust grant paine à l'evesque Gauchier; mais nequedent pas ne s'effraya, ains s'efforcha de lui plus exerciter en bonnes œuvres. Car entre ces grans tribulations il fist assaillir le castiel d'Oisi qui estoit très fors de murs, de tours et fossés, et dedans manoit uns vaillans chevaliers qui ot nom Gossuins, cousins à l'evesques et lieges homs; et pour ce que li castiaulx estoit au domage de tout son païs, il n'espargna pas son cousin, ains sist tant devant le castiel, qu'il l'afama et prist par force. Puis fist tout abatre et araser à terre, pour le desirier qu'il avoit de ses gens en pais, et chiaulx qu'il trouva dedens sauva

lavie pour Dieu. Puis assist un autre castiel qui ot nom Busegnies, et le prist par forche. Puis assist un aultre qui ot nom Boussies, et le prist aussi. Puist prist-il par forche aultres castiaux, cases, maisons, et tout ce qu'il veoit qui gesnoit à son païs. De ces coses deseure dictes fu li evesque moult amés et durement prisiés des grans et des petis, et de ce qu'il tint ses subgis si bien en pais, fu il moult commendés, meismes de chiaulx qui le haioient.

13. Après ces coses prist li evesque Gauchiers vengance des canonnes qui estoient alet à Rains pour lui deposer. Car il leur toli leurs provendes et leurs possessions, et les donna as clercs qui en s'eglise demouroient. Puis les fist li evesques chanter et faire le service de Dieu moult devotement, et il meismes les visetoit souvent et les incitoit de bien faire, et multiplioit leurs biens temporeulx, si que il leur donna quatre auteulx, l'auteil de Cantaing, celui de Riewe, celui de Wambais, celui de Wethie, et moult d'aultres biaus dons. Ainsi fu li evesques Gauchiers o ses clercs un poi de tamps en paix et en soulas, si que le oïrent li canonne qui estoient alet à Rains, et veoient qu'il avoient laissiet leur eglise trop folement, et chil qui estoient demoret croissoient espirituellement et temporalement ; si se repentirent forment que pour Manassen avoient guerpi le boin evesque Gauchier. Lors orent consel qu'il venroient à lui et querroient misericorde — car il le sçavoient douch et piu — et qu'il leur laissast repairier à leur eglise ; et il le fist moult benignement, et leur rendi leurs prouvendes et leurs dignités tout entièrement si que devant avoient heu, et moult leur pria qu'il servissent Dieu devotement. Puis li jurerent il feuté de nouviel, et il leur pardonna tous mautalens, et les ama pour Dieu, qui commande en Escripture qu'on doit amer ses anemis.

14. Adont obeïrent li canonne à leur evesque un poi de tamps, et le servirent par amour fainte. Mais ne passa mie uns ans qu'il brisierent toute la feuté qu'il li avoient devant jurée, et par le incitement du diable fu entre yaulx grans discorde semée. Car li clergiés et tous li peules rebelerent contre lui, et vinrent ainsi que d'une volente en sa presence et li disent : *Sire Gauchier, nos sires, vous estes rebelles a l'eglise de Romme et à cele de Rains. Si ne voulons plus souffrir de vous, mais alés tost querre reconciliation et pooir de faire office de evesque, ou se ce non, jamais ne repairiés.* Quand ce oy li evesques, si fu moult esbahis et se cremi de la mort. Dont leur pria moult humblement respit ; car il desiroit à estre hors de leurs mains, et la merchi Dieu il li ottryerent. (Cf. *Abbr. Cam.* 8.) Puis alla dedens trois jours à l'empereur d'Allemagne Henri, et li racompta tout ce qui fait estoit, et moult li pria qu'il li fesist pais de si grans injures. Dont le retint li empereres o lui grant tamps.

15. Endementiers que li evesque Gauchiers estoit illuec, si s'assembla li clergiés et tout li peules, et rechuprent Manassen à evesque contre les droits de A l'evesquiet et de l'empereur. Si que Manassès fu rechups dedans la cité, si se tint comme evesques, et tint senne, et fit ordenes, et demoura iluec par trois mois, et toli les benefices à ceulx qui es'oient de la partie l'evesque Gauchiers, et les donna à ses amis. Ainsi que ce fu fait, si vint la nouvelle que li evesques Gauchiers reparoit de court o lui grans princes de par l'empereur. Quand ce oy Manassès, si fui hors de la cité, et li evesques Gauchiers y entra, et li prince l'empereur aussi, qui estoient venu pour sçavoir liquel estoient obeissant à l'evesque et liquel non. Dont, commanderent li prince de par l'empereur, oïant tout le peule, que tout obeissent à l'evesque Gauchiers, et qui ne le feroit, il seroit anemis à l'empereur. Dont s'en partirent li aucuns B des clercs, li aultres remesent. Lors demanda li evesques à ceulx qui demorerent leur foi et leur serment, et qu'il li feissent hommage, et il si fisent tout et clerch et lay sans contredit, en la presence des princes l'empereur. Mais je prise poi telle feuté, car en derrere ils font tout le contraire.

16. (Cf. *ib.* 9.) Par icel tamps Robers quens de Flandres, pour ce qu'il vit si grand dissention entre le clergiet et le peule, si saisi la terre de Cambresis, jasoit ce que ce fust contre les droits de l'empereur. Car li archevesques de Rains Manassès li avoit mandet par lettres qu'il destruisit Cambrai et confondist cheux de la partie l'evesque Gauchier, aussi com se il fuissent païen. Puis ces lettres veues, vint li quens Robers en Cambresis à grant C ost, et pilla le païs et fist grans arsis, si que la terre demora sans ahaniers et furent vuit de beufs, de vaches et d'aultre bestialle, et s'enfuirent homs, femmes, grant et petit, et mendioient par diverses terres. Puis fist-il fremier un castiel, pour le cité plus appresser, à une ville qui ot nom Marcoing, sul la riviere de l'Escaut à deux miles près de la cité. Ainsi leur tolli leur issue, et pais, pain, char, vin, sel, buche et tous aultres fruits de terre. Quand virent li bourgois qu'il estoient en si grant tribulation, et qu'il n'avoient nul secours de par l'empereur, si vinrent à leur evesques, et disent qu'il ne poroient la cité garder, ne contrester al comte de Flandres, s'il n'avoient aide. Lors envoia li evesques à l'empereur, et fist sa complainte en grant doleur D de cuer, et li prioit pour Dieu secours ; et li empereres le fist volentiers. Car il y envoia le comte de Louvaing o 200 chevaliers et l'evesque de Liege o 300, et li manda qu'il meismes venroit et li feroit pais du comte Robert. Ainsi fu fait, car li quens laissa le païs en pais par un poi de temps, et li chevalier devant r'alerent en leur païs.

17. Si comme il furent repairiet en leur terre, si se cremirent moult li bourgois. Car la cité yert poure et poi y ot de gens d'armes et deffensables, et molt doubtoient le revenir du comte. Dont parlerent une fois ensamble et disent : *Pourquoi souffrons nous si longhe mort, recepvons le comte à seigneur, et ainsi ayons repos.* Lors disent à l'evesque Gauchier

qu'il leur laissast faire commugne et conjuration A ensamble pour son prolit meismes; car aultrement il ne povoient la cité et yaux meismes deffendre. Quand li evesque oy che, si se dolu trop durement, nequedent pour ce que la cités euist plus grant aide, il le souffri. Lors jurerent ainsi : *Nous, bourgois de Cambray jurons tous ensamble par Dieu et par ses saints, et promettons par nos foy, et confremons par chartre, que nous garderons monsieur Gauchier notre evesque fevement de sa vie, de se honneur, de ses membres, tant qu'il sera à la court l'empereur Henri et son fils et ses successeurs, ainsi que li evesques de l'empire jugeront. Et si jurons par nos crestiennetet, que ja ne lui faurons, et ne recepverons abbet, moisne, clerch, lai, qui soit contre lui, et que nous li garderons ses droits selonc les lois et les cos-* B *tumes des evesques devant lui.* Moult d'aultres coses ilz jurerent, puis aidierent leur evesque fiaulment et garderent le pays à leur pooir; car il avoient grant esperance de la venue de l'empereur.

18. (Cf. *Abbr. Cam.* 9.) Adont vint li empereres Henris en ces parties à très grant ost, et entra en la terre le comte à grand forche, si que li quens ne pot à lui contrester et ne deubt; car il étoit ses homs liege, et par fol consel avoit-il empris sur lui et sur son empire. Ainsi comme li empereres chevauchoit o sa grant ost, si n'y remanoit castiau ne fortreche qui ne fust prise par forche ou par paour, et abatut à terre, si que cinq en y ot ainsi destruis, li premiers fu Marcoing, l'autre Paluel, le tierch Ynchi, le quart l'Escluse et le cinquieme Bouchaing. C Mais le castieu de l'Escluse fu pris par forche d'assault et par fu, et y ot occis plusieurs de la gent le comte. Adont ot li empereres grant desirier d'aler avant en la terre le comte, mais il ne pot; car il faisoit un fort hyvier de plueves, de vens, de gresil, et la terre était si fresque, que le grand ost n'y pooit chevauchier. Dont repaira li empereres par Cambray puis cette victoire, et conforta moult les citains. Puis s'ala en son païs, et fist jurer tous gens de l'ost qu'il revenroient à l'estet sur la terre de Flandres. Dont prist li empereres très efforchiement soi appariller à revenir en Flandres; si fist faire moult grandes nefs, car il proposait à assalir Flandres par mer et par terre.

49. (Cf. *ib.*) Mais ce ne pooient pas attendre chil D de Cambray qui estoient en grant griefté; car li empereres les avoit laissiés sans aide, et il avoit le comte trop blechiet, et pour ce se doubtoient li bourgois qu'il ne venist soudainement et destruisist la cité, et par un poi qu'il n'avint ainsi. Car li quens vint par nuit à grant gent armée, et entra en la cité acciée et y bouta le feu, de quoi li bourgois furent trop esbahi, si que nes ils ne se misent à deffense. Lors y fist Dieux grans miracles par les merites saint Gery; car chil de l'ost cachierent meismes li uns l'autre hors de la cité, ainsi s'en partirent et laissierent les bourgois en pais. Quand ce virent li bourgois, si rendirent grant graces à Dieu et au saint. Après ces coses ne furent mie li bourgois bien asseur, si manderent au comte Robert qu'il euist pitié d'iaulx et leur donnast trieuves et respit d'essi à la venue de l'empereur; et s'il ne revenoit et les secouroit, si comme il ot convent, il li baillieront la cité et la seignourie, et obeiront à lui, et devenront si homme feal. Tout che ottria li quens volentiers; et leur donna trieuves d'essi à la nativité Notre Dame en Septembre. Et pour ce que ce fust cose estable, fu donnée fiance par leur fois d'une part et d'aultre. Lors espera li quens qu'en brif tamps la cité fust soie, mais ne fu pas ainsi; car assés tost après il oy dire que li empereres repairoit vers Flandres à très grant effort. Dont se cremi moult qu'il ne fust deshiretés, et demanda consel as plus grans de Flandres qu'il poroit faire, et chil li respondirent que ainsi qu'il avoit empris sour l'empire, il avoit par ce l'empereur forment tourblé, ainsi desoremais il requesist sa grace et sa misericorde, et li fesiste amende et satisfaction. Lors creï li quens leur consel, et vint à Liege où li empereres estoit, o lui dux, princes, comtes et evesques, et fu illuec la pais faite à grant joie; et fist li quens hommaige à l'empereur, et jura feute à lui et à son regne, et dist, oyant tous, que dorecnavant il honerera l'evesque de Cambray Gauchier, et le soubstenra contre tous à son pooir, et commandera que on li donist toutes les rentes de l'evesquiet. Dont furent à l'empereur rendu li prisonnier qui estoient pris de sa partie, et au comte aussi li sien, et li evesques rendi aussi chiaulx qu'il ot pris, et ainsi fu bonne pais partout, et promist li quens grant aide à la cité de Cambray.

20. Ainsi comme li euesques Gauchiers estoit en grant tranquillité, et moult estoit amés de ses subgis, si en orent envie si anemi et rebellerent contre lui, et li disent par durent parolles qui n'estoit mie obediens à l'eglise de Rains, si qu'il devoit, et voloient recepvoir des canones qui estoient alet encontre lui à Rains; et il leur deffendi tantost qu'il n'en recheussent nul; car il estoient anemi à l'evesquiet et à tout l'empire. Puis celle deffense si se parti li evesques de Cambray; car il voloit esprouver que li peules feroit : et il tantost aussi comme par conspiration manderent à l'archevesque de Rains qu'il fesist revenir les canonnes à Cambray, encore fust ce contre la volenté l'evesque, et manderent aussi qu'il envoiache de par lui aucun qui absoile la cité de la sentence, de quoi elles estoit en ban (cf. *Abbr. Cam.* 10). Ainsi fu fait. Car li archevesques meismes vint à Cambray o lui l'evesque de Laon et l'evesque de Theruwane, et assemblerent le clergiet et le peule à l'entrée de la ville. Che fu fait l'an de l'incarnation nostre Seigneur 1103, le vigile S. Matthieu. Puis entra en la cité, et reconcilia eglises, auteulx, et fist li clergiet, et le peule par foi et par serment enconvenenchier qu'il seroit obedient à l'eglise de Rains. Puis excumenia l'evesque Gauchier, et ne le tenoit

pas pour evesque, ains haoit tous ceulx qui li aidoient, et commanda que prestre, diacre, sons-diacre et tous li aultrez clergiés qui estoient de la cité monsieur Gauchier, laissassent le chanter. Dont repaira li peules et li archevesques à Rains, et nequedent demorerent li canone qu'il avoit fait faire revenir à Cambray, pour lesquels li lai estoient parjure.

21. (Cf. *ib.* 10.) Endementiers estoit li evesque Gauchiers à un castel qu'il ot fait faire, qui ot nom Estruen ; si fu ses refuges iluec par moult de tamps, et li chevalier del païs, li franc et li vilain obeissoient à lui si comme à leur propre seigneur. Quand ce virent si mal anemi qu'il estoit si honnerés de grands et de petits, si penserent par quel art il le peuissent cachier hors de ce castiel. Lors prisent Godefroi fil Ansiel desuere nommet, et fisent leur seigneur, et l'esleverent si que deffenseur de la cité. Puis li ottrierent qu'il recheuist les rentes de l'evesquiet, et tenist chevaliers à ses saudes, et gardast le païs et contrainsit l'evesque Gauchier qu'il ne leur peuist grever. Dont s'aloia à celui Godefroi par sa foi en celle male besogne messire Hue de Inchi, et li fist hommage, et li requist le castellerie, et chiulx Godefrois li ottria, nequedent l'avait-il perdue par jugement el temps l'evesque Gerard le second. De cel don fu grans ammiration par tout le peule. Puis assemble chil Godefrois très tout le peule de la cité, et assali le castiel d'Estruen, et le prist par force et l'arasa à terre. Ainsi escachierent leur evesque de son hebergage ; mais li bourgois dou castiel en Cambresis le rechurent à grant honneur. Ainsi fu la terre de Cambresis par longtamps griefment tourblée par celuy Godefroy ; et li evesques Gauchiers fist sa complainte à l'Empereur et au comte de Flandres, qui en furent moult iriet, et manechoient forment a pugnir Godefroy ; et il s'en repenty de ce qu'il avoit empris sur l'empire, et creï consel de preudhommes, et ramena l'evesque en sa cité, et le remist a honneur en sa maison. De quoi li clergiés et li peules moult s'en dolurent, mais contredire ne l'osoient. Adont s'efforcha li evesques Gauchiers moult de se faire amer de ses subgis, et toute la doucheur que pars doit avoir à fil, il leur monstroit par œvres.

22. (*Ib.* 40.) En icel tamps vint à Cambray qui aporta bonnes nouvelles. Car li evesques de Soissons estoit trépassé de cest siecle, et li papes avoit fait Manassen iluec evesques, dont furent moult esjoi li ami monsieur Gauchier. Lors envoya li evesques Gauchiers à Manassen archevesques de Rains un moult vaillant archidiacre qui ot non Ansiaux, et prioit li evesques moult humblement miséricorde, et qu'il euist pitié de lui, et li pardonnast ses meffaits. Quand ce oy li archevesques Manassès, si fu trop forment iriés, et respondi cruelment à Ansiel, et dist : *Pour ce que tu m'apportes telz nouvelles, je te excumenie, et pour ce que*

A *te oses parler devant moy du fil antecrist.* Dont fu chilz Ansiaulx trop espoentés, et requist moult humblement absolution, et se cremit que jamais ne puisse repairier. Adont fut renouvellée la haine et la contention sur l'eglise de Cambray, si qu'elle avoist estet au concile à Clermont. Puis commanda li archevesques qu'il esluissent autre evesque à Cambray sur monsieur Gauchier. Pour ces coses alerent à consel li canonne de Cambray à Rains, et disent à l'archevesque : *Biaux doulx peres, pour l'amour Jesu Christ, ne nous constraigniés pas à eslire aultre evesque. Car li nostres est preudons, sages et discrets; si nous aime que boins peres, soubstient, nourist, et par nous il vous prie merchi, et se vous ne li faites pardon, il nous semble que c'est*
B *injure. Car la loi divine dist : « Qui merchi prie, merchi doit avoir. »* Lors ne fist riens li archevesques à la requeste des canonnes, ains respondi qu'il estoit moult liés de ce qu'il les tenoit en sa presence, et les ammonesta que il tantost esluissent evesque. Adont li aucun, qui orent plus sain censel pour ces oppressions, appellerent à Romme : li aucun, qui voloient avoir le faveur l'archevesque, demorent iluec, et esluirent l'abbet de S. Martin de Tournay qui ot non Oedes, et fu sacrés au tierche jour, et li fisent chil canonne feuté (*Ib.* 11). De cette cose fu trop li peule esmerveilles. Dont ala li eslius à Tournay, et fist ordenes iluec et tint senne. Puis vint à Inchy, et demoura iluec par deux ans, et le servoient et honneroient chil du
C pays entour ; car fust à tort ou à droit, il estoit evesque. Et puisque li archevesques l'avoit beniet, chil du païs ne l'osoient contredire.

23. (*Ib.*) Or dirons de monsieur Gauchier qui souffroit si grans adversités en très grant patience, et point ne s'en vengoit, ains atendoit la justice notre Seigneur. A le parfin quand il vit qu'il estoit agrevés de si grans oppressions, si laissa la terre de Cambresis, et ala à l'evesques de Liege qui ot nom Obiers, et chilz le rechups à grand honneur, et le retint courtoisement o lui par grans tamps, et l'amoit et honneroit durement.

24. (*Ib.*) En icel temps avint que li empereres Henris donna à Robert comte de Flandres la cité de Cambray, et qu'il le tenist de lui à sa vie ; et chilz si fist et rechupt les pourfis quant que li empereres vesqui. Adont amena li quens Robers dedens Cambray l'evesque Oedon, et le mist el palais, mais aultre benefice n'ot de toute l'evesquiet que l'ostel, et qu'il celebroit comme evesques. Après avint que li empereres Henris fu excumeniés, et ot moult de adversités par le souffrance de Dieu. Car il estoit excumeniés, et ses filz qui ot non Henris se leva contre lui, et li toli à la couronne de l'empire la lanche, le septre, le pooir et le glore del regne. Puis fu-il cachiés et reprouvés de tous les princes, et ainsi mourut à Liege sans honneur de roy (*an.* 1106). Après ces coses tint Henris ses fiulx l'empire paisiblement ; et messire Gauchiers ala à

lui et fist sa complainte du comte Robert de Flandres, comment il avoit tourblé son empire, saisi Cambray et mis ens l'esdit Oedon. Dont fu li empereres forment iriés pour les miseres l'evesques Gauchiers et pour les injures le comte et l'esluit Oedon. Lors s'apparilla li empereres moult efforchiement pour venir en Flandres, et y vint à très grand ost (*an.* 1107), et assist le castiel de Douay qui trop estoit fors de murs et de fossés. Adont furent chil de Flandres moult espoenté, et li saudoyer que li quens avoit mis pour garder Cambray, se cremirent forment; si guerpirent la cité et s'enfuirent. Dont entra li quens dedans Douay, et garni et hourda moult deffensablement toutes les fortreches, et prioit à tous moult bonnement qu'il se deffendissent vigheureusement. Au tierch jour après, li empereres fist un très grant assaut, et li quens merveilles bien se deffendi, si qu'il y ot plusieurs des chevaliers occis de la partie l'empereur, et ainsi laissirent l'assaut. Dont orent consel tout li grant prince de l'ost l'empereur ensamble; car il veoient que riens ne profitoient et que pas ne prendroient le castiel, et li disent qu'il rechupst à amour le comte de Flandres, et il li feroit hommage et service par sa foi. Lors rechupt li empereres le comte de Flandres à homme, et furent bon amit ensamble, et li empereres li donna le castellerie de la cité et la ville du castiel en Cambresis seulement à un terme, desi à tant qu'il euist mis propre evesque à Cambray qui fust en bonne pais.

25. Après ce vint li empereres à Cambray moult terriblement, mais devant sa venue s'enfui Oedes, et grans partie du clergiet et du peule qui se sentoient coupable. Dont s'enfuirent plusieurs femmes o leurs enfans as eglises et en tours, et les puccelles se reprouvoient quand elle virent tant de chevaliers Alemans, Esclavons, Lotharyens, Saisnes. Adont rechuprent l'empereur à moult grand honneur li partie du clergiet qui pas n'estoit contraire à l'evesque Gauchier, et li evesques meismes estoit o l'empereur, et avoit moult s'amour et sa grace et de tout sa gent aussi, et estoit compains do sa table. Adont fist l'empereur cryer que tout li caseit et li bourgois venissent en sa presence : et il y vinrent moult émus; car il se cremoient de perdre la vie ou leur membres, et nequedent contredire ne l'osoient. Lors parla li empereres moult durement à yaulx, et forment les blastenga, et dist comment ils estoient si oset qu'il avoient fait tant de coses contre les droits de l'empire, conjurations, commugnes, nouvelles loys, et que plus est qu'il avoient rechupt nouvel evesque dedens la cité contre Dieu et contre la seignorie de l'empire. Quand il oïrent l'empereur ainsi parler, si furent trop espoenté, et ne sçavoient qu'il peuissent respondre. Et pour ce qu'il se sentoient coupable, il se humilierent, durement, et prierent à l'empereur merchi. Dont prist li boins evesques Gauchiers moult benignement à pryer pour ses subgis, et chaï a piés le roy et disoit : *Trez douiz empereur, ne destruisiés pas nos bourgois si cruelement et en si grant severité : car bien les poés corriger en plus grant doucheur.* Dont prierent aussi li prince de l'ost o l'evesque, et disoient qu'il euist pitié de tant de larmes. Quand ce oy li empereres, si refranist un poi de se ire, et creï le consel de l'evesque et des princes, et ne les pugni mie si qu'il proposoit par righeur de justice. Nequedent ne les espargna pas du tout; car il commanda tantost qu'il apportaissent en sa presence la charte del commugne qu'il orent faite, et chil si fisent; et li empereres tantost le deffist, et leur fist jurer devant tous les princes que jamais aultre ne feroient. Ainsi fu deffaite celle commungne, et leur fist l'empereur jurer feuté à luy par foi et par serment. Et pour ce qu'il les ot trouvés poi estaules, muables et de legier corage, si dit qu'il donnaissent ostaiges, et feissent seurté que à tousjours demoureroient si fiable. Quand ce oïrent li bourgois, si furent trop iret, mais n'oserent contrester; ains delivrerent en ostage devers l'empereur les fiulx des plus grans de la cite. Quand li rois les ot rechups, si ne les mist pas en prison; mais il les bailla à plusieurs de ses princes, et les fist bien garder par divers lieux.

26. Après ces coses repaira li empereres en son païs (*an.* 1108), et messire Gauchiers ala o lui, et fu moult honnerés de lui et de ses princes. Dont revinrent à Cambray li canonne qui s'en estoient fu contre la venue l'empereur. Mais li eslius Oedes ne por entrer, car li bourgois li véerent l'entrée. Lors ala-il à son hostel à Inchi, et demora iluec (*Ib.* 11).

27. En cel an (1110) li empereres ot pourpos d'aler à Rome parler à l'apostolle Pascaul, si envoia devant solemnes messages, preudhommes et discrets, qui monstraissent au pape ses besognes; et messire Gauchiers y ala, et fu ainsi que chiulx d'iaulx tous maistres et kefs. Si comme il vinrent en la presence du pape, si dist messire Gauchiers la parolle, et monstra moult avenamment le querelle l'empereur : de quoi li papes moultes l'ama, et en ot grant reverence, et le tint pour saige homme. Après le besongne l'empereur, fist messire Gauchier sa complainte au pape pour soi-meismes, et li dist les grans griefs que li clergiés et li peuples li avoient fait, et comment il li avoient tolut le evesquiet de Cambray par tant de fois, pour ce qu'il tenait bien justice et aidoit les petits qu'ils ne fuissent grevet des grans, les orguilleux il rappressoit, les ravisseurs si escachoit, les robeurs condampnoit; et pour ces coses li avaient-il fait tant de persecutions, qu'il n'avoit estet en pais un jour en se evesquiet pour le malice de ses anemis. Quand li papes oy les grans miseres monsieur Gauchier, si l'en prist grans pitiés (*Ib.* 11), et volentiers l'euist restabli evesque, mais pour l'eslit Oedon le laissa qui encor vivoit. Lors li fist li papes grans graces, et li ottria qu'il euist en

l'église de Cambray tous les benefices qu'il y ot onques, et aucuns benefices li donna de nouviel, si qu'il fu canones, coustres, archediacres de Braibant, et le confrema li papes par chartres et par son séel; et pour co qu'il ne se cremist de perdre ces dignités, il le baisa en signe d'amour, et manda à l'archevesque de Rains par ses propres lettres qu'il le remesist en ses dignités d'ariere. Che fut fait l'an 1104.

[(Waterlos.) 28. L'autre an après Gervaises fiulx Huon, le comte de Rethest, saisi l'eglise de Rains, et volt estre archevesques contre aucuns del clergiet. Car li archevesques Manassès, de cui deseure avons dit, avoit laissiet sa croche et estoit devenus canones rieulles en l'abbeie S. Denis à Rains et illuec trespassa de cest siecle. En l'an après li papes Paschaus vint à Troies, et tint iluec grant concile; et condampna Gervaise qu'il n'estait pas dignes d'estre archevesques, et confrema un qui ot nom Raous. — Li empereres Henris par deux ans après prit à moullier le fille le roy Henri d'Engleterre qui ot nom Mehaux, si n'avoit que 8 ans. — Une estoille apparut el mois de Juin, qui ot nom chomete, et getoit ses rais par devers meidi. — Bauduins, fils Robert comte de Flandres, prist à moullier le fille Alain comte Bretaigne. — Robers quens, fiulx Robert le comte de Cassiel, morut et fut enfouis à Arras en le eglise S. Vast. Si fu Bauduins ses fielx quens après lui.]

29. En cel an (1111) li empereres Henris ala à Romme, et mena grant ost moult sagement par grant visiuté; et encor euis-il juré feuté au pape Paschal et as Rommains, nequedent il entra à Romme secretement, et prist le pape par sa force en l'eglise S. Pierre et les cardinaulx et aucuns evesques, car il lez assali en traïson, et les trouva despourveuement. Quand ce oïrent li Rommain, si prisent à combattre très efforchiement contre l'empereur, si que d'une part et d'aultre en y ot moult de occis. A la parfin li Rommain le cachierent par leur force hors de la cité, et il nequedent mena o lui le pape pris, et le tint en assés estroite garde par tout un quaresme. Puis la seconde domée après pasques fut faite boine pais et concorde entre le pape et l'empereur, et chaï li empereres as piés du pape, et pria moult humblement absolution de ses pechiés, et le pape l'assaut. Puis vint à l'église S. Pierre, et iluec le couronna li papes de couronne d'empereur à grant léeche. Che fu fait l'an de grace 1111. Après li donna li pape pooir qu'il donnast les croches à tous les evesques esliux en son païs et en son empire, et pour ce que ce fust cose estable, il le confrema par privileges. Puis dist li papes à l'empereur qu'il voloit qu'il recheust à l'homme l'eslit Oedon, homme simple et preudomme, et qu'il l'amast et tenist cher, pour ce qu'il l'avoit confremé evesque. E li empereres moult s'esjoi quand il vit que le pape li prioit, et moult desiroit à accomplir sa prière (cf. *Abbr. Cam.* 11). Dont

A repaira li empereres en son païs; et assés tost après il donna à Oedon l'evesquiet et les seigneuries de Cambray; et chilz li fist feuté, et puis l'envoia li empereres o ses messages solemnés à Cambray, et ainsi fut rechups à grant reverence.

30. (*Ib.*) Quant ce oïrent li evesque de l'empire, li abbet, li religieus et tous ordenes du clergiet, que li papes avoit ottryet à l'empereur tel don, si se dolurent moult griefment; car bien leur sembloit que c'estoit contre Dieu. Lors alerent li aucun des evesque isnellement au pape, et parlerent à lui moult durement, et le reprisent aigrement de ce qu'il avoit fait telle pais à l'empereur et si malle convenance pour paour de son corps, et disoient que telle convenance ne faisoit pas à tenir. Ainsi B fu deffaite celle pacion, et li boin evesque en la presence du pape derompirent le privilege, et l'appielloient pravillege. Puis enorterent tant le pape que l'empereur fu excumeniés de toute sainte eglise. Dont convint que li papes deposast tous les evesques qui avoient rechupt leur croches en tel tempore de l'empereur. Ainsi fu demis li evesques Oedes de l'evesqueit.

31. Après se assemblerent li cannone pour eslire evesque. Tout orent en memore les miseres, les paines, les travaux, les domages qu'ils orent eus par les descordes de leur eslection. Si leur sembla que mieulx ne poroient avoir pais, que s'il rappelloient monsieur Gauchiers. Tos s'y assentirent; puis porterent la croche à l'empereur, et li empe- C reres volentiers si assenti. En icel tamps demoroit monsieur Gauchiers en la cité de Tournay, et vivoit iluec moult honnerablement. Lors li manda li empereres qu'il venist à lui, et rechevist la seigneurie de Cambray de lui. Mais messire Gauchiers le refusa, pour ce qu'il sçavoit trop grant discorde entre le pape et l'empereur, et il se cremi de courechier le pape et de perdre sa grace, et il meismes se sentoit foibles et anchien, si que nulz ne le poroit inciter à ce qu'il fust mais evesques. Après ces coses vesqui messire Gauchiers par un poi de tamps; mais Dieux le fist venganche de ses anemis : car il morurent tout ains qu'il morust. Dont rendi graces à Dieu, et dist : *Loés soit Dieux de ce qu'il m'a fait. Or veul-je volentiers morir, puisque Dieu m'a de mes anemis vengiés.* Puis ot-il D bon consel, et ala à S. Nicolas dou Bos et se rendit iluec moisnes, et vesqui moult saintement, et fist grant penitance, et ainsi trespassa de cest siécle. — [(Waterl.) En icel tamps fu occis Gaudris evesques de Laon des bourgois de sa cité.

32. Or vous dirons comment li evesques Oedes fu eslius el tamps de la discorde deseure dite. A icel tamps que li papes Paschaus fist Manassès evesque de Soissons, qui devant avoit estet eslis de Cambray par discorde, mais en la cité ne pot entrer; et l'archevesque de Rains Manassès, qui ses oncles estoit, ot demis monsieur Gauchier pour son cousin faire evesque, mais ne pot à chief venir

dont alerent à Rains li cannone de Cambray, quand A il sorent que Manassès estoit evesques de Soissons, et voloient monsieur Gauchier recepvoir à evesque, si que leur boin eslit, et l'archevesque Manassès pour la haine qu'il ot à lui, le contredi, et leur commanda par obedience et sur excumeniement qu'il esluissent aultre; mais riens n'en fisent, ains appiellerent à Romme (cf. *Abbr. Cam.* 10). Puis repairierent à Cambray, et aucun des canones qui demorerent renonchierent à monsieur Gauchier, et esluirent Oedon, abbet de S. Martin de Tournay (*Ib.* 11). Si le sacra li archevesques; mais ne fu pas rechups adont à Cambray, ains ala à Tournay, et demoura en l'esglise S. Martin par deux ans. Après vint Robers quens de Flandres à lui, et par le consel d'aucuns du clergiet il l'amena à Cambray. B Si vivoit du sien propre, et ne mie des biens de l'evesquiet. Chilz Oedes fu uns hom bien lettrés, maistres de grant science, patiens, deboniaires, humbles à tous, plains de saintes meurs. Il honnoura moult clergiet et toutes ordenes. Il antoit sainte eglise par jour et par nuit, ainsi comme uns autres canones. Il acrut moult les possessions temporeles. Il paissoit ses subgis de saintes doctrines. En la fin li avint grans encombriers; car pour ce qu'il avoit rechupt la seignourie de Cambray de l'empereur qui estoit excumeniés, encor l'euist-il fait par simplece et sans malice, li papes le tint à grant excès, et en fut moult iries pour la discorde qui estoit entre lui et l'empereur, et pour itant li manda li papes par ses lettres qu'il cessast de gouverner l'evesquiet, C et li deffendi toutes droistures que evesques doit faire. Et li preudrons gisoit moult malades et prochains de la mort, quand la sentence du pape parvint à lui, et il obeï moult douchement à Dieu et au pape, et morut en sainte obedience, et fu enfouis en l'eglise d'Anchin. Ce fu l'an de grace 1113 (*Jun.* 19). — [Waterl. En cel an el mois de May li soille et aucun arbre furent ars de fu qui vint du chiel, et n'orent point de fruit, et aucunes forres sechierent. — En l'an après Bauduins rois de Iherusalem, freres Godefroi de Bouillon, prist a moullier le femme le duc de Sezille Rogier qui mors estoit. — En cel an mourut li evesques d'Arras, Lambert.]

33. (Cf. *Abbr. Cam.* 12.) Après l'evesque Oedon fu esli evesques messire Bourchars par le commun D assent du clergiet, l'an de grace 1114. Si fu homs simples, discret, honnestes, et prestres moult religieux. A cel tamps estoit pape à Rome Paschaus et empereres Henris le IIII, qui moult volentiers s'assenti à celle eslection. En icel tamps avoit grant discorde entre le pape et l'empereur, et excumenioit li papes l'émpereur et toutes ses œuvres; et s'aucuns evesques estoit eslis en l'empire et recepvoit regale et sa croce de l'empereur, li papes li véoit son sacre et sa beneïchon. Pour lequel cose messire Bouchars encor fust-il eslit de Cambray et recheus de l'empereur et de la terre de Cambresis, et li euissent fait feute: nequedent il attendit deux ans, et doupta à requerre la confremation du pape, et son sacre de l'archevesques de Rains. Lors se mist-il endementiers en orisons et en veilles, et moult se exercitoit en boines oeuvres, si que par sa grant humilité il ot grace du clergiet et du peule. Ainsi fu espandue loing la fame de sa conversation, et parvint à Raoul archevesque de Rains qui moult se tint en grant chierté, et le manda qu'il venist à lui, et le rechupt moult reveremment, puis li carcha ses lettres, et l'envoia au pape Pascaut en grant esperance d'empetrer ce qu'il queroit. Quand li pape oy le grand tesmoignage de l'archevesques, si rechupt monsieur Bouchard moult benignement, et li fist grans graces, et volentiers le confrema; puis le renvoia à l'archevesques pour benir, et il le sacra à Rains à moult grant reverence el mois de Julle. Puis revint à Cambray, et fu rechups à moult grant l'éche, et li archevesques meismes le mist en la chaiere d'evesque moult honnerablement. Après ce qu'il fu du tout confremés, si fist un sermon moult devotement as canonnes et à son clergiet, et les ammonesta douchement qu'ils servissent Dieu de cuer vray, et qu'ils gardaissent bien l'estat de sainte eglise, et sievissent les fais des preudommes qui furent devant yaulx, et moult d'autres parolles de bonne exortation si leur dist. Après parla et dist: *Je vous rench tous les droits que vous devés avoir en sainte eglise, et vous otri benignement toutes les boines coustumes que clergiés doit avoir anchiennement, et le conferme qu'il soit gardés sur excumeniement; vous promech à traitier douchement et à amer comme boins* peres, *et les biens de sainte eglise croistre à mon pooir.* Puis ala au palais comme evesques, si le trouva si wit de tous bins, qu'il n'ot de quoi vivre, ne si clerch, ne si chevalier, ne la maisnie, si qu'il affresist à evesque. Dont se mit moult efforchiement à requerre les possessions de l'evesquiet et rassembler ce qui estoit espars, ressartir ce qui estoit reû, racheter ce qui estoit vendut. Car li evesque devant lui par legiereté ou par necessité avoient donné ou mis en gage villes, bos, yauwes, terres ahanables et moult d'aultrez possessions, et li caseit et li chevalier de Cambresis les tenoient contre droit, et li boins evesques par l'aide de Dieu les retrait à levesquiet, et les molins et les tonlieus.

34. (Cf. *ib.* Après s'efforcha moult li boins evesques de ravoir le castellerie de Cambray et le castiel en Cambresis; car li empereres Henris li tiers avoit donné jadis au comte de Flandres Robert le second la castellerie de Cambray et le don du castiel en Cambresis, pour itant que li quens gardast diliganment et soublenist loyaument les evesques, quand li empereres les envoyeroit à Cambray, et pour ce qu'ils gardast fiablement le partie du royaume qui appartient à son empire. Ensi tint li quens Robers par long tamps en sa main

le castiel en Cambresis, et Hues d'Oisi, fiulz le castellain Huon, rechiut le castellerie du comte, et l'en fist hommage, et li jura à garder feuté. Pour ces coses descure dites venoit li quens maintes fois à Cambray, et leur aidoit en leurs nécessités. Après un poi de tamps ala li quens à un tournoiement à Miaulx, e fu iluec estains entre la chevalerie. Après lui fu quens de Flandres Bauduins ses fiulx, et tint la terre ainsi comme ses peres l'ot tenue, et pour ce volt il tenir le castiel en Cambresis, et Hues devant dit rechupt le castellerie de lui, et li jura feutet; et pour ce que ces coses descure dites estoient faites contre Dieu et contre l'eglise Notre Dame de Cambray, li evesques Bouchars excumenia le comte Bauduin, et cascun jour faisoit faire grant complainte et proclamation à cloque sonnant devant corpus Domini pour l'injure du comte. Après un poi de tamps avint que li quens devant dis ala en Normendie à moult grant ost, et fu en bataille grief ment navrés el chief, si que oncques n'en pot avoir garison. Mais Dieux, qui est misericords, li presta espace de vie tant qu'il ot grant repentance et fist humblement sa confession. Quand li evesques Bouchars oy que nulz ne avoit esperance de la vie le comte, si envoya ses messages à lui, et li pria moult humblement qu'il rendist à s'eglise le castiel en Cambresis et le castellerie de Cambray, et pour le absolution et la remission de ses péchiés il ne soufrist mie que chil qui seroit quens, après lui les tenist à tort. Quand ce oy li quens, si rechupt les messages l'evesque moult benignement et fu moult contris et repentans de vrai cuer, et pour la paour qu'il ot de Dieu et del jugement, il clama quitte l'evesques l'une et l'autre possession, et ainsi li rendi le castiel et le castellerie. Puis le absolst li evesques moult devotement, et ainsi trepassa de cest siecle en vraie penitance et en parfaite devotion, l'an de grace 1118.

35. Après le comte Bauduin fu quens de Flandres uns siens cousins qui ot nom Charles, fiulx le roy de Dannemarche, homs puissans et très sages. Si volt tenir toute la terre ainsi comme cil devant lui l'avoient tenue, et pour chou il rappiella le don que li quens Bauduins à sa mort avoit fait à l'evesque Bouchard de le castellerie de Cambray et appela Huon d'Oisi, et li rendi le castellerie, et chils Hues le rechupt de lui en fief, et l'en fist hommage et feuté. De che se dolu moult li evesque, et vint au conte Charle en grant humilité et moult s'efforcha d'acquerre sa grace, et supplioit devotement par ses amis que li quens li volsist rendre le castellerie. Mais de ce ne volt li queus oïr. Nequedent par proiere de ses amis et pour 200 mars que li evesques li bailla, et li rendi le castiel en Cambresis, par telle condition que li quens y eust son repair aussi comme li evesques, et fust illuec ses refuges quand lui plairoit.

35. Après ces coses prist li evesques à demander consel à ses amis qu'il poroit faire de le castellerie qui ainsi li estoit tolue. Lors ot consel qu'il ammonestast le castellain Huon qu'il recheuist et tenist le castellerie de lui, ainsi que si predecesseur avoient tenu des evesques de Cambray; mais chilz le refusa, et li evesque tantost le excumenia et mist toute sa terre en ban : dont fu li castellains trop iriés et hai l'evesque de haine mortel. (*Abbr. Cam.* 12.) Lors fist li castellains fremer un castiel à Crievecoeur, car il desiroit à destruire l'evesque et sa cité. Puis entra el castiel o moult de chevaliers et plentet de ses hommes, et ainsi roboit le païs, ardoit villes, prendoit ahaniers, occioit pluisieurs, et si toloit la vitaille à ceux qui le portoient en la cité, bled, vin, char, poissons, buche et aultres fruits. Ainsi fist-il à l'evesque par longtamps tout les maulx qu'il pot. Quand ce vit li evesque, si ne pot plus souffrir, si assembla isnellement chevaliers et grans gens d'armes, et ala moult efforchiement à Oisi, pour ce que li castellains iluec plus se fioit, et prisent la ville dehors la frimieté, et misent tout à fu. Puis arsent villes et gasterent le païs entour. Lendemain alerent à Crievecoeur à grant vertu, et assalirent la ville très aigrement et la prisent, et fu arse dessi au castiel. Quand ce vit li castellains, si recognut sa coupe, et dist que à boin droit avoit tant à souffrir, pour ce qu'il avoit guerroiet son seigneur droiturier, et avoit fait si grans maux à sainte eglise et as povres. Lors se repenti durement, et envoia messages à l'esvesques et pria moult humblement, et li offri à faire hommage et jurer boine feuté, s'il le povoit impetrer de son seigneur le comte Charle. Quand ce oy li evesques, si fu moult esjoïs; car il desiroit pais. (*Ib.* 12.) Lors absolst le castellain par telle condition qu'il remetteroit le castield de Crievacoeur en tel fourme et en tel maniere que la ville avoit esté anchiennement, et que dès ore mais le castield il ne referoit sans l'assent de l'evesque et des bourgois de Cambray. Puis li jura Hues feuté, et ainsi furent boin amy ensamble.

37. (*Abbr. Cam.* 13.) A icel tamps ot un bourgois à Cambray qui ot nom Wirembauz, d'onneste parage, raemplis de boines meurs; si estoit moult amés de toute la cité, et prist à moullier le fille d'un prudhomme, et vesquirent ensamble par longtamps moult loyaulment en marige, et engenrerent enfans qu'il nourirent en timeur de Dieu. Si estoient li enfant avenant et moult amable. Chilz preudons devant dis et sa femme ooient souvent la parole de Dieu. Si orent volente de laissier le sieucle pour l'amour de Dieu, et vocrent chaasté en le main l'evesque Bouchard, et departirent ainsi leur mariage pour servir Dieu plus devotement. Puis rendi li peres deux de ses filz en l'abeie saint Aubert, et leur donna biaux dons, le tierch fil en l'abbeie de S. Sepulcre, et y donna grans possessions ; sa fille rendi à Rains où il donna 12 besans d'or et plusieurs aultres dons ; si que chilz Wirembaux et sa femme et ses enfans mis par abbeies, si se mist efforchiement à faire oeuvres de misécorde. En icel tamps

ot un passage cruel, fel et destroit, à Cambray à porte de Selles qui est d'en coste le castiel, et le tenoist de l'evesque en fief uns chevaliers qui ot nom messire Foucars. Cilz passage estoit si griefs, que nulx ne pooit illuec passer, s'il ne donnoit grans deniers. Lors veisies iluec souvent plourer les povres ; car s'il n'avoient l'argent prest, li sergant du passage qui estoient trop felon, leur toloient cape ou mantiel, ou cotte, ou bresce qu'il menoient au markiet, ou aultres gages. (Cf. *ib.*) Quant li boins Wirembaus vit les larmes, les douleurs des angoinsses que soubstenoient iluec li povre, si donna tant de son avoir à l'evesque et au chevalier deseure dit, qu'il rachata cel passage et l'enfranki à tous jours, et le confrema li evesques Bouchars par privilege, et li bourgois donna iluec de son heritage grant partie pour faire les pons. Puis converti Wirembaus s'entention à l'hospital des povres de saint Julien, qui est d'en costé l'eglise S. Croix ; car li bien de celle maison estoient alet à perdition par male pourveanche. Et li preudons y donna tant de ses possessions, qu'il remist la maison en boin estat, et fist faire grans édifices et pluisieurs lis pour couchier povres, et il meismes menistra iluec par longtamps as malades moult devotement, et vesqui saintement et ainsi trespassa de cest siecle.

38. En icel tamps estoit li boins evesques Bouchars en grant transquillité, et sa terre en bonne pais. Mais en brief tamps rebella contre lui un chevalier qui ot nom Gerars, et gasta cruelment le païs de Cambresis, et arst villes et maisons jusques au castiel en Cambresis, et destruist et arasa tout. Li chevalier aussi d'Ostrevant venoient souvent et gastoient aussi Cambresis. Dont fu li evesques et sa gent trop esbahi, et pour ce qu'il ne pooient contrester à leurs anemis, il prierent au comte de Flandres Charlon qu'il recheuist la seignouire de Cambray, et aussi les tensast contre leurs anemis : et il si fist, et si assenti li empereres Henris et l'en donna le don ; de laquelle cose il olt moult grant joie à Cambray. Dont vint li quens à Cambray par maintes fois, et prist grant vengance de ses anemis, et les tint en grant pais. Ce fu l'an de grace 1122. [(Waterl.) Après un poi de tamps avint à Cambray grans encombriers ; car li quens Charles par cui si grans pais estoit al pays, fu occis à Bruges en l'église S. Donasse el tamps de quaresme, le sexte None de March, et deux de ses princes o lui.] Si l'ochirent si homme meismes, si qu'il oroit devant l'autel et ooit messe et avoit fait offrande à le main du prestre, et fu l'an 1127. (*Abbr. Cam.* 13.) Quand certaine nouvelle vint de la mort le comte, si vint le castellain Hues deseure dis à l'evesque Bouchard, et recognut qu'il estoit ses sires lieges, et rechup de lui le castellerie de Cambray, si que drois estoit, et li fist hommage et feuté, et li jura boine pais, et en donna hostaiges.

[39. (Waterl.) Après ce vesqui li evesques Bourchars par long tamps, et se exercita moult en A bonnes œuvres, et trespassa de cest siecle le tierche Nonne de Janvier l'an de grace 1130. — En cel tamps la maladie du fu qui vient de Dieu, fu moult griefs à Chartres, à Paris, à Soissons, à Cambray, à Arras et parmoult d'aultres lieux. Mais par la vertu de la glorieuse vierge Marie et sa douce priere il fu merveilleusement estains. — Li empereres Henris morut, puis fu eslis Lothaire dux des Saines, qui fu saiges homs. — En le ville d'Alost fu occis li quens Guillaumes, homs preux as armes, et ne mie preux de bonnes meurs. Si fu quens après lui Thieris fiulx le dux d'Ausai, cousins au comte Robert. — Philippes fiulx le roi de France Loeis fu sacré à Rains el jour de pasques en la presence son pere et sa mere. — La cité de Cambray fu arse le 11. Kal. d'Aoust B et la cité d'Arras fu aussi arse le 18. Kal. d'Ottembre. En cel an fu grans mortoilles de biestes. — Li papes Innocens vint à Cambray, canta messe en l'eglise S. Aubert le lundi après la seconde domée de quaresme. Foulkes li quens d'Ango fu rois de Iherusalem. — L'eglise de S. Richier en Pontieu fu arse, et tous li castiaux et plusieurs gens aveuc.]

40. (Cf. *Abbr. Cam.* 14.) Après la mort l'evesque Bouchard vint li pape Innocens à Cambray, o lui moult de cardinaulx et moult d'evesques de France. Puis ala à l'empereur d'Alemaigne Lothaire, qui fu moult gentiulx homs et preux en armes, et moult Dieu honnera. Lors fist assembler li pape un concile à Liége en la présence l'empereur (*an.* 1131, *Mart.*), et li empereres rechupt le pape à très grant reverence. Iluec fu faite pais et concorde entre sainte C Eglise et l'Empire, et moult d'aultres saintes besoignes furent iluec ordennées. Puis noncha li empereres au pape qu'il n'avoit point d'evesque à Cambray, et li pria qu'il volsist donner l'evesquié à un sien clerch qui ot nom Liethars. Quand ce oy li papes, sise cremi du faire ; car pas ne sçavoit s'il estoit dignes de tel honneur. Nequedent il s'assenti à la priere l'empereur, et ainsi fu Liethars eslis de Cambray, et le sacra l'archevesque de Rains le sixte Kal. de Mai l'an de grace 1131. Si comme il fu fais evesques, si ne se maintaint pos si saintement ne si honnestement qu'il afferist à evesque. Car il n'amoit pas ses subgis si qu'il deuist, ne les atraioit par douce amour ; ainsi les cachoit en sus de lui par dures parolles. Si estoit avarisse si plantée en son D cuer, qu'il ne povoit souffrir compagnie ne belle maisnie entour lui. Après fu si souspris d'avarice, qu'il laissa l'ostel d'evesque et ala à S. Gery, et demoura iluec en l'ostel d'un petit canonne, et ne demandoit nul service de sa maisnie. Quand ce vit li clergiés et li peules, si se dolut moult que li evesques vivoit si deshonnestement, et fisent ainsi que par force que li evesque revint à son propre hostel. Après un poi de tamps par sa grant ire guerpi son palais et vint manoir à S. Aubert, et commanda que nulz de sa maisnie n'alast o lui, et pour ces coses estoit-il forment hait.

41. (Cf. *Abbr. Cam.* 14.) A icel tamps estoit uns

homs moult puissans en Cambresis, qui ot non Gerarc Maufillastres. Si fist à l'evesque moult de maulx et rebella contre lui, et prendoit ses hommes et les mettoit en prison, et toloit leur possessions. Quand ce vit li evesques, s'en fu moult iriés, et requist à celui Gerard qu'il li rendist ses hommes. Mais chilz riens n'en fist, ains demanda triuwes à l'evesques tant qu'il peust parler bouche à bouche à lui. Et li evesques par mauvais conseil li refusa. Dont fu chlz Geras trop foursenés, et isnellement assembla moult de chevaliers, grans gens d'armes et gens de piet, et assalli le castiel en Cambresis, et le prist par fu et forche, et furent iluec ars que hommes que femmes plus de cent, et la ville fut arse et 5 eglises aussi, et reliques d'aucuns sains, et en une eglise fu ars un prestres. Puis prirent et roberent chil do l'ost toute la ville, d'argent, de vestures et de chou qu'il peurent. Après ce tint chieux Gerars le castiel en sa main par longtamps, les appendises et tous les pays entour. De ces coses estoient moult tourblé chil de l'evesquiet, et disoient que tout chil mal estoient avenu par l'evesque, pour ce qu'il ne vault donner triuwes à Gerard.

42. (Cf. *ib.*) A icel tamps estoit uns puissans homs qui ot noms Symons, fiulx Huon castellain d'Oisi. Si li prist grans pitiés de chou que chilz Gerard faisoit tant de maulx à l'evesque Lietarc, et que nulz n'en prendoit vengance. Lors assembla grant ost, et prist o lui chiaulx de Cambray, et ala contre celui Gerard, et gasta sa terre, et mist tout à fu et à flame, dont fu chilz Gerard si povres et si mis au desoubz, qu'il requist pais et amour à celui Symon. Adont ot consel li castellain Hues et la commugne de Cambrai ensamble, et li ottryerent pais. Quand ce sot li evesques si le contredit durement, et dist que ja n'assauroit Gerard ne tous les siens de l'escumeniement dessi à tant qu'il restablieche les eglises qu'il ot arses, et qu'il aroit rendu dix mille mars, et li aroit fait satisfaction des cent personnes et du prestre qui avoient estet peri ou fu, et viegne à mercy humblement, et rechoivent leur penitence. Quand ce oïrent li bourgois, si le disputerent et ne vaulrent riens faire. E li evesques respondi que pourtant se lairoit-il cachier à tousjours hors de son evesquiet, qu'il ne fust amendé à l'honneur de Dieu et de sainte Église. Quand il oïrent ce, si li promisent grant pecunne par fraude et par boisdie, si que puis apparut; car ains denier n'en ot. Les convenences à tener jura li quens de Haynau et tout li sien qui orent estet à ardoir le castiel. Puis absolst li evesques le comte et tous les siens par telle condition que li chevaliers donroient 5 sols et li hommes de piet 2 sols; puis leur enjoinst li evesques grant penitence, mais pas ne le fisent, ne ne donnerent pecunne, ainsi furent-il tout parjuret. Puis fu li evesques moult haïs de ses citoyens et de chiaulx dehors. Puis fu assali de toutes pars, et orent si

A ancmi grant volenté qu'il ne fust pas longhement evesques.

43. (Cf. *ib.* 15.) A icel tamps fu-il semons à Rains. Si ala après lui li prûvos de la cour et pluisieurs des cannones. Si le diffamerent griefment à l'archevesque de chou qu'il vendoit les prouvendes et prendoit deniers de beneir eglises. Si le accuserent aussi d'avarise et d'aultres visces, et dirent tout le mal qu'il porent de lui. Quand ce oy li archevesques, si traist d'une part l'evesque Liethard, et parla à lui en secret en la presence et el tesmoignage de cinq evesques, et li dit moult admiablement: *Or oés, biaulx doulx peres. com grans maux et quelles deffaultes vostre adversaire dient contre vous tout en apert, et reprendent vostre vie. Pour lequel*
B *cose je vous prie pour Dieu que vous recognissiés vostre coulpe, car vous ne poés longhement vivre en pais avec tel gent.* Dont recoignut li evesques sa coulpe devant l'archevesque, et convint qu'il lairoit l'evesquiet et pria moult humblement à l'archevesque qu'il li volsist ottryer que il recheust les pourfis de l'evesquiet tressi à la Tiéphane, et li archevesques li ottria volentiers, par itel convent qu'il ne demourast pas en l'evesquiet puis le jour devant dit. Ceste cose fu si celée, que nulz ne le sot fors le 5 evesques. Après si repaira en son païs, et alla isnellement à l'empereur, en esperance d'estre restablis en son evesquiet par lui. Lors ala après lui li prouvos et aucun bourgois de la cité, et l'accuserent de moult de coses devant l'empereur, et qu'il voloit ses
C hommes deshireter; et li evesques respondi moult vigheureusement et fist sa complainte à l'empereur comment chil de Cambray l'avaient villement traitiet et tolu ses rentes. Quand ce oïrent ii prince de la court, si se cremirent que leur subgit ne les traitassent ainsi, et enorterent à l'empereur qu'il confremast par privilege que nulz n'euist service en la cour son seignour contre la volenté son seignour meismes, et il le fist volentiers. Dont fut trop durement tourblés li prouvos de Cambray; car il voloit son seignour servir contre sa volenté. Puis repairierent chil de Cambray en leur païs moult triste pour ce privilege, et se celerent tant qu'il porent. Or avint si qu'il chevauchoient entre Haspré et Cambray, pour leur pechiés, par aventure que chilz Gerard Maufillastres les prist et tint en grief pri-
D son, et prist d'iaulx 11 vingt mars d'argent ains qu'il les laissat hors. De ce furent forment iriet chil de Cambray, et disent que cel encombrier avoient-il par l'occoison leur evesque. Puis revint li evesques à Cambray moult joyeux pour son privilege de la prouvosté, qui estoit mise en son plaisir. Après ce excumenia li evesques tous ceux qui orent pris ses bourgois, et qui concel y orent mis. Puis chanta messe, et maudi ceulx qui iroient contre le privilege de la prouvosté, en l'an *** (1135).

CONTINUATIO ANDREANA[359]

Post istum Gerardum, qui in ista ecclesia (485), ut fuerunt prius, monachos restituit, fratremque suum Eilbertum abbatem prefecit; domnus Lietbertus, vir omnino sanctitate conspicuus, in episcopatu successit; post hunc alter Gerardus; post hunc Manasses, Suessionensis ecclesie clericus; post hunc Galcherus, Tornacensis ecclesie canonicus; post hunc Odo; post hunc Burgardus; post hunc Lietardus; post hunc domnus Nicholaus Gosvini de Montibus frater, qui anno Domini 1167 apud Valcelias obiit, sed ad Cameracum tumulandus honorande translatus, sepultus est in vestibulo ecclesie beate Marie, ante altare sancti Johannis baptiste. Domno Nicholao successit Petrus, filius Theodirici comitis Flandrie, et rexit ecclesiam annis 4; sed postea, ut erat juvenis, clericatum deposuit et electionem episcopi dimisit, et uxore A accepta comitissa. . . . . [360]. Cui in episcopio Cameracensis ecclesie Robertus, qui dicebatur prepositus Arie, successit, et rexit in electione ecclesiam Cameracensem per 5 menses, et a complicibus Jacobi, ut fertur, apud Condatum inter duos pontes interfectus est, et apud Ariam tumulandus translatus. Roberto Alardus archidiaconus ejusdem ecclesie successit, et rexit ecclesiam anno et dimidio, et mortuus est plenus dierum. Huic successit Rogerus frater Hellini de Wanrigavo, vir totius bonitatis et honestatis moribus adornatus. Hic, anno Domini 1179, concilio Romano Ab Alexandro papa celebrato interfuit, et ibidem in episcopum consecratus est a Willermo B Remensi archiepiscopo et apostolice sedis legato, in ecclesia sancte Savine.

APPENDIX.

CHRONICON S. ANDREÆ CASTRI CAMERACESII

EDENTE V. CL. LUDOWICO BETHMANN PH. D.

(Apud Pertz, *Monumenta Germaniæ historica*, Scriptorum tom. VII, page 526.)

MONITUM.

Auctor sequentis Chronici monachus fuit S. Andreæ in Castro Cameracesii, Walcheri episcopi ad concilium Claromontanum a. 1095 comes atque consiliarius (486). Scripsit apud S. Andream a. 1133 (487) historiam sui monasterii atque regionis potissimum Cameracensis, tribus libris, et quibus primum atque secundum ad verbum fere desumpsit ex Gestis Lietberti, e Rodulfi Vita ejusdem, atque ex Annalibus non jam notis (488); de suo pauca tantum addit, sed inter hæc scitu quædam dignissima (489). Tertius liber inde a. 1076 ea narrat *quæ nostra ætate partim vidimus et audivimus* (490), in eo auctor, perpaucis exceptis, suis vestigiis incedit.

Liber magnæ utilitatis ad novissima usque tempora plane incognitus remansit. Codicem unicum et procul dubio autographum, qui olim S. Andreæ fuerat, a. 1787 in archivio Maricolensi repperit dom Bevenot, tunc temporis monachus S. Andreæ, post decanus Melbodiensis, qui fragmenta inde proposuit in Actis SS. Belgii V, 493. Codex ille postea evanuit, neque quo devenerit, hucusque potuit extricari. Sed dom Bevenot eum a. 1787 accurate transcripserat, quod exemplar medico doctissimo Le Glay iterum describendum communicavit. Hic primus a. 1834 post Baldericum, p. 353, sed tertium tantum librum edidit; duos priores vir æstumatissimus nobis a. 1841 ipsum Insulis visentibus, ea qua excellit humanitate, edendos concessit, imo gratiose ipse obtulit, ita ut nunc prima vice integrum prodeat opus, quod ad historiam utile fore speramus, Le Glayo vero grati semper animi nostri monimentum esse volumus.

L. C. BETHMANN.

VARIÆ LECTIONES.

359 *hanc continuationem codex 3 Gestorum libro III, 49, medio subjungit, calamo atque atramento continuo novam tantummodo lineam incipiens, titulo nullo.* 360 *dimidia linea in codice vacua relicta.*

NOTÆ.

(485) S. Andreæ Castri Cameracesii; cf. Chronicam S. Andreæ statim sequentem I, 20. II, 9.
(486) III, 19.
(487) III, 42.
(488) I, 5, 6, 8, 21; II, 8, 9, 15, 16, 30.
(589) Ut narrationem de expeditione imperatoris in Flandriam a. 1054; II, 18 sqq.
(490) III, prol.

LIBER PRIMUS.

1. *De statu ecclesiæ et imperio urbis Romæ.* Sanctæ et apostolicæ sedi Romanæ ecclesiæ Gregorio V, et 74° a bea Gregorio Theologo, anno Dei Christi 1001 laudabiliter presidente, [(*V. Lieth.* 1) Ottho junior Romani principatus imperiale solium militari brachio strenuissime gubernabat. Qui cum donis ac beneficiis ingluviem Romanorum, quæ semper insatiabilis est et fuit, saturare[361] nequiret: adeo vesania eorum inferbuit, ut imperator non sine morte suorum ab urbe Roma pelleretur. Ille repulsam sui graviter ferens, dum ad injurias suas vindicandas imperiales militum cogit copias, defungitur, atque cum luctu et mœrore suorum honore regio in ecclesia Aquisgrani sepelitur. Post hæc Henricus, Bavariorum ducis Henrici filius, nutu et providentia Dei ex consilio Lothariensium purpura vestitus regia, armis insignitur imperialibus. Qui quam prudenter, quam fortiter, quam pacifice, quam catholice suum rexit imperium, monstrat nominis ipsius intitulatio, per quam non modo augustus et imperator, sed insuper orthodoxus atque pacificus attitulatur.

2. *De Remensi archiepiscopo et Cameracensi episcopo* (Cf. *Gesta. ep. Cam.* I, 112.) His fere diebus, post Alberonem vitæ venerabilis virum, Arnulfus a beato Remigio 21us Remensem archiepiscopatum tenebat; Cameracensem vero ecclesiam Erluinus 29us a beato Vedasto, qui a beato Remigio Atrebatum civitatis et Cameracensis episcopus extitit. Hic itaque cum ex diversis crebro ad se clamantium querelis cognosceret totam Cameracensem et maxime hanc finitimam regionem quorumdam raptorum ex hac proxima silva, quæ est Arida Gamantia, et ex vicinis castellis frequenter erumpentium gravi perturbari infestatione — nam et die ac nocte villas et domos invadentes cunctaque deripientes, ipsos quoque viros vinctos rapiebant — tunc virtutem egregiam virilis animi concepit industriæ, aliquod scilicet parare eis obstaculum, quod incolis tuitio certumque refugium et ad repellendas hostium insidias invincibile fieret munimentum.

3. *Quis, cur vel quando hoc Novum Castellum exstructum.* Igitur ad id peragendum aptum diu perquirens locum, tandem in hac quæ tunc temporis circa ecclesiam beati Quintini martiris villula erat et Perona nomen antiquitus habebat, et ubi fluvius (491) subterfluens quasi limes quidam Cameracensem et Haynœnsem patriam dirimit, accita non parva manu prope sive longe manentium, fortem quamvis ligneam munitionem extruxit firmoque vallo circumdedit. Inde paratis militibus qui necessarii A erant, equitum ac peditum præsidia, prout opportunum erat, inibi collocans, sopito prisco nomine, Novum Castrum vocavit. Sic et tunc et deinceps quoad vixit sedatis raptoribus, omni coloniæ Cameracensi pax firma provenit.

4. *De ordinatione Erluini episcopi.* Multa et præclara de hujus episcopi gestis poterant commemorari, sed quia ad aliud propositum tendens cœpta festinat oratio, in hoc diutius non vacat immorari. Hoc tamen solummodo breviter inserendum, quod [(*ib.* I, 110) tam ecclesiasticis quam sæcularibus B negotiis creditus, primo Leodicensis archidiaconus extiterit; dein vero dono Cameracensis episcopi sublimatus, Romæ una cum Othone imperatore a prædicto papa Gregorio episcopus ordinatus fuerit; ea scilicet de causa, quia tunc temporis Remensem ecclesiam gravis agitabat contentio. Arnulfo siquidem pro quibusdam malis infamationibus ab episcopali sede dejecto, et quodam Gerberto scolastico in loco ejus injuste substituto, sed episcopis Remensis subjectionis hoc negotium diu inter se ventilantibus, tandem ad hoc ventum est, ut quia sæpefatus Arnulphus sine notitia et auctoritate domni papæ C degradatus fuerat, rursus in sede episcopali judiciali sententia restitueretur. Quod et factum est. |

5. *De successione apostolicorum.* Postquam prædictus papa Gregorius anno 1, mensibus 5, ecclesiam rexit, diem clausit extremum, et Johannes succedit. Qui etiam postquam 10 mensibus sedit vitam turpiter finivit. Inde Gerbertus, qui et Silvester, quem supra memoravimus, substituitur. Hic cum imperatore Othone Roma expulso egressus, comitando cum eo Ravennam venit; vir liberalium artium disciplinis satis superque eruditus, geometriæ quoque adeo peritus, ut spatia locorum vel in terra vel in aere solo D intuitu facile metiretur. Quod liquido patet ex quibusdam ejus opusculis et epistolis, quarum una super commentum Macrobii ad Alcuinum magistrum extat, in qua de ratione et quantitate cujuscumque sphæræ et de diametro ejus, de cubis, de soliditate, de area, de arithmeticis argumentis, probabiliter disputavit. Rexit igitur ecclesiam annis 4, mense 1, diebus 19, et mortem sibi vicinam sentiens, hoc versu se ipsum compellasse fertur: *Nil abacus mathesisque tibi, Gerberte, juvabunt.* De hoc sat dictum

6. *De obitu Herluini episcopi.* Anno vero Dei Christi 1002° obeunte Otthone, sicut primo capite plenius descripsimus Henricus imperii culmen sortitur. Et post Silvestrem Johannes Sicco ecclesiam suscepit. Qui etiam post menses 5 et dies 25 diem obiit.

VARIÆ LECTIONES

361 salutare *pia*.

NOTÆ.

(491) Savus, la Selle.

Item Johannes Fanussus sedit anno 1 et vitam finivit. Monasterium sancti Gengulfi conseeratur. Post Johannem Sergius, qui vocatur Osporci, sedit annis 3. Inde Benedictus sedit annis 11, mensibus 10, diebus 21. Hujus anno 6º [(*ib.* I, 118) domnus Erluinus episcopus post multos labores, post et creberrimas quas a Waltero Deo odibili castellano, Walteri vipereæ radicis filio, perpessus fuerat tribulationes, tandem morbo correptus lectoque decubans, instantis resolutionis suæ tempus et horam migrandi attentius prestolabatur. Sed interim predictus tirannus a malignitatis suæ rabie minime vacabat. Audiens enim episcopum ad mortem infirmari, lætus et solito efferatior effectus, domos clericorum infringens irrupit, et quæque sibi placita diripuit. Quin etiam stabula irruens, equos episcopi rapiens abduxit. Addidit preterea magis execrabile facinus; quia cum deportato defuncti corpore episcopi in ecclesiam sanctæ Mariæ clerici et capellani ex more exequias debiti funeris exequerentur, ille novo furendi genere stimulatus, nudatis gladiis eos appetens, usque ad altare fugatos insequitur. Sicque corpus inhumatum mansit, donec Richardus abbas Attrebato adveniens, in ecclesia sancti Autberti ad aquilonarem plagam tumulavit. O quæ lingua tam diserta cujusvis oratoris effari, cujusve calamus scribæ tam velociter scribentis enumerare possit, hic Walterus et pater ejus [362] Walterus et nepos ejus Hugo quanta mala fecerint quattuor sibi succedentibus episcopis, scilicet Erluino, Gerardo, Lietberto atque Gerardo. Sed de his dicta sufficiant; qui plenius nosse cupit, in gestis eorum reperire quibit: nos, brevitati studentes, alia promere curamus.

7. [(*V. Lietb. 2.*) *De domno Gerardo episcopo.* Igitur imperator Henricus, quem Othoni successisse supra diximus, audiens obiisse Herluinum episcopum, suorum usus consilio Gerardo suo capellano, Lothariensium atque Carlensium parentibus edito, se facilem libenter præbuit super electione de eo facta Cameracensis episcopii Qui et episcopalem benedictionem 5 Kalendas Maii adeptus est. Factus itaque pontifex, quam sancte vixerit, quam canonice ecclesiam sibi commissam rexerit, testes sunt sacræ religionis homines (492), testes instauratio et restauratio domorum sanctæ matris ecclesiæ. Ecce videas lucernam super candelabrum positam in domo Domini splendere, et radio ejus omnem episcopii plebem illustratam gaudere (*G. ep. Cam.* III, 1.) Sciendum autem de eo, quod Albero [363] Remensium archiepiscopus puerum pro consanguinitate secum permissione parentum abduxit, et sub regula canonica degentem familiariter educavit.]

8. *De ecclesia sanctæ Mariæ.* Benedictus papa, ut supra dictum est, annis 11, mensibus 10, diebus 21 sacerdotio functus, vita excessit, et Johannes successit. Remensem vero ecclesiam, defuncto Arnulpho, domnus Ebalus suscepit. Domnus vero Gerardus anno 1021, pontificatus vero sui 10, ad initium bonorum omnium, caput monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ Cameraci 8 Kalendas Aprilis ingenti et mira apparatione construere cepit (493), et sicut hactenus et perpetuo cernitur venustissime decoratum implevit.

[9. (*Ib.*) *De sævitia Walteri castellani.* Verum interim Walteri malitia, quam in diebus Erluini episcopi exercuerat, nequaquam minuebatur, sed majoribus atque gravioribus flagitiis insistens, rabies ejus in dies augebatur. De quo quamvis tædeat nos aliquam iterum mentionem facere, quia tot et tanta [364] ejus existunt scelera, ut si scribantur, proprio egeant codice, tamen quin de eo aliquid vel breviter dicatur, nolumus præterire, quo scilicet domno episcopo in vexatione tanta a maligno hoste pateat animum non defuisse (*ib.* 39), et probata virtus ejus patientiæ æquanimiter cuncta ferens admirationi omnibus et exemplo possit haberi. Nam post civiles seditiones, post incendia, post rapinas, post incarcerationes civium et pauperum, quæ vel absente vel præsente episcopo tirannus ille patrarat, cum a domesticis et paribus, aliquando vero ab extraneis potentibus, quin etiam ab imperatoris [365] legatis, quos conquerentibus petente episcopo imperator ad compescendam ejus vesaniam illuc direxerat frequenter pro nephandis ausibus argueretur (*ib.* 2): ille subito quandam simulationem assumens, speciem fictæ correctionis prætendebat; sicque gratiam episcopi exorans, obsidibus datis, juramentis factis de conservanda pace, veniam impetrabat. Sed mox ut exercendi soliti furoris occasio oblata fuisset, omnia promissa citius adnullata dissipabantur, et in deteriora facta erumpebat (*ib.* 3).]

10. *De ecclesii a domno Gerardo constructis.* Sed inter hæc adversa mens episcopi bene conscia a statu rectitudinis et ab intentione veræ religionis nullo modo dejici poterat; imo in construendis cœnobiis et reparandis sanctorum ecclesiis continuo affectu insistebat. [(*V. Lietb.* 2.) Quod quidem monstrat Cameracensis sedes ope studioque ipsius nobiliter decorata, nec non in capite sedis ejusdem pontificaliter exaltata; testatur Attrebatensis ecclesia, post conflagrationem cælestis incendii per eumdem pontificem melius pulchriusque quam fuerat restaurata. Patet etiam hoc ex Florenorum illustri cœnobio, quod ipse utpote claro genere inde oriundus erat, in honorem Dei et memoriam sancti Johannis baptistæ sumptibus suis construxit paternisque hære-

VARIÆ LECTIONES.

[362] cujus *cop.* [363] Alberto *cop.* [364] quanta *cop.* [365] imperatoribus *cop.*

NOTÆ.

(492) *Nostris adhuc temporibus superstites* addit Vita Lieberti) unde apparet eam a nostro descriptam esse, non ex nostro fluxisse.

(493) A. 1024 secundum Gesta episc. Cam. III, 49

ditatibus ditavit. | Quid de aliis cœnobiis, quid de Maricolis, quid de cella sancti Gisleni, quid de Alto Monte referendum, ubi jam lapsum et ad lubricos clericorum usus devolutum monachalem ordinem in pristinæ religionis normam studiose reparavit, et sectatores bonorum operum abbates regulari tramite inibi instituit? Sed horum narratio suum teneat locum; nos autem, sicut in prima fronte hujus operis proposuimus, ad enarranda quolibet modo ecclesiæ nostræ primordia deinceps verba vertamus.

11. *Quod domnus Gerardus turrim hujus villæ contruxit.* Diximus in primis, episcopum Erluinum ad repellendas raptorum infestationes in hæc, quæ tanc aut nulla aut parva villula erat, locum munitum, id est Novum Castrum, primo condidisse, ac per hoc incolis totius provinciæ pacem et quietem non modicam acquisivisse. Postea vero domnus Gerardus successor ejus, considerans hoc ipsum probabili et necessaria factum esse industria, ipsa quoque diligenter custodire et in majorem statum episcopali providentia studuit augere. Nam post aliquot annos predicta lignea domo depulsa, turrim excelsam lapide quadrato, usque hodie sicut cernitur permanentem, non sine majoribus expensis ibidem ædificavit. Insuper et causam intentionis suæ tantique laboris in una grandi lapide muri ipsius formatis literis insculpi precepit hoc modo: « *Sanctæ Dei genitrici*[366] *Mariæ Gerardus episcopus domum hanc ad tuitionem et refugium pauperum. Quam qui ad hoc servaverit, benedictionem, qui autem aliter fecerit. æternam accipiat maledictionem.*

12. *Quod ecclesiam hanc ædificare cogitaverit.* Post hæc meditatio cordis ejus a conspectu divinæ pietatis ad hoc inspirata est, ut quia contra visibiles hostes domus refugii temporalis constructa esset, etiam contra invisibilium nequitias spiritum et principes tenebrarum altera domus spiritualis eximiis quidem lapidibus prope ædificari deberet; in qua custodes ac vigiles tales habitarent, qui utroque tempore diei et noctis Deum in sæcula laudarent; et sicut illa protectio corporum et rerum periturarum, ita ista præsidium fieret animarum nunquam moriturarum. Hoc autem eo cogitante, Deus, qui dives est in misericordia, quo inspirante quæ recta sunt cogitantur, et quo operante eadem peraguntur [367], qui ei velle dedit, etiam et posse contulit, preparans ei opportunitatem hujusmodi optata patrandi.

13. *Quomodo hoc monasterium contruxerit.* Erat tunc temporis miles quidam Heriwardus; genere nobilis, qui ob insolitæ [368] robur virtutis Ferreum brachium cognominabatur; a quo etiam Heriwardi Vallis nuncupatur. Cujus mansio apud Basuellum (494) quam fuerit fortis, ex ipsius situ loci adhuc facile potest agnosci. Qui cum multis circa se diffusis ex paterno jure polleret alodiis, interpellatus a domno episcopo, partim pro aliqua facta commutatione, maxime autem pro anima sua et parentum suorum necnon et filii sui Hervardi et nepotis sui Fulchonis, alodium de Theoderici monte, de Wateneiis [369], quin etiam terram hanc et locum nostræ habitationis et culturas de foris contradidit. Tunc domnus episcopus voti compos effectus, sicut prius animo conceperat, oratorium in honorem sancti Andreæ apostoli et amici Dei, cui se præ cæteris sanctis commandabat attentius, efficaci studio construxit, et viginti quatuor monachos ibidem sub sacra religione et regulari norma servituros delegavit, fratremque suum domnum Elbertum, vitæ venerabilis virum, abbatem eis prefecit (495).

14. *De nephandis factionibus Walteri castellani.* Cogor per singulas pene hujus operis sententias Walteri mentionem repetere, quia ita quodammodo narrationis ordo videtur exigere. Donec enim domnus episcopus supradictis et aliis bonorum operum exercitiis insudabat, ille vesano spiritu agitatus nec parumper a malignitatis suæ debachationibus vacabat.

[(*Gesta ep. Cam.* III, 2.) Quapropter sæpius ab episcopo et ab imperialibus legatis admonitus imperatoris curiam adire, ille cujusvis prætendens casum excusationis, promittendo verbis formam resumebat simulatæ correctionis, sed non multo post in deteriora labens, amplius iterabat culpas consuetæ pravitatis (*ib.* 39), adeo ut quemdam Robertum militem episcopi tam nobilitate generis quam virtute juventutis strenuum, quem suæ tyrannidi obstiturum suspicabatur, quamvis sub interpellatione domni presulis, qui eos federare cupiebat, in travia (496) positum Dominica die interficeret; (*ib.* 44) ipsum quoque episcopum intra domum suam tribus diebus armis ita includeret, ut nec ipse nec quisquam suorum egredi pre timore mortis auderet [370]. Sed jam de hoc magis libet reticere, quam plura tam perversi hominis malefecta referre, quippe quantum de eo dicimus acsi de torrente vas aquæ hauriamus, tot et tantæ ejus existunt malitiæ, quas adversus sanctum virum et civitatem non est veritus exercere.

15. *De profectione domni episcopi ad curiam imperatoris.* (*Ib.* 35.) Interea pro hoc et pro aliis negociis causa extitit, qua domnus episcopus, assumptis

VARIÆ LECTIONES

[366] genitricis *cop.* [367] perabuntur *cop.* [368] insolutæ *cop.* [369] *ita restitui ex Gestis ep. Cam. III*, 49. Tilchonis alodium de . . . . monte de Watenesis *copia* [370] ederet *cop.*

NOTÆ

(494) Basuel, prope le Câteau.

(495) Cf. Gesta ep. Cam. II, 3. Obiit V. Id. Mai. 1047.

(496) I. e. trevia, treuva, treuga.

secum illustribus viris, comite quoque Haynonensi, A Heinricum imperatorem adiit, qui diebus illis Aquisgrani forte morabatur. Ubi archiepiscopo Coloniensi et ceteris venerabilibus sancti ordinis ministris provincialis sinodus celebrabatur, in qua ab ipso imperatore et a supradictis personis tam de ecclesiasticis quam de secularibus, de statu et pace sanctæ Ecclesiæ legaliter ac sufficienter tractatum est. Ibi etiam domnus episcopus gravissimam litem, quæ inter prefatum archiepiscopum Pilegrinum et Leodicensem præsulem Durandum diu versabatur, pro quadam scilicet villa quæ est Burcii, quam uterque parrochiæ suæ contendebat adscribere, probabili atque sinodali judicio diremit. Jam vero imperator quanta et quam preclara dona omnibus qui innumerabiles ibi confluxerant episcopis, abbatibus, cleri- B cis pauperibus et cunctis boni testimonii viris distribuerit, nec scripto nec verbis facile potest numerari; quippe cujus tanta in erogando diversa munera liberalitas extitit, ut nulla antiquorum sive exterorum regum munificentia potuerit comparari. Sed nos ista breviter perstringendo ad alia properamus.

16 *De largitate imperatoris.* (*Ib.* 37, 38.) Soluto denique supradicto conventu, imperator cum primoribus suis rursum contendit villam sancti Gaugerici nativitate illustratam, instantem predicti confessoris festivitatem celebraturus, quæ est 3 Idus Augusti. Inde digrediens Virdunum petiit; ibique sanctæ Dei genitricis Mariæ nativitatem devotissime celebravit. Ipsa die imperatrix, quia eam domnus C episcopus in processione addextravit ei fercula auro gemmisque contulit insignita. Inde[371] vero Mettis perveniens, per singula monasteria multas opes distribuit, nullumque bonum aut clericum aut monachum præteriit non donatum, veluti quodam præsagio imminentem diem qui nimium vicinus erat sui obitus prævidebat.]

17. *Quod preclara ei dona imperator dederit.* (*an.* 1023.) Et vero domnus Gerardus pre ceteris episcopis ejus obsequiis adhærens, cum inter cetera se novam congregationem monachorum in honorem sancti Andreæ construxisse amica ei collocutione suggessisset : ille velut sanctæ religionis amicus benigno favore piis ejus studiis ad gaudens[(*ib.* 39) prolata D de thesauro suo duo non parvi pretii pallia sanctæ virgini Mariæ, tria vero pretiosa munera nostræ per eum transmisit ecclesiæ, duas scilicet parvas cruces aureas pallium quoddam rubei coloris, et, quod iis pretiosius atque super aurum et topazion desiderabilius, reliquias sancti Andreæ, apertis capellæ suæ scriniis os proferens de corpore sancti ipsius apostoli, quod sibi Constantinopolitanum imperatorem protestatus est olim contulisse. Novissime plurimum auri illi tribuens, commeatum ut ad sua rediret accommodat, observans ut in hoc loco dies obitus ejus, qui est 3 Nonas Julii, in memoria æterna haberetur.

18. *De obitu Henrici imperatoris.* His igitur regiis donatus muneribus domnus episcopus ad propria cum pace et lætitia cum suis rediit. Sed non multo post gravis ei tristitia successit. Nam sæpedictus imperator Henricus orthodoxus atque pacificus, viginti annis imperio feliciter administrato, pontificatus domni Gerardi anno 12 (*ib.* III, 50) diem clausit extremum (*an.* 1024). Cujus mors qualem sanctæ ecclesiæ desolationem non dictu facile est quantumque Romanæ reipublicæ plebique intulerit detrimentum. Tandem collecti principes Saxones apud Maguntiam Conradum sibi præfecerunt in regem, et eodem anno ibidem benedictus est in nativitate sanctæ Mariæ.

19. *De dedicatione hujus ecclesiæ.* Domnus interim episcopus munera, quæ, ut dictum est, acceperat a rege, retentis duabus crucibus, quæ usque hodie preferuntur ad processionem sanctæ Mariæ, data pro eis una aurea[372] et pretiosis lapidibus fabrefacta, quæ apud nos hactenus servatur, corpus etiam sanctæ virginis et martiris Maxelendis partemque corporis sancti Sarii, magna cum veneratione et cleri et populi multitudine in ecclesiam hanc honorifice adportavit (*an.* 1025). Et multa corpora sanctorum, constituta dedicationis die, id est 10 Kalendas Octobris, anno Dei Christi 1025, cum clericis et monachis convenerunt, videlicet sanctus Gaugericus, sanctus Aubertus, preciosus quoque martyr Salvius, sanctus Aycadrius, sanctus Gislenus atque sanctus Wasnulfus; cum quibus etiam beata virgo Maxelendis[373]; quos ad salutem habitantium et loci ipsius munimentum provida episcopi industria fecit convenire.

20 *De robus huic monasterio collatis.* Igitur constituto et consecrato abbate fratre suo quem supra nominavimus Elberto, villas alodia sufficienter huic contulit monasterio, [(*G. ep. Cam.* III, 49.) scilicet tertiam partem quartæ partis fisci Peronensis quem a quattuor generosis viris adquisivit. Roberto scilicet atque Hubaldo. Ascelino atque Suena. Reliquas partes ipsius fisci mensæ[374] episcopi ad castellum sanctæ Mariæ cui circumjacet destinavit.] Contulit etiam inter cetera allodium sibi hereditarium in villa Haynau, quæ est Bussud (497) cum appendente familia sancti Philiberti. Sane quia hæc et alia ejus beneficia huic ecclesiæ collata[375] in privilegiis nostris (498) descripta habentur, de his plura loqui

VARIÆ LECTIONES

[371] Idem *cop.* [372] *ita correxi*; antea *copia et codex ipse ut apparet ex Actis SS. Belgii V*, 193. [373] *deest et copiæ et codici, spatio relicto* [374] *deest copiæ, spatio relicto*: *supplevi ex Gestis ep. C. III*, 49. [375] collocata *cop.*

NOTÆ.

(497) Prope Binche.

(498) Conradi imperatoris atque Gerardi episcopi diplomata edidit Miræus Opp. diplom. I. 55.

surperfluum esse duximus, ne sint onerosa legenti. In ipso vero tempore miles quidam ingenuus, Tigerus nomine, cum multa predia circa Basuellum ubi degebat possideret, et herede careret, consilio et obtendu domni episcopi cunctis possessionibus suis et ea quæ dicitur Tigeri silva, ecclesiam hanc adhereditavit, ut Deus et sanctus Andreas hereditatem ejus in terra viventium restituant ei.

21. *De consecratione Cameracensis ecclesiæ.* Johannes papa, quem supra capitulo octavo Benedicto successisse retulimus, rexit Ecclesiam annis 9, mensibus 9. Cui successit Benedictus Theophilactus Monasterium Florinacense dedicatur a domno Gerardo, consentiente Rainardo episcopo Leodicensi (*an* 1026). Anno autem sequente, qui est Dominicæ nativitatis 1027 (499), dedicatur monasterium sanctæ Mariæ honorifice constructum a domno Gerardo, 15 Kalendas Novembris, uti multa corpora sanctorum interfuerunt [(*Ib.* III, 50.) His rite peractis, accepto salubri consilio domnus episcopus dignum duxit, secundum morem antiquitatis, curiam invisere novi imperatoris, Conradi scilicet, quem supra diximus regalia insignia sumpsisse post obitum Henrici. Nam ab ejus presentia jam aliquanto tempore suum suspenderat gradum, ea videlicet de causa, ne Lothariensibus scandalum fieret offensionis. Quia dux Gothilo, episcopus Coloniæ, Noviomaci, Virduni, Trajecti, Leodii et dux Theodoricus comesque Haynoensium Raginerus, ejus, id est Conradi, ordinationi restiterant, et sacramento facto condixerant non ei manus se daturos nec ad eum ituros, quia nolebant eum regnare super se. Ducibus tamen supradictis et episcopis post annum et dimidium ad pacem flexis cum eis domnus episcopus ad Aquisgrani palatium ivit, seque deditioni regis libens obtulit.

22. *De concilio Triburiæ habito.* (*Ib.* 51.) Triburiæ secus Maguntiam imperator Conradus de diversis partibus episcopos convocavit, ut quæ utilitatis et religionis sunt ad invicem conferrent. Ubi cum inter cetera dictorum suorum decreta de renovanda pace de jejuniis, de neganda excommunicatis communione, de non sepeliendis quibusdam, multa et importabilia dedissent mandata, quæ viderentur oneri replicare: moderatissimus pater Gerardus eorum minus sanas studuit reprimere sententias, et oratione habita ad eos, post aliqua sic ait: *Jejunium in sexta vel septima feria generaliter non est omnibus imponendum, quibus nec una sanitas corporis nec æqualiter remordet accusatio peccati.* Multa sunt prætere a quæ peroravit; et finito concilio, permissione accepta, remeavit ad propria.

PRIMI LIBRI FINIS.

PRINCIPIUM LIBRI FERT PROLOGUS ISTE SECUNDI.

Magnarum rerum amplam materiam succincte describere et famosos actus illustrium personarum brevi sermone comprehendere, non minoris constat esse laboris quam parvam narrationem latis extendere verbis. Utrobique enim difficile est disertum evadere, si quis aut ea quæ parva sunt attollere gestiens, majora viribus suis attentare presumat, aut ea quæ larga indigent relatione, brevi dictatu nitatur constringere. Quorum quidem unum e duobus contigisse mihi perpendo, qui de multimodis regum, episcoporum, principum gestis aliqua quibusdam sententiolis decerpere presumo. Ex qua tamen mea presumptione veniam fortasse me spero promereri, qui tantummodo primordia ecclesiæ nostræ, et quibus largitionibus aucta ad hunc statum pervenerit, pandere curavi. Ergo ad id peragendum necesse est per scripturæ campum discurrere, et hoc opusculum de diversis floribus collectum contexere curavi. Adsit igitur ille et faveat operæ nostræ, qui se florem campi et lilium convallium esse proclamat (*Cant.* II. 1), ut cuncta nostra operatio ab eo cæpta et per eum finienda ipsi et amico ejus sancto Andreæ fideliter deserviat.

1. *De conflagratione Attrebatensis monasterii sanctæ Mariæ.* Anno nativitatis Dominicæ 1029 (500), presulatus domni Gerardi 19, in civitate Attrebati monasterium sanctæ Mariæ miro sed vero Dei judicio, 3 Kalendas Augusti fulmine concrematum est. Unde domnus episcopus, gravi mœrore affectus, Leduino abbati Sancti Vedasti admirandæ sanctitatis viro epistolam transmittit, in qua tristitiam cordis sui aperit, ita inquiens post aliqua: [(*G, ep. Cam.* III, 32.) « Subrepit mihi plus solito timor et dolor, qui licet sit mihi per usum vetus, fit tamen semper novus per augmentum. Nam si aliquando me ipsum secundum qualitatem vitæ aspicio, in amaritudine versor, quia in bonis deficio, in malis perduro. Si quando vero ad ea quæ in mundo sunt perspicienda mentis oculum attollo, cuncta quæ in maligno sunt posita video; quanto mundus sæviatur gladio, quibus populus intereat percussionibus, manifeste considero, ac per hoc adhuc pejora [376] venire timeo, quia nostro sacerdotali peccato hæc fieri confiteor, sicut scriptum est, testante beato Petro apostolo: « Quoniam tempus est ut incipiat judicium de domo Dei. » Et in Ezechiele: « A sanctuario meo incipite [377]. »

2. *De velleribus albis Attrebati de cælo lapsis.* « Verbi gratia veluti in presenti sanctæ Mariæ. Attrebatensium manifestum est ecclesia, quam 3 Kalendas Au-

VARIÆ LECTIONES

[376] *ita conjicio;* perona *copia* : majora *G. ep. Cam.* [377] incipiente *cop.*

NOTÆ

(499) A. 1030 consecratum dicunt G. ep Cam. III, 49.
(500) A. 1030 secundum Ann. Elnonenses minores.

gusti ignis adveniens de celo totam combussit videntibus cunctis. Unde timeo nimium, divinæ Domini adversionis hoc fuisse indicium, venientis super filios hominum; ut sicut olim ante adventum Domini ob signum misericordiæ eo in loco alba vellera duo leguntur cecidisse, ita ob significationem ultionis divinæ, quæ ventura est super diffidentiæ filios, ignis veniret cum sulphure, qui terrendo moneret electos, ut a facie arcus possint fugere, et exureret impios et peccatores, qui Christo semper detrahunt et filiis Ecclesiæ. Solent etiam ministris Ecclesiæ de nobis dicere: « Hi sunt pastores populi, qui non vere pastores sunt, sed lupi. Comedunt enim peccata populi qui fructus ecclesiæ in stipendio percipiunt quotidiano; sed nec orationis studio nec prædicationis verbo nihil penitus insudant. » Ac per hoc quicquid adversitatis fit in sæculo, videlicet mortalitatis, pestilentiæ, famis, dicunt promereri et incipere a sanctuario, » etc.] Hæc et alia verba sunt domni episcopi querimoniam agentis et super tam insolito casu prædicti incendii graviter dolentis Sed postea quo studio, quo labore, quantisque expensis ecclesiam ipsam reædificaverit, magis ex ipsa structura quam verbo vel scripto alicujus potest agnosci. Sed, his omissis, ad nostra redeamus.

3. *De chartarum instrumentis a domno episcopo hic collatis.* Eodem vero anno (1030 *Febr.*), Conradus imperator cum exercitu magno in Hungriam ivit. Domnus autem episcopus cœptum opus cupiens ad perfectum deducere, ne quid huic nostræ ecclesiæ deesset quod utilitati nostræ religionis commodum foret; providens etiam ut contra infestationes, si quæ aliquando futuræ essent, regio tueretur munimine: imperatorem pro quibusdam negotiis adiit, qui tunc Triburiæ concilium habuit cum episcopis (*an.* 1036, *Mai.*); cui domnus Gerardus honorifice ab eo susceptus interfuit. Ibique cunctas res, quas huic loco contulerat, ut privilegii sui authoritate corroboraret petiit et impetravit. Quod quidem privilegium sigillo regio signatum, et huc delatum, hactenus apud nos servatur. Addidit etiam ipsa beneficia suo confirmare privilegio; quod cui cura legendi inciderit, quanto affectu locum hunc dilexerit et auxerit, quantam monachis benignitatem exhibuerit, satis compertum habebit. Quin et præfatum abbatem domnum Elbertum et successorem ejus concelebrantes sibi et intimos capellanos semper fore constituit[378].

4. *De obitu Conradi imperatoris.* Postquam sæpefatus imperator Conradus imperii gubernacula sedecim annis tam scientia quam armis strenuissime sustemptavit, [(*G. ep. Cam.* III, 55.) iter convertit cis Alpes. Nec multo post langore adflictus et vita apud Trajectum privatus (*an.* 1039), Heinricum filium suum regni et laboris dimisit heredem. Ad quem sæpedictus pontifex iens, se manibus illius commisit, pariterque dux Gothilo, qui aliquantulum denegare disposuerat. Cujus Conradi mortem multa præcesserunt signa, quæ, quamvis digna relatu, brevitatis causa præterimus.

5. *De obitu Lietduini abbatis.* (*Ib.* 59.) Contigit post hoc biennium, Lietduinum ex laico monachum factum et abbatem Attrebatensis cenobii postea, scilicet domni Richardi successorem, ab hoc sæculo abiisse et laudabiliter ad aliud pervenisse, ut speramus feliciter et tristes reddidisse quos ad omne bonum instruxit. Hic abbatem Richardum religiosum admodum virum introduxit, per quem locus ille in sancta religione et mundi facultate cepit pollere. Sed quum de domno Richardo admirandæ religionis abbate occasio se obtulit mentionem faciendi, justum arbitramur de tam venerabilis monachi memoria aliquid altius referre.]

6. *De domno abbate Richardo.* Hic itaque Virduno oriundus, dein vocabulo et re abbas factus in aula imperatoris Henrici, Conradi de quo supra diximus patris (501), nominatissimus, ipsi quoque imperatori admodum familiaris extitit, adeo ut (*ib.* III, 1) quando domno Gerardo episcopalia insignia supradictus imperator apud Arntiam villam Saxoniæ Kalendis Februarii contulit et secum detentum in purificationis sanctæ Mariæ tertia die licentiam accomodans abire permisit, duobus abbatibus, scilicet domno Richardo et Berthaldo Endensi, sed et Hermanno comiti, mandaret, ut eum comitantes usque civitatem Cameracum perducerent.

7. *De cœnobiis sibi commissis.* (*Capp.* 6, 15, 16.) Procedente vero tempore, abbatiam Altimontis, quæ, diversis causis existentibus quas enumerare piget, omni monachali religione destituta erat, petentibus domno Gerardo et fratre ejus Arnulpho ipsius loci advocato, regendam suscepit. Dein vero Laubiense cenobium interpellantibus domno episcopo Geraldo et Leodicense episcopo Walpodo itidem regendum suscepit; quod scilicet Engbrandus monachus, qui eidem ecclesiæ præerat, scculariter vivens nihil interius religionis doctrinabat et exterius bona ecclesiæ turpiter dissipabat. Attrebatensem quoque ecclesiam ante annos aliquot regebat. Sed postea, ut liberius Deo servire posset et pro celesti potius quam pro humana assectatione se onus sumpsisse cunctis notificaret, a regimine Attrebattensis ecclesiæ se relaxare disposuit; consilioque Gerardi episcopi in sua vice prædictum Leduinum, Alto vero monti Fulcuinum venerabilem virum substituit.] Hic autem abbas Richardus, sanctæ religionis ferventisimus, mona-

VARIÆ LECTIONES

378 constituerit *cop.*

NOTÆ.

(501) Imo prædecessoris.

stico ordini jam pene lapso et ut ita dicam adnullato, velut lampas et lucerna quædam repente emicuit; et non tantum commissa, sed etiam circumquaque provinciarum cenobia usu regulari secundum regulam sancti Benedicti illustravit. Hæc breviter de tanto viro perstrinximus, de quo plura digna laude dici poterant. Sed quia id non est nostri propositi [379], ad alia transeamus.

8. *De interfectione Walteri castellani.* Igitur Romanam ecclesiam Benedictus Teophilactus rexit annis 13, post quem Silvester Sabinensis episcopus sedit diebus 56; cui successit Gregorius, qui et Johannes et Gratianus, annis 2 mensibus 6. Sub iisdem fere diebus Cameraci Walterus castellanus reprobis actibus circumquaque famosus ad ostium monasterii sanctæ Mariæ dum oraret, ut aiunt — nos id parum compertum habemus — a quattuor viris ad [hoc ipsum conventione facta paratis interficitur(*an* 1041). De cujus morte civitati et omni patriæ sive episcopali curiæ requies aliqua sed non diu provenit. [(*Gesta Lietb.* 2.) Uxor quippe ejus Ermentrudis cum unico filio parvulo relicta, Hiezabel maleficæ non impar, ab insania viri sui non cessavit, sed [nequitias ejus superexcellens tyrannum quemdam Joannem advocatum Attrebatensem maritum duxit, ut ejus fulta præsidio castellaturam recipere posset. Sed mox ejus filio obeunte nihil profecit.]

9. *De domno abbate Waldrico.* Post Gratianum Romanam sedem Suigerus, qui vocatur Clemens, tenuit mensibus 9, diebus 7; post quem Popo, qui et Damasius, sedit diebus 23. Cui successit Bruno, qui et Leo nonus, annis 5, mensibus 2, diebus 7. Hic de Roma veniens, Remis habito magno concilio, monasterium sancti Remigii dedicavit, domno Widone archiepiscopo Ebali successore. Eodem tempore Henricus Conradi filius Romæ imperatoria dignitate intronizatur. [Cameraci donno episcopo Gerardo annis ad occasum vergentibus senectus obrepsit, pro qua debilior jam fiebat a priori statu.] Hic autem donnus abbas Elbertus anno Dei Christi 1047 (*Mai.* 11) cursu vitæ feliciter peracto diem clausit extremum. Post quem domnus Waldricus, ex vico Bracbatensi qui dicitur Lutosa oriundus, et clericus illustris factus, dein Castrilocensis comitis Raineri capellanus, postea vero Florinis monachus effectus, tandem a domno episcopo Gerardo abbas hujus ecclesiæ ordinatur. Qui quanta religione locum hunc rexerit, quantis commodis auxerit, quantave cura subditos foverit, testatur usque nunc egregia fama nominis ejus, testantur res adquisitæ procuratione ipsius.

10. *De villa Lutosa* (*G. ep. Cam.* II. 43.) Quoniam A autem de villa, quæ est Lutosa vel ut quidam volunt Laudosa, mentio incidit, hoc sciendum, quod in ea est monasterium canonicorum in honore apostolorum Petri et Pauli, quod construxit beatus Amandus, et est dives abbatia; ubi vir Dei venerabilis Baidilo requiescit, qui corpus sanctæ Magdalenæ de Hierusalem in Burgundiam in loco Vercelliaco attulisse fertur.]

11. *De quibusdam monachis hujus loci.* Sed et hoc non supervacue advertendum, quod prodictus abbas domnus Waldricus quosdam generis sui de patria sua, tres equidem nepotes suos, Deo militaturos huc miserit: Balduinum scilicet monachum, quem hujus ecclesiæ vidimus edituum mira caritate præditum, B cujus obitus dies 7 Kal. Januarii; Stephanum quoque, hujus loci prepositum, tam litteris quam secularibus negotiis eruditum, cujus obitus dies est 15 Kal. Aprilis; et ejus fratrem Wilelmum, innocuæ vitæ laicum, qui omni equestri obsequio monachis in vita sua deservivit; ex cujus semine multi manent usque adhuc. Domnus item episcopus Gerardus quendam generis sui Socleramum [380], innocentis et simplicis vitæ monachum, huc adduci fecit; qui inter cetera omni vilitate contentus corporisque sui curam omnino postponens, nunciandis horis operis Dei solerter vacabat. Quem jam senio curvum artusque baculo sustentantem vidimus, nec tamen a proposito sancto vel psalmodia continua cessantem. Talibus aliisque ministris, tali quoque sustentata C abbate sub tanti suffragio pontificis ecclesia hæc beatissima tunc predicabatur ab omnibus. Plura de his referre vitamus, ne forte legenti fastidium ingeramus.

12. *De obitu domni Gerardi episcopi.* Quinto igitur ordinationis sæpefati abbatis anno, domnus episcopus Gerardus, superveniente vocationis suæ die anno præsulatus sui 40, felici ut credimus morte resolutus, ejus ad quam tot ac tantis laboribus exercitatus totis viribus anhelabat largiente Deo adeptus est consortia vitæ. Obiit autem 2 Idus Martii anno Dei Christi 1050 (502) et in media ecclesia sanctæ Mariæ ipsius est corpus digna veneratione sepultum. Qui quantum suis dilectus extiterit, designat ejus sepulchrum diversis lapidibus aureis- D que litteris insignitum. Eo autem tempore Balduinus, filius comitis Flandrensis, Richildem comitissam, quæ antea Hermanno nepoti ipsius comitis nupserat, uxorem duxit.

13. [*De electione domni Lietberti et profectione ad regem.* (*V. Lietb.* 10, 3, 11, 13.) Igitur domno episcopo Gerardo cum reverentia et honore decente sepulto, Cameracensis cleri plebisque curia tanti

VARIÆ LECTIONES.

379 prepositi *cop.* 380 *utrum sic, an* Socleramum, *an* Sceleramum *legendum discerni nequit in copia.*

NOTÆ

(502) A. 1051 potius; conf. quæ ad Gesta Lietb. 3 monuimus. Error fortasse est copiæ, non auctoris; nam *annus quintus Waldrici abbatis*, a. 1047 ordinati, ut c. 9 noster dicit, est a. 1051. Porro *annus 40us præsulatus Gerardi*, Kal. Febr. 1012 baculo donati, est Kal. Febr. 1051-1052.

patris amissione perturbata convenit, et domnum Lietbertum, quem ex Brachatensi provincia nobili prosapia editum domnus Gerardus diligenter ac religiose, utpote generis sui propinquum, educaverat, quem etiam per singulos gradus ecclesiastici ordinis ad archidiaconatus et prepositurae Cameracensis ecclesiæ honorem provexerat, quique ei semper maximeque in diebus senectutis suæ, vices ejus supportando, adjutor et cooperator extiterat, pari consensu eligunt; et facto grandi apparatu, illustres viri tam milites quam clerici electum presentari ad imperatorem Henricum cum exultatione deducunt, qui tunc forte apud Agrippinensem Coloniam observationi sanctæ quadragesimæ vacans morabatur. Quo postquam perveniunt, presentiam regis adeuntes, destitutionem urbis suæ et totius provinciæ morte tanti patroni ei notificant, baculumque pastoralem quem secum detulerant, lacrymando presentantes, de electione domni Lietberti paucisci reverenter suggesserunt. Audito imperator memorati pontifis decessu, quem in magna veneratione et delectione semper habuerat, pie condoluit. Tamen quia dies sanctæ parasceves aderat, qua Dominicæ passioni et peccatorum recordationi vacandum erat, de hoc negotio per triduum omnino siluit. Verum ne diutius verba protraham, in die sanctæ resurrectionis domno Lietberto jamdudum fideli sibi notissimo, coram tanta multitudine assistentium archiepiscoporum et reliqui ordinis sancti, nec non et optimatum palatinorum procerum, donum episcopii largitus est; et ad ostendendum quanta mentis devotione id ageret, hymnum *Te Deum laudamus* ipse incepit et a palatio imperiali usque in ecclesiam beati Petri omnis curia prosequitur cum hymnis et jubilatione. His rite peractis et legatis nostris miro gaudio repletis, accepta missione et omnibus competenter adimpletis, properabat domnus Lietbertus comitesque ejus ad civitatem suam reverti.

14. *De expulsione Johannis a Cameraco.* (*Ib.* 14, 15.) Post hæc, fama precurrente Johanni, quem supra capite octavo diximus Ermentrudem Walteri castellani uxorem in matrimonium duxisse, nullum tamen castellaturæ donum a domno Gerardo potuisse impetrare, et ideo domno Lietberto in hac re sibi obsistenti insidias mortis sæpius molitum fuisse, nunciatur quod factum fuerat. Qua de causa nimium perterritus, clam diuque reputat quid facto opus sit. Consilio itaque cum suis accepto, nullum civitatis introitum venienti episcopo deliberat, nisi sibi castellaturam concederet, quam anxius ambiebat. Matrem ergo ecclesiam dominæ nostræ sanctæ Mariæ violenter invasit, et ejectis clericis thesauros ecclesiæ et quodcumque intro repperit, ditioni suæ mancipavit, militesque suos armatos inibi posuit. Aulam pontificalem superbus intravit; uxorem suam in cameram pontificis introducens, stratum suum in

A lecto pontificali fecit parari, sibique atque satellitibus suis de sumptibus episcopii præcepit ministrari. Dum hæc agerentur, domnus Lietbertus appropinquat civitati; cui Johannes cum parato occurrens exercitu, portas clausit et longe reppulit ab introitu. Divertens itaque ad hanc villam receptusque a suis honorifice, hic aliquandiu mansit, donec comes Flandriæ Balduinus, rediens a rege Francorum], inventum eum secum Cameraci deduxit. Quod cum nunciaretur Johanni, fuga lapsus liberum introitum domino venienti consensit; et sic domnus Lietbertus civitatem in pace possedit.

15. *De ordinatione domni Lietberti.* Leoni papæ, ut supra capite 9 retulimus, post annos quinque et menses duos Giehardus succedit, qui et Victor,
B seditque annis 2, mensibus 3, diebus 13. Remensi metropoli Æido antistes vitæ laudibilis præsidebat. (*Ib.* 16, 17.) Ad quem domnus Lietbertus levita, qui quidem sacerdotii gradum nondum attigerat, cum honesto suorum tam laicorum quam clericorum comitatu profectus, et gratanter susceptus, ab eo Catalaunum a domno Rogero episcopo ordinandus dirigitur. Indeque regressus, postera die episcopali consecratione decenter insignitur. Ubi quanta lætitia quantusque congratulantis cleri plebisque concursus extiterit, cum dictu facile non est, silendum nobis esse censemus, maxime qui destinatum opus exequi contendimus.

16. *De adventu imperatoris in hanc terram.* Victoris supradicti papæ successor Fredericus, qui et
C Stephanus, sedit menses 7, dies 29. Post quem Benedictus Deliternensis episcopus sedit menses 11, dies 20; cui succedens Gerardus, qui et Nicolaus, sedit annos 2, menses 5, dies 25. Imperator Henricus comiti Flandrensi Balduino, quem jam olim terram ejus depopulando sibi subjugaverat, iterum rebelli eo tempore graviter iratus erat. (*Gesta Lietb.* 9.) Domnus Lietbertus in sede sua prospere locatus, exclusum ut diximus Johannem ut ab omni spe castellaturæ dejiceret, adolescentulum quendem Hugonem castellani Walteri nepotem ea investivit, et cum cuidam Anselmo propinquo ejus moribus et armis egregie commisit educandum. Quem tamen postea sevum expertus est et perpessus inimicum. Hoc Johannes comperto,
D mox ira fervens ceu [381] saucia tigris vel ut serpens accepto ictu flexuosis orbibus toto corpore involvitur, sic effera mente concepit dolorem et diversa molimina fraudis anhelo pectore versans tandem peperit iniquitatem. Quid plura? ad imperatorem se contulit; ut super comitem Balduinum veniat audacter, hortatur. Ducem exercitus ejus strenuum utpote locorum patriæque gnarum se fore pollicetur, si donum castellaturæ Cameracensis ab episcopo Lietberto sibi faciat conferri. (*Ib.* 10.) Ad hæc gavisus imperator, qui jam secundam profectionem in terram comitis parabat facile fieri repu-

VARIÆ LECTIONES.

381 seu *copia.*

tans, quod Johannes petebat spopondit. Denique A multiplici secundum regiam potentiam in ea expeditione apparatu anno Dei Christi 1054°, regni vero sui 15°, paratis exercitibus, ad proficiscendum castra movit, pertransiensque interjacentia loca per regiones ad villam quæ est Macn, duobus fere milibus a Valentianis distans, super Scaldam fluvium castra metatus consedit.

17. *Quod comes imperatori resistere conatus sit.* Cumque ad transeundum pontes fieri imperasset, ecce ex alia parte fluminis comes Balduinus cum multa militia obvius adfuit. Sicque uterque hic unam, ille alteram tenuit ripam, donec clam ab imperatore missis per Cameracum exercitibus, territus comes loco cessit; et sic imperator libere transiit, et dextra lævaque incendio cuncta devastans, transito ponte de Cheri prope locum qui Bulliens Rivus dicitur, suis tentoriis resedit.]

18. *De imperatoris transitu in Melentosum.* (*An.* 1054.).Quem locum, tam clausula angustæ viæ quam rivis aquarum seu profonditate fossarum munitissimum, cum paucis armatis Johannes noctu adiit, et se quempiam fuga lapsum simulans atque dolosis precibus aperiri sibi inclamitans, tandem sermone blando deceptis custodibus, aperta janua introiit; et interfectis janitoribus multisque aliis, in aurora dicit dans signum in sono tubæ exercitum advocavit. Et sic turmatim transeuntes, Melentosii terram ingrediuntur, ac circumjacentia cuncta depopulando igni tradentes, in villa quæ est Falempin (503) castra metantes resederunt.

19. *De quodam clerico a comite misso.* Multa et præclara in hac expeditione imperatoris gesta describi digna forent; sed quia id non est debiti nostri nec propositi, saltem ad ostendendam ejus miram clementiam pauca de multis perstringendo memoramus. Nam cum clericum quemdam Radulfum ad imperatoris castra explorandi gratia et auscultandi consilia comes ut. . . . . [382] misisset, illeque se contractum fingendo scabellis repens ad imperatoris elemosinam in tentorio inter pauperes consedisset: intuitus Johannes agnovit eum sicuti virum sibi antea notum. Siluit tamen, sed post aliquam deambulationem coram imperatore et optimatibus ejus ad jacentem accessit, dansque ei manum D erexit, et in conspectu omnium jubet adsistere rectum et currere sanum. Stupor apprehendit intuentes; fit murmur admirantium quasi facto miraculo, et ultra quam credi potest admirans imperator, quid lateat percunctatur. Postquam manifestata res est, suspendii reus et mortis judicatur. Virgas allatas ad se suspendendum ipse sibi torquere jubetur. *Sed prius,* ait imperator, *comedamus*; *postquam comederit, lætior suspendetur.* Apponuntur cibi regii, sed quis vel parum gustaret, qui sibi vicinam mortem imminere videret? Tandem vocato eo ante mensam suam, imperator multa super comite rogitans, cochlear argenteum quod tenebat ei porrigit, novisque vestibus eum indui et equo precepit imponi, *ut qui nos* inquit, *speculari venit pronus in scabellis, sublimus in equo redeat a nobis.* Ita regressus quanto gaudio ut ereptus a morte tripudiaverit, quanta laude magnificentiam imperatoris etiam apud hostes extulerit, ipse longo post tempore jam senio curvus nobis narrare solebat.

20. *De obsidione Tornaci ab imperatore.* Sed et jam ad propositum revertamur. Apud Islense castellum comite Balduino commorante et regionem suam coram se in igne et præda devorari cominus aspi- B ciente, maxima pars exercitus ejus et multi nobiles ad perturbanda castra imperatoris egressi sunt. [(*Gesta Lietb.* 13.) Sed mox Lambertus comes Lensensis interfectus occubuit], ceteri vero fugæ præsidie sibi consulentes, cædentibus terga hostibus villam ipsam intrare non valentes ac velut trepidæ volucres ante faciem accipitris diffugientes, fugam suam versus Tornacum dirigunt, et ab insequentibus oppressi, in quodam municipio includuntur. Quo perveniens imperator, posita apud Sanctum Brixium mansione sua [eos gravi obsidione et fame constrictos ad deditionem compulit, et acceptos per ergastula militum suorum in custodia reclusit.] Sicque victor oratorium suum ingressus, hymnum *Te Deum laudamus* concinentibus sibi sacri ordinis ministris C devotissime decantans, grates Domino exsolvit.

21. *Quod vas aureum nuncio cuidam dederit.* Ferunt et aliud memorabile eum ibi fecisse, quod cum quidam legatus de regno ejus veniens nuntiaret, nuper natum ei filium, illum videlicet Henricum qui post quinquaginta annos in hanc terram venit et castella Bulcen, Sclusam, Incy, aliasque munitiones imperiali virtute diruit — cum hoc inquam nunciaret, auream cuppam, quam ab bibendum manu forte tenebat, ei dono porrexit. [(*Gesta Lietb.* 14) Et peractis omnibus cum gloria ad civitates regni sui remeavit. Domnus vero episcopus Lietbertus accepta missione urbem suam cum suis repetivit.

22. *De profectione domni episcopi Lietberti in Jerusalem.* (*Ib.* 13, 12, 29, 30, 31.) Sed ecce dum ex occasione Joannes castellaturam reclamantis adventum imperatoris vias ejus et aliqua gesta ejus describere curavimus, a textu cœptæ narrationis et a gestis domni Lietberti longius evagati sumus. De qua castellatura hoc solummodo inserendum, quod eam episcopus licet invitus et reluctans, sed cogente imperatore Joanni reddiderit; quam tamen ille diu non tenuit, quia Hugo, de quo supra diximus, a custode suo Anselmo jam adolescens eam recepit;

VARIÆ LECTIONES

382 *unius vocis spatium reliquit copia.*

NOTÆ.

(503) Phalempin, inter Lille et Douai.

et Joannes tam donis quam minis ab imperatore coactus exinde de ea siluit. His ita peractis, cum civitas et patria Cameracensis sub tali rectore abundantia pacis et prosperis floreret augmentis, episcopus sanctæ intentionis ardore Hierosolimam intendit adire. Cui ejus devotioni cum resistere conata (504) nequiret, paratis sumptibus, assumptis comitibus, domno scilicet Walchero archidiacono et curiæ preposito, Hugone quoque capellano postea sanctæ Mariæ decano, cujus sanctitatem monstrant claustra canonicorum et Aquicinense cœnobium, Erlebaldo judice et civitatis procuratore, Erlebaldo etiam Rubeo ecclesiæ Sanctæ Crucis instauratore, nec non et Fulchero archicapellano et Attrebatensis ecclesiæ vicedomino, aliisque multis profectus (505), pretermlegens civitates et oppida, itinerum discrimina, barbaram quam colunt Huni transmeat patriam. Transito itaque Danubio, ad regem Pannoniarum pervenit; et pretergressus ejus patriam, vastas ingreditur solitudines, quas deserta Bulgariæ vocant, quasque latrunculi Scythicæ gentis inhabitant. Hi, degentes more ferarum, nullis coercentur legibus, nullis continentur urbibus; sub dio manent, quas nox coegerit sedes habent, prætereuntes obsident, obvios interficiunt, ceteros depredantur (506).

23. *Quod domnus episcopus Corynthum devenerit.* (*Ib.* 34, 35.) Cum igitur inter tot mortiferas feralium hostium insidias domnus episcopus sub periculo mortis sociique ejus trepidi pendulo corde transirent, septima die inter condensa silvarum vident cristatis vittatisque capitibus ac seminudo corpore pallia trahentes et latas caligas; pendebant ex humeris pharetræ et laxos arcus et hastilia longa ferebant. Quibus visis terrentur ceteri; sed quia justus ut leo confidit, episcopus se hilarem magis exhibuit. Cerneres itaque Dei nutu omnem illorum furorem viso episcopo adeo mitigatum esse, ut, quod dictu mirum est, loco cederent, viam transeuntibus quodammodo demonstrarent. Sic domnus episcopus sociique ejus lethiferam regionem latronumque domicilia pertransivit incolumis. Ingressus Dalmatiam locisque peragratis in quibus olim Diocletianus thermas ædificando diversa mortis intulerat supplicia Christi martiribus, cursum flectit Isauriam versus. Quam preteriens, devenit Corynthum [383]; illicque audiens Demetrii sancti inter martires preclari corpus quiescere, sepulchrum expetiit.

24. *De Fulchero ægrotante usque ad mortem.* Inde progressus ubi ad Laoditiam Syriæ pervenit, comperiens ecclesiam Dominici sepulchri, Christianis ejectis, a rege Babiloniorum violenter obsecratam, viamque paganorum metu per terram penitus interclusam, per tres menses in eadem civitate moratus est. Cum autem eundi per terram omnis spes ablata esset, marino itinere domnus episcopus Hierusalem disposuit adire. Ad quod peragendum magistris inquisitis, dum armamenta navalia disponuntur, dum victualia necessaria præparantur, domnus Fulcherus ægritudinem maximam incurrit, quæ ipsum episcopum omnesque comites gravi merore concussit. Cumque per dies languor usque ad mortem ingravesceret, et jam aptum navigationi tempus adesset, mentem pontificis metus cum desiderio torquebat, comitemne fidelissimum desereret an tempus navigationis differret.

25. *Quomodo jam morti proximus sanctum Andream invocaverit Fulcherus.* (*Ib.* 36.) Cum autem de vita jacentis jam omnino desperaretur, et a nautis advolantibus ad portum proficisci episcopus cogeretur; revisit tamen ægrotum et velut in mortuo corpore ultimum quodammodo trahentem spiritum. Quem modo voce, modo nutibus compellans quomodocumque poterat, missionem petebat. Sed æger quamvis jam seculo traderetur alteri, voces atque singultus recognoscens pontificis, resumpto spiritu, oculos aperuit; cumque [384] gravi difficultate verba loquentis intelligens similiter petit et ipse missionem tanquam qui recederet a sæculo. Quem venerabilis pontifex cum maximis lamentis totoque mentis affectu Deo commendans, sancto commisit Andreæ apostolo atque glorisæ reginæ Mariæ genitricis Dei meritis et precibus. Nec mirum, quod eum quem diligebat, illis familiarius deposuerit quos præ ceteris omnibus attentius excolebat. Post hæc velut ultimum valedicentes et osculum pacis dantes ad invicem, domnus episcopus abscessit.

26. *De lacrimis et prece Fulcheri.* Hinc æger a medicis desperatus, a comitibus derelictus, sed benedictione episcopi refocillatus, quantulumcumque respiravit. Dehinc apud se recolens verba, quibus eum pontifex sancto commiserat Andreæ quibusque imploraverat sanctam Dei genitricem pro se, intima cordis trahens suspiria, lacrimis obortis ait, ut ipse postmodum testabatur: « O sancte Andrea, cujus me tutelæ dominus meus Lietbertus episcopus commisit, cujusque memoriam in cenobio quod est apud Novum Castellum situm excolit; si tu vere es ille Andreas decorus, virilis apostolus Christi, amicus Dei, quem Dominus dilexit in odorem sua-

VARIÆ LECTIONES.

383 Chorinerum *V. Lieth.* 384 quumque cum *cop.*

NOTÆ.

(504) Sc. civitas.

(505) 1034to *Dominicæ Incarnationis anno.* Vita Lietb., c. 31.

(506) *Gregatim vadunt, omnia sua secum portantes cum tota supellectile, parvulis et uxoribus. Nullius heresis nominata secta, nullius religionis divino cultu tenentur; tamen, sicut ex eorum interfectis vidimus, more Saracenorum circumciduntur; barbari crudeles, homicidæ, sine affectu, sine pietate,* addit Vita Lietb., c. 33.

vitatis, succurre, festina, miserere, digitumque A tuum intergens in oleo misericordiæ, genitricis Dei dominæ nostræ sanctæ Mariæ precibus tuis animam deficientem sustenta, laborantem adjuva, succurre, amice Déi per secretum Christi magistri tui. Jam morior. Quod non possum per me, matrem posce pietatis, quatinus mihi subsidietur, non meis meritis, quibus pœna mortis debetur, sed ejus qui me vobis commisit lacrimis et precibus. » Noctem illam pontifex duxit insomnem, se suosque Deo commendans gemitibus solitis, votisque supplicibus morientis amici protelabat vitam.

27. *De apparitione sanctæ Mariæ et sancti Andræ. (Gesta Lietb. 37.)* Jamque propinquabat noctis quarta vigilia, cum ceteris qui in domo erant, in qua de- B cumbebat languidus, soporatis, visus est sibimet quasi semivigilans obdormiisse. Et ecce videt binos dæmonum spiritus coram se stare, ferreum tridentem flammivomamque velut de fornace erutam ferentes, quam, sicut idem retulit, mortis aculeum nominabant. Dicebant enim se ad hoc detulisse, ut eam cordi ejus affigerent et sic animam ejicerent. Quis timor ille, Deus ! quis dolor, quæ angustiæ ! laborabat æger, laborabat et deficiebat ; aspiciebat ictus ferire minantium, penitusque dissolvebatur, singultiens; dissolvebatur, et inter singultus tantum sonabat : » Sancta Virgo virginum, Mater Jesu, sancte Andrea. » In hoc tanto tamque terribili tribulationis articulo, inter caligines et umbras mortis, C ecolitus effulgurans irradiat locum sua sanctissima presentia stella maris, mater pietatis, cujus precatu pietas Dei parcit peccantium culpis. Adest, inquam, spes miserorum, salus debilium, dæmonum forte lamentum ; ferens dextra qua Christum pannis involvens reclinavit in præsepio, vivificæ crucis signum sinistrorsum acclinis super sanctum Andream apostolum. « Quis inquit, nequissimi spiritus tantus terror vestri furoris tantaque vos generis tenuit Fiducia vestri, ut eos qui nobis commissi sunt vobis vindicare velitis ? Quid vobis et ægro, quem filius meus reddit sospitati hujus sancti Andreœ precibus ? Abite hinc quantocius, abite ! » Cujus ad imperium dicto citius evanescunt illi dæmonum D spiritus.

De sospitate per sanctam Mariam et sanctum Andream Fulchero reddita. (*Ib.* 38.) Tunc mater pietatis ægrum respexit vultu serenitatis, vultu quo inter convivantes suggerebat deficere vinum, illo, inquam, vultu, quo dolentem respexit Theophilum, vultu dulcedinis et gratiæ, eo inquam vultu languidum ajam pæne mortuum dæmonum manibus erutum respexit, et ut surgeret pontificemque suum sequeretur imperando significavit ; sicque recessit. Recedente visione, qui sibi dormire videbatur æger oculos aperuit, et ita se sanum sospitemque repperit, acsi nil mali pertulisset. Mox acclamato puero, qui sibi ad hoc remanserat, si moreretur ne insepultus maneret, precepit ut quantocius vestimenta sibi deferret, viæque pontificem sequnturæ necessaria cuncta pararet. Illo eum amentem putante, protinus surrexit ipse, dominum domus vocavit, quantum pro impendiis sibi collatis debeatur quæsivit, computatis et redditis, equos suos quam celeriter parari jubet, puerumque suppellectilis suæ nihil oblivisci monet. Quem non solum paterfamilias, in cujus hospitio manserat, miratur incolumem, sed omnis vicinia gaudet ipsius sospitate. Gaudet et cuncta civitas et applaudit, quoniam quem precepto evangelico statuerant morientem sero sepelire, cernebant mane velocibus equum suum passibus emittere. Ipse vero cunctis quærentibus lætus referebat, quanta sibi per suam gloriosam genitricem sanctumque Andream apostolum fecisset Dominus. Inde gradu citissimo, suo comitatus cliente, festinat consequi pentificem, quem pietas et providentia Dei adhuc detinebat in littore.

29. (*Ib.* 39.) *Dum per littus episcopus deambulat, Fulcherus sospes advenit.* Sol etiam exoriens crinitis radiis futuram signabat tempestatem ; quod providi nautæ caventes differebant navigationem. Inter hæc hora diei tertia, dum pontifex in littore deambulans secum defleret casum derelecti fidelis, nunciatur ei a prospicientibus, domnum Fulcherum venire. Primo stupefactus, dein mentem recolligens, inquirit qualiter id scirent? Illis referentibus, equos quos ille equitare solebat et vestimenta ejus se veraciter vidisse, suspirans ait : « Potest esse ; non est Fulcherus sed fortasse puer ipsius, qui, sepulto domino, nos prosequitur. Nam Fulcherum nisi sola Dei clementia jam non spero videre. Attamen non diffido de Christi misericordia, quæ sororibus reddidit Lazarum, viduæ unicum filium. » Dum hæc secum loquerentur, et intenti venientes illos prospicerent, adest Fulcherus. O quantum fuerit gaudium, quanta lætitia noverit mens humana ! Quid qualiterve contigisset, sibi non erat referre licitum ; tantus erat tumultus atque tanta frequentia sese complexibus ejus ingerentium. (*Ib.* 40.) Recepto comite jussu nautarum domnus pontifex navem conscendit cum suis. Nautæ remis insurgunt totis viribus,

Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.
Linquunt Laoditiæ portus pelagoque volant
Crebrisque legunt freta concita terris.
Vela pandunt et cava trabe curritur æquor.
Postquam altum tenuit navis nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique et undique pontus
Illis cæruleus, supra caput adstitit imber
Noctem hyememque ferens et inhorruit unda tenebris.
Continuo involvunt venti mare nigraque surgunt
Æquora.

Periclitantes itaque tempestate valida quassata ad insulam Cypri appulerunt (507). (*Ib.* 41.) Ubi cum

NOTÆ.

(507) *Quem princeps illius insulæ, quem Katapant, hoc est, secundum dominum, vocant, timens ne*

iterum Hierosolimam proficisci parant, rursus ad Laoditiam revehuntur. Sed cum jam nulla spes eundi Hierosolimam superesset consilio Laodicensis episcopi redeundi iter mœstus arripuit (508).

30. *De ecclesia sancti Sepulchri.* Post Nicolaum papam, ut supra cap. 16 retulimus, Romanam sedem Anselmus qui et Alexander rexit annis 9, menses 6. (*Ib.* 47.) Domnus Lietbertus episcopus regressus ab infecto itinere, quo Hierosolimam ut dictum est cupiebat adire, sed obstantibus diversis periculis terris jactatus et undis, compulsus est retrorsum abire, alias intendit animum, ecclesiam scilicet in honore sancti Sepulchri, sicut hactenus cernitur, extra murum Cameraci ædificare (509). (*Ib.* 49.) Et quod egregia mente concepit, devotissime ad finem usque complevit. Nam decenter constructam, accitis multorum corporibus sanctorum, ministrante sibi domno abbate Waldrico, anno Dei Christi 1064 solemniter dedicavit; et monachos inibi Deo servientes velut mulieres ad Christi sepulchrum excubentes instituit (510); nec non et sepulchrum in eadem ecclesia, in quo et conditus est, sibi parari fecit (511).

31. *De donis Fulcheri sancto Andreæ oblatis.* (*Vita Lietb.* c. 43.) Nec prætermittendum est, quod episcopus a via de qua supra diximus noluerit intrare Cameracum, ni prius reviseret Novum Castellum, sui principatus fidele municipium, quod ob sancti Andreæ memoriam diligentius excolebat. Quo perveniens domino comitatus Fulchero cumque ceteris suæ familiæ comitibus, officiosissime suscipitur ab omnibus, susceptusque in templo sancti Andreæ ducitur ad orationem. Prostratus solo non quæsivit in oratione lacrimas, quas semper familiarissimas habebat. Deinde surgens dedit benedictionem. Quos in tempore potuit exosculatis, processit palam, cunctisque refert quantos viæ pertulerit casus. Tunc dominus Fulcherus eo præsente procedit ad altare, narrans que quantave per suam gloriosam genitricem sibi fecisset Dominus sancti Andreæ meritis et precibus. Post capitis deditione videntibus cunctis sese sancto tradidit Andreæ offerens super sanctum ejus altare duas uncias auri purissimi. Utque in eodem loco ad honorem Dei et memoriam sancti Andreæ pro se perpes servitus esset, filium suum nominatum Fulconem tradidit ibidem. Quo monacho facto, victualibus fratrum magna donaria contulit, quæ privilegiorum jure pontificis auctoritate firmavit, | altare scilicet de Lelycis, et in emendo allodio de Maretz ipse domnus episcopus decem uncias auri dedit. Alium quoque filium Fulcherus Attrebati monachum effecit, quem postea venerabilem Hunocurti abbatem vidimus.

32. *De bello in Anglia facto.* Anno autem Dei Christi 1066 ad occidentalem plagam unus ex cometis admodum visu terribilis crinitos radios velut flammigeras hastas emittens, vespere solem sequens per octodecim dies apparuit. Quod genus syderis, quod erunt bella, aut famem aut pestilentiam portendere solet; hoc regni etiam mutationem ipsa sua apparitione præsignavit. Nam Wilelmus Normanno-

NOTÆ.

in manus paganorum incideret, a pridie Non. Jul. usque ad pridie Kal. Aug. detinuit, addit Lietb., c. 41.

(508) Vita Lietb., c. 42, addit: *In regnis Lothariensium nec non Francorum simultationibus exortis quampluribus, imperator Henricus et rex Francorum Henricus, ut eas sedarent, ad colloquium convenerunt, sed imperfecta pace discesserunt. Nec multo post Henricus imperator presente papa Victore, qui pro causis papatus per Romanos male tractatus, apud ipsum conquesturus venerat, diem clausit extremum. Post ejus mortem cum filio ejus Henrico et regina, domno papa arbitro, sed et judicibus episcopis et principibus regni, pro simultatibus quas contra patrem habuerat, reconciliati sunt uterque comes Balduinus, pater scilicet et filius. Cui placito interfuit domnus pontifex Lietbertus, intonsus adhuc sicut a peregrinatione rediens ad suam civitatem nondum venerat; qui familiariter ipsum comitem ab exordio sui pontificatus dilexerat.*

(509) Vita Lietb., c. 46, hæc ita exhibet: *Illud oratoriolum qua de causa constructum fuerit, plenius exequemur. Temporibus domni Gerardi s. memoriæ episcopi, hujus d. Lietberti predecessoris, exorta fames Cameraci, sed et in regionibus circumquaque adjacentibus, adeo invaluit, ut morientium corpora capere non valerent cimiteria Cameracensis urbis. Incidit igitur ipsi domno Gerardo rationabile consilium, ut extra muros civitatis fodere faceret polyandrium, quod receptui foret tot corporibus condendorum pauperum; juxta quem locum ecclesiam postea in honore Dominici sepulchri constructam consecravit, ut propter reverentiam tanti nominis sepultura ibi esset pauperibus et peregrinis. Quam temporum labente curriculo dum meliorare disponeret, diurno fessus senio defunctus est. Ipse vero domnus Lietbertus, predecessoris ac magistri tali ac tanto animatus exemplo, devotas ipsius primitias laboraturus intravit; et quoniam parva erat ecclesia, intactam reliquit, et juxta eam ampliori et meliori scemate monasterium, sicut in presenti cernitur, ædificavit. Huic tanto operi exequendo cooperatores et ministros constituit domnus pontifex eos, quos in peregrinatione Iherosolimitani itineris adnotavimus fuisse socios, domnum Walcherum archidiaconum videlicet et Erleboldum, judicem civitatis et ministrum.* Quæ ad verbum omnia excepta sunt ex Lietberti diplomate apud Miræum Opp. dipl. I, 155.

(510) Vita Lietberti, c. 49, addit: *Actum et consecratum d. i. a. 1064, indictione 2, anno quoque pontificatus domini nostri et patroni Lietberti 14. Romæ presidente papa Alexandro. Et ne monasterium extra civitatis ambitum remaneret, studuerunt ampliare mœnia, circumdantes omne illud monasterii ædificium vallo et fossa cum civitate tota. Quod duabus ex causis eos fecisse constat: ut civitas amplioribus ædificiis et plurimis habitatoribus nobilitaretur, et circummanentes ipsi loco civitatis firmitate munirentur. Ecclesiam vero, quam diximus mansisse intactam, postea multorum labente temporum cursu Walterus abbas ejusdem loci, quoniam nimia vetustate decidebat, ampliare meliorando studuit, additisque sanctorum pignoribus memoriam sanctissimi Nicolai ibidem constituit.*

(511) Vita Lietb., c. 66: *Ibi quoque ante quinquennium quam vita decederet, effodi sepulchrum*

rum comes, parata non parva classe, assumpta magna militia, mare pertransiit. Qui terræ applicans, naves omnes penitus concedi fecit, scilicet ne suis superesset ulla spes refugii. Itaque rex Anglorum Heroldus, olim contra predictum comitem Wilelmum perjurus—nam filiam [385] ejus se accepturum juraverat, tunc forte regressus a nece fratris sui Tostini, qui captando partem regni ejus contra eum arma commoverat— tunc inquam sinistris excitus nunciis, collecta ingenti copia Anglorum Norwicorum ad prelium paratus contra Normannos, qui jam sibi tres munitiones prope littus maris extruxerant, progreditur. Quid multa? inito certamine Normanni victores existunt, Angli terga vertunt, maxima pars utrobique interit; rex quoque Heroldus interfectus occubuit; sicque comes Wilelmus regnum obtinens, die nativitatis Domini in Londonia ungitur in regem.

33. *De prelio apud Cassellum facto.* (*An.* 1071.) Bellum quoque in Flandria gestum apud villam quæ est Cassellum, ex quo cetera bella circumquaque per terras et multa mala pullularunt, hic dignum duximus inserendum. Rotbertus namque, qui et Friso dictus, pro eo quod in Frisia est nutritus, audiens comitem Balduinum fratrem suum obiisse et duos filios Balduinum et Arnulfum heredes post se reliquisse, dolensque nimis se jamdudum omni honore Flandriæ a patre suo et fratre exclusum penitus esse, quia videlicet eum non legitime conceptum fuisse suspicabatur: non tulit ulterius, sed clam Flandrenses oras ingressus, quorumdam nequam hominum dolis aliquas munitiones et castella occupare cepit, et usque ad Cassellum terram sibi vindicavit. iis auditis, vidua comitissa Richildis, quam defuncto Hermanno priori marito supra diximus (*c.* 12) nupsisse comiti Balduino, collectis multis [386] exercitibus cum duobus supradictis filiis Balduino et Arnulfo, parato quoque rege Franciæ in ejus auxilium Philippo, eo procedit (512). Quid plura? commisso prælio (*Feb.* 22), Friso validus animo et armis seu ferocibus sociis primam aciem adversariorum audacter irrumpens contrivit, ceteros vero, interfecto nepote suo Arnulfo in prima flore adolescentiæ posito et necdum militiæ usibus apto, multaque strage peracta, in fugam compulit. Ipse etiam rex frena vertit et abiit. Tandem ipse Friso captus a comite Eustachio, apud Sanctum Audomarum in custodia servatur; sed non multo post Flandrensibus vi magna liberatus, comitatum totius Flandriæ potenter obtinuit.

34. *De donariis domni Lietberti ad ecclesiam sancti Andreæ.* Ecce dum gesta imperatorum seu productiori sermone prosequimur, a proposito cœptæ narrationis longius evagati sumus. His ergo omissis, ad domni Lietberti quam erga ecclesiam hanc tenuit liberalitatem commemorandam paulisper animum intendamus. Nam ea altaria allodia et cetera beneficia quæ contulit, nonne hæc scripta sunt in privilegio quod ante quinque annos obitus sui in capitulo nostro veniens corroborari fecit? Altare vero de Lambris quomodo nobis provenerit, libet paucis aperire. Cum apud Hainoensem comitissam Richildem, matrem Arnulphi quem in prælio Cassellensi a patruo suo Frisone

VARIÆ LECTIONES

385 filium *cop.*
386 nullis *cop.*

NOTÆ.

sibi fecit; quod certis diebus revisens, et primo quidem desuper incumbens, lacriminis et gemitibus fossam perfundedat, deinde pane vel carne vel aliis cibariis implebat, que pauperibus erogari mox faciebat.

(512) Vita Lietb. 58: *Sed Flandrensibus, quorum dolo Robertus ille Flandrias intraverat, dolose pugnantibus et terga vertentibus, ipse puer Arnulfus occiditur; quo mortuo, fugataque matre, totus marchionatus cessit Roberto. Hoc eventu belli nimis efferatus, in tantam prorupit insaniam, ut dominatum Cameracenæ civitatis imperio preripere vellet imperiali et suæ submittere ditioni. Unde collecto frequenti exercitu, villas civitati proximas depopulans, per cunctam viciniam bacchabatur. Quod dum non semel, sed bis annuatim faceret, totamque Cameracensem patriam penitus in solitudinem redigeret, domnus pontifex per internuntios eum sæpe commobat, et ut ab incepto desisteret, nunc prece nunc pretio sæpius orabat. Sed ne quidem audire valens, fastu superbiæ secularis inflatus minabatur non modo a devastatione regionis non cessare, sed ipsam quoque civitatem, nisi sibi eam redderet episcopus, ad nichilum redigere. Inter hos laboriosos vitæ mortalis sudores, inter prescripta sanctorum operum operta exercitia. Deo dignus pontifex fatigatus in infirmitatem decidit, quam per tres continuos annos mira patientia devicit, sustinuit. Quem tirannus ille audiens ægrotare, tanquam de pastoris absentia gratulabundus rursus infremit, rursus in caulas dominici gregis insanit, collecto maximo exercitu, velut ex improviso ad civitatem advolat, tamquam expugnaturus eam. Quod factum domnus pontifex gravissime tulit, et ultra quam dici potest indoluit. Precepit quantocius ut in lecto gestatorio levaretur, et per medias acies bellatorum usque ad tentorium ipsius tyranni portaretur. Tantis siquidem podagræ doloribus angebatur, ut nullo modo in pedes subsistere posset. Delatus ex sententia usque ad tentorium comitis, postquam vidit eum, graviter infremuit, et cum magna severitate scelestos ausus presumptionis ejus increpavit, utque de terra dominæ suæ Mariæ discederet, auctoritate pontificali commonuit. Suus enim parrochianus erat, in quantum comitatus Atrebatensis sibi cedebat, quoniam Cameracensis et Atrebatensis ecclesia tunc temporis uni pontifici parebat. Quo non curante, sed mente superba pontificis objurgationes quasi quædam ludicra subsannante, pontifex manibus sese sustentans, resumptis viribus in lecto resedit. ut sibi virga pastoralis cum stola sacerdotali porrigeretur imperavit. Quibus acceptis impresentiarum, protinus ipsum comitem cum omni exercitu ejus usque ad satisfactionem excommunicavit. Videns comes tantam in viro Dei mentis et justitiæ constantiam, reveritus ætatem et reveritus pontificis auctoritatem, quodque verius est, terrore divino percussus, cum esset hora diei nona, movit castra, et licet infrendens, licet minas ingeminans, quantum dies concessit, extra terram quæ sibi contradicebatur concessit.*

diximus interemptum, domnus abbas Waldricus non parvam gratiam et locum intimæ familiaritatis obtineret: illa se ab eo sæpius visitari congaudens, salubri ejus consilio frequenter utebatur, et prout secularis cura permittebat, monitis ejus parere nitebatur. Interea quidam Rogerus, famosæ nobilitatis clericus, quippe Sancti Audomari et Sancti Amati Duacensis prepositus, ipsius comitissæ obsequiis fideliter inserviebat, et cuncta ejus negotia, utpote totius procurator curiæ, disponebat. Qui domni abbatis paulatim et silenter considerans continentiam et per omnia religiosam perpendens ejus esse vitam, majori affectu ei adhærere cœpit, adeo ut multa donaria et tapetia, quæ in presbiterio pendere solebant, quin etiam altare de Lambris, domno episcopo Lietberto gaudenter annuente, ecclesiæ nostræ conferret, et in capitulo veniens, societatem fratrum et ut anniversarius obitus ejus dies, quem agimus 13 Kal. Junii, semper celebri memoria ageretur impetravit.

35. *De villa Lambris.* (*G. et Cam.* II, 21.) Quia vero prædictæ villæ, id est Lambris, mentio facta est, hoc sciendum quod fiscus regalis fuerit, sed tempore Stephani episcopi a Carolo rege Francorum sanctæ Mariæ donatus sit. In ipsa autem villa rex Childebertus forte sepultus est. Qui cum ad obsidendum fratrem suum, qui tunc temporis Tornaci morabatur, ire pararet, beatus Germanus Parisiensis episcopus presago spiritu predixerat, non posse se consummatum ire illiusmodi negotium, si germanæ neci eo spiritu intenderet. Hic autem verbis surdescens, exequi parat dispositum. Sed ne beati pontificis irritum habeatur presagium, in ipso itinere morte preventus, in predicta villa Lambris subterratur.]

36. *De Hildebrando venerabili papa.* Post Alexandrum papam Hildebrandus, qui et Gregorius VII, Romanam sedem suscepit (*an* 1073). Hic, zelo domus Domini ferventissimus, multa decreta dedit. Super incontinentiam presbiterorum sententias promulgavit, ne quis scilicet missas eorum audiret; filii eorum sacros ordines nullo modo perciperent; investituras ecclesiasticarum dignitatum de manu laici nullus omnino perciperet; qui transgredi presumeret, sacris ordinibus omnino privaretur. Qua de re non solum inter eum et imperatorem grandis exorta est contentio, verum etiam per orbem exinde grave scandalum sancta pertulit Ecclesia. Quæ controversia usque ad tempora Calixti papæ post eum quarti permansit.

37. *De obitu domni Lietberti.* Remensi metropoli post Widonem Gervasius preficitur, vir sane utraque scientia preditus, qui rebus bellicis operam dans, militari manu maxime patriam suaque tuebatur. Hic inter cetera ingentis corporis cervum conflatilem cuprinum, qui hactenus in curia archiepiscopi stans, cernitur, opere fusili fieri sua arte excogitavit. In pectore hujus cervi hactenus hi versus leguntur :

Dum Cenomannorum saltus lustrare solebat
Gervasius, cervos tum sufficienter habebat.
Hunc, memor ut patriæ sit semper, condidit aere.

[(*Vita Lietb.* 22 sqq.) Domnus Lietbertus post gravissimas infestationes quas ab Hugone castellano, de quo multa referuntur, perpessus est — nam et ab eo captus, interfecto Wiboldo præposito, et in custodia positus, sed per Richildem comitissam liberatus est — tandem senio fessus et Dei servitio fatigatus per triennium gravi languore ægrotavit, sed ministerio domni Waldrici nunquam carere voluit. Itaque anno episcopatus sui 26to, 10 Kal. Julii (1076), astantibus et orantibus clericis, feliciter diem clausit extremum.]

FINIS SECUNDI LIBRI

TERTIUS HIC LIBER EST ; PRÆCEDENS PROLOGUS HIC EST.

Hactenus de gestis trium episcoporum, domni scilicet Erluini, Gerardi, Lietberti, aliqua perstringendo magis quam enumerando descripsimus; et ut poetarum libri ferunt, aurea quodammodo quæ in diebus eorum erant secula rememoravimus. In quo opere dignus mihi videor redargutione, qui tantorum virorum vitas et actus qualicunque scripto presumpsi annotare. Constat enim quoniam qui talia agit, non solum imperitiæ suæ et presumptionis vitium ostentat, sed et eorum de quibus loqui nititur, verbis ineptis laudes obscurat. Nam pro eo, quod virtutem et gesta Achillis orator descripsit Homerus, veniens ad tumulum ejus felicem tali precone eum appellavit Alexander Magnus. Precedentibus duobus libellis de tribus episcopis pauca locuti sumus ; nunc in tertio quarti, id est domni Gerardi secundi, mentio agenda est; sub quo jam ad argentea, et post ejus obitum ad ferrea sæcula, nos devolutos esse graviter sentimus. Igitur exequendum est promissum opus, et ad ea quæ nostra ætate partim vidimus et audivimus, dirigenda est oratio.

1. *De domno Gerardo episcopo secundo.* Defuncto Lietberto episcopo (*an.* 1076) et in ecclesia Sancti Sepulchri, quam ipse a fundo ædificaverat, cum maxima cleri plebisque lamentatione decenter sepulto, convenit universa civitas, et domnum Gerardum Brachatensem archidiaconum, supradicti episcopi Lietberti genere propinquum, totius plebis assensu electum, ad imperatorem dirigunt. Qui acceptis ab eo episcopalibus insigniis, glorianter rediit. Deinde Romam benedictionis gratia expetiit ; quem papa Hildebrandus, cognito adventus ejus negotio, nec videre voluit, protestans eum excommunicatum, quia contra apostolica sanctorumque canonum et sua decreta, de manu laici et excommunicati, utpote male diffamati imperatoris — qui etiam, quod detestabilius esse probatur, Romanæ Ecclesiæ sub-

ditus non erat — baculum pastoralem et annulum accepisset. Quum ergo domnus Gerardus hac objectione constrictus insignia episcopalia ipsi papæ reddidisset, et pro hac comites ejus maximeque Alardus archidiaconus et prepositus, quem postea conversum Martianis (513) vidimus abbatem, nimio merore afficerentur; tandem papa miseratus precatu suorum et cardinalium, gratiam suam ei contulit, et consecrandum ad Hugonem de Diis (514), venerabilem Lugduni archiepiscopum et totius Galliæ legatione functum, transmisit. A quo de more ecclesiastico decenter consecratus, prospere cum suis gaudentibus repatriavit.

2. *De vastatione Cameraci.* Nec multo post causa extitit, qua curiam imperatoris adire eum oportuit. A qua rediens, cum ad oppidum quod est Laubias devenisset, nunciatur ei cives Cameracenses conjuratione facta statuisse quod nullus ei intrandi civitatem daretur locus. Iis auditis perturbatus episcopus, quid facto opus sit, animo tractare cœpit. Deinde accita non parva amicorum copia, comite quoque Balduino (515), versus Cameracum vias dirigunt. Quid plura? Appropinquantes portis et illis ad resistendum paratis, dolo simulant jurantes se cum pace venire; et sic permissi intrare, citius fidem rumpunt, domos invadunt, cellaria diripiunt, scrinia confringunt, et omnia direptioni tradentes, aurum, argentum, vasa, vestes, et quicquid delectabile erat auferentes, certatim multimodis onerati spoliis, multisque hominibus captis, ad sua quisque repedarunt. Et sic domnus Gerardus in sua relocatur sede.

3. *De quodam homine Ramihrdo.* Contigit post hæc episcopum ad villam Lambras, quæ tunc sui juris erat, devenisse, et ibi aliquantulum demoratum esse. Ubi cum ei a narrantibus intimatum esset, hominem quemdam nomine Ramihrdum, apud proximam villam quæ est Scherem manentem, multa preter fidem dogmatisare, et jam sub doctrina sua multos discipulos maximamque utriusque sexus plebem sibi consentaneam adquisivisse: tunc sine mora adductum de vita et de doctrina ejus sciscitans, cum eum ad objecta respondere videret, ad sedem Cameracensem pertrahi eum jubet, ut ibi super his plenius discuteretur. Certo itaque die accitis abbatibus et clericis sapientibus, productus in medio de fide catholica exquiritur. Sed ille veræ credulitatis sanctionem per omnia profitetur. Cumque ad confirmandum Dominici sacramenti particeps fieri ab episcopo moneretur, refugit, dicens a nullo abbatum nec sacerdotum nec etiam ab ipso episcopo hoc se percepturum, quod aut Simoniæ aut alicujus avaritiæ noxa adstricti tenerentur. Hiis verbis omnes in ira commoti, pro heresiarcha eum indicant haberi; et ita discessum est. Quidam vero de ministris episcopi et alii multi deducentes eum in quoddam tugurium inducunt, et non reluctantem, sed intrepidum et, ut aiunt, in oratione prostratum, admoto igne cum tugurio combusserunt. Qui multa fecerat et docuerat, hic finis ejus. Plurimi tamen, qui ei adhæserant, de ossibus et pulvere ejus aliquid sibi rapiebant. De cujus secta per quædam oppida multi manent usque adhuc. Et ejus nomine censentur textrini operis lucrum exercentes (516).

4. *De Aquicinensi cœnobio.* Sub iisdem fere temporibus (*an.* 1079) duo viri genere nobiles, Sigerus de Lohes, Walterus filius Ursionis, cum sociis multis, relicta sæculari militia, Deo militare disposuerunt; et locum quendam secretum religioni aptum super Ischarb (517) fluvium, aqua cinctum, ad habitandum delegerunt. Inde domnum episcopum Gerardum Cameraci, quia locus ille ejus erat parrochiæ, expetunt, et habitandi licentiam et construendi ecclesiam ab eo deposcunt. Ille autem non tantum quæ petebant annuit, sed etiam adjutor eorum et cooperator ædificationum, quæ monachis essent habiles, esse cœpit. Hugo quoque decanus Sanctæ Mariæ omni cura totoque animo eo cœpit intendere, pecuniam, altaria ceteraque necessaria largiendo toto affectu ministrare, adeo ut in brevi locus ille a Deo sublimatus, ecclesia clericis probisque viris repleretur, et studiose ac religiose servitus Dei ibi ageretur. Quæ congregatio in tantum Dei nutu excrevit, ut etiam domnus Alardus Hasnoniensis monachus abbas ibi preficeretur, et nobiles quique pagenses vel ex aliis provinciis sæculo renunciantes, ibi sub norma sanctæ religionis confluerent. Hoc itaque cœnobium usque hodie rebus sæculi dilatatum, omni floret religione, et circumquaque monasteria multa sanctitatis illustrat odore.

5. *De obitu domni Waldrici abbatis.* Rexerat domnus abbas Waldricus ecclesiam hanc (518) annis 36, seque boni operis exemplum subditis per omnia prebuerat, multasque possessiones, altaria,

NOTÆ

(513) Marchiennes.

(514) Die en Dauphiné. Ita enim correxi, quod copia habebat: *Hugonem Œdiis.*

(515) Montensi.

(516) Hac de re loquitur Gregorius VII in epistola 25 Mart. 1077 data ad Godefridum Parisiensem episcopum, quam affert Le Glay ex Greg. Reg. IV, 20: *Item relatum nobis est Cameracenses hominem quendam flammis tradidisse, eo quod Simoniacos et presbiteros fornicatores missas non debere celebrare, et quod illorum officium minime suscipiendum foret, dicere ausus fuerit. Quod quia nobis valde terribile, et, si verum est, omni rigore canonicæ severitatis vindicandum esse videtur, fraternitatem tuam sollicite hujus rei veritatem inquirere admonemus; et si eos ad tantam crudelitatem impias manus extendisse agnoveris, ab introitu et omni communione ecclesiæ auctores pariter et complices hujus sceleris separare non differas, et nobis hujus rei certitudinem, necnon quicquid de superioribus causis effectum fuerit, per litteras tuas, quam citissime poteris, indicare stude.*

(517) Scarpe. Ampliorem hujus fundationis historiam videsis in Auctario Aquicinensi ad Sigebertum.

(518) S. Andreæ.

allodia, suo studio adquisierat. Superveniente igitur die, quo divina pietas eum ab ærumnis sæculi disponebat eripere, subita corripitur ægritudine; et decidens in lectum, convocatis fratribus post salutaris monita exhortationis ultimum valedicens, plenus dierum anno Dei Christi 1083, Idibus Junii, diem clausit extremum, et in medio ecclesiæ sepelitur cum maxima lamentatione fratrum et aliorum.

6. *De electione abbatis Guiffridi.* Convenientes fratres ad eligendum abbatem, quattuor de suis eligunt, et eos cum baculo pastorali ad episcopum dirigunt, ut cuicumque eorum abbatiam daret, ceteri laudarent. At ille ejusmodi electionem perpendens non esse probabilem, distulit, et acceptis induciis eos redire precepit. Interim domnus Petrus abbas Belvacensis pro fratre suo domno Guiffrido, et ejus petitione episcopus Laudunensis, precatorias litteras domno Gerardo episcopo transmiserunt. Hugo quoque castellanus (519) cum aliis multis pro hoc ipso precator accessit; et hiis animatus precibus episcopus Geraldus abbatiali dignitate sublimavit. Quam ille susceptam per aliquot annos strenuue rexit, sed postea continuis imminentibus guerris et maxime fame magna, ecclesia hæc devoluta est paupertati.

7. *De bello apud villam Castenerias facto.* In illo tempore apud Cameracum inter Oilardum preclarum militem et Johannem Ottonis filium, pro quadam villa Vinciaco (520), gravissima exorta est contentio, adeo ut ab invicem separati, alter eorum, id est Johannes, cum Fulchone nepote suo Cameraci manens, bella pararet; alter vero, id est Oilardus, in hanc villam (521) veniens, conductorum militum sibi copiam adsumeret. Quadam autem die tempore messis, cum hinc atque illinc egressi ad villam Castenerias (522) venientes sibi obviassent, armati congrediuntur; et, commisso gravi prelio, pauci ex parte Oilardi, sed multi ex Cameracensi exercitu corruerunt. Ibertus quoque nepos episcopi, et Ado de Belen (523), egregii viri, interfecti sunt; Fulcho quoque cum multis famosis viris captus est. Et sic Oilardus victoriam adeptus, gaudens recessit, et spolia equos et captivos militibus suis largissime divisit. Et predictum Fulchonem, sororium suum, in captione anno uno detinuit; sed postea per episcopum et Theodericum de Avesnis concordati, amici permanserunt.

8. *De muliere a demonio vexata.* Quod autem sub occasione predicti Oilardi hic vidimus contigisse, nemini sit onerosum vel legere vel audire. Hic siquidem cum virtute militiæ circumquaque famosus viribus et armis Cameracensem tueretur patriam, contigit eum aliquando more suo in pago Viromandensi predationem multam fecisse, et capta preda plurimisque captis hominibus, prospero successu citius remeare. Forte mulier quædam, conjugis sui captionem graviter plus æquo dolens et acuti doloris impatiens, quam concito cursu poterat sola sequebatur. Sed non erat facile ut consequeretur. Igitur inclinata jam die, imminente vespera, nox facta erat, cum illa proximam silvam deveniens, nusquam progredi valens, oppressa scilicet noctis tenebris, merore et lassitudine corporis, se sub reperta arbore lassata volens requiescere membra. . . . [387]

9. *De apparitione maligni spiritus.* Hæc diu semivigilans jacuerat, cum repente malignus spiritus sub aliqua visibili specie coram ea adstans, et ut ipsa nobis postea retulit, quasi cappam unam in manu deferens, induit eam, et sic eam ex toto possedit. Illa mox effera et sui omnino nescia prosilit, et quod reliquum erat noctis, silvam peragrans, tandem mane facto e silva progreditur. Diuque vaga per agros discurrens, ab incolis comprehensa ligatur, et magis ferinis quam humanis vocibus inclamitans, ad hoc monasterium verberibus agitata perducitur.

10. *De liberatione mulieris dæmoniacæ.* Quæ dum liminibus ecclesiæ propinquaret, velut immano precipitium precavens, retrocedere, et ne intraret toto annisu reluctari; sed a presentibus impulsa, immo illata, in medio templi sparso stramine collocatur. Ibique quamvis stricte ligata, miserabiliter huc illucque volutabatur. Horrida facies, flammantes oculi, horrorem quodammodo intuentibus ingerebant. Nam et ore spumans linguamque dentibus masticans sanguineam salivam in aspicientes expuebat, ut aperte daretur agnosci exterius quo habitatore vexaretur interius. Nos vero diris ejus clamoribus et strepitu vulgi concurrentis permoti, post aliquot horas accessimus; et maligni hostis in ea habitationem perpendentes, simulque ejus calamitati compatientes, prolatam aquam reliquiis sancti Andreæ reverenter signavimus, et sumendam ori ejus obtulimus. Illa vero, ac si mortiferum quid abhorrens, quantum potuit a se indignanter repulit, Sed adstantes supinatæ eique dentes stringenti instanter ori ejus infundere cœperunt, donec ipsa anhelitum retrahens, aliquantulum ex ipsa aqua perciperet in gutture ac deglutiret. Quo facto cerneres in momento sicut ignem extingui aqua, totum furorem ejus omnino mitigatum deferbuisse, et ipsam velut alteram affectam, et jam immutatam, leni vultu, blandis oculis nos respicientem, et lenta voce loquentem. Porro nos, cum circumstante plebe

VARIÆ LECTIONES.

[387] *excidit una vel altera vox.*

NOTÆ.

(519) De Oisy.
(520) Vinchy, prope Cambrai.
(521) Le Câteau.
(522) Cattenières, arr. de Cambrai. LE GLAY.
(523) Bellain, arr. de Valenciennes. LE GLAY.

voces laudis emittente, nec a laudibus nec a lacrimis A cessare poteramus, quippe qui divinam gratiam presentem ibi meritis sancti apostoli operatam esse videbamus. Protinus illa, soluta a vinculis, erigit se, et quassata membra sustentans, pedetentim gressus movere cœpit, admirans unde huc venerit, vel quis eam desub arbore tulerit, aut quomodo cappa, de qua supra diximus, exuta fuerit. Sed ab hiis qui aderant quæ circa se gesta erant certius agnocens, et ad se plenissime reversa, ante altare cum lacrimis prosternitur, et se ancillam sancti in æternum esse devovit. Ac postea refecta cibo — nam in triduo nihil victus sumpserat — recepto quoque marito, gaudens et sana remeavit ad propria.

11. *De discordia regni et sacerdotii.* Hildebrandus papa Romanæ sedi cum omni religione presi- B debat. Sed imperator Henricus Romanæ Ecclesiæ et decretis apostolicis concordare nolebat; immo excommunicatus omnes subditos papæ episcopos graviter insequabatur. Nam et antecessores suos talibus decretis numquam consensisse dicebat, quia et episcopalia insignia omni tempore dedissent. Preterea elatum eum faciebat victoria, qua Rodulfum quendam, quem Saxones sibi contra eum regem prefecerant, ante annos quamplures in bello interfecerat. Filius quoque ejus Henricus juvenis et marchisa Mathildis frequenter ei quamplurima bella parabant. Igitur post prefatum Hildebrandum Odo, qui et Urbanus in Romana sede successit, vir sapientissimus, prius Remensis canonicus, postea Clunia- C censis monachus, dein papa est effectus. Hic per omnia predecessoris sui in ecclesiacticis sanctionibus secutus est vestigia. Remensem vero ecclesiam post Gervasium Rainoldus, Turonensis ecclesiæ custos, regebat. Domnus vero Gerardus Cameracensi bene presidebat. Patriam autem ejus miles Oilardus, quem supra memoravimus, virtute sua et prudentia pacatam undique et opulentam faciebat. Sed quomodo vel quo infortunio tantum defensorem plebs amiserit, paucis intimandum.

12. *De morte Oilardi.* Hic itaque cum quadam die de curia Flandrensi reverteretur, et terram Hugonis castellani, postea monachi (524), pertransire vellet, Symon filius ipsius Hugonis cum militari manu eum prosecutus, in ecclesiola villæ quæ D est Chaun, cum uno tantum comite — nam ceteri, relicto eo, dispersi fugerant — inclusit, et mira virtute gladio pugnantem, clypeo se protegentem donec ferientium ictibus concisus e manibus laberetur multis confossum vulneribus interfecit. Sicque mortuus delatus ad nos, in claustro nostro sepultus, sub marmore clauditur uno. Hic finis ejus, omni patriæ dolendus. Ab ipso etiam habemus allodia multa, quæ hereditarie possidebat, de Mediolanis (525), de Beccheniis, de Buhen (526), de Formeiis, de Fontanis.

13. *De plaga ardentium.* Anno Dei Christi 1089, celebri memoria ubique terrarum innotuit, et libris annalibus traditum describitur, cum justo Dei et aperto judicio, peccatis superbæ plebis exigentibus sicut ignis ira Dei exardesceret in his regionibus, maxime Bracbatensi: miserabilis plaga facta est ardentium, in quibus restinguendis, in plerisque sanctæ Dei genitricis ecclesiis, et maxime Tornaci, piis ejus meritis et gloriosa intercessione facta sunt præclara miracula. Tunc ex diversis terræ partibus, non solum vicinis sed et longe positis et etiam transmarinis, plebs innumerabilis utriusque sexus ad ecclesiam Tornacensem confluebat pavida. Nam quod de aliena carne videbat, hoc unusquisque in se fieri pendulo corde verebatur. Intrantibus vero ipsam ecclesiam plenam utique languentibus, stupor ingens et lacrimabile fiebat spectaculum, cernere scilicet alios miserando gemitu rugientes adhuc plaga ignis graviter cruciari, aliorum vero pedum quorumdam autem tibiarum, usque ad genua vel usque ad coxas consumptis carnibus, ossa arida pendere; quosdam autem jam extinctos velut truncos, huc illucque jacere, et nusquam nisi portatos progredi valere. Sed de his pro tempore jam satis dictum, quamvis pro hac vel alia peste semper et ubique metuendum, et divina judicia nobis jugiter imminere sit credendum.

14. *De quadam muliere hic sanata ab igne.* Eodem tempore mulier quædam, predicto igne in summitate pedum accensa, ad ostium nostri monasterii curru subvecta deponitur; et lacrimosa suspiria diris permixta clamoribus emittens, suorum manibus, comitante turba multa, — nam de simili pœna sibi quisque timebat, — prope altare sancti Andreæ collocatur. O cui tam saxeum pectus tamque ferrea mens tunc inesse posset, quem illi fletus, illi dolores miseræ mulieris sanctum apostolum jugiter invocantis, vel usque ad lacrimas non emollirent? Nam cui humana presidia nullo modo poterant subvenire, hoc solum restabat solatium, pro ea respectum divinæ pietatis implorare. Tunc antiquiores seniorum nostrorum cum reverentia reliquias sancti Andreæ accipiunt, et locum diri vulneris ex eis signantes, ter pedibus ejus modum crucis circumtulerunt. Quod ut factum est, illa paulatim a clamoribus quiescens, summatim visa est dormire; viditque virum canis crinibus decorum, hilari et reverenda facie, veste quoque candida sibi adsistere, et sicut antea reliquiis, similiter eodem modo locum doloris manu sua signare, et sic omnem ardorem extinctum esse. Mox illa excitata, abeuntem sequi conata, exclamat voce magna sanctum Andream adesse, et non fallitur integre restituta. Ad hanc concurrimus omnes, et ultra quam credi possit, gaudentem et quasi resumpto spiritu suscitatam intuemur, et quid sibi acciderit,

NOTÆ

(524) Valcellis, quam abbatiam fundavit a. 1131. Le Glay.

(525) Melun. Le Glay.

(526) Bohain. Le Glay.

attentius perscrutamur. At illa visionem gratanter A commemorans, Deo et sancto apostolo sanctæque Maxellendi laudes et gratias agebat. Sed plebs occurrens quantas pre gaudio lacrimas fuderit, et quanto jubilo ymnum *Te Deum laudamus* cecinerit, magis credendum quam sermone pandendum.

15. *De quodam fratre Alberto.* Hujus rei spectaculo intererat et ministrabat quidam frater noster Albertus, utpote sacrorum vasorum custos et ecclesiæ minister; qui quod monachali pretendebat habitu, vitæ et morum probitate complebat, prout humano judicio vel experientia potest comprobari. De B cujus conversatione pauca et non cuncta quæ vidimus, nemini sit onerosum si hic breviter inseramus. Hic siquidem sub domno abbate Waldrico habitum nostri ordinis suscepit. Dein psalmos aliquos addiscens, et in dies ad meliora proficiens, tandem vasa altaris tractare et hujusmodi obsequiis jussus est deservire. Hic custos oris sui et contemptor corporis sui, veste cilicina usque ad talos subtus utebatur; a vino omnino et cibis lautioribus abstinens, pane contentus servitorum, portionem suam vini et reliquarum escarum languidis et infirmis exportabat. Certum ejus lectum aut vix aut nullatenus quisquam noscere quibat; sed ante altaria, C ubicumque somnus vel lassitudo corporis coegisset, prostratus humi quiescebat. Ubi etiam sanctos apostolos Petrum et Andream sibi apparuisse et quædam sibi dixisse, de quibus non est dicendum, per singula uni ex fratribus nostris confessus est, domno scilicet Dodoni, compatriotæ et familiarisimo sibi, quem postea abbatem et construendi operis hujus templi procuratorem habuimus. Quid referam, prefatum Albertum sæpius fasciculos lignorum noctu ostiis pauperum apposuisse, et in via lupos eum multoties comitatos fuisse? Audivimus eum etiam fuisse confessum, quia dum quadam nocte de D Waldonis curia quendam solus in humeris crucifixum afferret, omnes arbores secus viam se ei inclinasse; nimirum quia congruum erat Creatoris imagini creaturam prosterni. Sed ne plus verba protraham, tandem impetratra a domno episcopo Gerardo et capitulo nostro licentia, Iherosolimam pia intentione et Dominici sepulchri desiderio cum uno tantum socio intendit. Nobis tamen incognitum quid de eo acciderit.

16. *De obitu domni Gerardi episcopi.* Domnus episcopus Gerardus, anno pontificatus sui 16, in hac villa morbo correptus, in domo sua superveniente vocationis suæ hora defungitur (527), et Cameraci delatus, in medio ecclesiæ anno 1092 tumulatur. Post cujus mortem undecumque pessimi quique cœperunt emergere, et multiplicata sunt mala in terra Cameracensi, omni defensore viduata, quæ enumerare nec hæc nec aliqua sufficit pagina. Multoties igitur Cameracensis cleri plebisque concio ad eligendum pontificem conveniebat. Sed dum quisque pro velle suo loqui presumebat, omnes in commune nihil proficientes, discedebant. Denique post multas perturbationes clericum quendam Manassem canonicum, Suessionensis comitis (528) fratrem, eligunt et cum magno apparatu ad imperatorem transmittunt. Sed furtivis litteris post eum missis accusatus, inanis rediit, et a spe fraudatus remansit.

17. *De Atrebatensi ecclesia.* Interim (*an* 1093) Atrebatenses clerici, tempus opportunum sibi post maximam disceptationem Cameracensium habentes, quo de jugo Cameracensis episcopi subjectionis colla excuterent, Romam adeunt, Urbano papæ causam suam suggerunt; ut Atrebatensem ecclesiam tanto tempore ancillatam jam miserando liberam efficiat, lacrimabiliter implorant. At ille crebris multorum maximeque regis Francorum precibus exoratus, predictam ecclesiam amodo et usque in sæculum cardinalem habere dato privilegio constituit; et ad hoc corroborandum, clericum quendam religiosæ vitæ, Lambertum Islensem, episcopum ibi ordinari præcepit; sicque ecclesiam Atrebatensem a Cameracensi divisit (529).

18. *De electione Walcheri.* Manasses itaque repulsam suam graviter ferens, ad archiepiscopum Remensem se contulit, et ut opem ei conferat, per amicos suos obnixe precatur. Ille vero recitatam secundum compertam veritatem veracium testium tam Cameracensium quam aliorum ejus electionem, in conventu Remensis capituli confirmavit. Preterea Cameracenses Walcherum, Bracbatensem archidiaconum et Tornacensis seu Noviomensis ecclesiæ custodem, in episcopum eligunt. Qui missus ad imperatorem, in die sancti Andræ donum episcopatus ab eo suscepit, et auctoritate Romani pontificis Urbani ab archiepiscopo Remensi consecratus, civitatis Cameracensis regimen obtinuit. Hic multa præclara gessit; castella atque municipia multa Cambrisiacum et civitatem opprimentia viriliter diruit; justitiam quærentibus faciens, omnem provinciam subactis hostibus pacificavit.

19. *De concilio Arvernensi.* Urbanus papa a Roma in Gallias deveniens, anno Dei Christi 1095 apud Arvernensem urbem, quæ est Clarusmons, concilium innumeræ multitudinis aggregavit, ubi multa decreta relatu digna dedit, viam Ierusalem instituit, de statu sanctæ ecclesiæ satis et sufficienter tractavit. Tunc Manasses stans in medio clamorem fecit de domno Walchero, electioni suæ injuste subintroducto, episcopatum videlicet Cameracensem sibi invasione

NOTÆ.

(527) 2 *Idus Aug.* secundum Necrologia beatæ Mariæ et S. Sepulchri Cameracensis, et S. Salvatoris Aquicinensis, 3 *Idus Aug.* secundum Necrol. Fidemiense, in bibliotheca Cameracensi 730, *pridie Kal. Aug.* secundum Contin. Gaugericianum cap. 9.

(528) Johannis I. Le Glay.

(529) Gesta hujus separationis cum omnibus chartis eo spectantibus ex codice Atrebatensi jam Boloniensi s. XII, de quo cf. Annales nostros VIII, 406, edidit Baluzius Miscell. V, 237.

detestanda usurpante, et ut uno verbo ejus utar, *intrusit se in*, inquit, *meam electionem*. Finito clamore et Walcheri dicta responsione, admirati judices tandem simul in hoc concordantes protulere sententiam: primam scilicet electionem ratam, secundam vero, id est Walcheri, irritam esse debere. Porro Walcherus jam de concilio recesserat, quia nos qui cum eo ieramus, hac et illac auriculantes, tale ei judicium fore predixeramus. Data sententia, Manasses in ipsa sede Walcheri ut episcopus substituitur; Walcherus si se deinceps de episcopatu intermittat, excommunicatur. Multa de ipso concilio, plura quæ de ipsis postea contigerunt, et quomodo eorum [388] Cameracensis patria omnino devastata et civitas pene fuerit desolati, quamvis sint stupenda, preterimus, qui jam amplius hæc rememorari superfluum esse et inutile ducimus.

20. *De ordinatione Manassæ episcopi.* Rumoldo Remensi archiepiscopo obeunte (*an.* 1096), Manasses prepositus succedit, parum quidem litteratus, sed elemosinis et curæ pauperum studiose deditus; a quo supradictus Manasses in episcopum est ordinatus.

21. *De via Hierusalem.* Anno 1096, per admonitionem sæpefati papæ Urbani, habitantes terram viam Jerusalem aggredi cœperunt, et usque in fines orbis terræ sonus et amor eundi percrebuit. Comites, principes, nobiles, vulgusque promiscui sexus ire certabant, portenta et signa in cælo se videre multi asserebant. In qua via quanta pericula, quot corporum incommoda, quantas fames, quanta prelia, maxime in Antiochia pertulerint, quo labore, quibus pressuris ad Hierusalem pervenerint, qua arte, qua industria quadragesimo obsidionis die, interfectis multis militibus Sarracenorum, eam ceperint, quanto studio sepulcrum Domini et loca sancta mundaverint, non est nostrum describere; quæ magis proprii et lati codicis indigent inscriptione, presertim cum de eis et cantica ubique diffusa et carmina quædam descripta habeantur.

22. *De domno Odone episcopo.* Postquam episcopi duo, Manasses et Walcherus, diutina dissensione per longa tempora defecerunt, Odo Aurelianensis scolasticus, Tornaci monachus effectus — nam ipsum cœnobium ejus predicatione cœpit ædificari, — postea vero abbas ipsius loci, ad episcopatum Cameracensem eligitur et consecratur (*an.* 1105). Sed quia donum ab imperatore propter excommunicationem quærere nolebat, intrare in civitatem minime licebat.

23. *Quod imperator in hanc terram venerit.* Henricus imperator, crebra et importuna Cameracensium pulsatus flebili querela, quod scilicet Robertus comes Flandrensis, dominatum Cambrisiaci usurpare sibi volens, multas irruptiones in hanc provinciam hostili manu fecerat, ipsam demum civitatem exercitu nimio circumdans, per septem dies obsederat, paratis septem, ut fertur, milibus armatorum, anno 1102 in hanc terram venit, multa viriliter et prospere gessit, castella Bulcen, Incy, Sclusam aliasque munitiones comburens igni, solotenus precipitavit, pavorem sui hostibus circumquaque incussit; sed opprimente hieme citius repatriavit. Nec tamen comes ab infestatione Cambrisiaci. . .

25. *De cometis.* Anno 1106, unus ex cometis regni mutationem presagientibus mense Martio per octo dies apparuit; vespere post solis occasum radios terribiles emittens, multis prudentibus terrorem ingessit. Imperator Henricus, quem filius suus sub occasione apostolicæ sententiæ regno ejectum usque in exteros fines expulerat, apud Leodium defungitur; sed propter prædictam excommunicationem in atrio non sepelitur. Filius vero ejus Henricus, imperium, quod sibi pater vivens concesserat et benedici jusserat, obtinuit.

25. *De consilio apud Treeas habito.* Post Urbanum Romanam sedem suscepit Rainerus (*an.* 1099), qui et Paschalis, vir per cuncta laudabilis, antecessorum suorum firmiter decreta tenens, sed avaritiæ minus intendens. Hic in Gallias veniens (*an.* 1107), apud Trechas concilium magnum celebravit, et postea Romam rediit.

26. *De adventu Henrici tertii imperatoris.* Tertius (530) Henricus imperator, in hanc terram veniens (*an.* 1107, *Oct.*) adversus comitem Robertum, qui sibi Cameracensem patriam vindicaverat, Duacum obsedit; sed illis deintus viriliter pro se et pro patria pugnantibus et comitis presentia roboratis, nihil profecit. Tandem ergo compacta concordia — nam se alterutrum metuebant — imperator concessit quæcunque pater suus dederat ei tenere, scilicet hanc villam (531) et alia quædam. Dein per Cameracum iter faciens remeando (*Dec.*), duodecim de filiis potentium civitatis, obsides videlicet ne quando cives ipsi ab ejus fidelitate defluerent, abduxit secum, sicque repatriavit.

27. *Quod imperator Romam perrexit.* Qui non multo post Romam perveniens (*an.* 1111), obviis sibi civibus Romanis, simulata pace sub jurejurando nulli eorum aliquam injuriam se facturum spopondit, et in introitu templi sancti Petri hoc ipsum apostolico juravit. (*Febr.* 12.) Sed citius ingressus templum, cuncta promissa rupit. Nam ipsum apostolicum, ad eum benedicendum et divina peragenda paratum jamque procedentem, injectis manibus nihil tale suspicantem accepit, et captum extra civi-

VARIÆ LECTIONES.

388 *excidisse videtur* discordia, *vel* causa, *vel tale quid.*

NOTÆ

(530) Le Câteau.

(531) Imo quartus, rex quintus.

tutem ad castra exercitus sui, quem ibi reliquerat, transduci fecit. Quid seditionis, quid perturbationis, quæ divisio regni ac sacerdotii tunc fuerit Romæ, quod nemo potest, non est nostrum explicare. Tandem coactus papa, quicquid rex precepit sacramento firmavit. Et sic conticte et dolose concordatis, discessum est. Postea tamen rogabatur papa a Romanis perjurum regem excommunicare, sed ille rennuit, et numquam eum amplius videre voluit. — Verum nos intermittentes ea quæ tunc Romæ gerebantur, ad nostra redeamus. Igitur comes Robertus, ut dictum est, hanc villam adeptus, frequenter hanc invisere, venationem agere, circumjacentium locorum cœpit delectari opportunitate. Denique maximam partem turris quæ ceciderat, et murum in circuitu, sicut hactenus cernitur, reparavit, excepta aula cum ecclesia, quam domnus Gerardus II ædificavit. Nam et ipse amplas et honestas domos, quæ hodieque manent, unam scillicet juxta ecclesiam Atrebatensem Sanctæ Mariæ, alteram vero in Brachant apud villam quæ est Melun, lapideo opere construxit. Comes itaque, quoad vixit, sicut dictum est, hanc villam tenuit et possedit.

28. *De obitu domni Odonis episcopi.* Manasse Remensi metropolitano carne exempto (*an.* 1106), Rodulphus preclaræ scientiæ clericus et prepositus, in sede substituitur. Sed quidam clericus Gervasius, vi regia fretus, ipsam sedem sibi usurpans, introitum ejus primo satis impedivit; sed postea morte preventus quievit (*an.* 1113). Domnus autem Odo Cameracencis episcopus, ægritudine gravi preventus, ad monasterium Aquicinense se deferri fecit; ibique defunctus (*Jun.* 19), in medio ecclesiæ sepelitur. Cujus sepulchrum inciso lapide decoratum usque in hanc diem demonstratur (532).

29. *De adventu domni Burchardi.* Hoc ita finito, cum in Cameracensi ecclesia nulla pro dissensione obloquentium fieri posset rata electio, aditur imperator, qui, reperto consilio, clericum unum sibi fideliter obsequentem Aquisgrani, Burchardum nomine, cum legatis suis ad episcopatum Cameracensem transmisit. Qui susceptus et electus, fere per biennium propter excommunicationem imperatoris inconsecratus mansit; sed tandem miserante apostolico, quia donum episcopatus de manu regis non acceperat, adeptus est benedictionem. Hic a comite Balduino juvene, dum ægritudine diutina, quam ex vulnere insanabili contraxerat, laboraret, non sine pretio magno consiliariis ejus collato, hanc villam cum turri recepit, et deinceps liberam Cameracensi ditioni restituit. De hoc comite Balduino paucis dicendum, quod juvenis optimæ indolis, cultor fuerit justitiæ et pacis, adeo ut pro conservanda quiete patriæ juvenem unum furti reum inaudita et miserabili morte apud Brugias in chaldaria fecerit bullire; cum admirantibus turbis et flentibus, nec ipse a lacrimis posset temperare; unde et terror ejus per omnes provincias malefactores fecit omnino quiescere. Sed cum in Normanniam, quam crebris exercitibus opprimebat, profectus esset, accepto letali vulnere reversus, per annum fere unum ægrotavit, et sic demum apud Sanctum Bertinum effectus monachus et paulo post defunctus (*an.* 1119), ibi requiescit.

30 *De domno Gerlando abbate.* Interea (*an.* 1117. domnus abbas Guiffridus, tum hostili furore qui totam patriam depopulabatur, tum fame quæ vehementer omnem terram premebat fatigatus, velut magna tempestate quassatus amisso clavo navim vagantem mediis fluctibus, ecclesiam hanc detinebat; sed tandem in se reversus portum quetis adiit, et prelationis onus deposuit. Nos statim habito concilio, Aquicinensem monachum, magnæ religionis et humilitatis virum domnum Gerlandum, eligimus, et a domno episcopo Burchardo Cameraci benedictum, anno Dei Christi 1117 abbatem suscepimus. Qui quam strennue, quam prudenter susceptam ecclesiam rexerit, si ei diu vivere datum fuisset, et ipsis quotidianis nostrarum rerum argumentis patuisset.

31. *De successione apostolicorum.* Paschalis Raineri, de quo supra retulimus, in sede Romana successor [389]] Joannes Gaitanus, (*an.* 1118), qui et Gelasius, sedit vix anno uno, et veniens in Gallias, apud Cluniacum defunctus sepelitur (*an.* 1119). Huic Wido, qui et Calixtus, Viennensis archiepiscopus, ad sedem apostolicam provehitur (*Febr.* 1), vir tam probitate morum laudabilis quam etiam illustris dignitate generis; frater scillicet Clementiæ Flandrensis comitissæ, matris utique comitis junioris Balduini, de quo aliqua supra diximus. Hic papa famosissimum concilium Remis anno Dei Christi 1119 [390] celebravit (*Oct.*), in quo non tantum de tota Gallia, sed etiam de Lotharingensibus, archiepiscopi, episcopi, abbates et clerici catervatim confluxere. Tunc quidam Fredericus, frater comitis de Namu, post multas contentiones de episcopatu (533) inter eum et quendam Alexandrum, ab apostolico ibi consecratur. Ad cujus post biennium defuncti sepulchrum multa signa facta feruntur; quæ assertores ejus, viri quoque legales, vera, detractores vero falsa esse contendunt. Sed soli cognitori omnium utrum vera an falsa fuerint innotescit.

VARIÆ LECTIONES.

[389] *tale quid excidisse videtur.* [390] MCXVIII *copia.*

NOTÆ

(532) Cum hac inscriptione :
Hic tegitur presul Odo,
Qui perspectus omni modo
Fuit exul Deo fidus,
Fulget cælo quasi sidus.

(533) Leodiensi. Le Glay.

32. *De obitu Gerlandi abbatis.* Domnus abbas Gerlandus cum fere per quinquennium decenter gregem sibi commissum in hac ecclesia rexisset, aderat dies vocationis suæ; et gravi [391] febre correptus, 14 Kal. Maii, feria 3 paschæ (1123) defungitur, et ante altare sanctæ Mariæ sepelitur. Hujus tempore Gerardus infans (534) allodium de Fontanis, pro sua et patris sui anima, ad altare sancti Andreæ tradidit; cujus partem araturæ Gerulfus quidam, monachus noster effectus, a canonicis sanctæ Mariæ nobis redemit. Sepulto itaque domno Gerlando, domnus Dodo, vir honestæ vitæ monachus, Flandrensis natione, in loco ejus substituitur. Hic caput monasterii nostri jam ædificare ceperat.

33. *De obitu Henrici tertii imperatoris.* Imperator Henricus, post multa prelia, post plures per quas sibi rebelles multos fecerat expeditiones, tandem domno papæ Calixto concordatus, diem clausit extremum (*an.* 1125), et apud Spiram cum patribus suis sepelitur. Cumque cognati ejus Conradus et Fredericus hereditarie regnum sibi vellent usurpare, congregati principes terræ, relictis illis, quendam ducem Saxoniæ Lutharium nomine ad imperii dignitatem promovere. Hic vir tam religiosæ quam virtutis militaris pollens efficacia, non minus religiosam uxorem et elemosinariam habebat.

34. *De obitu comitis Flandrensis.* Supradicti Henrici tempore contigit, Calixtum papam Romæ generale concilium anno Dei Christi 1123 [392], mense Martio, in Lateranis celebrasse, ipsumque et imperatorem post diutinam regni sacerdotiique, ut supra diximus, dissensionem firma pace concordasse. Tunc etiam domnus Burchardus apud papam super diremptione Atrebatensis ecclesiæ a Cameracensi gravem querimoniam intulit. Cujus clamo- A rem ille benigne suscipiens, tempus tractandi de hoc negotio illi constituit. Sed morte occupatus (*an.* 1124, *Dec.*), quendam episcopum Offensem (535 Lambertum quem et Honorium, successorem accepit. Qui nihilominus clamorem episcopi libenter attendens, se determinaturum causam ejus spopondit; sed regis Francorum multorumque intervenientibus epistolis, parum profecit. — Domno Rodulfo Remensi metropolitano carne exempto (*an.* 1124), Rainoldus Andegavensis episcopus in loco ejus substituitur. — Iisdem fere temporibus comes Flandriæ Carolus, cum apud Brugias in templo prostratus oraret (*an.* 1127, *Mart.* 2), a quibusdam militibus suis, ad hoc ipsum antea conjuratis, mul- B tis confossus vulneribus perimitur; necnon et quidam castellanus ejus, dum se se ferientibus ictibus pro liberando domino medium objiceret, similiter gladiis eorum super ipsum interemptus occubuit. Protinus fama tanti sceleris percurrente, mœror ac timor universam terram perculit. Et mox ad ulciscendam tanti principis injustam necem, potentes quique, maximeque quidam nobilis Daniel ira frendens, unanimiter insurgunt; nec prius quievere quam homicidos illos omnesque complices eorum diversis ac turpissimis mortibus deditos, omnino de terra delerent. Porro quis luctus, quis dolor Flandrensem populum attriverit, quæ prelia, quæ seditiones, quæ incendia totam patriam devastaverint, C non nobis vacat, quia impossibile est verbis vel scriptis commemorare. Super hujus comitis morte multi multa carmina flebili voce finxere. De quibus monachus unus lugubre carmen, sed memoria dignum, metricis versibus composuit, quod nos ob auctoris laudem et lectoris admirationem hic etiam inserere curavimus:

Huc ades, Calliope,
Vires mihi suggeret
Carmen fingo lugubre
Nobili de principe,
Quem produxit Dacia,
Satum stirpe regia.
Mater fuit Athala,
Frisionis filia.
Pater cujus, hostia
Factus in ecclesia,
Mortem pro justitia
Pertulit in Dacia.
Noster autem Carolus,
Clam sublatus hostibus,
Fugit ad avunculum,
Comitem Flandrensium,
In qua proles regia
Marchionis curia
Crevit sapientia
Atque morum gratia
Ubi vero inclitus
Obiit avunculus,
Balduinum patrio
Statuunt in solio.
Hic vicinis regibus
Terror fuit omnibus,
Cultor suæ patriæ,
Hostis injustitiæ.
Morbo insanabili
Fracta carne fragili,
Sithiu fit monachus,
Et successit Carolus.
Quo regnante, Flandria
Viguit militia;
Cujus sub imperio
Floruit religio.
Auxit patrum gloriam,
Comitum potentiam.
Plurimas Flandrensibus
Terras junxit finibus.
Heu, heu! magne marchio,
Digne regni solio.
Forma digna principe,
Digna tanto nomine!
Heu, pater ecclesiæ,
Nostræ decus Flandriæ,
Ultor injustitiæ
Et munimen Franciæ,
Dux bonorum previus,
Cleri defensor pius,
Monachorum clipeus,

VARIÆ LECTIONES.

391 Gravis *cop.* 392 MCXIII *copia.*

NOTÆ.

(534) De Crèvecœur. Le Glay.

(535) Ostiensem.

Terror malis omnibus!
Te Flandrorum comite,
Quiescebant semitæ,
Nec audebat quis tuam
Conturbare patriam.
Preda nunc efficimur,
Undique diripimur
Fit pastore mortuo
Ovium direptio.
Nemo justum sequitur,
Paxque tecum moritur,
Et abscisso capite,
Membra pugnant undique.
Dole, plange, Flandria,
Quasi patrem filia.
Nulla sunt solatia,
Perit tua gloria.
Ad lamentum convoca
Quæque regna proxima,
Et ad tua funera
Planctus pulset æthera.
Cum facit justitiam,
Passus est invidiam,
Et pro causa pauperum
Pertulit martirium
Ergo pro justitia
Coronatur gloria;
Et lætandum potius,
Sed tamen non possumus.
Cogit nos continuo
Flere desolatio,
Cujus in absentia
Conturbantur omnia.
Flent pontus et Anglia
Totaque Normannia,
Te [393] plus his, o Francia,
Sed minus quam Flandria.
Flandria, tu misera,
Tua tunde pectora,
Scinde genas unguibus,
Neque parcas fletibus.
Hinc dolet Italia
Totaque Sicilia,
Duraque Germania
Atque Lotharingia.
Nostra nam miseria
Terræ pulsat intima,
Doletque cum Dacia
Thule remotissima.
Glacialis Rhodope
Stupet tanto scelere.
Geticusque Ismarus
Et exclusa Bosphorus
Ploret, et Hispania
Juncta cum Galatia;
Nec lætetur Græcia,
Lacrimante Flandria.
O Flandrenses miseri.
Porta patens inferi
Devoret vos penitus,
Nec evomat amplius.
Quæ vos, servi, furia
Compulit ad talia?
Sicut Judas proprium
Tradidistis dominum.
Superatis nimium
Facinus Lemniadum,
Danaique funera
Vestra vincunt scelera.
Ergo Judæ perditi
Facti estis socii;
Secum in supplicio
Vox exspectat mansio;
Immo pene miserum
Fecistis innoxium.
Tradens enim Dominum,
Implet vaticinium,
Multis quippe profuit,
Dominum quod tradidit;
Sed vestra traditio
Multis est perditio.
Fecit ergo nescius
Quod prodesset pluribus
Sed vestra vesania
Multis erit noxia.
Quæ jam vestro sceleri
Pœna possit fieri
Quærere non desino,
Nec tamen invenio.
Non est tam sacrilego
Pœna digna populo.
Vos expectant omnia
Tormentorum genera:
Tantalus purgatus est;
Vester ejus locus est.
Et nocentum agmina
Cedunt vobis omnia.
Ixion jam exilit;
Rotam vobis deserit;
Saxumque volubile
Vos oportet volvere.
Stupet mundi machina;
Pavent Ditis abdita;
Horrent cœli sidera
Tam nefanda scelera.
Et nos exhorrescimus
Unde finem facimus.
Ne sordescant sæcula
Talium memoria.

35. *De comitibus Flandriæ.* Hoc ita finito, post multimodas patriæ perburbationes, rex Francorum Atrebati veniens (*an.* 1127, *Mart*, 20), juvenem quendam nobilissimæ indolis, Willelmum Normannum, Roberti comitis Normannorum fratrisque regis Anglorum filium, comitem Flandriæ constituit. Qui non multo post, cum viriliter contra resistentes ageret et castellum quoddam (536) sibi repugnans obsidione gravi oppirmeret, subito lethali vulnere in manu accepto, vita privatur (*an.* 1128), et apud Sanctum Bertinum non sine magno dolore suorum cum planctu etiam hostium sepelitur. Post hunc Theodoricus quidam de Alsait, de genere Flandrensium comitum, qui jam aliquas partes Flandriæ sibi vindicaverat, eo mortuo, totam terram possedit, ac sic demum Flandria quievit.

36. *De obitu domni Burchardi episcopi.* Domnus A episcopus Burchardus, posteaquam sedecim annis Cameracensem ecclesiam rexit, anno Dei Christi 1129, pridie Nonas Januarii vita excedens, in monasterio sanctæ Mariæ sepelitur. Et post eum ecclesia ipsa mensibus quindecim episcopali caruit administratione.

37. *De adventu Gregorii in hanc terram.* Ipso quoque tempore Honorium papam, Romæ noctu defunctum (*an.* 1130. *Febr.* 14), pars quædam cardinalium mox in ipso crepusculo lucis quasi furtive sepelierunt, et unum ex suis, Gregorium, quem et Innocentium vocaverunt, in cathedra Romana constituunt (*Febr.* 15). Quod ubi cardinales ceteri parsque civium compererunt, raptim convenientes, sepultum corpus effodiunt, ac debita funeris officia complentes apostolico more denuo sepeliunt; ac deinde unum ex suis scilicet Petrum Leonis, quem et Anacletum

VARIÆ LECTIONES.

393 *Lege* Tu.

NOTÆ

(536) Alost.

dicunt, papam constituunt. Et sic uterque, ille scilicet et predictus Gregorius ausu nefario sedem sanctam sibi non est reveritus usurpare. Commota plebs Romana dum duorum contentioni turpiter adulando bipertita seditione tumultuatur, multæ fiunt cædes hominum, et pro pontificali sede adipiscenda in ipso templi aditu execranda perpetrantur homicidia. O dolenda ecclesiastici ordinis miseria! o miserabilis et cæca litteratorum vecordia, dum periti divinæ legis violenter nec sine effusione sanguinis rectores ecclesiæ affectant esse, et, quod gravius est, apostolici! His ita sacrilego spiritu concertantibus, alter eorum, id est Petrus, fortiori Romanorum genere prevalens, sedem obtinuit; alter vero, id est Gregorius, a Roma diffugiens in Gallias devenit, et a Remensi metropolitano maximeque abbate Claræ vallis (537) ut papa susceptus, in has provincias pervenit. Et per Cameracum iter habens, atque ad colloquium imperatoris Leodium tendens, sumptibus suis ecclesias, nostram quoque, admodum gravavit. In ipso conventu Leodii, domnus Liettardus Trajectensis prepositus, episcopus electus (*an.* 1131, *Mart.*), urbi Cameracensi dirigitur; et Remis 6 Kal. Maii a domno metropolitano honorifice consecratus, in episcopali sede locatur.

38 *De discessione domni Petri abbatis.* Sub iisdem fere diebus (*an.* 1131, *vel* 1132), domnus abbas noster Petrus episcopum Liettardum adiit, et abbatiali dignitate deposita, absolutus discessit. Cui post menses sex, domnus Adam, Sancti Vincentii Laudunensis monachus, anno Dei Christi 1142 successit et 13 Kal. Julii in ecclesia beati Aichadri, quæ est Haspræ, a domno episcopo Liettardo honorifice sacratus, eodem die a nobis honore debito est susceptus septimus abbas hujus loci.

39 *De vastatione hujus villæ, et conflagratione ecclesiarum nostrarum.* Sequenti vero anno (1133), cum in pace et religionis quiete, omni quoque rerum opulentia nostra floreret ecclesia, ipsa quoque villa domibus amplis opibusque largis dilatata in pace habitaretur et lætitia: Gerardus Malusfiliaster cognominatus, jam olim ab ipso pueritiæ suæ tempore hostis pessimus hujus villæ, et adhuc in eam spirans nequitiæ suæ, 5 Kal. Maii, collecta peditum militumque innumera multitudine, accersito etiam Haynoensi comite, villam invadit, tuguriisque extra positis ignem admoveri fecit cui etiam ad supplementum malitiæ suæ, divino tamen, ut credimus, judicio, ventus vehemens ab austri partibus repente in adventu ejus exurgens, famulando ut ita dicam voluntati ejus, adeo videbatur desævire, ut arreptum ignem flando et vires ei addendo per totam villam diffunderet. Quo graviter exardescente et circumquaque solotenus debachante, celerius quam credi possit, domus omnes funditus consumptæ sunt. Ecclesia autem nostra cum omnibus ædificiis, sancti Martini, sancti Andreæ cum domo episcopali flammis furentibus exusta, deforme sui spectaculum prebuere. Interea viri cum mulieribus, juvenes cum pueris, pressura flammarum circumsepti, huc illucque a facie sævientis ignis diffugiunt donec in castello tutum sibi fore refugium frustra sperantes, gregatim irrumpunt, nec tamen mortis discrimen evadunt. Nam cum ignis pervolans domum episcopi ceterasque ædes occupasset, infra ambitum castelli omnes qui confugerant, furentibus flammis angustiati, nullum effugii aditum habentes, fortiores quique utriusque sexus, alii per murum exilientes saltibus evadebant; alios vero videas de muro precipites, quassatis membris, vix posse ressurgere; alii autem, id est pueri, nusquam progredi valentes, sed se mutuo complectentes — o miserabile visu! — usque ad duodecim uno in loco ita sunt igne devorati, ut, cum postea requirerentur, vix tantum capita et grossiora eorum ossa reperirentur; ac in vase uno delata, in atrio nostro sepeliuntur.

40. *De ejectione prepositi Adam de Turri.* Adam itaque, quem prepositum et custodem turris prepositus, socer ejus, Hierusalem adiens, prefecerat, tanto discrimine presentis incendii et hostilis gentis — nam et armata manus hostium circumiens urgebat — videns nihil sibi jam superesse, quo scilicet Gerardi viribus vel artibus valeret resistere, facto pacto libere egrediendi, turrim reddidit. Sicque Gerardus, quod semper male affectaverat, pessime possedit. Qui voti compos, non tantum in circumjacentem regionem malignitatis suæ vires [393] effudit, sed et ipsam Cameracensem vexando sæpius urbem, viciniam omnem depopulans, villas incendit, rapinis crebris et taxationibus plebem oppressit. Et ne plura loquar, in omni patria per manum ejus multiplicata fiunt gravia mala et homicidia. De his jam tædet plura referre.

41. *De admirandis interdiu ortis tenebris.* Post hæc, mensibus tribus emensis, 4. Non. sequentis Augusti, feria 4, hora 6. diei, subito, visibiliter obscurato sole, in omnem terram factæ sunt tenebræ, et nobis divina agentibus, fere dimidiæ horæ spatio permunsere. Quæ res cum omnium mentes admiratione simul ac stupore concuteret, quidam quasi prudentiores eclipsim solis ex oppositate lunæ dicebant accidisse. Quod nequaquam fieri posse ratio patet (538) — solem scilicet eclipsim a luna, nisi in interlunio, pati posse —; cum constet, ea die lunam 27am fuisse. Quidam vero probabilius asserebant, hoc signum tenebrarum aliquid novi prodigii presignare. Dictum est multo post a redeuntibus de Hierusalem, ipsa die, ea hora tenebrarum, quadringentos quinque

VARIÆ LECTIONES

393 lege *virus* Pertz.

NOTÆ

(537) S. Bernardo.

(538) Fuit eclipsis solis totalis per Europam, Africam, Asiam, 2. Aug. 1133. Le Glay.

minus milites de templo a Sarracenis trans flumen esse peremptos. Nec mirum, si in suorum membrorum occisione placuerit Deo tenebras mundo inducere, in cujus morte solem et totum mundum constat obtenebratum fuisse.

42. *Operis peroratio*, Fiunt itaque ab exordio mundi usque in presentem annum, qui est ab incarnatione Domini 1133[us] annus decennovennalis cycli, Romani imperii ceptrum tenente Luthario, in sede apostolica dissidentibus Gregorio dicto Innocentio, et Petro Leonis, Francorum rege Ludovico, Rainoldo Remensi archiepiscopo, domno Liettardo Cameracensi episcopo — fiunt inquam anni 6227. Residuum A seculi tempus humanæ investigationi incertum est. Omnem enim de hac re inquisitionem dominus Jesus abstulit dicens : « Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate (*Act.* I, 7). » Et alibi : « De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater (*Matth.* 24, 36). » Unusquisque ergo de suo cogitet transitu, sicut sacra Scriptura dicit : « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (*Eccl.* VII. 40). » Quando enim unusquisque de sæculo migrat, tunc illi consummatio sæculi est.

CIRCA ANNUM DOMINI MLXXXV.

GODEFREDUS

STABULENSIS MONACHUS.

NOTITA HISTORICA IN GODEFREDUM

(CHAPPEAVILLE, *Qui gesta pontificum Tungrensium, Trajectensium, et Leodiensium scripserunt, auctores præcipui*, etc., II, 516-575.)

Auctor triumphi S. Remacli de Malmundariensi cœnobio fuit religiosus ordinis S. Benedicti Monasterii Stabulensis, ut ex prologo lib. II, *patet, vir in sacris litteris eruditus. ut cuivis hæc legenti videre est. Scripsit hunc S. Remacli de Melmundario Triumphum accurate et fideliter, ut pote qui rebus in eo gestis partim interfuit, partim a fide dignis audivit, ut ipse de se testatur, lib.* I, *cap.* 18, 26 *et alibi.*

Floruit circa annum Dominicæ incarnationis 1085.

Desumpsimus hoc scriptum ex vetusto ms. codice. monasterii Stabulensis.

TRIUMPHUS SANCTI REMACLI

DE MALMUNDARIENSI CŒNOBIO.

PROLOGUS TRIUMPHI SANCTI REMACLI.

Fratribus Ecclesiarum Dei, quæ sunt in orbe Romano, fratres Stabulenses, salutem et pacem bonam ex animo.

Regnante Henrico IV, postea Romanorum Augusto, anno Domini 1071, regni autem ipsius anno XV, de his quæ erga Dei confessorem almifluum Remaclum, nosque ejus famulos, et locum nostrum acta sunt scribimus vobis, exsultantibus animis in Domino, cum antehac quidem utrobique intus et extra vehemens incubuerit nobis dolor et tribulatio.

Sed de his omnibus a Deo magnifice liberati, tam vestris qui compatiebamini orationibus, quam meri- B tis ejusdem patroni nostri Remacli intervenientibus, gratias ipsi plenissime agimus, ut pote qui tali domino fideles, malis semper obnoxii, usque in finem perseveremus.

Acturi igitur, septenis Idibus Maiarum, omnibus ætatum successionibus, commemorandam celebritatem hujus divinæ operationis, quæ manifeste fieri visa est ad honorem tanti et incomparandi Christi confessoris, dignum duximus vobis significare ut et vos quoque, si placet, agatis diem glorificationis habitæ, in quo beneplacitum fuit Deo in populo suo notam facere suam virtutem (*Psal.* LXXVI), ut

sua gratia exaltaret mansuetos in salutem (*Psal.* CXLIX).

Itaque et nunc et semper magnificate Deum nobiscum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (*Psal.* XXXIII), qui in sanctis suis jure mirabiis (*Psal.* LXVII) prædicatur in sæculum. Vellem siquidem nostris eum utcunque laudibus efferre super his mirabilem, sed excellenti ipsius magnificentia, qua fecit hunc sanctum omni virtute commendabilem, nostrum exile succumbit ingenium. Unde efflagitandum est erigi nos ab ipsius cooperatoris Spiritus sancti gratia, ut, et aspirante astipulatione veritatis, et ex simplicitate verborum, libere currat puræ narrationis historia. Neque enim adnitentum est ut ipsa, cujuslibet artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula, procedat in publicum sermono pompatico, quæsitum tantum favorabilis auræ plausum a populo, et non potius quæ et quanta fecerit A nobiscum Deus prædicatura humili simplicique colloquio.

Ergo, ut dictum est, glorificans mirabilis Deus suum antistitem, dicemus suis in locis qualiter fecerit per se divinis æque beneficiis admirabilem. Sed nunc interim, ne diutius immorando proœmii velut simile quiddam protrahamus, ut quæque digna memoria gesta sunt, hoc primo in opere, ab B incœpto singula percurramus.

ADNOTATIONES.

De tota hac Historia legendi sunt, primo bulla Leonis IX, pontificis, quam ad calcem hujus Historiæ adnectimus; secundo documentum et declaratio Frederici archiepiscopi Coloniensis, quod ad calcem secundi capitis hujus tomi imprimi curavimus; tertio Gesta abbatum monasteriorum Stabulensis et Malmundariensis; quarto Lambertus Scafnaburgensis in suo chronico et quæ habet Ægidius Aureæ Vallis, libri sui cap. 2, quorum occasione Triumphum S. Ramacli hoc loco attexuimus.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De dissidio cœnobiorum sæpius elaborato, et episcoporum Coloniensium adnisu super id per tempora multa frustrato.

Cum igitur perspicuum sit hunc sanctum, de quo loquimur, Remaclum hæc duo struxisse cœnobia, quem apud Deum singularem patronum se gaudet habere tota pene Gallia itemque suis successoribus ea reliquisse conditione, qua rexeral, habita, ut, utrisque non longe sepositis, sub uno rectore, sub una lege, *cor esset unum et anima una* (*Act.* IV), alterius partis fuit semper quodam morbo dissentire magis quam vinculum fraternitatis sinceriter retinere. Hic morbus, inquam, erat animæ, ut, quia unum eorum respiciens erat ad metropolim Coloniensem, nostrum vero claudebatur præcinctu parochiæ Leodiensis, nitebantur qui erant illius partis, aut dominationis jus sibi vindicare, aut non violandæ pactionis dissidium facere.

Quæ res ridiculosa, clandestinis sæpe agitata concertationibus, cum aliquando pervenisset in medium, repressa est et offuscata privilegiis et auctoritate majorum. Ipsi etiam Agrippinæ archipræsules inducti in hanc eorum casso labore sententiam antistites prædecessores nostros fatigatos, sed non permotos reddiderunt, sive per occasionem, sive per vim.

Nunc vero, quia ex voto proficiebat eis hoc tempus quibusque bonis incommodum, ac perinde corrupti mores, et (quæ multos mortales falsos fieri subegit) ambitio consenserat principum, aggressi sunt hoc se posse perficere quod, retroactis temporibus, satis licet elaboratum, non contigit ad effectum pervenisse. Ab initio enim alii, pro aliis succedentes causamque ad hoc pulchrum facinus perpetrandum suscipientes, ad hæc usque infortunata nobis tempora pertraxerant, semper id fieri adnitentes.

ADNOTATIONES.

1. *Cum perspicuum sit hunc sanctum de quo loquimur.* S. Remaclum construxisse hæc duo monasteria Stabulense et Malmundariense ut ab uno abbate regerentur, quamvis diversæ essent diœcesis, clarum

est ex Harigero, tom. I, cap. 55, et 56, et clarius ex documento et declaratione Frederici archiepiscopi Coloniensis, quæ habetur tom. hoc secundo, cap. 2, adnotatione 1, ubi sic habes : « Stabulensis Ecclesiæ privilegia diligenter relegimus, in quibus inventum est beatum Remaclum utriusque loci, *Malmundariensis scilicet et Stabulensis*, ædificatorem, post constructum a se Malmundarium, suæ et successorum suorum habitationis et sepulturæ principalem locum apud Stabulaus elegisse, et pro eo quod idem locus in diœcesi Leodiensi parochia est, omnes per successionem utriusque loci abbates ab episcopo Leodiensi consecrari debere, » *etc.*

2. *Quæ res ridiculosa clandestinis sæpe agitata concertationibus.* Concertationes fuisse frequentes de præeminentia inter religiosos Stabulenses et Malmundarienses patet ex documento et declaratione Frederici archiepiscopi, de quo paulo ante, ubi sic loquitur : « Quod Malmundarienses eo usque hactenus infirmare conati sunt, ut tempore divæ memoriæ Ottonis secundi, » *etc.*, ut habes loco ante citato.

CAPUT II.

De pactione Malmundariensium cum Annone episcopo, et de corpore S. Ailulphi Coloniæ translato.

Aderat festivitas S. Petri quæ vocatur ad Vincula, in qua contigit apud nos curiam regalem haberi magna principum frequentia. Rex adhuc puerulus annos infantiæ non excesserat, sed mater imperatrix pro eo vices in republica satis agebat.

Inter plures coepiscopos affuit et Anno Coloniensis archiepiscopus, qui postea non sine injuria regiæ dignitatis, injectis in dominum suum manibus, ac quasi tutandi gratia, puero a matre per vim abstracto, non dubitavit ad se transferre jus dominationis ausu temerario. Hunc, quia vir erat magnæ industriæ acrisque ingenii, adeunt Malmundarienses monachi, talemque consulendum utile sibi profuturum putant de intentione sui consilii. Post plura, quibus cautum hominem in sui familiaritatem asciscunt, ad locum suum, Malmundarium visendi gratia, invitant, tutoremque rerum suarum, quasi in quo sitæ forent spes opesque omnes, fortunæ suæ conciliant.

Habebant tunc corpus cujusdam probatæ fidei sanctitatis, quem dicunt Ailulphum, quem etiam tradunt annales primo abbatem Stabulensem, postea fuisse Agrippinæ archiepiscopum. Hunc, ut a domino abbate Theoderico sibi expetat, prava sollicitant suggestione, ut, eo translato, quasi ejus obtentu speraretur eadem locus sub ipsius ditione. Quod utrum ejus voluntate sit factum, nescimus, tamen ita evenisse indignum tulimus. Dominus abbas tanquam ignarus ejus rei, rogatus annuere, non distulit, quod postmodum, licet eo non animadvertente, totius sequentis mali occasio claruit. Nam ut tunc plerique quodam præsagio mali significavere, eo ex tempore cum illis pene omnia ei adversa fuere. Igitur archipræsul susceptas venerabiles reliquias hujus quem præfati sumus sancti honore condigno recondidit in loco quem decebat martyrem Christi.

ADNOTATIONES.

Habebant tunc corpus cujusdam probatæ fidei sanctitatis, quem dicunt Ailulphum. Hic idem est, ut existimo, qui a Molano in Natalibus sanctorum nominatur Agilolphus. De quo idem sic loquitur : « Coloniæ natalis et translatio S. Agilolphi ejusdem urbis archiepiscopi et martyris. Hic Joppiliam venisse scribitur in Vita S. Switberti, Kal. Martii, ad ægrotantem Pippinum principem, multumque allaborasse ne hæredem scriberet Carolum Martellum ex Alpaide pellice genitum. Quod tamen impetrare non potuit. Deinde passus est martyrium in pago Arduennensi Amblavæ, qui locus a præterfluentis fluminis nomine sic vocatur et in ecclesia S. Laurentii Malmundariensi monasterio contigua sepultus est, et variis claruit miraculis. De ipso scriptum est Malmundarii in libro miraculorum S. Quirini martyris : Nobili styrpe editus, Anglino loci hujus abbati a parentibus est traditus sub institutione monachi regulariter informandus. Qui patris spiritualis mores imitatus, ejusdem in voluntate Dei successor est factus. Dein sedi Coloniensi antistes datus, abbatis etiam non deposuit onus, donec utrumque strenuissime gubernando, propter fidem regni, apud Amblavam coronatus est martyrio, atque apud nos, ubi abbatis præfuerat nomine et opere, usque dum Deus voluit, locum habuit sepulturæ. Chronicon vero vulgatum Coloniense habet occisum esse ab hostibus, dum causa pacis a Martello ad Saxones mitteretur ; quodque a Brunone, qui frater erat Othonis imperatoris, Coloniam ad gradus sit delatus. Sed ego cædem episcopi ad tempora filii aut nepotum, qui etiam contra Saxones bellaverunt, referre non dubito ; eo quod litteræ Zachariæ, qui mortuo Martello factus est pontifex, de legato Bonifacio recipiendo ad eum etiam dirigantur. Deinde Historia S. Annonis, cui multum est tribuendum, testatur S. Agilolphi corpus ex Malmundario avectum esse Coloniam per S. Annonem, ubi id reposuit, in monasterio suo ad gradus. Est autem Malmundarium secunda S. Remacli abbatia, a Stabulensi dependens, olim diœcesis Coloniensis, sed nunc, nisi fallor, Leodiensis territorii, quoad utramque jurisdictionem. Dum enim B. Poppo his præesset, stabilivit perpetua lege, ut Malmundarienses professionis suæ sponsionem apud Stabulenses facerent. Natalis incidit in ultimum diem Martii; sed a Coloniensibus simul cum translatione recolitur die nona Julii, eo quod in fine Martii Ecclesia semper occupetur officio Quadragesimæ, aut passionis vel resurrectionis Domini. »

CAPUT III.

Conspiratio Coloniensis et Bremensis simul habita, et abbatiarum Corbeiæ, Laurisanni Stabulaus, et Indæ traditio ipsis a rege injuste facta.

Post hæc quidam qui consultores dicebantur in ipsis, quique auctores erant hujus, ut videbatur . . . Coloniam adeunt, et cum archiepiscopo confirmato consilio suæ quam prædiximus intentionis voti sui compotes domum redeunt.

Hi regressi improbe nobis insultando, sibi vero congaudendo consodalibus suis dicuntur hoc nuntium ab archiepiscopo detulisse, nihil eos de se vel suo promisso diffidere, sese illis, tanquam patrem, affuturum in omni juvamine, præterea se esse securum ac si eos jam in manus haberet cum loco omnique loci possessione.

Quibus verbis in spem illi certam adducti feliciores se nobis deinceps fore jactitabant, ut pote quos contingeret pacatius diutiusque sub illo vivere non secus quam volebant. Ac ne forte ab illis falsa pro certis finxisse arguamur, idoneis quibusdam ex ipsis pro teste utimur, dixisse videlicet hæc verba Lambertum, unum ex his qui adierant episcopum, qui

post immatura morte præventus cum vita in medio A reliquit consilium.

Non ergo quis æstimet hæc mala de confratribus nostris idcirco nos meminisse ut malimus eos perperam quam recte fecisse; sed nefas putamus prætereundum silentio quidquid dicere postulat suscepti operis ratio.

Eo igitur ex tempore archiepiscopus animum illo intendere, moliri, opportunitatem quærere quoquo pacto potiundi. Nec suberat ei strenuo valentique ingenio fidere quodlibet factum tam esset difficile quin cœptum posset ad quos vellet exitus vir cautissimus perducere.

Post illam quam præfati sumus violatam regium dignitatem, qua rex puer haud spontaneam devenerat sub ipsius pontificis tuitionem, indigne fere- B bant magistratus et optimates regni, quasi expotestativum suum rege; præterea administrationem reipublicæ in dispositionem novi hominis cecidisse Etenim eo tempore infamabatur a nonnullis quod exactam commutationem reciperet pro dignitatibus cuique adipiscendis, et maxime pro honoribus ecclesiastici ordinis.

Quam invidiam sibi conflari intelligens, ac non ignavo astu honori famæque suæ consulens, egit strenue ut sub honestæ rei occasione administratio illa tuitioque regia transferretur in alterum, Pregmensis videlicet Ecclesiæ archiepiscopum. Quem statim ita sibi devinxit familiaritatis gratia, ut alterutrum paciscentes inirent hoc inviolabile fœdus, quatenus alter os esset alterius. Videns itaque Pregmensis ille omnia sibi ex sententia cedere, niteba- C tur patriarchatum in sede sua constituere. Sed quia vires ad supplendum deerant, tentavit augere ex his quæ regi juris erant. Et quia, ut dictum est inter utrosque statutum jus erat ejus pactionis ut alter alterius faveret commodis, ad hoc etiam non erat eis difficile obtinere quæ vellent ab regis simplicitate.

Actum est ex consensu Agrippinæ Coloniæ antistitis, ut ille duas imperiales abbatias, Corbeiam et Laurisannum, vindicaret suæ diœcesi. Sed frustra vindicatas quomodo valuerit obtinere, alias inquirenti satis poterit patere, nos nostra habemus exsequi non sine mœrore.

Ipse, compari suo volens rependere vicissitudinis gratiam, de regalibus beneficiis, quæ noverat illum D sibi competere, facit eum obtinere dono regio Malmundarium et Indam. Qualiter ea sit facta quasi furtiva traditio, præter jus fasque, ac non præter injuriam regiæ dignitatis, quamvis memorari sit dolor, tamen non incongruum duximus tradere posteris.

ADNOTATIONES.

Admiuistratio illa tuitioque regia transfertur in alterum, Pregmensis videlicet Ecclesiæ archiepiscopum. Legendum *Bremensis*, uti legit Lambertus Scafnaburgensis in suo Chronico.

CAPUT IV.

Curia apud Treviros habetur, et ibi, abbate nescio, traditio confirmatur.

Eo tempore, recurrente principis apostolorum martyrio decorata annua solemnitate, curia regalis apud Treviros habebatur, non sine detrimento hujus Ecclesiæ. Susceperat hospitio dominus abbas apud S. Maximinum archiepiscopum Coloniensem, cui magno devotionis et charitatis obsequio impenderat omnem humanitatem, utpote qui nihil adversi suspicabatur ab eo sibi moliri, ob ante actam familiaritatem. Sed ille, ex amico factus inimicissimus, non inveniens quid ex æquo inferret iratus, quæsivit astutus, quod ex iniquo auferret, temerarius. Nam ignorante eo, retro tendens insidias, ut leo, pro nihilo duxit in se adimplere luctuosam Psalmistæ decantationem: *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem* (*Psal.* XL). Ipso etiam tempore in ipsa curia, impetrante domino abbate, recitatæ erant chartæ nostræ impræsantiarum, et ipse rex auctoritate sua renovaverat praecepta prædecessorum imperatorum, et ut inviolata permanserant ad usque suum tempus, sic deinceps permanere confirmaverat per subscriptionem manus. Porro, ut erat puer in utramlibet partem flexibilis, male consultus horum decurionum suasibilibus verbis, statim sua et antiquorum statuta infirmavit, violavit, in manus alienas sine jure et judice contradidit. Denique discessum erat jam undique de curia, cum nil adhuc dominus abbas perceperat de hujusmodi veritate clanculo perpetrata. Nam nefas putabat credere quem habebat velut amicum unanimem in se potuisse committere sine causa tantam impietatem. Verum in redeundo ubi etiam ipsi rogatum dabat servitium, quid actum sit primum sibi est indicatum, bonum videlicet S. Remacli per legatos suos illam invasisse, vindicasse Malmundarium. Quis hæc memorando tenere potest animum, nisi quod tristitia illa modo magis versa est in gaudium? Cum fama illa nostrorum attigit aures, quantus dolor et mœstitia nostras æque cum illa mentes perculit? Quid ageret, quo se verteret in dubio erat animus, nisi quod hanc injustitiam Deo commendare id esset melius.

CAPUT V.

Abbas Theodericus et dux Fredericus simul consulunt; munitio fit super Malmundarium; ad curiam simul evocantur; dux vero respuens de injustitia conqueritur apud regem per internuntium.

Itaque reversus dominus abbas Malmundarium, non inutile sibi ratus est de hujus rei instanti necessitate consulere ducem Fredericum communem, videlicet ex jure antiquitatis utriusque Ecclesiæ advocatum. Nam istunc erat vir tam probatæ fidei tantæque probitatis ut non frustra speraret post Deum in eo fidere pro defensione hujus offensionis Ad hæc ipse dux egregia nobilitate non minus quam pietate itemque justitia præstantior omnibus ac veritate, spondet se omnimodis affuturum re, consilio,

atque juvamine; se quidem quod factum erat graviter ferre, nunquam vero, quoad viveret, permissurum separationem fieri boni hujus ecclesiæ. Aiebat præterea se malle occumbere, quam non sic relinquere, ut in advocationem acceperat, inviolabile.

Statim ergo mandat per internuntium archiepiscopo, ut si quidquam de vita curare haberet cum honore terreno, ab hac intentione et incœptis desisteret omni modo. Interim cum militari manu Malmundarium venire disponit, commeatum abunde præcedere facit, non ignaviter defensurus locum, quæ usui forent parat et instruit. Dein pro repellenda hostili manu munitione quadam montem proximum occupat, juxta ac si hostes adessent vallo, atque fossa muniendo cum suis invigilat, ubi etiam mensem integrum cum expeditione consummat.

Dum hæc his partibus geruntur, res hujusmodi ad curiam delata per aulicos ventilatur; et reus uterque, dux et dominus abbas, quasi contra rempublicam fecisset, hostis publicus adjudicatur. Igitur ab his decurionibus, quorum consilio, ut diximus, corrumpi videbatur dignitas regiæ potestatis, tanquam ex nomine regis diriguntur litteræ, hos utrosque rationem reddituros ad curiam proficisci debere. Quod dux indignum sibi factum ratus, legationem hanc indignatus respuit, conquestus multum de injustitia, quam rex consilio depravatus sacerdotum S. Remaclo sibique fecerit. Præterea comminatus regi hoc remittit nuntium, nisi restituat sancto quod subtraxerat bonum, se illi regnoque suo cum suis omnibus obesse plurimum.

CAPUT VI.

Cuonradum nepotem dux redarguit pro advocatione Malmundarii, et cum abbate ad curiam coacto Roricum procuratorem dirigit, a quo relictus, diu a rege est detentus.

Ea tempestate qua usurpaverat archiepiscopus bonum Christi confessoris, nepotem ipsius ducis Cuonradum, scilicet acrem virum, asciverat sibi militem pro beneficio hujus advocationis. Is quidem ante infestus domino abbati dicitur ex voto suscepisse advocationem Malmundarii, ut eo graviores inimicitias exerceret ultioni. Quod ut inopinate perventum est ad ducis ipsius patrui auditorium, non minor quam de priori fama indignatio ejus perculit animum. Accito tamen illo, paterna correptione redarguit insolentiam ejus animi, conquestus multum cur offensa sui gratia, itemque non servata reverentia debiti honoris et provectionis, ausus sit super se attentare quod sui erat juris et negotii. Illo quidem se expurgare volente, non quidquam contra bonum honestumque ejus affectasse; præterea, salva ejus gratia nihil præter morem coæqualium fecisse, comminatus est, id ulterius ne auderet præsumere quod noverit sibi in prosperum non cedere.

Iterum ergo mandatur dominus abbas ex regis nomine, ut si non properaret ad curiam indicto die vel tempore, præjudicium pati haberet totius boni quod tenebat ex rege. Qui diffidens quidem suæ prosperitati, sed non desperans de misericordia Dei iter illud tristis est aggressus, non minus se Deo quam fidelium suorum commendans orationibus. Huic dux suum procuratorem Roricum functum legatione itineris comitem adhibet, qui pro se vices causasque coram rege suisque satis ageret. At ille, ubi propter quæ venerat coram exponit, alii aliter assensere, alii vero a quibus, ut dictum est, privato magis quam publico negotio curia regi videbatur, rem omnem perturbavere, utrosque videlicet, quia vim contra regnum fecissent, meritos præjudicium subire. Quod malum ille intelligens non minus sibi parari quam suo domino, inconsultus rediens domum, abbatem reliquit in periculo. Hic archiepiscoporum consilio detinetur ad curiam, quæ tunc habebatur apud Triburias sedem regiam. Illic cum rationem sui in medio habitam ex recto justoque firmare conaretur, judicantis magis odio quam jure judiciario discutitur, calumniatur, injuriis quoque secus quam dignum pati erat egregiæ nobilitatis virum attrectatur. Nam sæpe jussus pastoralis curæ baculum reddere, dicitur adeo retinendo virtutem tenuisse constantiæ ut diceret non nisi in partes e manibus ereptum iri, quia teste Deo et conscientia non erat quid evidens unde deberet juste præjudicari. In qua sententia fixus totum pene mensem præter spem detinetur exsilio, multas incommoditates itineris non minus quam famis passus, denegato sibi totius humanitatis adminiculo. Tandem amicorum precibus qualicunque emissione a rege impetrata, tanquam qui vix ereptus rabiem leonum declinat, celeriter remeavit ad propria. Nobis ergo non sine dolore saluti vitæque illius juxta timentibus, ex eo quod per internuntios audieramus reditui ejus diffidentibus, improvisus adest de se semper sollicitis et inquirentibus.

CAPUT VII.

Ducis obitus et luctus et miseria subsequitur et ut jusserat Stabulaus sepelitur.

Statim eo recepto, cum lacrymas fundimus invicem præ gaudio, ecce iterum, super ingruente tristitia inopinato perculsi turbamur gaudio, de quo non minus quam de priori irremediabiliter dolemus infortunio. Audimus, proh dolor! ducem, quem non nisi præoccupante morte indefessum prædiximus, Ecclesiæ nostræ defensorem invalescente languoribus molestia ad extrema laborantem. Confestim Dominus abbas visendi cum gratia illo se proripit, et cum episcopo Leodiensi peractis omnibus quæ ritu catholico competebant ejus viatico, non lætior quam si pariter occumbere contingeret rediit. Postera die vir, cui fide et honestate omnis erat mundus inferior, excessit e medio, nobis æque ac suis verum et omnibus bonis, non tam miserum de se dolere quam pium flere relinquens in sæculo.

Erat igitur ea tempestate videre miseriam: dolebat quidem inconsolabiliter tota illius familia. Sed non minor ob instans periculum destitutos nos omni humano juvamine possidebat tristitia. Vorum non

minima nos tenebat admiratio, quod, cum magis prodesse videretur, facta sit nobis tanti viri repente sublatio, nisi quod peccatis promerentibus, quæ per eum reprimi posset transire habebat in nos hæc tribulatio. Ergo ut vivens statuerat nunquam discedere a S. Remacli patrocinio, sic mortuus implevit, ut honorificam haberet sepulturam in ejus monasterio.

De his pro re satis meminisse sufficiat, dum ad ea quæ mœroris sunt plena prosequenda necessario accingi non pigeat.

CAPUT VIII.

Archipræsul ad Malmundarium sibi vindicandum et abbatem eligendum Cuonradum dirigit, et abbas Theodericus monachos de promissione sibi facta requirit.

Archipræsul comperiens occubuisse, quasi cædendo, sibi unum adversarium, statim quod timore illius intermiserat, repetit, ad id quod cœperat peragendum. Continuo Cuonradum comitem, cujus supra fecimus mentionem, illo dirigit satis ad id voluntarium, ut sibi quod alterius juris erat vindicaret, solidaretque Malmundarium. Præterea ex ipsis monachis omnes priores ac quoscunque valentes indicto die ad se conduci jubet, ut si forte inter eos idoneus reperiretur, abbatem eis præficeret. At ille non ignaviter facturus quod jussus erat propere aggreditur, quod patrui sui reverentia omiserat, utpote qui abbati nostro plurimum obesse ardebat.

Parum quid, quod supra prætermisimus, his inserenda repetere non incongruum duximus. Dominus abbas post eam, quæ sibi facta est, injuriam ab archipræsule, diffidens suis viribus obniti posse contra potentiam illius et ingenium valentius omni humano conamine, admonuit Malmundarienses monachos de sibi servanda fidelitate, itemque secundum regulam S. Benedicti de obedientia et professione. Quibus simulata perfidia spondentibus se illi omnia servare, interdixit, sub Christi obtestatione, ne præter se susciperent alium quemlibet, nec paterentur admitti alienum, dum ipse adviveret. Quæ qualiter servaverint luce clarius post patuit. Credebat nempe se illis quadam simplicitate, tanquam fidissimis, nec quisquam tam manifesta referre poterat de illis, quin semper velut immunes eos æstimaret hujus facinoris.

CAPUT IX.

Sacramentis Malmundarienses episcopo confirmantur, persecutio gravis super nostros agitur, corpus sancti nostri in medio exponitur.

Ergo ubi Cuonradus de adventu suo illis opinantibus mandat et apparatum sibi abunde fieri imperat, videres eos lætos festinare, discurrere, illum velut angelum Dei venientem suscipere, seipsos sumptusque, itemque alia quæ usui forent officiose impendere, ne quam offensam novus advocatus videretur incurrere.

Postquam ex nomine archipræsulis obligavit sacramentis homines Ecclesiæ, admonuit illos de his quæ in mandatis habebat, si abdicato Theodorico abbate, ei, cui donati erant, vellent obedientes esse.

A Paucis quidem nonnasse tientibus, pars maxima sine cunctatione profitentur se ita facturos velocius. Quæ res nobis luctuose comperta, velut nox lucem ingruentibus tenebris, sic nos operuit mœstitia. Quidam tamen ex nostris cum baculo patroni nostri illuc adeunt, revindicatoque loco ex nomine ejus, quod irritum fuit, ab illis invisi redeunt. Comes prædictus satis indigne tulit id factum iri super se, efferatisque animis cupiebat hoc ulcisci tam super monachos, quam super laicos Ecclesiæ. Unde et maxima persecutio incubuit nostris, ut nec quoquam auderent palam progredi, diffusis ubique locorum militaribus insidiis. Placuit ergo communi consilio fratrum venerabile corpus domni nostri Remacli exponi in medium, sicque cum eo, cui fiebat injusti-
B tia, propensius esse supplicandum, hoc modo, qualecunque dolor exigebat remedium. Justa enim causa dolendi erat suis omnibus, proprium videlicet bonum, catenus inviolatum, ereptum iri ab injustis mortalibus. Eo ex tempore non defuit nobis dies noctesque luctuosa decantatio: Aspice, Domine, quia facta est Ecclesiæ tuæ desolatio: eam quæ sedet in tristitia, non est qui consoletur, nisi tui solius miseratio.

CAPUT X.

Tegeno abbas Malmundario præficitur; abbas vero noster ad marchionem Longobardiæ Godefridum se pro auxilio confert.

Malmundarienses igitur tametsi ex nomine domini abbatis progressus eis contradiceretur, tamen, uti res erat pro voto, Aggrippinam Coloniam proficiscuntur.
C Inquisiti ab archiepiscopo de sua voluntate et abbatis ordinatione consulti, referunt se magis aliunde quam ex suis id velle. Quibus ad sua remissis, evocatur abbas Tegeno ex cœnobio Broulwilre, quem propriis privatum non sine industria facit episcopus aliena suscipere. Nam eum abbatem vere exordinat Malmundariensium, quem velut furem aliunde cogit intrare, sed non per ostium. Ergo fiducia et conductu comitis Cuonradi venientem suum abbatem suscipiunt Malmundarienses monachi, nocte videlicet qua erat celebritas Michaelis archangeli. Cui intranti, tanquam ad subripiendum, per noctis tenebras, illi voluntarii ad suscipiendum adhibent faces et lampadas. Nec injustum hoc quidem fuerit, ut qui nocte latenter intraverit, velut fur, fugatus ra-
D pina caruerit. Dominus abbas tunc temporis inter nos non aderat, quia post obitum ducis re consilioque destitutus, quid ageret, quo se verteret in dubium venerat. Neque enim illius similem inter mortales invenire habebat.

Verum quia Godefridum, qui tunc marchio erat Longobardiæ, non ignorabat valere præ cæteris potentia et dignitate, itemque apud regem et optimates posse plurimum consilio et familiaritate, ad illum recuperandi gratia se totum contulit pretio precibusque. Is nimirum tunc affectabat in ducamen prædecessoris sui succedere, cui dominus abbas Stabulensem advocationem annuens malebat etiam simul ab rege appetere. Enim vero (quod salva ejus gratia

dixerimus) in hoc minus recte fecisse reprehenditur quod in humanis auxiliis spe recuperandi nimium fidisse dicitur, cum minime sit tuta defensio, quæ per hominem posse consistere putatur.

ADNOTATIONES

Evocatur abbas Tegeno ex cœnobio Brouwilre. De hoc abbate monasterio Malmundariensis præfecto, loquitur satis aperte Fredericus archiepiscopus Coloniensis in diplomate per nos ante citato his verbis : « Tempore quoque domini Henrici imperatoris hujus nominis quarti per dominum archiepiscopum Annonem, rursus facto divortio, abbas quidam Malmundarii ordinatus est, » etc.

CAPUT XI.

Narratio super natura et moribus et distantia horum duorum Frederici et Godefridi ducum.

Igitur Godefridus, vir quidem potens, et strenuus bonusque consilio, fide tamen ac veritate longe discrepabat a Frederico. Quos utrosque viros egregios, quoniam res obtulit in præsenti narratione, indignum putavimus de virtute et eorum moribus silentio præterire.

His genus, ætas, potentia prope erant æqualia; magnitudo animi, par et gloria. Sed alii aliter alia: Frederico innocentia et vitæ integritas inerat, cui severitas cum honestate reverentiam dignitatemque addiderat, rebus etiam ipsis palam dabat intelligi quod neque amicitiam, neque propinquitatem generis, ad hoc nec sublimitatem regni justitia et veritate unquam potiora habuerit.

Est in Godefrido ingens virtus corporis et animi, bellis militaribusque exercitiis enitens, claritudinem viro parabat, in quo eloquentia æque ac prudentia acri ingenio præeminebat. Verum verbis non minus quam factis sui famam nominis extendere, item honores dignitatesque sæculi ambire, magnum exercitum parare, bella interdum movere, laboribus dies noctesque invigilare, cædes, incendia, prædasque bellicas facere, his omnibus pro re et tempore non inglorius uti habebat delectabile, qualia nunquam in altero locum invenere.

Huic, id est Frederico, semper pax fuit charior bellis, pacatumque reddebat prudenti ingenio quidquid in bella et seditiones moveri sentiebat ex adverso. Cum in altero esset malis exitium, in isto miseris perfugium. Nunquam in eo dominus suus invenit contrarium sibi aut reprehensibile, quia mentiri, vel pejerare semper illi fuit pro crimine. Bonus esse quam videri malebat, et ideo magis gloriam assequebatur quam minus appetebat.

Fatemur et in Godefrido fuisse artes optimas, quas tamen aliquando præpediebat cupiditas. Id erat in illo unum minus laudabile, quod sæpe rogatus, cum posset auxilium ferre, dicebatur pollicitando magis differre quam prodesse, ut animadverti potest in hujus textus prosecutione.

Cum ergo dominus abbas illum, ut diximus, adiisset velut fidissimum amicum, magnificis pollicitationibus dat satis fidere, tanquam per se quod perdiderat recuperaturum; sed minimum profuisse in hoc rerum genere satis habemus compertum. Itaque pro hac ejusque sui utilitate suadet secum proficisci ad curiam, ubi pro eo spondet plurimum impendere sui operam.

CAPUT XII.

Abbas noster S. corpus suo loco restituit; abbatem super se statutum obtestatur sub interminatione divina ut discedat, et injuste possessa relinquat.

Interea dominus abbas fratres, quos tristes reliquerat, habuit revisere, veniensque venerandum corpus domini nostri S. Remacli invenit depositum in pavimento jam multos dies jacuisse. Insuper quo tristius nil audire poterat, alienum loco suo audit Malmundariensibus præsidere. Visum est ergo ipsi rectius, inito consilio, ut si corpus Sancti referretur in locum suum honore debito, non idcirco nobis minus deesse suo, cum vellet, auxilio. Quod et ita factum est.

Post hæc non inconsulte agens, se regente patientia, cum facile suas ulcisci posset injurias in illo suo adversario, continuit se magis benevolentia, et per quosdiam seniores ex nostris mandat illi secundum hæc verba: Si juste agis, quisquis es, contra me, tuimet sapientumque judicio æstimandum vide. Si malum esse scis supplantationem fieri, cur in hoc reprehensibilis sedem meam alienus invasisti, quam non jure nec judicio unquam culpatus amisi? Ne ergo durius, cum recte possim, videar tecum agere, precor et moneo sub Christi nominis obtestatione et S. Benedicti regulæ, ut si habes Deum aliquando timere pro hac injustitia, ne fraudulenter retineas aliena, sed discedens nobis relinquas propria. At illo nil certi ad hæc respondente, non ex voto consulti nostri rediere.

CAPUT XIII.

Dux Godefridus effectus recte judicat Sancto bonum suum debere restitui; quod episcopus protelando facere non acquievit, et templo et ærario nostro spoliato, res nostra irrita mansit.

Post hæc cum marchione Godefrido ad curiam Goslar abbas proficiscitur, ubi illi ducamen cum advocatione Stabulensi adeptus, magister militiæ Lotharingiæ denuo sublimatur. Dominus vero abbas, de illata sibi injustitia conquestus, privatim et publice quibuscunque potest Romani imperii episcopis et ducibus non cessat rem suam notificare, quos etiam sibi suffragari postulat in hac sui necessitate.

Multis ergo, hujusmodi compassione suscepta, hoc injustum esse factum profitentibus, veritatemque regi non occulendam benigne suggerentibus, decretum est tandem judicari debere si licitum fuisset id fieri sine causa et judice. Godefridus dux admonitus legem dare judicii, recte judicat vicario S. Remacli bonum debere restitui, quod ab eo nefas fuisset auferri. Cujus sententiæ multis ex æquo assentienbus, solus ex adverso obnitens contradicit archiepiscopus.

Sed ut multi tunc dixere, post judicium latum

contradicentem illum satis ex justo rectoque posset A evincere, si fidelis advocatus æque ac Fredericus retinendo ac propugnando voluisset bonum sancto solidare, nisi quod suspectum habens eum pro beneficio quod ex eo tenebat facere dubitavit, idipsum avaritia præpediente. Nam et item impleta prophetia videtur, quæ dicit: *Factum est judicium et judex accepit, propterea lex subvertitur, et ad finem judicium non perducitur* (*Habac.*, I). Interpellatus ab omnibus qui aderant rogatur episcopus acquiescere justo judicio, sed ut erat vir inflexibilis a sua sententia, cum aliter non posset evadere, induciis acceptis consilium differt in proxima curia.

Ex tunc de curia in curiam induciarum semper extenditur dilatio. Et dominus abbas vanis licet frustratus pollicitationibus fatigaretur sæpe numero, non tamen defessus quievit, id injustum sæpe B proclamando, donec respectus misericordiæ proveniret ab Altissimo. Quidquid pretiosius videbatur in rebus Ecclesiæ, semper in spem recuperandi adductus, profuturum sibi putat liberaliter distribuere per amicos, videlicet quos his beneficiis habebat sibi acquirere: rex pluris æstimans ærarium captus est ipse avaritia, expetit in partem suam ex his cedere aliqua. Erat commutationis indicta vicissitudo, ut si quantitas pecuniæ regis inferretur ærario, statim boni quod subtractum erat absoluta fieret redemptio. Sed exspoliato templo et his quæ supererant sublatis, hic cumulus malorum nostris accessit infortuniis, nam irrita nobis mansit promissio imperialis.

ADNOTATIONES.

Impleri prophetia videtur, quæ dicit (Habac. I). Sic legit Vulgatæ Editio: *Et factum est judicium et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.*

CAPUT XIV.

Corpus sancti apud curiam Aquis defertur, ubi jussu episcopi nullo honore excipitur.

Eodem anno Aquisgrani celebratur regalis curia, quo tempore agebatur quadragesimalis parcimoniæ observantia. Dominus abbas annuente rege, placitum acceperat illic adesse, in propatulo locuturus tam de sua quam de sanctuarii rectitudine. Rex enim de his quibus res erat in dubio se juste fac- D turum promiserat, si præceptis et privilegiis prædecessorum posset infectum iri quod fecerat, sed id iterum frustra fuit. Nam animo episcopi male fixa sententia minime avelli potuit, imo ipsius regis animum, quem possidebat, velut quoddam mancipium, pravo ingenio a recti sententia deduxit.

Effecerat insuper apud eumdem de cætero nil profuturum ejusmodi clamorem. Quod ut nobis compertum est ita evenisse, visum est communi consilio fratrum corpus patroni nostri Remacli illuc deportari debere, ut, eo præsente, vel sic compuncti vererentur adversarii bonum ejus retinere. Itaque delatum est ad locum, ejus quondam diœcesin, non sine dolore et gemitu, prosequente non parvo ejusdem familiæ comitatu.

Ubi Malmundarienses de sacri corporis evectione percipiunt, statim cum celeritate archiepiscopo id intimare non differunt, obsecrantes eum contra tenere sui constantiam fidemque, quam cum eis firmaverat non facere irritam. Qua de causa ille rege adito, ex ejus nomine dominum abbatem constrinxerat gravis necessitatis articulo, quod nisi vetaret nos propius accedere, dono regio haberet omnino carere.

Venit ergo quasi sic facturus tristis et mœrens nobis obvius, sed eum super hac re minime audivimus. Continuo enim illo invito, seque infelicem proclamando prosilimus, apprehensoque lipsano sancti oppidum Aquense intramus. Audires luctum et vociferationes quales nunquam fuerint nostris temporibus, qualibusque lacrymis nisi peccatis præpedientibus etiam ipsum cœlum petere non diffideremus.

Sed his motus non est a sua sententia Agrippinensis ille, imo quia secus processit quam voluerat, dicitur dedisse operam contradictionis. Nam debitum honorem, quem decebat patronum totius Galliæ, exhibere prohibuit a clericis ipsius quondam parochiæ. Cujus venerando corpori exsequias incessanter celebrant angeli, cujusque anima gaudium possidet paradisi, hunc injuriando, velut sui similem, unum ex infimis mortalibus repellere præsumpsit a suis conspectibus.

ADNOTATIONES.

C *Apprehensoque lipsano sancti. Lipsana* tantum pluraliter declinatur. Nomen est quo apud nos reliquiæ significantur.

CAPUT XV.

Nobis lugentibus et cum populo proclamantibus, proterve Spirensis episcopus glebam nostram efferri jubet, et ad ultimum cum gravi mœrore simul etiam cum sancti corpore nobis illinc discessum est.

Continuato ergo planctu et lamentatione, injustitiam hanc proclamantibus in domo Dei Genitricis, missus a rege Spirensis episcopus, causam inquirit proclamationis. Paucis pro re auditis, nihilque certi ab eo cognito, nos, quibus pro muro erat animus fidens in Domino, ascendentes palatium ad usque regias fores procedimus, ubi pauci intro admissi cum baculo nostri domini flentes coram assistimus. Rex nihil dat responsi sedens velut mutus et attonitus, sed ejus vice pro voto respondet archiepiscopus, nil injustum dando proprium fecisse dominum nostrum, nec se recipiendo quidquam peccasse in sanctum nostrum; quibus respondentibus hoc posse animadverti ex præceptis et privilegiis majorum, si licitum fuisset id fieri, dilatum est in crastinum id diligenter examinari.

Populis autem, quibus videbatur nil satis esse factum, adhuc proclamantibus, desuper proterve inclamat ille Spirensis episcopus: Efferte hinc, ait, glebam vestram, cum importunis clamoribus, quos

indecens est pati dominum meum cum suis fidelibus. Quod infame dictum graviter quidem tulimus, sed persuadente Godefrido duce, ne quid mali in nos fieri post doleremus, in ecclesiam Sanctæ Aldegundis, quæ nostri juris erat, sacrum corpus observandum detulimus.

At ille Coloniensis veritus posset superari præmissa auctoritate, vel etiam jussu regio, tergiversationem faciens, festimus abit ex palatio, duci Godefrido committens vices suas pro se satis agere super ejus fidei sacramento.

Postero mane, velut jam fisi eo potiundi quod differebatur, palatium repetimus, nam sero ad balneas rex, pro quibus petabatur, omnia se facturum erat pollicitus, sed nefas illi fuerit, pro quo nos fefellisse criminis arguitur.

Ducem Godefridum multis aggressum precibus prolocutorem nostri se pollicitantem, ad illum præmittimus. In eo solo una omnium pendebat fiducia, quasi ex animo nobis tunc adesset impensa sui opera. Sed secus id processit quam de illo a nobis credi debuit. Eo enim in tempore omnes interdum principes expetentes, et judices verba ad gratiam loquentes promissionibus omnino fidem non facere quasi quædam invaserat tabes. Recitatis ergo impræsentiarum præceptis imperatorum ipsiusque genitoris, non fuit quidquam contradicere obniti volentibus adversariis.

Dum ergo id esset eo deductam, dictante justitia, ut recte facere cogeretur rex auctoritate sui met atque paterna, dux intercepit consilium hujusmodi, dicens se fidei gratia nullo modo posse perpeti domino suo absenti vim ullam fieri, sic induciis acceptis ubi adesset episcopus in aliam curiam. Dies illa, frustrata omnium spe, nobis adauxit tristitiam. Videres iterum cum sancto corpore clamores fletusque tales fieri, qualibus putaremus ab ipso throno divinitatis ipsam misericordiam compati, nisi peccatis exigentibus compleri videretur illa prophetæ vaticinatio, *oppositam esse nubem ne nostra transiret oratio* (*Thren.* III). Sed tribulatis corde nondum venerat tempus miserendi, reservabatur enim ex divina providentia tempore oportuniori major glorificatio confessoris Christi. Qui viderant nos venire cum tristitia, dolebant tristiores redire ad propria, cum adversariis nostris ex voto veniret lætitia. Verebamur prætereà velut inquietando injuriam fecisse tanto sacerdoti, ne forte propter nos ab injustis mortalibus in contemptum veniens, tanto habitus esset neglectui. Sed impie agere in electis Dei impune non cedit, ut sequens tempus etiam in hoc declaravit.

CAPUT XVI.

Rex gravi infirmitate apprehensus, sancto redditurum cuncta pollicetur; itidem dolore gravatus episcopus facit, sed post parum procedit.

Necdum annus in se revolutus transierat, cum de his judicium Dei agitari jam cœperat. Rex apud Frideslarense oppidum morabatur, ubi gravis infirmitatis apprehensus molestia cruciabatur; cui morbo invalescente in secretioribus locis naturæ, per singula momenta clamabat exanimari nimia pressus doloris gravedine. Suggestum est a fidelibus ob injustitiam S. Remaclo illatam id illi non immerito contigisse, divinam providentiam sui confessoris injuriam ulcisci in eo cœpisse; porro si vellet hoc evadere judicium, quod injuste subtraxerat sancto reddere non differet ejus hæreditarium. Ille, ut lubens, sed tamen astrictus necessitatis articulo, adhibitis fidejussoribus Maguntino et Frideslarensi episcopis, ac duce Engilberto bonum hoc committit eorum fidei sacramento, ut item eo recepto ab Archipræsule qui tunc aberat manu fidei sancto restituerent, cui abstraxerat.

Evocatur iterum dominus abbas ad curiam; fidejussores deliberationem fidei manus suæ fieri dant operam; sed archiepiscopus scire recusat hujus deliberationis conventionem habitam, illis aliisque fidelibus nitentibus cum hoc modo persuadere non sine Dei judicio id actum fuisse, tam salubre consilium non renui debere, quo remedium sanitasque domino suo videretur pervenisse. Ille ut anguis lubricus ad latebras tendit, perspectoque aditu quo trilingue caput efferat, inducias petit. Nam qua nescio conditione inter se habita nil erat tam difficile quod illi auderet rex, licet jurato, abnuere. Sic et hac vice ad augendam nostrorum omnium miseriam obfirmavit ille in nos sui constantiam.

Etenim non multo post tempore visitatur et ipse plaga non dissimili in occultioribus item naturæ. Torquebatur æger non immerito doloris angustia, sed durabat animo male fixa sententia. Cumque de vita desperatus de re nostra moneretur ab amicis (nam et falso rumore jam auditum erat apud nos de ejus exequiis) dicitur pollicitus fuisse se facturum omne quod justum erat fieri de bono videlicet confessoris Christi. Sed quomodo sperabatur ad voluntatem ejus id posse fieri; non ita dispositum erat ex sententia Altissimi, qui sine illo mirabilius id habebat operari.

CAPUT XVII.

Archiepiscopo Trevirorum defuncto, inventus cum illo quem invitus substituerat, Anno etiam ille protervus episcopus Spirensis, velut canis immundus colaphisatus cum dedecore propellitur.

Archiepiscopus Trevirorum obierat, ipse propositum suum ejus loco substituerat. Pro qua re a Trevirensibus justas odii causas sibi consciverat, quia spreta eorum electione suam invitis proposuerat.

Jubetur ille magniloquus Spirensis episcopus conductum præbere novo archipræsuli, ut ille etiam divino actus judicio crimen infamiæ experiretur in se vindicari. Devenit in villam Biettemburghe non parvus utrorumque episcoporum comitatus, quibus erat abunde supellectilium copiosus apparatus. Cumque dormitum esset, ecce advocatus Trevirorum Theodericus comes cum hostili manu irruit, omnia

vastat et diripit, ipsum novitium pontificem inhumane tractans in vincula conjicit, Spirensis autem episcopus in ecclesiam secus altare se præripiens delituerat, qui, requisitus inventusque, non immeritas solvit pœnas, ob vicissitudinem quam sancto irrogaverat dum glebam nostram efferri tumidus proclamaverat. Nam colaphizatus et propulsus a sanctuario, velut canis immundus abstrahitur, et ut erat intectus nudisque pedibus, vili jumento impositus, sic ad sua redire præcipitur. Nec tamen ista sufficiunt ejus judicio qui per prophetam loquitur : *Mihi vindicta, et a me erit retributio* (*Deut.* XXXII ; *Rom.* XII). Denique pro his quæ sibi non ex sententia obtigerant dolore et tristitia confectus plurimum vita excessit infra illius anni curriculum· Quid illi de suo fecerint episcopo hic nunc persequi non vacat, quantum ad nos attinet de his satis dixisse sufficiat. Attamen ad malum hoc illi a Deo in futuro non reputetur, propter quem tantum crimen tamque nefandum homicidium perpetrari potuisse creditur. Sed jam ad narratianis seriem redeamus.

CAPUT XVIII.

Iterum abbas licere sibi revendicare locum suum a rege impetrat, Malmundarium repedat, et delato secum sancti corpore, omnes, et monachos et laicos, sub sacramento prœlato refrenat.

Exacto tempore induciarum quas acceperat archiepiscopus, dominus abbas ad curiam redit in ipsis natalitiis diebus. Erat in ipsa celebritate rex apud Bavenbergam civitatem, ubi coram eo et optimatibus ejus, non insolito repetit proclamationis suæ mentionem. Se obtinato corde, etiam renuente archiepiscopo, totus pene conventus curiarum domino abbati favebat ex animo. Ipse rex consentiens veritati, benevolus erat ad reddendum bonum Christi confessoris, nisi quod in dubio erat, ne id faceret præter eam quam suspectam habebat voluntatem episcopi. Nam ante hac infra ipsum annum, cum apud nos esset cum regina, bonum hoc ipsi sancto per baculum ipsius reddiderant, cum etiam sacrum lipsanum expositum hac de causa in medio, ipse revehens in loco ejus condignis laudibus relocaverat. Nos testes sumus, qui audivimus et vidimus hoc fieri, quamvis postea timore pontificis nefas illi fuerit hoc inficiari. Attamen nunc animadvertens abbas tam ejus benevolentiam quam ipsius optimatum, aggressus est eum deprecari, ut salva ejus gratia tametsi nollet episcopus, liceret ei revindicare locum in jus proprium.

His justis petitionibus rege non renuente, imo cunctis assentientibus id justum fieri debere, dominus abbas Malmundarium rediit, ac ne illud frustra per se videretur revindicare, per ipsius præsens corpus, cujus prædium erat hæreditarium maxime id fieri decrevit. Nos non inviti statim illo maturavimus, sed viæ nostræ illos contradictores invenimus. Ut enim auditum est apud illos de nostro adventu cum sancto corpore videres omnium rerum dubios trepidare, exsangues pallescere, ac ne quasi vinculo debitæ servitutis astringerentur, totis nisibus elaborare. Nam pudo erat eos dici, quod tamen diffiteri non poterant, servos sancti Remacli, cujus revera ipsi beneficiis et opitulationibus vivebant ingrati Monachi laicos, laici monachos in hoc cohortabantur se invicem, ut domino abbati, qui aderat, contradicerent venerandi corporis susceptionem, aut si invitis eis per vim inferretur, ipsi de contra monasterium vel locum egrederentur.

Quibus abbas cognitis, nunc blanditiis, tum terroribus repressit contumaciam servilis audaciæ, ut tandem aquievere sine offensa dominum suum suscipere. Cum ergo dominus abbas ad præsens celebraret mysterium humanæ Redemptionis, ad laudes Deo nobiscum referendas, nec unus quidem eorum interfuit missarum solemniis; adhuc enim fidentes, de potentia episcopi et suffragatione præsumebant, quia id ejus non esse voluntatis non ignorabant.

Sic loco revindicato, revocatisque abbas hominibus Ecclesiæ sub suo sacramento, itemque monachis, licet infidis, sub regulari instituto, Stabulaus rediit, nihil adversi suspicans illos moliri de cætero.

CAPUT XIX.

Abbas Romam veniens apud Alexandrum papam suas prosequitur causas, qui etiam pro eo suas Coloniæ mittit, epistolas, sed totum id fuit frustra.

Ipse paucos infra dies Romam petiit, Ecclesiæque nostræ privilegia auctoritate apostolica innovaturus, Alexandrum papam Romanorum adiit. Illic pro se, pro loco, pro adversis casibus, itemque pro injustitiis, quas sancto Remaclo sibique intulerat Agrippinæ Coloniæ episcopus, satis pro tempore causam prosecutus, gratam abmodum consolationem invenit ab illo et a reipublicæ consulibus. Nam ipse papa, relectis prædecessorum suorum decretis, non mediocre periculum agnoscit, archipræsulis miratus tam sapientis viri deceptam prudentiam, tam inconsulte potuisse desipere in his. Itaque tam rogatu domini abbatis quam pro eo quod sollicitudinem de omnibus, utpote universalis pastor gerere habebat, ex auctoritate Petri apostoli in suis scriptis illi denuntiat, ut ne quemquam pro his juste damnare habeat, ulterius alienis, quæ sui juris non erant, vim inferre timeat. Multa (inquit) ex te bona opera ad sedem usque domini mei Petri delata cognovimus, quæ, velut quadam nube mihi offuscari videntur his tuis præsumptionibus. Non ergo eget Deus offerri sibi quid ex injustitia : *Quare sic fiunt ei victimæ ex rapina quomodo si macte quis filium in patris præsentia* (*Isa.* LXVI), ac ne dando videaris offendere Petrum, relinque quod sancto illi est proprium, cujus vicaria vice abbas Theodericus nostrum implorat judicium.

Horum exemplar ab ipsius legato cum accepisset archiepiscopus, non magis quam adamas ferro emollitur ejus animus. Nam cum Romam iter ageret abbas, necdum excesserat patria, cum Malmunda-

rienses de his quæ erga se et locum acta sint, illi mandaverant omnia. Et quia tunc non erat ipse in provincia, dicuntur Gerlasio procuratori ejus dedisse præmia, ut ex ipsius nomine cito revendicaretur locus vice contraria. At tum his ille cognitis, animi sui constentia retinens iracundiam, veniebat de loco Sarevelt, quo tunc morabatur, quasi adversus locum nostrum sui vindicaturus injuriam. Ferebatur etiam tunc decrevisse formari castrum in eisdem Malmundarii munitionibus, quas sibi contrarias ante firmaverat, dum adviveret dux Fredericus. Sed ne id facet dissuasus amicorum consiliis, alia via parat ulcisci suam injuriam adversis injuriis.

CAPUT XX.

Gerlasius procurator episcopi ex ipsius nomine iterum invadit Malmundarium, sed audito rumore incerto citius festinat reditum.

Igitur Gerlasius Malmundarium iterato invadens ex nomine pontificis revindicat, non veritus manum inexpertam possidentis ipsum locum, quem protegendum adhuc ex toto non reliquerat. Neque enim, ut nunc palam est, quis unquam illi auferre poterit, nisi, quod absit, *pro præsentia inhabitantium ipse primum*, ut Jeremias ait, *hæreditatem suam ultra non curans reliquerit* (*Jer.* XII). Ac non ideo toties calumniando, toties remancipando, manum alienam super se patiebatur, quasi invalida manus ejus ad defensionem illam deficere videretur, sed volens in adversis corripi servos suos ad tempus, quos videbat ex somnolentia labi in deterius, prævidebat opportuniori tempore recedentes etiam adverso humero, ad se retrahere beneficiis et mirabilibus.

Vix patratris his pro quibus venerat miles temerarius, monachis etiam non minus quam laicis, utpote in quorum arbitrio res hujusmodi pendebat, relapsis ex voto sub alienis ditionibus, difficile moras in redeundo patiebatur fugiens fure properantius. Nam rumor exierat tanquam ex nostris partibus multum exercitum supervenire, quo terrore perculsi per fugam . . . . se invincem adeo debilitavere ut equis deficientibus ad sua quisque vix posset proripere.

CAPUT XXI.

Abbas a Roma revertitur, parum epistolis apostolicis adjutus, imo per Fredelonem quemdam acrem virum persecutio ipsis et nobis innovatur, et per Gerardum, qui Deo judice postea est pessundatus.

Interea dominus abbas reversus de sede apostolica nil certe ad nos retulit præter auctorizata privilegia; nam et epistolam illam, cujus exemplar penes se habet, quam dicebant ab apostilico missam esse archipræsuli, nil profuisse persensimus rerum nostrarum utilitati.

Post hæc archiepiscopus Cuonradum comitem suosque familiares de sui fidelitate admonet, ut in abbatem ejusque fideles suas ulcisci injurias operam dent. Sed cognitam in abbatem et comitem graviter ferebat amicitiæ conventionem, infidelitatis

A arguens suum militem, quod injussu suo inimicis suis communicans non satis ageret pro se vicissitudinem. Quare advocationem Malmundariensem ex nomine suo vice illius vicarii, commendat acri æque viro Fredeloni, ut opportunior acriorque insisteret loci illius defensioni. At ille accepta potestate, tanquam majorem adepturus ob hoc gratiam aut præmium, toto adnisu cum suis invigilat dies noctesque ad hujusmodi negotium.

Maxima iterum nostris incumbit persecutio, adeo ut servos se esse S. Remacli, non nisi discrimen passuris libera esset professio. Unde et quosdam ex melioribus Ecclesiæ diræ captionis pergravavit infestatio. Sed sic valeant omnes in nos volentes exsurgere quo modo ille gaudere habet cum suis ob B hoc pulchrum facinus in sanctum Dei surrexisse. Nam defluxisse liquet hunc de bona fama ad infamiam; itaque ex magna opulentia ad inopiam. Præterea suorum quemdam intolerabilis audaciæ, nomine Gerardum, qui ad cædes et incendia non minus quam ad prædas et latrocinia promptior efficaciorque in nostros efferebatur, velut animal rabidum, divino potius quam humano judicio constat pessundatum.

CAPUT XXII.

Episcopus Romam proficiscitur, abbas eum insequitur; ante papam et senatum discutiuntur; ad ultimum, sine aliquo nostro profectu dirimuntur.

Post hæc episcopus non diffidens suis viribus tanquam austeritate sua devictis omnibus, nam et C regem acquiescere fecerat, ne de hac re se interpellaret ulterius, Romam parat profectionem, quasi ab apostolico recepturus super hoc bono privilegii auctoritatem.

Dominus abbas, satis utiliter necessarieque consultus a suis fidelibus, decernit illo pariter adesse, auctoritate videlicet majorum contradictionem illi facere. At ille regia legatione functus, ibat potens per Italiam quasi perfecturus regis negotium, sed longe aliter ac ratio erat, ea res cessit in dubium. Ventum est ergo ad beati Petri confessionem, sed abbas præveniens, eisdem, quos ante adierat, eamdem repetit proclamationem, de qua re sane consultus a domino apostolico, advenienti episcopo in satisfactionem se exhibens, humiliat coram ipsius D scilicet altari cujus devotionis gratia veniebat. Sed, proh nefas! neque timore, nec amore dulcissimi Petri dolentem consolari, humiliatumque non respexisse dignatum dicitur, imo cum ea pertinacia ad celebrationem divinorum sacramentorum progreditur. Rursus inter ipsa sacramenta quæ celebrat, abbas efflagitans se miserari humiliat, sed neque sic a sua sententia pertinax animus discrepat. Ipse, ut jussus erat, si non impetraret, ad sedem apostolicam revertitur. Papa cum suis non magnipendens illius religionem, hanc impietatem exsecratur.

Uterque apud Lateranas ex ejus præcepto ad publicam audientiam invitatur: habebat præterea apostolicus in archiepiscopum justam causam judicii,

quod suo injussu communicaverit æmulo suo, Parmensi videlicet episcopo, quem anathematis perhibebant subjacere judicio. Igitur ex senatus consultu jubetur ob hoc arceri a conspectu papæ totiusque Romani concilii, nisi publica satisfactione purgaret offensam quam commiserat contra jus honoremque vicarii Petri apostoli. Pro qua re ille consultus, pro delicto conductu marchisæ Beatricis nudis pedibus procedit in publicum, postque satisfactionem, data indulgentia, suscipitur in consortium.

Ille Dominus abbas, coram Romanæ Ecclesiæ judicibus ac reipublicæ consulibus exponit omnia, quibus ille tenebatur obnoxius, omnem videlicet supplantationis consequentiam; præterea contra fas usurpando bonum S. Remacli, factam ab eo injustitiam; postremo tam præsentis papæ quam antecessorum auctoritatem decretorum violatam. Quibus ille ex conscientia tanquam reus facti confusus expallet, ac maxime omnibus in conventu illo id injustum proclamantibus. Pauca ex industria locutus, satis pro se ad præsens respondet legato regis Romanorum per dedecus inferre vim ullam non debere, præterea ut concessa sibi dono regio perderet, non ideo se illuc advenisse.

Cum ergo rogaretur a papa, ut amore beati Petri suique in illo justam humanitatem faceret, spondet se omnino facturum, dum in patria coram rege uterque veniret. Igitur post hæc et alia quamplurima, discessum est ab utrisque de Italia. Attamen nil horum obtinuit episcopus quarum maxime rerum ierat gratia. Reversus in patria, non solum quæ promiserat fecit irrita, verum et ipsum regem despectum aiebat in sua injuria, ut in abbatem illius animum gravi permutaret inimicitia. Sed de diversis partium studiis, itemque de abbatis nostri laboribus maximis, postremo de qualitate totius adversitatis, si singillatim disserere velimus tempus quam res non deficiet maturius. Quamobrem his finem facere, quæ mœroris plena videntur, tanquam earum rerum tædio fessis animo libeat; ad ea vero quæ gaudii sunt et lætitiæ propensius accingi non pigeat.

Finis libri primi.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

In textu prioris operis de adversis casibus, qui nobis obtigerant, tristem admodum explevimus historiam, exercitium vero sequentis operis ex secundis rebus, quæ ad glorificationem sui confessoris a Deo successerunt, jam nunc percurrat parem apostolorum ex resurrectione lætitiam. Quemadmodum enim illis tristibus Magistri sui morte, gaudere contigerat in ipsius resurrectione (*Math.* XXVIII; *Luc.* XXIV; *Joan.* XX), nihil nobis minus æque tristibus, et jam quinquennio et eo amplius afflictis, provenisse quodammodo gaudemus, ipso eodemque tempore, in confessoris sui tam admiranda glorificatione. Tu vero, noster domine, Theodorice abbatum reverendissime, lætioribus videndum animis accipe et hoc opusculum, inculto quidem stylo ex archa nostri ingenioli prælatum, sed tuo maturiori sensu examinando, corrigendum. Petimus ergo tua corroborari auctoritate, priusquam in publicas aures diffundatur incorrecta garrulitate.

CAPUT PRIMUM.

Quod in progressu versus Legiam bajuli corporis sancti Remacli conquerebantur se trahi a præcedentibus, præcedentes se impelli a posterioribus.

Regalis curia condicta erat Legiæ celebrari, Dominicæ videlicet resurrectionis adveniente tempore solemni. Illic omnes qui habebant causam judicii jussi sunt convenire de singulis partibus Romani imperii, inter quos etiam cœnobialis Pater Thodericus aderat, cui rex de damno ecclesiæ placitum illic indixerat, ut si ullo modo flectere posset Annonem archiepiscopum, qui sibi Malmundarium, quod S. Remacli juris est, cum omnibus appenditiis suis usurpaverat, ipse juberet et laboraret reddi quod abstulerat.

Prædictus quoque Pater noster pro eo quod in vanum plurima dederat de Ecclesiæ thesauris; tandem affectus tædio, et diffidens omnibus humanis auxiliis, licet sero, seniorum nostrorum acquievit consiliis; quibus placuit ad eamdem curiam corpus deferri ejusdem S. Remacli nostri protectoris, in qua villa quondam ipse prefuit magister pontificalis honoris. Quo concensu voti compotes facti quod inceperant ad effectum, providentia Dei suffulti, producere maturabant. Sed aliquantulum nostra profectione tardante, Dominus abbas pridie processeral nosque, digne tractato sacro corpore, sequi mandaverat. Quapropter in exitu nostro cum progrederentur celerius anteriores bajuli sacri corporis, quam sequentes possent ferre labores itineris, conquerebantur posteriores se trahi a præcedentibus, itemque præcedentes se impelli a posterioribus. Ductis namque divino impulsu sacris reliquiis, prohibiti sunt portantes immorari vestigiis. Unde non dubitabatur S. Remaclus S. Lambertum velle visitare, cui pridem in carne factus est ipse refugium singulare; ut quomodo alteri compassus est in persecutione, ita nunc alter alteri subveniret in redimenda possessione. Quippe satis evidenter ostendit eorum subsecuta conjunctio quam pia conjunctione illam præcederet intentio. Ex eorum denique sacratissima

societate corporum, nobis quidem incomparabile A gaudium, infirmis autem et debilibus pervenit salubre suffragium. Verum hæc alias.

CAPUT II.

De reliquiis S. Symetrii, et quod per noctem in aere via ostensa sit ab oratorio Stabulensi usque ad domum S. Lamberti.

Cum autem venissemus in villam nostri juris Lovincias nomine, S. martyris Symetrii a Ladernaco nobis obviam delatas reliquias suscepimus honorifice, quæ non frustra in nostrum adjutorium simul delatæ sunt Leodium cum sacro patroni corpore, sine dubio adaucta omnium spe ex utrorumque digna præsentia profuturæ nobis Dei misericordiæ.

Nobis igitur illa nocte in villa eadem cum sacris reliquiis quiescentibus, hora matutinorum ostensum est Leodii quibusdam signum mirabile, S. Remaclum eo deferendum nescientibus. Videbatur ab oratorio Stabulensi usque ad domum S. Lamberti quasi quædam via lucida splendifero tractu in aere protendi. Cujus rei species quid pertenderet dum videntes mirarentur, illico tanti hospitis adventu solvebantur, cui rem visam procul dubio servire fatebantur.

Nos quoque primo gallorum cantu surgentes de loco in quo quievimus, difficultatem viæ sine labore et impedimento faciles gaudentesque peregimus. Nec deerant inter eundum laudes Domini per posse et nosse comitantis populi.

Non longe tamen ab urbe præstolabamur nuntium præmissum ad dominum abbatem, qui reversus nuntiat præter spem fidemque procedendi fieri contradictionem, nec audere dominum antistitem nostrum Theoduinum venerabile corpus sancti ut dignum erat, suscipere, quia timebat id indignanti metropolitano displicere. Nos, tametsi res in dubio pendere videbatur, tamen diffidentes properanter illo progredimur.

ADNOTATIONES.

S. Martyris Symetrii a Ladernaco nobis obviam delatas reliquias suscepimus. De hoc martyre Symetrio sic Molanus loquitur in Natalibus sanctorum Belgii, ad 26 Maii : « Romæ sanctorum martyrum Symetrii et aliorum viginti duorum. Cum enim titulo quem pius papa construxerat apud Praxedem latitaret et divina mysteria celebraret. Antonius D Augustus eos absque ulla interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo. Quorum corpora Praxedis collegit et sepelivit septimo Kalendas Junii. Ladernacensis Ecclesiæ Historia addit eum in infantia a beato Materno esse resuscitatum, eaque occasione Albanam ejus matrem cum prole fidei sacramenta suscepisse, eique nomen dedisse Symetrium sextum comitem de Salmis apud Tungros, quem paulo ante sanctus Maternus baptizaverat. Cæterum sanctus Babolenus qui Remaclo successit, corpus e Roma Stabuletum attulit, et in primaria monasterii hæreditate Villa de Lierneu, sive Ladernaco congruo honore collocavit. Fuitque decretum, ut prædicta villa se filiam Ecclesiæ Stabulensis recognosceret, sub censu unius esterlini ex qualibet domo persolvendi, et ut sarcophagum martyris annuente nona die Martii Stabuletum cum hymnis et processione in indicium filialis subjectionis deferrent. Fit autem mentio loci et martyris in libro vicesimo miraculorum Remacli, qui Notgeri est Leodiensis episcopi : Fiscus (inquit) Ledernans nostro monasterio addictus est. In eo ecclesia est Sancti Symetrii et aliorum, virtutibus illustris.

CAPUT III.

Leodiensis episcopus corpori sancto obvius procedit, et cum clero omnique populo honorifice suscipit.

Interea episcopum adeunt, injuriam sancti grave ferentes archidiaconi, ac de domo quique sanum sapientes clerici, protestantes præter æquum bonumque id fieri, consulere debere non minus sibi quam etiam totius urbis saluti, ut tantus pastor quondam eorum mirificus, inter præcipuos Galliæ B sanctos famosos honorifice, ut decebat, susciperetur cum Dei laudibus.

Item, ipsi adeuntes archiepiscopum ad consensum flectere nitebantur ejus animum. Qui licet alias aliter sentiret, in hoc tamen ne tam justæ cunctorum voluntati contraire videretur, præbuit assensum. Illico parat se ad procedendum cum omni clero suo dominus noster episcopus, metropolitano remanente in palatio cum sibi consentientibus. Fiebat nobis interea maxima impressio undique cum laude Dei populis accurrentibus, in qua nec modice quidem lædebatur quisque ex convenientibus, cum multi vi substernerentur impellentium pedibus.

In quo conventu, quis abstinere potuit a lacrymis, cum unus ex militia cœlestis imperatoris jam C diu palmam obtinens perennis gloriæ et immortalitatis, expetendæ justitiæ causa videretur adire curiam hominis regis? Maxime clericorum super hoc justa erat consideratio, quorum corda ad lacrymas compunxerat de tanta injustitia pia compassio, itemque de humiliatione tanti confessoris, non sine pavore digna admiratio.

Cæterum dominus noster episcopus, licet ab initio hujus mali, satis pro tempore, re et consilio sese impenderit, nunc tamen cum optimis clericis suis, cum ducibus et præsentibus cœptis id adnitendo totum biduum impensius peragit, quatenus regem et archipræsulem utrosque hujus facti reos ab incœpti sententia deduceret.

ADNOTATIONES.

Cæterum dominus noster episcopus licet ab initio hujus mali. Theoduinum intelligit, quem superior capite timidioris fuisse animi indicat, modo instinctu archidiaconorum et aliorum prælatorum animum resumpsisse, et toto biduo pro recuperando Malmundariensi cœnobio insignem operam navasse significat.

CAPUT IV.

Regem de injustitia pœnitet ; episcopus Vercellensis archipræsulem super hoc monet, ille negat constanter.

Admodum quoque pœnitebat regem in eas manus hoc bonum tradidisse, a quibus cum vellet, non præter injuriam poterat retrahere ; quem etiam susurrabant parem esse in crimine propter lapsus

imperialis potentiæ. Nam ipse archiepiscopus eo inflexibilem obtirmaverat animum ut, si quando de hac re consuleretur, displiceret ei cum auctore omne consilium. Episcopus Vercellensis, quasi familiarior, rogaturus de hac re illum adiit, ac ei persuadere cupiens, hæc auribus ejus humillime suggerit : Si justis, inquit, consiliis, summe archipræsul, acquiesceres, tuæque saluti rite consuleres, justissimum videretur oportere te honorem Deo facere, sanctoque huic justitiam impendere quam juste videtur expetere. Agnovimus id injustum esse quod agis, agnovimus et ob hoc tibi imminens periculum, ni sententiam mutaveris, eoque monemus ut rectum suum recognoscat sancto illi, cui hoc adjudicat consensus principum totiusque populi ; hoc vult ipse rex magnopere, qui non frustra timet involvi eodem discrimine. Quid sane consilii referam edicito, nam ad te consulendum veni transmissus ab illo. Ille refert motus sic indignando locutus : Desine me his, frater et coepiscope, desine me his importune obtundere, quibus animo nil gravius unquam fuit intendere, nam definivi apud me sub jurejurando velle me satius emori quam ex me infirmari sententiam hujusmodi. Quid tibi vis dicam ? non his mutabimur unquam. Etiam ipse quem dicunt sanctum, si, corporali specie resumpta, per se rogaturus veniret, nequaquam meo permissu suæ petitionis compos fieret. Bona, inquit ille, bona, quæso, verba, ne ad pontificalis ordinis infamiam in publicas aures diffundantur hæc minus honesta, vel etiam occasione hujus sententiæ abutantur potentes cæteri quasi quadam auctoritate. Ergo etsi non precibus neque consiliis amicorum, tamen credimus te id vel virtute Dei facturum. Si hoc, ille inquit, dum vita comes fuerit de manibus istis videris ereptum, spiritum simul eripi sit a Domino præceptum. O mira Dei clementia, sanctique confessoris sui patientia ! non statim cum erepta possessione subsecuta est vindicta, licet secundum suam optionem achipræsul pateretur judicia recta, sed non est Deus ut homo, gratis propitians conformari limo.

CAPUT V.

Fratres pedibus suis prostratos ad Sanctum Joannem in insula archipræsul dimittit sub responsione incerta.

In crastino, qui dies erat Dominicæ resurrectionis, nostri seniores ad templum Sancti Joannis in insula ubi dedicationis ejusdem templi agebat mysteria, prostrati pedibus ejus, *Misericordia Domini*, inquiunt, *plena est terra* (*Psal.* XXXII). Ne ergo alienum ab illa te contingat fieri, fac eam, quam quærimus misericordiam, vel ob nomen Domini. Ille non præter solitum usque cauta locutione dubios dimisit sub incerta responsione.

CAPUT VI.

Ad Deum intenta supplicatio et clericorum ac laicorum intuentium pia compassio.

Igitur ipsa die convocatis principibus et episcopis A coram rege ad placitum præsente domino abbate nostro cum archipræsule, cœpit de nostra reagitari consilium.

Interea cum præ foribus præstolaremur rei eventum, incidit nobis omnibus his melius consilium pro instanti necessitate auxiliatori Deo soli magis esse supplicandum. Itaque assistentes in spiritu humilitatis Sanctæ Trinitatis altari, super quod jacebat venerabile corpus piissimi nostri patroni : *Veni creator Spiritus*, usque ad finem hymnificavimus, quo cum dulcissima supplicatione perfinito, septem psalmos cum litania percurrimus animo contrito. Deinde processionem fecimus decantando *Magna vox laude*, etc., ad Sanctum Lambertum in crypta. Inde ad Sanctam Mariam cum responsorio *Christi,*
B *Virgo dilectissima* ; unde et reversi sumus *ad Sanctam Trinitatem* cum antiphona *Te Deum Patrem ingenitum*, subsequentibus aliis orationibus ad impetrandum ejusdem S. Trinitatis auxilium.

At vero quique clericorum ac laicorum intuentes vultum nostrorum immutatumque colorem indicantem internum animi dolorem mente vulnerabantur, confluentesque publica supplicatione nostri similes efficiebantur. Protendentes ergo manus in cœlum universi deprecabantur Deum nobis propitium fieri. Non modica vero erat nostrorum obsecratio, imo et trepidatio, pro eo quod in contemptum venire tanti confessoris videntes reverentiam, loci desolationem timebant affuturam, amplius insultantium perpessuri blasphemiam.

Sed qui non obliviscitur misereri Deus (*Psal.*
C LXXVI), extulit hac occasione sanctum suum sublimius.

CAPUT VII.

Scrinium sancti cum sonitu ab altari sublevatur et inde consolatio plurima cernentibus datur.

Post expletam namque supplicationem, quæ prædicta est, ambientes regis præsentiam, ut coram fandi saltem consequeremur licentiam, manifeste Regis omnipotentis experti sumus providentiam, per virtutum suarum insignem et admirabilem potentiam. Etenim scrinium sancti, quod impositum erat Sanctæ Trinitatis altari, cum repentino sonitu visum est in aera sublevari. Quod nimirum in admirationem promoverat eos qui astiterant, quique una cum custode sanctarum reliquiarum excubias
D celebrabant, et quod visum est digna fide nobis dubitantibus exponebant. Unde plurimum consolati toto nisu Deo commendavimus finem facti.

ADNOTATIONES.

Etenim scrinium sancti quod impositum erat Sanctæ Trinitatis altari. Ex hoc capite desumpsit Ægidius Aureæ vallis secundum caput Gestorum sancti Theoduini, quod incipit : « Anno 1071, VII Idus Stabulensis cœnobiorum, » etc.

CAPUT VIII.

Regem super prandium fratres circumveniunt, Bavebergensis episcopus justitiam protelat in crastinum.

Cum ergo moras nobis protendi ab rege et archepiscopo intelligeremus (nam et dominus abbas

jam dixerat nil certum sibi tractari ab aliquibus) A consilium hoc in commune inimus, ut adeuntes regem pro nobis ipsi, ut res poscebat, coram eloqueremur. Intrantes itaque pomarium, ubi regali magnificentia discumbebat rex cum suis optimatibus ad prandium, assistentesque cum pia supplicatione, uni commisimus præloquium:

Rex, inquit, domine, felix per sæcula vive,
Et victor regnes, velut optamus Stabulenses.

Suggerimus humiliter tuæ majestati ut quod facto opus sit, videas et quid commiseris in sanctum Dei, cui servimus, recognoscas, factaque recognitione, cum patribus tuis in æternum vivas. Obsecramus quoque te pro statu regni quod possedisti, pro bono sancti, quod cupiditate quorumdam depravatus infirmasti, quodque sibi contulerunt et confir- B maverunt potentissimi prædecessores tui, quod etiam inviolatum et inconvulsum permansit, usque ad hæc tempora tui dominii, ut sic præcipias illud restitui, quomodo privilegia testantur monasterii; vel si secus vis fieri, erit tibi causa periculi. Locus enim noster, quondam honorabilis et opulentus, videtur penitus desolari tuis temporibus, quem ante te coluerunt imperatores summis honoribus. Contraria namque illata conditione, undique distrahuntur illius optima quæquæ. Ergo ne consistas illis inferior, vel in aliquo regni statuto deterior, plantetur in corde tuo justitia, et firmabitur thronus tuus in sæcula (*Prov.* xxv).

Rex autem cum in archiepiscopum intenderet, quasi docendus ab ipso quid fieret, ipseque cupidi- C tate boni tentus conticesceret, apposuit adhuc noster orator, ut diceret: Quid, domine rex, propter hunc solum hominem obmutuisti, cui contra decus regni indecenti discipulatu te subdidisti? Conversusque ad circum sedentes: Quid vos, inquit, episcopi regnique optimates? cur coram conticescitis, pro justitia loqui timentes?

Ad hæc vultu mutato archiepiscopus: Quid (inquit) vobis auferendo admisi reatus? aut quo sancto viro sum obnoxius? Nil causæ ad impetrandum habentes frustra nitimini, quia nihil unquam vestri juris attigi. Ille econtra, non nisi rectum justa causa querimus, præbendam scilicet nostram, quam inconsulte, annuente domino rege, invasisti temerarius. Qui edim ab initio constructa hæc duo cœnobia D præsul et abbas rexerat, sicut in ambobus constitutis cor esse unum et animam unam voluerat, sic ut una esset præbenda omnibus ætatum successionibus tenendum reliquerat. Sic ergo et nos velle tenere non est injustitia, sed te abstulisse quantum nefas vide, quantaque sit injuria. At episcopus Bavebergensis, qui provisor regiæ domus erat tunc temporis: Si justa est (inquit) vestra petitio, cras Dominus meus statuit examinari id generali judicio, non enim patimur quidquam injustum crescere in ejus imperio, donec auctoritas hujus ordinis reipublicæ aderit consilio.

ANNOTATIONES

Ubi regali magnificentia discumbebat cum suis. Allatas fuisse ad regem sancti Remacli reliquias cum pransurus discumberet, testatur disertis verbis Lambertus Schafnaburgensis; sic enim ille: « Inito consilio (ut fertur) divina ad hoc revelatione incitati, ossa beati Remacli levant, Leodium deferunt, et rege celebri quodam loco convivium agente, super mensam ipsam apponunt. »

CAPUT IX.

Corpus sancti impræsentiarum afferunt super mensam et de induciis conquerentes, petunt justitiam

His episcopi verbis increduli, imo dubii facti de crastino, quia nihil satis festinaretur cupienti animo, corpus patroni nostri impræsentiarum afferre necessarium duximus communi consilio; quo ex improviso exposito super mensam regiam, En, diximus, ipsum cui, rex, facis injustitiam, recognoce ergo ei quod totus orbis ipsi adjudicat proprium. Ecce pro ipsa injustitia tuum super terram requirit judicium: vide ne negligas, ut non in cœlis adversum te quærat judicem Deum. Propter te (inquit rex ad archipræsulem) fit nobis hæ importuna invectio. Sed quandiu præter morem majorum meorum hæc pati habeo? Animadverte quod nisi mutata sententia aliud decreverimus, de salute nostra periclitari ob hoc in proximo poterimus. Sed illo nil nobis proficuum ad ea respondente sed magis pronuntiante nos nimiæ præsumptionis et audaciæ, rex iterum sponsionem fecit per inducias in crastinum, se nobis omnem justitiam pro voto nostro facturum, non esse, inquiens, opportunum tempori rem diffinire talis negotii. Identidem omnis consessus episcoporum hortabatur, rogabatque ut interim referretur in templum corpus venerabile. Incertum est, diximus, quid paritura sit dies crastina, dum modo æque bene facere non minus sit licitum imperiali potentiæ. Pro salute sua itemque pro stabilitate sui imperii regem petimus ne diutius nos suspendat his induciarum dilationibus. At bonæ indolis regina conjux ipsius, cum prodesse quidem non posset, lacrymas fundebat pro precibus.

ADNOTATIONES

Recognosce ergo ei quod totus orbis ipsi adjudicat. Hujus obsecrationis religiosorum Stabulensium, meminit quoque Lambertus Schafnaburgensis his verbis. « Obsecrantes (scilicet religiosi præfati) per Deum, ut si minus filiorum, saltem Patris tanti misereretur jam eum Christo regnantis, et de injuriis suis quotidie ad tribunal æterni Judicis proclamationem facientis. »

CAPUT X.

Regem et episcopum a mensa exsilientes insecuti fratres, a palatio sunt prohibiti, et relato corpore super mensam fabrica ipsa solo decidit.

Cum persisteremus in his petitionibus et hac lucta, archiepiscopus exsurgens, apprehensa regis dextra: Quid (inquit), rex, ignominiose hic sedes? Assultum tibi fecerunt cum sua rusticana manu hi procaces monachi, vim inferentes contra fas regiæ potestati, quasi ad cogendum nos obtenperare suæ voluntati. Non tui est honoris temeritatem illorum diu spectare,

quos etiam pudor est palam audire. Sic rex spreta mensa prosiliens cum suis omnibus, inconsultos nos, sed non defessos reliquit et ipse inconsultus, habentes nobiscum illam fiduciam, qua nil poterat esse securius, quid tunc fieret in promptu non erat consilium nisi regem, pro quo veneramus, si forte prodesset, abeuntem sequi in palatium, quo dum fuisset perventum, præcedentes cubiculari indignam sancto fecerunt repulsam ad introitum.

Quis vero planctus repente quantusve mœror excreverit nostrorum omnium, quantus denique in cœlum clamor popularium, qualesque voces hanc injustitiam Deo proclamantium, quis fluctus eloquentiæ quæ lingua potest evolvere? Cum quo inter hæc non pateret aditus quoquam honeste progredi? Nam undique clausum erat pomarium confluentia tumultuantis populi: monentibus ipsis curialibus, qui erga sanctum et nos benigne se habebant pia miseratione commoti, relatum est corpus sancti ad eumdem locum super mensam regiam sub aspectu omnium miserabili. Quod æstimandum videtur non præter voluntatem ipsius confessoris Domini. Nam statim ut materies illa insensibilis quodam modo sensit sancti lipsanum quasi non ferre prævalens pondus illud divinum, facillime instar cereorum dissoluta est in frusta, videlicet firmissimum robur illud tripodarum, demissumque ad terram humillime jacuit ipsum pignus sacratissimum. Implebatur illico de vicinia et tota urbe utroque sexu amplitudo totius illius pomarii, multiplicabatur in cœlum clamor dolentis populi: Cur, juste Domine, injustum hoc sinis in terra fieri?

ADNOTATIONES

Sic rex spreta mensa prosiliens. De hoc Lambertus Schafnaburgensis sic loquitur: « Hoc supplicationis genere quod ad captandam benevolentiam comparatum fuerat, rex versa vice nimium efferatus, concitus se, relictis epulis, in palatium proripuit, et quo exemplo in abbatem tam audacis facti incentorem animadvertere deberet, plenus irarum cogitabat.

CAPUT XI.

Tibia Gonteruli oppressa et contrita resolidatur et usque ad fores regias producitur.

In ejus itaque, quam diximus, humiliatione, quidam ex nostris servientibus ipsius familiæ dum mensæ invisus pedem supposuit incaute, ex ruina molis irruentis fractum crus ad se non potuit retrahere, juvantibus vero sociis seorsum extractus, subtritam pelliculam per quam pes pendebat præcidere volebat dolore constrictus Gonterulus erat nomen servuli, qui premente angustia temere aiebat, quasi derogando sancto confessori: Hæccine est virtus tua, mi domine, ut quod inimicis tuis promerentibus forte differebas facere, mihi tuo fideli tibi obsequenti maluisti contingere? Necdum verba finierat, cum subita facta ossium collisione, ex divinæ virtutis cooperatione, resolidatur fracta tibia surgensque sanus stetit utrisque pedibus, velut insomnis, exacta angustia. Cucurrerunt undique plurimi ad hoc miraculum, multi etiam ex palatio convenerunt ad

A hoc spectaculum. Ad comprobandam igitur rem divinæ operationis discalceari juvenem fecerunt, et in loco læsionis pro cicatrice quoddam signum instar rubri fili tibiæ circumducti non sine admiratione conspexerunt. Rei ergo veritatem ad dominum suum regem continuo retulerunt, ipsumque usque ad regias fores pro teste deduxerunt. Sed propter impressionem concurrentium, non est admissus in medium.

CAPUT XII.

Cæca mulier ibidem illuminatur.

Interea clarescentibus meritis glorificandi confessoris, factum est quoddam aliud mirabile in præsentia videlicet omnium qui aderant in ipso loco quo corpus jacebat venerabile. Cæca mulier de proximo Leodii territorio deducta stabat ad venerationem

B cum pia supplicatione, quæ noctem continuam cæcitatis se incurrisse deplorans jam longo tempore

Dicitur exclusis lucem meruisse tenebris.

Hæc accipiens crucem quæ ibi erat, nomine sibi dante, cæpit venerabiliter deosculari, ac sic omnibus prædicare factam in se virtutem confessoris Domini.

ADNOTATIONES.

Interea clarescentibus meritis. De subsecuta hac miraculorum multitudine fidem facit et Lambertus Schafnaburgensis; sic enim ille. « Ita deinceps per totam noctem sequentemque diem tanta circum sanctum corpus coruscabat miraculorum multitudo, ut corporali quodammodo proclamatione videretur B. Remaclus jus suum expostulare. »

CAPUT XIII.

C *Regem perturbatum episcopus objurgat; referri corpus ad sanctuarium imperat, et tandem missis cubiculariis id fuit frustra, quoniam velut saxum immobile perdurat.*

Cum hoc utrumque factum celebre divulgaretur in palatio, et rex, in re aliquid divini operis inesse intelligens, non frustra timeret ne sibi repente divina superveniret ultio. Non bene (inquit ad archiepiscopum) nobis consulimus in hoc nostri ac reipublicæ negotio. Potestne nobis hæc lux grata, aut cœli jucundus esse spiritus, quandiu tantam proclamationem, tantam super nomine nostro infamiam tamque importunam insecutionem sustinuerimus? Num vides ora omnium in nos conversa non solum popularium, verum etiam totius regni mei principum, jure, ut reor, non injuste reum operis hujus incusantium? Vere fateor egisse me unquam nil

D insipientius quam quod a te male consultus injuriam sancto huic faciens quod suum erat tuis contradidi manibus. In me sit, ait ille, hoc peccatum, et hæc imprecatio, mihi totum imputa quidquid ob hoc facinoris tibi objicitur ex adverso. Ne facile his credas, rex invictissime, quos justius punire censendum est pro inaudito ausu eorum superbiæ. Quid enim simile æstimari potest huic eorum temeritati, qua, quod dici pudet, te tuoque de mensa regia surgere compulerunt, te, inquam, dominum totius Romani imperii? Putasne, si sapis, hoc parvipendendum, ac non imperiali censura tanquam in reos majestatis animadvertendum? Non ergo perturberis ex his quæ

modo dicuntur hic fieri mirifice, quia non nisi ad commovendum nos hic sanctus virtutes operari fingitur eorum molimine.

Audi tamen ex consilio quod interim salvo tuo honore faciendum censeo, Corpus sanctum, quod quasi pro acceleranda super nos ultione jactaverunt in terram, jube referri ad sanctuarium, quia importunas has proclamationes te tuosque ferre incongruum est. Concurrerunt illico cubicularii deferentes nobis hoc, ut fieret secundum jussum sui domini. Abnuimus omnino velle nos id facere, remissa per illos ad regem satis congrua excusatione, nimirum debere credi hanc injuriam et despectionem displicuisse Deo omnipotenti, qui in electis suis etiam nunc patitur quidquid illis ingeritur adversi; decere saltem ut post contemptum ipso cum pænitentia redeunte, sic facta illi justitia referretur honorifice, quod si aliter rex velit, id casso labore experiri poterit. Valde enim indecens ut tantus Domini confessor, ab illo repudiatus catenus, illum se avertentem rogatum eat ulterius.

Reversi igitur qui ab rege venerant osbtinatos nostrorum animos renuntiant. Mandatur statim domino abbati, ex regis nomine, cum tam proterve monachos suos in dominum suum sineret agere, præterea non impune putaret sibi cedendum, velut in quo conscio facti esset animadvertendum quidquid a discipulis temere videbatur admissum. Porro si pro eo quidquam haberet facere, revehi quantocius faceret corpus venerabile. Asseruit abbas sub Christi testimonio penitus id factum esse se nescio, nedum consilii conscio. Cum lacrymis insuper aiebat nunquam se fuisse tristiorem, quia prorsus diffidens timebat consilium nostrum verti in perniciem. Venit ergo ad nos cum ministris illis et curialibus, æstimans vi cogi, aut dirimi posse illos populares tumultus, sed obsistentibus multis velut ad propugnandum millibus, non magis illic ejus valuit potestas, aut humilis precatio quam antea per internuntios ipsius regis jussio.

Post hæc quidam de cubicuariis irruperunt in turbas, accensis animis, et ad sacrum corpus irruerunt quasi fortiter pro voto facturi. Cum igitur arriperent undique ad sublevandum illud sancti scrinium, tanto pondere sentiebatur divinitus affixum ut ex eodem loco levari non posset velut immobile saxum. Quod illi, admirantes tanquam deificum, voto frustrati redierunt, ac dominis principibus non sine admiratione retulerunt.

CAPUT XIV.

Episcopus hæc omnia phantastice accipiens, corpus sancti de medio auferri jubet, sed missi revertuntur inanes, pecuniam pro hoc ipso offerentes.

Cum his adhuc fidem archiepiscopus non adhiberet, imo omnia phantastice fingi assereret, jussit ex nomine regis ire quamplures ex palatio, ut nobis gravissime multatis, corpus sacrum vi auferrent e medio. Illis ergo illo irruentibus, factus A est commistæ multitudinis clamor ingens et strepitus. Nam universis nostræ partis obsistentibus illis adversariis, satis pro re actum est, non tamen sine divinis auxiliis.

Hoc illi viso, nutu divino facti velut attoniti, nec quidquam virium habentes jussa majorum exsequi, reversi ad eos, illis inquiunt, Res est pro anima, nihil, domine rex, ad hoc valet tuorum vis atque præsentia. Experti enim sumus illic quoddam inesse divinum, nisi benevolentia et amore id feceris, aliud quodcunque velis manebit irritum.

Crede, quavis potestate non sunt cogendi sancti illius fideles monachi; utrum moveri debeat an non sanctus annuit eorum voluntati. Omnes ergo prostrati pedibus ejus cum lacrymis, Domine rex, in- B quiunt, si bene, ut suademus, in hoc tibi consulis, eis, penes quos res agitur, nihil adversi feceris, fac satis voluntati eorum, quia justam, ut concepimus, causam habent ad impetrandum; nihil enim tuorum terrori est illis, defensorem habens fortissimum, quapropter tibi timemus imminens periculum. Volumus id potius quolibet pretio ab archiepiscopo ipso dredimere, quin non impetret hic sanctus quod requirit magnopere.

CAPUT XV.

Rex episcopum Leodiensem et suum cancellarium ad fratres misit et parum profecit.

At ille considerans satius esse bono vinci quam malo vincere, dominum nostrum episcopum ad nos C oratum misit cum suis aliis optimatibus, ut quod ipse vellet nos incunctanter faceremus, si quod petebatur ab eo impetrare vellemus; mandans præterea hoc esse regiam dignitatem deturpari nota infamiæ, si, velut præ potestate, cogi videretur ad obediendum subjectorum potentiæ. Ille egressus a rege, ab alto circumspectans undique pomarium refertum populis, diffidens pervenire ad locum deficiente valetudine, utpote vir debilis cum abbate Sancti Laurentii, præmisit regis cancellarium, ut pro se legationem regiam perferret ad Stabulensem cœtum. Quibus auditis ut rex mandaverat, responderunt pauca, prout animo res inerat. Si habet, inquiunt, rex pro se timere, tanquam instante periculo, quod facillime potest, dummodo vacat effugere D justitiam exercendo, cur sibi salutem hanc differt, ignarus quid futurum sit in crastino? satis agnovimus ejus induciarum officia, quibus toties quæsitam et promissam differt huc usque justitiam. Quid amplius opus est nos utrobique verbis diffluere? Nisi rex ipse veniens per se id fecerit, si tamen sic S. confessori placuerit, ut confidimus hac die hinc moveri non poterit.

Pars, his mota minis reddunt contraria dictis.

Sed et hi similiter redeuntes, Nihil (inquiunt), domine rex, nihil in hoc promoves; quoslibet velis modo labores, fixos sua sententia illos invenies. Quia parum, ait, ut volui, proficio, proficient et ipsi minus ex me quam velint hoc consilio.

CAPUT XVI.

Abbas ipse satisfaciendum regi cum Ultrajectensi episcopo venit ad vesperas; quo discedente in vacuum nocturnas excubias fratres ibidem peragunt.

Igitur in tanta tamque continua impressione, quæ inevitabiliter fiebat piissimi confessoris Dei amore, in qua alii alios supergressi, ab aliis impellebantur assidue, nemo læsus, nemo perturbatus dicitur doluisse, nisi pauxilla satis anxietate, quæ tamen, nimii æstus incremento collecta, statim aura solvebatur aspirante gratissima. Dominus abbas volens manifeste purgari ab ea qua impetebatur falsa suspicione ab apparatoribus regis, tanquam obnoxius eis ipse auctor esset hujus contradictionis, tentavit iterum tam per se quam per amicos potentes removere hujusmodi consilium a suis.

Venit ergo jam advesperascente cum Wilhelmo episcopo Trajectensi, sed nec modo magis pro reverentia tantæ dignitatis admissus est ab illa populari multitudine, quæ, ut dictum est, amore tanti confessoris, in unum confluxerat pro ipsius defensione. Qui cum obsistentibus illis nihilomagis proficere possent, id responsi a nobis acceperunt non adeo inconsulte nec contra se putarent id a nobis fieri temere, quia non erat locus, ut ipsi videbant, quidquam ejusmodi nos pro voto nostro facere; præterea valde incongruum videri ut, qui eatenus divina virtute affirmabatur non posse moveri, nos præter sui voluntatem id præsumendo efficere conaremur ingrati. Video, inquit episcopus, casso vim ullam his posse inferri, satius est sic dimitti quam quidquam, quod cum periculo fiet, moliri. Post hæc claudente diem vespera, nocturnas excubias peregimus non sine divinitatis ope mirifica.

CAPUT XVII.

De duobus cæcis assidentibus, unus est ibi insperato illuminatus.

Ipsa hora procubuerant duo cæci remedii gratia coram sancti corpore, juxta quos assedimus, acturi congrua pro re et tempore. Contigit ergo ex oblatione illic offerentium de scrinio cadere nummum ante vultus eorum qui videbantur expertes luminum, hunc unus ex illis accipiens nobis videntibus, quasi cujus monetæ esset cœpit inspicere diligentius, qui tamen eumdem statim porrexit uni ex astantibus. Interrogatus si quidquam antea videre fuisset illi possibile, respondit se cæcitatem pertulisse jam longo tempore, sed tunc primum aliquid cernere divinitus refuso lumine.

CAPUT XVIII.

De columba de scrinio progredi a quibusdam visa.

Eadem nocte, quæ nobis erat in vigiliis celeberrima, ostensa fuit illic quibusdam glorificandi confessoris magnificentia. Videbatur prodire columba candida de scrinio, quæ locum illum excubiarum circumvolans perlustrando, instar illius quæ de arca Noe in diluvio prodierat, mentis mærentium quiddam divinum portendendo lenibat, et ut illa per

A olivam pacem terris redditam, sic ista significabat iram Dei conversam in misericordiam; quæ cum gyrasset per totum illud spatium, visa est revolare ad eumdem unde prodierat loculum. Ipsi qui hoc meruerant intueri, non sine divinæ majestatis fideique communis obtestatione, facta die, quibusdam ex nostris indicavere rem tanti prodigii.

CAPUT XIX.

De joculario inter excubias de casibus ipsis cantilenas protrahente, et de rege auscultante et in laneis et nudis pedibus pernoctante.

Cantor quidam jocularis ipsa nocte cum sodali suo apud hospitium dormitum ierat, qui statim somno excitus:

B *Sodes, ait, surge, nos illo præstat abire,*
Non est hoc vanum, non est hic, crede, morandum,
Excubias illas celebrare juvat venerandas.

Cumque ille renuens cum erroneæ visionis argueret, Non fallor, ait, somno ludificante, sed testor Deum, quemdam venerandi habitus quasi manu apprehensa me illuc trahentem vidisse. Quibus dictis præpeti cursu se contulit inter vigiles, ac ignarus quid caneret, fortuitu

Cœpit de sancto percurrere plura canendo.

Ac nostros digestim referendo casus, tristes sua quodammodo solabatur cantilena, choreis concinnentibus. Rex autem desuper auscultans per fenestram de se metuenda memorantem intendebat sollicitus, qui pro eo quod acciderat, indutus laneis C et factus nudis pedibus jugiter pernoctabat cum timore et obsecrationibus.

CAPUT XX.

Mane facto sacrum corpus communi consilio ad sanctuarium revehitur.

Facto igitur mane unum item omnium erat consilium revehi oportere sacrum corpus ad sanctuarium, satis illud ostentui esse potentium arrogantiæ, nihil actum esse, quod eo injuriarum expositum dicebatur magis conviluisse. Alii sic, aliter alii nuntiabant nobis ex curia, consiliarios regis in nos tractare nimis contraria, humana videlicet judicia secundum leges debere perpeti, quod inauditam contradictionem fecissemus impræsentiarum D regiæ potestati. At unus ex principibus quosdam ex nostris advocans eisque condolens ex animo, fixam in nos aperuit sententiam, quod nisi referretur sanctus, nil nobis profuturam esse omnem humanam industriam, dominum suum nil pensi habere, vel quidquam posse disponere, dum a nobis sic detineri contingeret corpus venerabile, prorsus omnes bonos æstimandum videre nil nos velle aliud, quod nefas erat, sic ulcisci de nostro communi principe.

His auditis, consulto domino abbate aliisque in commune fratribus, statim honorifice nostri spem unicam in templo Virginis Matris retulimus.

CAPUT XXI.

A rege fratribus cruciatus et pœnæ parantur, et Bavebergensi episcopo corpus sancti destinatur.

Post hæc, expletis missarum solemnis, dominus noster, testamenta priorum deferens, palatium petiit cum suis, facturus solitam proclamationem coram dominis, ubi cum intellexisset proposito nostro aliisque universis, videlicet qui regali imperio contradixerant, novissime cruciatus exsiliumque parari, remissos a se jussit cavere, ne forte pœnas darent inventi. Nam jusserat rex iratus suos in nostros armatos se circumferre, nec cuiquam monacho vel laico quin raperentur ad pœnam parcere. Etenim hoc erat consilium archipræsulis rem nostram toto conamine perturbantis; ejus etiam instinctu et studio dicebatur rex id habere consilii, ut concessum ejus dono corpus patroni nostri sibi auferret episcopus Bavebergensis.

Sed quid jam morabimur eloqui quod omnibus auditu æque delectabile credimus non sine gaudio lacrymabili? Non ferre diutius potuit fidelium suorum diutinam afflictionem pia patroni providentia, imo deficiente omni humano juvamine, statim apposuit se in adjutorium nostrum, cooperante divinitatis potentia. Diu sustinuit probra et infamiam; satis spectavit suorum perseverantiam; despectus quodammodo in terris ab principum tyrannide, totum pene orbem in momento fecit agnoscere quid posset in cœlestibus apud Omnipotentem, ut seu vellent, sive nollent, adversarii divina flexi virtute obedirent ejus voluntati.

ADNOTATIONES.

Jusserat rex iratus suos in nostros armatos se circumferre. Consonat Lambertus Schafnaburgensis: « Quo exemplo (inquit) in abbatem tam audacis facti incentorem animadvertere deberet plenus irarum cogitabat. »

CAPUT XXII.

Concussione non modica in templo facta, scrinium S. cubito levatur in aera, et episcopus Cameracensis orans in crypta divina sanctorum perlustratur præsentia.

Annus erat ab Incarnatione Domini 1071, sextus autem discissionis Ecclesiæ Malmundariensis et Stabulensis, cum, septimo Idus Maii, gratiæ divinæ placuit eam restitui, et hora qua vergit sol ad meridiem, cœli nobis misericordiam distillaverunt desiderabilem. Morantibus nobis Leodii in domo S. Lamberti, factus est denuo sonus tanquam advenientis vehementis spiritus, qui humanos replens auditus templum pariter replevit quo multi convenerant ex diversis partibus. Facta igitur concussione non modica ubi sancti ossa quiescebant sacratissima, visum est palam moveri scrinium, ac sublevari quasi uno cubito in aera. Non minor quam superius factus est subtus in crypta eodem momento sonitus, ubi pretiosi martyris Lamberti quiescit sacratissimum corpus. Illic ea hora intentus erat psalmodiæ cum suis clericis Lietbertus episcopus Cameracensis, qui ex eo quod ac-

A ciderat aliquantulum pavore perterritus, fugientibus aliis, ut vir Deo plenus et altioris ingenii intelligens quiddam divinum, restitit, nosse desiderans quis esset rei exitus quæ tam prodigialiter insonuit. Nam, ut ipse testatus est, densa nebula primitus locum illum offuscatum reddidit, qua statim disparente, subsecuta lux sole clarior resplenduit. In medio ilius splendoris velut in excessu mentis effectus antistes conspicatur duos apparuisse mira claritate fulgentes, Remaclum videlicet et Lambertum, sanctissimos æque pontifices, quos audivit arcano quodam murmure de his quæ acciderant inter se colloquentes.

ADNOTATIONES.

Annus erat ab Incarnatione Domini. Ex hoc loco B Ægidius Aureæ vallis hausit alteram partem capitis secundi sui libri, quod incipit « anno Domini 1071. »

CAPUT XXIII.

Ad exemplum commemorantur dicta sanctorum.

Non ergo sit onerosum intento lectori quod paululum videmur hic ab historia digredi, ut ad confirmandam fidem hujus miraculi gratia quædam colligamus de simili. B. papa Gregorius *ibi*, inquit, *sanctos necesse est majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare; quod utique hunc sanctum manifestum est idipsum de se dubitantibus ostendisse. Ubi vero*, ait, *jacent sancti in suis corporibus, ac maxime ubi plerumque contingit ossa sua revisere beatos spiritus, non dubium est quin valeant, sicut et faciunt, pura mente quæ-* C *rentibus innumera monstrare miracula, sicut de nonnullis legitur, et de Elisæo Regum testatur historia.*

Egit ergo pius Jesus pietate sui solita cooperans sancto suo divinitatis suæ gratiam, ut puncto temporis toto pene agnoscente mundo innotescere daretur etiam futuris sanctis quanti esset meriti apud se sanctus iste, qui ab injustis tanto contemptui ducebatur in terris. Nunc ad rem redeamus, ut quæ sequuntur fideliter disseramus.

CAPUT XXIV.

Mulier nimium contracta, ad sanctum deportata statim est sanata, et ad hoc confluente populo impletur ecclesia.

Interea coram glorificato patroni nostri corpore deportatum est quiddam monstri simile, creaturæ D quidem, sed non hominis habens effigiem in miserando corpore. Erat enim mulier, ex parochia Parisiensi ad sanctorum merita non sine nutu Dei delata in hanc nostram provinciam, quam morbus paralysis in modum globi constrinxerat, cum vexatione corporis horrifica. Erat hujusmodi videre quod ad prædicandam omnipotentiam Salvatoris monstri simile diximus, utrosque videlicet talos retrorsum adhærentes renibus, utrarumque manuum in volam reflexis unguibus, contractisque nervis, cute tantum supraducta, siccis obriguisse ossibus.

Talis ut coram sanctuario est deposita, reviviscere

divina virtute membra cœperunt arida, paulatimque videbantur reformari vultus et habitudo corporis in virtutem pristinam. Ac primum extensis manibus trementia membra contrectabat diligentius; ac sensim nitebatur se extendere, una tantum tibia remanente debili, cæterorum dissolutis artuum contractionibus. Fluunt totis ex partibus, adsunt :

Notus et ignotus, civis simul et peregrinus.
Ast illud templum venientes non capit amplum.

Implentur patentes porticus et claustrorum ædificia una voce proclamantium in cœlos Christi magnalia. Ut sese habet fides tunc illic assistentium, quid ad laudem Creatoris potuit adjici potissimum? Omnis creatura visa est in confessore suo collaudare Christum Dominum, sicut animadverti potest ex adjectione sequentium.

CAPUT XXV.

Campana maxima dat sonitum nullo impellente, multitudo languentium dicto citius sanitati pristinæ restituuntur.

Facta igitur tanti confessoris glorificatione, campana maxima repentinum sonitum cœpit dare nullo impellente. Post hæc cum aliæ simul ob hoc miraculum pulsatæ laxarentur, illa, ut cœperat, perseverans ob solemne Dei miraculorum semper audiebatur, quia ut putatur ex Dei providentia innotescere volens universis cooperari Deum in sancto suo virtutum incrementis, quibus valebat protestabatur indiciis. Suspicantibus vero quibusdam ne forte, ut est mos humani ingenii, hoc opere cujusquam latenter fieret, ascensa turri editus nil reperit quod hujusmodi fictitium reprehenderet. Vulgata ergo fama unius salutem recuperantis, cæcorum, claudorum, aridorum confluxit mox multitudo miserabilis, ex quibus multos palam fuit videre, ex diversis regnis præsentibus dicto citius restitui pristinæ sanitati, gloriosissimi patroni meritis intervenientibus. Quis hominum sigillatim potuit dignoscere genera sanitatum in diversis ægrotantibus, quæ illic cœlitus exhibita sunt divinis medicaminibus? Nam, sicut valens medicus gnarus cujuslibet ægritudinis, ut cuique novit prodesse, potionem aut antidotum porrigit invalidis, sic divina gratia quibus placuit cœleste medicamentum infudit advenientibus singulis. Qui alienis advecti fuerant manibus ad sua propriis remeabant gressibus. Quis illic tenere se potuit a Dei laudibus? Ecclesia, ut diximus, usquequaque plena erat Deo gratias clamantium congratulantiumque vocibus.

CAPUT XXVI.

Contractus quidam in crypta episcopo Cameracensi præsente erigitur, et alter debilior cæteris a cubiculariis duobus delatus coram omni populo sospitati redditur.

Sicut ergo hunc Dei confessorem magnifice superius, sic et martyrem Christi operari manifestum fuit inferius. Nam eadem hora qua illic aderat memoratus episcopus, aderat et quidam eleemosinam ab eo postulans accipere, totis contractis artubus. Audita vero hujusmodi forinsecus operatione, postulabat se juvari ne impediretur illic se turbis comprimentibus pervenire. At episcopus: Noli, inquit, ne non pervenias diffidere, potens est Dominus eamdem tibi misericordiam per eadem merita sanctorum hic impendere. Quæ verba statim secuta est virtutis efficacia, nam restitutus ille peregrinus gressibus antiqua firmavit vestigia. Festinaverunt inde quidam ex cubiculariis ad regis palatium, irruerunt alter quisque post alterum. Quivis ergo posterior quasi novum id nuntiabat quod alius prior identidem edixerat. Domine rex, inquiunt, audi et intellige quid possit sanctus ille, quid nunc operatur magnifice; vere testamur hodie vidisse nos mirabilia, quæ ipse Deus operatus est per sui confessoris merita.

Cumquo necdum fidem dictis adhiberet archiepiscopus, fecit experiri factis hoc modo rem omnem diligentius. Cucurrerunt statim duo ex cubiculariis, et arripuerunt quem invenerunt jacentem in porticu debiliorem cæteris, non dissimilem illius, quem descripsimus in virtutum exordiis. Hunc deportatum coram sancti præsentia in pavimentum projecerunt, velut sarcinam, non se penitus movere valentem in parte altera. Videres illico divina virtute dissipati membra compingi, nervos stringi, jungi ossa, compleri viscera, valetudine firmari singula membra. Qui paulatim se suberigens apprehenso cornu altaris in pedes constitit, sicque formosus facie et habitudine alter quodammodo quam videbatur apparuit.

Hæc non nisi visa scribimus; quæ pariter viderunt millia populi ex diversis nationibus.

CAPUT XXVII.

Dum pro his pendet in dubio animus regis et archiepiscopi, quidam in præsentia ipsorum defert baculum paralytici curati sub attestatione capitis sui.

Nuntiata sunt hæc ita se habere regi et archiepiscopo, propter quæ pendebat eorum animus in dubio. Astitit interea in medio quidam, cujus nomen excidit, de curialibus, ostendensque pro teste baculum : En, inquit, hoc indicium virtutis accepi ab uno qui erat paralyticus, quem coram divinitus sanari et exsilire vidi utrisque pedibus.

Quis vero potest esse tam aversus a vero, tam mente captus, qui neget hæc omnia quæ vidimus, imo sine Dei nutu ac potestate administrari credimus. Non est meum, o rex, te fallere; si quid in hoc mentior, caput ex me accipe.

CAPUT XXVIII.

Cameracensis episcopus utriusque visa denuntiat, et regi exterrito archiepiscopus bonum restituit per baculum quem manu tenebat.

Dum ista dicuntur, et illa referuntur, cum necdum archiepiscopus quod injuste tenebat ad reddendum ullo modo flecteretur, Lietbertus Cameracensis

episcopus adveniens admissus est, quæ viderat verbis evidentibus coram elocutus est. Non est tibi, ait, utile sedendum, domine mi rex, quia quod tandem es facturus, credo serius quam velis facies, Noveris duos illos cœlestis imperatoris milites graves super te causas inter se agentes, et quia timeo tibi imminens periculum, nuntiaturus inde venio tibi sanum consilium. Sine mora, si non vis perire, quæ injuste tulisti sancto sua restitue. Adjungunt se huic tam episcopi quam duces cum cubiculariis, idem deprecantes fieri non fictis lacrymis.

Tunc rex his velut exterritus exurgens de solio, conversusque ad episcopum, Non amplius, inquit, differre possum id, ut video, nec enim in hoc tibi plus consentio. Quod a me non bene consulto accepisti, si vis, restitue, quoniam ei qui tam evidenter a me suum requirit, velis nolis, meum erit reddere. At ille, Quando quidem, inquit, sic Deo placet, nec aliter potest fieri (porrigit baculum quem tenebat); en, inquit, domine, bonum recipe quod dedisti.

CAPUT XXIX.

Rex vi suorum irrumpens in ecclesiam accepto baculo sancti bonum reddit, satisfactione humiliter facta, et contractus quidam erigitur eadem hora.

Procedens itaque rex de palatio stetit super gradus qui præeminebant in templo; persultabat ergo ecclesia vocibus gaudentium Deumque laudantium. Ipse autem admirans, Tarde, ait, ut reor, illuc perveniam, ut, sicut sancto placet, ei satisfaciam. Vix igitur, irrumpentibus ministris iter, per populi medium pervenit in præsentia, ubi fiebat opus divinitatis celeberrimum.

Accepto itaque statim a custode pastorali baculo sancti,

Stans, ait: En recipe quod reddo tuum tibi, sancte,
Ignoscendo mihi veniam concede roganti.

Sic rex, reposito baculo super corpus venerabile, confitens peccatum humiliato capite, regressus est celerrime, eadem, ut comperimus, hora, qua facta est sancto ab rege justitia;

Quidam contractus gressu stat sospite sanus.

Protinus ergo dantur Deo altissimo ab universis laudes et gratiæ, concinitque pariter clerus civitatis *Te deum laudamus* officiosissime

Quæ vel quanta miracula post hæc facta sint impossibile est cuiquam scribendo perstringere, ex quibus nonulla propter concursum strepitumque tumultuantis populi, ad nostri notitiam non potuerunt pervenire; ea tamen quæ vidimus, vel ab aliis visa fideli relatione didicimus, silentio præterire nefas putavimus.

ADNOTATIONES.

Procedens itaque rex de palatio stetit super gradus qui præeminebant in templo. Confirmat hanc satisfactionem et humiliationem regis Lambertus

A Schafnaburgensis his verbis: « Attonitis omnibus tantæ rei novitate, rex timore vehementisssimo correctus, ne, forte si cunctaretur, cœlestis in eum protinus ultio procederet, non solum ablata restituit, sed recentibus etiam donis pro munificentia regia magnifice cumulavit. »

CAPUT XXX.

Relatio quare Aquisgrani quondam deportatus nil simile fecerit, sed hic in sua sede pontificali.

Hoc etiam adjiciendum operæ pretium est huic operi, quod cum efficere non dissimiliter posse hoc alibi, vel in suo quo requiescit loco, aut quo similiter devectus est Aquisgrani palatio, maluit hoc effectum iri in sua quondam sede pontificali. Egit enim divina gratia digna recompensatione, ut ubi pro contemptu sæculi olim honores dignita-
B tesque reliquerat, eligens Deo arctius inhærere, illic magnificentius exiberetur ei honor et gloria Dei administratione.

Neque vero reticendum est hoc ejus patientiæ pietatisque exemplum quod eos, qui adversari sibi videbantur, in hoc jam plurimum magis beneficiis attraxerit quam qualibet plaga vel ultione meritos coercuerit.

CAPUT XXXI.

De matrona quadam ipsius urbis orbata, et lumini pristino restaurata.

Matrona quædam de ipsa civitate per multum tempus privata fuerat oculorum lumine, quæ ut ex voto pro se rogatura pervenit ad corpus venerabile statim ex divinæ clarificationis præsentia, detersa
C tenebrarum caligine, lux orbibus refulsit gratissima, ipsa pro hujusmodi munere divinitus adepto duos e familia sua tradidit sancto.

CAPUT XXXII.

De cæca nata et visui condonata.

Quædam item mulier ad hoc solemne miraculum deducta fuerat, cui lumen oculorum ex matris utero, ut ipsa fatebatur, natura negaverat; hæc orando fideliter cum cæteris, non casso promebat talia ab intimis cordis: Sancte Dei, pie et exaudibilis, qui tanta tamque mira deifice hic operaris;

Qui præstas aliis citius quæcunque rogaris;
Quem non nosco diem da cernere, pelleque noctem,
Quæ me tetra diu miseram possedit ab ortu.

Statim ut caput erexit cum oratione, aperti sunt
D pariter ocelli cum sanguinis profusione;

Nam virtus tetris splendens jubar intulit umbris
Mox et amica dies vacuos illuminat orbes.

Illa vero videns lumen insolitum, ut jure, laudavit lætissima medicum, ac pro teste hujus miraculi stillantem ob oculis cruorem protulit in aspectum populi.

CAPUT XXXIII.

De misero strumam habente in capite et sanato.

Cuidam misero struma creverat in capite, quæ intumescens aurem occupaverat cum facie, quæ pestis non minus misero videbatur incommoda,

quam erat omnibus visu turpissima. Hic ubi cum cæteris astitit coram sanctuario, repente disparuit omnis vitiosa illa inflatio. Nam his qui eum antea viderant intuentibus, non sine admiratione visa est remissa cutis suo loco æqualiter resedisse, nec quidquam ex eo morbo remansisse, præter cicatricem in capite.

CAPUT XXXIV.

De puella septenni paralytica et sanata.

Mulier filiam suam septennem, silicet paralyticam, illic deposuit, cujus fides filiæ salutem statim impetravit. Hi ergo qui Dei virtute sanatam puellam videbant erectam, super populum manibus offerebant, ac meritum confessoris Christi teste miraculo magnificabant.

Cum autem ignoraremus quæ esset virtutis hujus efficacia, mater prope assistens cum lacrymis exclamavit lætissima. Hæc ait, quam video, processit ex meo utero, de cujus paulo ante solo funere mihi erat exspectatio, quia ex omni parte præmortua, spiritu tantum palpitabat tenuissimo. Tunc vero tantus ab utroque sexu factus est clamor admirationis, ut non videretur posse finiri vox continuata cum lacrymis. Exsultabant enim omnes in laude Dei voce sine verbis, tanto sonitu quantum vix ferre posset auditus quilibet capabilis.

Videbatur præterea cuique foris advenienti repletam fuisse totam illam ecclesiam gloria et majestate Domini, ubi, delectabantur inhabitantes tanquam ex Dei præsentia suavitate inenarrabili, ut revera illic posset dici, sicut et dicebatur non immerito : *Dominus est in loco isto* (*Gen.* XXVIII). Ipso ergo die celebritatem hanc divinorum operum gavisa est et terra quodam modo se sentire non minus quam cœlum. Quæ enim tribus exactis mensibus non madueral aquis, herbis cum germine pene arescentibus, eadem nihilominus die divina operatione omnem virorem recepit largiter infusis imbribus.

CAPUT XXXV.

De clerico distortis pedibus ab ortu et sanato

Cum jam sol vespertinus ad occasum declinaret, et adhuc populus frequens in laudes Christi confessoris acclamaret, factum est aliud quoddam divinæ operationis mirificum, ad prædicandum ejusdem pii protectoris meritum. Ad illam venerationem salutiferam quidam clericus a patre est devectus, qui transversis vestigiis distortos pedes ab utero matris fuerat passus. Nec mora, visitatus est ab eodem medico in medio circumstantium, qui singulis, prout noverat competere, porrigebat ejusmodi medicamentum. Ille statim salutem se sensisse indicabat; sed ejusmodi res intuentibus non ad liquidum fidem præstabat, quia cum priori similitudine adhuc calcei pedibus hærebant.

De curia vero cubicularii ac plerique nobiles aderant, ipsi, discalceatis pueri pedibus, virtutem Dei admirantes Christique confessoris in ipso meritum efferentes magnificabant.

CAPUT XXXVI.

Altero mane facto consilium agitur, ut glorificatum corpus ad locum suum referatur.

Clauditur illa dies retinens per sæcula laudes,
Acta quies nocte, redeunt spectacula mane.

Requisivit ergo dominus abbas revehendo ad locum suum glorificato sancti corpore consilium a suis, et datum est sanum consilium minime reditum differri, ne postea id quod ex voto cesserat, quidquam nobis fieret impedimenti.

Igitur cum honestissima clericorum S. Lamberti cooperatoris, ut vere fatemur, earum virtutum tam processione quam pari devotione decessimus exsultantes ab illa civitate : erat autem vox una omnium in laudes Christi confessoris acclamantium :

Aveto, præsul agie, patrone noster inclyte,
Spes o tuis fidissima, nos tua juva gratia;
Tu lux decusque Galliæ, cum plebe clerum protege,
Cui posse scimus plurimum, cura languores criminum.
Huc te delatum plurimis effulsisse miraculis,
Hinc redire cum gloria tota congaudet patria :
Ad hujus cætu curiæ redduntur tibi gratiæ,
Quæ tota tuo ex nomine celebratur magnifice.

CAPUT XXXVII.

De statione cis Mosam facta et de puerorum scholarium laude nominatissima, et de ipsius loci traditione a possessoribus sancto firmata.

Nec minus his dignum videtur illud commemorandum quod, ad illorum similitudinem puerorum Dominicum *Hossanna* Redemptori proclamantium (*Matth.* XXI), in laudem quoque hujus sancti factum esse creditur, non tamen præter divinæ gratiæ placitum.

In redeundo itaque, transmisso amne, cum cis Mosam perventum esset in locis campestribus, stationem illic fieri ad audiendam missam impetravit a domino abbate omnis ille civium extraneorumque populus.

Interea facta mora, dum parabatur celebrari divinum officium, de tota civitate puerorum scholæ convenerunt tanquam ad ejus venerandi Patris obsequium, qui scandentes proximi montis cacumina, extulerunt voces, velut angelicas, per nubila. Nam dispertiti a se, quasi tribus per choros ordinibus, laudem Deo cecinerunt pro confessoris sui triumpho et Christi mirabilibus.

Introitum cantus magna vox laude tenemus,
Inde Crucifixum laudate in carne secundo,
Salve, festa dies, resonant hoc ordine laudes.

Non abs re ergo creditur æstimandum id actum esse quod nullius magisterii professio, vel humana suaserit suggestio ; sed hæc, sicut et alia, fieri destinaverit fideliter invocata sanctæ Trinitatis opitulatio. Nam sicut quod ante cecinerat Psalmista futurum, ita etiam credimus in Christo impletum, sic sane et in hoc sancto propter inimicos à Domino

manifestata perfectaque est laus ex ore infantium (*Psal.* VIII ; *Matth.* XXI).

Finitis itaque prædictis modulationibus, descenderunt acturi nobiscum divinorum mysteriorum celebritatem, quæ omnia completa sunt cum fidelium votivis oblationibus.

Eodem vero die, sancto tradiderunt locum, in quo facta statione quieverat, hi qui erant hæredes ejusdem cespitis, ejusque in honore pio perseverante solemni devotione plebis, fundamenta ecclesiæ statim jactata sunt ab accolis, quæ postmodum ad perfectum deducta crevit in opus divinæ servitutis.

ADNOTATIONES.

Fundamenta ecclesiæ statim jactata sunt ab accolis. Exstat adhuc hodie ecclesia parochialis prope portam et pontem Amaricordis, quæ ex miraculo illo ecclesia Sancti Remacli nominatur, non longe a montibus e quibus scholares laudes S. Remacli hic cecinisse scribuntur.

CAPUT XXXVIII ET ULTIMUM.

Ad propria læta regressio, Malmundarii revindicatio, et postremo manc Stabulaus tendentibus aviculæ ignotæ super scrinium sancti sessio, et ossium sanctorum suo loco repositio.

Inde digressi ad propria festinabamus læti ; ipso vespere Malmundarium protectorem nostrum atque triumphatorem detulimus. Quem locum cum triumpho nobili reacquisitum ipse per se revindicavit Pater legitimus.

Hunc, inquam, locum nunc æternaliter revindicavit, quem in initio, vepribus omnique spurcitia eliminata, primus incoluit, electumque sibi habitaculum divinis cultibus mancipavit, traditumque sibi a rege Sigiberto decentissime regendo tenuit, regendumque sua vice suis successoribus eatenus reliquit.

Revocatis ergo legitime tam monachis quam laicis sub ditione abbatis, ex ejus nomine, Stabulaus reversi sumus, potiti optata securitate.

Taliter ergo post innumerabilia divinæ virtutis miracula, victricia divini patroni nostri ossa suo loco sunt reposita.

Unde gaudeamus, tanti confessoris adepti patrocinium, qui nobis, cum deesset humanum, meritis suis divinum obtinuit auxilium.

Gaudeat etiam cœnobialis Pater noster, eatenus confectus mœrore diurno, cui ad hoc labor impensus nil profuit exacto amplius quinquennio.

Gaudeat, inquam, præter spem sibi provenisse tantam gratiam quam non potuit adipisci per humanam gratiam.

Non potentum ac principum juvit privata gratia nil ad hoc valuerunt humana consilia, nil profuit ad curiam frequens itus et reditus, nil præterea promovit huic exhaustus ærarius, nil auri vel argenti, quæ prima mortales ducunt, largitio facta justo profusius.

Gratia autem Dei solius per meritum sui confessoris, cum voluit, his finem imposuit miseriis.

Et nos in his finem facere cupientes, paulo cessandum ab hoc opere decernimus, ut si ad alia scribenda quæ post hæc apud nos per eum magnifice claruerunt intendimus, interim vires scribendi per otium reparemus.

FINIS.

Diploma quo antiqua controversia Malmundariensium contra Stabulenses sopitur.

LEO episcopus, servus servorum Dei, religioso abbati venerabilis monasterii S. Petri, sanctique Remacli Stabulao positi, tuisque successoribus perpetuam in Domino salutem.

Cum summæ apostolicæ dignitatis... *Reliqua vide inter epistolas S. Leonis IX, Patrologiæ tom. CXLIII.*

ANNO DOMINI MLXXXV.

SAMUEL MAROCHIANUS

EX JUDÆO CHRISTIANUS.

NOTITIA HISTORICA IN SAMUELEM MAROCHIANUM

(POSSEVINUS, *Apparatus sacer*, II, 190.)

Samuel, qui vulgo *Marochianus* cognominatur. Judæus, Fessanus patria, an. 1085 Toleti ad fidem Christianam conversus, scripsit libellum utilem de adventu Messiæ quem Judæi frustra exspectant (1). Multis autem rationibus probat Judæos esse in ira Dei, quodque pro gravi quodam peccato, in quo sunt, in hac gravi sint dispersione. Mox, de vana observantia legis eorum deque cæcitate, et quod peccatum illud maximum fuit quo Christum tradidere. Præterea, de duplici Adventu ipsius, deque Ascensione in cœlum ac

(1) In titulo editionis Argentinensis anni 1523 dicitur *magister synagogæ quæ est in Subjulmenta in regno Marochiano.*

reprobatione Judæorum. Deinde, de electione gentium, apostolorum autem loco prophetarum, et de electione sacrificii Christiani, rejectis omnibus Judaicis, ac tandem agit de cantu Christianorum, quem ostendit esse gratum Deo. Postremo, ex ipsis hostibus Mahometanis, et Alchorano Judæos confutat. Erat autem hic libellus, sive epistola ad quemdam rabbi Isaac missa, anno Domini millesimo, quam ex Arabico Latinam fecit Alphonsus Bonihominis Dominicani ordinis, ann. 1339.

RABBI SAMUELIS
MAROCHIANI
DE ADVENTU MESSIÆ PRÆTERITO
LIBER

(*Bibliotheca veterum Patrum*, tom. XVIII, pag. 518.)

ALPHONSI BONIHOMINIS
HISPANI
IN SUBSEQUENTEM SAMUELIS LIBRUM
Quem ex Arabico Latinum fecit
AD MAGISTRUM HUGONEM ORDINIS PRÆDICATORUM EPISTOLA.

Reverendissimo in Christo P. F. Hugoni, magistro ordinis Prædicatorum dignissimo, ac sacrosanctæ paginæ professori, ejus subditus frater Alphonsus Bonihominis, Hispanus, promissam obedientiam promptam in omnibus ac devotam.

Cum ego propter parvitatem meam et insufficientiam non sim talis qui vobis et pro vobis sciam vel possim aliquid magni facere, vel saltem assistere tantum in laboribus et curis vestris, quas pro nostra omnium quiete et totius ordinis pace in curia sustinetis ; ad solatium vestrum et aliquale sublevamen laboris, habens libellum antiquissimum, qui nuper casu fortuito devenit in manus nostras, et fuit antea tot temporibus occultatus, nova translatione de Arabico in Latinum per me interpretatum vobis transmitto. Sciendum autem quod inter Judæos multum gloriantur illi qui Arabicarum obtinent peritiam litterarum, tum quod illæ litteræ sunt in antiquorum philosophorum archivis scientiis copiosæ, tum quod in eis, utpote paucis Judæis et paucioribus Christianis notis, scribunt confidentibus secreta sua quæ volunt aliis occultare. Quæ etiam de causa, ut existimo, Judæus iste scilicet catechumenus auctor hujus libri, non ipsum in Hebræo sermone, sed in Arabico adnotavit. Sed oportet quod vel tarde vel cito occulta omnia revelentur juxta sententiam Salvatoris. Ego vero in transferendo ipsum auctoritates Bibliæ ab isto Judæo inductas scripsi in locis suis in Arabico pariter et in Latino, non prout in nostra habentur translatione secundum beatum Hieronymum, sed prout iste Judæus scripsit quando composuit istud opus. Et hoc feci ne aliquis posset mihi imponere, quod ego in textu præsumpserim aliquid addere, vel diminuere, vel immutare ; et super hoc erunt omnes qui sciunt Arabicum testes mihi. Et hoc dico quia Judæus iste nostram translationem non sequitur, ut audietis in processu. Me autem, ut credo, oportuit ipsum exponere in Latino prout ipse loquitur in Arabico, ejus modum loquendi quantum est possibile et ordinem observando ; alia non interpres ejus, sed corruptor libri sui, merito possem dici ; nec Judæi, si viderent ipsum librum in utraque lingua descriptum, tantum convincerentur per eum, si videant quod auctoritates in Latino ab hoc descriptæ Arabico discordarent. Sed cum solatio vestro, Pater et domine mi magister, hic est finis alius quem intendo. Conservet vos ordini nostro Dominus Jesus Christus per multa tempora in sua gratia et amore. Scriptum Parisiis per manum modici servi vestri Alphonsi in nomine Domini nostri misericordissimi, in quo speramus.

RABBI SAMUELIS PRÆFATIO.

SAMUEL Christianus (2), ISAAC Israelitæ S. Conservet te Deus, o frater, et permanere te faciat usquequo terminetur ista nostra captivitas, et congregetur ista nostra dispersio, et appropinquet spes nostra, et signet Deus beneplacitum suum super vitam nostram. Amen. Novi et expertus sum quod plenitudo scientiæ nostri temporis est in te, et tu es spes nostræ certificationis in dubiis Legis et A Prophetarum, cum tuis expositionibus gloriosis. Unde ego particeps tuæ doctrinæ fieri desiderans, tibi expono exitus [æstus] cordis mei super illis quæ Legis sunt et Prophetarum, super quibus anxior cum timore. Quapropter recurro ad abundantem scientiam tuam et sapientiam, et mitto tibi libellum istum, sperans per te, Deo volente, in veritate confirmari ac in dubiis declarari.

RABBI SAMUELIS
MAROCHIANI
DE ADVENTU MESSIÆ QUEM JUDÆI TEMERE EXSPECTANT
LIBER

Scriptus post annos 1000 *ab ultima eversione Hierosolymæ sub Tito imp., id est post annum* 1072 *a Natali Domini.*

CAPUT PRIMUM.

Quare Judæi sint in ira Dei.

Desidero, domine mi, certificari per te, et testimoniis Legis et Prophetarum, et aliarum Scripturarum, quare nos Judæi generaliter percussi sumus a Deo in captivitate ista, in qua sumus, quæ potest vocari proprie ira Dei perpetua, quoniam non habet finem. Nam modo sunt mille anni completi, et ultra, quod per Titum fuimus captivati. Nos scimus quod patres nostri adoraverunt idola, et occiderunt prophetas et legem Dei abjecerunt; et propter omnes istas transgressiones, Deus non percussit eos captivitate, nisi par septuaginta annos in Babylonia, et post tempus præfatum placatus est eis, et reduxit eos in teram suam. Et, secundum Scripturam, ira Dei fuit tunc temporis validissima super omnes iras, quas ante tempora illa commemorat Scriptura, et tamen, ut dictum est, pæna tantorum peccatorum non fuit nisi septuaginta annis. Et nunc, domine mi, ira Dei quæ in præsenti punit nos non habet terminum, nec finem in Prophetis. Si voluerimus dicere quod ista præsens ira in qua sumus sit adhuc illa ira propter quam fuit illa captivitas septuaginta annorum, quia tunc complete satisfactum est de peccatis prædictis per illos patres nostros, nos facimus Deum mendacem, quod absit, quoniam ipse Deus verus et gloriosus illi captivitati imposuit præfatum terminum per prophetas, scilicet septuaginta annos. Unde talis non est responsio, sed evasio, seu excusatio, nec esset coram intelligentibus proponenda; et si dixerimus quod Deus in illa transmigratione misertus est unius partis generis nostri, et non alterius, et illos quorum misertus est reduxit ad reædificandum templum, ut dicit propheta Jeremias, et quod nos sumus de illis quorum non est misertus, B tunc dicent nobis Christiani quod Deus misertus est eorum qui adoraverunt idola, et qui occiderunt prophetas, ergo et nobis, quia nos non peccavimus. Item in patribus peccatoribus fuit pœna divinæ ultionis in certo termino, quare ergo nostra pœna esset sine termino, qui non peccavimus? Itaque longa est et sine termino pœna in qua sumus, modo jam sunt mille anni, nec in lege nec in Prophetis hujus pœnæ terminum possumus invenire. Quare, domine mi, cum Deus punierit patres nostros propter idololatriam et propter interfectionem prophetarum, et pœna et culpa sint notæ in Scriptura, cum Deus non punit bis idipsum, pro peccatis illis præteritis fuit pœna, scilicet captivitas septuaginta annorum. C Et cum Deus non punit universaliter nisi propter universale peccatum, oporteret quod post illam captivitatem nos peccaverimus omnes coram Deo peccato majori quam fuerit idololatria primorum parentum, et quam fuerit interfectio prophetarum, ex quo Deus pro illis peccatis punivit patres nostros septuaginta anni et non amplius, et nos punivit, jam sunt mille annis et ultra, et punit: dispersit nos per quatuor partes mundi. Tamen quidquid contingat, Dei sumus in omni eventu, quia nulla est excusatio super dicta. Responde.

CAPUT II.

Probat quod, pro quodam gravi peccato in quo sunt, sint in hac dispersione, et arguitur contra eorum D *observantiam Legis.*

Supposito igitur, domine mi, quod sumus in peccato aliquo maximo, rogo nunc quod certifices me, si postquam Deus dispersit nos de Jerusalem et misit in captivitatem istam longissimam seu perpetuam, propter illud peccatum, auctoritate nostra et propria voluntate sine speciali mandato Dei, cur nos

(2) Judæus tamen adhuc librum suum scripsit.

in captivitate ista non incœpimus observare circumcisionem, et Sabbatum, et alias cæremonias quas tenemus secundum legem Mosi. Nam nos cognoscimus quod a tempore quo Titus destruxit civitatem sanctam, et templum combussit et bibliothecas, et nos in captivitatem istam dispersit, et ex tunc cessavit inter nos vigere sacrificium, oblationes et holocausta, et Deus non promisit nobis postea, per prophetiam, nec per revelationem aliquam certam, quod nos deberemus redire aliquando in Jerusalem in statu pristino, nec mandavit nobis postea quod observaremus observantias prædictas. Videtur ergo sequi quod nos non a Deo, sed ab aliis qui erant in ira Dei observantias prædic..s accepimus et tenemus. Et videtur quod juste dicent nobis abversarii nostri ; Sicut vos observatis circumcisionem et Sabbatum et legitis in synagogis libros Mosi et prophetarum sine mandato Dei, quare non assumitis vobis similiter et sacrificium et non facitis vobis sacerdotem, et regem, et principem, et unctiones sanctas et incensum, et quare non ædificatis vobis altaria, et servatis cæremonias et omnia alia quæ sunt in Lege contenta, si Sabbatum, et circumcisionem, et plura alia quæ observatis secundum traditiones vestras sine mandato Dei propriâ voluntate, ex utraque parte curritis in offensam Dei ? Et si hæc prædicta facitis contra voluntatem Dei, vel si dicitis quia voluntas Dei est quod hæc servetis, et bene placitum, quod tamen ostendere non potestis, quare non observatis supra dicta alia, quorum multa facere potestis? Et si non permittunt vos facere reges populi sub quibus jacetis, permittent tamen vos multa alia facere, sicut permittunt circumsionem et libros et synagogas, et alia quæ servatis. Et ad hæc, domine mi, non est nobis in promptu responsio sufficiens, ut videtur. Sumus tamen Dei in omni eventu.

CAPUT III.

Quomodo omnis observantia legis Judæorum non est acceptabilis Deo propter peccatum in quo sunt.

Invenimus, domine mi, Deum loquentem per os Zachariæ, et dicentem, ubi loquitur de illa prima captivitate brevi ; « Hæc dicit Dominus Deus sacerdotibus et populo terræ : Quando jejunastis et plorastis in sexto et septimo toto tempore septuaginta annorum, intellexistis quod jejunaretis ad me, aut ploraretis, ego tale jejunium nolui a vobis (*Zach.* VII). *Nostra autem translatio aliter se habet, sed ego scribere propono, sicut jacent in Arabico auctoritates quas Samuel iste adducit, non sicut sunt in nostra Biblia.*) Innuit Dominus, domine mi, in prædictis verbis quod dum nos Judæi fuimus per septuaginta annos in dicta captivitate, fuimus sine lege, quia jejunium non habuimus, neque habemus a lege sicut alias observantias, et similiter fuimus sine circumcisione et sine Sabbato, et sine dubio omnia hæc non valent, dum ira Dei manet super populum suum. Illa vero prima ira Dei fuit brevis, quia septuaginta annorum ; ista quidem in qua nunc sumus, est longa jam mille annorum et ultra, et non invenitur ei terminus in Prophetis, et timeo, Domine mi, quod, sicut Deus misit in captivitatem illam brevem patres nostros sine lege et sine observantiis nec acceptavit jejunia, nec observantias legis eorum, quousque fuit completum tempus pœnæ ipsorum, scilicet septuaginta annorum, sic in ista captivitate ultima non acceptet opera quæ fecimus secundum observantias legis. Quare constat quod nostri sumus in majori peccato nunc quam patres nostri fuerint in Babylonia. Unde nos sumus in majori ira Dei quam illi essent, et per consequens opera sunt ei minus placita, et nos sumus ei magis odiosi. Et patet quod illi propter mortem prophetarum et quia idola coluerunt, fuerunt tantum septuaginta annis in captivitate ; et nos propter magnum peccatum et maximum sumus captivi. Jam sunt mille anni, et ultra. Et hæc captivitas, domine mi, sine dubio est illa quam Deus per os Danielis prophetæ vocat desolationem, cum dicit: « Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, etc. (*Dan.* IX). » Prima captivitas vocatur transmigratio, Quia post modicum tempus fuerunt reducti cum honore in Jerusalem. Sed hæc vocatur desolatio perpetua, in qua pro certo non miserebitur nostri, sicut non miserebatur patrum nostrorum in Babylonia, excepto quod consolabatur eos per prophetas, qui promittebant illis liberationem, et erant omnes simul; nobis autem nihil promittitur, et insuper dispersit nos per universa regna mundi. Attamen quidquid contingat, Dei sumus in omni eventu.

CAPUT IV.

Ostendit quod Judæi sunt cœci.

Domine mi, valde mirabile est mihi de nobis. Speramus enim quotidie liberationem de captivitate ista, et semper de hoc loquimur, et semper loquimur de reductione nostra ia Jerusalem, et ideo sumus cæci vel deceptores simplicium. Nam constat quod post dispersionem nostram quæ facta est per Titum, non apparuit in nobis propheta qui nobis promitteret reductionem, nec etiam post captivitatem septuaginta annorum fuit propheta qui loqueretur de ista captivitate quæ non habet finem nisi in fine mundi. Nec liberationem habet nisi per consummationem sæculi, quia Daniel vocat desolationem sine fine (*Dan.* IX). Unde timeo, domine mi, quod, cum tanta captivitas non possit manere super totam gentem nostram a Deo, nisi propter maximum peccatum in Deum ; quod majus est quam interfecisse prophetas et adorasse idola, propter quæ peccata patres nostri fuerunt puniti ; quod, sicut Deus non miseretur nostri in vita, cum in eodem peccato perseveremus, sic etiam non miserebitur mortuis ex nobis. Attamen sumus Dei in omni eventu qui evenerit.

CAPUT V.

Quod Judæi decipiunt alios et seipsos.

Domine mi, videtur quod decipiamus alios et nos

ipsos, quia in libris legum et prophetarum habemus Deum promittentem nostræ genti liberationem et congregationem de dispersione multipliciter. Sed bene advertenti omnes promissiones quas habuimus, vel fuerunt completæ ante captivitatem septuaginta annorum et in ipsis septuaginta annis, vel promissiones fuerunt propter peccata illorum quibus promissiones factæ sunt totaliter impeditæ, sicut propono coram te, domine mi, exempli gratia, ista pauca dicuntur in Ezechiele : « Si feceritis justitias meas, et mandata mea servaveritis, congregabo vos de quatuor partibus mundi, et levabo vos, et adducam vos per mare, et reducam vos in domum sanctam vestram (*Ezech.* VI). » Ecce quod id quod Dominus nobis promittit per Ezechielem in prædictis verbis et aliis locis libri ejusdem prophetæ, jam completum est ante illam captivitatem septuaginta annorum. Ut omnes promissiones Domini tales majores et minores, quæ in diversis locis sacrorum librorum continentur, completæ fuerunt antequam caderemus in istam ultimam captivitatem quæ non habet finem, modo jam sumus in millesimo anno, et ultra, nec in aliquo libro prophetarum ejus terminum invenimus, nec ulla Dei promissio, ubi agit de liberatione et congregatione, intelligitur de ista captivitate perpetua, sed de illis tribulationibus et dispersionibus, ante dictos septuaginta annos, nec postea congregatio de dispersione promissa est nobis. Unde oportet quod post illos septuaginta annos commiserimus illud peccatum magnum, propter quod Deus sine termino punit nos; in quo peccato sumus et manemus omnes, aliter Deus misericordiam suam non continuisset in nobis ira tam longa. Nam videmus per Scripturas quod omnia peccata quæ commiserunt patres nostri ante septuaginta annos prædictæ captivitatis punita fuerunt, et de multis exempla hæc pauca induco. Peccaverunt patres nostri, ante illos septuaginta annos, qui exiverunt de Ægypto; et promissio, eis facta, in eis locum non habuit, sed in peccatis suis in deserto mortui sunt (*Jos.* V). Peccavit enim Moses ad aquas contradictionis, et terram promissionis non meruit (*Deut.* XXXII). Peccavit ipse Aaron, et portavit pœnam (*Num.* XX). Heli sacerdos peccavit, et ruptis cervicibus exspiravit (*I. Reg.* IV), et posteritas ejus sacerdotio privata est, et tamen Deus promiserat sacerdotium in æternum. Sed hujusmodi promissa intelliguntur semper, nisi propter peccata non mereantur accipere, ut patet in regno David, quod carnalis posteritas ejus privata est regno. Sicut etiam Deus verus et gloriosus promisit Abrahæ et semini suo terram illam in æternum possidendam, et frequenter perdiderunt eam propter peccata sua, et frequenter restituit illis Dominus usque ad ultimam vicem qua perdiderunt. Jam sunt mille anni; et ultra, et jam non est spes recuperandi eam, quia manemus omnes in eodem peccato, propter quod terram nostram perdidimus. Et, domine mi, multum mirabile est, cum omnes concordemus quod oportet quod post captivitatem septuaginta annorum in Babylonia peccavimus contra Deum maximo peccato, et tamen nullus est qui dicat quod id est peccatum propter quod incurrimus tanta mala. Et si aliquis nostrum cognoscat nostram causam, et peccatum, propter quod incurrimus tanta mala, nullus tamen id aperit proximo suo, nec ipsemet qui cognoscit in suam convertit utilitatem, sed omnes jacemus prostrati. Et videmus manifeste quod in prædicta captivitate septuaginta annorum erat Deus cum patribus nostris in prophetis, id est, Jeremia et aliis prophetis, et dedit eis Salathiel ducem, et principes, et sacerdotes, cum quibus exiverunt de Babylone, peracta pœnitentia, et, placato Deo, ædificaverunt Jerusalem, et templum, et alias civitates, et effudit Deus super illos misericordias suas copiose. Et tamen in ista captivitate nullus propheta nobiscum est, nec Deus, ut apparet. Igitur, domine, inquiram et non cessabo quærere quod peccatum id est tantum, propter quod sumus in hac captivitate mille annis, et ultra, nec habemus prophetam, nec regem, nec sacerdotem nec altare, nec sacrificium, nec unctionem, nec incensum, nec purificationem, imo facti sumus abominabiles toti mundo, sicut Deo, et contemptibiles; in solo corde tantum nostro regnat superbia, quia nos ipsa præferimus toti mundo. Et quod super hoc sentio pandam tibi, domine. Nec minus, quidquid evenit, nos Dei sumus.

CAPUT VI.

Quod sit illud peccatum propter quod Judæi sunt in hac captivitate.

Nunc ergo, domine, paveo quod id peccatum propter quod sumus in hac desolatione, et in hac captivitate ista, sit illud peccatum super quod locutus est Deus per prophetam Amos cum dicit sic : « Super tribus sceleribus Juda convertam vel transferam Israel, et super quarto non transferam (3) eos, quoniam vendiderunt justum pro argento (*Amos*, II). » Et nos, domine mi, secundum doctrinam nostram dicimus quod iste justus fuit Joseph filius Jacob, qui fuit venditus a fratribus suis in Ægypto, et hoc tenerem ego, nisi quia sermo divinus ponit istud peccatum venditionis quartum in numero peccatorum seu scelerum Israel. Ipsi etiam Christiani quibus sanctorum librorum studium videtur esse traditum a Deo respondent doctrinæ nostræ prædictæ, et dicunt quod primum in quatuor sceleribus Israel est venditio Joseph a fratribus suis. Et secundum peccatum sive scelus, assignant adorationem vituli in Horeb. Et tertium scelus occisionem prophetarum, propter quod fuimus captivati in Babylonia septuaginta annis. Et dicunt quod quartum scelus Israel fuit venditio justi, scilicet Jesu, qui ad litteram fuit venditus, post transmigrationem præfatam septuaginta annorum. Et si nos, domine, volumus

(3) Ibi in Biblia nostra est *convertam*, hic habet *transferam*, et est ad propositum ejus magis.

tenere præfatam doctrinam nostram, et respondere Christianis, oportet quod nos assignemus in Israel ante venditionem Joseph varia scelera præcessisse, ut ipsa venditio Joseph sit quartum scelus. Sed hæc non poterimus sustinere, quia testimonium libri Genesis est contra nos, qui venditionem Joseph ponit primum scelus filiorum Israel. Et propheta Amos ponit expresse quartum scelus venditionem justi, propter quod fuimus in captivitate, de qua loquitur Deus, comminans quod non reducet nos ultra in terram promissionis, cum dicit: « Et super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt justum pro argento (*Amos* II). » Et manifeste apparet mihi quod nos, super illo peccato quarto venditionis justi, juste sumus puniti; jam sunt mille anni, et ultra, in quo tempore nil proficimus inter gentes, nec est spes proficiendi amplius.

CAPUT VII.

Quod justus Jesus, Christianorum Deus, injuste venditus.

Expavesco, domine mi, et timeo quod iste Jesus quem colunt Christiani sit ille justus venditus pro argento secundum Amos prophetam. Et timeo quod de ipso sunt hæc quæ mihi occurrunt testimonia prophetarum, et illa eadem in doctrina sua valde aperte applicant Christiani. Isaias propheta dicit: « Væ genti peccatrici, filiis sceleratis, quoniam ipsi elongaverunt se a Deo, et blasphemaverunt sanctum ejus et inclinati sunt retrorsum (*Isai.* I). » Item idem propheta dicit: « Quasi ovis ad occisionem ductus est; qui non aperuit os suum (*Isai.* LIII). » Item dicit: « Vir habens dolorem et sciens infirmitatem (*ibid.*) » Item: « Fuit despectus et propter hoc non reputavimus eum; ipse enim oblatus est, quia ipse voluit (*ibid.*). » Item: « De angustia judicii depositus est, generationem ejus quis enarrabit (*ibid.*)? » Item: « Propter culpam populi mei transfixi eum, et dabit injuriatores pro sepultura et divites pro morte sua (*ibid.*). « Et timeo, domine mi, quod injuriatores fuerunt patres nostri et divites, Pilatus, et Herodes, et Anna Caiphas, sicut dicit propheta David: « Consurrexerunt omnes reges terræ et majores, et contra Deum et contra Christum ejus (*Psal.* II). » Reges scilicet prædicti; majores, scilicet patres nostri. Et timeo, domine, quod iste Jesus sit ille commutatus et venditus pro argento, de quo loquitur Zacharias propheta, et Amos et alii prophetæ. De quo etiam loquitur Isaias propheta: « Deponet omnes inquitates et orabit pro infidelibus (*Isai.* XIII). » Timeo ego, domine mi, quod iste Jesus sit ille justus de quo dicit David: « Delectati sunt in animam justi et sanguinem innocentem condemnabunt, et propter hoc destruet eos Deus, et disperdet illos Dominus Deus noster (*Psalm.* XCIII). » Et timeo, domine mi, quod iste sit ille justus de quo loquitur Jeremias, cum dicit: « Homo est, et quis est qui intelligit eum? » Item Jeremias in Threnis: « Species vultus nostri, Christus Deus captus est pro peccatis nostris. Cui diximus: In umbra tua vivemus inter gentes (*Thren.* IV). » Timeo etiam, domine mi, quod iste sit ille justus de quo dixit Deus per os Zachariæ prophetæ: « Dicetur enim in illa die: Quæ sunt istæ plagæ in palmis tuis. Et respondebit: Plagatus fui in medio domus meæ inter illos qui dilexerunt me, et levavit ensem pastor meus supra me (*Zach.* XIII). » Idem: « Aspicient ad me die illa, et illum quem transfixerunt, et plangent super illum quasi planctum unigeniti (*Zach.* XII). » Timeo etiam, domine mi, quod iste fuit justus ille de quo dicit Habacuc; « Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, etc. (*Habac.* III). » Et concordat Evangelium Christianorum, ubi narratur mors Jesu, et dicitur: « Cum autem venissent ad Jesum, invenerunt eum mortuum, et misit unus ex eis lanceam suam, et transfixit (*Matth.* XXVII). » Paveo, domine mi, quod iste sit justus de quo dicit Habacuc: « Egressus es, Domine, salvare populum tuum cum Christo tuo (*Habac.* III). »

CAPUT VIII.

Quomodo post occisionem facta est dispersio Judæorum secundum Danielem.

Expavesco, domine mi, super his: Quis fuit iste justus sine peccato, de quo loquitur Isaias propheta; et quis sit ille justus venditus pro argento, propter quod dicit dominus per Amos prophetam, ubi supra, quod in testimonium parti sceleris non transferet eos in terram promissionis amplius. Videtur etiam, domine mi, quod completum est, quod scribit Daniel, IX capite, ubi dicit: « Postquam consummatæ fuerunt sexaginta duæ hebdomadæ, occidetur Christus, et tunc veniet populus cum principe venturo, et destruet civitatem, et domum comminuet, et condemnabunt eam, et auferetur sacrificium, et consummabitur destructio perpetua (*Dan.* IX). » Et non est dubium, domine mi, quin destructio desolationis perpetuæ sit captivitas ista in qua sumus, jam sunt mille anni. Et aperte dicut Deus per prophetam quod erit desolatio perpetua post occisionem Christi sicut est desolatio nostra postquam Jesus fuit occisus, nec comminatus est Deus nobis perpetuam desolationem, nisi per occisionem Christi. Et si voluerimus discere quod ante mortem Jesu fuimus in desolatione, ad hoc respondent nobis Christiani quod ante mortem illam non fuit desolatio, nisi septuaginta annis, et post hoc fuimus apud Deum in gratia et honore. Certe domine mi, ego non video evasionem contra prophetiam istam, quia de facto isto probatur nobis quod postquam a reædificatione fuerunt completæ septuaginta duæ hebdomadæ supra annos, qui sunt anni CCCCXXXIII, tunc fuit Jesus occisus a patribus nostris, et postea venit dux, scilicet Titus et populus Romanus, et fecerunt nobis secundum prophetiam istam, hodie sunt mille anni et ultra, et nihilominus si in ira Dei sumus, et tamen in ipso speramus. Et si dicamus quod Christus venturus est et nondum venit, et rehabebimus terram promissionis, et reædificabimus civitatem et habebimus gratiam Dei et honorem in terra nostra,

et ista dissolutio non perpetua. Respondebunt Christiani quod adhuc ergo manet nobis occisio Christi, et adventus Titi, et populi Romani, et desolatio pejor ista in qua jam fuimus per mille annos. Heu, domine, non excusatio nec evasio consona!

CAPUT IX.

Quod duo sunt adventus Christi.

Timeo, domine mi, quod Christus jam venit, et jam adimplevit primum adventum suum, quia in Scripturis nostris invenimus duplicem ejus adventum. Primus adventus Christi describitur in Prophetis in paupertate et humilitate; secundus in gloria et majestate. Et de utroque adventu proponam illa quæ mihi occurrunt. De primo adventu dicit Deus per os Zachariæ : « Lætare, filia Sion, ecce præceptor tuus venit pauper, equitans asinum (*Zach.* IX). » Et in isto adventu describit eum Isaias despectum (*Isai.* LIII), Daniel occisum (*Dan.* IX), Zacharias et Amos venditum (*Zac.* IX), et tamen jam fuerunt completa (*Amos* III) quæ in libello descripsit et describam, Non reputavimus eum, id est, non cognovimus eum, sicut dixit Isaias propheta (Isai. LIII), sed despeximus eum et prævaluimus contra eum. Sed gloria ejus et majestas erit manifesta in secundo ejus adventu, quando ignis et flamma præcedet eum, et exardescet, et inflammabit circuitu inimicos ejus (*Psal.* XCIII), sicut dicit Deus per os prophetarum David et Isaiæ. Et timeo, domine mi, quod Christus non judicabit aliter quam cum igne ad mortem quia nos interfecimus omnes prophetas qui annuntiaverunt nobis de ipso. Deus testificatur contra nos per os Eliæ prophetæ quarto libro Regum. « Et sic interfecimus illum justum, propter quem sumus in ira Dei sine fine. » Attamen Dei sumus.

CAPUT X.

De primo adventu Christi.

Timeo, domine mi, Deus describit apte duos adventus Christi per os Isaiæ prophetæ, cum dicit : « Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini (*Isai.* LI). » Bis dicens « Consurge, » propter ejus duplicem adventum. Et sigillatim clare primum Christi describit adventum quantum ad passionem et dejectionem, cap. quinquagesimo et quinquagesimo tertio per totum. Et specialiter cum dicit : « Vidimus eum et non erat aspectus et species, neque decor, etc. (*Isai.* LIII). » Primum ejus adventum ponit Isaias, cum dicit : « Parvulus natus est nobis (*Isai.* IX). » Et statim subjungit secundum ejus adventum, cum dicit : « Et vocabitur fortissimus gigas, potens, super thronum David sedebit, ut confirmet illum ab initio usque in æternum (*ibid.*) » Zacharias autem propheta describit eum pauperem et sedentem super asinum (*Zach.* IX). Et quid aliud est hoc, nisi quod propheta describit primum adventum in humilitate, et secundum in potentia et majestate? Sic enim describit eum Daniel circa medium, ubi dicit : «Considerabam vel aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi filius

A hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit eis potestatem et honorem et regnum, omnes populi, tribus ac linguæ adorabunt eum et servient ei (*Dan* VII). » Hebræus habet : « Tribus ac linguæ honorabunt eum, et non deficiet potestas ejus, quia non auferetur, et regnum ejus manebit in æternum. » Nostra autem translatio habet. « Tribus ac linguæ servient ei, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur; alias, et non deficiet potestas ejus; alias potestas ejus in æternum, et regnum ejus manebit in æternum, alias, non corrumpetur. » Et manifestum est, domine mi, quod in secundo adventu sedebit Christus ante Antiquum dierum, qui est Deus ad judicium, sicut sedit in

B primo adventu ante patres nostros, Judæos, ut judicaretur. Et istos duos adventus Messiæ, id est Christi, innuit propheta David in psalmo cum dicit: « Quia venit, quoniam venit judicare terram (*Psal.* XCVII). » Propter primum ejus adventum qui fuit simplex, dicit : *quia venit;* propter secundum vero quia erit cum potentia, dixit, *quoniam venit judicare terram.* De secundo ejus adventu loquitur Zacharias cum dixit : « Impriment vestigia pedes super montem olivarum, etc. (*Zach.* XIV). » Et nos, domine, non dicimus quod Deus in essentia sua et natura habet pedes, nec carnem, nec ista quæ corporis sunt, sed habere pedes convenit omni creaturæ corporeæ. Dicit etiam David propheta quod supra allegatum est, loquendo de secundo ejus ad-

C ventu : « Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus inflammabit (*Psal.* XLIX). » Sed, domine, non dicimus quod Deus sit circumscriptus, quod aliquid posset esse in circuitu ejus, in quantum Deus; sed auctoritates similes habent veritatem ad litteram in illo justo quem prophetæ describunt, nunc loquentes de ejus humilitate, nunc de ejus majestate, et de hoc loquitur Malachias cum dicit : Ecce Dominus venit, et quis poterit stare ante adventum ejus? ipse enim quasi ignis conflagrans et sedebit et liquefaciet argentum et aurum (*Mal.* III). » Ecce qualiter justus ille qui fuit judicatus, veniet in secundo adventu. Et attende, domine mi, qualiter describit eum ibidem propheta in eodem capite, cum dicit : « Tunc ergo veniam et intrabo in judicio ad

D eos, et ero testis verax super adulteris, et malis, et perjuris, et super illos qui defraudant mercedem mercenarii, et qui spoliant pupillos et viduas, et opprimunt peregrinum et pauperem (*ibid.*) » Et idem, domine mi, describit Ezechiel cum dicit ubi loquitur de pastoribus et ovibus, dicens : « Ego separabo ab eis, scilicet a justis, trangressores et incredulos (*Ezec.* XXXIV). » Hæc non habet translatio nostra, sed in Arabico dicit sic : O domine mi, ecce quod in secundo adventu separabit incredulos in medio justorum, sicut etiam dicunt Malachias et Ezechiel clare. Et primo adventu nemo nostrum cognovit eum, quia exiverat limites humanæ naturæ

Sicut dicit Deus per os Esaiæ prophetæ : « Et inter iniquos computatus est, et propter hoc non reputavimus eum (*Isai.* LIII). » Et Jeremias dicit : « Ipse est homo, et quis scit eum ? » Et timeo, domine mi, quod patres nostri in primo adventu Messiæ defecerunt, et erraverunt, et propter hoc sumus in ista captivitate, quæ non habet finem. Et tamen quidquid contingat, Dei sumus, et in ipso speramus.

CAPUT XI.

De secundo adventu Christi cum potentia judicaturi.

Domine mi, paveo ne iste justus judex sit ille qui judicaturus est cum potentia in adventu secundo, et qui fuit Salvator in adventu primo omnium qui crediderunt in eum, quoniam propheta David dicit de illo : « Notum fecit Dominus salutare suum, et in conspectu gentium revelavit justitiam suam (*Psal.* XCVII). » Adhuc dicit Isaias : « Haurietis aquas de piscinis Salvatoris (*Isa.* XII). » Quod dictum, secundum videre meum, intelligo de baptismo. Nam in primo adventu salvavit per aquam, et in secundo judicabit per ignem. Et de isto Salvatore dicitur, domine mi : « Scio quod Salvator meus vivit, et in novissimo diæ de terra surrecturus sum et in carne mea oculi mei videbunt Deum meum (*Job.* XIX). » Attende, domine mi, quod vocat justum Salvatorem Deum, constat autem quod oculi carnis non videbunt Deum. Ecce habemus secundum Scripturas quod Salvator est ille Deus justus, de quo est sermo, et solus potest dici verus justus, quoniam nullum peccatum fecit, secundum quod de illo Deus testificabitur per os Isaiæ prophetæ : « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isai* LIII). » Nec de Mose, nec de aliquo prophetarum dicitur, quod sit Salvator justus et sine peccato, quia Moses peccavit, et omnes prophetæ peccaverunt, sicut vos scitis, domine mi. Et idcirco nullus eorum vocatur justus in Scriptura, sed illud nomen isti soli servatur. Et sine dubio, non salvantur, nisi hi qui credunt primum adventum suum; et illi qui non credunt, non habent causam aliquam quod salventur in secundo adventu ejus, sed digni sunt morte. Quia digni erant morte illi qui non credebant Mosi, et non obediebant ei qui fuit peccator, quanto magis digni sunt igne illi qui non credunt, et blasphemant justum et Dominum qui peccatum nescivit unquam? (*Isa.* LIII). Quidquid tamen eveniat Dei sumus nos.

CAPUT XII.

De ascensione Christi.

Domine mi, nos invenimus in Scripturis quod Christus exaltabitur de terra ad cœlum, et ego timeo quod illud sit completum in isto qui fuit interfectus a patribus nostris, et de ista exaltatione dicit David propheta in psalmo : O magnates, aperite portas principatus vestri, et elevamini, portæ æternales, et introibit princeps gloriæ (*Psal.* XXXII). » Et attende, domine, quod respondent illi : Quis est iste princeps gloriæ?» et ipse respondebit illis : «Dominus virtutum fortis in prælio (*ibid.*). » Et constat, domine mi, quod justus iste Dominus virtutum, non habuit prælium, nisi in primo adventu suo, quia quando sedebit ad judicandum ignis in circuitu ejus exardescet et inflammabit in circuitu inimicos ejus, et conflagrabit justos per ignem quasi argentum (*Psal.* XLIX); et hoc ultimo ejus adventu. Nullus autem præliabitur contra illum, nec locus erit pugnæ. Adhuc de justi hujus exaltatione dicit Isaias : « Quis est iste qui venit de Edom de terra, rubens, vestimentis ejus de Bosra, sicut ille formosus in stola; et respondet his justus iste : Ego qui loquor justitiam, sum expugnator ad salutationem, et dicunt ei Angeli : O domine, quare rubrum est vestimentum tuum sicut calcantis torcular? Respondet, dicens : Torcular calcavi solus, et non erat vir mecum (*Isai.* LXIII). » Vide, domine mi, quam proprie loquitur Isaias, et timeo quod hujus justi responsio non tangat nisi nos, cum dicit : « Calcavi eos in ira mea, donec aspersus est sanguis eorum super indumenta mea, et inquinata sunt omnia vestimenta mea. Sed dies ultionis in corde meo, et annus tribulationis meæ venit (*ibid.*)» Quantum ergo sperare possumus in justo isto, domine mi, ubi scimus ipsum de nobis angelis fuisse conquestum in cœlo et notificavit eis quod ipse calcaverit torcular solus. Et quid aliud calcavit in ira sua, nisi nos qui, post bellum quod habuit in primo adventu suo, prostrati sumus ab eo, et calcati; jam sunt mille anni, et adhuc restat dies ultionis in ultimo ejus adventu, et annus retributionis in corde suo. Utinam, domine mi, quando interfecimus Isaiam, delevissemus istam auctoritatem prædictam de prophetia sua, quod nunquam legeretur ab aliquo. Et ecce quod David vocat bellum, cum dicit : «Dominus virtutum fortis in bello (*Psal.* XXXII). » Hoc Isaias vocat torcular. Heu, domine mi, nos bibimus mustum illud, de quo etiam dicit Jacob patriarcha, et propheta, ut habetur in libro generationis creaturarum de Juda : « Lavavit stolam in sanguine (*Gen.* XLIX).» Scillicet uvæ, sicut est factum in nobis in primo adventu Messiæ; sed quid faciemus in adventu ejus ultimo, quando stabunt homines coram homine judicante, et in circuitu erit ignis paratus ad devorandum illos, contra quos tulerit sententiam! Tunc enim non erit tempus belli, nec jam in torculari calcabitur, quia jam tunc non erit locus nec tempus pœnitendi nec refugii, sed justitia. ut sicut ipse judicatus, fuit sine peccato quod inveniretur in eo, sic ipse judicabit peccatores. Dicit enim Deus in prophetia Salomonis : « Quando justus recipiet judicium, ubi erit impius, et peccator? (*Prov.* XI.) » Unde si justus vix salvabitur, quid erit tunc de impio? (*I Petr.* IV.)

CAPUT XIII.

Adhuc fortius probat corporalem Christi ascensionem.

Valde timeo, domine mi, quod hæc quæ dicta sunt testimonia prophetarum de illo justo, quod scilicet fuit venditus pro argento, ut dicit Amos propheta, quod calcavit torcular, ut dixit Isaias, quod gessit bellum cum patribus nostris, sicut dicit David,

quod captus fuerit in peccatis nostris, sicut dixit Jeremias, quod vulneratus fuerit in palmis suis. sicut dixit Zacharias, quod super ejus vestem missæ sunt sortes, sicut dicit David (*Psal.* XXI), quod ascendit in cœlum, sicut dixit idem propheta, et alii, quod non conveniat Deo in essentia sive in natura divina, secundum quam nec resurgit, nec exaltatur, nec sedet, nec descendit. Ex his quæ dicta sunt sequitur necessario quod jam venerit ille justus, cujus naturæ corporeæ hæc prædicta, et similia, poterunt convenire. Si autem tibi videtur forte durum credere, domine mi, quod homo corporeus ascendit in cœlum, audi auctoritates et exempla quæ mihi occurrunt de Scripturis nostris. Et super hoc dicit David propheta de illo : « Ascendit Deus in altum et salvabit captivitatem, dedit dona hominibus. » Dicit etiam in psalmo LXVII de ascensione ejus : « Jubilate Deo et glorificate nomen ejus, iter facite, qui ascendit de partibus occidentis, Dominus nomen illi. » Adhuc, domine mi, dixit David de illo in psalmo quem tu habes in corde : « Jubilate Deo qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. » Et de isto dixit Amos : « Dominus est qui ædificavit in excelso sedem suam. » Et de ipso dicit etiam David in psalmo : « Ascendit Deus in jubilo et Dominus in voce tubæ. » De ipso etiam dixit Aser propheta cap. 2 : Vidi hominem descendentem de corde maris et pervenit usque ad cœlum (4). » Et quia non habemus istam prophetiam (4*), obmisi multa scribere quæ allegat super hoc. Dicit etiam Moses in cantico : « Levabo ad cœlum manum meam. » Dicit etiam Isaias : Consurge, consurge, brachium Domini. » Et de isto etiam ait Anna mater Samuelis : « Dabit Dominus imperium regi suo et sublimabit christum suum (*I Reg.* II). » David etiam dixit : « Ascendit Dominus super pennas ventorum (*Psal.* XVII). » Et hæ auctoritates occurrunt mihi ad probandum exaltationem Christi corporalem usque ad cœlum. Et sunt plures aliæ quæ tu, domine, bene scis. Nunc etiam exempla aliqua adducam de lege nostra, quia videtur etiam nobis multum conveniens credere quod in corpore ascendit in cœlum, hoc est propter considerationem; nam in lege et in Prophetis invenimus quod Deus verus et gloriosus assumpsit de terra, et elevavit plures sanctos viros patres nostros. Etsi de istis non dubitamus propter eorum sanctitatem et propter testimonium Scripturæ, quare dubitamus de ascensione Justi in corpore et anima, cui magis Scriptura perhibet quam illis testimonium sanctitatis? Et quia durius bellum secundum prophetas sustinuit, et plures captivationes mundi quam aliquis de prædictis. Et præterea, domine, sine exempli positione scis quod Mathusalem et Henoch justi (5), et Elias propheta fuerunt assumpti a Deo de mundo isto in corporibus suis. De Mose etiam non est dubitandum, quin sit in cœlo in corpore et anima, ut dicitur Deut. XXXIV. Dixit Deus ad Mosen : « Ascende in montem nocte. et morere ibi, et ascendit in montem et mortuus est. Et nescivit homo sepulchrum ejus usque in hodiernum diem (*Deut.* XXXIV). » Et quid significat, quod sepulchrum ejus est ignotum in terra, cum ipse fuit propheta major et sanctior aliis, nisi quod Deus resuscitavit eum, et assumpsit eum in corpore et anima sicut alios justos assumpsit, et elevavit ad locum ubi sunt (6)? Nec nos debemus mirari supra hoc, quod aer iste levis et subtilis posset portare corpora tam grossa et ponderosa, quia nos scimus quod aqua, quæ est in raritate similis aeri, quando placuit potentiæ omnipotenti, portavit corpora filiorum Israel in eorum exitu de Ægypto (*Exod.* XIV), et quando fuit acceptum sacrificium, ignis descendit de cœlo, et elevavit, et portavit corpora pecorum et boum quæ offerebantur Deo. Moses vero et Elias prophetaverunt de illius justi elevatione (*Gen.* V), ac alii prophetæ. Unde cum oportet nos esse credentes de elevatione corporea dictorum sanctorum, cur sumus increduli de elevatione istius justi, et eum elevatum esse in cœlum, de quo tot sunt testimonia prophetarum in Scripturis, sicut dictum est et posset induci, ut quia satis apparet quod Deus assumpsit prædictos sanctos, de quibus nullus dubitet, ut ad finem disponerentur corda hominum, et ut de ascensione sui Justi etiam non dubitarent. Est autem et alia causa quare et ipsi nostri dubitant, quia adventus ejus primus fuit occultus, et modus insolitus, sicut dicit Isaias : » Homo est et quis cognoscet eum ? » (*Reg.* II; *Deut.* XXXIX.) Idem propheta etiam dicit : « Virgo concipiet et pariet filium (*Isai.* LIII). » Ubi advertendum est quod tacet de patre secundum carnem, et propter hoc quod alibi dicit : « Non reputavimus eum (*Isai.* VII). » Et Jeremias dicit : « Signum novum creavit Deus super terram. Mulier circumdabit virum, etc. (*Isai.* LIII.) » Dicit etiam Micheas : « Propter hoc dabit eis Deus usque ad tempus in quo parturiens pariet (*Mich.* V), » Et notandum quod non facit propheta mentionem de marito istius parturientis, cum, inquit, nativitatem istius justi qui solum natus

(4) Hæc in neutro Aggæi capite habentur, nec quidquam quod ad illa accedat, attingatve Christi ascensionem, sed bene quidem c. 2 de ejus adventu : Veniet, inquit.

(4*) Imo habemus eam, sed ipse tunc nescivit quod Aggæus in Latino vocaretur Aser in Arabico.

(5) Caute lege, nam de Henoch et Elia tantum ex Scripturis docent Patres, vivos in corporibus ex hominum consortio assumptos; de Mathusalem vero nec Scriptura indicat, nec ullus Patrum prodit.

(6) Ita quidem de Mose sensit Philo, lib. III de Vita Mosis, sed est opinio aliena prorsus a mente sanctorum Patrum, cum ante descensum Christi ad inferos ejusdemque ad cœlum ascensum, nullum fuisse beatum, aut in cœlum receptum, fides catholica doceat. Potuit quidem Moses cum Christo resurgere, cum eodemque in cœlum conscendere, ut multorum est probabilis opinio; at quod Moses statim a morte sua resurrexerit, et in cœlum sublatus sit, idque colligere ex verbis Deut. XIV, manifestus est error. Vide lib. IX Maluendæ theologi Dominicani de Antichristo, cap. 8.

est præter solitum modum cursumque carnalem, qui A est ex viro et femina, sicut de illo prædictum est per os Isaiæ, cum dicit : « Audite, domus Jacob : Deus dabit vobis signum : Virgo concipiet et pariet filium, etc. (*Isai.* VII) » Omnes autem alii sancti qui dicti sunt, nati sunt de femina et viro, carnaliter concepti in peccato, et omnes fuerunt peccatores, et ipse Moses sanctior parentibus prophetis peccavit, et confitetur per os suum se peccasse : de Justo autem isto dicitur per Isaiam : « Qui nunquam peccavit, nec inventum est mendacium in ore ejus (*Isai.* LIII). » De aliis omnibus sanctis dicit Deus per os Job : « In omnibus sanctis suis non est inventus sine pravitate (*Job.* IV). » Et Jeremias propheta dicit : « Corda hominum prava (*Jer.* XVII). »

CAPUT XIV.

De cæcitate Judæorum quod non credant Christum advenisse, nec intelligant.

Timeo, domine mi, quod sit completum in nobis quod dixit Dominus per Isaiam prophetam : « Cecidit cæcitas super Israel quousque intravit plenitudo gentium (*Isai.* LIX) : » et iterum dicit : « Audientes audient et non intelligent, et videntes videbunt et non cognoscent, quia corda istius gentis sunt ingrossata (*Isai.* VI). » Et adhuc eodem capite: « Excæca cor populi hujus, et obtura aures ejus, ne forte addiscant, et convertantur ad me et sanem eos. » Et dixit Isaias : « Usquequo, Domine ? et dixit Quousque sint civitates desertæ, et maneat domus C sine habitatore (*Ibid.*) : » Dixit etiam Daniel : « Claude sermones et involve prophetiam (*Dan.* XII. » Et Jeremias : « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in lapide adamantino, et extensum super latitudinem cordis eorum (*Jer.* XVII). » Isaias capite primo : « Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui ; populus autem meus non intellexit (*Isai.* XII). » Et iterum Jeremias : « Milvus et hirundo, et ciconia sciunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit me (*Jer.* VIII). » Et hæc omnia, domine mi, dicta sunt propter nos, quia non cognovimus adventum illius justi Domini. Et de nobis dixit Dominus per Isaiam : « Elongate foras gentem cæcam, et non habentem oculos, et surdam, et non habentem aures, ecce omnes congregati sunt (*Isai.* XLIII). » Et quid voluit dicere Propheta per hæc verba, nisi quod Deus nos repu- D lit, quia non cognovimus tempus istius Justi citius? Et congregavit ad se in fide gentes loco nostri, Super quod admiratus David dixit in psalmo : « Hæc est mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI). » Nos tamen Dei sumus in casu isto nostro, et captivitate ista, quæ non habet finem, in qua sumus, jam sunt mille anni, et hoc tamen accidit ita male patribus nostris, qui adoraverunt idola, et occiderunt prophetas et transgressi fuerunt Legem ex toto.

CAPUT XV.

Ostendit reprobationem Judæorum propter eorum perfidiam, et electionem gentium propter eorum fidem.

Timeo, domine mi, propter hoc quod quia non credimus in isto justo; idcirco accidit nobis et completum est illud quod dixit Deus per os Isaiæ : « Erit prophetia tanquam verba libri clausi qui dabitur lectori, et dicetur : Iste liber clausus est, nescio quid est in eo, et tunc dabit nescienti litteras, non sum lector ego (*Isa.* XXIX). » Et quæ clausura libri major est, domine, quam clausura qua clausit Deus corda nostra ; jam sunt mille anni, et ultra, nec possumus cognoscere per prophetiam nobis traditam a prophetis super adventum istius justi, propter quod B alibi dixit Deus per prophetam : « Desolabitur Hierusalem, et corruet domus sancta (*Isa.* III). » Dixit etiam : « Terra nostra deserta, civitates nostræ succensæ igne, et remanebit Sion sicut tugurium in vinea dissipata (*Isai* I). » Hoc est, domine mi, et jam sunt mille anni, et ultra. Dixit etiam Esaias : « Domine Deus, exaltabo nomen tuum, quia posuisti civitatem in tumulum, et domum in confusionem, ut non sit usque in æternum (*Isai* XXV). » Et dixit : « Conteret populos contritione vasis figuli, in quo non remaneat pars ad portandum carbonem ignis, nec hauriendam guttam aquæ (*Isai.* XXX). » Completum est etiam domine mi, quod dixit Daniel : « Postquam fuit occisus Christus, remanebit desolatio perpetua (*Dan.* IX).» In quia desolatione sumus jam sunt mille anni et ultra. Dixit etiam Isaias : « Relicta est in urbe solitudo, et sibilabit terra eorum sibilo usque in sempiternum (*Isai.* XXIV). » Dixit etiam Jeremias : « Argentum reprobum vocate illos, quia Dominus projecit eos (*Jer.* IX). » Dixit etiam Isaias : « Ambulate in lumine ignis vestri, et flammis quas succendistis vobis (*Isai.* L). » In quibus flammis nos sumus, jam mille anni sunt. Et dixit etiam Amos : « Domus Israel cadet et non est qui erigat eam (*Amos.* V). » Et videtur mihi, domine mi, quod Deus induxit super nos ruinam istam, post adventum Justi hujus, postquam propheta nullus surrexit in nobis, nec surget, sicut prophetatum est nobis quia nos manemus in incredulitate, non recipientes fidem illius sed negantes. Dixit etiam Oseas : « Cum accubuit mulier super terram et peperit, dixit Deus : Voca nomen ejus *Sine misericordia*, quia non miserebor populo huic (*Osc.* I). » Et si Deus projecit nos, et non miseretur nostri, ut experti sumus, jam sunt mille anni et ultra, quæ utilitas est nos habere legem, circumcisionem et Sabbatum? Dixit Isaias : « Educ foras populum cæcum, sicut eduxit nos de terra nostra Deus verus, et gloriosus (*Isai.* XXIV). » Jam sunt mille anni et ultra. Dixit etiam idem : « Verus error abiit (*Isai.* XXVI). » Et quid est antiquum, nisi lex nostra, quæ recessit a nobis, domine mi, cum rege, cum sacrificio, cum incenso, et cum altaribus? et quid pejus nobis poterit evenire? et quid est quod nos exspectamus ? Non-

ne videmus quod dispersit nos per quatuor partes mundi in dispersionem, sicut dixerunt nobis Moses, Jeremias, et Isaias, et alii prophetæ. Et tamen nos Dei sumus, et ad ipsum recurrimus in omni eventu.

CAPUT XVI.

Ostendit reprobationem Judæorum propter eorum perfidiam, et electionem gentium propter eorum fidem.

Timeo, domine mi, cum nos dicimus inter nos, Et ego et tu etiam sumus filii Jacob et Israel, quia jam completum est illud quod dicit Deus per os Isaiæ : « Interficiet te Deus, Israel, et vocabit servos nomine alieno (*Isa.* LXV). » Haveo quod de illis servis simus, quibus debet imponi illud nomen, secundum quod Moses dixit Deuteronomii visesimo octavo : « Erunt gentes in capite, et populus incredulus in cauda, « sicut nos sumus, jam sunt mille anni et ultra. De illis etiam dixit Jeremias : « Replebitur terra fide Dei, et redundabit sicut aqua maris; » et de illis dixit Salomon : « Domine Deus meus, cum venerit alienigena ad domum sanctam tuam, et invocaverit nomen tuum benedictum, exaudi eum, Domine Deus meus, ut discat universa terra nomen tuum timere, sicut populus Israel (III *Reg.* VIII). » In quo ergo gloriabimur, domine mi, et quare contemnimus gentes! ex quo Salomon phopheta fecit eas participes in timore Dei, et in domo sancta nobiscum, et forte nos indignos ejecit Deus de ista domo, et dedit eam istis, et de illis etiam dixit Moses « Hæc dicit Dominus Deus meus : Replebitur tota terra gloria Domini (*Num.* XIV). » Et de ipsis dixit David : « Prævenient et convertentur ad dominum universi fines terræ, et mille generationes (*Psal.* XXI). » De ipsis dixit etiam Isaias : « O domus David sancta, venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, etc. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt; venerunt tibi, et filii extranei ædificabunt muros, et principes eorum servient tibi (*Isa.* LX). « Et qui sunt isti filii extranei, domine mi, qui venerunt ad domum Dei, nisi gentes quæ serviebant idolis, quæ erant extraneæ a Deo, et ipsi principes et reges eorum, de quibus dixit Deus, quod ambulabunt in lumine domus sanctæ, et nos erimus in tenebris extra illam, et sumus jam sunt mille anni. Dixit adhuc idem propheta de illis : « Ecce gentem quam nesciebas vocabis, et nationes quæ te non cognoverunt ad te venient (*Isai.* LIII). » Et sicut de facto videmus, hodie sunt mille anni et ultra, quia Christus missus secundum legem nobis datam venit, et gentes quæ legem non noverant, venerunt ad eum, et ipse dedit eis legem novam, puram, sanctam. Adhuc quadragesimo quinto capite : « Concordaverunt, et reges eorum congregati sunt in fide Dei (*Isai.* XV). » Et timeo, domine mi, de illis fuisse dictum eodem capite : « Congregamini omnes et venite, gentes, quæ salvatæ estis per Deum ex gentibus

A (*Ibid.*). » et de populo dixit Isaias : Quæsierunt me et non interrogabant, et invenerunt me qui non quærebant me (*Isai.* LXV). » Et de ipsis dicit Jeremias : « Congregabuntur omnes in nomine Domini, in domo sancta; et non ambulabunt in pravitate cordium (*Jer.* III). « De ipsis idem propheta dixit : « Ad te venient omnes gentes ab extremis finibus terræ, et dicent : Non hæreditaverunt patres nostri nisi mendacium et iniquitatem (*Jer.* XVI). » Et de ipsis dixit Sophonias : « Datum est gentibus ut loquerentur simul in nomine Domini, et servient ei humero uno, omnis homo de loco suo, et omnes insulæ gentium (*Soph.* III). » Et de illis dixit Zacharias : « Lætare, domus Sion : Quia ego veniam ad te, et habitabo in medio tui in illa die, et appropin-

B quabunt Deo gentes in multitudine sua (*Zach.* II). » Dicit idem propheta capite octavo : « Hæc dicit Dominus Deus exercituum, venient gentes multæ de locis multis, et dicet vir ad vicinum suum : Vadamus et quæramus Dominum Deum in bono (*Zach.* II). » et ista, Domine mi, completa sunt nunc, et complentur in oculis nostris de plano, vides populos et linguas legere libros Legis et prophetarum omnium et Psalterium; dimissis idolis suis, nullus ex eis credit per manum Mosis, nec Aaron, nec alicujus prophetarum nostrorum, nec aliquid remanet de fide ab idolis ab illo tempore, quo crediderunt Justo illi, de quo dicit Habacuc : « Egressus es, Domine, ad salutem pobuli tui, ad salutem cum Christo tuo (*Habac.* III). »

CAPUT XVII.

C *De vivificatione gentium et interfectione Judæorum, prout etiam videbitur in capite sequenti.*

Timeo, domine mi, quod Deus victor et gloriosus vivificat illas gentes per fidem et interficit nos incredulitate nostra, sicut ipse dicit per os Isaiæ prophetæ : « Pro eo quod vocavi et non respondistis, hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent et vos sitietis. Ecce servi mei gaudent in exsultatione cordis, et vos conculiemini præ amaritudine cordis, et interficiet te Deus, o Israel, et vocabit servos nomine alio, in quo benedixit illis qui est benedictus super terram. Amen (*Isai.* LXV). » Et nos videbimus receptores istius nominis benedictos a Deo super faciem terræ, et nos dispersit, scilicet in captivitate per quatuor partes mundi, hodie sunt mille anni. Et apparent expresse in nobis vestigia iræ Dei, non ad castigationem, sed ad destructionem, et illa est interfectio quam Deus comminatus est, quod interficiet Israel, et illæ gentes vivæ, quas vocat servos, recipient nomen quod Deus promisit, sed non ante mortem nostri nominis primi secundum ordinem verborum Dei per Isaiam, et fames et sitis quas patiemur non est panis aut aquæ, sed cordium et animarum sterilitas, et fames verbi Dei, sicut prophetæ declarant per os Amos (Amos. VIII). Et tu Domine. scis hoc plenius quam ego. Verumtamen Dei sumus in omnibus quæ accidunt nobis.

CAPUT XVIII.

Quomodo gentes per fidem vivificatæ habent mundas observantias novæ legis.

Timeo, domine mi, quod gentes istæ vivificatæ sunt, jam sunt mille anni postquam fuit mortuus Jesus in Jerusalem, quia nihil boni habuerunt antequam crediderunt in Deum, et in Christum et apostolis, quoniam ipsi forte erant illi pisces et illæ bestiæ, de quibus loquitur Habacuc propheta, quæ non habent ducem, et ipsæ gentes purificatæ per fidem habent jejunia sua et observantias suas legis novæ, et habent cuncta illa quæ ad munditiam pertinent in lege antiqua contenta Judæorum. Vides quod in omni lingua, et in omni loco in Oriente et Occidente, Gentes, sunt confitentes in nomine Domini, ei non credunt in eum per Mosen, nec per aliquem prophetarum, quamvis sunt studiosi in lege et in libris omnium prophetarum, sed Deus vocavit eos per discipulos justi, qui egressus est cum Deo ad salutem eorum, sicut ipse Deus benedictus et gloriosus prædixit per os Habacuc prophetæ. Et isti discipuli ejus fuerunt filii nostri, de filiis Israël, qui alio nomine vocantur apostoli. Valde enim timeo, domine mi, quod isti sunt illi de quibus dixit Deus per os David in psalmo : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in extremis finibus extensa verba eorum (*Psal.* XVIII). » Et verba Prophetæ expresse demonstrant nobis quod de istis loquitur et non de nobis, cum dicit : Non erit lingua, neque sermo, qui non audiant voces eorum : et hoc non potest esse de lingua nostra Hebræa : quæ enim gentes obediunt præceptis Mosi et Aaron? Quinimo ipsi interfecerunt gentes et fugaverunt eas a se. Hæ autem gentes sciunt hodie Mosen et prophetas, et agnoscunt Deum et servant legem novam, sicut apostoli docuerunt eos. Attamen Dei sumus.

CAPUT XIX.

De electione apostolorum loco prophetarum.

Timeo, domine mi, quod illud quod Zacharias propheta dixit : « Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII), » fuit completum, quando nos percussimus pastorem istorum puerorum et sanctorum apostolorum. Ex tunc nos oves dispersi sumus per universum orbem, et isti filii nostri scilicet apostoli; surrexerunt loco prophetarum; quod apparet ex hoc quod Deus post illos non misit nobis prophetam, nec notificavit aliquid per visionem. Timeo, domine mi, quod isti pueri sint apostoli, de quibus dixit Deus per os Joelis prophetæ : « Senes vestri somnia somniabunt, et pueri vestri visiones videbunt (*Joel.* II). Certissime, domine mi, senes sunt prophetæ nostri, qui somniaverunt fidem gentium, quam consecuti sunt illi pueri, scilicet apostoli, et viderunt. Et de istis pueris dixit David propheta : « Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos (*Psal.* XXXIII). » Deus non nominat filios in plurali, sed solum nominat eos Israel primogenitum in usu loquendi communi. Et in alio psalmo nominat istos pueros filios cum dicit : « Filii tui

A sicut plantæ novellæ (*Psal.* CXXVII). » De Israel, domine mi, dixit Deus per os Isaiæ : « Vinea Dei exercituum fuit domus Israel, exspectati quod veniret cum uva, et venit cum spinis, propter hoc ego adducam qui destruet illam in conculcationem (*Isai.* V). » Et de illis prædictis filiis Dei qui vocantur apostoli' dixit Deus per os Isaiæ : « Non modo erubescet Jacob, ne liquefiat facies ejus, sed tunc quando videbit de filiis suis illos quos creaverunt manus meæ sanctificatos ante oculos suos (*Isai.* CXV). » Et si essent, domine mi, filii isti sanctificati coram nobis secundum viam legis nostræ, non diceretur de nobis, quod essemus in erubescentia, propterea et dissolverentur facies nostræ, imo haberemus gloriam et resplenderent facies nostræ, sed confusio facierum B Jacob et desolatio est ista, quod isti filii quos Deus creavit manu sua, scilicet apostoli, sunt sanctificati coram nobis, et non secundum legem nostram. Propterea Deus dat intelligere quod lex nostra non est lex ipsorum. Dixit etiam Deus per os Ezechielis : « In illa die non dicent : Patres nostri commederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt (*Ezech.* XVIII), » sicut infidelitas Judæorum non novit fidem apostolorum, non nocebit, et propter hoc subditur : « Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra proverbium istud in Israel (*ibid.*). » quia nunquam aliquis de apostolis postquam receperunt fidem rediit ad fidem nostram, quare non sentiunt acerbitatem infidelitatis nostræ, sicut dentes nostri obstupescunt de peccato patrum nostrorum.

C Adhuc de istis filiis, domine mi, qui sunt apostoli, dixit Deus per os Isaiæ prophetæ : « A quo transmigrabo, nisi a populo meo? Filii autem qui erunt infideles, Deus erit salvator eorum in omnibus angustiis eorum, et vultus ejus custodiet eos in charitate ejus, et in clementia redemit eos, et propitius erit eis in longitudine dierum. » Verissimum est, domine mi, quod isti filii de quibus loquimur, semper manserunt firmi, nec Deus transmigravit ab eis ab illo tempore quo redemit Rex ille justus, magister eorum, sed transmigravit a nobis et fuit semper cum eis, et de illis etiam filiis qui sunt apostoli, dixit sapiens Jesus filius Sirach in libro suo : « Audite, filii charissimi, et operamini in salutem, quia honorat Deus patrem in filiis (*Eccl.* III). » Et qualiter intelligi debeat honor ille, declarat Deus per os Ma-D lachiæ : « Mittet Deus Eliam qui convertat corda patrum nostrorum ad filios (*Mal.* IV). » O domine, si Deus debuisset convertere corda filiorum scilicet apostolorum ad patres, cum debeat intelligi de fide, tunc isti filii scilicet apostoli fuissent nobiscum in captivitate ista quæ non habet finem, sicut et patres nostri et nos sumus. Sed ex quo Deus ordinavit quod debeant corda patrum ad filios converti, quid est quod exspectamus, domine mi, et quid præstolamur? Etsi noluerimus dicere quod alii filii debent esse præter Apostolos, de quibus intelligantur prædicta, illi erunt in captivitate sicut et nos, ex quo viam illius justi non sunt secuti, quem apostoli firmiter secuti sunt, et docuerunt sequendam et pro-

pter hoc habent honorem patrum in hoc quod patres dicuntur ad illos converti. Cum ergo, domine mi, filii nostri venerunt antequam nos ad fidem Dei, si corda nostra convertantur ad filios, corda eorum convertentur ad nos. Et sicut dicit Deus altissimus : « Erunt populus unus, animus unus in Deo glorioso et victorioso (*Soph.* III), » quia non debemus intelligere illam conversionem, nisi de infidelitate ad fidem et doctrinam illius Justi, qui est Magister salutis eorum qui credunt in eo, et secundum quod dixit David de eo. Ipse est cujus sacerdotium erit, secundum ordinem Melchisedech in æternum (*Psal.* CIX), qui obtulit sacrificium panis et vini (*Gen.* XIV), et Melchisedech sacerdos Dei altissimi ante Aaron. Et attende, domine mi, quanta sit differentia inter sacrificium Aaron et Justi istius Domini. « Dixit Dominus Domino meo : Tu es sacerdos in æternum (*Psal.* CIX), » non ad tempus sicut Aaron, qui mortuus fuit viginti centum annorum. Item, sacrificium Aaron fuerunt carnes, et sacrificium illius Justi Domini fuit panis et vinum secundum ordinem Melchisedech.

In quibus verbis Dominus per Prophetam ostendit manifeste quoniam sacrificium Aaron finiretur, quando inciperet illud sacrificium in æternum; quod finiretur quando inciperet sacrificium in pane et vino æternaliter duraturum, cum Aaron non sit data æternitas in sacerdotio, sicuti sacerdoti Christo. De illis filiis dicit etiam Deus per os prophetæ Mosis, (*Deut.* XXXI) : « Sanguinem filiorum ulciscetur et lavabit terram populi sui. » Et nos, domine, occidimus prophetas, et non fecit vindictam de eis, nisi per septuaginta annos; sed occidimus Apostolos et Justum Magistrum eorum, et fecit Deus vindictam de filiis. Jam sunt mille anni, et ultra. Et per mortem ipsorum lavit Deus terram populi sui, et non dixit terram filiorum Israel. De ipsis etiam filiis dixit David in psalmo centesimo decimo sexto. « Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii fideles. » Comparat enim Propheta illos filios fideles sagittis emissis de manu potentis, quia Deus omnipotens misit eos ad duodecim partes mundi per quatuor mundi climata, fideles hos filios cum doctrina Legis, Psalterii et Prophetarum. Mosen autem et Aaron non misit extra domum sanctam ad docendum, quia non ad Indiam, Romam, nec ad alia loca extra terram sanctam, misit eos annuntiare doctrinam Legis et Prophetarum, sed isti fideles filii sic projecti vel missi per universum mundum, surrexerunt coram Deo loco nostri, postquam Deus occidit Israel et nomen nostrum, quod bene innuit David in psalmo cum dicit : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos filios reges et principes (*Psal.* XLIV), » et per istos innovata est lex prima secundum ordinem Melchisedech, qui sacrificium Dei instituit in pane et vino, ex quibus communicavit Abraham amico Dei. Deus etiam per ministerium istorum mutavit sacrificium nostrum, sicut mutavit nomen nostrum, et sicut mutavit legem carnalem nostram in legem spiritualem. Et si Deus dixisset nostro Mosi, sicut dixit per os David Messiæ sive Christo : Tu venies sacerdos in æternum secundum legem Mosis et Aaron, staret illa lex; sed dixit : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Et amicus Dei communicavit de sacrificio panis et vini, et non de sacrificio carnium. Ad hoc bene sonat verbum Mosis, cum dixit : « Comedetis vetustissima veterum (*Lev.* XXVI), » per quod intelligit sacrificium Melchisedech. Et iterum : Et novis supervenientibus, id est, novæ legis sacrificio publicato, vetera, scilicet vestra sacrificia projicietis. Nos tamen Dei sumus in omni adventu.

CAPUT XX.

De reprobatione sacrificii Judæorum, et de electione sacramenti Christianorum.

Timeo, domine mi, quod Deus ejecit nos a se et sacrificium nostrum, et acceptavit sacrificium gentium, sicut dixit per os Malachiæ : « Non est mihi voluntas in vobis, dixit Dominus, neque accipiam sacrificium vestrum, quoniam ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum est nomen meum in gentibus; quæ offerunt in nomine meo sacrificium mundum (*Mal.* I). » Ergo apud Deum sacrificium gentium est mundius quam sacrificium nostrum. Et insuper quia Deus privavit nos omni sacrificio mundo, et alias docens Christianos, ut ipsi vitarent nos, ne contaminarentur, sicut nos vitavimus gentes omni tempore quo sacrificium nostrum fuit mundum apud Deum et acceptum.

Etiam tu, domine mi, nosti quid dicat Deus de nostro sacrificio cum ait per os David prophetæ : « Nunquid vidistis, vos, quod ego comedi carnes taurorum, et hircorum sanguinem biberem (*Psal.* IX)? » Per quod manifestat Deus quod ipse condemnat carnium sacrificium. Et unde est nobis, domine mi, quod nos detestamur in gentibus sacrificium panis et vini, quod statuit Deus, et in nullo reprobat, sicut reprobat sacrificium carnium, cum Salomon describat illud Aaron, dicens : Iste, scilicet Aaron, extendit manus suas super altare, et obtulit sanguinem uvæ, et incensum Deo vivo, et obtulit sacrificium nostrum de granis terræ, sicut Melchisedech obtulit pro Abraham (*Eccli.* L). Declarat Deus sacrificium gentium per Mosen : « Offeretis Deo sacrificium de levatis, de area, et de expressione uvæ, et benedicat vobis Deus et cunctis operibus manuum vestrarum (*Lev.* XXIII). » Scimus etiam nos, domine mi, quod Deus mandavit in principio poni ante arcam fœderis Domini, panes et non carnes (*Exod.* XXV). Etiam domine mi, cum Deus de hoc in Levitico præcepit Aaron per Mosen, dicens : « Homo de semine Aaron sacerdotis qui habet maculam, non offerat sacrificium de panibus, nec aliud quodcunque sacrificium (*Num.* XXI). » Et in pluribus Scripturæ locis Deus præcepit fieri sacrificium de pane et ex farina purissima acceptabit illud, et tale sacrificium est hodie gentium, scilicet panis ex farina purissima. De sacrificio etiam panis fit mentio in primo libro

Regum (*cap.* xxi). « Cum David venit ad Abimelech, principem sacerdotum Silo, et petivit ab eo panes, qui respondit : Non sunt hic panes, nisi panis oblatus, quem non convenit comedere pueris tuis, quia sanctus est. » Et quod gentes ponunt in sacrificio suo aquam, non debet nobis inconveniens videri, quia etiam in Scripturis sanctis invenimus de hoc exemplum, scilicet quod Deo fiebat sacrificium de aqua, et fuit Deo acceptum. Invenimus etiam (*II Reg.* xxiii) quod duo juvenes hauserunt aquam de cisterna quæ erat ante portam Bethleem, et propheta David obtulit illam Deo in sacrificium, Ergo non est contra Scripturam, si gentes hodie ponant aquam in sacrificio quod faciunt Déo. Nos etiam legimus quod Aaron fecit Deo sacrificium de pane et vino, et David de aqua, et ista tria sunt simul in uno sacrificio mundo (quamvis intellectus noster id penetrare nequeat) et non sicut carnes taurorum pinguium. Elias noster, ut narratur (*III Reg.* iii), infudit aquam in sacrificium, et Deus misit ignem de cœlo, et acceptavit sacrificium cum aqua perfusum (*III Reg.* xviii). Angelus in figura communicavit etiam Eliam in pane subcinericio et aqua, quando Elias ambulavit in fortitudine cibi super illud quod natura non potest concedere, quadraginta diebus usque ad montem Dei Horeb (*III Reg.* xix). Hoc etiam sacrificium vini cum aqua mistum, pulcherrime et apte describit Salamon propheta in libro Proverbiorum, cap. ix, cum dicit : « Sapientia altissima communicavit sacrificium suum, miscuit vinum suum et paravit mensam, tunc misit servos suos, dicens : Quis est parvulus, veniat ad me, et insipientes comedent panem meum, et bibent vinum meum temperatum aqua. » Quid, domine, mi, mensa parata Sapientiæ Altissimi, nisi altare ? Quid, Domine, panis et vinum mistum, nisi sacrificium de pane et vino, et de aqua quod fit in altari ? qui sunt insipientes vocati per servos Sapientiæ, nisi gentes quæ ignorabant Deum, vocatæ per apostolos. Et notabiliter dicit panem suum et vinum suum, per id enim innuit hoc sacrificium gratum esse Deo, et quod ad istud convivium tam sublime, et tam spirituale non vocavit patres nostros, qui erant sapientes in Lege, qui erant occupati in sacrificio Legis, quod etiam carnale sacrificium non dimisit nobis, sed privavit nos illo. Jam sunt mille anni completi quod nobis accidit propter illum Justum in quem peccavimus. Attamen Dei sumus.

CAPUT XXI.

Quod Deus refutavit jejunia sublata et sacrificia Judæorum et Christianorum elegit.

Valde timeo, domine mi, ab illo verbo, quod Deus fortis et gloriosus dixit per os Malachiæ cap. 1, ubi sic tangit de sacrificio gentium : « Ab ortu solis usque ad occasum, gentes offerunt sacrificium nomini meo mundum. » Ubi adverto quod sacrificium nostrum non fuit acceptum, nisi in uno loco solo, scilicet in domo sancta præcise. Ex quo autem loco sacrificii privavit nos Deus, scilicet terra promissionis, et ubique dispersit nos terrarum, jam sunt mille anni. Unde venit super nos, et completum est quod Deus dixit de nobis per similitudinem loquens per os Isaiæ, ubi ait : « Completa est vindemia et non est de cætero collectio (*Isa.* xxxii). » Et illud Malachiæ : « Non est mihi voluntas in vobis, et sacrificium non accipiam a vobis (*Mal,* clxx). » Et illud Isaiæ, cap. 1 ; « Sabbata vestra, et festivitates, et sacrificium vostrum non recipiam, quia omnes vos estis in ira mea (*Isa.* i). » Et illud Isaiæ completum est super nos : « Quid mihi multitudo victimarum vestrarum, quid multiplicatis mihi sacrificium de arietibus et carnibus hircorum, ego autem contempsi sanguinem vitulorum, et arietum carnes et hircorum ? Cum præsentaveritis ea coram me, et quis recipiet ea a vobis ? non deturbetis lapides meos sanctos. Frustra non offeretis ultra sacrificium, quoniam incensum vestrum, et sabbata vestra, et solennitates vestras non recipiam a vobis, quia odivit illa anima mea. Si elevatis manus vestras ad me, avertam vultum meum a vobis. Et si multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam, manus vestræ plenæ sunt sanguine (*ibid.*). Et omne sacrificium vestrum sicut cadaver fetidum. Et egressus atrii portæ exterioris, et ille qui mihi jugulaverit taurum sicut qui decollaverit hominem, et ille qui obtulerit in sacrificium hircum sicut qui obtulit canem, et qui obtulit vinum sicut qui offert sanguinem porci (*Isa.* lxvi). » Sed abominatio de sacrificiis apud Deum nihil aliud significat, nisi mutationem sacrificii nostri carnalis et grossi in sacrificium istius Justi Domini spirituale et subtile, qui instituit offerre panem loco carnium, et aquam mundam loco pinguedinis carnium, et vinum purum loco sanguinis. Et homo offertur spiritualiter et acceptabiliter Deo, non sicut animalia decollata per nos, quæ per prophetam comparantur cadaveri putrido. Et quare non credimus, domine, hæc quæ locutus est nobis Deus per prophetam istum ? Et quid describit tam evidenter de sacrificiis nostris. Dixit etiam Deus per Jeremiam, cap. 7. « Invitate proximos vestros ad sacrificia, et comedite cum eis carnes sacrificiorum vestrorum, quia in die qua eduxi patres vestros de Ægypto, non præcepi eis, nec verbum feci de sacrificiis, sed dixi : Audite vocem meam et ero vobis Deus, et vos mihi populus, si ambulaveritis in omnibus quæ præcipio vobis bene erit vobis. » Et non audierunt, nec posuerunt aurem suam ad dictum meum, et tu, domine mi, es qui hoc nosti. Attamen Dei sumus in omnibus quæ evenerint nobis.

CAPUT XXII.

Probat abjectionem Synagogæ et electionem Ecclesiæ per verbum Domini ad Rebeccam.

Timeo, domine mi, quod de Synagoga et Ecclesia intelligatur illud verbum quod scribitur, cap. 25 primi libri Legis, cum dicit Dominus Deus Rebeccæ, uxori Isaac : « Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo

populi venient de utero tuo, et gens gentem superabit, et major serviet minori (*Gen.* xxv). » Domine mi, sola Rebecca fuit mater Judæorum et gentilium. Populus major et primogenitus fuit Synagoga, quæ magno fuit honore et scientia Dei dotata. Populus secundus genitus et minor apud Deum fuerunt gentes, in infidelitate manentes et in ignorantia sua. Si tamen, domine mi, Deus occidit Israel, prout describit Isaias, et tunc subversa est Synagoga, quæ fuerat major, et servivit gentibus quæ fuerat minor, ut compleretur verbum quod Deus dixit Rebeccæ: « Gens gentem superabit (*Ibid.*). » Etiam de Ecclesia dixit Deus per os David: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, distinctis coloribus adornata (*Psal.* XLIV). » Exponitur, domine mi, quod Ecclesia gentilium, quæ vocatur regina diversitate linguarum omnium quæ serviunt ei, est adornata quasi colorum distinctione. Nam omnes linguæ in Ecclesia concordant in vera expositione legis, Psalterii et libri omnium prophetarum. Synagoga vero non habuit nisi unam linguam, et ornatum suum quasi uno colore, scilicet Hebræa.

CAPUT XXIII.

Probat hoc idem per verba Malachiæ prophetæ.

Timeo etiam, domine mi, de verbis inductis superius frequenter per Malachiam prophetam; dixit Deus Synagogæ: « Non est mihi voluntas in sacrificiis vestris, quia ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum inter gentes, quæ offerunt nomini meo sacrificium mundum (*Mal.* I). » cicut de natura sua munda sunt, aqua, vinum, et farina pura, de quibus factum est sacrificium, et non indiget mundatione et lotione; sed Synagoga indiget lavare carnes sacrificiorum et purgare ventres animarum quœ in sacrificio sacrificabuntur, et lavare locum de sanguine et pinguedine sacrificiorum, aliter esset horror tractare et videre. In sacrificio autem panis et vini et a quæ non apparet aliquid indecens aut turpe. Æstimo, domine mi, quod de isto sacrificio dixit Deus per Salomonem: « Melior est buccella panis cum charitate quam vitulus saginatus cum inimicitia (*Prov.* XVII). » Buccella amoris, domine mi, pura est mansuetudo super mansuetudinem, et remissio mutua offensarum, et vitulus odii saginatus est oculus pro oculo, et occulta interfectio inimicorum. Ergo, domine mi, sacrificium Synagogæ est vitulus pinguis cum inimicitia, et sacrificium Ecclesiæ buccella est panis cum charitate, de qua dicit Deus: « Melior est buccella panis, » etc. Pulchre etiam describit Deus Ecclesiam assimilando cervis, per os Salomonis, ub ait: Cerva Deo charissima in æmulo suo, cujus ubera inebrient te in omni tempore, et amor illius delectet te in æternum (*Prov.* V). » Et Ecclesia est Deo dilecta cerva in æmulo suo uno, de quo et qua scribitur: « Cerva charissima Deo in æmulo suo, non habens parem in nobilitate et gratia. » Tunc addit, domine mi, et dicit: « Inebrient te ubera ejus omni tempore, delectare in amore ejus jugiter, » quo significatur sacrificium Ecclesiæ omni tempore duraturum in æternum. Similat autem Deus illam matri lactanti filios, et in hoc quod dixit: « Inebriabo te, » denotat materiam sacramenti spiritualiter quantum ad vinum, et per « ubera » denotat in reliquis partibus sacramenti esse delectabile nutrimentum et sufficiens sacramentum quo sacrificio jam fruitur et delectatur Ecclesia. Jam mille anni sunt, a quo tempore privavit Synagogam sacrificio. Æmulus autem ille in quo Ecclesia est, tam grata Deo, est Christus Dominus, et ubera ejus dant vinum perpetuum, de quo provenit gaudium sempiternum, et non dicit quod dabit carnes et pinguedinem vel sanguinem quæ faciunt sacrificium laboriosum. Fuit autem Synagoga sicut mulier quæ habuit alium virum, (supple Deum), et perdidit illum et domum sanctam. Et ista Ecclesia fuit cerva in deserto sine marito, sed Deus vicem illius supplet. Unde ipse fortis et gloriosus dicit per Isaiam prophetam: « Puellæ sequestratæ meliores sunt quam illæ quæ habent virum (*Isa.* LIV). » Item ille propheta: « Ego faciam, dicit Dominus Deus, viam, et flumina ad potum populo meo electo, et tu, Jacob, non obedies, et tu, Israel, non audies (*Isai* XLIII). » Sicut nos, domine mi, sumus extra obedientiam, nec habemus aures nec oculos, quapropter captivitas nostra jam usque ad complementum mille annorum pervenit. Timeo, domine mi, de lege nostra quæ furoris iram habet in promptu, et dicit: « Oculum pro oculo, etc. (*Lev.* XXIV). » Sed cerva illa, æmulum habens unicum, dixit in Evangelio suo glorioso: « Qui te percusserit in unam maxilliam, statue illi alteram (*Matth.* V). » Loquitur David in psalm. XXX: Quam magna et quam multa dulcedo tua, Domine quam abscondisti timentibus te, et complevisti eam sperantibus in te. » Et est clarum, domine mi, quod populus Synagogæ timuerunt pœnas legis, scilicet oculum pro oculo, quia erat in promptu exsecutio. Sed populus Ecclesiæ sperans est in dulcedine Dei, qui percussi in faciem non repercutiunt. Quapropter paravit Deus, scilicet gentibus, magnam multitudinem dulcedinis suæ quam abscondit a Judæis. Attamen, etc.

CAPUT XXIV.

Quod cantus Christianorum est Deo acceptus

Paveo, domine mi, quod dictum est de apostolis illud Isaiæ: Manifestabunt sanctum Jacob, evangelizabunt Deum Israel, et accipient ignorantes scientiam, et musici scient leges (*Isai.* XXIX). » Aperte videmus, domine mi, quod jam sunt illi anni quod ignorantes musici, et docent legem nostram, et qui sunt ignorantes nisi gentiles, et qui sunt musici cantantes. Psalterium nostrum, et prophetas in Ecclesiis suis nisi Christiani? De quibus musicis, sive cantoribus, dicit Deus per os David: « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal.* XCVII). » Et quid est canticum illud novum, domine mi, nisi Testamentum Novum; et Antiquum, nisi lex antiqua? Et de istis etiam musicis dicit Deus per David prophetam: « Contate Domino, omnis terra,

psalmum dicite nomini ejus (*Psal.* CXXXIV). » Et in eodem psalmo: Cantabunt tibi et psallent nomini tuo universæ familiæ gentium. » Et notanter dicit, « universæ familiæ gentium, » et non Israel singulariter. De istis etiam musicis dicit Deus per os David : « Beatus populus qui scit cantilenam ; in lumine vultus tui ambulabunt (*Psal.* LXXXVIII). » De illis etiam, domine mi, scribitur : « Cantabant tibi gentes in domo Dei mei canticum (*Psal.* LXXXVIII). » In loco isto ponit cantilenam antonomastice. Etiam sunt mille anni quod nos Judæi non cantavimus in domo sancta. De istis cantoribus dicit David : « Cantabunt canticum in domo Dei in æternum. » De nobis dicit : « Quomodo cantabunt canticum Dei in terra aliena ? (*Psal.* CXXXVI.) » Et qualiter potest esse, domine mi, quod speramus terram habere et nomen, cum Deus dixit per Amos prophetam : « Cecidit Israel, et non resurget, virgo Israel prostrata est, et non elevabitur (*Amos* V). » Idem propheta : « Et veniet tribulatio et non salvabitur qui effugerit ex eis, et si absconderint se in monte Carmeli, inde præcipitabit eos manus mea ; etiamsi descenderint in profundum maris, illuc mittam serpentes, et mordebunt eos ; et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladium et occidet eos, et ponam oculum super eos in malum et non in bonum (*Amos* IX). « Quod fecit nobis Deus. Jam sunt mille anni completi, quod canticum et psalmum cantavimus, ex quo sic est Attamen, etc.

CAPUT XXV.

Quod Judæi indebite reprehendunt cantum Christianorum.

Domine mi, dixit Deus de cantu Christianorum per os David : « Omnes gentes, plaudite manibus, et cantate Deo voce laudis (*Psal.* XLVI). » Et alibi dicit : « Jubilitate Deo, omnis terra, servite Domino in lætitia. Introite in conspectu ejus, dicas totum jubilate (*Psal.* LXV). » Et : » Cantate Domino, omnis terra, et annuntiate de die in diem (*Psal.* XCIX). » Paveo, domine mi, ex quo Deus dixit per os Jeremiæ : « Docete filios vestros et filias vestras fletum et planctum, quoniam mors egressa est per portas vestras (*Jer.* IX). » Ex quo Deus dixit de his filiis musicis per os David : « Reges terræ : et omnes populi, principes et omnes judices terræ ; juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini (*Psal.* CXLVIII . » Et : « In sacrificio cantus honorabit me (*Psal.* XLIX) ; » ac si aperte diceret : Non in sacrificio carnium hircorum, sicut sacrificium nostrum. » Et de his Isaias propheta : « Addiscentes Scripturas, et totum Psalterium David, sic musicali arte notatum per sonum acutum et gravem. » His omnibus consideratis, videtur mihi quod nos erramus in hoc, quod nos in suæ laudis sacrificio judicamus, quod in Ecclesia Dei exhibent cantando, præsertim cum in lege Dei in hoc inveniamus præcepta et exempla David, qui etiam dicit : « Laudate eum in cithara et organo, et laudate eum in cymbalis magnis laudibus, et omnis spiritus laudet Dominum Jesum

A Christum (*Psal.* CL). » Exemplum etiam in secundo libro Reg. c. VI, ubi legitur quod « David discooperto capite saltans cum cithara ante arcam Domini quem temeraria uxor sua Michol ausa est redarguere, cui ipse ait : O fatua, nonne videbit me Dominus despectum psallentem ? filii autem Israel sonabant buccinam, dum transducebant arcam. » Sed quid sumus, domine mi, irridentes solemnitates ipsorum musicorum ; nisi Michol fatua, et qui sunt isti canentes, nisi Christiani saltantes et exsultantes Deo in humilitate, sicut David ? præsertim cum dicit Deus : « Omnis spiritus laudet Dominum (*Psal.* CL). » Si dixisset : Omnis Israelita præcise, tunc possemus aliis insultare. Hoc autem quod Isaias dixit quod « gentes sunt in conspectu ejus
B quasi nihil (*Isa.* XL), » est intelligendum de gentibus istis quæ fuerunt antequam haberent notitiam Dei per adventum Justi, quia tunc fuerunt pagani et idololatræ, non de gentibus quæ invenerunt Dominum, quæ offerunt omni die sacrificium mundum in Oriente et in Occidente, sicut dicit per os Malachiæ prophetæ (*Mal.* I), ut jam superius est allegatum et certo, domine mi, nos erramus. Attamen, etc.

CAPUT XXVI.

Probat apostasiam Judæorum a Deo.

Paveo, domine, quod apostatavimus a Deo in primo adventu istius Justi, de quo introduximus auctoritates prædictas, et cui expresse conveniunt omnia quæ scripta sunt apud nos in libris Legis et Prophetarum, propter quam apostasiam, sicut Deus prætendit longitudinem dierum, et captivitatem
C istam nobis intulit, et si exspectamus salvatorem alium ab illo Justo, non prodest nobis. Signum est evidens quod pro peccato generali, quod est in nobis omnibus, quod peccatum cum perseverat in nobis, perseverabit ira super gentem nostram sine spe, et tamen exspectamus aliquem alium, quæ exspectatio non prodest nobis. Et si voluerimus dicere quod hæc captivitas non est generalis, et quod in aliqua parte mundi nos habemus regem et principem, cito poterimus secundum Legem nostram argui de mendacio et convinci. Nam si nos Judæi in aliqua parte mundi regem et principem haberemus, hoc esset de una sola tribu, scilicet Juda, sed Deus definivit contra Judam quod non esset super Juda rex ex illa in æternum. Unde dixit Jeremias pro-
D pheta : « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in lapide adamantino, insiliens super corda eorum (*Jer.* XVII). » Et id quod scriptum est stylo ferreo in lapide adamantino qualiter deleri exspectamus, non delebitur in æternum, præsertim cum Deus fortis et gloriosus locutus est per os Isaiæ prophetæ : « Dominator Dominus aufert ab Jerusalem et Juda judicem, prophetam et principem (*Isa.* III). » De nobis etiam dicit propheta Osee : « Erunt filii Israel sine principe, et sine lege, sine sacrificio, sine ephod, sine altari et sine teraphim [therap] (*Ose.* III). » Nos scimus, domine mi, quod ab initio mundi fuerunt aliqui magni et sancti coram Deo, et in principio

fuerunt longæ vitæ, sicut Mathusalem et Enoch, et A cæteri (*Gen.* v), et nullum illorum extendit Deus ultra mille annos, et nos invenimus inter nos quod Messias, sive Christus promissus nobis, fuit natus in Babylonia tempore captivitatis illius quæ fuit septuaginta annorum, sed hoc tempus nostrum habet in ætate 1050 annos; quam fabulam et non prophetiam nulla ratione possumus defendere, et tamen dicimus et asserimus in Synagogis nostris, ubi nullus commiscetur nobis extraneus. Sed audias doctrinam Christianorum publicam super psal. LXXXVI: « Fundatam ad Sion dicet homo, et homo natus est in ea, et ipse qui est, fundavit eam. » In verbis istis nominat Mariam dominam nomine civitatis, et dicit quod » homo natus est in ea, » et non dicit, talis Israelita vel talis, ut intelligas quod filius B Mariæ non fuit unquam in lumbis alicujus hominis. Et in secundo libro Regum capite septimo, hoc manifeste declarat, cum Deus dicit ad David: « Quando compleveris dies tuos, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo progeniem tuam post te, quæ egredietur de utero tuo, et ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. »Sed nunquam fuisset possibile, domine mi, quod aliquis egrederetur de utero patris sui, sed hoc expresse ponit ad demonstrandum, quod Christus non foret concipiendus in muliere per semen decisum de lumbis viri, sicut cæteri homines, tam a David quam ab aliis descendendo. Dicit etiam Deus per os David in psal. CIX: « Ex utero ante Luciferum genui te, » ac si Deus fortis et gloriosus diceret de Christo suo, quod de C voluntate sua, quod est Spiritus sanctus, genuit eum, et non de semine dicendo, cum ponit ex utero, quia Christus natus ex utero sine virili semine præter cursum solitum naturæ, et næc est vera doctrina Christianorum quæ non intrat in capitibus nostris, propter hoc evenit nobis illud quod evenit nobis. Describit etiam per eumdem modum Christum nasciturum David propheta cum dicit in psal. CXXXI: Juravit Dominus veritatem: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Attamen Dei sumus.

CAPUT XXVII.

Concluendo inducit aliqua dicta Sarracenorum de Jesu et Maria matre ejus.

Certe, domine mi, licet nobis non opponant Christiani dicta Sarracenorum, præcipue quæ tra- D duntur in Alcorano et in expositionibus ejus scientes quod nos non reciperemus, sicut nec ipsi recipiunt, tamen ad fatigationem nostram esse et ad fortificationem credentium, si nobis opponerentur illa quæ dicuntur a Sarracenis de Jesu et de beata Maria matre ejus. Omnes enim Sarraceni dicunt quod ipse fuit ille Messias quem prædixerunt venturum, et præponunt illum Mahometo eorum deo quantum ad genealogiam. Fatentur enim quod parentes Mahometi fuerunt idololatræ et pravi, ex semine Agar ancillæ. Et dicunt quod Messias fuit filius Isaac et prophetarum et justorum, et recta linea usque ad beatam Mariam virginem matrem ejus. De Maria vero dicitur sic in Alcorano de familia Adamar: Dixit angelus Gabriel ad Mariam: O Maria, Deus te elegit et docuit gratiam, et præelegit super omnes mulieres omnium sæculorum, et posuit te quasi novum medium, dividens inter homines terrenos et angelos Dei in paradiso deliciarum. Dicunt etiam omnes Sarraceni quod Christus sive Messias habuit a Deo potestatem faciendi miracula, sanandi omnem languorem et infirmitatem, et ejiciendi dæmonia, et suscitandi mortuos, et scivit omnia secreta cordium, et credunt omnia miracula Jesum fecisse quæ Evangelium commemorat. Et hoc expresse testificatur Alcoranus ubi dicitur in capite prædicto quod Messias scivit et scit omnia, et etiam secreta cordium. Unde verba Mahometi fuerunt talia: Scivit Eise, id est Jesus, omnem librum et omnem sapientiam, et etiam totam legem Moysi, et quid homines comedebant et bibebant in domibus suis, et quid reponebant in thesauris suis. Dicunt etiam de Christo, sive Messia, quod, dum fuit in hoc mundo, contempsit divitias et abjecit carnales delectationes, nec habuit concubinas, quæ sunt occasio peccati et causa inobedientiæ. Item inducit in Alcorano illud verbum evangelicum; « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos (*Luc.* IX). » Et hæc omnia licet sint sine auctoritate a parte dicentium, sunt tamen conformes his quæ prophetæ dixerunt de Messia in primo adventu suo, ut patet in prædictis. Dicunt etiam in Alcorano quod Eise, id est Jesus Christus, est Verbum Dei, et hoc scilicet esse Verbum Dei, est Jesu Christi apud Sarracenos quasi nomen proprium, ita quod nullus alius homo vocatur in hoc nomine, nisi Jesus, quem vocant Arabice Eise. Dicuntur etiam in Alcorano sic: « Dixit Deus ad Eise: Ego sum sufficientia tua, ego levabo te usque ad me, et purificabo te infidelibus. » Considera ergo, domine, quod gens Judæorum propter captivitatem quam passi sunt jam mille annis, sunt enim paucissimi Judæi comparatione aliarum nationum. Nam Sarraceni multiplicati sunt, et crescunt quotidie. Fides autem Christi implevit totum mundum. Nos vero ubique dispersi sumus a Deo nostro, et ubique sumus paucissimi, sicut Ruben cui dixit pater: « Non crescas, etc. (*Gen.* XLIX). » Nos autem non crescimus, et illi crescunt quibus inimici super omnes gentes, et nil proficimus. Testimonium multorum stat semper contra nos, scilicet, Christianorum et Sarracenorum, Alcoranus et Evangelium Christi, quibus nolumus credere, quamvis meo judicio Alcoranus nihil valet cum manifeste contineat contra, sicut ipse nosti, et compositores ejus, apparet evidenter quod utcunque ignoraverint Tastamentum. Sed quid dicemus de Evangelio Christianorum, supposito quod Christus sive Messias jam venerit, nihil enim continet contra prophetas et legem nostram, sed est manifestatio omnium prophetarum, et promissionis impletio, quæ in lege continentur sumendo spiritualiter, prout continet

doctrina Christianorum. Nihilominus, domine mi, super his dubiis ad te recurro, maxime super primis nostris quæ habui a prophetis, quia de Alcorani testimonio scio quod quasi nihil reputabis, tu maxime qui Arabicum scis. Perfecte enim nosti quia ipse Mahometus, qui dixit se prophetam, nec ventura prædixi, et qui dixit se nuntium Dei, contra A Deum ejus Scripturam docuit ut corruptus homo penitus ignorans.

Explic. Epistola R. Samuel missa ad R. Is, sub anno Domini 1000, *translata de Arabico in Latinum per F. Alphonsum Bonihominis ordinis Prædicatorum, sub anno Domini* 1339.

ANNO DOMINI MLXXXV.

OSBERNUS

CANTUARIENSIS ECCLESIÆ MONACHUS ET PRÆCENTOR.

NOTITIA HISTORICA

(OUDIN. *Comment.* de Scriptoribus ecclesiasticis, II, 757.)

Osbernus Cantuariensis Ecclesiæ monachus et præcentor, quem Guillelmus Cavus omisit, natione Anglus, vir multæ pietatis et eloquentiæ, quem Possevinus in Apparatu Sacro ad annum 1020 floruisse asserit, atque Carolus Saussayus lib. v Annalium Aurelianensium, cap. 8, Obsernum vocat, nisi typographi is lapsus est. Ita quidem senseram in Supplemento scriptorum, pag. 322, sed attentis propius omnibus, hunc Osbernum Cantuariensem monachum, Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis familiarem et synchronum, sub Guillelmo Notho Anglorum rege anno 1080 et ultra floruisse probabilius est, de quo ita Guillelmus Malmesburiensis in libro De regibus Anglorum, cap. 8, ubi de S. Dunstano: *Plura et non contemnenda de viro volentem dicere, revocat Cantuariæ cantor Osbernus, qui ejus Vitam Romana eloquentia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus, musica certe omnium sine controversia primus.* Quibus verbis claruisse suis quodammodo temporibus, testatur Guillelmus Malmesburiensis. Apud Cantuarium natus, saltem a teneris annis apud Cantuariensem ecclesiam enutritus fuit. Sic enim lib. II *De Vita S. Dunstani*, cap. 12, scribit: *Forte ego cum alio puerulo coætaneo meo ad altare Christi* (Cantuariæ) *ministraveram, consummatoque ministerio per gradus descendere incipiebam.* Idem capitulo 20 ejusdem libri, tradit sibi commissum fuisse prædicationis munus a Lanfranco archiepiscopo. Officia vero, quæ gessit in cœnobio Cantuariensi memorat nota librarii, ad calcem libri ejusdem addita in codice Lambethano: *Explicit Liber miraculorum beatissimi Patris nostri et patroni archiepiscopi Cantuariensis Ecclesiæ, secundum Osbernum hujus Ecclesiæ commonachum et præcentorem et subpriorem, qui erat vir doctissimus.* Hujus ætate ecclesia Cantuariensis incendio conflagravit, eo circiter tempore quo Lanfrancus ar- B chiepiscopatum suscepit, nimirum an an. 1070. Interierunt eo tempore præcipua Ecclesiæ Cant. monumenta, et veterum archiepiscoporum et sanctorum Anglicorum Vitæ elegantiores. Superfuerunt duntaxat aliqua in Anglicam linguam olim conversa. Ut hanc jacturam resarciret, et ex Anglicanis reliquiis archiepiscoporum Vitas Latine concinnaret, sibi a commonachis suis operam fuisse datam Osbernus in præfatione ad Dunstani Vitam innuit. Obitum illius his verbis Obituarium Cantuariense tradit: IV Kalend. Decembris obiit Osbernus præcentor ecclesiæ Christi Cantuariensis. Ex his Vitis hodiernum exstant Vitæ SS. Dunstani et Elphegi cum Historia de translatione Elphegi, Singulas edidit Henricus Warthon a quo verbatim hæc pleraque accepimus, tomo II C Angliæ sacræ, pag. 88, 122 et 143, ex unico bibliothecæ Lambethanæ codice, qui Ecclesiæ Cantuariensis olim fuit, et plures archiepiscoporum et sanctorum Cantuariensium Vitas complexus est. Commentarium suum de Vita S. Dunstani Osbernus duobus libris absolvit. Primus de rebus ab ipso vivente gestis, secundus de miraculis post mortem factis agit. Uterque apud Acta sanctorum Antuerpiensia Bollandistarum, tomo IV Maii, pag. 359, de quibus loquitur late Daniel Papebrochius, pag. 344, in commentariis Vitæ S. Dunstani præviis Et apud Acta Benedictinorum Mabillonii, Sæculo v, p. 654 exstat. Librum autem secundum prætermisit loco citato Warthon, ideo quod ad historiam perparum contulerit, præfatione tantum data pag. 121, ut D inquit in præfatione ad tomum II Angliæ Sacræ num. v, pag. 9. Itaque Vitam et miracula sancti Dunstani Cantuariensis archiepiscopi libris duobus contexuit, quos repræsentat Laurentius Surius ad diem 19 Maii, teste Gerardo Joanne Vossio, lib. II De historicis Latinis, cap. 46, pag. mihi 357. Verum hos ex manuscripto codice Colbertino primus

edidit Joannes Mabillon. Sæculo V sanctorum ordinis divi Benedicti, page 659 et sequentibus, quos nonnulli crediderunt idem esse opus quod apud Surium die 19 Maii sub nomine Osberti monachi legitur. Idem Osbernus scripsit etiam Vitam sancti Odonis, Cantuariensis archiepiscopi, quam ex eodem manuscripto codice Thuano Colbertino, edidit loco citato idem Mabillon. pag. 287, quæ dicitur quoque exstare ms. Cantabrigiæ, in bibliotheca Collegii Sancti Benedicti. Denique Vitam et Passionem sancti Elphegi, Cantuariensis episcopi et martyris, quam ediderunt successores Bollandi, ad diem 19 Aprilis, tomo II, pag. 621, et sequentibus : quæ etiam ms. superest Cantabrigiæ in Collegio citato, cum Vita S. Martini, Odilonis. Majolæ et aliorum, ejusdem Osberni. Vitam S. Elphegi ab Osberno scriptam Eadmerus, lib, I De Vita Anselmi, cap. 29, sic laudavit : *Historiam vitæ ac passionis ejus* (Elphegi) *diligenti studio fieri præcepit* (Lanfrancus), *quam quidem Historiam non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine ad canendum, a jucundæ memoriæ Osberno, Cant. Ecclesiæ monacho, ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia amore martyris celsius insignivit, insignitam auctorizavit, auctorizatam in Ecclesia Dei legi cantarique instituit, nomenque martyris hac in parte non parum glorificavit.* Compendium hujusce Vitæ extat apud Legendam Novam Capgravii, atque exinde apud Surium die 19 Aprilis, ubi Osberno inscribitur, et tanquam Osberni opus a Baronio et aliis citatur. Opus Osberni genuinum evulgarunt collectores Actorum sanctorum Antuerpienses, die 19 Aprilis, addita Historia ejusdem de translatione S. Elphegi, ex Harpsfeldii Historia ecclesiastica, quæ non longe post initium deficit. Utramque autem ex codice Lambethano perfectam dedit Henricus Warthon, tomo II Angliæ Sacræ, pag. 122 et 143. Exstat utraque in codice antiquo bibliothecæ Cottonianæ Otho A. 12, et in alio adhuc vetustiori Vitellius D. 17, cui utrique Osberni nomen manu recentiori præfigitur. Osbernum autem auctorem fuisse, præter Eadmeri locum supra adductum et codicis ms. Lambethani fidem, constat quoque ex Malmesburiensi fol. 116-139, qui Osberni librum De Vita Elphegi laudavit, et ex eo multa in nostro totidem verbis reperta descripsit. Hæc Warthon in præfatione ad tomum II Angliæ Sacræ, num. 6, pag. 9.

Cum autem idem scriptor ibidem procurasset imprimi sub Osberni nomine librum De Vita S. Odonis archiepiscopi Cantuariensis, pag. 78, itemque. pag. 75, librum De Vita S. Bregwini Cantuariensis archiepiscopi; illosque postmodum Osberno suppositos putaverit, illius censuram hic subjicere visum est quam habet in præfatione ad tomum II Angliæ Sacræ, num. 7 et 8, pag. 10.

« Osbernum conscripsisse Vitam Odonis archiepiscopi Malmesburiensis testatur, qui in texenda sua De pontificibus Anglorum Historia, eadem usus est. Ex pluribus autem quæ adducit illius loci colligi haud obscure potest librum Osberni de Vita Odonis quem Malmesburiensis vidit, a nostro diversum fuisse ; quod et Joannes Mabillonius antea observavit. Hunc tamen qui superest librum sub Osberni nomine idem Mabillonius e vulgavit Sæculo Benedictinorum V, pag. 283, eumdemque inscriptum eidem auctori, nos ex eodem codice Lambethano repræsentavimus. Præterquam enim quod alium Vitæ Odonis scriptorem Baleus, seu Pitsius, non memoraverunt, huic in codice Cottoniano Otho A. 12, licet manu recentiore Osberni nomen præfigitur, Quin etiam Jocelinus De Historicis Anglicis, cap. 10, Vitam Odonis ab Osberno scriptam hac sententia inchoatam esse dicit : Venerabilis Christi confessor Odo nobilibus, sed paganis, etc., quæ libri a nobis editi initium facit. Illa denique, in quibus Vita a Guillelmo Malmesburiensi citata a nostra discordat, levioris momenti sunt. Postea tamen errorem deprehendi, in antiquo enim collegii Corporis Christi Cantabrigiensis codice, hæc Vita inter alia Eadmeri Opera reponitur, eidemque inscribitur. Huic itaque restitui debet. Vitam B. Bregwini brevem ex eodem codice Lambethano accepi, inter Odonis et Elphegi Vitas collocatam. Hinc nata est mihi licentia, illam Osberno deberi posse. Postmodum vero illam in Joannis Tinmuthensis Sanctilogio inveni ad calcem Historiæ Aureæ in bibliotheca Lambethana. Eam Tinmuthensis ex uberiori commentario Eadmeri de Vita ejusdem accepit, verbis istius ut plurimum asservatis. De Eadmeri libro inferius dicendum est. »

Inter mss. codices ecclesiarum Angliæ cathedralium, num. 5996, in mss. Thomæ Galei codice 162, Osberni epistolæ exstare dicuntur. Quoad autem Vitam sancti Edwardi regis, quam Gerardus Joannes Vossius, libro II De Historicis Latinis, cap. 46, pag. 380, dicit exstare ms. in volumine De vita et miracnlis quorumdam sanctorum, quod a Vita Martialis incipit, in Collegio divi Benedicti Cantabrigiæ, ubi extremo loco repertas Vitam regis Eduardi in epitomen contractam ex tract. domini Osberni Westmonasteriensis, ut est apud Thomam James. Opinor id esse non verum, nec illam unquam ab Osberno Cantuariensi compositam, sed longe serius ab Osberto nimirum Westmonasteriensi, circa annum 1136, cujus ætate nondum Edwardus in album sanctorum relatus fuerat, ut ex epistolis illius constat, de quibus disseremus postea. Confundant plerique hunc Osbernum cum Osberto ejusdem ferme temporis et instituti et nationis, cui inscripsit libros duos, unum De vita, alterum De miraculis sancti Dunstani Cantuariensis archiepiscopi, quos Surius ad diem 19 mensis Maii sed truncatos et mutilos ; integros autem, atque sanatis utcunque eorum vulneribus, edidit Joannes Mabillon, Sæculo III sanctorum ordinis divi Benedicti. pag. 701 et seqq. Osberno Cantuariensi legitimo auctori restitutos. Agit de utroque Osberno et Osberto Gerardus Joannes Vossius, lib. II De Historicis Latinis, cap.

43. pag. mihi 380 et cap. 49, pag. mihi 409. De Osberno Cantuariensi monacho Joannes Lelandus Collectaneorum vol. I, num. 4, ubi Vita S. Elphegi archiepiscopi, auctore Osberno Cantuariensi. pag. 22, excerpitur. Et Collectaneorum volum. IV num. 104, pag. 137. Cæsar Baronius in Annalibus ad annum 840, 855, 857, 860, et in Notis ad Martyrologium Romanum die 19 Maii, qui ubique Osbertum A vocat. Henricus Warthon in præfatione ad tomum II Angliæ Sacræ, num. 4, 5, 6, 7 et 8, quem hic exscripsimus. Joannes Mabillon, in Actis sanctorum ordinis divi Benenicti Sæculo sexto, parte I. pag. 113, ubi Vitam sancti Elphegi profert, editionis Parisiensis apud Carolum Robustel, anno 1701, in-folio.

VITA SANCTI DUNSTANI

ARCHIEPISCOPI CATUARIENSIS

Auctore OSBERNO *ejusdem Ecclesiæ Cantuariensis monacho.*

(Vide Patrolog. tom. CXXXVIII, col. 407, in S. DUNSTANO.)

VITA SANCTI ELPHEGI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS ET MARTYRIS

AUCTORE OSBERNO.

(MABILL. *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. VI, parte I, pag. 114, ex Aprili Suriano et ms, cod., Thuaneo.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Beatus Lanfrancus, Cantuariæ antistes, a sancto Anselmo, tunc Beccensi abbate, persuasus, Liphegum archiepiscopum Cantuariensem, qui a Danis interfectus fuerat, pro vero et indubitato martyre posse haberi, ut inferius dicturi sumus, Osberno Ecclesiæ suæ monacho provinciam dedit ejusdem sancti martyris Acta litteris mandandi, ut in officio divino legerentur. Pontificis imperio obtemperavit Osbernus, ac beati Elphegi Vitam non solum « pleno dictamine, » ut, ait Eadmerus, verum etiam « musico modulamine ad canendum » edidit. Hanc ex Surio exhibemus, addito ex ms, codice bibliothecæ Thuanæ prologo, quem Bollandini etiam edidere cum prolixiori Vita, quam genuinum Osberni fetum existimant. Verum cum hæc Vita, quæ in Aprili Bollandiano publicata est, ea ipsa solummodo pluribus verbis referat quæ apud Surium pauciori. bus exprimuntur, breviorem hic sufficere visum est. Elphegi Vitæ ejusdem translationis historiam subjungimus, quam idem Osbernus aliquanto post editam Vitam conscripsit, ut ipse in narrationis exordio at testaur. Hanc vero ex laudato codice Thuaneo primum descripsimus, sed eam postmodum invenimus in Anglia Sacra editam ex mss. Anglicanis; cujus solummodo fragmentum dederunt Bollandiani, quod imperfecta in eorum codice haberetur.

B 2. Vita sancti Elphegi non solum ab Osberno auctoritatem habet, sed etiam a beato Lanfranco, qui eam approbasse, et toti Anglicanæ Ecclesiæ legendam tradidisse memoratur apud Eadmerum, libro I De vita sancti Anselmi, ubi de Lanfranco sic loquitur ? « Historiam vitæ ac passionis ejus (sancti Elphegi scilicet) diligenti studio fieri præcepit, quam quidem Historiam non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine ad canendum, a jucundæ memoriæ Osberno, Cantuariensis Ecclesiæ monacho. ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia pro amore illius martyris celsius insignivit, insignitam auctorizavit, C auctorizatam in Ecclesia Dei legi cantarique instituit, nomenque martyris hac in parte non parum glorificavit. » Ex hoc apparet sancti Elphegi memoriam jam sæculo undecimo celebrem fuisse, utpote cujus festum per totam Angliam tunc solemne habebatur, quod item ex ipsa ejus translationis Historia manifestum erit. Hujus sancti martyris cultus exinde in Anglia perseveravit usque ad ejuratam sub Henrico VIII fidem. Imo non apud Anglos solum, verum ettam apud alias naiiones celebris fuit sancti Elphegi memoria, cujus diem festum agi in Dolensi ecclesia apud nostros Brittones observavit Godefridus Henschenius. Nomen ejus præter Angticanum

Martyrologium et Benedictinum, Romanum etiam, Galesianum et alia quæ post sæculum XI conscripta sunt, repræsentant; idque die 19 Aprilis, qui ipsi supremus fuit. Ejus vero translationis festum die 8 Junii consignat Osbernus ipse in translationis Historia. Apud Germanos non ignotum fuisse pater ex ejus elogio quod Trithemius in nova editione Chronici Hirsaugiensis inseruit ad annum 1015. Anno sequenti consignat ejus martyrium Chronici Saxonici sive Magdaburgensis auctor, ubi beatum hunc virum nescio qua ratione *Dustein* appellat; sic vero habet: « Eodem tempore Nortmanni, duce Turkilo, Cantuariæ civitatis egregium antistitem, nomine Dustein, captum cum cæteris, vinculis et inedia more suo crudeliter exstinxerunt. Qui humana motus fragilitate, pecuniam promisit, et inducias poposcit, ut si redemptione acceptabili mortem evadere non posset, semetipsum gemitibus purgaret. Transactis induciis, promissum poscentibus ait: « Præsto sum, « paratus ad omnia pro Christi amore, ut suorum « servorum exemplum merear fieri. Quod autem « vobis mendax videor, non voluntas mea, sed « egestas effecit. » Illis sævientibus dux Turkil accurens inquit: « Ne, quæso, faciatis, omnia quæ « habeo, excepta navi, ne in Christum Domini peccetis, libens trado. » At illi effrenes boum capitibus et lapidum imbribus innocentem sanguinem effundunt. Statimque unus de primiceriis membris debilis effectus, agnovit in semetipso quod peccavit in Dei electo. » Ejusdem sancti viri meminere omnes, quotquot sciam, Anglicani scriptores, qui ejus Acta ex Osberno desumpserunt; si quid de sancto Elphego in his occurrit singulari memoria dignum, illud per modum notularum ad ejus Vitam exhibebimus. Hic monere sufficiat sanctum Elphegum concilio Ænhamensi generali totius Angliæ præfuisse, quod sub Æthelredo rege die sancto Pentecostes habitum fuit; ad quod regis edicto, non solum totius regni episcopi, sed et allii optimates convenerant, ubi multa ad disciplinam ecclesiasticam recte instituendam statuta sunt, quæ apud Spelmannum, tomo I Conciliorum Angliæ habentur, et in Conciliorum generalium Labbei tomo IX.

3. Nemo, ut quidem mihi videtur, inficiari potest sanctum Elphegum inter veros martyres esse recensendum, postquam sanctus Anselmus probavit non minus ipsi quam sancto Joanni Baptistæ martyris titulum deberi. Id fusius narrat Eadmerus libro I De vita sancti Anselmi, cujus verba huc referre visum est, utpote a multis prætermissa: quæ tamen maxime ad sancti hujus antistitis gloriam cedunt. Sic itaque rem narrat: « Erat Lanfrancus adhuc quasi rudis Anglus, necdumque sederant animo ejus quædam institutiones, quas reperierat in Anglia. Quapropter complures de illis magna fretus ratione, tum quasdam mutavit sola auctoritatis suæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, et Anselmum unanimem scilicet amicum et fratrem secum haberet, quadam die familiarius cum eo loquens dixit ei: « Angli isti, inter quos degimus, « instituerunt sibi quosdam quos colerent sanctos: « de quibus cum aliquando qui fuerint, secundum « quod ipsimet referunt, mente revolvo, de sanctitatis eorum merito animum a dubietate flectere « nequeo. Et ecce unus illorum est in sancta cui « nunc, Deo auctore, præsidemus sede quiescens, « Elphegus nomine, vir bonus quidem, et suo tempore gradui archiepiscopatus præsidens ibidem. « Hunc non modo inter sanctos, verum et inter « martyres numerant; licet eum non pro confessione « nominis Christi, sed quia se pecunia redimere non « voluit, occisum non negent. Nam cum illum, ut « verbis utar Anglorum, æmuli ejus et inimici Dei « pagani cepissent, et tamen pro reverentia illius ei « potestatem se redimendi concessissent, immensam « pro hoc ab eo pecuniam expetiverunt; quam quia « nullo pacto poterat habere, nisi homines suos « eorum pecunia spoliaret, et nonnullos forsitan « invisæ mendicitati subjugaret, elegit vitam perdere quam eam tali modo custodire. Quid hinc igitur tua fraternitas sentiat, audire desidero. » Et quidem ille, sicuti novus Angliæ civis, hæc summatim perstringens Anselmo proposuit.

4. Attamen causam necis beati Elphegi historialiter intuentes videmus non illam solam, sed aliam fuisse ista antiquiorem. Denique non ideo tantum quia se pecunia redimere noluit, sed etiam quia paganis persecutoribus suis, civitatem Cantuariam et ecclesiam Christi in ea sitam concremantibus, civesque suos atroci morte necantibus, Christiana libertate obsistere, eosque a sua infidelitate convertere nisus est, ab eis captus et crudeli exanimatione est occisus. Sed Anselmus, ut vir prudens, viro prudenti juxta interrogationem sibi propositam simpliciter ita respondit, dicens: « Palam est quod « is qui ne leve quidem contra Deum peccatum « admittat, mori non dubitat, multo maxime mori non « dubitaret, priusquam aliquo gravi peccato Deum « exacerbaret. Et revera gravius peccatum videtur « esse Christum negare, quam quemlibet terrenum « dominum, pro redemptione vitæ suæ, homines suos « per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gravare; sed hoc quod minus est Elphegus noluit facere. Multo igitur minus Christum negaret, si vesana « manus eum ad hoc mortem intentando constringeret. Unde datur intelligi, miram pectus ejus « justitiam possedisse, quando vitam suam maluit « dare, quam, spreta charitate, proximos suos scandalizare. Quamobrem longe fuit ab eo illud Væ « quod Dominus minatur ei per quem scandalum « venit. Nec immerito, ut reor, inter martyres computatur, qui pro tanta justitia mortem sponte « sustinuisse veraciter prædicatur. Nam et beatus « Joannes Baptista, qui præcipuus martyr et veneratur et creditur a tota Dei Ecclesia, non quia « Christum negaret, sed quia veritatem tacere noluit, occisus est. Et quid distat inter mori pro « justitia, et mori pro veritate? Amplius, cum,

« testante sacro Eloquio, ut vestra paternitas optime « novit, Christus et veritas, et justitia sit, qui pro « justitia et pro veritate moritur, pro Christo mori- « tur; qui autem pro Christo moritur, Ecclesia « teste martyr habetur. Beatus vero Elphegus æque « pro justitia, ut beatus Joannes passus est pro ve- « ritate. Cur ergo magis de unius quam de alterius « vero sanctoque martyrio quisquam ambigat, cum « par causa in mortis perpessione utrumque deti- « neat ? »

5. « Hæc me quidem, reverende Pater, in quan- « tum perspicere possum, rata esse ipsa ratio docet; « attamen vestræ prudentiæ est et me, si aliter sen- « tit ab hoc corrigendo revocare, et quid potissi- « mum in tanta re sentiendum sit, Ecclesiæ Dei do- « cendo monstrare. » Ad quod Lanfrancus : « Fra- « ter, inquit, subtilem perspicaciam et perspicacem « subtilitatem ingenii tui vehementer approbo et « veneror, firmaque ratione tua edoctus, beatum « Elphegum, ut vere magnum et gloriosum marty- « rem Christi, deinceps me colere et venerari ex « corde, gratia Dei juvante, confido. » Quod ipse postmodum devote exsecutus est, quin et Historiam vitæ ac passionis ejus diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem Historiam non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine, » etc., ut supranam. 2. Hæc Eadmerus in Vita sancti Anselmi.

6. Porro in eadem Danorum persecutione, Cantuaria a barbaris occupata, multos martyrio affectos fuisse non obscure tradunt Anglicani scriptores, ex quibus Leotronam abbatissam monasterii Sanctæ Mildrithæ, cum multis monachis et sanctimonialibus commemorat Martyrologium Benedictinum die 30 Julii. Legendus ea de re Rogerius de Hoveden ad annum 1011, ubi de hac clade multa habet. Sed jam Elphegi Vita proferenda est.

INCIPIT PROLOGUS OSBERNI MONACHI.

Omnibus in fide Christi manentibus indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ metropolitanæ filius OSBERNUS, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo, et amborum Spiritu sancto.

Si cœlestis sententia gravem in illum sanxit vindictam qui acceptam pecuniam sudario reponere, quam mensæ nummulariorum maluit apponere, nequaquam mihi succenendum esse existimo, si hujus sententiæ periculum devitans, ea que de glorioso Christi martyre Elphego ipse agnovi, aliis quoque agnoscenda proponam. Erit autem divinæ providentiæ et me veraciter dicentem, et illos salubriter audientes, ita retribationis suæ beneficio donare, ut neque me laboriosæ aliquantulum narrationis, neque illos usurariæ pœniteat operationis. Illud quoque non mediocriter ad dicendum me invitat, quod eos plerumque torporis accusamus, qui res quas suis quidem temporibus ad honorem Altissimi factas noverunt, dictitandi officio ad sequentes transmittere noluerunt. Quorum nos desidiam aut certe vituperare non debemus, aut ipsa ea quæ memoratu digna scire potuimus efferre; ne qua in re præcedentes improbamus, in ea a subsequentibus multo maxime improbandi videamur. Sane veritatem rerum ita polliceor, ut nulla me, sublato, si quis infuerit, splendore verborum, dicturum profitear, quæ non aut ab his qui viderunt, aut a videntibus audierunt acceperim, et eis fide simul et auctoritate plurimum præstantibus. Quorum quidem vocabula idcirco sponte refugio, quoniam dicendi primitias barbaricis appellationibus decolorare nolo. Aliqua tamen de his rebus non incommode scripta inveni, quorum sententias exinde assumptas præsenti scripturæ congruo ordine inserendas judicavi. Illius itaque freti auxilio, cujus gratuita bonitate sumus quidquid bene sumus, cujus largiflua miseratione sapimus quidquid bene sapimus, tangamus psalterium, tangamus et cytharam, ut in altero sempiternam martyris gloriam exsultando prædicemus, in altero corporales ejus passiones imitando veneremur; ac quemadmodum, precipiente invictissimo totius Latinitatis magistro Lanfranco archiepisco, musica virum modulatione dudum extulimus, sic, cogentibus his quas diximus rationum causis, oratoria eumdem narratione extollamus.

INCIPIT VITA

1. *Elphegus monasticam vitam amplectitur. Monasterium Bathoniæ construit.* — Principium nascendi a splendidissimis natalibus trahens Elphegus, magna prudentia et summa humilitate vitam instituit. Cujus animi ingenui atque vitæ innocentiam parentes admirati, litterarum eum scientia et Christianæ religionis sapientia inbuendum tradiderunt. Qui totum philosophiæ studium convertit ad diligendum Deum, illum nosse, illi parere, illius jugo mancipare se semper desiderans. Tactus itaque Majestatis spiritu, paternæ hæreditatis negligens, maternum dolorem cum ab ea unice diligeretur obliviscens, mundum deseruit, et in monasterio nomine Derhirst (1) religionis habitum suscepit: ubi privata

(1) Alias *Diherst*, seu *Derheste*. Doherhustam appellat Beda, cujus tempore insignis fuit abbatia; Willelmi autem Malmesburiensis ætate nihil aliud erat quam *inane antiquitatis simulacrum*, ut ipsemet loquitur libro II Pontificum Anglorum, § *De episcopis Wintoniensibus*. Situm erat in agro Glocestrensi,

desideria propriasque voluntates cœpit abigere, cunctorum famulatui subjacere, omnium se quasi quoddam instrumentum exhibere, Deum infatigabiliter diligere, jejuniis et vigiliis vacare. Et quidem quibuscunque potuit studuit prodesse: quibus autem prodesse non potuit, saltem non obesse conatus est. Transactis autem in monastica religione aliquot annis, cum videret tempus adolescentiæ præterire, arctioris vitæ semitam arripere, singularemque cum antiquo hoste certamen inire contendit. Egressus itaque de monasterio, pervenit ad locum Bathonia (*id est* Balneum) vocatum (2), ubi aqua calida de terra emergens, balnearum usum pro voluntate præstat. Ibi habitaculum construens, se inclusit, et rigore incredibili copus suum jejuniis et abstinentia afflixit. Confluebant ad eum in brevi nobiles quique, suarum vulnera animarum detegentes, et consilium salutis ab eo perquirentes. Unde factum est ut non parva monachorum turba intra tempus exiguum ibidem congregata sit.

2. *Suos ad perfectiora adhortatur.* — Culpabat autem non modice vir sanctus illos qui sæcularem habitum mutarent, et vitam non mutarent. « Annon, inquit, mendacii tibi plenus videtur, qui quod non est esse se ostentat, dum aliud simulat in veste, aliud gestat in corde? Sanctius est enim vestem non mutare, quam sub veste vitam negligere. » Cum autem amplissima mansione perfecta, sobrietatis legem discipulis indixisset, atque carnales appetitus refrenare docuisset, ipse in augusta domuncula se inclusit; summas tamen causas et negotia ad eum fratres referebant. Plerique interea monachorum fidei et professionis immemores, laxatis obedientiæ frenis, mediis noctibus furtivos cibos edere, ebrietati operam dare, lascivire; et prorsus quæ inhonesta sunt, quantum latens audacia sinebat, operari cœperunt. In cujus sceleris capitalem ira Dei desævit pariter et occidit. Nocte vero quadam, Elphego more solito sacras excubias faciente, voces et strepitus intra monasterium audivit. Egressus autem foras, fratrem quemdam misere afflictum et jacentem vidit, super quem horrendi aspectus et sordidissimi amictus homines stabant, qui taureis eum atque ignitis serpentibus flagellabant. Ejulante autem illo, et præ dolori augustia diros ululatus emittente, tortores illi talia improperando dixerunt; Nec tu obedisti Deo, nec nos tibi. Et hæc dicentes, animam de corpore excusserunt. Quod videns sanctus, totus in lacrymas resolutus, rediit ad cellam suam. Videntes autem fratres quæ gesta sunt, errorem suum faten-

A tes, et pœnitentiam agentes, vitam in melius commutarunt.

3. *Fit episcopus Wintoniensis.* — Mortuo autem Wintoniensi episcopo Ethelwoldo, facta est non modica contentio pro pontificis electione inter monachos et clericos. Siquidem clerici ejusdem Ecclesiæ sceleratissimam vitam agentes, contra canonum statuta per omnia viventes, cum a præfato antistite sæpius correpti pravos mores corrigere nollent, imo quæ prave gesserant pertinaci spiritu defendere vellent, regali sanctione decretum fuit eos expelli, et alios, qui digniores essent, eorum vice fungi debere. Itaque clericis in exterminium datis, timentes Dominum monachi admittuntur. Ex quo factum est ut in electione episcopi clerici clericum, monachi

B monachum, utrique suæ voluntatis fautorem vellent, Quod videns sanctus Dunstanus, ad orationis refugium se contulit, Deum, cui futurorum scientia patet, suppliciter rogans, quatenus dignaretur ostendere qui regendæ ecclesiæ idoneus foret. Cumque preces devote multiplicaret, apparuit ei beatus Andreas apostolus, tali oraculo usus: Quid, inquit, charissime, contristaris? quid tam lugubres questus lacrymando depromis! Surge, et Elphego abbati manum impone, et episcopum desolatæ Ecclesiæ constitue. Nec te aliquorum potentia prohibeat, quoniam non ab homine, sed a Deo, hæc de illo sententia processit. Ne autem de me te sollicitum reddam, ego sum Andreas. Filii Dei apostolus; tuæque salutis diligentissimum custodem me esse noveris. » Sicque relevatus Dunstanus. Elphegum, ut

C jussus fuerat, episcopum consecravit, et ad sedem suam cum honore remisit.

4. *Virtutes in episcopatu. Ecclesiæ thesauros pauperibus distribuit.* — Elphegus autem ita se omnium moribus conformavit, ut et omnibus charus esset, et nemo, quod rarum est inter homines, ejus gloriæ invideret. Summæ in omnes exstitit misericordiæ; in seipsum vero impius videbatur et crudelis (3). In hyemali enim frigore et glacie, cum somnus nocte omnes occuparet, ipse clam nudis pedibus, sola tunica indutus, de stato surgere, foras exire, et usque ad auroram orationibus vacare consuevit. Cum autem pransurus ad mensam intraret, tam vacuus fere a mensa surrexit, quam accessit. Unde corpus illius tanta attenuatum est macie, ut cum manus cum

D sacramento tensans in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas claritas aeris perspici posset. Omni generi hominum suum scivit contemperare sermonem et animum. Nullum parochianorum suorum publice mendicare permisit, nec alterius loci

a sancto Eduardo rege reparatum, et donatum monachis Sancti Dionysii in Francia. Elphegus ejusdem cœnobii professus dicitur in charta Henrici VI regis, Monast. Anglic. tomo I.

(2) Glastoniæ priorem fuisse, priusquam abbas fieret, scribunt plerique recentiores, quod cum admittere noluerint Bollandiani ex auctoritate Antiquitatum Britannicarum, id ex Historia Glastoniensi quæ habetur tomo I Monastici Anglicani probat auctor Angliæ Sacræ Tem II. Bathoniæ autem monasterium quod hic Elphegus excitasse dicitur, diversum videtur a celebri monasterio sanctimonialium quod sæculo VII exstructum fuit, ac postea cessit canonicis sæcularibus, ubi sub Edgaro rege monachi Benedictini degebant. Nisi dicatur illud a barbaris destructum a sancto Elphego restauratum fuisse; a Danis iterum destructum, et iterum reparatum, tandem in cathedralem ecclesiam mutatum esse.

(3) Addit Willelmus Malmesburiensis libro II De Pontificibus Anglorum, § *De Wintoniensibus episco-*

pauperem vacuum abire sivit, immane horrendumque nefas reputans, si quod natura commune constituit, hoc velit homo ceu proprium usurpare. Quapropter nec Dominici corporis membrum esse, qui pauperum indigentiis nollet subvenire, vigilanter disputabat. Nam si patiente uno corporis membro compatiuntur cætera, manifestum est ejusdem corporis membrum non esse quod patiente alio compassionis affectum nescit habere. Ubi vero illa defecerunt quæ ex jure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent, thesauros ecclesiæ, quos ipse multiplices paraverat, jubet distribui; docens ex hoc ornatissima quæque ecclesias possidere, ut tempore fecilitatis sint honestati, tempore vero necessitatis sint utilitati (4).

5. *Cantuariæ transfertur.* — Cum autem beatus Dunstanus obitum sibi imminere conspiceret, et Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari metueret, sollicitis obsecrationibus aures divinæ misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum successorem habere possit. Cui statim exaudito, quod postulat, promittitur: quamvis non statim quod promissum fuerat, adimpletur. Qod ea re dilatum fuisse arbitror, ut et omnibus manifestum fieret, quantum Deus Dunstanum diligeret, cui quod viventi tam benigne promiserat, hoc defuncto longe post tam veraciter exhibebat; et Elphegum illa tempora invenirent quæ eum ad martyrii gloriam provehere possent (5). Anno autem Domini millesimo et sexto, ab adventu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octavo, Elphegus, anno ætatis suæ quinquagesimo secundo, archiepiscopus Cantuariensis effectus est. Cumque iter versus Romam pro pallio habendo arriperet, et quoddam oppidum hospitandi gratia intraret, oppidani hominem incognitum videntes, et avaritiæ suæ consulentes, in domum irrumpunt, res ejus diripiunt, cumque omni supellectili privatum verbis et verberibus exire compellunt. At ille injurias suas leniter ferens, suorum vero mediocriter dolens, via qua venit regreditur. Necdum ab oppido longe recesserat, et ecce horrendæ voces mœnia corripiunt, quæ civibus et ædificiis celerem minantur ruinam. Nec mora vorax flamma oppidum consumere cœpit: cumque ignis vehementer excresceret, nec evadendi spes aliqua fuisset, virum sanctum adeunt, fatentur delictum, et veniam petunt. Mox sanctus, illis compatiens, preces ad Deum fudit, et ignis molestia protinus exstincta cessavit. Restitutis ergo episcopo rebus suis (6) acceptoque a papa pallio, domum prospere regreditur. Pudicitiæ virtus tantum dominabatur in eo ut nemo illo audiente vel obscenum aliquod verbum proferre, vel turpe factum ferre auderet. Erat vero etiam pauperum consolator, oppressorum relevator, unicum afflictis refugium.

6. *Dani Angliam devastant.* — Per idem tempus Swanus et Turkillus Danorum principes nonnullam terræ Anglorum maculam, exigentibus eorum peccatis, intulerunt. Swano tamen terribiliter divinitus occiso, Turkillus malignæ hereditatis principatum sortitus, multas Angliæ provincias cæde et incendio vastabat. Rex namque Ethelredus imbellis, quia imbecillis, monachum potius quam militem actione præseferebat; homines vero regionis divitiis corrupti, voluptatibus obligati, nec quidquam, præter corporis et singulare et privatum commodum, honestum putabant. Itaque quisque dum sibi et rebus suis timet, omnes temperant a bello, nemo pro causa omnium certamen experiri tentabat: cum ea de causa certandum esset, ut quod quisque suum esse vellet, pro eo quam splendide pugnaret. In tanto igitur rerum discrimine Elphegus hostes adire solebat, et verbum viæ eis prædicabat, captivos dato pretio redimebat, et quos fames opprimebat, studiose alebat. Unde quantum a fideli populo colebatur et venerabatur, tantum ab infideli contemnebatur, et irridebatur, sed fidelis ille, mallens cum Domino Beelzebub quam cum Pharisæo Rabbi vocari, non destitit operi incœpto operam dare, fideles in fide confortare, infideles ad fidem vocare.

7. *Quibus se jungit Edricus regni præfectus.* — Quemdam autem Edricum rex totius regni præfectum statuerat hominem humili quidem genere, sed cui lingua divitias ac nobilitatem comparaverat, callentem ingenio, suavem eloquio, et qui mortales omnes tum invidia atque perfidia, tum superbia atque crudelitate superaverat. Hujus igitur fratrem, primo nobilitati Cantuariorum in præsentia regis gratuito maledicentem, deinde ea quæ unicuique ex hereditate provenissent, violenta dominatione invadentem, eadem nobilitas interfecit, ædesque ejus succendit. Cujus frater a rege ultionem postulat, denegat rex postulata, jure fratrem ejus peremptum pronuntiat. Præfectus itaque palatium ingreditur, junctis secum decem millibus virorum, fratrem occisum ulcisci conatur. Sed cum parum proficeret, Danorum auxilia petit, non ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius Britanniæ fines invadendoss, regnumque post victoriam æqua sorte dividendum. Sicque fœdus ineunt, dextras dant et accipiunt, sacramenta exigunt et porrigunt, Cantuarium vastare primo deliberant. Quod audiens Elphegus episcopus, convo-

pis, Elphegum carnibus nunquam, nisi ægrum, usum fuisse, noctibusque solum ad amnem procedere solitum, ubi ad illa demersus in Dei laudibus excubabat, idque suis nescientibus fecisse.

(4) Mirum est hic nihil de translatione S. Ethelvoldi memorari, cujus translationibus auctor Elphegus apud Willelmum Malmesburiensem libro II De Pont. Angl.: *Antecessoris sui*, inquit, *ossa extulit anno duodecimo post depositionem ejus, signis quibusdam et eis non levibus ad audendum persuasus.*

(5) Post administratam sedem Wintoniensem per viginti duos annos, quam anno 1184 inierat.

(6) Omittitur hic quod apud Bollandum, et ab aliis auctoribus refertur, nempe quod Romæ existens cognoverit mortem Kenulfi, sui in episcopatu Wintoniensi successoris, et antea abbatis Burgensis, qui sedem Wintoniensem nummis mercatus fuerat.

cato populo ait : « Forti animo estote, Deum præ oculis habete ; præter eum qui corpus et animam potest perdere in gehennam, nihil formidate, humilitatem et patientiam servate. Christus enim, cum Deus esset, et omnia illi Pater in manus dedisset, de inimicis ulcisci se noluit, sed gladium Malchi sanguine cruentum in vaginam recondi jussit (7). »

8. *Cantuariam expugnant. Miserabilis Cantuariæ status.* — Obsessa tandem a Danis civitate per viginti dies, et quidquid ad usum vitæ cives paraverant exhausto, mittitur a pontifice qui Danis suggerat ut ab incœpto desistant, populoque innocenti parcant, caveantque ne divinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione ad tempus concesso, nimis insolenter abutantur. Sed Dani mandata prætermittentes, turres exstruere, arietibus murum ferire, igneas faces jacere constanter cœperunt. Et ecce vorax flamma per domos succenditur, ac sæviente austro, se dilatando dispergitur. Tunc miseranda inter cives facta est deliberatio, utrumnam, desertis murorum propugnaculis, ad proprias domos convolarent, an, iis neglectis, munitionis urbis incumberent. Vicit communem utilitatem privata affectio, filiorum dulcis recordatio, erga tuendam familiam innata commiseratio. Currunt itaque et rapiunt de mediis flammis conjuges et charos liberos, hostili gladio statim feriendos. Et ecce, effracta urbe, exercitus ingreditur, terribilis sonitus ex clamore vocum et clangore tubarum attollitur, adeo ut omnia civitatis fundamenta concuti viderentur. Alii namque ferro jugulati, alii flammis consumpti, plures a muro præcipites dati, nonnulli per verenda suspensi deficiunt. Matronæ dum thesauros quos non habebant coguntur prodere, capillis per omnes civitatis plateas distractæ, ad ultimum flammis injectæ sunt. Parvuli, a matrum uberibus avulsi, lanceis confodiuntur, aut super eos ducto plaustro, minutatim conteruntur. Sanctus autem Elphegus non ferens tantam suorum depopulationem, cum turba monachorum in ecclesia circumseptus esset, repente de manibus tenentium elapsus de ecclesia evasit, currensque ad locum cadaveribus plenum, inter cuneos hostium se ingerens, exclamavit ; et, « Parcite, inquit, parcite, et si viros vos esse cognoscitis, innocentem ætatem persequi cessate. Non est ista victoria, qua lactentium perimitur innocentia : nec laudi ascribitur, quidquid in simplices et mites bellando admittitur. En me, qui vestræ impietatis crimina libero semper ore castigavi ; en qui captivos et a vobis multatos pavi, vestivi, redemi ; in me vestra potius ira desæviat. »

9. *S. Elphegus captivus in carcerem truditur. Ejus in persecutores charitas.* — Mox itaque capitur, et intercepto manibus gutture, vox loquentis præpeditur, vinculis palmæ innectuntur, genæ unguibus dissecantur, pugnis et calcibus latera tunduntur. Ecclesiam quoque igni comburunt (8), gregem Domini in ore gladii consumunt, et episcopum septem mensibus in arcto carcere custodiunt. Interea cœpit ira Dei in homicidam populum adeo desævire, ut parvo temporis intervallo duobus eorum millibus per diros viscerum cruciatus prostratis, cætera quoque multitudo similiter percussa simile exitium exspectaret. Commoniti sunt autem a fideli populo ut de peccatis pœniteant, et pontifici satisfaciant. Sed illi differunt, arbitrantes hoc malum a fortuna eis accidisse. Prævaluit interim clades super omnem carnem quæ pontifici mortem inferre nitebatur, et nunc denis, nunc vicenis terribili viscerum dolore capitisque absumptis, magnam formidinem viventibus incussit. Citato igitur consilio, mox ad episcopum currunt, et de perpetrato facinore cum lacrymis veniam petunt ; et de carcere eum extrahentes, ad publicos populi conspectus cum honore deducunt. Et ait illis episcopus : « Etsi vestra insatiabilis crudelitas veniam non promeretur, tamen quid nos facere deceat exemplo Domini edocemur, qui cum suorum dignatus fuisset lavare pedes discipulorum, non illum exclusit a quo se tradendum esse præscivit, imo ipsum sanctissimo pane cibavit ; Pharisæorum ministros potentiæ suæ verbo elisit, confestim eosdem erigendo sanavit : et, quod magnæ bonitatis insigne est, quos quotidie mandatis cœlestibus pertinaci animo cernit resistere, eos in cœlo sedens adhuc patitur vivere, imo humanis rebus plus quam cæteros præstare. Quapropter quoniam exemplorum illius devotus cupio imitator existere, oblitus incendia civitatis, innocentium cædes, oblitus, inquam, quæ in me acta est præteritæ impietatis ; sicut ipse Patrem pro suis crucifixoribus, ita ego pro meis tortoribus ipsum interpellabo. Afferte ergo panem statim vobis reddendum salutarem, quatenus ex hoc refecti, et cupitæ salutis beneficium adepti, aut gratias Salvatori reddatis, aut sceleratiores blasphemi remaneatis. » Et dato omnibus pane a se benedicto, omnes de exitiali liberavit clade.

10. *Quam in eum ingrati. A diabolo illuditur.* — Cumque sanitati redditi essent, principes quatuor episcopo mittunt : et primo quidem pro impenso beneficio gratias agunt : deinde si vita et libertate velit potiri, tria millia marcarum ut persolvat exigunt. Quod cum ille facere renueret, eum ligaverunt et inauditis tormentorum quæstionibus die Dominicæ resurrectionis affligentes, in carcerem retruserunt. Cumque in omnibus his laudes Deo ageret, ecce apparuit ei spiritus malignus in specie angeli, mentiturque de supernis sedibus se destinatum, quatenus illum ad communem gentis salutem de squalore

(7) Apud Bollandum adjicitur sanctum Elphegum suos cives episcopali benedictione et sacræ communionis participatione ad hanc obsidionem sustinendam præparasse.

(8) Quatuor tantum monachos ac viros octingentos in tanto excidio mortem evasisse refert auctor apud Bollandum num. 25, quem alii Anglici scriptores sequuntur. Vide Rogerium de Hoveden, qui ait Ailmaro abbati Sancti Augustini potestatem factam fuisse abeundi.

carceris educat. Nec vereatur ignavi militis vocabulo notari, cum neque Petro humilior, neque Paulo esset robustior : quorum alterum sporta contexit, alterum vero carcerali stridore gravatum angelus absolvit. Christus quoque, ut lapidantium manus effugeret, de templo exivit, et fugiendi licentiam evangelico præcepto suis mandavit. His ille sermonibus veluti unguentis delibutus, carcerem egreditur illum sequens. Pluribus autem aquarum alluvionibus per obscuras noctis umbras transvadatis, repente malignus disparuit. Tunc sanctus, pestiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectoris dolorem attraxit, mediis se paludibus injectans, cum maximo fletu Salvatorem implorat, dicens : « O vitæ dator, o stirpis Adæ unice miserator, cur senem me tua gratia destituit, quem in florida ætate nunquam destituere consuevit ? Tandiu misericorditer servatum, in extremo pateris perire abjectum ! Quoties te in hujus vitæ naufragio salvatorem inveni ? Experiar nunc, quæso, consolatorem in hac dæmonis illusione, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Carcer a tergo, a fronte flumen, in gyrum tenebræ auctor earum juxta, Elphegus omnibus ærumnis inclusus. Tibi soli derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. »

11. *Reducitur ab angelo.* — His et hujusmodi divinas aures appellare non cessat ; et ecce apparuit ei juvenis aureo splendore amictus, divini signaculi vexilla præferens, et dixit : « Quo te tui distrahunt pedes? quo impetus fugæ ? quo ductoris invidia ? Siccine itur ad coronam fugiendo certaminis luctam ? Aut quomodo potest bravio palmæ fulgere, qui currendi metas in studio noluit apprehendere ? » Cui cum retulisset sacerdos non se fugere, sed divini (9) nuntii imperio paruisse : « Non hoc, ait ille, Divinitatis imperium fuit, sed diabolicæ malignitatis commentum ; nec tam te ille de carcere educere, quam extra carcerem voluit seducere. Urget namque illum præteritæ vitæ tuæ pia operatio, et in tantis tribulationibus præsens tibi semper sancti Spiritus consolatio : cujus præsentia omnibus constantiam donat, constantia victoriam, victoria gloriam. Redi ergo ad locum amissæ coronæ, cœlitus tibi deputatum, sciturus quod te die crastino Pater honorificabit in cœlo, honore illo maximo, ut in æternum sis cum ejus Filio. »

12. *Tortus in carcere visitatur a S. Dunstano.* — Elphegus igitur ad locum certaminis ab angelo revocatus, lætus exspectabat horam qua a Deo coronam perciperet. Sed cum prope fuisset ut carcerem jam intraret, comprehensus a carnificum turba, plagis afficitur maximis : insuper cerebro capitis violato, semivivus in ergastulo recluditur ; ubi accenso foco, et quidquid fetidissimum fumum vel generaret, vel generatum foveret, per singulas diei horas injecto, carceris januas claudunt. Transacta igitur magna noctis parte, cœpit domus cœlestis gratiæ participium suscipere, æternæ vitæ odoramenta spirare, hymnos mellifluis sanctorum vocibus sonare. Quos beatus Elphegus intuitus, cum magna cordis lætitia Dunstanum quondam archiepiscopum vultu et veste gloriosum, conspicit assistentem, protensisque ad illum manibus ita dicentem : « Ad te, æterni Regis invictissime miles, ad te nostro honorandum obsequio venimus, missi ab illo qui tibi et victoriam præstitit de inimico, et sempiternam coronam præparavit in cœlo. En, quorum collegio post mortem carnis in perpetuum frueris, cives Jerusalem cœlestis ac domestici Dei, si ea quæ desunt passionum Christi amore in carne tua patienter suppleveris. Vidimus namque multiplices urbis labores, ecclesiarum incendia, filiorum neces, tua cum vinculis opprobria, et post impensa beneficia, duplicata tormenta. Quod ergo reliquum est Deitatis potentia vallatus libens excipe, sciens non esse condignas passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in te. Unus namque dies ad supplicium, sed jugis ac sempiternus erit ad præmium. »

13. *Iterum tortus securi percutitur.* — Inter hæc laxantur vincula, et integre omnes corporis sanantur plagæ : Elphegus psallens cum psallentibus, exsultans cum exsultantibus incedit. Mane autem facto, cum armatorum manu non parva de carcere educitur, et super jumentum positus, ad judicium pertrahitur. Dixerunt autem ei : « Solve aurum, aut mundo hodie eris spectaculum. » Et ille « Aurum vobis divinæ sapientiæ propono, ut, relicta vanitate quam diligitis, ad unum vivum et verum Deum studium convertatis. Quod si consilium Dei, per me vobis annuntiatum, obstinata mente spreveritis, pejoris profecto quam Sodoma morte peribitis, nec in hac terra in perpetuum radices agetis. » Tunc diaboli satellites in illum prosiliunt, aversis securibus dejiciunt, lapidibus eum obruentes. Qui genua flectens, hanc orationem fudit Deo, dicens : « Altissime Dei Patris unigenite [*Bol.* altissimi Patris unigenite]. Jesu Christe, qui per uterum intactæ Virginis venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, et me in pace suscipe, et istis miserere. » Et prolapsus in terram, iterumque resurgens, denuo sic ait : « Pastor bone, pastor singularis, filios Ecclesiæ, quos tibi moriens commendo, tuere. « Accurrens autem quidam (10), quem et ipse de sacro fonte susceperat, securim capiti ejus infixit. Qui statim in æterna pace requiescens, victorem spiritum cum triumpho, tertio decimo Kalendas Maii, dirigit ad cœlum. Principes autem Danorum, cupientes et suum facinus et Elphegi gloriam obscurare, corpus illius flumini immergi statuunt, rati sceleris

(9) Jam superius Elphegus dicitur insidias diaboli intellexisse, hæc tamen etiam apud Bollandum eodem modo referuntur.

(10) Id fecisse dicitur apud Bollandum *impia pietate motus, cum videret Elphegum diutius laborantem in confinio mortis.* Num. 35 vocatur a Rogero et Willelmo Westmonasteriensi *Trun* seu *Trum*, eratque Danus.

enormitatem eo facilius contegi posse, quo magis ab hominibus ejus memoria tolleretur. Sed quod Dani ad contumeliam, Christus Elphego paravit ad gloriam. Protinus namque omnis populi multitudo, quæ illo docente errorem abjecerat, armata procedit, malens cum defuncto pariter occumbere, quam illud corpus, cujus ministerio sanctificationis susceperat mysterium, aquarum voragini tradere absorbendum. Itaque corpus a diverso populo servatum, nec mergebatur, nec sepeliebatur. Vespere autem utriusque partis senatores conveniunt, ut tantæ contentionis litem suis rationibus determinent. Factum est autem omnius assensu, ut in commune omnes sanctum deposcant, quatenus si quid valeat apud Deum suum, in hoc ambiguo potentiæ suæ virtutem ostendat. Ecce, inquiunt Dani, ramus de fraxino præcisus, succo et cortice omnino nudatus : si hunc hujus sanguine intinctum matutina lux virentem invenerit, justum nos et sanctum occidisse constabit, et quo illum honore sepeliatis, penes vos erit. Sin autem in pristina lignum ariditate permanserit, errasse vos in ejus amore dicemus, nostrique erit arbitrii quid de cadavere facere velimus.

14. *Miraculis claret. Corpus ejus Londonium transfertur.*— Cumque omnibus conditio grata et accepta fuisset, ut omnibus liquido constare posset, quod post mortem Elphegus viveret, aridum lignum sub unius noctis tempore cœpit frondere, et quod sero Dani telluri fixerunt, mane surgentes florere viderunt. Nihil ergo contradictionis ulterius habentes Dani, certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oscula figere, cervices supponere, lacrymas et ejulatus emittere cœperunt. Sublatum ergo corpus humeris inimicorum, ad arborem ejus triumpho insignem defertur, comitantibus innumeris signorum prodigiis, potenti virtute Dei cœlitus ostensis. Mox enim salus languidis innovatur, cæci illuminantur, surdi audiunt, muti loquuntur, claudis gressus restituitur. Ibi etiam orationis domo super illum fabricata, plerique Danorum magnates, in eamdem regenerati, ad fidem Christi convertuntur. Cum autem hæc omnia Londonienses per ordinem audivissent, multa mediante pecunia, corpus usque Londonias transferentes, honorifice sepelierunt. Anno autem Domini 1012, advesperascente Sabbato paschalis hebdomadæ, sanctus Elphegus cum martyrii corona decimo tertio Kalendas Maii, anno episcopatus sui septimo, et ætatis suæ quinquagesimo nono, migravit ad Dominum, in ejus autem mortis auctores in tantum ira Dei desæviit, ut quidam dux propria se (11) manu interimeret, alius gutturi suo

A stylum infigeret, presbyter pertinaciter crucem abscondens martyris, gladio occideretur : alius ejusdem ordinis, sandalia episcopi temere portans, a dæmone coram omni populo vexaretur. Et factum est ut tam vehemens cunctos Danorum principes formido invaserit, ut vix eos terra teneret, sed maritimis se tempestatibus dantes, existimarent in pelago martyris iram effugere posse, quos ab ejus ira tellus tueri non posset. Sed mox ut in altum perducti fuere, centum sexaginta naves, adversis ventorum flatibus actæ, in profundum maris demersæ sunt ; porro sexaginta quinque ad ignotas appulsæ regiones, quasi qui insidiarum gratia venissent, ab incolis miserabiliter interfecti sunt. Remansit tamen in Anglia pessimus Turkillus, malorum princeps, B pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritus præda mansurus.

15. Non parvo tempore evoluto, venit princeps Danorum Canutus cum multo navigio in Angliam, dissidensque ab illo propter quasdam res male ac perfidiose actas, quidquid residuum nefandi populi fuit, delevit, ipsum ducem cum sex tantum navibus in Daniam fugavit. Qui cum ad terram evasisset, suspectus Danorum principibus, ne intestina bella moliretur, statim per cuncta regionis loca agitatus, ad extremum ab ignobili vulgo occisus, feris et avibus projectus est. Post hæc vero princeps Danorum Canutus, cum videret populum suum ab exercitu Anglorum sine intermissione cædi, et propter rerum difficultatem ad deditionem fere compelli, accersitis C omnibus, qui ad se confugerant sapientioribus Anglis, consuluit eos, quid causæ esset, quod tot sibi adversa accidissent. Qui omnes uno ore respondentes, dixerunt : « Prophetia est sancti martyris Elphegi : qui cum a patribus tuis fuisset circumventus, prædixit eis quod in regno Anglorum non perpetuo essent radices acturi, sed pejori quam Sodoma morte perituri. Nunc ergo, si vis illum tuis temporibus reddere placatum, promitte illi, si felix fuerit rerum successus, te reliquias illius ad sedem ejus honorifice reportandas curaturum. » Quod cum firmiter promisisset, post modicum pacem obtinuit, post pacem regni dimidium, post dimidium totum. Cumque ab omni bellorum tumultu requies undique D data fuisset, recordatus est rex quid beato Elphego quondam promisisset, et, directa legatione, vocavit Egelnothum archiepiscopum, qui corpus martyris decem annis sepultum, incorruptum et inviolatum reperientes, Cantuariam cum maximo honore deducunt, in sarcophago veneranter collocantes.

(11) Is dicitur *Haco* in translationis narratione, quam mox exhibituri sumus.

INCIPIT EJUSDEM SANCTI TRANSLATIO

Auctore eodem OSBERNO

(MABILL. *Acta SS. Bened. Sæc.* VI, parte I, pag. 123, ex cod. ms. Bibliothecæ Thuaneæ.)

1. *Præfatio auctoris.* — Quia venerandam beati [A] martyris Elphegi passionem litteralibus quondam monumentis applicavimus, placuit etiam voluntati illorum gratiam præstare, qui quemadmodum sacritissimum corpus ejus de Londonia Cantuariam translatum sit, ardentissima cupiunt devotione agnoscere. Et quidem quod translatum sit in fine passionis illius breviter attigimus, sed modum translationis minime exposuimus. Eum ergo nunc exponemus.

2. Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesus Christi millesimo duodecimo, indictione decima, advesperascente Sabbato paschalis hebdomadæ, et inchoante Dominica die Octavarum Paschæ, tertiodecimo Kalendas Maii, gloriosissimus urbis Cantuariæ pontifex Elphegus gloriosissima [B] pro ovibus simul et cum ovibus sibi a Deo creditis, passione occumbens, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam suscepit, anno patriarchatus sui septimo, nativitatis autem quinquagesimo nono. Cujus venerabile corpus, sive gratia seu pretio a fideli populo receptum, de loco martyrii ejus ad urbem Londoniam delatum, et in ecclesia beati Pauli apostoli cum innumeris coruscantis gratiæ prodigiis est humatum. Mox denique salus languidis innovatur, cæcis lumen clare perfunditur, audiei munus surdis tribuitur, recto gressu claudi incedunt, omnibusque fideliter petentibus divina promptissime beneficia proveniunt. Sed illos qui mortis ipsius auctores exstiterant, non sine terribili vindicta [C] vindex Dei ira transire sinebat.

3. *S. Elphegi mortis auctores puniuntur.* — Ut enim pauca de pluribus prolixa breviter attingam, propono ducem Haconem proprio se mucrone transverberantem, vatem matheseos disciplinis intentum gutturi suo stylum infigentem, presbyterum collariam martyris crucem pertinaciter abscondentem, ejusdem martyris manibus occisum, aliumque ejusdem ordinis virum, sandalia illius temere portantem, a dæmone invasum; et quousque de pedibus suis traherentur, coram omni Londonæ civitatis populo durissime vexatum. Ex quibus rebus tam vehemens cunctos Danorum principes formido invasit, ut vix eos terra teneret, sed marinis se tempestati- [D] bus dantes existimabant in pelago martyris iram effugere posse, quos ab ejus ira tellus tueri non posset. Sed mox ut in altum spumantibus remis eductum fuisset, centum sexaginta naves adversis ventorum flatibus actæ in profundo maris submersæ sunt; quadraginta vero, itemque viginti quinque ad exteras regiones atque ignotas appulsæ, et quasi quæ insidiarum gratia venissent, ab eisdem miserabiliter interemptæ. Remansit tamen in Anglia male audax princeps malorum Turkillus, pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritus præda mansurus. Nam parvo tempore evoluto venit princeps Danorum Cnut cum multo navigio in terram Anglorum, dissidensque (12) ab illo propter quasdam res male ac perfide actas, quidquid residuum infandi populi esse poterat, sicut tabulæ stylo deleri solent, delevit; ipsumque ducem sex tantum navibus munitum in Danamarcam fugavit. Qui cum ad terram evasisset, suspectus Danorum principibus, ne intestina bella moliretur, statim per cuncta illius regionis loca agitatus, ad ultimum ab ignobili vulgo occisus, ferisque et avibus est miserabiliter projectus. Sic ergo de terra et mari sublati sunt, qui virum sanctum et cum honore nominandum Elphegum archiepiscopum occiderunt.

4. *Translationis occasio. Fit curante Cnuto rege* — At princeps Danorum Cnut. cum videret populum suum ab exercitu Anglorum sine intermissione dirissime cædi, et jam fere propter rerum difficultatem ad deditionem se compelli; accersitis omnibus qui ad se confugerant sapientioribus Anglis, consuluit eos quid causæ esset quod tot sibi adversa contigissent. Qui omnes uno ore respondentes dixerunt: Prophetia est venerandi martyris Elphegi, qui cum a patribus tuis crudeli interrogatione circumventus fuisset, prædixit eis quod in regno Anglorum perpetuo non essent radicaturi, sed pejori quam Sodoma morte perituri. Nunc ergo si vis illum tuis temporibus placabilem facere, hujus te pollicitationis fœdere apud illum constringe, ut cum felix rerum fuerit successio, venerabiles corporis illius reliquias de loco in quo conditæ sunt tollas, atque ad sedem patriarchatus sui servato more antiquorum transferre studeas. Assensit itaque princeps senatorum consilio, consilium sequitur divinæ propitiationis declaratio. Non post multos etenim dies Cnut pacem obtinuit; post pacem, regni dimidium

(12) Mss. Angl. *diffidensque.* Canutus, primum a Danis Angliam infestantibus in patris Swani locum electus est, tum defuncto Ethrelredo rege etiam ab Anglorum parte rex agnitus; et mortuo tandem anno 1017 Edmundo rege, solus in Anglia regnavit, qui nonnisi post aliquot annos Turkillum exsulare coegit.

post dimidium, totum. Cumque ab omni bellorum tumultu requies undique data fuisset, recordatus quid beato Elphego quondam promisisset, directa legatione vocavit Agelnotum, qui tunc temporis summum in sancta Dorobernensi Ecclesia gerebat sacerdotium, vir sanctus et bonus, et regi propterea quod illum sacro chrismate linisset, valde acceptus. Qui Sabbato vigiliarum Pentecostes Londoniam adveniens, mandavit regi in balneas forte descendenti se adesse, et quid velit ipse statuere in ecclesia beati Pauli apostoli exspectare. Quo ille accepto, sine mora de lavacro surgit, chlamyde solummodo nudum corpus obtegit, simplices pedibus subtalares inducit, sicque ad præsulem impigro gradu tendit, mandans omnibus familiæ suæ militibus, quos lingua Danorum *Huscarles* vocant, ut alii eorum per extremas civitatis portas seditiones concitent, alii pontem et ripas fluminis armati obsideant, ne exeuntes eos cum corpore sancti Londanus populus præpedire valeat.

5. Ingressus ergo rex ecclesiam, amplexatur archiepiscopum osculans illum; satimque obseratis foribus, lætabunda simul ac tremebunda voce ait: « Ecce dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea. » Ecce dies de qua locutus est Dominus, ut in ea transferatur thesaurus reliquiarum domni Elphegi de domo hospitii ad domum patriarchatus sui. Ad quod dictum tremefactus supra quam dicit potest sacerdos, non enim sciebat cujus rei gratia a rege vocatus fuisset, in magna animi augustia dixit: Non tibi imputet omnipotens Deus, domine mi rex, quod hoc facere voluisti, et non indicasti mihi consilium animi tui quatenus instructior ac per omnia paratior advenirem, ne in medio civitatis hujus tam magnæ occumberem; aut si placuit rem tam difficilem incipere, cur saltem non adduxisti viros, qui hujus operis possent ministri existere, cum lapis ad monumenti ostium positus tanti ponderis existat, ut vix a multis boum paribus valeat moveri, ne dum a duobus qui soli præsentes adsunt debeat monachis revolvi? Inepta est ista consideratio, aliud tempus, et aliæ vires consideranda sunt. Cui rex in Domino plurimum confortatus, ait: « In hoc, Pater sancte, maxime apparebit quia nobiscum beatus ille volet transire, si quod impossibile hominibus est, ipse sua virtute fecerit esse possibile. Semper enim difficultas miraculum gignere consuevit. Vestra igitur sanctitas Deo se in oratione prosternat, monachi ad aperiendum sepulcri ostium fidenter accedant; ego valvarum januis ostiarius incumbam. »

6. *Sepulcrum a duobus monachis aperitur. Corpus incorruptum invenitur.* — Itaque petita atque accepta benedictione pontificis, monachi, quorum A alteri Godricus ejusdem martyris quondam discipulus ac post aliquot annos Cantuariensis Ecclesiæ decanus, a quo etiam hæc omnia quæ narramus diligenter perquisita accepimus, alter vero Elvardus [*al.* Alfwardus] cognomento Longus, vocabatur, cui datum est magno quondam adhæsisse Dunstano. Hi ergo accepta benedictione arripiunt ferreum quod e regione stabat candelabrum, molientes effractionem superioris structuræ murali opere firmissime agglutinatæ; atque, ut illi asseruerunt qui testem assertionis suæ Deum invocaverunt, vix leviter manus monachi admoverant, dum minores lapides, cæmentum et quidquid operis desuper eminebat, quasi arborum folia sub prima hyeme agitata, cadebant. Cumque ventum fuisset ad lapidem B patentis monumenti opertorium, flexis genibus solo procumbunt, suppositis humeris eumdem impellunt, moxque in alteram facili motu partem avellunt. Quod revera supra quam credibile est admirabile fuit, cum, sicut prædiximus, quem multa boum paria non traherent, eum bini tantummodo monachi levi impulsu lapidem revolverent. Accurrunt ita admiratione perterriti rex et archiepiscopus, lacrymantibus oculis introrsum aspiciunt, vident organum quondam Spiritus sancti (13) incorruptum jacere, nec quippiam putris in toto corpore læsionis inesse; et computantes seriem annorum, comperiunt illum annum esse decimum ex quo idem sanctus illic conditus fuerat. Exclamat itaque rex fortiter præ gaudio, talesque C permixtas lacrymis preces offundit. « Pater inquit, sanctissime, super omne delectamentum suavissime, Pater beatissime, super omnes mundi thesauris pretiosissime, hujus peccatoris regis miserere, nec mihi obsistat vel propria indignitas, vel parentum meorum in te contra justum et bonum expleta crudelitas. Ego te potentissimum æterni Regis fateor amicum, ac deinceps quoad vivam meum constituo advocatum. Salva me, salva omnes, tu æterna salvatione salvare, et nobiscum magnam filiis tuis facturus lætitiam proficisci dignare. »

7. *Transfertur. Regis erga martyrem devotio.* — Accedens autem propius summus Dei sacerdos, ut suis manibus venerandum corpus tractaret atque levaret, æstuabat animo, nusquam tabulam reperiens, cui suppositum ad navim deferri D valeret. Cumque in magna desperatione dubius staret, animadvertit ligneam corpori tabulam substratam, ita ad mensuram corporis per longum et latum extensam, quasi ad hoc solum primi eam conditeres suppossuissent, ut inde aliquando sine aliqua difficultate idem sanctus intacto corpore levari debuisset. Læti ergo ac præter spem hilares effecti, accipiunt linteum, quod ad obsequium pontificis minister Godricus secum detulerat, et in illo sacrosanctos artus cum subjacente ligno

(13) Perseverabat adhuc sine corruptione corpus sancti Elphegi tempore Villelmi Malmesburiensis, ut ipse asserit libro I De pontificibus Anglorum, his verbis; *Quod corpus ejus etiam recentis cruoris præferens vestigia, labem putredinis ad hunc diem ignoraverit, et alias dixi, et populariter tritum non eget inculcari.*

pariter involvunt. Sed cum aliqua pars corporis adhuc discooperta remaneret, cucurrit præfatus monachus ad altare Sancti Pauli apostoli, rapiensque sindonem desuper jacentem, dimidiam pro sindone auri libram reposuit, rapidoque cursu ad obvolvendum quod residuum erat rediit. Tum levato in humeris monachorum pretioso pretiosi corporis thesauro, descendunt angusto itinere per viam quæ ducit ad flumen Tamisium, prosequentibus illos rege et archiepiscopo, utroque illorum tota animi vitigantia ad Deum intento. Jamque ad flumen appropinquare cæperunt, cum ecce regia navis, aureis rostrata diaconibus, armigeris repleta militibus, venienti martyri obvia offertur. Quam citius dictu rex insiliens, expansis brachiis martyrem suscepit, deinde protensa dextera pontificem induxit. Mox remota altiore navi, sedebat rex gubernaculum tenens, navim ad ripam fluminis contrariam dirigens. Videres ergo magnam Dei potentiam obsequio martyris favere, dum hinc pontem et totas fluminis ripas loricatis stratas militibus conspiceres; illinc per extremas urbis portas simulatorias seditiones excitatas audires; attenderes regem navem regentem, remigem nobilem remos trahentem, orantem archiepiscopum, et sanctos monachos obsequium præstantes.

8. Inde confestim apprehensa tellure primus de navi rex egreditur, acceptum corpus vehiculo imponit, post hæc valida cum manu militum præmittit. Ipse vero cum archiepiscopo in ultimo pontis margine sedebat, quo usque hi qui præcesserant, ab urbe longius remoti existerent; timebat namque civium irruptiones. Deinde surgens, et liberalibus jocis archiepiscopo alludens: « Liberatus es, inquit: et meo munere de periculo mortis, de qua te liberari non posse arbitrabaris, jam securus ad sanctum proficiscere, atque ut nostris faveat temporibus humiliter deprecare. Ego vobiscum pariter irem, si magnis, ut nosti, regni negotiis occupatus non essem. Regina cum filio meo Hardacnut Cantiam incolit: illi ut vobis cum tota nobilitate occurrat mandabo. » Divinus ergo a rege archiepiscopus, cum ingenti huscarlium turba præcedentes subsequitur. Cumque jam ita prope fuisset ut a præcedentibus, oculosque semper post tergum deflectentibus pulvis in cœlum elatus videri potuisset, suspicati idem ipsi qui præcedebant cives de civitate egressos, mature cum paucis monachos ministros, et martyrem præmittunt. Ipsi autem ad vicum *Flnnstede* venientes, obsident angusta loca, tribus turmis tria prælia instituentes, animum pro amore beati martyris mori paratum habentes. Sed, viso cominus crucis vexillo, agnoscunt socios quos timebant adversarios, et majus quam putaverunt gaudium invenerunt.

9. *Elphegus Cantuariæ suscipitur. Locatur in ecclesia S. Salvatoris.* — Sic ergo gradientibus illis, et eadem nocte in villa quæ dicitur *Earhetha* manentibus, occurrit infinita Cantiæ multitudo, equitibus permixti pedites, mulieres viris, senibus adolescentes, singuli per turmas suas choros ducentes, citharas percutientes, et quasi arcam fœderis Domini in jubilo deducentes. Credas non aliter filios Israel concinere, vel cum eos propheta Dei Moyses de medio Rubri maris siccis pedibus eduxisset, vel cum arcam Domini de Domo Aminadab in civitatem suam rex David transferret. At cives Cantuarini, cum audissent quod pater vitæ et socius mortis eorum advenisset, sicut Jacob propter Joseph de gravi somno quasi excitati, et præ gaudio lacrymas resoluti, obviam prosiliunt lætantes, quod illum possent iterum videre, cujus beneficia tam in vita, quam in morte parentes sui multiplicia sensere. Super omnes homines majorem monachi Christi Ecclesiæ lætitiam gerebant, dum solemni ritu templum ornarent, levitica ac sacerdotalia vestimenta inducerent: hi crebris motibus crepitantia tintinnabula deducerent, illi lucernas, Evangelia, gemmatas in manibus cruces gestarent, et canoris vocibus ultra longa civitatis pomœria obvii procederent. Inde cum ineffabili totius Cantuarinæ urbis tripudio susceptus, ad ecclesiam non Doctoris gentium sicut olim, sed Salvatoris omnium (14), quam vivens semper amore coluerat, virtute corroboraverat, pro qua etiam, et quacum mortem sustinuerat, translatus, in eadem non quasi noviter conclamatus, sed quasi cum Deo in perpetuum vivens honoratus, collocatus est.

10. *Claret miraculis. Translationis festum.* — Cumque tertius illucesceret dies, regina Emma cum omni quæ secum erat nobilitate advenit, oblatisque muneribus in diversis cararum rerum speciebus, benedixit Deo viventi, qui ad honorem et gloriam nominis sui in tanta magnificentia illum reduxit, quem ad ejus blasphemiam cum tanto opprobrio inimicus abduxit. Atque ut aliquam filiis idem sanctissimus pater gratiæ suæ micam ostenderet, post septem dies muto cuidam reddidit loquelam, aliumque post Paulum ferro vinctum, confracto ferro reddit solutum. Hæc sunt gaudia festivitatis hodiernæ, ista solemnitas diei, quæ idcirco statuta est singulis annis in Ecclesia Cantiæ, sexto Idus Junii celebrari, ut nulla valeat oblivione deleri, quemadmodum beatus martyr Elphegus de alieno ad sua dignatus fuerit transferri. Et quamvis diem passionis illius cum omnibus in commune celebramus, diem tamen translationis ipsius soli præ omnibus celebrare debemus. In illo namque unam ac simplicem lætandi causam habuimus; in isto autem duplicis lætitiæ dona suscepimus. Ibi illum in cœlum sublatum prædicamus; hic illum in cœlo coronatum, et in terra nobis a Deo donatum. Benedictus Dei Filius, qui

(14) Cathedralis ecclesia Cantuariæ Christo erat dicata, in quam a cathedrali Londoniensi, quæ Paulo gaudebat patrono, translatus fuit sanctus Elphegus.

illum et in cœlo coronavit, et nobis in terra propitius donavit. qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum Amen.

EPITAPHIUM S. ELPHEGI.

Morum nobilitas claro generi copulata
Nititur hunc sanctum nobilitare virum.
Præsul hic a puero divinis actibus hærens,
Commutare sene jus puerile studet.
Ictum securis expertus, gaudia cœli
Intrat, cum justis gaudet habere polum.
Laus immensa Deo, qui tot tantisque triumphis
Conregnaturos ducit ad astra suos.

ANNO DOMINI MLXXXIV.

BEATUS BARTHOLOMÆUS

ABBAS MAJORIS MONASTERII.

NOTITIA HITORICA IN BARTHOLOMÆUM.

(Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc. VI, parte II, pag. 384

1. Restaurata per sanctum Maiolum abbatem A Cluniacensem regulari disciplina in perceIebri Majori Monasterio Turonensi, locus ille olim adeo celebris, qui per multos annos incultus plane jacuerat, brevi ita pristinum splendorem recepit, ut nullo deinceps alio monasterio et sanctitatis fama et monachorum numero inferius censeretur. Quantæ vero celebritatis fuerit sub hujus sæculi undecimi finem, discere possumus ex Orderici Vitalis initio libri quarti Historiæ ecclesiasticæ, ubi paucis his verbis egregium Majoris Monasterii elogium absolvit. « Majus enim, inquit, Monasterium a sanctissimo Martino Turonorum archiepiscopo cœptum est, ibique bonorum hominum religio crevit inspirante Deo, et B multiplicata est. Nostris temporibus, Albertus et Bartholomæus, Bernardus et Hilgotus ac Guillelmus Nanticensis abbates huic monasterio præfuerunt, qui sanctitate et probitate multis profuerunt, et longe lateque famosi, vicinis et externis viriliter micuerunt. »

2. Non vacat hic de innumeris propemodum locis sacris singillatim agere, quæ iis temporibus sub prioratuum nomine Majori Monasterio subjecta fuerunt, in quibus monachi constituti sub ejusdem monasterii abbatum regimine et jurisdictione versabantur. Certe nulla fere fuit non modo provincia, sed civitas aut diœcesis in tota Gallia, quæ ea tempestate Majoris Monasterii monachos apud se habere non ambierit. Monachos Majoris Monasterii « in sancto proposito » viventes laudat Isembertus episcopus Pictavensis in charta pro eodem monasterio data sub Alberto abbate. Sed observatione dignum est quod Ordericus Vitalis libro tertio narrat de Radulfo quodam viro nobili Geroii, ob egregia facta cognomento Herois, filio, qui tunc temporis in Majori Monasterio monachus factus præclarum pœnitentiæ specimen exhibuit. « Radulfus, inquit, relictis mundi lenociniis ad Majus Monasterium confugit, ibique sub Alberto abbate monachus factus Deum suppliciter rogavit ut insanabilis lepræ morbo in corpore fœdaretur, quatenus a peccatorum sordibus in anima emundaretur. Quod pie deprecatus est obtinuit, et post conversionis annos fere sex feliciter decessit. » Albertus vero defunctus est anno 1063, cujus memoria in Necrologiis Sancti Benigni Divisionensis, et Sancti Germani a Pratis memoratur decimo tertio Kalendas Janii. Et Bartholomæus substitutus est, qui præ cæteris hujus loci abbatibus celebris exstitit.

8. Bartholomæi Vita in manuscripto codice Majoris Monasteri habebatur, ut didicimus ex aliquot nostrorum schedis : et quidem anonymus auctor, Majoris Monasterii alumnus, qui libellum de actibus episcoporum Turonensium et operibus abbatum Majoris Monasterii scripsit, affirmat Bartholomæi « Vitam miraculis et virtutibus plenam in armario reperiri. » Verum, nescimus quo casu codex ille paucis abhinc annis evanuit. Quam jacturam gravi animo ferimus, quod ex hac Vita sæculi hujus Bedictini historia plurimum illustrari potuisset; nec aliunde

supersint monumenta idonea ad res beati hujus abbatis præclare gestas, quantum res poscunt, exponendas. Quare ne tanti viri memoria in his sanctorum Actis desideretur, visum est ea nos in unum colligere quæ de eo in variis auctoribus et in vetustis aliquot chartis reperire licuit; quibus tandem subjiciemus historiæ Majoris Monasterii insigne fragmentum ex manu scripto codice monasterii Villariensis ordinis Cisterciensis in Brabantia, in quo multa, et quidem observatione dignissima, quæ sub Bartholomæo abbate ejusque successoribus in Majori Monasterio contigere, fusius narrantur. Hoc opusculum describi rogatu nostro curavit R. P. Albertus de Chambley, prior Villariensis, qui illud ad nos anno 1672 transmisit.

4. Fallitur actor anonymus Majoris Monasterii monachus supra laudatus, qui Bartholomæum abbatem ad sui monasterii regimen anno 1004 assumptum fuisse, eique annos viginti, ad annum scilicet Christi 1024, præfuisse scripsit. Quem quidem errorem ex scriptorum vitio, omissis litterulis duabus LX, irrepsisse facile mihi in animum induxissem, nisi ille ipse auctor suum errorem alio simili prodidisset, asserens Bartholomæum, post restauratam a sancto Maiolo in Majori Monasterio regularem disciplinam, quintum abbatem fuisse. Certum est autem ex variis monumentis novem abbates inter Maiolum et Bartholomæum intercessisse; et quidem Bartholomæum anno 1064 abbatiæ regimen suscepisse colligitur ex multis donationum chartis quæ in Majoris Monasterii archivis servantur, quamvis fateri oportet aliquot inter eas haberi quæ ejus electionem anno præcedenti videantur consignare: quod contigisse crediderim occasione turbarum quas adversus Bartholomæum movit Goffridus cognomento Barbatus, consul Andegavensis, cui tunc temporis Turonum civitas parebat. Etenim hic non solum Monastsrii Majoris terras suo dominio subjicere conabatur, verum etiam exigebat ut Bartholomæus a se virgam pastoralem reciperet. Quod cum ille constanti animo facere renuisset, multa ab eo passus, diutius extra regionis fines versari coactus fuit. Unde conjicimus fieri potuisse ut, licet jam ab anno 1063 Bartholomæus in abbatem fuisset electus, nonnisi tamen anno sequenti, scilicet 1064, monasterii sui regimen inierit. Sed hic referenda sunt quæ de hac re habentur in Gestis consulum Andegavensium, a monacho quodam anonymo Majoris Monasterii sæculo sequenti conscriptis, qui opus suum Henrico Anglorum regi nuncupavit. Sic vero habet capite 10, tomo X Spicilegii Acheriani, pag. 484.

5. « Quantæ cupiditatis et avaritiæ, quantæ etiam crudelitatis et superbiæ Goffridus Barbatus fuerit, et quomodo ei Deus restiterit et humiliaverit, ut legitur : « Deus superbis resistit; » et : « Frangit Deus omnem superbiam, » locus in præsenti habetur. Diabolus, cujus cibus et delectatio est a mundi principio sancta depravare, pacifia perturbare, bonis operibus obviare, et electionem Bartholomæi abbatis Majoris Monasterii atque benedictionem sanctissime factam molitus est modis quibus potuit infestare. Instigavit igitur comitem Turonensium, nomine Goffridum, cognomento Barbatum, ut locum Majoris Monasterii suo dominatui subjugaret, et abbatem loci cogeret ut de manu illius baculum pastoralem reciperet. Grex igitur beati Martini Majoris Monasterii stupefactus ac mente confusus ex tam inaudita hactenus ratione, cogitare cœpit ac dicere quo fieri posset ut tanta et tam longa regalis potestas, et specialis semper domini Martini gloria ex priscis et ex suis etiam ipsis temporibus, qui dum adviveret proprium ibi abbatem esse constituit, nomine Galbertum, qui nunc ibidem humatus quiescit, ab imperatoribus et regibus huc usque inviolabiliter conservata, modernis temporibus alicujus dominio, nisi regio, sicut semper, aut abbati proprio subderetur. Aiebant enim : « Habemus namque non minima imperatorum regumque præcepta, nec non et apostolicorum perplurima privilegia, quibus hic noster locus, pro veneratione pii Patris nostri domini Martini qui eum fundavit, specialem obtinet dignitatem et gloriam, et nunquam alieni, nisi aut regi, aut abbati proprio sancti Martini fuit subjectus, qualiter etiam est ab omni præsulum dominio, in quantum in ordinandis monachis necessitas cogit Ecclesiæ, sequestratus; cum quibus ne id fiat satis defendere possumus. Una igitur mente atque decreto venit idem grex ad prædictum comitem, illique hæc omnia retulerunt, ut scilicet hanc abbatiam Majoris Monasterii, nec ipsum monasterium in alicujus dominium, nisi in suum proprium abbatem ullatenus devenire permittat : ne honor et gloria tanti Patris, quæ semper crescit in cœlis, aliquatenus videatur minorari in terris, a tantis hactenus inviolabiliter conservata regibus, Patribus atque principibus. Comes autem obstinate, imo fortiter in sua sententia permanebat, et, si hoc fieret, locum destruere minabatur. Monachi vero comitem sæpe et rationabiliter convenerunt, et per personas ecclesiasticas atque sæculares discreti saniquo consilii nitebantur commotionem comitis tranquillare. Comes autem quanto magis videbat monachos resistere suæ voluntati, tanto vehementius turbabatur, tantoque indiscretius non jam loco solummodo, sed et ipsis monachis minabatur, et minas crudeles crudeli opere adimplebat. Locum namque Majoris Monasterii et loca appendentia, ubicunque potestas ejus attigit, aggressus funditus adnullare, possessiones monachorum et substantias hominum monasterii rapere violenter et vastare, et quomodo sævitiam suam expleret etiam in corpora monachorum cœpit attentius observare, ut compleretur quod scriptum est : « Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis (*Psal.* XXXVI, 12); » in tantumque desæviit persecutio et excrevit, ut etiam sæculares homines comitis intemperantiam mirarentur, et, imprecantes comiti, Deum pro monachis precarentur. Monachi autem cum hæc diu cum patientia tolerassent, nec

quibus aliquot ex ista congregatione monachi con-jam possent pericula imminentia sustinere, orationes quas pro suis persecutoribus juxta Evangelii effundebant præceptum, statuerunt devotius ampliare; nudatisque pedibus ad corpus beati Martini processerunt, assumptis secum debilibus et leprosis quos de victu vel vestitu monasterii sustinebant, et quorum preces apud Dominum valere confidebant quamplurimum : ubi, unanimiter in orationibus persistentes, implorabant Deum et sancti merita, ut pestem illam tam sævissimam sua misericordia temperaret, ne locum illorum persecutor illa destrueret, unde ipse postmodum in infernum pœnas luiturus descenderet. His paractis etiam ad abbatem Cluniacensem recolendæ memoriæ virum, Hugonem nomine, suam petitionem direxerunt suppliciter exorantes ut ipse et sancta Cluniacensis congregatio pro tanta persecutione mitiganda Dei clementiam precarentur; insuper ut ipse abbas locum Majoris Monasterii consolari sua præsentia dignaretur; qui benignus ut erat, petitioni eorum benigno animo adquievit. Cumque Majus Monasterium pervenisset consolatus est fratres, et Turonis ad comitem sunt profecti : cujus pedibus prosternati, eum ut ab illa persecutione jam cessaret precabantur humiliter, sed incassum. Nam comes, in suam sævitiam obstinatus, nec lacrymis flexus est monachorum, nec abbatis precibus acquievit, nec se vel modice a persequendis monachis temperavit. Quibus ad monasterium redeuntibus, abbas quoque reversus est Cluniacum, abbate Majoris Monasterii comitante, qui videlicet abbas Majoris Monasterii, antequam inde rediret, suscepit sacros ordines sacerdotis; quando enim electus est in abbatem, adhuc diaconi ministerio fungebatur. Porro Deus qui erigit elisos, et sperantes in se non deserit, non dormitabat custodiens Israel spiritualem, et afflictioni servorum suorum, qui, ut scriptum est jam duplicia pro peccatis suis receperant, misereri ultra non distulit : qui, cum sit omnipotens atque justus, in caput comitis juste fecit ejus injustitiam redundare. Nam ut manifestum fieret quam injustus comes ille adversus abbatem et illos monachos exstitisset, et ut appareret quam justa ultione puniendus erat, qui sanctam illam ecclesiam tam irrationabiliter infestabat, Deus, qui semper in sanctis suis mirabilis, pro suis fidelibus dignatus est insigne miraculum operari. Postquam enim comes contempsit abbatem Bartholomæum, et abbatem Cluniacensem, et monachos exaudire, pravo intervallo interposito, frater ejus, Fulco nomine, adversus eum cum manu valida insurrexit, nec ab ejus persecutione cessavit, donec eum captum et ab honore privatum per multos annos in captionem detinuit. Ibique afflictus, et divina ultione datus etiam in reprobum sensum, vixit postea plus quam triginta annos in hac miseria, etiam hostibus miserandus. Certe justo judicio privatus est et corporis et animi libertate; juste tota sua miserabiliter oppressus est unius hominis potestate, qui contra Dominum sæviens nitebatur multos servos Dei injusta servitute deprimere; justo judicio amisit in perpetuum dominationem quam tenebat, qui in possessiones Dominicas injusta tyrannide sæviebat.

6. Sedata hac tempestate Bartholomæus Turonos reversus, totum sese dedit in componendis dissidiis quæ inter ipsum monasterium et plerosque vicinos mota erant. Complures de iis rebus conventiones factæ sunt, quibus Bartholomæus alios precibus, alios monitis, nonnullos etiam erogata pecunia ad pacem invitabat. Illustre præ cæteris hujus rei monumentum habemus, epistolam scilicet ejus ad Ernaldum, quem alii Arnaldum appellant, episcopum Cenomanensem, scriptam, qui donationem Vivonii Monasterio Majori a Wilgrino decessore suo factam, et a capitulo Cenomanensi firmatam, rescindere conabatur. Eam integram ex authentico infra proferemus.

His litteris munera adjecit Bartholomæus, quois episcopi animum adversus Majoris Monasterii monachos commotum mitigaret. Quibus tandem devictus Ernaldus ab omni controversia cessavit.

7. Crescente Bartholomæi, monachorumque sub ejus regimine viventium, sanctitatis fama, per varias Galliarum provincias Majoris Monasterii institutum propagatum est, episcopis virisque aliis nobilibus ex eo loco monachos efflagitantibus, qui aut nova monasteria incolerent, aut vetera, in quibus disciplina regularis intepuerat, ad meliorem statum revocarent Quin et in exteras etiam nationes nomen eorum C pervenit. Unde Guillelmus Conquæstor, post Haraldum Angliæ regni invasorem devictum, in ipso pugnæ loco insigne cœnobium in honorem sancti Martini condidit, quod ob eam causam *Belium* voluit appellari; et e Majori Monasterio Turonensi accivit monachos, quos ibi locavit, uno ex eorum numero in abbatem electo, ut narrant historiæ Anglicanæ scriptores. De hujus monasterii, quod in agro Sussexiensi situm erat, initiis, possessionibus ac variis privilegiis fuse agitur in Monastico Anglicano, tomo I, pag. 310, ubi etiam referuntur aliquot diplomata tum Willelmi regis ipsius conditoris, tum aliorum Angliæ regum, quæ huc referre nihil juvat. Circa idem tempus, id est anno 1067, Radulfus Paganellus, nobilis Anglus, ecclesiam Sanctæ Trinitatis, quam Eboraci habebat, Majoris Monasterii D abbati et monachis « tradidit, cupiens servitium Dei, quod in ea deperierat, reformare... quatenus, inquit assiduis ipsorum orationibus partem beatæ resurrectionis in futuro habere merear. » Varias deinde possessiones adjecit ad monachorum sustentationem, quæ omnia Alexander II summus pontifex confirmavit. Ejus diploma in tomo laudato Monastici Anglicani refertur, pagina 564, ubi plura habentur de eodem sanctæ Trinitatis prioratu

8. Nec putandum tot cellas, quæ tunc temporis Majori Monasterio subjectæ fuerunt, ab abbate aut monachis ejusdem loci emendicatas fuisse, cum e contrario gratiam sibi præstari existimarent illi

cederentur. Id quippe eorum sanctitati deferebatur, ut ex multis donationum chartis, quæ supersunt, probari posset. Unam ex his integram referre in specimen visum est, quæ est Gervasii cujusdam, viri nobilis Cenomanensis, de ecclesia Sancti Guingaloci apud Castrum-Ledi, quam Majoris Monasterii monachis possidendam contulit. Sic autem habet.

« Ego Gervasius, homo militiæ sæculari deditus, curam gerens de salute animæ meæ, et perpendens me jejuniis et orationibus meis ad Deum pervenire non posse, cogitavi aliquo modo me illis commendare qui Deo in talibus die ac nocte deserviunt, ut eorum intercessionibus, quæ per me non poteram, salutem illam mererer invenire. Cum igitur aliquid hujusmodi hominibus ad subsidium vitæ præsentis istius rei gratia vellem impendere, nec mihi de rebus meis suppeteret quod eis digne possem offerre, subiit spes de misericordia Dei, quod si ea quæ a majoribus meis Deo ad usum servorum ejus collata fuerant, sed modo deserta sunt ac vastata, in pristinum statum revocare possem, et peccatorum meorum consequerer veniam, et animæ meæ salutem perpetuam. Est ergo in pago Cenomanensi in Castello-Ledi (*Château du-Loir*) ecclesia in honorem sancti Guingaloci constructa, cui multa majores mei contulerunt ad usum Deo inibi servientium, ad quod Dei servitium canonicos constituerunt. Orto autem bello inter comitem Gaufredum et dominum illius castelli, cum idem comes cuncta per circuitum castelli ferro et flamma disperderet, res quoque hujus, quam dicimus, ecclesiæ ipsas repere ac vastare sicut et cætera minime formidavit, ita ut plerique de canonicis inopia coacti diffugerent, et ecclesiam cui deserviebant desererent. Ex eo jam tempore et divinum officium cœpit negligentius in ipsa ecclesia celebrari, et res ejus quotidie decidere et in deterius devenire. Quod ego considerans, et maxime dolens non ea qua dignum erat honestate ac reverentia famulatum Deo in sæpe dicta ecclesia exhiberi, cœpi mecum anxius pertractare si forte possem invenire tales homines qui et honeste divinum cultum in ipsa ecclesia frequentarent, et res ad eam pertinentes, jam pene annullatas, in pristinum vigorem repararent; quorum etiam suffulti orationibus, ego scilicet Gervasius, et pater meus Rotbertus, et mater mea Elizabeth, et uxor mea Aremburgis, necnon et avus meus Amelinus, et avia mea Hildeburgis, et Gervasius Remorum archiepiscopus, qui locum illum fundaverunt, peccatorum veniam a Domino consequamur et salutem. Itaque adhibito procerum meorum et amicorum, nec non et episcopi Cenomanensis domni Ernaldi consilio, rogavi venire ad me domnum Bartholomæum Majoris Monasterii abbatem, eumque multis precibus oravi ut susciperet a me in dominium Sancti Martini hanc, de qua loquimur, ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus; constitueretque in ea monachos, qui ibi die ac nocte

A divino cultui diligenter deservirent. Quod cum, Deo donante, apud illum obtinere meruissem, tradidi ei sæpe dictam ecclesiam cum omnibus sibi subjectis rebus, de quibus, donata usque tunc temporis erat, sicuti illius loci canonici in die illa tenebant, et cætera cuncta quæ prius in sua potestate habuit, et quibus per malorum tyrannidem despoliata erat, promittens quoque me ei vindicturum, et sicut antea habuit, in jus suum traditurum. Omnia hæc concessi libera et quieta ab omni consuetudine exactionis vel vicariæ, seu cæterorum vectigalium quemadmodum majores mei eidem ecclesiæ legitime contulerunt, ita ut eam, sine ulla mea vel cujusquam successorum meorum contradictione, congregationi Majoris monasterii suisque successoribus, cum abba
B tibus qui eis pro tempore præerunt liceat jure perpetuo possidere; et quidquid inde agendum decreverint, liberam potestatem habeant faciendi, ordinandi et, qualitercunque eis placuerit meliusque visum fuerit, disponendi, tam præsentibus quam futuris temporibus: et in arbitrio supradicti abbatis, et eorum qui ei successuri sunt, qui abbates Majoris Monasterii fuerint, pendeat de numero et qualitate illorum fratrum qui ad prædictum locum sunt transmittendi. Hanc autem donationem feci consensu et auctoritate matris meæ, omniumque fratrum meorum, et canonicorum ipsius loci omnium. Quæ ut stabilis et inconvulsa in perpetuum existeret, nec deinceps sibi ab aliquo calumniam inferri pertimesceret, ego Gervasius quatuor millia solidorum, mater mea Elizabeth centum solidos, Adam decem
C libras, Rotbertus decem libras, Gervasius clericus et centum solidos, Ursus canonicus quadraginta solidos, Haimo canonicus triginta solidos, Rannulfus canonicus quadraginta solidos, Odricus canonicus traginta solidos, Guido canonicus quadraginta solidos, Fulcodius canonicus sexaginta solidos, Gualteri canonicus viginti solidos, Herbertus canonicus quadraginta solidos, Teduinus canonicus quadraginta solidos, Witernus canonicus quindecim solidos, Guarnerius canonicus viginti solidos. Hoc autem notum sit omnibus, quod de denariis domni Gervasii, quos ei dedimus, suos canonici denarios acceperunt.

« Nomina monachorum qui locum receperunt: Bartholomæus abbas, Fulchardus monachus, Gualterius monachus, Ernaldus monachus, Adraldus
D monachus, Ansegisus monachus, Guillelmus monachus, Girulfus de Relliaco clericus, Guarinus clericus, Doselinus clericus. »

9. Habemus epistolam G. Lugdunensis presbyteri ad Rodulfum Turonensem episcopum, a Cordesio post Hincmari epistolas editam, qua eumdem antistitem obtestatur ut a Bartholomæo, Majoris Monasterii abbate, obtineat e suis aliquem qui Sabiniaci abbatiæ præsit. « Deprecor ut domnum B. Majoris Monasterii abbatem cum multa dulcedine ex nostra parte et vestra monendo, deprecando exoretis quatenus mihi suo dilecto et desolatis fratribus misericordiam suam poscentibus consulere non differat;

Mittat Patrem, mittat pastorem, qui cum tanta cautela gregem suum custodiat, ne antiquo hosti ex aliqua parte aditus pateat, per quem ad ipsum gregem unquam irrumpere valeat. » Porro ea ipso sanctitatis fama quæ multos adducebat ut possessiones suas Majori Monasterio conferrent, nonnullos etiam, et quidem ex viris nobilibus, movit ut non sua solum, sed et se ipsos monasterio traderent. Ex his fuere Fulco de Boeria, qui ecclesiam Sanctorum Cyrici et Julittæ sub Alberto abbate aliaque bene multa monasterio tradiderat, Salomon de Sablolio, Beringerius de sancto Lupo, aliique non pauci, qui variis in chartis memorantur.

10. Hæc ex pluribus proferre visum est de Bartholomæo abbate, cujus res gestas fusius prosequi aliquando fortasse licebit, si unquam ejus Vitam virtutibus et miraculis claram, quæ in codice manuscripto, ut jam diximus, habebatur, recuperare liceat. Nomen ejus in Martyrologium Benedictinum die 23 Februarii invectum est ab Hugone Menardo, quem postea sunt secuti qui fastos Benedictinos adornarunt. Die sequenti laudatur a Bollandianis inter prætermissos, et quidem recte; nam sexto Kalendas Martii obiisse dicitur in libello jam a nobis laudato anonymi De actibus episcoporum Turonensium et operibus abbatum Majoris Monasterii, ubi dicitur « humatus in sinistra parte ad altare Apostolorum », et ecclesiam suam, « obedientiis multis » ampliasse. Mutato altaris titulo, sepulcrum ejus etiam nunc visitur in sacello Annuntiationis beatæ Mariæ sub exiguo lapide ad pavimentum strato, ubi hæc brevis inscriptio habetur: *Hic jacet Bartholomæus quondam abbas loci istius.* Obiit anno 1084. Nullo cultu publico celebratur; quare satis fuit eum *beati* nomine designare. Miraculum ab eo editum, quod Joannes Dolensis, Comburnii in Britannia Minori dominus, scriptis mandavit, hic subjungimus, quale ex Majoris Monasterii veteri exemplari erutum est. Brandricus vero et Hugo, qui in eo archiepiscopi dicuntur, Dolensis ecclesiæ præsules fuere. Nemo quippe nescit Dolenses episcopos ad Innocentii III tempora hoc nomen sibi attribuisse, reclamantibus licet Turonensibus metropolitanis; at tandem sub Innocentio III Dolenses causa ceciderunt, relictis solummodo Dolensibus episcopis cruce et aliis archiepiscoporum insignibus.

11. « Joannes dictus Dolensis, Comburnii dominus, omnibus fidelibus salutem in Domino. Ego futurorum notitiæ declarare decrevi quod plurium relatione audivi et didici, scilicet quod Maino, filius Theonigete, dedit Deo et beato Martino Majoris Monasterii, et abbati Bartholomæo, et monachis ejusdem cœnobii apud Comburnium commorantibus ecclesiam Sancti Martini de Gugnen [*al.* Qugnen], et ecclesiam Sancti Martini de Voel, cum omnibus appendiciis suis perpetuo jure possidendas. Descenderat enim aliquando isdem venerablis abbas in Britanniam, causa visitandi domos quas habebat in Britanniæ partibus, et hospitandi gratia venit Comburnium. Tunc venit ad eum supradictus Maino, rogans eum ut descenderet apud Gugnen visitare filios suos Haimonem et Gauterium, qui gravi tenebantur infirmitate. Descendit, et signum crucis frontibus eorum imposuit, et statim obdormierunt, et post somnum integræ sanitati restituti sunt. Quo viso, et audito quod leprosum osculo sanaverat supradictus abbas, et aquam in vinum converterat, supradictus Maino et Theonus pater ejus senior supradictas ecclesias ei dederunt, concedentibus filiis suis Haimone et Gauterio; et Alanus filius Floandi quidquid juris in ecclesia de Gugnen habebat, eidem abbati concessit et monachis Comburnii. Monachi vero Gauterium presbyterum ibi constituerunt, et Brandrico archiepiscopo præsentaverunt, et in tempore ipsius Gauterii tertiam partem decimæ de Gugnen habuerunt. Hæc ego Joannes a pluribus audivi, et quæ sequuntur vidi, scilicet quod Haimo presbyter de Gugnen in præsentia Hugonis archiepiscopi se deposuit, et ad jurisdictionem monachorum supradictam ecclesiam pertinere recognovit, et de manu Guillelmi prioris ipse Haimo ecclesiam recepit, et Hugoni archiepiscopo cum prior Guillelmus præsentavit, et Hugo hoc concessit, et concessionem sigillo suo confirmavit. Nec non sciant omnes quod Alanus, filius Jordani, et Eudo-spina donationes antecessorum suorum concesserunt de ecclesia de Gugnen, et innovaverunt in præsentia Hugonis archiepiscopi, videntibus istis; Guillelmo priore, Turpino et Durando monachis, magistro Guillelmo Suessionensi, Evano-Cato, Normanno de Litreio, et filio ejus Gaufredo, Philippo de Boteniguel et magistro Herveo, Gautero Brasart et multis aliis. Dedit insuper coram istis prædictus Alanus per manus Hugonis archiepiscopi ecclesiam de Trunchet cum omnibus appendiciis suis, concedente Gauterio ejusdem loci magistro et omnibus fratribus ejus. »

BEATI BARTHOLOMÆI

ABBATIS MAJORIS MONASTERII

EPISTOLA AD ERNALDUM EPISCOPUM CENOMANNENSEM

(MABILL. *Act.* tom. IX, pag. 387.)

Domino ac venerabili Cenomannensium Dei gratia episcopo E. et cuncto beatissimi confessoris Juliani inclyto gregi, Majoris Monasterii humilis abbas frater B. cum fratribus suis fideles orationes.

Miramur valde, domine venerande Præsul, prudentiam vestram quid sibi velit, ut nobis calumniam de altari de Vivonio inferat, qui hoc de vestra bonitate sperabamus, quod, si aliunde nobis calumnia insurgeret de illo altari, vos contra omnes calumniatores invictum defensorem haberemus. Scitis enim quod antecessor vester, pie semper memorandus Wlgrinus episcopus, illud altare nobis in perpetuum absque relevamento tenendum donavit cum assensu omnium primatum Ecclesiæ vestræ, imo et totius capituli beatissimi Juliani. Cujus etiam donationis causa ita in Christo charitate fœderati sumus et uniti, nos scilicet monachi Sanc i Martini, et vos canonici Beati Juliani, ut vos in societatem totius benefacti nostri receptos, quidquid deinceps in orationibus vel eleemosynis apud Deum boni promereremur, totius mercedis nostræ ac retributionis in æternum consortes haberemus, firmato inter nos et vos pacto, quod nos pro vestris canonicis in obitu singulorum facere debeamus, et vos pro nostris monachis. Quam unitatem nostram in Domino ne quis posterorum per ignorantiam scindere ulla occasione tentaret, scriptum de hac re diligenter a vobis compositum est; quod ut inviolabilem obtineret firmitatem, ipsius domni Wlgrini episcopi, omniumque vestræ Ecclesiæ primorum auctoritate munitum et corroboratum est. Cum hæc igitur omnia bene noverit prudentia vestra, domine venerande Pater, quomodo tam profunde obdormivit atio animi vestri et antiqua benignitas, ut tam A evidentem injuriam fratribus vestris excellentia vestra facere non metuat? Quod si vos fraternæ injuriæ respectus non movet, nunquid pro nihilo aut leve ducitis, quod Cenomannensis Ecclesiæ et episcopalis dignitas et canonicalis auctoritas pari consilio firmavit, hoc violare ullo modo ac destruere? In quo tam male de vobis meruit sancta ecclesia beatissimi Juliani, quæ vos sibi rectorem atque pastorem præfecit, quam vos totis viribus vestris honorare et exaltare debueratis, quia et ipsa prior vos honoravit gratis et exaltavit? Quid meruit, ut, cum omnes Ecclesiæ totius Franciæ et Aquitaniæ imo et totius Galliæ hanc obtineant dignitatem, ut quod semel in B capitulo earum firmatum est, nullus posterorum violare præsumat, vos Cenomannensem Ecclesiam hac dignitate, quam per tot sæcula usque ad vestra tempora obtinuit, spoliare non vereamini? Cur inter omnes totius Galliæ Ecclesias inferior erit sancta mater Ecclesia Cenomannensis, ut cum illæ omnes, et majores et minores, firmam capituli auctoritatem habeant, mater Ecclesia Cenomannensis nullam habeat auctoritatem? Si aliqua sæcularis persona quamlibet potens hoc facere præsumeret, dignum quidem fuerat episcopum cum toto clero suo, propter amorem Dei et Ecclesiæ suæ, mortem potius libenter appetere, quam Ecclesiam suam dehonestari ullatenus consentire. Verum hæc quo modo se habeant, vos, beatissimi Juliani grex inclyte, sum- C mopere admonemus ne vos antiqua vestra dignitate ulla ratione denudari patiamini. Postremo ut nostram de hac re sententiam sciatis, de re tam legitime ac tanta auctoritate firmata numquam in judicium venire decrevimus. Bene valete.

APPENDIX

DE REBUS GESTIS IN MAJORI MONASTERIO SÆCULO XI.

1. Cæterum ut, ad nostra revertentes, jam ea quæ munificentia divina inter nos et erga nos licet indignos, operari dignata est, et ad laudem nominis ejus, et adædificationem posterorum, quo possumus stylo, proferamus : non immerito, ut opinamur, animæ fidelium Majoris Monasterii suffragia referuntur expetere, in quo tanta tam pro vivis quam et pro defunctis in orationibus et eleemosynis fiunt beneficia. Quidni enim illic votorum obtineatur effectus, ubi patrocinatur præpotens et sublimis ille sacerdos Martinus, qui, humillimi magistri Jesu Christi humilis et constans imitator, maxime humi-

litatis meritis, et perennem ejusdem loci sui sanctificationem et verbi, fideliter oratum venientibus obtinere potest a peccatis absolutionem? Nec incongrue etiam revelante Deo prædictus solitarius de studio et efficacia fratrum ejusdem monasterii circa cultum et frequentationem sacramentorum, quæ supra retulimus, vel vidit, vel effudit; quoniam, ut ipsi perspeximus, mos erat ipsius cœnobii ut a prima aurora usque in horam prandii, propter sacerdotum copiam, continua missarum celebratio protraheretur. Quæ tam digne ac reverenter fiebat, ut magis angelica quam humana exhibitio putaretur. Unde nec laudabilem et imitandam eorum circa fratres defunctos antiquitus observatam consuetudinem prætereundam censemus. Cum enim aliquis fratrum nuper obiisset, confessor ejus in communi super indicta pœnitentia inquirebatur, qua audita, mira compassione videres cunctatim a fratribus fratris onus suscipi: hic psalmos ille missas alius jejunia, aliusque disciplinas verberum sibi rapiebat. Implebatur profecto miro ordine apostolicum illud: « Alter alterius onera portate (*Gal.* VI, 2). » Tunc denique exoneratus defunctus ab imposita satisfactione pœnitentiæ, liber, ut credimus, transibat ad requiem, et conventus assequebatur gratiam. Amen.

2. Hujus etiam cœnobii abbas, nomine Bartholomæus, privatis orationibus frequentius insistebat. Cui aliquando in oratione posito duo fratres, qui ejus tempore obierant, visibiliter apparentes dixerunt: « Bene quidem, Pater, tam pro te quam pro grege commisso in orando pervigilas, sed noveris etiam correctione agendum circa eos. Sunt enim inter illos, qui pro fratribus suis defunctis non satis solliciti sunt, ille scilicet et ille, et nominaverunt quosdam. Age ergo, et in communi conventu super defunctis mentionem faciens, universos et singulos exhortare ne dissimulent neve differant fratribus suis defunctis constituta a sanctis Patribus debita persolvere. Hoc enim tibi dicimus in verbo Domini, quia qui fratribus suis dum vivit non exsolvit quod debet, quod ei defuncto ab aliis exsolvetur, non in suam ipsius, sed in eorum proficiet utilitatem, quibus per suam negligentiam tenetur obnoxius. Illos autem quos nominatim expressimus, privatim convenies, duriusque increpabis ad emendationem, de cætero admonitione pariter et præcepto eos instituens; quod si neglexerint, horrendum sibi noverint imminere judicium. » His dictis disparuerunt. Abbas autem sollicitus injuncta sibi exsequitur; negligentes catenus ad cautelam evigilant, boni meliores redduntur.

3. Quantum fides propria possit, comprobat aliena, quod et in baptismo luce clarius patet, et nonnullis sanctorum institutionibus demonstratur. Inter cætera vero facta monachorum, præclarum et

A plenum fide quiddam comperimus; quod scilicet, dum quis eorum in extremis agit, omnes omnibus negotiis intermissis accurrunt: non comedendi aviditas, non dormiendi necessitas, non [illegible] familiaris occupatio, non publicæ utilitatis [illegible] pensatio quanta quanta, omnino vel revocat vel retardat quominus conveniant universi et singuli ad ferenda suffragia. Porro nemo vacuus vel manibus nudis sed armati omnes accelerant ad morientis tutelam, armis quidem fidei, et gladio spiritus, quod est verbum Dei. Ubi enim signum extremæ illius necessitatis auditum fuerit, statim symbolum catholicæ fidei in persona morientis omnes incipiunt, ei scilicet

B perhibentes testimonium quod in hac fide vixerit, et in hac fide a corpore discedit: ne videlicet hostis antiquus ad Creatorem suum revertenti audeat occursare, cui audit fidei testimonium undique resonare. Quod quam salubriter sit institutum in cœnobio Majoris Monasterii, evidenti indicio dignatus est Dominus ostendere. Quoniam dum quidam frater ageret in extremis, pro solemni more illius ecclesiæ, nonnulli ex fratribus circumstabant lectum morientis, precibus et orationibus ejus exitum munientes. Unius itaque aperti sunt oculi, et ecce vidit angelum Domini residentem ad altare et fratris animam præstolantem: vidit et diabolum prope assistere, ut animæ exeunti fieret impedimento. Anima quoque fratris de corpore egressa, in specie infantuli visa

C est super proprium corpus resedisse, et quasi tremebunda maligni formidare præsentiam. Tum subito vox conventus advenientis auditur, clamantium pro fratre et dicentium: *Credo in unum Deum.* Ad quorum testimonium confusus hostis abscessit, et sanctus angelus ad vocem cantoris responsorium pronuntiantis: *Subvenite, sancti Dei; occurrite, angeli Domini:* prævidente eo cui divinitus fuerat revelatum, animam fratris suscipiens in cœlum usque deduxit.

4. Erat in eodem cœnobio vir religiosus, Hildebrandus (1) nomine, cui pro vitæ suæ merito ab abbate sacramentum confessionis commissum fuerat. Quidam autem de fratribus ad extrema veniens

D supradicto religioso conscientiæ suæ patefecit arcanum, et ita decessit e vita. Post non multos autem dies, mediæ noctis libramine, quiescentibus de more fratribus in lectulis, ecce frater ille qui nuper obierat, super lectum Hildeberti vigilantis astitit, et magnis cum vocibus cœpit inclamare, dicens: « O Pater Hildeberte, tibi, quasi Christi vicario peccata mea confessus, secundum fidem Ecclesiæ me salvum ab eis credebam; et ecce dæmones pœnas eorum a me terribiliter exigunt. » Et ille: « Et mihi, ait, quasi Christo Domino confessus es, et ego pro te Christo Domino in die judicii respondebo. » Ad hanc tantæ fidei professionem confusi dæmones abscesserunt. Defunctus autem confessori suo gratias egit

(1) Sic apographum; dicitur tamen infra semel et iterum *Hildebertus*. Numero autem 13 infra occurrit iterum Hildebrandus senior.

et ab hostium manibus liber evasit. In quo scilicet facto Deus nobis et inimici erga nos malitiam, et sanctæ confessionis virtutem insuperabilem demonstravit.

5. Presbyter quidam sæcularis in cœnobio Majoris monasterii monachum professus sæculum dereliquit; qui, susceptis monachalibus sacramentis, dum quadam die in domo infirmorum lectulo decubaret, fratrem ad se vocat cui talium cura commissa erat, et ait ad eum: Dominum abbatem exhibete mihi, quia pristinæ conversationis aliqua ipsam ad memoriam reduxi, quæ illi confiteri habeam. » Cui ille: « Meridiani, inquit, temporis somno pro more solemni dominus abbas nocturnas modo recompensat vigilias, nec quisquam eum his horis excitare audet: nonæ vero horæ signo pulsato, licenter ad eum introiens adducam. » Et æger: « Necessitas, inquit, legem non habet, sed ve [f. ne] cui gravis existam, loco et vice ejus, vobis, cui ab eo sum commissus, confitebor; urget enim extrema necessitas. » Nec mora, æger de culpa pœnitens culpam confitetur, satisfactionem sibi injunctam devote amplectitur; pro more sacramenti a reatu absolvitur. Hisque gestis, ipsisque residentibus ait: Jam nunc pugnare habeo cum hostibus feris. Tu igitur nusquam abscedens, præsentia solare, orationibus vaca. Neque enim visurus es cum quibus præliabor, imo horrido aspectu formam sibi satis congruam, corvinam scilicet, induerunt. » Dixerat, et subito ejus facies tota immutatur, oculi venis intumescunt sanguineis, et versati terribilem præbent intuitum; os distortum in partes spumas sanguine infectas evomit, cum membra ejusdem nulla quiete fruantur. Interea frater qui aderat, cœpit trepidare; quis enim non paveat ad hoc? Solo autem metu orationi procubuit; tamque diu protrahitur agonia pugnantis, dum qui astabat septem psalmos pœnitentiales et letaniam expleret. Tuncque tandem æger rediit in seipsum, et sibi astanti ait: « En, inquit; frater, Deo protegente, hostes evasi; tu, qui mihi laboranti quasi collaborans astitisti, jam parumper indulge quieti. Nocte enim imminenti mecum vigilare habes, discessuro a vobis. « Verba sequitur effectus, ipsaque nocte, ut prædixerat, dissolvitur a corpore. O quanta Dei clementia! qua in corpore posito et pugnare dedit contra dæmones hominem, et pugnantem vincere: ut et labore pugnæ præterita errata purgaret, animæ autem suæ absolutionis horam notam faceret.

6. Per idem fere tempus quidam laicus de castro Beati Martini in eodem cœnobio conversus, ad exitum properabat. Hic in quodam diversorio domus infirmorum, ne vel alii molestiam ab eo, vel ipse ab aliis pateretur, cubabat. Media autem die, ecce dæmones visibili specie Æthiopibus similes ingressi ad eum, lectulum ejus circumsteterunt. Quorum unus et ipse terribilior, et magnitudine procerior cæteris, stratum ejus ascendens, toto se corpore super eum extendit, ita ut etiam os suum ori ejus applicaret. Ille vero cum præ pondere incumbentis se movere penitus non posset, quod potuit fecit, et sputum de ore suo in faciem dæmonis se prementis injecit. Quod diabolus non ferens, retro resilivit, et quasi propriam volens ulcisci injuriam, ad artes callidas se convertit. Denique coram eo argenti et auri pondera immensa, vestesque pretiosas exponit, choros puellarum, equitantium viventium cuneos, ut quos etiam agnoscebat sibi videre videretur. Inter quæ quasi exsultans diabolus, aiebat ad eum: « Ecce, miser, gloria quam reliquisti ante tempus miseriarum, spontaneis te subdens miseriis, cum istis poteras adhuc florere, si nostra consilia non sprevisses. » At ille constanter econtra respondebat: « Nos quoque floruimus, sed flos fuit iste caducus. Jam nunc absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! » Ad hæc verba turba dæmonum tanquam fumus evanuit; et ecce beatus Martinus pontificalibus redimitus infulis coram ægre assistens: « Eia, frater, ait, confortare in Domino, nec te decipiant insidiæ malignorum. Ceciderunt enim a latere tuo, et a dextris tuis, amplius ad te non appropinquabunt. » Et addidit: « Cognoscisne me? Quod cum ille negaret, ait: « Ego sum, inquit, Martinus, hujus loci tutor et provisor, sub cujus auxilium confugisti. » Ad quam vocem enitens ille prosilire de lectulo, post tantæ visionis abscessum a servientibus sibi repertus est pedem exterius, ut sancti pedes amplecti voluerat. Inde accito œconomo decubantium: « Sacræ, ait, unctionis mysterium mihi quantocius exhiberi satagite, quia dominus meus Martinus ita mihi præcepit. Quod postquam suscepero, de cætero me sciatis nec quidquam locuturum nec quidpiam gustaturum. Satis enim fidelis est a quo hæc audivi. » Nec mora, pro more fidelium inungitur, et, ut prædixerat, quandiu supervixit, nec quidquam locutus est, nec quidpiam gustavit.

7. In eodem cœnobio puer quidam intra decimum ævi annum, nomine Joannes, de castro Sancti Martini a parentibus religioni datus est. Cujus in ævo puerili maturitas maturis etiam sensibus admirabilis erat. Nemo eum resolutum risu, nemo censuram silentii excedentem, nemo dum vigiliæ agerentur, cum coævis somno vidit, ut moris est, indulgentem. Refulgebat in vultu ejus quædam cum gravitate simplicitas, ejusque pueriles oculos pudor innocentiæ confovebat, ut in se aspicientibus divino quodam intuitu castigaret levitatem, ac divinum timorem inspiraret. Cujus senectutem venerabilem, non diuturnam, Dominus festinans educere de medio iniquitatum, intra annos innocentiæ innocentem puerum molestiis corporalibus affligi permisit. Quibus in dies augmenta capientibus, religiosus puer præscius extremorum, abbatem loci, Garterium (2) nomine,

(2) Nullus fuit hujus nominis Majoris abbas Monasterii. Legendum haud dubio *Garnerius*, qui ab anno 1137 usque ad annum 1155 præfuit.

ad se venire rogat, confitetur humiliter corde contrito de admissis, benedictionem monachi postulat fideliter, devote suscipit. Inde secundum traditionem apostolicam inungitur. Quo facto vivificis sacramentis munitur; tum vero crucis Dominicæ præsentato sibi vexillo, nihil jam pueriliter præter annos in ipso apparuit. Quanta devotione ipsam crucem amplectitur, quam piis eam lacrymis rigat, quibus singultibus videns Domini pendentis imaginem, ejus passioni conformis efficitur! His de more peractis, in lectum ponitur, positus in ecclesia Beati Benedicti, ut est consuetudo illius ecclesiæ, defertur, ubi, requisitus a servientibus si aliquid sibi ministrari pro corporea necessitate deposceret, nihil prorsus mortale sonuit; sed pueros, qui stolas suas in sanguine Agni laverunt, Davidica voce ad laudem Creatoris invitabat dicens: « Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. » Cujus psalmi duos versus itidem itidemque repetens, extremum spiritum exspiravit; illorum, ut credimus, aggregatus consortio quos ad Dei laudes in extremis invitabat.

8. Presbyter quidam de Sancto Spano, Herveus nomine, postposita sui dignitate ordinis, tam sæcularibus negotiis quam voluptatibus deditus erat. Crescebat in immensum pecunia ejus, positis in fenore nummis, quæ scilicet quo plus crescebat, tanto magis hunc capiebat, Hoc solum tamen in eo spem futuræ salutis, etsi segniter, nutriebat, quoniam viros religiosos, et præcipue Majoris Monasterii monachos maximo venerabatur honore. Denique sanus et adhuc florens in sæculo sese suaque eis donavit. Nec tamen tunc mundum, cujus catenis irretitus erat, deseruit. Tandem mortis avara manus, quæ æquo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres (Hor. *Carm.* I, 4, 13), corporalis molestiæ tactu eum graviter adegit. Qui mortis horam vicinam sentiens pariter et tremiscens, supradictos Majoris Monasterii fratres ad se festinato venire mandat; factaque primum de peccatis humili, vivaci, gemebunda, plena amaris lacrymis, ut dignum erat, confessione, confratribus prius et pauperibus partem suæ substantiæ divisit; reliqua vero omnia mobilia immobiliaque sæpedictis fratribus seseque ipsum tradidit. Insuper et debitores suos undequaque venire fecit, quæque sibi debebantur, debenda fore monachis, et nominatis temporibus reddenda sancivit. Inter reliquos autem venit quidam compater et familiaris ejus, cui nemine conscio, exceptis ipsis duobus, LX libras commodaverat. Qui jacenti locutus in dolo: « Domine, inquit, timeo mihi ab auditu tantæ pecuniæ, et quamvis per vestram gratiam, neminem tamen vellem conscium nostri secreti, sicut nec antea fuit. Ego autem sub fidei meæ et jurisjurandi sacramento polliceor vobis et eam me redditurum, et eo quem mihi assignaveris die. » Ad hæc æger: « Non est, inquit, opus ut mihi juretis. Expertus enim fidem vestram, quæ mihi spondetis non incredulus existo, osculo sancto pacis et fidei peracta solo firmentur. » Quod ille libenter amplexus sub fidei suæ et sacri ordinis signo pollicetur se eis, quibus, et quo decreverit tempore, debitum soluturum. Assignat ergo debitori presbyter ut vice sui fratribus Majoris Monasterii illud restituat, terminumque reddendi unius anni indulget ei spatium. His ista peractis, induitur sacris vestibus religionis, et delatus ad monasterium, monachalia sacramenta pro ritu religionis suscipiens, pravis transactæ vitæ bono fine condemnatis actibus, quievit in pace. Jam annus exactus erat, cum debitor ille nec debitum exsolvit, nec patientiam precatur. Nemine scilicet teste, post mortuo lucro sibi totum putat remansisse. At defunctus, cui monachi debitum fraternitatis non exsolverunt negligenter, sollicitus fuit ne fraude debitoris amitterent quod eis reddendum mandaverat. Quadam igitur die capellano ecclesiæ cui ipse præfuerat, eunti Turonem, monachali habitu efficitur obvius. Quem ille clara luce diei agnoscens, reminiscensque mortuum, primo ejus aspectu ingenti terrore concutitur. Cui defunctus: « Nihil, inquit, timeas, sed crucis Dominicæ signo frontem armatus, securus audito quæ dicam. Non enim nociturus, sed profuturus tibi et aliis permissus sum apparere. » Et addidit: « Tu nosti, inquiens, quam perdite multo tempore vixi et vere et absque remedio perditus essem, si non per orationes sanctorum fratrum Majoris Monasterii Domini immensa misericordia mihi subvenisset. In igne tamen purgatorio debitos dolores sustinui, quibus si quidquid tormentorum in vita mortali tolerari potest comparetur, levissimum, imo nec tormenta reputabuntur. Nunc autem, in refrigerio positus, majorem adhuc beatitudinem etiam ante universale judicium præstolor, sed retardat me fallacis illius compresbyteri nostri dissimulatio. Transgressus est enim terminum quem illi constitueram, ut dominis meis Majoris Monasterii fratribus debitum meum exsolveret. Tu quidem ex parte mea nunc ibis ad eum, et ne amplius dissimulet facere, quod sub fidei et pacis osculo mihi spopondit reddere, annuntiabis. Quod si diem quem illi per te assigno, negligenter præterierit, sciat procul dubio ejus animam summi Judicis subituram vindictam. » His dictis defunctus disparuit. Capellanus autem promptus ac sollicitus exsequitur jussionem, presbyterum convenit, super deposito visionem enarrat, ut reddat debitum adhortatur. At ille cum insaniæ phantasia deceptum, se in nullo unquam defuncto fuisse obnoxium protestatur. Nec mora, transacto die quem defunctus per internuntium statuerat, debitor immensis doloribus arreptus, jamjamque sese exspirare formidat. Fatetur itaque etsi sero, cuncta Dei cernentis neminem posse effugere judicium. Quid plura? Monachos sæpedictos per internuntium evocat, debitum primo reddit, inde seipsum et omnia sua in manus eorum tradens, creditoris sui pia in fine subsecutus vestigia.

In quo opere vere Dominus et clementer misericordiæ et districte bene intelligentibus demonstrat judicem.

9. Duo germani erant in eodem monasterio honestæ vitæ et laudabilis conversationis, quorum alter ad abbatis nutum in Angliam directus, cœlum, non animum mutans (Hor. *Epist.* I, 2, 27), ibi quoque religiose conversatus est. Contigit autem ut expletis diebus vitæ suæ obdormiret in Domino. In eadem igitur nocte qua de vita excesserat, fratri suo in conventu fratrum quiescenti apparuit dicens: « Eia, frater, ecce hodie ex hac vita me vocavit Dominus; et ego ad sanctorum requiem perventurus viatico indigeo, beneficio scilicet fratrum nostrorum ex more mihi debito. » Porro ille a somno excitus secumque visionem reputans, minus fidem adhibuit, quasi somnium parvipendens. Surgitur interim ad Matutinos. Tum inter psallendum, ut fieri solet, parumper obdormiens, eamdem visionem vidit. Cœpit igitur aliquando sollicitius tractare secum quæ repetita visione monitus erat. Itur post Matutinos dormitum; et ecce defunctus fratrem suum in visu convenit, hortatur sollicite ut jam tertio monitus abbati et fratribus suum nuntiet obitum, et germanæ dilectionis intuitu debitum sibi ab eis exigat beneficium. Mane itaque facto, frater de fratre, præsertim triplicata visione admonitus, sollicitus erat, et quemdam de custodibus ordinis in partem evocans, rem ex ordine pandit, deposcit consultum. At ille: « Non est, inquit, ut melius nosti, consuetudinis nostræ ut alicui debitum exsolvamus, nisi breve allatum fuerit quo Kalenda obitus agnoscatur, præsertim pro somno cujus fallax et vana persæpe illusio est. » Nec mora, die eodem nuntius advenit breve manu portans, quo fratris obitus et Kalenda legeretur: Kalenda porro ipsius erat diei. Officium pro mortuo de more celebratur, æstimantibus cunctis jam instare annuum diem quo obiisset. At germanus ejus cæteris pro illo solertior foras egreditur, quasi cum brevis bajulo curiosius de fratris sui obitu locuturus. Ille autem nec reperiri potuit, nec aliquis est repertus qui se eum vidisse diceret. Concurrentibus itaque sibi et visionis triplicatæ miraculo, et nuntii subito disparentis adventu, germanus defuncti et eodem, non quidem anniversario, sed ipso identitatis essentia quo viderat visionem quodque nuntius advenerat, veridica relatione fratrem suum didicit emigrasse. Satisque compertum est quam larga Domini misericordia est, quæ et defuncto permisit ut suum debitum exigeret, quamque sollicitos nos esse conveniat ne defunctis fratribus debitum suum exsolvere negligamus.

10. Ejusdem cœnobii frater erat, Urricus nomine, qui rerum temporalium callebat prudentia. Hic in cella quæ dicitur Tavent procuratoris fungebatur officio. Erat autem durus admodum et inhumanus; cum fratribus constitutam annonam nonnunquam partim subtraheret, ipsis reclamantibus cogebatur invitus reddere quod suum erat. A vero defunctis tanto licentius beneficia statuta vel subtrahebat vel in deterius commutabat, quanto rarius inveniebatur qui jus eorum defenderet. Contigit igitur ut dormienti ei duo fratres qui ex hoc mundo migraverant apparerent, et eum duris verbis pro illata defunctis injuria increparent. Ille induratus quasi somnium mane visionem pro nihilo duxit. Secundo itaque defuncti ad eum in visu venientes reclamant pro injuria, pœnas imminere, nisi damna restituat, comminantur; at ille nihilominus emendatus permansit. Tertio igitur venientes tantis eum verberibus affecerunt, ut per annum dimidium lectulo quasi moriturus decubaret. Vix tandem convaluit, sed pristinam corporis alacritatem nunquam postea recuperare valuit. Hinc conjice, lector, quid in futuro immineat defunctorum debita defraudantibus, quia etiam in præsenti corporali vindicta defunctos ipsos Judex permittit exigere.

11. Frater quidam ex eodem monasterio egressus sæculum repetit, monachum diffitetur. Qui etsi turpiter coram Deo, quippe sanctæ illius refuga professionis, coram hominibus tamen honeste se agebat. Denique in Cameracensium diœcesi professus presbyterium, cuidam ecclesiæ attitulatur, in qua per multum tempus sacerdotio functus, quem ordine et dignitate populum sibi commissum [habuit], quantum ad faciem spectat, legitime gubernavit. Et quia mundana non mediocriter callebat prudentia, multam sibi coadunavit pecuniam. Consortium etiam muliebre sibi asciscens, ad testimonium illius ultimæ et sæcularibus licitæ castitatis, et ex ea filios genuit. Jam quarta præteribat vigilia, et adhuc ille dormiebat, cum ecce fons misericordiæ Deus mirabiliter eum excitavit, et primo quidem uxoris solatium filiorumque carnalem dulcedinem, morte eos exterminando, ab ejus animo abscidit; inde corporali eum affligens molestia lectulo prostravit. Tunc tandem in se reversus, secum quid fuerit, unde exierit, quod evenerit, quæ se inevitabilis maneat in extremis sententia, rugitu cordis et medullarum sudoribus retractare cœpit. Aiebat ergo: « En mea cycneas imitantur tempora plumas (Ov. *Trist.* IV, 8, 1), et ecce universo, ut dignum erat, destitutus solatio, ut lignum aridum et truncus inutilis æterni ignis pabulo tantummodo aptus remansi, et vere merito solum me relictum invenio, qui sanctæ congregationis dignum Deo et angelicum reliqui contubernium. Væ mihi misero! qui cum possem ad eos redire, non volui; nunc autem cum sero velim, non valeo. » Talia secum dicens flebat uberrime. Tandem post multas lacrymas, spe per Dei misericordiam animatus, ait: « Certe faciam quod vel nunc possum. Credo enim et confido, qui et latronem in cruce sese confitentem misericorditer suscepit, me quoque etiam in ultimis veraciter pœnitentem non abjiciet. » Dixit, et dictum transduxit in opera. Nam Majoris Monasterii fratres quos propius potuit reperire per internuntios evocat, revelat eis ut Domino viam suam;

et quia prægravatus valetudine se eo venturum diffidebat, quo legitime satisfaceret, supplex exorat ut pro solemni disciplina in eum verba virgarum exerceant, ac deinde sacræ habitum religionis, quem abjecerat, clementer indulgeant. Nec differre consilium fuit, quia et pœnitentis supplicatio et imminentis periculi urgebat eventus. His igitur peractis cum nocte insecuta matutinos inibi celebrassent, æger somno indulsit; et ecce Martinum pontificali redimitum infula cum multitudine candidatorum, sanctumque Benedictum cum monachorum caterva sibi videt in dextris assistere, porro in parte altera diabolum et angelos ejus. Tum prior diabolus : « Injuste, ait, agitis ad hunc accedentes, qui a vobis refuga se mihi mancipavit; et modo longævæ militiæ, qua mihi servierat, pramia percepturus, propter unius horæ lacrymas et momentaneam pœnitentiam ac si justus a vobis visitatur. » Cui clemens Martinus : « Ignoras, inquit, miser, divinæ bonitatis inexhaustas divitias, qui per Prophetam duræ vitæ contraria intonat verba dicens . « In quacumque hora ingemuerit peccator, omnes ejus iniquitates oblivioni tradentur ; » et per semetipsum, ille qui tyrannidem vestram suæ tropæo crucis edomuit : « Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. » His dictis cum sancto Benedicto conversus ad jacentem : « Per Salvatoris, inquit, gratiam, et collatam ab ipso nobis potentiam, a cunctis te peccatis absolvimus; de cætero tu correctius vive, et jam amplius noli peccare. » Et addidit : « De lecto, inquiens, ægritudinis hujus convalesce, ad matrem tuam ecclesiam a qua recesseras rediturus, ibi, juxta quod magister tuus, quem præsentem cernis, sanxerit, satisfactionis viam universam percurrens, caveto summopere ne quid quod tuam remordeat conscientiam a Patre abscondas monasterii; jam etenim non multa tempore supervives. » His dictis somnum et visio pariter abierunt. Nec mora fratribus ad se vocatis quæ viderat, quæ audierat per ordinem pandit, se divinitus sanatum insinuat, rhedam instruit, cum qua cum suis copiis provehatur, ad Majus Monasterium venit; quæ secum detulit scilicet viginti quinque millia solidorum, et vasa argentea octo, equos etiam in quibus venerat, Patri monasterii assignat. Inde misericordiam supplex exorat, aditum humiliter precatur, nihil sibi laxari permittit quominus universam expleat satisfactionis disciplinam. Dies pauci fluxerunt, et ecce iterum lecto prosternitur; cumque expleto sacræ unctionis mysterio crucem Dominicam adoraret vidit diabolum prope assistere. Respiciens autem ex adverso, sollicitis perquirebat oculis, si forte protectores suos, quos antea viderat, etiam nunc videret : nec prius salutiferum crucis vexillum ab ejus manibus avellere potuerunt, quam beatos patronos suos ad sui custodiam venisse gloriaretur. Quorum confisus præsentia, ad diabolum conversus : « En, inquit, cruenta bestia, protectores habeo contra te. Adest Martinus signipotens, adest et A Pater Benedictus, non timeo quid faciat mihi homo.» His dictis in sanctorum qui advenerant manibus vultu alacri animam expiravit, sicque divinitus ostensum est quanta sit apud Deum multorum innocentia, apud quem tanta est peccatorum pœnitentia.

12. Fulco comes, iturus Hierosolymam, infesto Pentecostes venit Turonos, ut ei archiepiscopus sacræ crucis signum pro more tantæ peregrinationis imponeret. Quo facto, cum post missarum solemnia commilitones et participes mensæ suæ præstolaretur, ad fenestras aulæ, quæ Majus Monasterium respiciebant, cum duobus presbyteris sese comitaturis stabat, nescio quid secretum confabulans, cum ecce respiciens videt primam [*f.* pinnam] Majoris
B Monasterii flammis nimiis ita succensam ac si funditus combureretur. Quo visu exterritus : « En inquit, Majus Monasterium incendio concrematur Videtis, ait, qualis flamma jam in superioribus dominatur? » Videntes presbyteri condolent pariter et mirantur. Nec mora, vocatos de militibus suis nonnullos, concito cursu jubet ire illo, et sibi renuntiare quid ibi fuerit. Ascensis equis illi properant, Majus Monasterium veniunt, inquirunt de igne, nec etiam mentionem reperiunt. Comes illos præstolatur. Quibus regressis, nihilque tale se vel vidisse renuntiantibus, sollicitus comes cum presbyteris suis de visione tractabat. Cui unus eorum ait : « Domine, digna satis visio pro negotio quod cœpistis, pro solemnitate præsenti, pro loci reverentia
C in quo apparuit vobis, divinitus ostensa est. Nam et vos, Spiritu sancto inspirante, Dominicum signum vobis hodie imposuistis, et ipse spiritus sanctus hodierna die super apostolos in igne descendit, et locus Majoris Monasterii dignus est in quo se demonstret descendere, quem tantus conventus eodem Spiritu inflammatus cohabitat. » Placuit viro illustri digna dignæ visionis interpretatio, nec moratus in crastino eo venit, visionem conventui refert, fratrem se et participem beneficii rogat effici, ipsumque locum et ejus incolas condigna reverentia deinceps habuit.

13. Aeris siccitate terræ sterilitas imminebat, corporumque inæqualitas pestem rebus minatur humanis. Conventus igitur majoris Monasterii, nudi pedes deferentes pignora sanctorum, ad tumu-
D lum beati Martini processionem pro clade imminenti fecerunt, ibique celebrata missa, cum jam regredi vellent, corpus beati Corentini, quod secum detulerant, volentes levare, movere penitus nequiverunt. Attentabant plurimi, sed labor cassus nihilominus frustrabatur. Tum mœror ingens et luctus omnium, quippe qui beneficia potituri advenerant, damno irreparabili multabantur. Cum ecce senior quidam Hilidebrandus nomine, baculo quem dextra gestabat, feretrum percutiens, ait ad sanctum : « Eia Brito, Brito, novimus certe Britannorum superbiam, et en credo, Martini et Bricii tumbas æmularis aureas, eo quod tua vilis et lignea sit. Nunc

igitur securus nobiscum revertere, et te, sicut isti sunt, auro vestiemus. » His dictis, ad bajulos feretri conversus: « Supponite, inquit, humeros oneri, in nomine Domini nihil hæsitantes. » Quibus jussa facessentibus, in summa facilitate sanctum levaverunt, antiphonaque imposita, post mœrorem lætitia perfusi ad propria redierunt.

14. Laicus in eodem cœnobio conversus psalmos addidicit, et per annos quinquaginta in ipso monasterio religiose conversatus nunquam ad cellas exteriores exire ad manendum voluit. Jacebat autem in ecclesia luminaria concinnans, verrensque pavimenta, parietes extergens, et quibuscunque sanctis ministeriis poterat, sedulus insistebat: psalterium ex ordine quotidie decantabat, post Matutinos nunquam quieti lectuli indulgebat. Sed cum nimia eum lassitudo compulisset, ad locum refugii integer habitu sanctorum necessitati corpusculum admittebat. Advenerat igitur beati Martini sacra solemnitas, qua, peractis Matutinorum solemniis, cæteri fratres requiei gratia ad lectulos redierunt. Ille autem cum privatis orationibus et genuum flexionibus sese fatigasset, ad memoratum refugii locum secessit; cumque levi somno, ut matutinis horis fieri solet, parum raperetur, ecce duæ personæ venerando habitu, præclara facie fulgentes, coram altari astiterunt; dixitque alter ad alterum: « Domnus gloriosus Martinus beato huic loco pro reverentia solemnitatis hujus suam hodie exhibebit præsentiam, fratrem etiam istum qui nos audit, quia ei non mediocriter devotus exstitit, die crastina educi jubet e corpore. Ea propter ipso etiam audiente hæc ex industria loquor, quatenus tantæ necessitatis hora tam propinqua eum paratum inveniat. » His dictis visio disparuit, somnusque recessit. Quare ille exitus horam ultimam, tam de vicino imminentem, sollicitis et formidolosis orationibus exspectat. Mane autem facto, frater abbati quæ viderat quæque audierat suggerit; ille vero ut somnium parvi pendens, non adhibendam somniis fidem. Imperat tamen super licentiam, ut inungatur. Quo facto, Dominicis etiam munitus mysteriis, sanus et incolumis cum cæteris in conventu versatus, nocte insecuta, circa Laudes viribus corporis cœpit repente destitui; nec jam valens subsistere, ad manus in cellam infirmorum deducitur. Mane veniente, pro bona iterum devotione Dominici corporis et sanguinis sacramenta percepit, ubi, cum post sanguinem vinum ebibisset, inter manus sese bajulantium exspiravit. Ita Martinus in sua festivitate sibi devotum assumpsit, ita Christus præcedentis gratiæ donum subsequenti gloria remuneravit. Amen.

15. Dicamus etiam quoddam miraculum quod nostris temporibus, divina operante clementia evenisse non dubitamus. Duo ex monachis Beati Martini Majoris Monasterii, Junianus sacerdos Calumnensis, et Burgardus præpositus Litinensis, venientes de obedientiis suis navigio, secumque A ferentes centum quadraginta alausas, quas emerant ad opus refectionis fratrum, tendebantque pervenire ad Majus Monasterium. Cumque venissent ad quemdam locum valde periculosum, ubi aliquis, propter exclusas et molendina, quæ inibi amplius abundant, vix illæsus iter suum valeat peragere tutum; monachi sollicitі, causa vitandi periculum, præceperunt famulis suis ut in navicula remanerent, et diligenter eam gubernare certarent. Illi vero accipientes navigalem funem, descenderunt in terram, ut valide trahentes citius transvolare naufragium possent. Sed callidus hostis, qui nunquam quiescit omnibus adversari bonis, aliquantulum propositum illorum perturbavit, non tamen ad damnum et contumeliam ipsorum, sed ad laudem et B gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi. Nam cum famuli recto regimine sulcantes undas elaborassent illam augustam transire portam, et monachi peragentes juxta littus viam suam extenso fune fortiter naviculam suam traxissent, mirabile dictu! mox quasi incisus rumpitur funis. Quod persentientes famuli, et mortem sibi iminere videntes, vix hærentes manibus tabulis molendinorum evaserunt. Navis quippe statim mergitur, non ut aqua impleretur, sicut solet fieri; sed, quod magis periculosum est, puppi et prora deorsum conversis in terram, resupina cœpit fluctuare in undis. Magna voce inter hæc clamantibus monachis: « O beate Pater sancte Martine, sanctis precibus et meritis tuis salva pisces in illa navi quos ferebamus nostris filiis et C servis tuis. » Postquam ergo navicula diu ab undis fluminis depulsa natitavit, monachi et famuli non credentes neque sperantes quidquam funditus remansisse in ea, tandem magno cum labore pertraxerunt ad terram. Cumque convertissent et erexissent puppim sursum, quæ diu resupina nataverat, viderunt pisces suos immotos et salvos, et ita ordinatim sicut collocaverant positos, nullusque illorum omnium quos fratribus Majoris Monasterii destinaverant, in aqua periclitavit. Triginta quidem pisces quos separatim posuerant, ut captoribus et hujusmodi hominibus largirentur, illi ceciderunt in aquam et perierunt; spolia quoque famulorum in flumine demersa sunt, liber vero monachorum, id est Breviarium, ita illæsus permansit sicut et D pisces fratrum. Quod videntes monachi et famuli, et omnes qui aderant, gaudio magno repleti glorificaverunt Deum, qui nunquam deseruit sperantes in se, qui non solum voces exaudit fidelium suorum clamantium ad se, verum etiam desiderium et effectum cordis eorum sicut in quodam loco Propheta testatur: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationes cordis eorum audivit auris tua. »

16. Quia sicut Scriptura dicit: « Secretum regis abscondere bonum est, opera autem Dei manifestare atque confiteri honorificum est; » utile esse cognovimus quamdam visionem scripto relinquere posteris nostris, quam divina clementia nostris

temporibus apud Majus Monasterium revelare dignata est. Quondam enim quidam monachus Majoris Monasterii, vir boni testimonii, Oddo nomine, præpositus de Sancta Gemma, cum persensisset in loco obedientiæ suæ se mortali infirmitate correptum, quantocius ad Majus Monasterium deferri præcepit. Cumque in domo infirmorum fratrum positus esset, aliquantulum in infirmitate sua examinatus, ad ultimum universæ carnis viam cœpit ingredi. Hoc autem cognito a priore, qui, jam advesperacente die, gratia perscrutandi qualitatem suæ infirmitatis illum visitaverat, finito Completorio significavit tribus fratribus ut ad illum custodiendum, sicut mos est ilius ecclesiæ, postquam ita fit proximus morti, venirent, et totam noctem circa eum in psalmis et orationibus expenderent. Fratribus igitur obedientibus sine mora signo prioris, festinanter venerunt in domum infirmorum, et circa fratrem in extremis positum residentes, fere usque ad medium noctis in psalmis et orationibus perstiterunt. Cumque jam hora propinqua esset in qua fratres [ut] ad Matutinos surgant admoneri solent, ecce unus ex tribus fratribus quos supra memoravimus, Gergonius nomine, apertis oculis, non per visionem aspiciens sursum in directum, vidit quamdam avem speciosam nimis in columbæ specie ex toto albam, per radium cujusdam splendoris magni venientem super fratrem infirmum et morti proximum; cœpitque supra pectus ejus volitare et volitando illum circuire. Sed antequam illa avis advolaret, frater infirmus graviter anxiabatur, et mortis stimulis nimium urebatur; ubi vero advenit, pacatum illum et quietum cito reddidit, neque postea tantos planctus tamque graves anhelitus emisit. Cumque aliquandiu illum circuisset, et super pectus ipsius vicissim volitasset, pariter et frater suum Domino spiritum reddidit, et avis qua via descenderat, ascendit. Nulli hoc incredibile videatur, sed Dei operibus fidem rectam adhibeamus, et illi assidue grates debitas reddamus, qui semper suos consolatione pia visitat, et in se sperantibus gaudia cœlestia largitur et præparat.

17. Vir venerabilis, simul et præpositus et archidiaconus Claromontensis ecclesiæ, ad festum beati Martini quotannis venire consueverat, pariterque Majoris Monasterii cœnobium visitare. Qui cum inibi multam religionem fervere conspiceret, pio conversationis desiderio est accensus. Aliquando igitur de more ad sancti Martini festum venturus thesauros suos et vestes olosericas, multamque divitiarum supellectilem secum afferri fecit. Cum igitur tota nocte et die solemnitatis sacris officiis devotus interfuisset, in comitatu suo recedit ad hospitium, ac inter confabulandum post epulas ait suis: « Vobis crastino de labore quiescentibus, ipse solus paulisper egrediar, ad prandium reversurus; nihil igitur

A de me fueritis solliciti, sed parate nobis. » Mane igitur facto, induens se vir nobilis cujusdam servi sui habitu viliori ad Majus Monasterium venit, repertoque abbate Guillelmo (3) procidit ad pedes ejus, et pro amore Christi et beati Martini monachatum sibi concedi exorat: cujus humilem supplicemque petitionem pio abbas attendens intuitu, benigne concedit quod ille humiliter precatur. Inde ad suos regreditur, mirantibus nimirum cunctis quomodo vel qualiter in tali habitu processisset. Resumptis vestibus, dissimulato voto, tota dies illa in lætitia agitur. Denique videt in crastino suum iter parari, quasi ad patriam rediturus. Ducibus autem comitatus mandat secreto ut, cum ventum primum fuerit ad Majus Monasterium divertant gressum. Itaque oratione prius B celebrata, se poscit ad abbatem deduci. Cui abbas assurgens (jam enim, fama præconante, quis esset audierat), in osculo pacis gaudens excipit illum. Rogat etiam, pro consuetudine et hospitalitatis gratia, ut laborem itineris sui ibidem quiescendo relevet, ne dedignetur beneficium domus suscipere, cui sacer Martinus et expensas providet, et expendendi voluntatem largitur. Tum ille: « Domine, inquit, non dedignor aut respuo beneficium beati Martini et vestrum; me enim in monachum suscepistis, et ad hoc hodie veni. » Mirari abbas se illum catenus non vidisse. Ille e contra: « Non, ait, meministis vos heri quemdam pauperem clericum in tali et tali habitu recepisse in monachum? — Hoc, inquit abbas, recordor. — Ego, ait, ille sum. Jam nunc, si placet, C me et mea suscipite; de his qui mecum sunt si quis eodem vitæ desiderio tactus est, precor ut pro Deo mecum suscipiatur. » Gaudet abbas, clerici contristantur. Duo tamen ex eis, cæteris cum luctu abeuntibus, remanserunt. Factus igitur monachus, quo sublimior in sæculo fuerat, eo se exhibuit humiliorem. Post non multum temporis sacrista efficitur, attributis ei sociis bonæ vitæ super eo ut decebat sollicitis: at ille, magis magisque in Deum proficiens, secum cœpit tractare qualiter omnibus fratribus ita deserviret ut omnes lateret. Denique nocturnis horis cum cæteri quieti concederent, ipse clam cunctis aquam hauriebat et lavatorium implebat. Hoc cum multo tempore jam fecisset, Omnium D Sanctorum advenit solemnitas: cæteris itaque post Matutinos ad lectos redeuntibus, ipse operi assueto succedit. Quo expleto de more, redit in oratorium, incumbit orationi. Et ecce ex ea parte ecclesiæ qua beati Martini lectus habetur, audit immensæ multitudinis dulcissimas voces. Erigens autem caput vidit tres personas pontificalibus infulis decoratas, quarum qui medius erat et honore et vultu videbatur cæteris præeminere; deinde abbates multos ac monachorum infinitas catervas, omnes lætos et dulci melodia jubilantes. Incipit interim ille archiepiscopus ℟ 1, *Concede nobis;* dictoque et repetito ℟, complet ordi-

(3) Hic ab anno 1104 monasterio præfuit usque ad annum 1124. Dicebatur Guillelmus de Combornio.

nem. Secundo agitur pro defunctis. Tertio pro illius loci congregatione. Incipit ille archiepiscopus Antiphonam: *Civitatem istam tu circumda, Domine*. Et subjungit ℟, *Fiat pax in virtute tua;* et Collectam: *Deus qui renuntiantibus sæculo mansionem paras in cœlo, dilata hujus sanctæ congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, ut fraterna teneantur compagine charitatis unanimes: continentiæ præcepta custodiant sobrii: simplices et queti gratis datam sibi gratiam fuisse agnoscant: concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere. Per Dominum nostrum*, etc. Quibus expletis, beata illa et gloriosa processio qua venerat redire cœpit. Ille autem curiosius intuens, nonnullos quos noverat obiisse recognoscens, alloquitur illos, inquirens qui hi essent. At illi Martinum esse qui medius incedebat episcoporum, qui ut meritis ita vultus eminentia præcellebat; Fulgentium atque Corentinum, qui ei obambulabant; abbates ipsius loci, et deinde monachos, qui Martini meritis sui laboris fructibus non parum fruebantur eoque incedere eos ordine quo ad Christum migraverant. Profiterentur abbatem etiam Odonem (4), qui tunc loco præerat, eodem anno ad suam societatem accersendum denunciant. Referebant etiam quod beatus Martinus cum ipsa processione cum suo illo, ut semper, frequentissimo discipulorsm sanctissimoque comitatu ipsum monasterium sæpissime frequentaret. His auditis, vir venerandus quosdam de sociis excitare festinat, Guarnerium scilicet ejusdem loci postea abbatem, et nonnullos ex aliis, qui a somno exciti et voces cantantium audierunt, et aliquos de novissimis ipsius processionis videre meruerunt. Quam beatam putamus, quamque mundam viri conscientiam, cui adhuc viventi in corpore præstitum et Martini gloriam et sanctorum cum comitantium contemplari!

(4) Guillelmo supra laudato successit ad annum 1137.

ANNO DOMINI MLXXXV

BERNARDUS
COMES BISULDUNENSIS

BERNARDI COMITIS
EPISTOLA AD BERNARDUM ABBATEM MASSILIENSEM

Ad eliminandam ex Rivipullensi monasterio simoniam, orat ut illud per suos monachos regendum suscipiat.

(D. Marten. *Ampl. Collect.*, I, 473.)

Dommo B. Massiliensium venerabili abbati omnique sanctæ congregationi sub ejus custodia Christo militanti Bernardus comes Bisuldunensium fidelem in Domino... et cœleste consequi bravium.

Quoniam quidquid a me mihique sæcularibus videlicet hominibus in hoc sæculo nequam digne devoteve agitur, spiritualium virorum precibus impetratum non ambigo. Idcirco arbitratu meo illis existimo referendum, quibus intercessoribus jure creditur adeptum. quatenus illorum gratiarum actione ac providentissima cura obtineat rectitudinis statum quod ab immeritis fuerit inchoatum. Quapropter noverit vestra pia sollicitudo, locum Dei Genitricis Mariæ Rivipollentis (1) cœnobili, qui, a tempore domni Olivæ (2) pontificis a Simoniacis male possessus, turpibus succubuerat quæstibus, ejusdem Dei Genitricis auxilio, tamque vestro quam cæterorum, ut credo, fidelium obtentu, me ab omni hæreticæ pravitatis contagio emundasse; illumque pseudoabbatem Mironem, qui post interdictum sedis apostolicæ ejusdem regimen conatus est simoniace obtinere, domni Guifredi archiepiscopi, necnon Berengarii Gerundensis episcopi, ac Guillelmi Ausonensis præsulis adjutorio, cum suis satellitibus universis a loco et regimine, sine ullo restitutionis respectu expulisse; quo depulso cum quærerem qualiter vel quo ordine ab illo sancto loco omnem hæreticum ambitum de cætero præcavere possem, id mihi a meis

(1) Rivipullense monasterium, Gallice *Ripouille*, insigne ordinis S. Benedicti in diœcesi Ausonensi, anno 888 a Wifrido comite Barcinonensi conditum est.

(2) Hic Oliva sive Oliba episcopus fuit Ausonensis et abbas Rivipullensis, atque etiam Coxanensis, fra-

magnatibus, et præcipue ab hoc archidiacono suisque sodalibus suggestum est, ut vestræ dominationi vestrisque institutis illum subjicere non refugerem, si a perversis machinationibus hæreticorum deinceps haberi vellem immunem, Quod ipsum cum Dei Genitricis amore, tum vestri, mi domine abbas, venerandi nominis in me transfusa dignitate, nequaquam difficile visum est quin statim justo eorum consilio annuerem, eosdemque ad vos confestim mitterem, quo eisdem convocaremini nunciis, quibus ad id agendum usus sum consiliariis, et quod eorum linguis, hoc idem meis testarer litteris. Unde volo vos nosse, si id vestræ non distulerint moræ, me præparatum esse illud de quo agitur cœnobium vestræ subsedere ditioni, et serie scripturæ a vobis confectæ propria manu Deo sanctoque Victori firmare, ut nunquam a reliquo sit abbas nisi quem vobis, domne B., vestrisque successoribus ex consulta Massiliensis collegii regularitate eligere placuerit; hoc tantum ad præsens nobis concesso ut domnus Girbertus, cui omnia quæ juris sunt cœnobii jam dudum nota sunt, curam illius vestro jussu primum gerat, ne plebs universa fiat minus religiosa quam convenit, si non licuerit illi hunc habere quem quærit. Ut autem omnia quæ erga vos vestrumque locum a me agenda sunt, melius quam hic scribi possunt, velociter fiant, simul cum his nunciis vos, mi domne abbas, cum nonnullis vestri conventus, non sine domno Girberto celeriter ad me usque.... et in omnibus quæ ad stabilitatem hujus negotii pertinere possunt requisitis et receptis. Demum hunc quem volumus..., studeat industria, sicque a vobis actum in vestros successores transeat per sæcula ventura. Ergo quia vitiorum adversatores, cultoresque virtutum fama præcurrente vos esse didicimus, ideo hoc nobile cœnobium, quod, ob reverentiam totius religionis et scientiæ, olim caput et specimen universæ esse meruit Esperiæ, Deo annuente, per vos in statum pristinum cupimus reparari; quo, dum illud vestri instantia resumpserit habitam venerationem, coronam gloriæ a Filio ejusdem Virginis suscipiatis auctiorem. Quod si rem tam dignam nec Dei amore dignati fueritis suscipere, necesse erit nobis alibi inquirere cum quibus et per quos acerbitatis nostræ virus possimus deponere. Scitis quid velimus, orate ut possimus. Igitur totum et amplius quam quod comes Barchinonensis de cœnobio Sanctæ Mariæ (3) Crassæ vobis fecit, ego dum libertatem Massiliensem de isto properat facere, excepto quod nec gladium neque contum sinam vos illic formidare. Hæc in fine curavi addere, ut si hoc renueret accipere, quidquid Omnipotens secus quam oportuerit, ibidem agi conspexerit, illud abhinc vestræ et non meæ imputet culpæ, qui scit me hæc veraci corde proferre. Valeat sanctitas vestra in Domino.

DIPLOMA BERNARDI COMITIS BISULDUNENSIS

Rivipullensem abbatiam monasterio Massiliensi S. Victoris subjicit.

(Apud MARTEN. *ubi supra*, p. 475.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Bernardus gratia Dei comes Bisuldunensis donator sum omnipotenti Deo et S. Mariæ sanctoque Victori martyri de Massilia, ac Bernardo abbati ipsius monasterii, et omnibus successoribus ejus per hanc meæ donationis scripturam. Dono eis monasterium S. Mariæ de Rivopullo, cum omnibus rebus quæ ad se pertinent et pertinere debent, sub eo tenore ut ipse Bernardus et successores eligant semper et mittant ibi abbates qui servitium Dei in eodem monasterio faciant, et regulam S. Benedicti ibi teneant et tenere faciant, et obedientes sint semper in omnibus abbates et omnis congregatio ipsius monasterii Massiliensi abbati præsenti et successoribus ejus, et hoc semper sit factum ad servitium Dei, et ad fidelitatem de me Bernardo et successorum meorum, et ut sedes sancti Petri de Ausona et episcopi orthodoxi ipsius loci habeant ibi quod juste habere debent. Et si, quod absit! abbas sive abbates ibi electi vel congregatio ejus regulam S. Benedicti non observaverit, et inobedientes exstiterint, Massiliensis abbas ibi semper quando voluerit veniat, et eos ut corrigantur admoneat, et de malo ad bonum convertat. Si autem rebelles fuerint, et admonitionibus ejus credere noluerint, Massiliensis abbas semper potestatem habeat ejiciendi malos et mittendi bonos, et pro Dei amore et charitate divina Bisuldunensis comes et Ausonensis episcopus ad hoc faciendum sint illi adjutores. Et hoc tandiu firmiter et immobiliter maneat, quandiu monasterium S. Victoris regulariter steterit, et regulam S. Benedicti habitantes ibi tenuerint. Et non liceat mihi Bernardo præfato comiti, nec ullo successorum meorum, hanc donationem disrumpere aut transmutare, vel aliquo modo minuere. Et

ter Wifredi comitis Ceritaniæ, obiit 1047.

(3) Cœnobium B. Mariæ de Crassa, olim de Orbione a proximo fluvio et etiam de Novaliis ab amœna valle dictum, in diocesi Carcasonnensi a Nebridio abbate qui postea fuit archiepiscopus Narbonensis, conditum fuit cujus fundationem ratam habuit Carolus Magnus anno regni sui undecimo, id est 778.

hoc totum ideo est factum quia locus ille propter Simoniacos abbates pene absque religione et sine regula S. Benedicti manebat; et ideo quicumque adjutores et fautores ad hoc opus prædicto factum exstiterint, et adjutorium regulariter ibi degentibus impenderint, in primis benedictionem a Deo accipiant, et omnibus orationibus ac bonis operibus quæ in prælibato monasterio factæ fuerint, sive in monasterio Massiliensi et (4) Tomeriensi, Sanctæque Mariæ Crassæ, sanctique Cucuphatis (5) de Vallense et in Ausonensi sede, sive in omnibus cellis supradictorum cœnobiorum, partem et societatem habeant, et insuper æternam retributionem acquirant. Quicunque etiam huic nostræ institutioni contrarii fuerint, et disrumpere, instigante diabolo, per aliquam occasionem tantaverint, iram Dei incurrant, et omnibus sacrilegis et in inferno damnatis socii maneant, nisi resipuerint et ad satisfactionem venerint. Quod est factum v. Kalendas Januarii anno 1070 ab Incarnatione Christi, anno x Philippi regis. Sig ✝ num Bernardi comitis qui hanc largitionis scripturam scribere jussi in Rivopollentino capitulo coram omnibus solito signo manibus propriis firmavi. ✝ Willelmus gratia Dei episcopus Ausonensis ecclesiæ firmavi. ✝ Andreas (6) abbas S. Johannis firmavi. ✝ Bernardus levita et canonicus firmavi, Heribaldus sedis Ausonæ canonicus firmavi, Willelmus primiscrinius firmavi. Sig ✝ num Raymundi vicecomitis Cardonensis, sig ✝ num Udalardi Bernardi, sig ✝ num Petri Bernardi, sig ✝ num Bernardi Wifredi de Porcella, sig ✝ num Pontii Blidgarii, sig ✝ num Arnaldi, sig ✝ num Petri Adalberti, sig ✝ num Udalardi Gaudfredi, ig ✝ suum Guillelmi Bernardi archidiaconi de Guardia, sig ✝ num Bernardi Raymundi fratris ejus, sig ✝ num Bernardi Mironi. Bernardus monachus qui hanc largitionis scripturam scripsit.

(4) Tomeriense S. Pauli monasterium olim insigne ordinis S. Benedicti in diœcesi Narbonensi, in sedem episcopalem metropolis Narbonensis suffraganeam erectum fuit a Joanne XXII perseverantibus nihilominus in eo monachis, qui anno duntaxat 1615 sæculari toga a Paulo V donati sunt.

(5) S. Cucuphatis monasterium in pago Wallensi exstruxerat Ludovicus Pius, quod a paganis eversum rex Lotharius restituit.

(6) Hic abbas Andreas suscripsit etiam anno 1056 coventionibus initis inter Raimundum Berengarii comitem Barcinonensem, et Ermensindem comitissam aviam ejus.

ANNO DOMINI MLXXXV.

SANCTUS ANASTASIUS

MONACHUS ET EREMITA.

VITA SANCTI ANASTASII

AUCTORE GALTERO.

(Apud (Mabill... Acta SS. ord. S. Bened., sæculi VI, parte II, pag. 487, ex ms. codice ecclesiæ S. Martini Doydensis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

1. Ignotum huc usque in fastis benedictinis sanctum Anastasium hic proferimus, cujus Vitam Galterius, auctor nobis antea incognitus, sed ut ex ipsius Vitæ contextu patet gravis, haud multo post beati viri obitum, nisi fallor, conscripsit. Hanc vero Vitam debemus illustrissimo Ecclesiæ principi Antonio Petro *Bertier* Rivensium antistiti, qui codicem ms. in quo ipsa habetur, ex ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis acceptum humanissime cum uno e nostris communicavit, quam ille statim exscriptam ad nos transmisit, Actis sanctorum ordinis nostri inserendam.

2. Haud expressit Vitæ auctor quis annus fuerit beato viro extremus, nec aliunde nobis suppetunt vetera instrumenta, ex quibus is nobis innotescat; quare investigandum est utrumne ex ejus vitæ circumstantiis aliquid lucis in hac rerum ambage habere possimus. Illæ nempe certis alligatæ temporibus ad determinandam reliquarum actionum seriem usui esse poterunt. Discimus itaque ex ipsa Vita beatum Anastasium circa sæculi hujus undecimi medium in monasterium Sancti Michaelis, in Periculo Maris dictum, secessisse, eo scilicet tempore quo abbas Simoniaca labe infectus, cujus nomen auctor reticuit,

eidem cœnobio præerat. Hoc autem anno circiter 1058, aut sequenti, contigisse conjicimus quod, his duobus annis, nullus in catalogis aut veteribus instrumentis monasterii Sancti Michaelis abbas memoratus occurrat, quod forte Simonia notatus inter ejusdem loci abbates locum non meruerit. Et quidem cæteros abbates, qui eidem monasterio hoc sæculo præfuerunt, Simoniaca peste tactos fuisse nusquam legimus. Scimus Arturum Monasterium Neustriæ piæ auctorem Fulconem quemdam hoc biennio Sancti Michaelis abbatem induxisse, *qui*, inquit *anno* 1059 *Philippi regis coronationi adfuit*; *ex quo patet hanc abbatiam duobus annis haud vacasse*. At non advertit ille auctor Fulconem *abbatem sancti Michaelis*, qui Philippi inaugurationi interfuit, non monasterii Sancti Michaelis de Monte, sed Sancti Michaelis in Theorascia diœcesis Laudunensis abbatem fuisse. Quod certum est non solum ex vulgatis Sancti Michaelis in Theorascia abbatum catalogis, sed etiam ex ipso coronationis Philippi regis instrumento apud Chesnium in Historicis Franciæ, et Marlotum in metropoli Remensi relato, ubi diserte Fulco *abbas Sancti Michaelis Laudunensis* appellatur. Licet hæc vox *Laudunensis*, nescimus quo casu e Philippi Labbei calamo, tom. IX Conciliorum, exciderit.

3. Aliam deprehendimus temporis notam in beati Anastasii Vita, repetitam scilicet ex ejus is Hispaniam profectione, quam jubente Gregorio VII summo pontifice, et mittente Hugone abbate Cluniacensi, ab eo susceptam fuisse testatur idem Vitæ auctor. Hoc autem iter anno circiter 1074 consignamus, scilicet paulo post Alfonsi regis restitutionem, cum Gregorius jam secundum pontificatus sui annum attigisset. Non enim Anastasium ex iis fuisse censemus, quos postea sanctus Hugo in Hispaniam transmisit, ut ibi disciplinam monasticam restaurarent. Isti

A nempe in Hispaniis permanserunt, variis monasteriis de novo construendis aut certe veteribus restaurandis intenti; quorum etiam plerique ad episcopales infulas evecti sunt. At Anastasius eo solummodo profectus fuerat, ut Sarracenis Christi Evangelium nuntiaret; hinc cum se incassum laborare advertisset, in Gallias repedavit.

4. His itaque statutis, cum ex Vitæ auctore discamus Anastasium ex Hispania reversum septem annos Cluniaci ac tres alios in solitudine transegisse, jam decem annos supra 1074 habemus; quibus si

B unum aut alterum adjiciamus, quos in itineribus vel etiam in Hispania verbi divini prædicationi incumbens consumpserit, conjicienus beatum virum anno circiter 1086 ad superos abiisse, quem quidem annum, donec certiora occurrant monumenta, retinere visum est.

5. Hujus sancti viri nomen nullum, quod quidem sciamus, martyrologium exhibet, nequidem Benedictinum. Colitur tamen in ecclesia parœciali Sancti Martini Doydensis (*Doydes*), seu, ut habet vitæ auctor, *Devotensis*, in diœcesi Rivensi (*Rieux*), ubi integrum ejus sacrum corpus asservatum est ad sæ-

C culum decimum sextum, quo a furentibus Calvinianis hæreticis dissipatum est, præter aliquot ejus particulas in scrinio argenteo inclusas, quæ a fidelibus eorum furori subductæ sunt et in loco tuto repositæ. Has ab aliquot annis invisit illustrissimus antistes Rivensis supra laudatus, suaque auctoritate recognitas et approbatus fidelium venerationi exhiberi permisit. Haud procul ab eo vico visitur fons Sancti Anastasii vulgo nuncupatus quo sitim suam vir sanctus aliquando exstinxisse memoratur. Frequentatur vero a vicinis populis, quod ejus aquæ haustu febrium ardores sedari dicantur; quod multorum experimento certum esse tradunt.

INCIPIT PROLOGUS

1. Galterius Petro Devotensis Ecclesiæ subdiacono et fratri ejus Bernardo, in omnibus prosperitatem, et ad effectum perducere bonam devotionem. Cogitis me, dum impensius instantes rogatis, ut ad ædificationem posterorum tradam memoriæ calamo Vitam beati Anastasii confessoris. Et a me sine difficultate non video posse sufferri, nec meis viribus competit ne vita sancti viri culpa ingenii scriptoris potius videatur atteri quam in majus celebrari. Ne tamen vestræ petitioni videar contraire, cui, etsi parum idoneus, debeo in omnibus obtemperare, quod dissuadet aviditas ingenii, aggrediar tutus præsidio vestræ jussionis; etenim si quid sum, si quid valeo, Domino imputare debeo. Præterea cum me profitear amicum vestrum, non decet ut omittam, si in aliquo vobis quovis modo obsequi possum; cum, ut quidam sapiens ait: Amicitia tantum

D constet in petendi devotione, et in sedula obsequendi voluntate. Ad hoc accedit devotio pura, quæ cogere potest, etsi absint omnia supradicta, ut ad perficiendum quod petitis audacter insistam. Dum enim curam hanc mihi tanto opere indicitis, posteritatis ædificationi consulitis, dum ad laudem et honorem Dei, vitam sancti confessoris ac gloriosissimi Anastasii vultis reserari, ut posteris sit ad exemplum, et ad sanctitatis ejusdem viri testimonium. Rogo ergo et obnixe supplico ut, si quid incuria parum quæsiero, aut egestate mei ingenii prætermisero, aut rescissione dignum superaddidero, ne pigeat lectorem addere quod perspexerit additione dignum, aut rescindere quod transversi calami nota judicaverit corrigendum. Denique excusare me poterit devotio petentium, quæ, ut sæpe jam dixi, compulit audere quod ingenii diffidentia dissuaserat.

INCIPIT VITA GLORIOSI ANASTASII

A Gloriosissimus Anastasius confessor Dei, Venerias oriundus, secundum dignitatem hujus mundi genere clarus enituit, patre et matre non infimis ortus. Qui, ab ipsis cunabulis baptismatis unda regeneratus, a primævo studiis litteralibus a parentibus traditus est, in quibus ita curam adhibuit ut tam Græcis quam Latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Fuit igitur clarus ingenio, doctus eloquio, ornatus moribus, amabilis omnibus, ut felices dicerentur qui talem filium genuissent. Sed quia vir Dei sapientiam hujus mundi stultitiam apud Deum esse in divinis codicibus legerat (*I Cor* III), et ipsam Veritatem in Evangelio dicentem audierat: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33); cœpit non sine divina gratia ad memoriam revocare, et idem apud se revolvere, quia grave damnum susciperet, si pro terrenis cœlestia amitteret. Hæc diu revolvens, tandem secum deliberavit quod ut de commissis pœnitentiam ageret, monastico habitu sese committeret. Sed quia manu missa ad aratrum turpe est retro respicere, et tortum et inutile sulcum facere, voluit sanctus vir Anastasius sese primum jejuniis, vigiliis, et orationibus macerare, ut sic probaret, si, suscepto monachorum habitu, in proposito gradu persistere posset, ne resiliret. Subtraxit ergo sibi primum vinum, in quo est luxuria, quarta et sexta feria cœpit jejunare, sic tamen ut aliquoties carnibus vesceretur; orationi et vigiliis plerumque insistebat.

3. Cum vero hoc modo per aliquantulam temporis carnem suam refrenasset, et jam quodammodo eam in via boni propositi teneret, abjecit edulia carnium; et ita maxime vigiliis et orationibus cœpit instare ut a Dominica in Dominicam jejunaret. Sed cum aliquandiu iterum se sic manciparet, sic confirmatus est quod sibi visus etiam est firmus et suo proposito sufficiens. Decrevit ergo satisfacere et suum propositum perficere. Derelictis ergo parentibus, domo et cognatis, quærens locum idoneum, ubi monachorum susciperet habitum, ad mare Britannicum pervenit, ad locum, qui Portus Herculis (1) appellatur, qui et alio nomine, ad Montem sancti Michaelis in Periculo Maris dicitur; ubi inventa magna congregatione monachorum, in omnibus religiosorum excepto quod abbas per Simoniam subintraverat, habitum optatum suscepit. De abbatis Simonia vir Dei penitus ignorabat. Factum est autem post revolutum annum, cum sederet cum quodam fratre (2), et post sermonem habitum de confirmatione animæ, de vita sanctorum Patrum ad invicem quæstio referretur, et inde diu et multum dissererent, tandem sermo directus est ad abbatem. Cognovit vir Dei Anastasius quod abbas erat Simoniacus, et per pecuniam infinitam quam dederat in abbatiam subintraverat. Unde supra modum dolens, et affirmans se diabolica fraude deceptum, quippe qui locum idoneum suo proposito quæsierat, et in laqueum nefandi hostis pene ceciderat, recessit inde, et quamdam insulam ingressus in ipso introitu supradicti maris, in basilica quadam Dei Genitricis Mariæ, solus manere cœpit, jejuniis vigiliis et orationibus vacans.

4. Ubi cum aliquanto tempore vita eximiæ conversationis claruisset, et fama ejus longe lateque diffunderetur, venerabilis abbas, Hugo nomine, qui B Cluniacensi monasterio eodem tempore præerat, ad revincenda [*f.* revisenda] cœnobia, exhortatione fratrum, qui per diversa loca et longe remota Deo deserviebant, cum multis fratribus exivit. Unde factum est ut ad mare Britannicum perveniret; ubi audita vita et conversatione viri Dei Anastasii, misit duos de fratribus in insulam ad prædictam basilicam, et mandavit viro Dei, ut ad se gratia colloquendi exiret; de cujus enim bona conversatione audierat, eum et videre desiderabat. Qui audito venerabilis viri abbatis adventu, cum magno gaudio exivit; quem abbas honorifice suscepit, et de vita et conversatione ejus studiose requisivit. A quo cum omnia audivisset, et quomodo propter Simoniam de loco in quo habitum susceperat exivisset, votumque ejus intel- C lexisset, gavisus est valde super bona conversatione ejus, et quibus modis potuit in Dei servitio eum confortavit. Cumque per aliquot dies de vita et conversatione Cluniacensium fratrum abbas multum referret, virum Dei monuit, et multum rogavit ut Cluniacum secum adiret, ubi et votum suum complere posset, et exemplum bonæ conversationis cæteris fratribus daret. Cujus petitioni vir Dei Anastasius acquiescens, cum eo iter arripuit. Cumque Cluniacum veniret, magnam dilectionem et humilitatis familiaritatem apud omnes fratres habebat; omnes unanimiter diligebat, omnes enim in Dei servitio vitæ suæ exemplo dirigebat. Diu namque vitam mirabilem duxit, dum sese dabat exemplar bonæ conversationis. Cæteris enim fratribus signo dato ad D refectorium euntibus, vir Dei ad orationem remanebat et nocte quiescentibus cunctis surgebat, et genu flexo fere tota nocte orabat, pane et aqua contentus vivebat, et hoc etiam quasi in momento accipiebat. Semel in anno in solitudines vel in prærupta

(1) Notum est omnibus monasterium Montis sancti Michaelis, seu de Monte Tumba, ob peregrinorum frequentiam celeberrimum.

(2) Is videtur Robertus monachus S. Michealis, qui rogante Anastasio (fortasse nostro) commentarium in Cantica canticorum edidit. Cujus operis prolongum et initia utriusque libri, in quos divisus est, habes tom. I Analectorum, pag. 125. Certe hoc ipso tempore uterque vivebat in monasterio Sancti Michaelis.

loca ad celebrandas Quadragesimas exibat, et tunc orationibus, jejuniis, vigiliis, flexionibus sese supra modum macerabat.

5. Per idem tempus præcepto sancti patris nostri papæ Gregorii septimi, et trina persuasione venerabilis viri abbatis sui Hugonis, Hispaniam ad prædicandum Sarracenis ingressus est. Ubi ad probandam certitudinem fidei Christianorum, et ad eradicandam crudelitatis duritiam Sarracenorum, per rogum ardentem post celebrata missarum solemnia, transire voluit; sed Sarraceni conditioni ejus noluerunt acquiescere, videlicet si hinc illæsus transiret, ad baptismi gratiam confugerent. Sed cum a cæcitate et duritia cordis sui ullo modo redire nollent, excusso pulvere pedum in illos in testimonium, ad monasterium suum regressus est. Factum est autem post regressionem ejus, revoluto septennii fere spatio, ut venerabilis abbas ad exhortationem quorumdam fratrum, laicorum et nobilium, in Aquitaniam vellet exire, qui renuntiantes mundo ad habitum monachorum volebant venire. Unde factum est ut virum Dei Anastasium secum duceret; erat enim in omnibus divinis Scripturis peritus, et in exhortatione et ædificatione fratrum validus. Cumque partem magnam Aquitaniæ exhortando fratres peragrassent, tandem in Tolosanum pagum pervenerunt, ubi comitem Appamiæ oppidi cum uxore et filiis ad conversationem monastici ordinis suscepturi erant. Jam interim quoque instabat tempus quo vir Dei Anastasius in solitudinibus vel in præruptis locis Quadragesimam celebrare consueverat; unde cum multum sollicitus esset, et dies ac noctes apud se tractaret, tandem Pyreneos montes in propinquis sitos ad hoc elegit idoneos, ubi et Quadragesimas celebraret, et vitæ eremiticæ ad tempus vacaret. Cujus precibus abbas, quia baculus et quasi columna cæterorum fratrum erat, invitus assensum præbuit. Sed quia cognoscebat constantiam ejus in servitio Dei, bonum votum nolebat morari. Coactus ergo et tristis concessit quod petebat. Cum vero ad invicem descenderent, venerabilis vir abbas flens, et cum lacrymis et singultibus in collum ejus ruens, admonebat ut sui memor esset, pro se et pro cæteris fratribus apud Deum interpellaret et ad ultimum valedicens, cum cæteris fratribus ad monasterium regressus est.

6. Vir igitur Dei Anastasius, qui hoc solum desiderabat, ut suo voto satisfacere posset, cum magno gaudio ad montes iter arripuit; quibus cum appropinquaret, et jam, nullo obstaculo interveniente, singula loca notare posset, montem altissimum, qui Abriscola dicebatur, ad habitandum elegit, quia in ea parte qua situs erat, super alios montes eminebat. Derelicto ergo quodam fratre, quem secum habebat, ad radices montis in quadam ecclesia, solus montem ascendit, facto de frondibus satis angusto habitaculo, et altari ubi sacrificium offerret. Tunc inter nives assiduas et frigora Deo deserviebat, jejuniis, vigiliis et orationibus multum insistebat; nihil autem ad victum nisi subcinericium panem et aquam requirebat, quæ tantum sub mensura, a fratre quem sub monte reliquerat, accipiebat. Cum autem in his demoraretur et vita ejus circumquaque audiretur, cœperunt multi adire eum, et multi ad eum convenire, ut verbum vitæ ab eo audirent, et vitam ejus quam mirabiliter deducebat cognoscerent, cumque a quo divino pabulo refocillabantur temporalibus sustentarent. Sed vir Dei nihil prorsus ab eis ad usum corporis accipiebat, invitari [*f.*, divitari] enim a populo non quærebat, qui etiam de Evangelio vivere recusabat. Quidquid ergo offerebatur, per manus quorumdam fratrum erogabat pauperibus, quos bonæ vitæ cognoscebat, et ad hoc idoneos ducebat.

7. Sed inter hæc, cum soli Deo placere quæreret et ad hoc toto mentis ardore flagraret, antiquus ille hostis artifex nocendi, adversarius humani generis, cœpit bonis ejus actibus invidere, et die ac nocte locum subintrandi ad nocendum quærere. Sed cum nihil omnino inveniret quod in ejus actibus subripere posset, nullamque in eum potestatem haberet, machinabatur quomodo saltem de cella eum expelleret. Factum est ergo, cum quadam die post finitam orationem vir Dei Anastasius cellula exiret, et extra cum duobus fratribus qui ad eum convenerant sederet, hostis antiquus adfuit, et ignem in cellam ejus et in altare, quod ad sacrificium offerendum fecerat, posuit; sed vir Dei respiciens, cum ignem videret, insidias hostis nefandi agnovit. Unde surgens et usque ad cellam tendens, hosti ut recederet præcepit, et signum crucis opposuit igni. Ad cujus præceptum hostis recessit, et ad signum crucis exstinctus est ignis. Quod cum auditum circumquaque referretur, tunc maxime cœperunt ad eum indigenæ fere omnes convenire, et orationi ejus se commendare, de commissis etiam ab eo quærere pœnitentiam; fere enim per triennium quo mansit in eremo, tot ad eum concurrebant, quod plerumque omnes montes in circuitu cereis resplendere videbantur, qui ante cellam ejus a venientibus accendebantur. Sæpe etiam venientibus dixerat se esse indignum ad quem venirent, se esse monachum a quo pœnitentiam quærerent, et non habere se licentiam prædicandi, nec pœnitentes suscipiendi; sed quid hoc proderat, cum tamen confestissime venirent, et lacrymis et precibus eum ad prædicandum excitarent?

8. Sed cum Deus laborem ejus vellet remunerare et ab ergastulo carnis eum evocare, ut major esset corona, voluit temporalem vitam ejus finiri in obedientia. Factum est ergo ut vir venerabilis, abbas supradictus Cluniacensis ecclesiæ, desiderio videndi fratrem flagraret, cum quantum præsentia ejus fratribus cæteris præstabat, quantumque vita ejus eos confirmabat, tantum ejusdem absentiam recognosceret; unde hujusmodi epistolam per manus quorumdam fratrum ei direxit, quæ eum ad monasterium fratrum cæterorum revocavit. « Dilectissimo filio Anastasio, frater Hugo peccator, salutem, et in

beatam resurrectionem, gloriosam electorum societatem. Miror, charissime fili, quod jam diu de vobis nihil audivi, nullamque de vestra vita cognitionem accepi: unde mando vestræ dilectioni ut, si bonum videtur vobis, descendatis ad visitandos fratres, ut, sicut dixi, desiderat illis præsentia vestra corroboret et exhortetur eos (3) . . . Bene valete, et pro fratribus orate. » Vir autem Dei Anastasius, accepta epistola beati Patris sui abbatis, gavisus est valde; et Deo gratias referebat quod eum dignaretur ad fratres suos revocare.

9. Egressus itaque cremo, pervenit usque ad locum, qui dicitur, Ad Verum Corpus beati Antonini martyris, qui alio nomine nuncupatur Fredelas, ubi cum rogaretur a populo ut corpus beati martyris in locum novum reponeret, et ad petitionem eorum se præpararet, oblatus est ei infirmus, qui jam longo tempore vexabatur a febribus; ipse vero cum aqua benedicta quam sanctificaverat eum aspersisset, et signum crucis fronti ejus affixisset, ita sanus effectus est ac si nunquam infirmitatem sensisset. De eadem aqua benedicta quoscunque aspersit, a quacunque infirmitate detinebantur sanitati restituit.

10. Cum igitur de egressione ejus fama audiretur, factus est undique concursus populi, qui dolebant et plangebant se relinqui a tanto Patre, in tribulatione consolatore, in adversis protectore; cumque lacrymis et fletibus deprecabantur, ne eos derelinqueret quos fovere consueverat, quos pabulo divini verbi refocillare non neglexerat. Sed vir Dei, cujus laboris merces jam instabat, ut per obedientiam, sicut supra diximus, ejus accresceret corona, revocanti se Patri suo abbati obedire volebat; nec infirmitas febrium, qua graviter detinebatur, eum ab hoc revocare poterat. Post allocutionem ergo divinæ admonitionis et exhortationis recedens, pervenit usque ad locum, quem Devotas appellant, ubi, jam invalescente infirmitate febrium, cœpit graviter ægrotare, in tantum ut hoc morbo certus esset de corporis sui resolutione. Unde cum ad mitigandum dolorem, aliquantulum rogaretur quiescere et ad refrigerandum se balneare, sibi abnegavit utrumque, subjungens etiam quia, ex quo conversionem monasticam noverat, nullo balneo usus erat, nec etiam ad lavandum pedes aut caput aquam dederat. Sui igitur stadii cursu consummato, percepturus justitiæ coronam in consortio sanctorum, monachus, eremita, et confessor, XVII Kalendas Novembris, migravit ad Dominum. Sacrum vero corpus ejus honorifice in basilica Beati Martini ibidem est reconditum; ubi ad sanctitatis ejus testimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa fiunt. Sed, ne videamur ingerere fastidium, si per singula discurramus, ex ordine, prætermissis multis, pauca conemur explicare.

11. Virgo quædam a tribus dæmonibus possessa tenebatur, qui in tantum eam vexabant quod etiam mutam reddiderant. Ducta est per multa sanctorum loca, ut sanitatem recuperaret; et dæmonia tandem responsum dederunt quod ab obsesso corpore non egrederentur, nisi ad corpus beati Anastasii confessoris supradicti deducerentur. Qui ergo eam ducebant dixerunt intra se ubi invenirent, et requisierunt locum in quo sancti corpus requiesceret; adhuc enim ignorabatur a pluribus quod de mundo nuper migrasset. Cum ergo audissent quod ad basilicam beati Martini Devotis esset reconditum, ligatam cum funibus illuc deduxerunt. Quibus ad locum appopinquantibus, dæmones vociferantes clamabant: Cur nos incendis, Anastasi? cessa cruciari, et exibimus; cessa flagellare, et ab obsesso corpore recedemus. Per multa corpora sanctorum ducti sumus, et a nullo sic flagellati recessimus; tu solus nos incendis, tu solus cruciaris, tu solus noces nobis. Trahentes ergo eam cum manibus in ecclesiam impulerunt, et juxta tumbam beati confessoris extenderunt. Omnes autem qui aderant genu flexo cum lacrymis deprecabantur ut Deus dignaretur ostendere astantibus virtutem suæ clementiæ, et ad testimonium sanctitatis sui confessoris dignaretur illam liberare. Vix orationem compleverant, et ecce dæmones ab illa puella exierunt; surgens vero recte loquebatur, et liberatam se nihique mali perpeti testabatur.

12. Mulier etiam, quæ septem annis in cæcitate permanserat, cum illuc deduceretur et post peractas vigilias noctis staret ante tumbam sancti Confessoris, cum in ipsa celebratione Evangelium legeretur, visum recepit. Quidam vero clericus qui phrenesi laborabat, ad eumdem locum deductus est catenis astrictus et funibus, ad recuperandam sanitatem. Hic quoties motio cerebri sui accidebat, si quem arripere poterat, dentibus et unguibus attrectabat; qui cum tribus vigiliis ante tumbam beati confessoris degisset, sanitatem recepit, et liber ab omni phrenesi recessit, nec postea aliquid pristinæ infirmitatis sustinuit.

APPENDIX AD VITAM S. ANASTASII

DE INVENTIONE CORPORIS S. ANASTASII

13. Notum, manifestum et certissimum, secundum relationem fide dignorum procerum loci sancti Martini de *las Devotas*, est quod corpus sancti Anastasii, quod fuit ignotum et inscitum ubi jecebat, fuit

(3) Hic desunt aliquot verba quæ legi non potuerunt.

revelatum, VII Kalendas Julii, per modum qui sequitur. Fuit quædam mulier devota dicti loci, quæ plures vigilias in basilica Sancti Martini faciebat, et vox de cœlo sibi dicebat: In loco ubi oras, corpus esse sancti Anastasii scias, et jacet. Et hoc semel, secundo et tertio sibi indixit. Propterea ipsa secura de revelatione, indixit sacerdotibus et clericis ac senioribus dicti loci qui, cum devotione et fiducia, locum ubi dixit profunde foderunt; sed non invenerunt. Et iterum vox de cœlo eidem devotæ mulieri dixit quod foderent profundius eumdem locum, et sanctum corpus invenirent. Et ita factum fuit, et invenerunt sanctum corpus; de cujus revelatione in supradicto loco fuit magna solemnitas, et fit quotidie, et de circumviniciis locis ad eamdem solemnitatem devote conveniunt, ad honorem et decorem ejusdem confessoris et monachi magistri sancti Anastasii, cujus anima paradisum possidet.

S. ANASTASII MONACHI

EPISTOLA AD GERALDUM ABBATEM.

De veritate corporis et sanguinis Christi Domini.

(*Opp. Lanfranci* edit. domni Lucæ D'Acherii, pag. 21, in not. ad Vitam Lanfranci.)

Domino GERALDO abbati olim filio, nunc, Deo propitio, venerabili Patri, frater ANASTASIUS, Domini, qui est, quod habet.

De corpore et sanguine Domini jussisti, venerande Pater, ut quidquid parvitas mea sentit, imo quod credit, sanctitati vestræ patefaciat: hæc breviter pro modulo meo, salva fidei puritate, accipiat. Credo sacrosanctum corpus Dominicum quod in altari quotidie ex sacerdotis officio consecratur, omni exsecrata dubitatione, veram ejus carnem esse quæ passa est in cruce; et verum ejus sanguinem qui manavit ex latere, ut Veritas ipsa testatur: *Caro mea*, inquiens, *vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 52; *Math.* XXVI, 26; *Marc.* XIV, 22). Ad discipulos cum panem porrigeret: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*Luc* XXII, 19). His igitur, et hujuscemodi verbis Dominicis fidem præbens, sicut nullum corpus aliud pro nostra salute traditum præter suum scio, ita ut, præfatus sum, nullam ejus aliam carnem quam quæ nata est de Maria Virgine, et resurrexit de sepulcro, manducari in remissionem peccatorum credo: neque alium sanguinem bibi, quam qui profluxit de ejus latere non dubito. Qui vero autumant illud post consecrationem panem esse materialiter, et corpus Domini figuraliter tantum, et non veraciter, carnales carnaliter sapientes, non parum contra fidem desipiunt, eo quod magis suis corporalibus oculis quam veritatis attestationibus credunt. Quod autem panis et caro, sacramentum, vel figura, tanta consecratio dicitur, non solum non reprobo, verum etiam fidei ratione colligens, catholice amplector et approbo. Panem namque orthodoxe dici nemo qui probe sapit dubitat, cum eadem Veritas dicat: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et *panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 51). Sacramentum vero, quia sub earum specie visibili quæ videntur, secretius virtute divina caro consecratur, quatenus hoc sit interius in veritate, quod creditur fidei virtute. Figura autem, dum aliud intelligitur quam quod visu corporali et gustu sentitur. Quippe cum Agnus Dei Christus qui in Patris dextera gloriatur, quique jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, ob suæ passionis memoriam in mysterio tantæ immolationis immolatur. Ergo post tanti mysterii consecrationem, sic veram Dominici corporis Eucharistiam me credo sumere, ut tamen nullo modo negem in figura vel sacramento esse. Alioquin si absque sacramento, vel figura, Dei Agnum dentibus vorari crederem, in magnum, ut ait Pater Augustinus, facinus incurrerem. Atqui eo uberius veritate fruor, quo plenius figuram, vel sacramentum inesse, illustrante sancto Spiritu, intueor. Hæc itaque, beatissime Pater, quæ dico, quam pluribus sanctorum Patrum dictis devotissime fulcirem, ni, fateor, hujus epistolæ prolixitatem formidarem. Tria solummodo eximiorum doctorum testimonia inseram; quatenus vobis satisfaciam me vel optime credere, vel solerti vigilantia et sagaci perquisitione hæc indagasse, cautaque intelligentiæ lance pensasse. Beatissimus namque Cyprianus ad populum, in eo opere ubi de hoc sapido gaudio loquitur: *Hoc accipite,* inquit, *in pane, quod pependit in ligno; et hoc accipite in calice, quod manavit ex latere.* Hæc eadem verba et sensa egregius doctor Augustinus in sermonibus ad neophytos locutus est. Sanctus vero Ambrosius in eo libro quem de Sacramentis edidit, ait: *Quia ipsa est caro Christi in sacramento, et sanguis, quæ in cruce pependit, et fluxit e latere, et quæ ex Virgine Maria sumpta, et non alia*, inquit, *sed ipsa.* Ecce, Pater Geralde, habes veracissima veracissimorum testimonia. Si autem te scire delectat quomodo alii Patres nostri hæc eadem sentientes concordent; quære quæ beatus Hilarius in octavo libro de Trinitate commendat:

quæ os aureum papa Gregorius in Dialogorum libro quarto confirmat; quæ sanctissimus Cyrillus centum quinquaginta qui in Epheso sunt congregati prædicat : quæ magnus Leo papa in sermone septimi mensis disputat; quæ divinæ legis interpres Hieronymus in expositione Exodi pronuntiat; quæ venerabilis Beda in sermone suo ventilat; quæ Paschasius vir catholicus de eodem sacramento clarificat, quæ in libro de Verbis Domini, quæ in expositione Joannis evangelistæ sermone vigesimo sexto, quæ in Natale Innocentum, quæ in epist, ad Bonifacium episcopum, quæ in libro quarto de doctrina Christiana, et quæ in trigesimi tertii psalmi titulo prædictus Pater Augustinus examinando disputat, disputandoque examinat : si diligenter quæsieris, invenies procul dubio, ut dixi, omnes concordare, et nullatenus discordare. Revera quia ab ubertate domus Domini inebriantur, nihil mirum si eadem sancte et pure mellito gutture eructare gloriantur. Cæterum super his, quæ te, Pater, jubente pro mea quantulacunque facultatula, pectore pleno fiduciæ, dixi, humilliter obsecro non mireris, si garrula Aristotelicorum vel Cripsippeorum argumenta trutinare, vel ex flumine Tullianæ eloquentiæ rivulum ducere, non perpendis : sed memento quia simpliciter fructus carpimus in divinæ paginæ hortulo, quorum radices gloriose fixæ sunt in cœlo. Vale.

ANNO DOMINI MLXXXV.

SANCTUS ANSELMUS

LUCENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(Oudin., *Comment de Script. eccles.* II, 710.)

S. Anselmus Lucensis episcopus, patria Mantuanus, de quo parce admodum Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum ecclesiasticorum,* ad annum 1071, pag. 617. Hic ab Alexandro papa secundo, anno 1073, Lucensis in Tuscia episcopus factus, et ad Henricum regem ad confirmationem impetrandam missus, a quo investituram per annulum et baculum pastoralem accepit. Mox vero facti pœnitentia ductus baculum deposuit, et, abdicato episcopatu, ad Cluniacense monasterium secessit, donec a Gregorio VII ad Ecclesiæ regimen revocatus, anno 1073 episcopale munus repetiit. Anno 1077 a Gregorio ad Mediolanenses una cum Geraldo episcopo Ostiensi legatus est, ut eos Ecclesiæ Romanæ uniret. Anno 1084 ab eodem Gregorio, cujus partes contra Henricum imp. summo animi studio semper tutatus est, vices legati per Italiam accepit, ut omnes ab imperatore deficientes in Ecclesiæ gremium reciperet. Ita Cavus loco citato. Vir sanctitate et doctrina clarus scilicet, maximus Gregorii VII summi pontificis fautor, de quo Bellarminus et Labbeus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis;* quibus addo in multis codicibus manuscriptis insignem ascribi illi *Collectionem canonum ecclesiasticorum*, quam habes manuscriptam in bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, codd. 765, 766, in Regia Gallica et in Barberina Romæ, ut tradit Stephanus Baluzius in opusculo *De emendatione Gratiani,* edito Parisiis in 8°, anno 1672, apud Franciscum Muguet. Et hoc tam in præfatione ad lectorem num, 19 quam etiam in notis pag. 641, quas legito. Promiserat hujus Collectionis editionem in Spicilegio suo dominus S. Lucas Dacherius, quam non præstitit, opinatus forsan eam non pertinere ad Anselmum Lucensem. Hoc autem opus, ob rationes a Baluzio allatas, olim mihi videbatur esse *Hildeberti Cenomanensis episcopi*, cujus temporibus optime convenit, qui tentasse aliquid simile legitur, et qui ad calcem operis sui potuit adjecisse *Decreta aliqua Innocentii secundi*, quæ in aliquibus manuscriptis ad calcem hujus Collectionis invenientur. Verum, argumento melius expenso, *Collectionem* hanc postmodum Anselmo Lucensi episcopo dignam germanamque opinatus sum; tum quia hoc opus Anselmo, maximo Gregorii VII defensori, conveniebat, tum quia his temporibus in Italia multi collectionibus canonum ejusmodi concinandis vacabant, ut Deusdedit et Gregorius presbyter; tum denique quia invenitur illa in mss. codicibus ad Anselmi hujus ætatem accedentibus. Ita enim Baluzius testatur in præfatione sua ad emendationem Gratiani, seu ad commentationem librorum Antonii Augustini *De emendatione Gratiani*, num. 19. «Alium ego nuper codicem, eumque optimum et antiquissimum, beneficio optimi doctissimique viri domini Lucæ Dacherii nactus sum ex bibliotheca monasterii Sancti Germani Parisiensis, in quo neque titulus tamen ullus exstat, neque nomen auctoris. Hic autem liber iis quos vidit Antonius Augustinus ex eo præstat, quod ad ætatem Anselmi accedit, et

nulla in isto Decreta pontificum Romanorum contineantur, qui post annum 1086 apostolicam sedem tenuerunt. Item aliud ejusmodi opus ms. in bibliotheca Regia, cujus codex non admodum vetus, utpote scriptus superiore tantum sæculo, quod tamen ex antiquiore descriptum esse constat. In fronte ponuntur nonnulla de modo celebrandi concilii, tum postea sequitur in loco tituli : *Incipit capitulatio librorum quos beatus Anselmus Lucensis episcopus de coæqualibus causis singulos in hoc volumine libros composuit.* Et paulo infra : *Incipit authentica et compendiosa Collectio regularum et sententiarum sanctorum Patrum, et auctorabilium conciliorum, facta tempore Gregorii sanctissimi papæ, a beato Anselmo episcopo Lucensi, ejus diligenti imitatore et discipulo, cujus jussione et præcepto desideranter consummavit hoc opus.* Denique in veteri codice istius Collectionis, cujus exemplum in bibliotheca Barberina ad etc., missum, idem Dacherius Baluzio communicavit, hæc in titulo scripta sunt, quæ librum illum Anselmo Lucensi episcopo adjudicant. *In nomine Trinitatis sanctæ et individuæ, incipit hinc feliciter istius libri series, quem sanctus in Italia Anselmus, quique pontifex Lucanæ fuit Ecclesiæ, vir prudens ac catholicus, in Christi fide fervidus, cerpsit ex toto canonum et Patrum sanctorum corpore.* Opinatur Stephanus Baluzius fallere titulum, ac certe multum interpolatum esse hunc librum, ut recte ab Antonio Augustino adnotatum est, quia illic plurima continentur Urbani II et sequentium pontificum decreta, quorum ævo Anselmus vivere desierat. Quin etiam multa sunt quæ hanc Collectionem Anselmo Lucensi episcopo abjudicare videntur. Primo auctoritas vetusti scriptoris *Vitæ ejusdem Anselmi* a Sebastiano Tengnagelio editus, qui lucubrationes magistri ac domini sui recensens, nullam Collectionis istius mentionem facit; non omissurus, ut videtur, tam præclarum opus, si tum fama fuisset compositum ab Anselmo fuisse. Deinde Sigebertus Gemblacensis monachus, horum temporum scriptor, dum in *Chronico* et in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* enumerat libros ab Anselmo compositos, de Collectione ista ne verbum quidem ullum fecit. Denique Trithemius, qui tot libros viderat, non vidit istam Collectionem canonum et decretorum Anselmo Lucensi episcopo tributam, cum altum de ea silentium apud illum sit. Non senserat ista momenta Antonius Augustinus, et tamen huc inclinare visus est, ut Collectionem istam non putaret esse Anselmi; adeoque conjecturam fecit de Hildeberto Cenomanensi, quem constat simile aliquid olim tentasse. »

Hæc Baluzius in prefatione ad Antonium Augustinum *De emendatione Gratiani*, num. 19. Sed argumenta ista omnino negativa sunt, quæ nihil concludere possunt : maxime cum plures e contra mss. codices exstent in Italia et Gallia, ubi hæc Collectio canonum Anselmo Lucensi episcopo diserte ascribitur. Ut enim testantur qui emendarunt *Corpus juris canonici* anno 1580, Romæ, in ædibus Populi Romani jussu Gregorii XIII, voluminibus 3 in folio anno 1582 impressum, inter mss. codices quibus ad hanc emendationem atque correctionem usi sunt, exstant duo mss. codices *Collectionis Canonum Anselmi Lucensis episcopi*, quorum unus in bibliotheca Vaticana exstat, alter hominis privati et eruditi exstitit, Hieronymi Parisetti, quem Barberinæ credimus accessisse bibliothecæ. Quod si nonnulli canones in certis mss. codicibus hujus Collectionis inveniantur, qui Anselmo posteriores longe sint, hæc interpolata vitia sunt, non argumenta contra Anselmum valida, maxime cum nulli canones Anselmo posteriores inveniantur in antiquissimis codicibus S. Germani Parisiensis. Hildebertus autem Cenomanensis episcopus tentasse aliquid simile creditur, quia inter ejus epistolas invenitur quædam præfatio in Collectionem canonum ex concilis et sanctis Patribus, quam ad ipsum pertinere nonnulli opinati sunt. Verum illa nullam cum Hildeberto connexionem habet, estque præfatio Ivonis Carnotensis episcopi in suum Decretum, quæ temere vel fortuito in Hildeberti epistolas, in editionibus antiquis, irrepsit.

Habemus impressos sub Anselmi nomine *Libros II contra Guibertum antipapam et sequaces ejus pro defensione Gregorii VII papæ*, et *Collectanea quædam* seu, *Sententias ex variis auctoribus congestas, quibus demonstratur Ecclesiæ facultates non esse in potestate regis aut Cæsaris ;* quod opus utrumque exstat apud Henricum Canisium *Antiquæ Lectionis* tom. VI, pag. 202 et 235, atque in Bibliotheca Patrum editionis anni 1677 Lugdunensis tom. XVIII, pag. 602. Verum eruditi de hisce rebus judicandis idonei censent utrumque opusculum nihil esse aliud quam *excerpta quædam* ex Collectione canonum ejusdem Anselmi, aliunde a Canisio comparata. Certum enim est hoc *Collectaneum* seu *Collectionem canonum* esse factam ab Anselmo in gratiam Gregorii papæ VII contra Guibertum antipapam, illiusque sententias ex vetustioribus auctoribus, contra Ecclesiæ bonorum et facultatum occupatores, esse collectas. Possunt autem nullo negotio experiri an hæc conjectura vera sit, quibus adsunt aliqua exemplaria mss. Collectionis canonum Anselmi Lucensis, cum quibus hæc opuscula impressa conferri possunt.

In utrumque opus retulit Anselmus epistolas suppositias Isidori Mercatoris. Libro I adversus Guibertum antipapam testes advocat pseudo Clementem, epist. 3 ; pseudo Pium, epist. 1, et pseudo Fabianum epist. 3. Libro 2, pseudo Callistum, epist. 1 ; pseudo Stephanum, epist. 2 ; pseudo Marcellinum, epist. 2. Item in Collectionem canonum epistolas fere omnes pseudo Isidori in partes discerptas inseruit. Verba sunt doctissimi Blondelli in *Prolegomenis pseudo Isidori*, cap. 18, pag. 98. Scripta alia ejusdem refert Baronius ad an. 1086, quo Anselmus est mortuus, ex anonymo illo Vitæ

ejus scriptore, qui pœnitentiarius illius fuit, et verbis quidem ipsius: *Ex multis et diversis sanctissimorum Patrum voluminibus unum compilavit canonicarum sententiarum non modicum corpus.* Item, *Apologeticum unum ex diversis sanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus Domini papæ sententiam et universa ejus facta atque præcepta canonicis defenderet rationibus. Multos libellos propriis manibus conscripsit, in Lamentationes Jeremiæ dulcissimam fecit Expositionem. Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Mathildæ luculentissime exposuit, breviter quidem, sed utiliter, usque ad illum locum,* Benediximus vobis in nomine Domini, *ibi siquidem expositionem finivit.*

In ultima editione maximæ Veterum Patrum Bibliothecæ, Lugdunensi anni 1677 apud Anissonios, edita sub sancti Anselmi Lucensis episcopi nomine *Opuscula quatuor* quæ, antea a Luca Wadingo ordinis Minorum historiographo et bibliothecario circa annum 1654 edita fuerant primum, dedicata Marco Antonio Franciotto, S. R. E. cardinali et Lucensi episcopo, de quibus ipse Lucas Wadingus in *Scriptoribus ord. Minorum*, pag. 240. Hæc autem sunt: *Expositiones in Orationem Dominicam, in Salutationem angelicam,* Ave Maria, *in Antiphonam Salve Regina*, quæ tomo XXVII seu Supplemento hujus Bibliothecæ, pag. 436 et sequentibus, cum *Meditationibus metricis de gestis Domini nostri Jesu Christi*, quæ incipiunt: *Desere jam, anima, lectulum soporis*, etc. Opusculum I, *in Orationem Dominicam*, incipit, *Pater noster, qui es in cœlis, O immensa clementia! O ineffabilis benignitas*, etc. Secundum *in Salutationem angelicam;* incipit, *Ave Maria, gratia plena Dominus tecum: Tibi, Domine Deus, gratias ago*, etc. Tertium, *Meditatio in Antiphonam* Salve Regina incipit: *Ad salutandam beatam Mariam Virginem, primo debes magnitudinem ejus*, etc. Quartum, *De Gestis Domini nostri Jesu Christi*, ut supra, etc. Quantum ad quartum hoc opusculum *De gestis metricis Domini nostri Jesu Christi*, loquitur de illo Arnoldus Wion Martyrologio Benedictino, ad diem 18 Martii, Anselmo Lucensi episcopo sacram, ubi ei illud attribuit. At Lucas Wadingus, qui edidit illud in *Bibliotheca SS. Patrum* editionis Anissonianæ Lugdunensis, tomo XXVII, pag. 444, illud ita esse infirmum notat, ut sancti Anselmi Lucensis episcopi nomen non mereatur. Hoc unum mihi certum, omnia ista metra sive Anselmo Lucensi attribuantur, sive Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, sive Bernardo Claræ Vallis abbati, ut alia plura eorum operibus immista, esse opera sæculi XIII vel ad summum sæculi XII senescentis. Præterea, ut subjungit hujus ultimæ editionis Bibliothecæ Veterum Patrum collector, hoc opus continet multa indigna viro gravi, qualis Anselmus Lucensis episcopus fuit. Quamvis autem Arnoldus Wion metrum istud in suum *Martyrologium* inseruerit, inde tamen insignius non est, cum aliter oleant sues et aliter canes: nec anteriori sæculo, quidquid manuscriptum invenitur, illud omne probatur. Quantum ad opuscula alia tria de quibus supra, horum meminit Antonius Possevinus ex ms. Mantuano in *Apparatu sacro*, verbo *Anselmus Mantuanus*, tom. I, pag. 86. Attribuit illa primus *S. Anselmo Lucensi episcopo* Lucas Wadingus in editione citata, quæ tamen antea attributa fuerant *S. Bonaventuræ Ecclesiæ doctori*, ad calcem opusculi quod *Stimulus amoris* inscribitur, parte III, cap. 16 et sequentibus, pag. 235 et sequentibus editionis Parisiensis anni 1647 in fol. apud Nicolaum Wivenais via Citharæ: quamvis in editione Veneta anni 1611, apud hæredes Hieronymi Scoti, non compareant in tractatu S. Bonaventuræ qui *Stimulus amoris* dicitur. Quisquis porro vel monoculus fuerit, tractatumque *Stimuli amoris* Bonaventurianum vel levi oculo percurrerit, inveniet opuscula hæc tria esse merum assumentum, ab indocto Franciscano aliquo additum huic operi, cum quo nullam habet connexionem, nullam consonantiam; unde laciniam esse meram quivis prudens non inficiabitur. Tantum porro abest ut hæc opuscula vel Anselmo vel Bonaventuræ honorem aliquem famamque afferre possint, quin e contra indigna omnino sint quæ tantis tamque gravibus (ut volunt) Ecclesiæ doctoribus ascribantur. Sunt enim anonymi cujusdam infantis, ridiculi, insanientis, et in expressionibus suis ita bardi, imo impudici, ut mirer quomodo Lucas Wadingus, vir alioquin eruditus et prudens, Anselmo Lucensi episcopo attribuere illa ausus fuerit. Nec opuscula ejusmodi inscripta ad aliud juvant quam ut graves Ecclesiæ scriptores exponant contemptui, irrisionibus, doctrinam orthodoxam ac puram incertitudini, mysteria Scripturarum insolentissimis verborum ac jocositatum obscenitatibus. Jam videamus ex ipsis opusculorum verbis quam absurdus, imprudens, imo insaniens in expressionibus suis hic anonymus fuerit. In Expositione *super Orationem Dominicam* sub initium: *Quid mihi ultra de terrenis honoribus, qui sum filius Dei? Majus dedecus esset mihi appetere quantumcunque honorem terrenum, quam filio imperatoris latrinæ officium. Quid mihi ultra de terrenis divitiis qui regni æterni sum hæres? Ignominiosius esset mihi de quantumcunque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenitum imperatoris de fimo equorum.* Quid istis comparationibus insulsius? Haud dubium quin latrinam oleret, qui latrinæ ac fimi equorum insuetam Patribus comparationem repetebat. Tunc postea: *O exsultatio, o admiratio, o medullaris modulatio, quia Pater meus es tu!* Quid expressione ista nugacius, *O medullaris modulatio!* Quid vox ista, *medullaris*? quam Latina! quam eximie junctæ voces, *O medullaris modulatio*! Quasi modulatio vel in medulla sit, vel ex ossium medulla procedat! Siccine loquebantur sancti Patres, judicio graves, expressione puri, fide integri? Item aliquanto post: *Mira dignatio, dignissima Christi habitatio in nobis! Ego fœdissimus simul et abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa*

clementia Dei mei tabernaculum ejus. Ecce iterum anonymus ad fimum et latrinam, quam vix tantisper abjecerat, ut vere stercoranistam appellaverim hunc anonymum, qui tam sæpe fimi et latrinæ recordatur. Infinitæ vero suppetunt ejusmodi expressiones abjectæ, ridiculæ, rusticæ, impudicæ, quæ virum hunc fuisse modicissimum ingenio et eloquio barbarum produnt. Lege ista opuscula tria : *Expositionem in Orationem Dominicam, Salutationem angelicam, et Antiphonam:* SALVE REGINA, esse inscriptas *Contemplationes*, et impressas fuisse anno 1521, Parisiis, in 4, sub nomine magistri Martini de Magistris, doctoris theologi, typis Jodoci Badii Ascrisii, de quo loquemur ad annum 1460 postea.

Jam accedat, quæ nugis inferior non est, *Expositio in Salutationem angelicam*, seu *Meditatio super Ave Maria.* Ita loquitur sub initium: *Qui omnia conservas et regis, et me fœdissimam saniem et turpitudinem detestabilem et abominatione plenum, et omni vita, imo essentia indignum, dignatus es tantum illustrare, ut sciam te matrem habere: et hoc mihi indignissimo concessisti, ut ipsam possim et audeam salutare.* Hæc loquendi ratio olet virum abreptum, sed sæculi XIV, ubi expressiones istæ ecstaticæ simul et rusticæ erant admirationi et usui. Habebant quidem antiqui Ecclesiæ Patres profundam humilitatem, sed quam prudentioribus verbis ac solidiori expressione in scriptis suis testati sunt. Ubi autem hic anonymus appellat se *fœdissimam saniem et turpitudinem detestabilem et abominatione plenum*, ostendit nondum se esse oblitum *latrinæ et fimi equorum*, de quibus locutus est in *Expositione Orationis Dominicæ.* Ubi se *omni vita, imo essentia indignum* vocat, ostendit se scriptorem ultimorum temporum, quibus hæ voces in scholasticis palæstris cum affectatione usurpatæ sunt quasi maxima mysteria significantes. Sub medium hujus opusculi: *Patientiam habe, domina, quia angelicam Salutationem promo, et angelice non vivo sed potius diabolice. Horrendus sum, et* te *salutare præsumo.* Horreo fateor Lucam Wadingum, qui tam insipidum hunc anonymum S. Anselmi Lucensis episcopi nomine honestaverit. Quis unquam Patrum usque ad sæculum XII inclusive, verbo etiamsi humillimus, in scriptis suis dixerit *se non angelice, sed potius diabolice* vivere? Idem postea : *Igitur Ave, o catenale Ave, quod cor constringis cum Virgine, et separas a terrenis: cum misericordissima miserum, cum Domina servum, cum matre filium firmissime ligas. O amabile Ave! Accedat ut salutet, qui vult catenari amore; et cum salutaverit ex corde, amplius fortiusque constringatur: et quanto constringetur fortius, libentius salutabit.* Quis unquam in duodecim primorum sæculorum Patribus audivit tam ineptam exclamationem, *O catenale Ave! Accedat ut salutet, qui vult catenari amore?* Quale adjectum, *catenale!* quale verbum, *catenari amore!* Fallor nisi voces istæ appellant tempora vel *Rusbrochii*, vel *Gersonis*, quibus eo devotior atque etiam doctior existimatus est, quo magis barbare et insulse quisque loqueretur.

Opusculum tertium *Meditatio super salve Regina*, non tam primo evulgatum ab Luca Wadingo quam iterum editum. Constat enim hanc meditationem haberi in omnibus firme editionibus Operum divi Bernardi, ab anno 1556 ad annum 1640. Sed illam tandem ita absurdam, indoctam atque nugacem esse visam, ut in ultimis eorumdem Operum editionibus ab Joanne Merlane Horstio Germano, et Joanne Mabillonio Gallo, viris ambobus et eruditis et criticis, ab Operibus Bernardinis proscripta sit. Quo porro jure, quæ indigna Bernardo visa est Meditatio, in jura nomenque Anselmi Lucensis episcopi transiit? Si Bernardo indigna, ergo et Anselmo tam Lucensi episcopo, cui Lucas Wadingus eam ascripsit, quam Cantuariensi archiepiscopo, cui illam alii attribuunt. *O Domina,* inquit, *quæ rapis corda dulcedine, nonne cor meum, domina, rapuisti? Et ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? Nunquid in sinu tuo, ne inveniam, collocasti? nunquid inter ubera tua posuisti illud? Fortasse ibi posuisti illud cor meum, ut quod friguerat tibi, calefat? O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis tuis amicis? Nunquid semper vis ipsum tenere?* Vel hæc interrogatio unica anonymum probat morionem atque insipientem virum quem indiscretus zelus effert ad inquisitiones stultas et impudicas, si verba sumantur ad litteram prout sonant. Stupendam exstasin! *O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum?* O insania scriptoris, *Nunquid inter ubera tua posuisti illud?* Olent voces istæ ecstaticum quemdam extravagantem, quem Deus anonymum voluit. Hæc paulo acrius adversus Wadingum, qui minus considerate opuscula ejusmodi *Anselmo Lucensi episcopo* ascripsit. Detrahunt sane multis sanctorum Ecclesiæ Patrum honori, quos nobile ingenium ac judicium grave venerabiles nobis reddidit, qui eis absurda insipidaque opera perperam zeloque indiscreto assignant. Scripta veterum non mole, sed virtute, sed ratione, sed judicio cum pietate, sed gravitate pensanda sunt. Hæc ampliora paulo quam pro more nostro, ad honorem Anselmi Mantuani postea Lucensis episcopi, et Bonaventuræ S. R. E. cardinalis et doctoris, defendendum, quem in substitutione insipientium opusculorum impeti opinatus sum. Obiit autem Anselmus Lucensis episcopus anno 1086, die 18 Martii qui et Mantuæ in patria sepultus est. De illo Bellarminus et Labbeus locis supra citatis ; Antonius Possevinus tomo I *Apparatus sacri*, pag. 86. Natalis Alexander in *Selectis historiæ ecclesiasticæ Capitibus*, sæculo XI, tomo XV, cap. 3, ubi de scriptoribus ecclesiasticis; Gerardus von Mastricht, in Duisburgensi Academia juris et historiæ professor, in *Historia juris ecclesiastici et pontificii*, num. 260. pag. 301, 302 et 303, edita 1686, Amstelodami, in-8.

VITA SANCTI ANSELMI

LUCENSIS EPISCOPI

AUCTORE B., EJUS DISCIPULO ET POENITENTIARIO

(Mabill. *Acta SS. ord. S. Bened.*, tom. IX, pag. 472.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Qui sequentem libellum scripsit auctor, non uno in loco ætatem suam indicat, seque Anselmi æqualem ac discipulum prodit, ut num. 19, 20, 21, 24 et 29. Nomen suum prima duntaxat littera initiali B. designat num. 43. *Hæc de beatissimo*, inquit, *patre ac patrono nostro sancto Anselmo Lucensi episcopo.... ego B. peccator presbyter suus in pœnitentia, non dico filius, sed servus, ab ipso multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus*, etc. Erat ergo iste B. pœnitentiarius, idque confirmatur ex num. 42 ubi de Teutonico quodam vulnerato agens, *Vocati sumus denique*, ait, *et nos, quatenus, injuncta ei pœnitentia, communionem daremus*. Hunc porro auctorem *Bardum* appellatum fuisse suspicatur Wadingus in commentariis ad hanc Vitam, num. 1, ubi observat ex Lucensis ecclesiæ monumentis Bardum ejusdem ecclesiæ diaconum et primicerium semper Anselmo nostro cum Lamberto archipresbytero adhæsisse, eumque etiam exsulantem fuisse secutum. Nec obstat, ut censet Wadingus, quod Bardus ille diaconus solummodo in istis tabulis nominetur, B. enim vitæ auctorem diu diaconum fuisse, ex ipsius ejus verbis colligi potest, nam num. 45 *multis cum lacrymis* a beato antistite ad presbyteratus ordinem se fuisse promotum ait, cum, procul dubio uterque in exsilio moraretur. Eumdem vero ex Lucensis ecclesiæ gremio fuisse his verbis indicatur num. 24, ubi *Psalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus, præcepit; alioquin aspere increpavit.* Cæterum beati Anselmi Vitam edidere Tegnagellus, Surius Wadingus et Bollandiani, ex quibus Wadingus plures mss. codices consuluit, eamque commentariis illustravit.

2. De sancto Anselmo Lucensi episcopo agunt, præter varia Martyrologia et alios scriptores recentiores, antiqui, qui ejus ævo floruerunt, Domnizo presbyter in carmine de Mathilde comitissa, Paulus Bernriedensis in Actis Gregorii VII, Bertholdus Constantiensis in Apppendice ad Marianum, et alii. Præ cæteris eum laudant Hugo archiepiscopus Lugdunensis, et Hugo alter abbas Flaviniacensis in Chronico. Hic Hugonis Diensis episcopi electionem et ordinationem ad annum 1084 describens ait, ipsum *ad suscipiendos ordines Romam mense Decembri venisse* atque *invenisse ibidem pro simili exspectatione domnum*
A *Anselmum Lucensem electum, virum omni laudis præconio dignum, nunc felici*, inquit, *beatum excessu, in quo omnis laus secure canitur.* Tum addit: *Cum hoc itaque*, scilicet Hugone Diensi, *tanto familiaritatis et dilectionis vinculo connexus est, et ita sibi, licet divisa haberent hospitia, in palatio Lateranensi individue adhærebant, ut unum videri sine altero mirum videretur his qui eorum noverant unanimitatem, adeo ut Urbis præfectus quodam veritatis præsagio alterum horum diem, alterum vocaret lucem: quod dies non sine luce, et lucem dies comitetur. Lucebat enim in eorum moribus justitiæ et pietatis decus: præponderabat amicitia constans, mutabilitatis nescia.... Senes autem erant, non lon-*
B *gæ vitate vitæ, sed morum maturitate.... Cum ergo Romæ positi præstolarentur diem consecrationis suæ, venerunt nuntii regis Heinrici Romam, rogantes, ne contra morem prædecessorum suorum domnus papa (Gregorius VII) eos consecrare vellet, qui episcopatus electionem solam, non autem donum per regiam acceperant investituram.* Denique subdit auctor pontificem *in Lucensi electo acquievisse, ut consecrationem ejus differret, donec investituram episcopatus ex regio dono accepisset: in Diensi vero acquiescere noluisse.*

3. Hæc Vitæ sequenti lucem afferre possunt, uti et epistola mox dicti Hugonis archiepiscopi Lugdunensis ad Mathildem comitissimam, quam hortatur ad subveniendum pro suo more Ecclesiæ Romanæ in electione futuri pontificis, post mortem Victoris III,
C cui Urbanum II succedere ægre ferebat. *Habetis siquidem in hac re fidissimos adjutores, et benignos devotionis vestræ apud Deum commendatores, piissimum scilicet patrem postquam sanctæ memoriæ papam*, nempe Gregorium VII, *et beatum A. Lucensem episcopum: qui, sicut cum adhuc viverent, in omni pietate et justitia vos instruxerunt: ita nunc ab illo æternæ quietis sinu, in quo eos receptos esse confidimus, meritis suis et precibus caritatis vestræ opera commendabunt; ac amorem perpetuæ vitæ, quo ineffabiliter satiantur, devotionis vestræ visceribus inspirabunt.* Hæc epistola edita est in Spicilegii tomo II.

4. Quantum pro restituenda apud canonicos cathedralis Sancti Martini ecclesiæ Lucensis communi vita laboraverit Anselmus, patet ex sequentis Vitæ

num. 5 et seqq. An res effectum eo vivente sortita A sit, non ita liquet. Quosdam tandem canonicos sub altero ejus successore Rangerio accessisse ad communem vitam colligo ex sequenti professionis formula, quam in veteri codice Lucensis ecclesiæ invenimus. *Ego promitto stabilitatem in hoc loco ad obedientiam Dei et beati Martini, et episcopi R. qui nunc est, et eorum qui canonice successuri sunt: et promitto bona ecclesiæ, et quæ per officium ecclesiasticum acquisiero, in communi sine fraude habere, et præposito obedire canonice ordinato.* ✝✝✝. *Hoc fecerunt in sancto Donato Martinus presbyter, et Henricus, et Mascarus.* Vivebant ergo illi canonici seorsim ab aliis in ecclesia Sancti Donati. In alio codice, qui modo est penes Florentinium medicum Lucensem, hæc de ejusmodi canonicis leguntur: B *Incipit Ordo canonicorum qui ad conversionem veniunt. Novitius facturus professionem, ante altare post offerendam veniat et fratrum conventus in circuitu assistat; et flectendo genua tertio. Novitius hunc versum dicat:* Suscipe me, domine, secundum eloq. tuum, etc. *Tunc surgens novitius legat hanc professionem: « Ego frater N. offerens trado meipsum ecclesiæ sancti Donati, et promitto hic stabilitatem loci, et obedientiam priori, et vitam profiteor canonicam, et sine proprio. »* Post hæc sequuntur in eodem codice Regulæ sancti Augustini, et beati Benedicti, cum hujus Vita auctore Gregorio Magno. C

5. Quod attinet ad Anselmi opera seu scripta, hæc enumerantur in Vitæ sequentis num. 21 nempe Apologeticum pro Gregorio VII, Expositio in Lamentationes Jeremiæ, item expositio in quosdam psalmos. His adde Collectionem canonum libris XIII comprehensam. Ex his editum est Apologeticum, primum quidem ab Henrico Canisio, postea vero in Bibliotheca Patrum. Epistolam unam et aliquot opuscula ei tributa edidit Wadingus Romæ anno 1657. Et quidem hujus epistolæ fragmentum habet cum Uspergensi abbate Chronographus noster Saxonicus ms. Bertholdus Constantiensis quosdam versus adducit ex commentario Anselmi in Psalmos. Collectionem canonum habemus penes nos manu descriptam ex codice Vaticano, ex qua hæc delibare sufficiat in præsens. Incipit capitulatio librorum quos beatus Anselmus Lucensis episcopus de coæqualibus causis singulos in hoc volumine libros composuit. *Liber* I, *De potestate et primatu apostolicæ sedis;* II, *De libertate appellationis;* III, *De ordine accusandi, testificandi et judicandi.* IV, *De privilegiorum auctoritate* V, *De ordinationibus ecclesiarum, et de omni jure ac statu illarum.* VI, *De electione et ordinatione, ac de omni potestate sive statu episcoporum.* VII, *De vita et ordinatione clericorum.* VIII, *De lapsis.* IX, *De sacramentis.* X, *De conjugiis.* XI, *De pœnitentia.* XII, *De excommunicatione.* XIII, *De vindicta et persecutione injusta.* Hæc satis in specimen.

VITA S. ANSELMI

(*Vide Patrologiæ tom. CXLVIII, col.* 905 *inter* Monumenta Gregoriana.

SANCTI ANSELMI

LUCENSIS EPISCOPI

CONTRA GUIBERTUM ANTIPAPAM

PRO DEFENSIONE GREGORII VII LEGITIMI PONTIFICIS ROMANI

LIBRI DUO

(Canisius, *Antiquæ Lectiones,* tom. VI, pag. 199, *ex bibliotheca ecclesiæ cathedralis Ratisbonensis.*)

LIBER PRIMUS.

Proprium est bonorum mentium ibi metuere cul- D pam ubi non est; reproborum vero, se præferendo, alios de fatuis sensibus, alios de indignis meritis reprehendere. Redargui despiciunt, dum se redarguentibus sapientiores suspicantur; ea quæ intelligunt, aliis libenter dicunt, ut plus illis tam subtilia, et tam utilia, et aliis ignota videantur scire. Cum habent intelligentiam, non seipsos, sed semper alia, ut plus videantur scire, scrutantur, nec scrutantur sua facta, sed aliena investigant. Sed justo omnipotentis Dei judicio agitur, ut quia non habuerunt timorem Dei, et non proposuerunt Deum ante con-

spectum suum (*Psal.* LIII), et in lege ejus noluerunt ambulare (*Psal.* LXXVII), divitias quas devoraverunt, evomant, et de ventre eorum extrahat eas Dominus. Et sicut dicit Apostolus : Quia non probaverunt Deum habere in notitia (*Rom.* I), « tradidit illos Deus in reprobum sensum (*Ibid.*). » Spiritus enim sanctus disciplinæ effugit fictum, et aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. « Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem et mansuetum, et trementem verba mea ? » (*Isai* LXVI.) Et alibi : « Cum simplicibus sermocinatio mea (*Prov.* III). » Quo recedente, veternosus serpens tantum virus insipienti obscuratoque cordi infundit, et ita totum veneno mortiferæ deceptionis mancipatum, sive servum inebriat, ut amarum dulce, et dulce amarum sapiat; ut tenebras lucem, et lucem tenebras credat; bonum denique malum, et malum bonum asserat (*Isai.* V) : sicque fit ut ex duobus convenientibus immundis spiritibus, plenitudo superbiæ firmata, dæmoniacis humanisque contagiis desertam vacantemque domum, omnium vitiorum comitatu stipata, circa finem mundi occupet (*Matth.* XII), occupatam possideat, possessam prostituat, ut minor jam videatur in capite, et quasi per incrementa temporum in ætate perfecta profecisse. Diabolus enim dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isai.* XIV) : » De patre vero vel socio tuo dicit Apostolus : « Qui extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus (*II Thess.* II). »

Audi itaque, sceleratissime omnium, qui sic mihi jam nominandus es, eo quod latrare non timuisti contra Dominum et Magistrum tuum; cognosce quæ propria sunt. Scripsi tibi pauca cum multo dolore et sinceræ charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor, et pænitentiam ageres delictorum tuorum. Sed quia verba tua iniquitas et dolus, et noluisti intelligere ut bene ageres (*Psal.* XXXV), audi interea quæ Dominus contra te per prophetam clamat : « Hæc dicit Dominus Deus : Ista est Hierusalem ; in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terram. Et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes, et præcepta mea ultra quam terræ quæ in circuitu ejus sunt. Judicia enim mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium, et faciam in te quæ non feci, et quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent suos filios in medio tui, et filii comedent patres suos (*Ezech.* V). » Hæc itaque cum videas tuis temporibus impleta, et Veritas dicat : « Faciam quæ nunquam in te feci, et quibus similia ultra non faciam ; » quandoquidem abominatio nova et inaudita tui temporis te et Dominum tuum N. et per vos complices vestros novæ addicat maledictioni. Tibi etiam necesse est, si vis salvus esse, inauditum judicium adscribas : Ista est mater Hierusalem, » et reliqua. Adultera siquidem quæ nunc est in parte tua, olim videbatur Hierusalem, sancta videlicet Ecclesia, filia regis David. Sed, proh dolor! corrupta est a fratre suo, et constuprata usque ad verticem. Omnis decor ejus recessit ab ea, facta est quasi vidua domina gentium, quia rex Babylonis possidet eam. Cum enim Dominus dicat B. Petro : « Tibi dabo claves regni cælorum (*Matth.* XVI) » et : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*ibid.*); » et : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI), » et alibi : « Una est columba mea (*Cant.* VI), » quæcunque alterius juris usurpatione corrumpitur, non jam sponsa Christi, sed adultera, non libera, sed ancilla convincitur, sicut dicit beatus Ambrosius : « Convenior a comitibus et tribunis, ut per me basilicæ fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jure suo jussisse ut quæ in potestate ejus essent, omnia tradi debere; respondi : Si a me peteret quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt pauperum sint; verum ea quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non esse subjecta. » Et paulo post : « Nec mihi fas est tradere, nec tibi, imperator, accipere expedit. Domus privati nullo potest jure temerari : domum Dei existimas auferendam ? Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo : Noli gravare te, imperator ut putes te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus : Scriptum est enim : Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo (*Matth.* XII). Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mænium jus est commissum, non sacrorum. Iterum dicitur mihi mandasse imperatorem : Debeo et ego unam basilicam habere. Respondeo : Non licet tibi ullam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est legitimo Christi conjugio copulata. Veteri jure a sacerdotibus donata imperia, non usurpata. »

Constat itaque quia Ecclesia hæc non est vera Ecclesia sed adultera, cum sicut beatus Cyprianus dicit : « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur; nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. »

Unde et beatus Gelasius inter cætera dicit : « Ad sacerdotes Deus voluit quæ Ecclesiæ sunt disponenda pertinere, non ad sæculi potestates; quæ si fideles sunt, Ecclesiæ suæ et sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vindicet imperator alienum jus, et ministerium quod alii deputatum est. » Et paulo post : « Obsequi solere principes Christianos Ecclesiæ decretis; non suam præponere potestatem. »

Noli itaque dicere quia universalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascendisse ut furem? (*Joan.*

x.) Apostolica enim et universalis Ecclesia suum habebat pastorem. Ut enim de beato Gregorio Patre nostro dicam quæ de Cornelio scripsit Cyprianus : « Factus est episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium, et, ut verum dicam, omnino omnium testimonio ; de plebis quæ tunc adfuit suffragio, de sacerdotum antiquorum et virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, et cum locus Petri, vel gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato et de Dei voluntate atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jamjam episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans, et sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est, et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est. »

Hæc sunt judicia Dei, quæ projecistis, et præcepta in quibus ambulare noluistis, omnium gentium iniquitatem supergressi, cum in infernum viventes descendistis. Omnes itaque gentes in comparatione vestri sceleris justificatas credimus, quia post donum acceptum sancti Spiritus, virtutesque superventuri sæculi, non solum sicut Deum glorificare noluistis, sed contra præcepta ejus leges iniquas statuentes, omnem vobis aditum veniæ interclusistis, nisi ad unitatem matris Ecclesiæ, unde præcisi estis, redeatis, quæ sola jus ligandi et solvendi possidet. Dominus namque dicit : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). Qui non intrat per ostium, non est pastor ovium (*Joan.* x). Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo (*Matth.* xvi). »

Rex autem tuus sine intermissione vendit episcopatus suos, edicta proponens ut nullus habeatur episcopus, qui a clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, quasi ipse sit hujus ostii ostiarius, de quo Veritas dicit : « Huic ostiarius aperit (*Joan.* x). »

Tu vero aliunde ascendisti, et non vocatus a Deo accessisti, noli usurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim jam dictum est, si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, et judex a nullo condemnari potuit, manifestum est te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilque habere potestatis ac juris. Sicut enim beatus Cyprianus dicit, scribens Magno presbytero : « Ecclesia una est, quæ intus et foris esse non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest. » Et paulo post : « Invenimus in tali facinore non solum duces et auctores, sed et participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint, præcipiente per Moysem Domino : Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccato eorum (*Num.* xvi). Et quæ comminitans Dominus per Moysen fuerat implevit. Ut quisque se a Core et Dathan et Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur et probatur obnoxios omnis culpæ et pœnæ futuros qui se schismaticis contra præpositos et sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint, sicut etiam per Osee prophetam Spiritus sanctus contestatur et dicit : Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminantur (*Ose.* ix), docens scilicet et ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio conjungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. »

His et aliis innumeris salutaribus præceptis admoniti, detestamur non sacramenta Ecclesiæ, sicut tu mentiris, sed schismaticos et sacrilegos, quorum parricidalibus manibus sese sacramenta divina subtraxerunt; et cum catholica matre nostra Ecclesia persequar inimicos ejus, nec convertar donec deficiant (*Psal.* xvii). Sanctum quippe suum quod foris habetis, quod malo vestro accepistis, quia bono odore peristis, veneratur Ecclesia, sed vos persequitur, ut Sara ancillam, quæ tamen de semine Abrahæ concepit et peperit (*Gen.* xvi). Intellige itaque quomodo persequatur adhuc ancillam domina, ut docearis quæ sit persecutio beata, et scias quomodo nec pro justitia Christianis jurgandum sit cum competenter exponi tibi permiseris, ut addatur adversus Catholicos, et non redarguas Christum, qui dicit : « Compellite intrare (*Luc.* xiv), » et alia multa, quæ in consequentibus posita audies.

Dicit beatus Augustinus adversus Donatistas : « Si Ecclesia ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo quam Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostram cœlestem Jerusalem ; idem veram Dei Ecclesiam in illa muliere dicit fuisse præfiguratam, quæ affligebat ancillam (*Gal.* iv). Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo quam illam Sara coercendo. Illa enim dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro si boni et sancti viri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cujus putant in psalmo vocem ubi legitur : Persequar inimicos meos, etc. (*Psal.* xvii). Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impii Ecclesiæ Christi. Ista namque beata est quæ persecutionem patitur propter injustitiam. » Item : « Quod autem dicunt, qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, non petiisse a regibus terræ apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, et omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc propheticum complebatur : Quare fremuerunt gentes (*Psalm.* ii), et reliqua. Nondum autem age-

batur quod paulo post in eodem psalmo subditur : Servite Domino in timore (*Psal.* II). Quando enim reges serviunt Domino in timore, nisi ea quæ contra jussa Dei fiunt religiosa severitate prohibendo atque plectendo ? » Idem alibi : « Ubi est quod isti clamare consueverunt ? Cui vim Christus intulit? Quem coegit ? Ecce habent Paulum apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum et postea docentem, prius ferientem, et postea consolantem (*Act.* IX). » Item : « Non mihi placet, ut omnes habeant occidendi licentiam, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ. Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne mala faciant, etiam ipsis fortasse aliquid præstatur. Hinc autem dictum est : Non resistamus malo (*Matth.* V), ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non ut et correctionem hominum negligamus ; unde nec reus mortis alienæ qui cum suæ possessioni muros circumduxerit, aliquis ex ipsorum casu percussus intereat : Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcitrando aliquem occidat, aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis. At vero quomodo apostolus Paulus sategit, ut in tribuni notitiam perferretur, insidias sibi a quibusdam perditis parari, et ob hoc deductores accepit armatos? (*Act.* XXIII.) Si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret ? Absit ut ea quæ propter bonum et licitum facimus aut habemus, si quid per hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. » Item : « Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis : Neminem concusseritis, neque calumniam feceritis ; sufficiat vobis stipendium vestrum (*Luc.* III). Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. » Item ad Bonifacium : « Gravi de pugna conquereris? dubites nolo, utile consilium tibi tuisque dabo : arripe manibus arma, oratio aures pulset Auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis cœlis spectat, et partem quam aspicit justam defendit, et ibi dat palmam. » Item : « Noli existimare neminem Deo placere posse qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium ; in his etiam plurimi illius temporis viri ; in his erat centurio ille, qui Domino dixit : Non sum dignus ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII). Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus etiam tua corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de Dei dono non facere contra Dominum. Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas. »

A Idem Augustinus Donato presbytero : « Displicet tibi quod traheris ad salutem, cum tam multos nostrum ad perniciem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi et præsentari, et servari ne pereas ? »

Pelagius papa : « Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit. Errant hujusmodi rumoris fabulatores : non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel jam factum punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si, ut illi putant, nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ et B malis pœnam et bonis præmia, justitia suadente constituunt. Malum autem schisma esse et per exteras etiam potestates hujusmodi opprimi debere, et canonicæ Scripturæ auctoritas, et paternarum nos regularum veritas docet. » Item alibi : « Nec putetis alicujus esse peccati, si hujusmodi homines comprimuntur. Hoc enim et divinæ gratiæ et mundanæ leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, a sæcularibus etiam potestatibus comprimantur, nec quidquam majus est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quam si id ordinetis ut hi qui in suam aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci. »

Hieronymus super Ezechielem libro tertio : « Qui malos percutit in eo quod mali sunt, et habet vasa C interfectionis, minister est Domini. »

Augustinus super psalmum centesimum decimum octavum : « Est injusta misericordia, de qua in lege scriptum est : Non misereberis ejus (*Deut.* XIX) ; et in libro Regum legis, quia Saul propterea contraxit offensam quia miseratus est Agag hostium regem quem prohibebat sententia divina servari (*I Reg.* XV). Ut si quis latronis filiis deprecantibus motus, et lacrymis conjugis ejus inflexus absolvendum putat, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem ? »

De deprædatione autem eorum qui ab Ecclesia præcisi sunt, respondeant Patres nostri. Augustinus : « Quidquid, inquit, a parte Donati possideD batur, Christiani imperatores legibus religiosis cum ipsis ecclesiis ad catholicam transferre jusserunt. Si autem consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ : Ideo justi tulerunt spolia impiorum (*Sap.* X), item quod legitur in Proverbiis : Thesaurizant autem justis divitiæ impiorum (*Prov.* XIII), tunc videbimus non esse quærendum qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate justorum. »

Item, beatus Gregorius Veloci magistro militum, inter cætera : « Nunc utile visum est ut aliquanti illic milites transmittantur, quos gloria tua admonere et hortari ut parati sint studeat, et occasione inventa cum gloriosissimis filiis nostris Martio et

Vitalio loquere, et quæcunque vobis Deo adjutore pro utilitate reipublicæ steterint facite, et si hic vel ad Ravennates partes nec dicendum Ariulfum cognoveritis excurrere, vos a dorso ejus, sicut viros fortes concedet, laborate. » Item Maurino et Vitaliano inter cætera : « Gloriosi filii, estote solliciti, quia, quantum comperi hostem collectum habet et in marinis dicitur residere, ut si huc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos locum ipsius, quantum Dominus adjuverit, deprædate. » Quibus diligenter perspectis, scies nos veritatem docere, non pseudoprædicationibus dedocere, et te pro superbia in reprobum traditum sensum; sancto Patri nostro crimen imposuisse, et dicta sanctorum Patrum, quæ in epistola tua posuisti, non intellexisse.

Hæc et his similia prædicamus, et cum multo dolore cordis ab his necessitatibus nostris eripi laboramus, et ad Dominum Deum nostrum de ista tribulatione clamamus, ut vos humiliter sub manu sua diesque nostros in sua pace disponat. Cum multo siquidem dolore secat pius medicus, ni secaret, moriturum; cum multis lacrymis ligat pater filium phreneticum. Dans denique gloriam nomini Domini lætatur justus cum videt vindictam (*Psal.* LVII), sed tamen animum ejus semper cruciat pereuntium multa.

Verum quidem est quia nec pro justitia ferrea arma corripi concessum est, sed propter se, quantum ad justitiæ perfectionem, quantum spectat ad domus Dei decorem. Nec hoc quidem laudat Apostolus quod contentiones sint inter sanctos sed tamen dixit : « Contemptibiles qui sunt inter vos, constituite ad judicandum (*I Cor.* VI). » Et cum omnes vellet esse sicut seipsum, concedit tandem ut propter incontinentiam unusquisque habeat suam uxorem, et ut vir uxori et uxor viro debitum reddat (*I Cor.* VII).

Cum Veritas ipsa in Evangelio præmisisset : « Nolite jurare omnino (*Matth.* V); » et : « Sit sermo vester, est, non (*Ibid.*), » subdidit tamen dicens : « Quod amplius est, a malo est (*Ibid.*), » non enim dixit, malum est, sed, » a malo, » ac si dixerit : Si jurare necesse fuerit, et malo incredulitatis aliorum compulsi, jurate, non sine causa, non propria voluntate. » Hinc est quod Moyses pro temperamento vindictæ, « oculum, inquit, pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI), » ut clementiore hac via eriperet occidendi facultatem.

Utinam non esset colluctatio Catholicis adversus carnem et sanguinem (*Ephes.* VI), ut quieti viverent, et tantæ perfectionis essent, ut omnes palmam martyrii desiderarent, et non essent quos vindicare minister Dei vindex in iram ei, qui male ageret haberet, qui non sine causa gladium portat (*Rom.* XIII). Nos vero in nullius sanguine miscuimus, nec, protegente Deo, miscebimus, nec de perditione morientium exsultamus. Vindicare propriam injuriam omnes prohibemus, ut illum spectent Judicem, qui pollicetur dicens : « Mihi vindictam, ego retribuam (*Rom.* XII). » Defendere pupillum et viduam armis, etiam carnalibus, tueri sanctam Ecclesiam, non eos, qui in causa sunt, sed nisi pro communi republica, sub quorum regimine sunt universalis Ecclesiæ cupimus. Pecuniam eorum et terram non concupiscimus, sed ut thesaurizent impiorum divitiæ justis, et spolia impiorum tollant justi, ea tamen intentione ut eos lucrari possint, et non solum quæ illorum sunt, sed omnia etiam sua in charitate distribuant summopere satagimus et desideramus.

Non itaque adversum nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit. Clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia justorum, et quæ adhuc peregrinatur, et quæ jam cum Christo regnat; clamat Christus, clamat Pater pro Sponsa Filii sui, clamat Spiritus sanctus qui quotidie postulat pro ea gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). Vos siquidem Ecclesiam laniatis et scinditis, qui partem vestram ab ejus unitate præcidistis eamque crudelius gladio schismatis quam idololatriæ scelere in frusta concidistis, ut jam non cum granis palea, sed præcisa a vite in ignem projiciantur sarmenta. Vos enim Ecclesiæ catholicæ, quam invasistis per totum regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, et in servitutem redacta quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, et divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes omnia imperatoris juri esse subjecta, episcopatus, abbatias, omnes omnino Dei ecclesias, cum Dominus dicat : « Ecclesiam meam (*Matth.* XVI), columbam meam (*Cant.* II), oves meas (*Joan.* XXI). » Paulus dicit : « Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est a Deo tanquam Aaron (*Hebr.* V). » In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia exhausto fenore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc, ut hæretici fiant, promoventur, qui lepram Giezi cum divitiis suis possident, et, mala quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum congregarunt.

Quia itaque nec gratis datis, nec gratis accepistis (*Matth.* X), et a mandatis Domini declinantes, maledicti estis (*Psal.* CXVIII), et quia non obeditis apostolicis præceptis, formidamus commisceri vobis. Dicit namque beatus Ambrosius : « Si qua est Ecclesia, quæ apostolicæ veritatis fundamenta non possidet, ne quam tibi labem possit ingerere, deserenda est. His enim legibus adulta, talibus est documentis exculta, hujusmodi institutionibus est propagata. Qui his adversatur, qui ista dissimulat, qui hanc veritatis lucernam sub modio abscondit (*Matth.* V), non pastor Ecclesiæ, sed inimicus existit, et de ejus manibus pereuntium sanguinem Dominus requirit (*Ezech.* III). Si ergo Christum causam perditionis

eorum, ad quos missus est, et vocem ejus non audierunt, dicere non præsumis, nec Paulo audes ascribere stultitiam gentium et scandalum Judæorum (*I Cor.* I), a nostra quoque detractione linguam compesce, qui compellimur dicere veritatem sicut per prophetam Dominus comminatur : Sacerdos ingrediens et regrediens nisi sonitum dederit, morietur (*Exod.* XXVIII). Item : Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jer.* XLVIII). »

Innocentius papa : « Error qui non resistitur approbatur, et veritas cum minime defenditur opprimitur. » Item ejusdem : « Negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. »

Pius papa : « Quid prodest illum errore suo non pollui, qui consensum præstat erranti? Sine dubio contra mandata dimicat, et qui consensum præstat erranti. »

Clemens : « Certissimum est quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni sublimitas homini debet esse pretiosior veritate. »

Fabianus : « Qui omnipotentem metuit Deum, nec contra Evangelium, nec contra apostolos, vel contra prophetias, aut sanctorum Patrum instituta agere aliquid ullo modo consentit. »

Leo : « Qui altos ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. »

Augustinus : « Quisquis metu alicujus potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum. »

Gregorius : « Consentire videtur erranti, qui ad resecanda ut corrigi debeant, non occurrit. » Non igitur quod propter bonum et licitum facimus, sicut superius dictum est, nobis, si quid male inde acciderit, imputabitur.

Quod autem dicis, qui universalis Ecclesiæ curam suscipimus, licet inviti, nunquid vita comite ad tam immane facinus pertrahi debuisti ut temerares torum matris tuæ et patris tui? Et si violentiam sustinuisti, cur saltem jam adulter non resipiscis?

Quod autem obsecras, per Jesum, ne nobilissimam feminarum amplius circumveniam, deludam et fallam, Deum testem invoco, nihil terrenum, nihilque carnale in ea vel ab ea ex intentione concupisco, et sine intermissione oro ut ab hoc sæculo nequam cito eripi merear, nimio affectus tædio, quia incolatum meum prolongari (*Psal.* CXIX) video, serviens die ac nocte in custodiendo illam Deo meo, et sanctæ matri meæ Ecclesiæ, cujus præcepto mihi commissa est; et spero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in ejus custodia excrescat, quæ non in vanum sua dispergit, sed indeficientem in cœlo thesaurizat sibi thesaurum quem tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur (*Matth.* VI), parata pro defensione justitiæ non solum terrena omnia distribuere, sed usque ad sanguinem pro vestra confusione et reverentia ad sanctæ Ecclesiæ gloriam et exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum suum in manu feminæ.

Tu vero memento unde excideris, et age pœnitentiam (*Apoc.* II), si forte remittat tibi Dominus (*Act.* VIII), ut nos, reddita pace Ecclesiæ, voti nostri mereamur fieri compotes. Depone cidarim, aufer coronam (*Ezech.* XXI) et indue lugubribus vestibus, tanto humilior et abjectior omnibus effectus, quanto præ omnibus differentius superbiæ extulisti cornu. Dic regi tuo ut cognoscat aliis omnibus generationibus inauditum facinus suum, qui duos jam adulteros matri suæ ingessit, et calamitates totius orbis, illam præcipue, de qua superius diximus, tecum defleat, quæ novo sceleri nova justo Dei judicio successit. Veni ad dolentem et pro te gementem matrem Ecclesiam, ut ipsa pro te offerat sacrificium acceptum Domino. Sola enim est per quam sacrificium libenter Dominus accipit, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedit, extra quam quicunque inventus fuerit, peribit regnante diluvio, extra quam quicunque agnum comederit, profanus est, de cujus carnibus lex efferri foras prohibet *Exod.* XII). In multis quidem estis secum, sed in hoc nolite gaudere : Illud potius timete quod in eodem psalmo sequitur : « Contaminaverunt testamentum ejus (*Psal.* LIV). » Sicut non profuit Pilato et Herodi vinctus et flagellatus Christus, sic ad impietatem et perditionem vestram magis officiunt sacramenta ejus.

Cum fiducia veni ad pinguedinem matris Ecclesiæ, a cujus utero errasti, ut coalescas ei. Potens enim est Deus iterum te inserere, cui nihil est impossibile, et certe gaudebit in te, irruetque super collum tuum, et prima stola induet, immolabitque vitulum saginatum pro filio prodigo. Omnipotens Deus qui vult neminem perire, qui supra maternum amorem diligit peccatores, illuminet cor tuum gratiæ suæ splendore et reducat ad viam salutis, ut cognoscas quæ sit voluntas ejus beneplacens et perfecta.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

Opitulante Domini Dei nostri clementia, qui nos et sermones nostros suo mirabili nutu regit, atque disponit, accingimur respondere his qui dicunt regali potestati Christi Ecclesiam subjacere, ut ei pro suo libitu vel prece, vel pretio, vel gratis liceat pastores imponere, ejusque possessiones vel in sua, vel in cujus libuerit jura transferre. Et ne diutius exordium protrahamus, in primis dicendum videtur quo modo certum est quod beatissimus Petrus apostolus primus Ecclesiæ pontifex, prius patriarchalibus sedibus Orientis, postmodum vero primos misit pontifices civitatibus Occidentis. Ipsi enim hæc ordinatio maxime

competebat, cui principaliter Christus Dei Filius cœlestis regni clavibus traditis suas oves pascere jusserat, et pro cujus fide ne deficeret specialiter oraverat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare præceperat.

Sed et reliquos apostolos, quos reliquis mundi partibus novimus prædicasse, singulis urbibus, illarum partium quibus quisque verbum Dei prædicavit, itidem pastores non dubitamus misisse. Et quomodo, Spiritu sancto docente, cognoverunt sæculi principes ad fidem venturos, et succedentibus temporibus stimulante avaritia quosdam eorum Dei Ecclesiam suæ ditioni vellle subjicere, suaque auctoritate et libitu Pastores eidem subrogare, inter reliquos canones, quos pro religionis cautela, et ecclesiastica disciplina statuerunt, eorum pravis conatibus hac constitutione obiaverunt, quæ ita se habet : « Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant(*Constitut. apostol.*). »

Hanc autem constitutionem, quæ eorum scribitur, si quis authenticam non esse contendet, sanctæ septimæ universalis synodi CCCL Patrum, nec non et Antiochenæ synodi, quibus authentica esse docetur, eversor; ac per hoc hæreticus judicabitur : Nam et Calistus et Gregorius et quidam alii Romani pontifices, ut curioso lectori notum est, eorumdem apostolicorum canonum auctoritate suas constitutiones firmaverunt, Stephanus vero quartus et Joannes septimus, ut ait Anastasius in prologo septimæ synodi, quinquaginta capitula eorumdem canonum in plenissimum auctoritatis robur recipi censuerunt.

Porro eisdem apostolis decedentibus, Ecclesiæ ubique terrarum consuetudinem ab eis traditam inviolabiliter servaverunt, ut decedente cujuslibet Ecclesiæ pontifice, clerus et populus ejusdem communi deliberatione de suo vel alterius Ecclesiæ clero sibi pastorem præficerent. Et hæc tam sancta tamque Deo grata consuetudo tandiu integra illibataque permansit, quousque fidelium multitudo Dei ecclesias amplissimis possessionibus ditare cœpit. Tunc enim ambitionis Spiritu interveniente, alii suarum, alii etiam aliarum Ecclesiarum cœperunt episcopatus ambire, et nefandi Simonis commercio suis fautoribus, etiam quam non habebant pecuniam promittere. Quod videntes Deo dignissimi Romani pontifices, qui sacerdotii primatum in toto orbe tenebant, scilicet Bonifacius, Cœlestinus, Leo, Gelasius, Symmachus, Hormisda, Gregorius. alii, Simoniacam hæresim prius a Petro damnatam, extunc et in æternum damnaverunt, alii priscam consuetudinem decretalibus constitutionibus ita firmaverunt ut statuerunt nullum ex alia Ecclesia alii Eccleciæ præponi, nisi forte qui suæ digne præficeretur Ecclesiæ in eadem, quod ipsi vix posse contingere crediderunt, nullatenus posset inveniri.

Hanc itaque quam prædixi consuetudinem ab apostolis traditam nullatenus violare præsumpserunt Christianissimi imperatores, Constantinus, Constans, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus, Ludovicus et his imperio et religione consimiles qui vel a se vel ab aliis ædificatas Ecclesias amplissimis donis ditaverunt, et in clero et rebus Ecclesiarum nullum sibi dominium vel judicium vindicare voluerunt, imo ne quis sibi vindicaret, quidam eorum, ut in sequentibus docebimus, legibus vetuerunt.

At contra Zenon et Anastasius imperatores Eutychianistæ, hi leguntur prius sanctam Dei Ecclesiam sibi subdidisse, ita ut catholicos episcopos in exsilio relegarent, et apostolica traditione postposita sibi consentaneos in eorum sedibus videlicet subrogarent. Nam ante horum tempora leguntur quidam hæretici imperatores catholicos episcopos multis modis vexasse; electioni vero et promotioni cujuslibet pontificis nusquam leguntur se immiscuisse, siquidem sub eisdem Eutychianistis et Constantinopoli et in reliquis urbibus, legitur innumerabilis fidelium multitudo cleri scilicet et populi, exstitisse, quod pseudoepiscopos eorumdem nullatenus voluerunt suscipere, ut ex hoc aperte clareat, eumdem clerum et populum idcirco eosdem pseudoepiscopos respuisse, quia constabat eosdem absque sui electione in Dei contemptum, et erroris augmentum a præfatis principibus promotos fuisse.

Et ut exemplo quod dicimus astruamus : Anastasius S. Ecclesiæ Romanæ bibliothecarius, in Chronica quam de Græco in Latinum sermonem transtulit, quamque ex vetustissimis Chronicis Græcorum compilaverunt quidam Græci, Dei cultores, Theophanes scilicet et Georgius, quos idem in ejusdem libri præfatione miris laudibus attollit, in eadem, inquam, Chronica de imperio Anastasii sic inter cætera scribit : « Vicesimo imperii Anastasii anno, Joanne Alexandrino antistite hæretico mortuo, Dioscorus Junior prælatus est episcopus Alexandriæ. Cum autem venisset Constantinopolim pro Alexandrinis apud imperatorem intercessurus, propter occisionem filii Calliopii Augustalis, ab orthodoxis publice conviciis appetebatur cum procederet æstimantibus eum contra recta dogmata advenisse, ergo cum ob homicidium intercessisset cum festinatione discessit. Causa vero cædis ista fuit : Cum idem Dioscorus manus impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes : Quia, nisi secundum quod sanctorum apostolorum canones continent fiat episcopus, non recipietur. Principes vero inthronizaverunt eum. Dioscorus vero venit ad Sanctum Marcum, et venientes clerici induerunt eum secundo, et iterum consecraverunt. Et ita veniens ad Sanctum Joannem perfecit collectam. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopii Augustalis, et Acasius magister militum, turbæ turbatæ, cœperunt injuriis afficere filium Augustalis, eo quod laudaret imperatorem Anastasium. Cum vero jurgium motum fuisset, insilientes quidam a sede posuerunt filium Augustalis, et interemerunt eum : at vero Acacius magister militum, quotquot capere potuit, interfecit,

Quod audiens imperator, iratus est adversus eos, Porro Dioscorus interveniens mitigavit eum. »

Ecce qui primum apostolicam traditionem de pontificali promotione ausi sunt violare, ecce quibus primum auctoribus sæculi principes suos pontifices nituntur Dei Ecclesiæ promovere : Et ut cœpta persequamur, secuti sunt horum exempla hæreticorum quidam Græcorum imperatores, regni sui urbibus, suos episcopos imponentes. Romanæ vero urbi Deo præstante meritis apostolorum qui in ea vivunt et præsident, in hoc pepercerunt, decretum tamen electionis futuri pontificis a clero et senatu subscriptum prius, quam idem consecraretur, sibi mitti statuerunt. Quod cum legatur eisdem imperatoribus, sæpe directum fuisse, nusquam tamen legitur eosdem Romanorum electionem mutasse. Hoc autem quia Deo contrarium erat, ut Ecclesia pontifice careret, usque dum qui decretum ferebat iret et rediret, penitus respuerunt sequentes imp. pietate religioneque præstantes. Sic enim legitur in Romano Pontificali : « Benedictus enim natione Romanus suscepit jussiones clementissimi principis Constantini ad venerabilem clerum, et populum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut qui electus fuerit pontifex e vestigio consecretur absque tarditate. »

Itaque qui advertit alios Græcorum imperatores ante consecrationem decretum sibi mitti voluisse, attendat eosdem Romanam electionem nunquam reprobasse; attendat etiam posteros eorumdem, quia hoc contrarium Deo erat, penitus respuisse. Itaque percurramus sanctorum Patrum decreta quæ de pontificum promotione statuerunt, ut sciamus quid juris imperatoribus suorum vel quorumlibet temporum in eisdem servaverunt.

Leo doctor eximius et primus Ecclesiæ Romanæ pontifex, Anastasio Thessalonicensium episcopo qui vices Romani pontificis super quadraginta episcopos Illyrici et Graciæ habebat, sic inter cætera scribit : « De persona consecrandi episcopi, et de cleri plebisque consensu metropolitanus fraternitati tuæ referat : » Et paulo post : « Metropolitano vero defuncto, cum in loco ejus alius fuit subrogandus, comprovinciales episcopi ad civitatem metropolim conveniant, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex diaconibus optimus deligatur. Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, illle omnibus præponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postulaverit, ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, metropolitani judicio is altari præponatur qui majoribus et studiis juvatur et meritis, tantum ut nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne civitas episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, cui non licuerit habere quem voluit : » Item idem : « Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi nec a plebe expetiti, nec a provincialibus cum metropolitani judicio consecrati. »

Cœlestinus : « Nec emeritis in suis Ecclesiis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui bene suorum merentur civium testimonium præponantur. » Item ibidem : « Nullis invitis detur episcopus; cleri plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur. Tunc alter de Ecclesia eligatur altera, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, qui ibi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque fructum militiæ suæ in ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, id aliena stipendia minime alter obrepat. Sit facultas Cleris renitendi, si se viderunt prægravari, et quos sibi ingeri ex transverso cognoverint non timeant refutare. Quod si non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos est recturus, debent habere judicium.

Gregorius Gaudioso episcopo inter cætera : « Et ideo fraternitas tuas ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et clerum plebemque admonere festinet, ut remoto dissidio uno eodemque consensu talem præficiendum sibi expetant sacerdotem qui a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate electus, omnium subscriptionibus roboratus et dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam ut nullum eligi permittatis de altera Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri, provisurus ante omnia ne ad cujuslibet conversationis meritum lascivæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. »

Ex concilio Nicæno Patrum CCCXVIII, cap. 6 : « Per omnia autem manifestum est quia, si quis præter voluntatem et conscientiam metropalitani episcopi fuerit ordinatus, hunc concilium magnum et sanctum censuit non debere esse episcopum. Sane, si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, obtineat plurimorum sacerdotum sententia. »

Ex VII synodo universali habita a V patriarchis, cum CCCL Patribus sub Adriano primo pontifice, cap. 3 : « Omnis electio episcopi vel presbyteri aut diaconi a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. »

Ex VIII synodo, item universali, habita a V patriarchis cum Patribus CCXL, sub Nicolao primo pontifice : « Promotiones et consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, electione ac decreto episcoporum fieri, hæc sancta et universalis synodus definivit, et statuit atque jure promulgavit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitæ,

aut cujuslibet episcopi, ne videlicet inordinata hinc, A et incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum laicorum habere conveniat, sed potius silere et attendere sibi, quousque regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit se obtemperare asciscentibus, tantum enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam salutem Ecclesia promovet. Quisquis autem sæcularium principum aut potentum, aut alterius dignitatis laicus, adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat, quod Ecclesia de electione B atque ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit. »

Item ex concilio Antiocheno CXXII: « Si quis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur, et ipse et ordinator a communione modis omnibus abscindantur, et sub anathemate sint, sicut Simon Magus a Petro. »

Ex synodo Symmachi pontificis cum ducentis et octodecim episcopis: « Non placuit laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. » In eadem: « Defuncto pontifice, si in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur episcopus. Si vero, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa, convincat sententia pluri- C morum. »

Ex Romano Pontificali: « Benedictus natione Romanus fecit constitutum in ecclesia beati Petri apostoli, in quo sederunt episcopi septuaginta duo; presbyteri Romani triginta tres, præsente clero, sub anathemate, ut nullus, pontifice Romano vivente, aut episcopo civitatis suæ, præsumat loqui aut sibi partes facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato clero et filiis Ecclesiæ, et tunc electio fiat. » Ex eodem: « Stephanus natione Siculus, congregatis episcopis totius Tusciæ atque Campaniæ, considentibus pariter duodecim episcopis Francorum et Romanis presbyteris, in præsentia totius cleri et populi, concilium fecit in ecclesia Constantiniana, in quo damnavit Constantinum neophytum invaso- D rem sedis apostolicæ, et allatis sacris canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem concilio sub anathematis interdicto, ut nullus unquam laicorum neque ex alio ordine præsumat nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter factus fuerit cardinalis, ad sacrum pontificatus honorem promoveri. »

Ex concilio Leonis IV, episcoporum L, cap. 5: « Si quis sacerdotibus, seu primatibus nobilibus, seu cætero clero hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani pontificis contradicere præsumpserit, sicut in concilio beati Stephani legitur statutum, anathema sit. Item quod electio pontificis non pertineat laicis tantum. »

Ex concilio Laodicense, cap. 12: « Non est permittendum turbæ electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi. »

Item ex decreto Cœlestini pontificis: « Docendus est populus, et non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non consensum præbere debemus. »

Decursis itaque tot sanctorum Patrum auctoritatibus, Latinorum scilicet et Græcorum, patet nihil juris imperatoriæ potestati in pontificum electione seu promotione ab eisdem attributum esse, imo ne qua laicalis potestas sibi quidquam in his vindicet, a quibusdam eorum sub anathemate, hoc est, separatione a Deo, inhibitum fuisse. Et certe sub præfatis Romanis pontificibus, leguntur exstitisse potentissimi imperatores, non solum Orienti, sed etiam Occidenti imperantes, scilicet Valentinianus et Theodosius Juniores, Martianus, Mauricius et Phocas. Et cum præfatæ universales synodi, id est, prima et septima a tot Patribus agerentur Niceæ, Christianissimi imperatores Constantinus et item Constantinus et Irene mater ejus adfuisse leguntur; sed et Basilio magno imperatore petente et præsente, legitur octava synodus item universalis Constantinopoli celebrata fuisse. Itaque, cum primo earum censeret non habendum quemquam episcopum sine consilio metropolitani septima vero trium sacrorum ordinum electionem a principibus prohiberet fieri; octava vero sub anathemate interdiceret pontificum electionem laicali potestati. Nunquid qui præsentes aderant imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri, ut nihil de pontificum electione eorum quidem referretur potestati? Imo potius leguntur sanctorum Patrum constitutiones amplexati fuisse, easque quidam eorum, post quinque patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus roborasse. Item, cum contingeret præfatos Romanorum pontifices de pontificum electione decernere, contigit suorum temporum imperatores hoc ad sui imperii injuriam fieri questos fuisse? Non equidem.

Sunt autem quidam, eorum contra quos scribimus, qui putant se quidam magni in sui defensione adinvenisse, cum introducunt Gregorium et Ambrosium a sæculi principibus ad pontificatum promotos fuisse. Quod quia frivolum, quiaque falsum sit, evidenti judicio clarebit; collatis eorum electionibus cum cap. 8 synodi, quod supra scripsimus. Nam quamvis multorum annorum interstitio a se distent, tamen ita sibi concordare videntur ut et synodus et eorum electio vel promotio, uno eodemque Dei Spiritu acta fuisse probentur. Sic enim in gestis eorum describitur vel scriptum habetur: Gregorium, licet totis viribus retinentem, clerus, senatusque et populus Romanus sibi concorditer pontificem sibi delegerunt. At ille cum decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simu-

lavit, et imperatori Mauricio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans, ne unquam assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimarent. Sed præfectus urbis, Germanus nomine, ejus nuntium anticipavit comprehensumque ac diruptis epistolis, consensum quem populus fecerat imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris, ut cupierat, reperisset, ipsum ordinari præcepit. » (*Ex Gestis Gregorii.*)

Item in Gestis Ambrosii : « Cum populus magis magisque acclamaret : Peccatum tuum super nos. Cumque ille videret suam intentionem nihil posse proficere, fugam paravit, egressusque noctis medio civitatem cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis quæ dicitur Romana, invenitur. Cumque inventus custodiretur a populo missa relatione ad imperatorem clementissimum Valentinianum, qui hoc summo gaudio accepit, quod judices ad se directi ad sacerdotium peterentur. »

Ecce ex his et præfato capite patentissime colligitur, juxta priscam consuetudinem præfatos pontifices electos fuisse; sed quia nullatenus promoveri patiebantur, cum in alterius electione præfectus vice Romanorum, Mauricii : in alterius vero populus Valentiniani legitur auxillium expetisse, patet profecto, juxta cap. 8 synodi, Ecclesiam sæculares potestates in sui adjutorium invitasse, easque non imperio sed obedientia tunc usas fuisse. Quod quidem non videtur nobis fieri non licere, si contingat dignum quemlibet consensum in sui promotionem præbere regalem vero potestatem contingat in eadem diœcesi adesse, ut Valentinianus tunc in Mediolanensi legitur adfuisse. Ut autem quæratur extra diœcesim, cum longo intestitio possit abesse, absurdissimum est, cum sanctissimorum Patrum legibus statutum sit ne intra tres menses viduatam relinquant Ecclesiam a pontifice.

Quod vero in Historia tripartita legitur Valentinianus imp. dixisse Ambrosio: *Deus tibi commisit animas, ego corpora*: quam pessime cohæreat præcedentibus,qui legit intelligat. Valde enim contrarium videtur, et hoc eum dixisse, et ut a se pontifex eligeretur, quod ibidem præmissum est, nullatenus consensisse.Hoc autem nihil nobis adversatur,cum beatus Gregorius eamdem Historiam mendosam et a Romana Ecclesia repudiatam affirmet.

Sunt item qui objiciunt : Nicolaum Juniorem decreto synodi constituisse, ut obeunte apostolico pontifice successor eligeretur, et electio ejus regi notificaretur. Facta vero electione, et ut prædictum est, regi notificata, ita demum pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum præfatum regem et optimates ejus se ea constitutione indignos fecisse, primum quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter, tulerunt, cumque hujus gratia, quantum in se erat, a papatu deposuerunt, et nomen ejusdem in canone consecrationis nominari vetuerunt : ideoque decretum ejus de jure irritum esse debebit, quia cum a toto orbe papa haberetur juxta eorumdem sententiam eisdem papa non fuit, quasi non ex Dei sed eorum tantum penderet voluntate, quempiam quemlibet esse vel non esse; Romanus enim pontifex, ut sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano jure a quolibet potest judicari. Deinde quia cum in eodem decreto cautum esset ut Romæ pontificis electio a Romano clero et populo agerent, et postea regi notificaretur, ipsi præfatum decretum violantes, elegerunt quod eis non licebat, prius Cadalaum Parmensem, postea Wibertum Ravennatem, induentes eos apostolicis insignibus, vocantes apostolices apostatas, Antichristi præcessores. Præterea autem præfatus Wibertus aut sui ut suæ parti favorem ascriberent,quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt a se dissidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri. Quare autem decretum est, quod a se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?

Sed ut tandem invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus, unus scilicet patriarcha, cum quolibet episcoporum concilio, non potuit abrumpere, imo nec mutare, non obviantia fidei, præfata decreta sanctorum quinque patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Jerosolymitani, Constantinopolitani, et ut ex numero præfatis synodis apposito colligi potest, sanctorum Patrum, numero CCL et eo amplius, tot quidem leguntur præfatas constitutiones suis temporibus statuisse, in quibus non inveniuntur quidquam regiæ potestati in pontificum electione seu promotione concessisse imo, ut prædictum est, considentibus cum eis Christianissimis imperatoribus et non contradicentibus, leguntur sub perpetuo anathemate vetuisse. Quod si hoc vindicandum est ex Græcorum imperatorum consuetudine, vel ex Ambrosiana vel ex Gregoriana electione, constat, ut præmissum est, eosdem ipsos hoc veluti Deo adversum respuisse, eorumdem vero pontificum electionem et promotionem VIII synodo quamvis præpostere concordasse.

Et quamvis decretum, de quo agimus, a præfatis Ecclesiæ legibus penitus enervetur, videamus tamen adhuc quid de eo iterum Ecclesiæ et sæculi leges censeant, ut penitus evacuetur. Ex synodo papæ Hilarii, cap. 4: « Illud quod quisque commisit episcopus illicite aut et a decessoribus invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit: Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inveniet. »

Gelasius Cresconio Joanni et Messalæ episcopis inter cætera : « Decessorum statuta sicut legitima et justa, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere. »

Pelagius Armentario magistro militum, inter cæ-

tera : « Postea quam Ecclesiæ jura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam pontifex vel si velit permittatur habere licentiam. »

Adrianus Engelramino : « Constitutiones contra sancta decreta Romanorum præsulum, nullius sint momenti. »

Gregorius in Registro : « Imperiali constitutione aperte sancitum esse ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. »

Ex Romanis legibus : « Id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur. » Item : « Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est. » Et item : « Contra jus rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica jura præscribunt, magis sequi judices debent. » Et infra : « Personalia rescripta quæ cum jure concordant, valeant more veterum, et negotii de quo loquitur nostra rescriptio finis latæ sententiæ terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac juri importat injuriam, abolitum exstirpetur. » Item ? « Illa sacra uniuscujusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, et effectui mancipentur, quæ cum juris et legum ratione concordant : ea vero quæ surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium. »

His itaque decursis patet præfatum decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid jurium habuisse. Et hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum sententias Dei Spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret subripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inveniatur quiddam decrevisse, et meliori usus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifacius secundus legitur ex decreto constituisse Vigilium diaconum sibi in pontificatu succedere. Quod quia Romano clero visum est canonibus adversari, præsente clero ab eodem suppositum est igni, ante confessionem beati Petri apostoli. Et certe præfatus Nicolaus divino metu concussus hoc idem fecisset, si tot Patrum sententias tunc in unum collectas, vidisset, easque suo decreto tam concorditer adversari perpendisset.

Beatus quoque Augustinus librum Retractationum composuit, in correctionem eorum quæ prius incaute descripsit, et ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit : ait enim in prooemio ejusdem libri : « Neque enim quisquam nisi impudens, ideoque mea errata reprehendendo me reprehendere audebit. Sed et si dicit, non debuisse ea a me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, et mecum facit : eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum : sed sicut volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri. Quæ dixit : *Si nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur (I Cor.* xi). »

Excommunicatio autem quæ in præfato decreto terribiliter profertur a Wicberto, aut a suis fautoribus, indita creditur, quoniam in antiquioribus ejusdem decreti exemplaribus, longe aliter habetur. Et hæc quidem veniet super eos qui eam ibidem in sui favorem indiderunt, et super eos qui eam timendam esse dicere præsumunt : super illos quidem, ut incidant in foveam quam foderunt, et ut apprehendat eos captio quam occultaverunt : super hos autem, quoniam illi trepidaverunt timore ubi non esset timor, quoniam Dominus in generatione justa est. Nam si in generatione justa est, in præfatis Patribus fuit, et per eos locutus est, ideoque illorum maledictio sicut Dei pavenda est. De maledictione vero illorum qui eorumdem Patrum decretis non obediunt, dicit idem Dominus per prophetam : « Benedicam maledictionibus vestris (*Malach.* ii) ; » et item : « Maledicent illi et tu benedices (*Psal.* cviii). » Et Salomon : « Sicut avis in contrarium volans, et passer quilibet vadens : sic maledictum frustra prolatum super eum veniet qui misit illud (*Proverb.* xxvi). » Hoc contra decretum cujus se Wicbertus auctoritate defendit, ut doceat se esse quod non est, nec unquam esse poterit.

De numero vero annorum quibus hæc damnabilis consuetudo permansisse dicitur, ut sæculi potestas pro suo libitu pontifices promoveat, jure causari non potest. Nam de diversis consuetudinibus, illa potissimum sequenda est, quæ cum originem sumeret, catholicos Patres suorum priorum Patrum vestigia sectantes auctores habuit, sicut Patres septimæ et octavæ synodi secuti sunt statuta sanctorum Patrum Romanorum pontificum, et illi consuetudinem ab apostolorum temporibus, per omnes Ecclesias observatam. Ea vero perversitas, quæ a sæculi principibus superinducta est, non præjudicat eidem sanctæ consuetudini quantalibet temporum obtinuerit curricula. Alioqui Dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israel longissima consuetudine sub servitute detentos, tum sub Pharaone, tum sub Cyro vel Dario liberavit, et humanum genus sub diaboli servitute longa consuetudine detentum, post quinque millia annorum curricula propria morte redemit. Præterea cum Veteris et Novi Testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui reges adulterium commiserint, nunquid eorum auctoritate posteri reges adulterari sibi licitum putabunt ? Absit.

Et quidem certum est regum contra leges commissa nullatenus sequenda esse, leges vero ab eisdem calcatas in suo statu manere debere. Hinc est quod sancti Dei martyres et Romani pontifices in suis statutis inseruerunt dicentes : « Non licet imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divinitatis mandata præsumere. Injustum enim judicium et definitio, regis metu vel jussu a judicibus ordinata, non valeant : nec quidquid

contra evangelicæ vel propheticæ aut apostolicæ doctrinæ constitutionem sive sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, et quod ab infidelibus et hæreticis sanctum erit, omnino cassabitur.

Item Adrianus ad Engelrammum episcopum cap. 48 : « Item generali decreto constituimus ut exsecrandum anathema fiat, et veluti prævaricator catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunque Regum vel potentum deinceps canonum censuram in quocunque crediderit vel permiserit violandam. » Item idem ad eumdem : « Constitutiones contra sancta decreta Romanorum præsulum, nullius sint momenti. »

Si autem omnis plantatio, quam Pater cœlestis non plantavit, eradicabitur, et si, ut prædictum est, quod ab infidelibus et hæreticis actum fuerit, omnino cassabitur, nunquid hæc impietas Eutychianistarum imperatorum cassari, et eradicari non debet? Certe quisquis ecclesiasticus pro suo officio vehementer non accenditur, ut tanta pravitas a Dei domo radicitus evellatur, zelo ejusdem domus Dei non comeditur, et apud Deum canis mutus latrare non valens reputatur. Quis enim non advertat hanc pestem seminarium esse Simoniacæ hæreseos, et totius Christianæ religionis lamentabilem destructionem? Nempe cum dignitas episcopalis a principo adipisci posse speratur, contemptis suis episcopis ac clericis Dei Ecclesia deseritur, et ab aliis quidem ingens pecunia aulicorum marsupiis infunditur, ut eorumdem suffragia ad tam nefariam promotionem mercantur, ab aliis infinitæ pecuniæ dispendio plus decennio in sæculari curia deservitur, æstus, pluviæ, frigora, et cætera incommoda patientissime tolerantur ; ab aliis autem vel sui pastoris, vel cujus honorem ambiunt mors incessanter optatur, ab alio alii vehementer invidetur, dum quod sibi sperat ab eo subripi posse putatur; imo proh dolor ! in tantam Dei injuriam interdum prosilitur, ut et servis et fornicariis dignitas ista præstetur. Tales quippe cum adepti fuerint, quod taliter expetierunt, peccantes sæculi potestates, nullatenus præsumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt, imo ne redarguere præsumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem et lanam accipiunt, sed perditissime viventes omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptum est : « Ruina populi sacerdotes mali (*Isa.* xxiv). » Et item : « Et erit sicut populus, ita et sacerdos (*Ose.* iv). » Sacerdotes quippe a populo non videntur distare, cum quisque certatim se popularibus actionibus studet implicare. Nam cum nemo Deo militans implicet se sæcularibus negotiis, quidam eorum non canonum, sed canum et accipitrum studia, et reliquos mundis luxus exercent : quidam autem, quasi Deus laudet in sacerdote quod reprehendit in divite, amiciuntur peregrinorum pellibus, et, relictis suis cathedralibus ecclesiis, assistunt imperatoribus, cum canones Spiritus Dei conditi prohibeant pontifices palatia regis adire, sed si qua suggerenda sunt per suos diaconos potius intimare. Cumque iidem sacri canones prohibeant sub interminatione, quemque pontificem a sua cathedrali ecclesia tribus Dominicis diebus abesse, alios quidem eorum vix ter aut quater in anno, et hos vix anno integro contingit easdem revisere. Et ut soli non peccent, sed fiant ut scriptum est : « laqueus juvenum (*Isa.* lxii), » dant exemplum clericis suas itidem ecclesias deserere, et sub spe episcopandi regum curiæ militare.

Sed objicitur, clericos ut divina officia principibus exhibeant, eorumdem inhabitare curiam oportere, quasi non sit justius apud Deum, et apud homines convenientius, quemque episcopum in cujus diœcesi contingit principem adesse, eidem idoneos et religiosos clericos ad divina mysteria celebranda dirigere, et pro temporis diuturnitate, qua idem ibidem moratur, alios aliis jubere succedere.

His tantis cladibus quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius septimus obviare cupiens, Romana synodo quinquaginta episcoporum, considente presbyterorum et abbatum multitudine, per omnia sanctis præfatis Patribus consonantia decreta statuit, dicens : « Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos habeatur, nec ulla ei ut episcopo aut abbati audientia concedatur, insuper ei gratiam beati Petri et introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cœpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus et ecclesiasticis dignitatibus, constituimus. » Item : « Si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet sæcularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum, vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat. »

Et quoniam sanctorum auctoritate monstratum est, pontificum electionem sæculari potestati non subjacere, libet adhuc Christianissimorum imperatorum, quas hac de causa sanxerunt constitutiones ad medium deducere, ut pateat nobis, si quid juris in eadem causa voluerunt vindicare. Hoc enim Carolus et Ludovicus gloriosi imperatores in primo libro Capitulorum suorum statuerunt : « Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi, secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut verbo et exemplo sibi subjectis prodesse valeant. » Certe constitutio hæc tam consonantissima sanctorum Patrum constitutionibus esse perpenditur, ut si vel a Nicæna vel qualibet etiam universalium synodorum promulgaretur, non minus Spiritu Dei per istorum ora, quam per eamdem prolata crederetur. Hoc quippe docet hunc esse

honorem, hanc esse libertatem sanctæ Ecclesiæ clerum scilicet eidem et populum sibimet pontificem eligere debere, hoc in electione canonum statuta servanda esse commemorat, hoc Simoniacam hæresim prohibendo impugnat, hoc vitæ meritum et sapientiam pastoris electione quærenda demonstrat, et, quod mirum est, brevissime videtur tangere quod beatus Gregorius scribit de pontifice scilicet : « Ut quisquis perpendere debeat qualiter ad pontificatum veniat, et rite veniens qualiter doceat, et recte docens qualiter vivat. »

Patet itaque sanctorum Romanorum præsulum auctoritate et Patrum, sanctarum universalium synodorum septimæ atque octavæ, pontificum electionem cleri et populi cujusque esse debere : patet quoque Christianissimos imperatores, Constantinum, Constantem, Valentinianum, Theodosium, Arcadium, Honorium, Carolum, Ludovicum, cæterosque fide et religione prestantes, eamdem consuetudinem ab apostolorum temporibus observatam minime violasse. Patet etiam item Christianissimos imperatores Constantinum Magnum, et item Constantinum, et Eirenen, et Basilium, Carolum quoque et Ludovicum, præfatam electionem sæculari potestati legibus abstulisse, quanquam si etiam eorumdem sanctionibus hoc non prohiberetur, patriarchalium sedium auctoritati non minus obaudiretur. Pontificibus enim, non imperatoribus, legitur Deus dixisse : « Quæcunque alligaveritis super terram, errunt ligata et in cœlis, etc. (*Matth.* XVIII). » Item primo pontifici : « Pasce oves meas (*Joan.* XXIII.) » Item apostolis omnibus : « Euntes docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). » Patriarcharum enim tanta est auctoritas, ut omnimodis hæreticus comprobetur, quisquis eorumdem synodicis constitutionibus, obviare nititur. Quæcunque enim communiter statuerint sequenda, ab omni Ecclesia serventur, quæcunque docuerint respuenda, respuantur, nec unquam a quolibet, nisi forte ab eisdem eorumdem commune judicium retractabitur. Firmamentum enim Christianæ fidei in eorum sedibus per beatum Petrum sessorem earumdem, ita Deus locavit, ut si unus ex tribus principalibus patriarchis ceciderit, duo stent; quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne deficiat a Christo oratum sit, unius scilicet Romani patriarchæ fides in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiat. Quod utique Christus Deus noster jam ostendere dignatus est, in universalibus synodis, jam ab ipsius ascensione octies universaliter celebratis. Nam uno vel duobus a fide corruentibus, Romanus in ejusdem fidei fundamento licet pulsatus, licet concussus, tamen stetit immobilis. « Cœlum enim et terra transibunt, verba autem ejus non transibunt, » qui dixit : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, etc. (*Matth.* XVI). »

Caveant itaque sæculi potestates sequi quod Eutychianistæ imperatores adinvenerunt, ne quod absit! eum eis pariter puniantur, quorum tam pravas actiones imitari maluerunt. Permittant sanctæ Dei Ecclesiæ uti suo jure, et honore scilicet secundum sanctorum Patrum sanctiones pontifices sibi deligere et promovere.

Et quoniam supra diximus hanc pestem Simoniacæ hæreseos seminarium esse, operæ pretium est adversus ejusdem hæresis sacerdotes insurgere, et de eorum sacerdotio et sacrificio Patrum sententias in medium adducere.

In epistola, septimæ synodi universalis, Adriano papæ directa, sic inter cætera legitur : « Eos qui per pecuniam manus imposuerunt vel imponunt. Petrus divinus apostolus, cujus cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem Magum deponit. Tolerabilior enim est Macedonii et eorum qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam, et servum Dei Patris et Filii Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti suum spiritum sanctum efficiunt servum : Omnis enim dominus qui habet, si vult vendit, sive servum, sive aliquid eorum quæ possidet : similiter et qui emit, dominus volens esse ejus quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemaverunt dicentes : in Beelzebub ejicere Christum dæmonia (*Luc.* II), atque, ut verius dicamus, Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit. Cumque sanctus Spiritus consubstantialis sit Christo, ejus ipsi proditores erunt. Et procul dubio non est in eis gratia Spiritus sancti, id est sacerdotii sanctitas. Nam qui non acceperunt, non habent : Ait enim Petrus Simoni : « Non est tibi pars neque sors in sermone isto quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri (*Act.* VIII). » Nam et vigesimus et octavus canon apostolorum, et actus eorumdem, tertius et quartus liber Regum, alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum, qui aliquam dederit vel acceperit pecunian in aliquo tempore, sive ante manus impositionem, sive in manus impositione, sive post manus impositionem : Accipere enim est quandocumque accipere. » Item ex ultima epistola ejusdem synodi : « Omnis ergo episcopus vel presbyter, aut diaconus convictus, quod per pecunias manus impositionem dederit vel acceperit, et a sacerdotio et gradu decidat. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus pro peccato, et Dominus ignoscet illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, et indulget per pœnitentiam peccata quæ jam patrata sunt; » et infra : « Sed quia secundum Apostolum, irreprehensibilis debet sacerdos esse, qui per pecunias quemquam consecrat, vel consecratus est, alienus est a sacerdotio, sicut omnis Ecclesiæ scimus alumni ex Canonicis disciplinis eruditi. »

Item ex epistola Paschalis papæ Mediolanensibus missa : « Si quis objecerit, non consecrationes sed res ipsas quæ consecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sa-

pere. Nam cum corporalis Ecclesiæ, episcopus vel abbas sine rebus corporalibus exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit sine quo alterum haberi non provenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen objectionem sacer Chalcedonensis canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Ecclesiæ subjectum, adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat.

Quid plura? Si anathematizati et excommunicati, ut et vere hæretici, Simoniaci et neophyti ab Ecclesia sunt separati, quis non videat quod hujusmodi sacerdotum missæ et orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim : « Veri sacrificii locus extra catholicam Ecclesiam non est. » Et item : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devito* (*Tit* III). Quando ergo tales episcopos vel abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eorum missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat. « Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri (*Act.* VIII). » Ubi cum existimasti dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quia se posse facere credidit, condemnatur, cum minus sit existimare quam credere. In hoc ergo quod subjungitur, « non est tibi pars neque sors in sermone isto (*Ibid.*), » patenter ostenditur quia nihil sacræ ordinationi in hac promotione percipitur.

Item ex Registro beati Gregorii ad Sigium, inter cætera : « Cur non perpenditur, cur non advertitur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc ut hæreticus fiat promovetur? » Item, idem in eodem : « Grave omnino et ultra quam dici potest facinus est, sanctum Spiritum qui omnia redemit, venundari. »

Item Ambrosius in Pastorali : « Nempe hoc est quod nimis doleo, quia archiepiscopus cum per pecuniam aliquem episcopum ordinaret specialiter, ordinavit leprosum. » Item ibidem : « Quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit : » Item ibidem : « Aurum dans perdidisti, et sanctam gratiam non acquisivisti. »

Hactenus de Simoniacorum sacerdotio, nunc de eorum sacrificio Patrum sententias perscrutemur.

Cyprianus in epistola ad Cornelium : « Existimat aliquis summa et magna, aut non sciente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, et sacerdotes, id est, Dei dispensatores non erunt de ejus sententia ordinati, hoc et fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de ejus sententia ordinati, hoc est fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed de ejus sententia non ordinantur sacerdotes, qui extra Ecclesiam fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim prophetis ponit et dicit : « Sibimetipsis regem constituerunt, et non per me (*Osee* VIII). » Et iterum : « Sacrificia eorum tanquam panis luctus; omnes qui manducant ea contaminabuntur (*Osee* IX). » Et per Isaiam Spiritus sanctus clamat et dicit : « Væ vobis, filii desertores; hæc dicit Dominus : Habuistis consilium et non per me, et fecistis conventionem non per Spiritum meum, adjicere peccata super peccata (*Isai.* XXX). »

Hieronymus super duodecim prophetas : « Odit Deus sacrificia hæreticorum, et a se projicit, et quotiescunque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fetorem eorum, et claudit nares suas : Odisse autem et projicere et non odorari, humana loquitur consuetudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus. Et si holocausta obtulerint, videantur jejunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera non ea suscipit Dominus. Non enim sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium respicit voluntatem. »

Pelagius Viatori et Pangratio inter cætera : « A schismaticorum sacrificiis potius autem sacrilegiis abstinere debetis. » Item in eadem epistola : « Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit : Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine apostoli reprobatione configere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Similiter enim cum ab ea quisquam discesserit, esse desistit Ecclesia. Unum in Jerusalem templum est idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit. »

Gregorius in Registro : Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata. »

Hæc itaque tam patentia tamque manifesta sunt ut dilucidari non egeant. Patentissime namque Simoniacorum, sacerdotium et sacrificia irrita esse demonstrant, quamvis quidam scripserit, quod sicut in baptismate Simoniacorum, ita et in eorumdem sacrificio virtus Spiritus sancti cooperaretur, scilicet ut non eisdem sit verum et salutare sacrificium, sed his quibus exhibetur. Quod ex præmissis Patrum sententiis apertissime refellitur, et maxime ex eo quod dicitur : *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omes qui ea manducant contaminabuntur* (*Osee* IX). Non enim exhibitio baptismatis, et sacrificii Dominici corporis, omnino simili sibi collatione conferri valent. Nam necessitate urgent omnie baptizato conceditur baptizare, sub fidei interrogatione, et nomine Trinitatis, et trina mersione, quod utique concessum est propter eum qui periculo mortis urgetur, ne si tunc ad sacerdotem cum non adfuerit curratur, subito non valeat inveniri qui baptisma ministret. Solis autem sacerdotibus licitum est Dominicum corpus conficere, quod quidem non baptizato illico morituro necessarium non est. Baptisma enim præcedit Dominici corporis præ-

ceptionem, ideoque necessarium est ut per quemlibet baptizetur antequam Dominicum corpus a moriturо expetitur. Magis namque dolendum est quempiam absque baptismo humanis rebus excedere quam baptizatum absque eucharistiæ communione, quamvis sine utroque non salvetur, qui quidem utrumque posset sumere. Nam qui dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III)); » idem dixit : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI), » ideo autem dixi de potentia sumendi utrumque, quoniam parvulus modo natus modo renatus non valet carnem Dominicam manducare, licet sanguinem ejusdem possit vix ori infusum deglutire. Nam quod dicitur : « Nisi manducaveritis, » de his qui manducare possent, accipiendum puto. Nemo enim dicit de eo qui manducare non potest, sed de eo qui potest.

His ita decursis dicendum videtur hæresin Arianorum, et Sabellianorum, et Macedonianorum, et Photinianorum, atque omnem generalem hæresim a S. Dei Ecclesiæ impugnatione cessasse, et Deo pro eadem pugnante cessaturam, si qua deinceps existimatur oriri posse. Hæc vero, id est Simoniacorum hæresis, quæ in initio nascentis Ecclesiæ adversus eam statim arma corripuit, usque in finem sæculi, prout sibi diabolus vexilliferos et sequaces inveniet, et ad ejusdem probationem eamdem impugnare non cessabit. « Oportet enim hæreses esse, » ut ait B. Apostolus, « ut qui probati sunt manifesti fiant (*Cor.* XI). » Sed animadvertendum est, quod Christus Deus, qui suam Ecclesiam super fidei petram ædificandam promisit, primo omnium hæreticorum apostolorum opposuit, videlicet, ut sicut Ecclesia, id est credentium multitudo novit se fidem Petri semper debere sequi, sic in perpetuum meminerit ejusdem nefariæ hæresis virosa et mortifera consortia fugere, in cujus capite constat omnium Christianum principem maledictionis jaculum intorsisse. Hæc cum ita sint, quicunque pro suo posse ab hujus pestis impugnatione cessaverit, cum Simone et ejus sequacibus portionem habebit, dicente B. Gregorio : « Quisquis contra Simoniacorum hæresim et Neophytorum pro officii sui loco vehementer non asserit, cum eo se non dubitet habere portionem, qui prius hoc piaculare flagitium commisit. »

Sciendum est autem quod aliud est hæreticum esse, aliud schismaticum. Siquidem est, qui catholicæ Ecclesiæ fidem relinquit, et sui vel alterius erroris viam sequi diligit. Item juxta beatum Isidorum : « Qui sacram Scripturam aliter interpretatur quam flagitat sensus Spiritus sancti per quem scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellari potest. » Schismaticus vero est qui quidem rectam se confiteri fidem simulat, sed sanctorum Patrum traditiones superbe contemnit, et se aliqua malevolentia ab unitate Ecclesiæ scindit.

Item juxta sanctum Augustinum : « Hæreticus est, qui non sequitur catholicam veritatem. Schismaticus est qui non amplectitur catholicam pacem. »

Item papa Pelagius in suo Regesto introducit beatum Augustinum ita definientem schisma in epistola ad Valerianum patricium ; inter cætera : « Vide utrum schismatici non sint, qui se ab eminentissima et manifestissima auctoritate apostolicarum sedium separaverunt.

Item, idem Pelagius in epistola ad Viatorem et Pangratium inducit Augustinum ita dicentem : « Qui adversum auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ apostolicas sedes et epistolas accipere meruerunt, temere credit, immanissimum schismatis crimen a se propulsare non poterit. »

Hæc cum ita sint, ex his patet eos esse Ecclesiam qui apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem sequuntur ; eos vero omnibus modis esse schismaticos, qui contra præscriptas auctoritates apostolicarum sedium, et sanctorum Patrum plus quam CC pontifices in Ecclesia Dei ordinare nituntur.

« Schismaticus vero juxta Antiochenum concilium, si permanserit turbas faciens et seditiones Ecclesiæ, per extraneas potestates tanquam seditiosus comprimendus est. » — « Multa namque, ut ait Augustinus, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nollet ut doleat, qui etiam invitus videtur dolere sanandus. »

Item Pelagius Valeriano patricio : « Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si, ut quidam putant, nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ et malis pœnam et bonis præmia justitia suadente constituunt. Malum autem schisma est etiam per extraneas potestates opprimendum. »

Itaque si, ut ex his patet schismatici per extraneas potestates sunt opprimendi, nunquid et Simoniaci ab eisdem non sunt opprimendi ? Nunquid minus delinquunt? Imo magis. Nam si Christus Dei Filius et Spiritus ejus et Patris per omnia æquales sunt Judæus et Simoniacus, qui utrumque vendunt, pares non erunt? Item cum ex præmissis auctoritatibus constet, Simoniacum Paracletum emere, Judæum vero liqueat Christum emisse, nunquid constabit eosdem malitia et merito pares habendos esse? Et quidem ita videtur.

Patet itaque Simoniacos, veluti primos et præcipuos hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos, et si commoniti non resipuerint, etiam ab exteris potestatibus opprimendos. « Verendum quippe est, ut ait Gregorius, quemque pro suo officio et loco contra eosdem vehementer non inardescere, eorumque detestando errori totis nisibus, non obviare. » « Error namque, ut ait Innocentius papa, cui non resistitur, approbatur, et veritas cum minime defensatur oppri-

mitur. » Item idem. « Negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere. »

Augustinus : « Quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum. »

Ambrosius : « Consentire est, non solum scienter mala fieri permittere, sed etiam malefacta non persequi. »

Gregorius : « Qui non corrigit resecanda, committit. » Item in Moralibus : « Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen jam intrinsecus respicit, si in se flamma sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos objicere, et perversis ad injusta prorumpentibus etiam cum ab eis non quærimur obviare. Nam cum justitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur. »

Et quoniam a quibusdam eorum ignorantia, a quibusdam vero negligentia, ab aliquibus autem A superbiæ contumaci delinquitur, optimum est ut primum levius mitiusque cum eisdemet cum schismaticis agatur, et ut pro eis oretur, « ne forte, » sicut ait Apostolus, « det illis Deus reprobum sensum, ut si resipiscant a laqueis diaboli, a quibus alligati tenentur (*Rom.* I, *II Tim.* II). » Quod si rationi non acquiverint, Simoniaci pariter et schismatici, ut incurabilia membra ab Ecclesiæ corpore abscindantur, et ut dictum est, ab exteris potestatibus opprimantur.

Sciendum est Augustinum de omnibus hæreticis et schismaticis ad quemdam Petrum sic scripisse : « Firmissime tene et nullatenus dubites, omnes hæreticum et schismaticum quantumvis multas eleemosinas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem C fundat, cum diabolo et angelis ejus æterno igni mancipandum, nisi ante finem vitæ hujus catholicæ incorporetur et reintegretur Ecclesiæ.

Hactenus contra eos qui dicunt Dei Ecclesiam et pontificum ejus ordinationem regiæ potestati subjacere, contraque Simoniacorum sacerdotium et sacrificium salis dictum. Nunc restat de facultatibus Ecclesiæ dicere, quas iidem contendunt sub regia ditione manere.

S. ANSELMI COLLECTANEA

(Apud CANISIUM, *Antiquæ Lectionis*, tom. VI, pag. 235.)

LECTORI

In manuscripto codice quo usi sumus, subjiciebantur sequentes sententiæ, ab ipso, ut videtur Anselmo, ex variis auctoribus collectæ, quibus demonstrare studet Ecclesiæ facultates non esse in potestate regis aut Cæsaris. Quo fit, ut ea quæ sequentur aut sint altera pars secundi libri ; aut totius operis liber tertius. Utrum tamen nihil desideretur, non injuria ambigas.

Albinus in libro secundo super Matthæum.

D « Invenit Jesus in templo vendentes boves et oves et columbas et nummularios sedentes : et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs, ac mensas subvertit (*Matth.* XXI ; *Joan.* II). » Boves, oves et columbæ ad hoc emebantur, ut offerrentur in templo. Nummularii ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licite vendi in templo, quia ad hoc emebantur ut in eodem templo offerrentur Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenæ negotiationis ne ejus quidem quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores injustos, et foras simul omnes cum his quæ negotiabantur ejecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus facere Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in templo vidit et eliminare festinavit?

Hæc propter illos diximus, qui ecclesiam ingressi non solum intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent, insuper et arguentes se pro hujusmodi stultitia conviciis odiisque, vel etiam detractationibus insequntur, addentes videlicet peccata peccatis, et quasi funem longissimum sibi incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti judicis examinatione damnari. Nam qis quidem in sancto Evangelio legimus quod veniens in templo Dominus hujusmodi negotiatiores ejecit, primum videlicet, id est, tertio ante passionem suam anno, sicut ex Joannis Evangelistæ sequentibus scriptis agnoscimus, et ipso quo passus est anno, cum ante quinque dies Paschæ sedens asino Jerosolymam venisset. Sed hoc idem in templo jam sanctæ Ecclesiæ, E examine quotidianæ visitationis agere, omnis qui recte sapit, intelligit.

Unde multum tremenda sunt hæc, dilectissmi, et digno expavescenda timore, sedulaque præcavendum industria, ne veniens improvisus, perver-

sum quid in nobis unde merito flagellari ac de ecclesia ejici debeamus, inveniat. Et maxime in illa quæ specialiter domus orationis vocatur, observandum, ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apostolo: « Nunquid domos non habetis, » ad agenda vel loquenda temporalia, « aut Ecclesiam Dei contemnitis? » (*I Cor* II.) Etiam a propheta cum Judæis: « Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa (*Jer.* VI). »

Et quidem gaudendum est, quia ipsi sumus in baptismo templum Dei facti, testante Apostolo, qui ait: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III), » ipsi civitas regis magni de qua dicitur: « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI), » id est, fundamenta Ecclesiæ in soliditate fidei apostolorum et prophetarum. Sed nimis tremendum, quia præmisit Apostolus dicens: « Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III). » Et ipse judex justus: « Disperdam, inquit, de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem (*Psal.* C). » Gaudete quia in nobis Paschæ solemnitas agitur, cum de vitiis ad virtutes transire satagimus; Pascha quidem *transitus* dicitur. Gaudendum quia Dominus nostra pectora, civitatem videlicet suam invisere, quia idem Pascha nostræ bonæ actionis præsentia suæ pietatis illustrare dignatur, sed timendum satis ne nos in civitate sua aliud quam ipse diligit agentes inveniat, et ipse se nobis qualem non diligimus districtus redditor ostendat, ne nos in templo nummularios, ne venditores boum, ovium, columbarumve reperiens damnet.

Boves quippe doctrinam vitæ cœlestis, oves opera munditiæ et pietatis, columbæ sancti Spiritus designant, quia nimirum boum juvamine solet ager exerceri; ager autem est Domini, cor cœlesti excultum doctrina, et suscipiendis verbi Dei præparatum rite sermonibus; oves innocenter sua vellera vestiendis hominibus præstant, Spiritus super Dominum in columbæ specie descendit. Vendunt autem boves, qui verbum Evangelii non divino amore, sed terreni quæstus intuitu audientibus impendunt, quales reprehendit Apostolus, quia Christum annuntiarent « non sincere (*Philipp.* I). » Vendunt oves, qui humanæ gratia laudis opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: « Quia receperunt mercedem suam. (*Matth.* VI). » Vendunt columbas, qui acceptam Spiritus gratiam non « gratis (*Matth.* X), » ut præceptum est, sed ad præmium dant, qui impositionem qua Spiritus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt, qui sacros ordines non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. Nummos mutuo dant in templo qui non simulate cœlestibus sed aperte terrenis rebus in Ecclesia deserviunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II).

Verum hujusmodi operarios fraudulentos quæ merces manet, ostendit Dominus, cum facto de funiculis flagello, omnes ejecit de templo. Ejiciuntur autem de parte sortis sanctorum, qui inter sanctos positi, vel ficte bona, vel aperte faciunt opera mala. Oves quoque et boves ejecit, quia talium vitam pariter et doctrinam ostendit esse reprobam.

Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, incrementa sunt actionum malarum, de quibus materia damnandi reprobos districto judici datur. Hinc etenim dicit Isaias: « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis (*Isai.* V). » Et in Proverbiis Salomon: « Iniquitates, inquit, suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur (*Prov.* V). » Qui enim peccata peccatis pro quibus acrius damnetur accumulat, quasi funiculos quibus ligetur ac flagelletur paulatim augendo prolongat,

Numulariorum quoque quos expulerat effudit æs, et mensas subvertit, quia damnatis in fine reprobis etiam ipsarum quas dilexere rerum tollet figuram, juxta hoc quod scriptum est, « et mundus transiet et concupiscentia ejus (*I Joan.* II). »

Et eis qui columbas vendebant dixit: « Auferte ista hinc, nolite facere domum Patris mei domum negociationis (*Joan.* II). » Venditionem columbarum de templo auferre præcipit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis dari debet. Unde Simon ille Magus, qui hanc pecunia emere voluit, ut majore pretio venderet, audivit: « Pecunia tua tecum sit in perditione; non est tibi pars neque sors in sermone hoc (*Act.* III). »

Notandum autem quia non soli venditores columbarum sunt, et domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ vel laudis vel etiam honoris inquirunt, verum hi quoque, qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Deo largiente percepere, non simplici intentione, sed cujuslibet humanæ causa retributionis exercent, contra illud apostoli Petri: « Qui loquitur quasi sermones Dei, qui ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum (*I Petr.* IV). » Quicunque ergo tales sunt si nolint veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

In eodem. — Zelo domus Patris Salvator ejecit impios de templo.

Zelemus et nos, fratres charissimi, domum Dei, et quantum possumus, ne quid in ea pravum geratur, insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum si ebrietati servientem. si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare polluta ac perversa corrigere, et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, et maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Domini consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid, quod nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus.

In Joannem. — Jesus autem inclinans deorsum digito scribebat in terra (*Joan.* VIII).

Per inclinationem Jesu, humilitas, per digitum qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porro per terram, cor humanum, quod vel actionum malarum vel bonarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus judicare de peccatrice, non statim dat judicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac sic demum, quam obnixe rogatus, judicat, nos videlicet typice instruens, ut cum quælibet proximorum errata conspicimus non hæc antea reprehendendo judicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reversi, digito eam discretionis solerter exculpamus, et quid in ea Conditori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus, juxta illud Apostoli : « Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum ne et tu tenteris (*Gal.* VI). »

Cum autem perseverarent interrogantes eum ; erexit se et dixit eis : « Qui vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat (*Joan.* VIII). » Quia hinc et ideo Domino Scribæ et Pharisæi tendebant laqueos insidiarum, putantes eum vel immisericordem futurum in judicando vel injustum, prævidens ille dolos, quasi fila transit araneæ, et judicium justitiæ per omnia mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi ; « Qui sine peccato est vestrum, » ecce iterum justitia judicandi, « primus in illam lapidem mittat. » Ac si dixisset : « Si Moyses mandavit vobis mulierem hujusmodi lapidare, videte, quia non hoc peccatores, sed justos facere præcepit. » Primo vos ipsi justitiam legis implete, et sic innocentes manibus et mundo corde ad lapidandum ream concurrite, primo spiritualia legis edicta, fidem, misericordiam et charitatem perficite, et sic ad carnalia judicanda divertite.

Dato autem judicio, Dominus iterum se inclinans deorsum in terra scribebat. Et quidem, juxta morem consuetudinis humanæ, potest intelligi, quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis inclinari et in terra scribere voluerit ut alio vultum intendens, liberum daret eis exitum, quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos præviderat. Denique audientes, unus post unum exibant, incipientes a senioribus.

Sed figurate nos admonet in eo quod et ante datam et post datam sententiam inclinans scripsit in terra, ut et prius quam peccantem proximum corripiamus, et postquam debitæ castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem quæ in ipsis reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, sicut forte fieri potuit ut ipse qui homicidam reum mortis esse judicaverit, ipse in seipso per odium fraternæ mortis esse reus ante oculum Conditoris inveniatur. Similiter qui fornicationis crimen in fratre accusat, in seipso superbiæ facinus non videat. Ideo jubetur judex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in seipso reus inveniatur. Quid ergo nobis in hujusmodi periculis remedii, quid restat salutis, nisi ut cum peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum, id est, quam dejecti ex nostræ conditione fragilitatis simus, si non nos divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus, digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Job dicere possimus ; « Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita nostra ? » (*Job* XVII.)

Ex decretis Stephani papæ et martyris.

Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta, quibus in aliis usibus nemo debet frui, quam ecclesiasticis et Deo dignis officiis, quia nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus ; ne ultio quæ Balthasar percussit, super hæc transgredientibus et talia præsumentibus veniat divina, et corruere eos faciat ad ima. Hæc illis in partibus quibus moraris, et in omnibus, quibus potueris, cunctis nota facito, et observare apostolica mandato auctoritate, quia et nostri nobisque commissi in sede apostolica et universali Ecclesia omnes hæc observare nunc et futuris temporibus, professi sunt.

Innocentius papa episcopis Apuliæ.

Canones apud Nicæam constituti pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.

Ex decretis Siricii papæ.

Illud nos quoque par fuit providere, ut, sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci, quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum instrumenta sacramentorum suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Ex decretis Leonis papæ primi.

Nec primum aut secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisque laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc utcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus usurpare præsumpserit, quia remissio peccati non dat licentiam peccandi, neque quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

Ex concilio Toletano XII.

Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, ibique tantummodo, quandiu vixerit, communionem sumat laicam.

Ex canonibus Sylvestri papæ.

Nullus lector vel acolytus vasa sancta audeat tangere, et nullus subdiaconus rem jam consecratam a presbytero alii porrigat, quia aliud est minister

aliud assistens, nisi tantum supportet quod ei sacerdos imponat, suo ore benedictum.

Ex eisdem.

Si quis clericatum promereri desiderat, hoc justum est ut sit ostiarius annum unum, lector annos xx, exorcista annos decem; acolythus annos quinque, subdiaconus annos quinque, diaconus annos quinque. Et sic ad honorem presbyterii accedat, et faciens in eo ordine annos sex, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus episcopus, nullo de membris Ecclesiæ interdicente, et omni Ecclesia conveniente: *Et dixerunt episcopi*, placet.

Innocentius papa de temporibus morandis in clero.

Ita sane, ut in eis tempora a majoribus constituta serventur, ne cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito sacerdos fiat, quia in minoribus officiis si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur.

Ex decretis Zosimi papæ.

Hæc autem singulis gradibus, observanda sunt tempora, si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret, si major jam et grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter lectores sive inter exorcistas quinquennio teneatur, exinde acolytus vel subdiaconus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hærere debebit; exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si cum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit, hac tamen lege servata, ut neque bigamus neque pœnitens ad hos gradus possit admitti, sane cum etiam defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerunt esse in ordine clericatus.

Sylvester in synodo confirmante Nicænum concilium, subscribentibus sibi CCLXXV *episcopis.*

Commoneo autem omnes vestrum consortes unanimiter de redditibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, quota pars exigatur. Habeat autem ecclesia unam partem ad se relevandam, pontifex unam, et aliam pauperes vel peregrini, presbyteri quartam et diaconi cum residuo clero, omnibus autem ipso pontifice dispensante. Constituo etiam et hunc ordinem ut si quis de clero vel presbyteris universorum locorum, quod commune est transierit de hoc mundo, si neminem de sua generositate habeat, conferat ecclesiæ et partes fiant, sicut supra dictum est.

Huic etiam synodo synodus Nicæna vicissim subscripsit, et eam approbavit, teste Leone nono in A epistola ad Michaelem et Leonem episcopos. Ubi introducens primum caput hujus concilii, ita loquitur de apostolica sede; « Illi nempe facitis præjudicium de quo nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere judicium, beatissimo et apostolico pontifici Sylvestro divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino religiosissimo Augusto cum universa synodo Nicæna approbante ac subscribente, ut summa sedes a nemine judicetur. »

Ex decreto Alexandri papæ

Cum sacrorum canonum auctoritas quatuor ex rebus ecclesia jubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis ecclesiarum sit impendenda, tertia episcopo, quarta clericis sit conferenda, sicut pauperibus et ecclesiis singulæ partes sunt concedendæ, B ita quoque reliquæ partes neque ab episcopo vel clero emendæ sunt vel vendendæ, sed eis pro Evangelii annuntiatione, et pro officii sui labore eodem modo conferendæ.

Ex decretis Gelasii papæ.

Quatuor autem tam de reddito quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenientes fieri portiones: Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta C sanctorum, quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus etiam videatur, tamen juxta quod scriptum est: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v) oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

Ex concilio Mogontino, cui præsedit Bonifacius archiepiscopus et martyr auctoritate Zachariæ papæ. cap. 10.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decima, nec aliqua possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur.

D *Ex eodem, cap. 41*

Quicunque beneficium ecclesiasticum habent, ad tecta ecclesiæ restauranda, vel ipsas ecclesias emendandas omnino adjuvent, et nonam decimam reddant.

Ex Concilio Aquilegiensi, cap. 3.

Ut nulli presbytero in alio loco baptisma liceat celebrare, nisi in eodem loco, ubi semper baptisteria antiquitus fuerunt.

Ex eodem concilio, cap. 3

Decimæ quæ a fideli populo dantur, in ecclesiis baptismalibus inferantur, et ipsi presbyteri qui in easdem plebes ordinati sunt, cum omni sollicitu-

dine curam habeant de Christianitatis causa populo sibi commisso, et populus suas decimas suis presbyteris offerat, et presbyteri dividant eas in quatuor partes, sicut antiqua Patrum regula continetur unam sibi, unam clericis, unam pauperibus unam ad instaurationem seu luminaria vel incensum ecclesiarum: et hoc statuimus, ut prædicti presbyteri habeant, juxta suam ecclesiam, aut infra suam cellam locum constitutum, ubi quarta quam pauperibus dari docuimus inferatur.

Ex Regesto Leonis papæ quarti

De decimis justo ordine non tantum nobis, sed majoribus, visum est, plebibus, tantum ubi sacrosancta dantur baptismata, dari debere.

Gelasius papa Maximo et Eusebio episcopis.

Licet regulis contineatur antiquis parochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli, mali temeritate crescente, ubique universalis confusio nasceretur, jam in decretis nostris ante non multum temporis destinatis, omnia jussimus quæ taliter fuerant invasa restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat, ea quæ inter fratrem et coepiscopum nostrum Constantinum Comiscanæ Ecclesiæ sacerdotem, et directos ab Anconitano pontifice decrevimus per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cogitationibus quæ sit sequenda perscripsimus. Nulla igitur præsumptione statum parochiarum qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia neque negligentia pontificis, neque temporalis abjectio, quæ per incuriam forte generatur, nec ignavia faciente consensu, nec subripient supplicatione præceptio divellere potest semel diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs devota consistit.

Idem Justino archidiacono et Fausto. De rebus ecclesiæ in quatuor partes dividendis.

Vobis et famæ vestræ consultum duximus, ut pontificis vestri loco vobiscum ab eodem aliquis subrogetur, qui ejus nomine pariter universa disponat, quatenus omnia prædia ad vestrum revocetis studium, ne cuiquam clerico pro portione sua solum aliquod ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam negligentiamque minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prædiis rusticis urbanisque collectam ad antistitem deferatis. Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quod ad causas vel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur et quartæ portiones vel fidelium oblationes de hac fiunt modis omnibus pensione, ita ut unam sibi tollat antistes, aliam clericus pro suo judicio et electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari: Fabricis vero quod competit ad ordinationem pontificis erogatione vestra decernimus pendendum. Si quid forte ab annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode condatur in thecis, ut si major emerserit fabrica, sint subsidio, quæ diversi temporis diligentia potuerint custodiri, aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiriat communes.

Ex concilio Aureliano, cap. 7.

Omnia quæ Deo offeruntur, consecrata habeantur, in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus et reliquis possessionibus, utquæ ecclesiis, sine dubio Christo qui sponsus earum est offeruntur.

De eadem re. Ex consilio Rothomagensi, cap. 3

Omnes decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus Domini sunt, et illi sanctificantur. Boves et oves et capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, et quod mutat, et quod mutatum est sanctificabitur Domino, et non redimetur. Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut, secundum Domini nostri præceptum, admoneantur semel et tertio; si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur, usque ad satisfactionem et emendationem congruam.

Ex concilio Gaballonensi, cap. 3.

Questi sunt præterea quidam fratres quod essent aliqui episcopi et abbates, qui decimas non sinerent dare ad ecclesias, ubi illi coloni missas audiunt Proinde decrevit sacer iste conventus ut episcopi et abbates de agris et vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad ecclesias deferri faciant; familiæ vero ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum anni circulum missas audiunt.

Ex concilio Toletano, cap. 36.

De his autem quæ altaribus offeruntur, quarta pars fideliter episcopis deferatur, duæ clericis, decimæ autem, secundum quosdam, singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam episcopi recipiant.

Ex consilio Mogontiacensi, cap. 8.

Quatuor partes juxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum servetur.

Ex concilio Agrippinensi.

Item quod decima quæ a fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, et ideo ex integro reddenda. Cujus tertia pars secundum canonem Toletanum episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem usu Romanorum pontificum, et observantia sanctæ Ecclesiæ Romanæ de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosius inde repertus fuerit, sive clericus sive laicus ille sit communione privabitur, et synodali censura judicabitur.

DE SEQUENTI CANONUM COLLECTIONE

MAII MONITUM.

(*Spicilegium Romanum*, tom. VI, pag. 312-394.)

S. Anselmum Lucensem inter canonici juris consultos primum ponam, cui cum Gregorio amicissime dixit, ipsoque hortante, ut creditur, tractatum suum canonicum scripsit, in tredecim libros distributum, quo nullus ante ipsius saltem ætatem neque uberior, neque doctior, neque celebrior utiliorve creditus est; id quod ejus summaria nunc a me edita demonstrabunt. Age vero de hoc insigni Anselmi opere idcirco pauca ac prope nulla præfabor, quia de ipso cum alii plurimi locuti sunt, tum novissime vir cl. P. Augustinus Theinerus (*Disquisit critic.* cap. 6 [1]) cujus infinitam canonici juris scientiam, ex antiquis fontibus haustam, quis exæquet? Atque is præclaram suam de Anselmi Collectione disputationem sic concludit: « Una tandem eademque virorum doctorum sententia est, ut S. Anselmi Lucensis collectio typis edatur.» Reapse Anselmum divulgare promiserunt vel cogitaverunt Lucas Wadingus, Lucas item Dacherius, Andreas Rota, M. A. Monsacratus; qui tamen omnes partim operis mole, quæ me quoque terret, partim aliis casibus a suscepto consilio depulsi fuerunt; quare Anselmus post tot de ipso deliberationes ac promissiones, intra forulos bibliothecarum mss. adhuc jacet. Et Vaticana quidem pontificis maximi bibliotheca septem saltem Anselmi codices servat, quorum duo pervetcres sunt et auctori ferme coævi, quanquam undecimo libro de pœnitentia uterque caret, qui tamen a recentiore exemplari belle suppletur. His ego circumfusus Anselmi divitiis quid agerem? Si totum imprimendum typis committerem, otium mihi tanto operi, ut par est, adornando deerat. Infinitos enim ab Anselmo citatos canones, Patres veteres, juris etiam civilis auctores, ac varii generis testes, quis non videt, in suis quemque sedibus esse quærendos Lydioque lapide explorandos? ne quod olim Gratiano accidit, molesta auctoritatum et operum confusio fieret, spuria etiam scripta cum germanis pari jure haberentur, quam certe in Gratiano colluviem vix magno labore ac vigiliis Ant. Augustinus, Romani correctores a pontifice maximo deputati, postremoque quatuor editis voluminibus Sebastianus Berardus, expurgarunt. Hæc igitur cogitanti mihi nihil interim aptius manifestando Anselmi operi visum est quam si plurimorum rubricas seu titulos ad litteram hic describerem: neque enim, ut dixi, cunctas Anselmi partes complector, id quod ab instituto naturaque speciminis alienum est: præter quam quod in omni vetere vel gravi scripto nonnulla esse solent, quæ sine idoneis explicationibus efferri non debent. Utinam vero prologum operi Anselmus præposuisset, in quo procul dubio multa scitu digna futura erant! Verumtamem nullus hactenus codex cum actoris prolegomenis repertus est.

(1) Vide infra appendicem primam. EDIT. PATROLOGIÆ.

SANCTI ANSELMI

EPISCOPI LUCENSIS

COLLECTIO CANONICA

IN LIBROS XIII DISTRIBUTA.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI

Qui est de primatu et excellentia Romanæ Ecclesiæ

11. Ut nemo a Romana Ecclesia dissentiat, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

12. Quod a regulis Romanæ Ecclesiæ nullatenus convenit deviare.

13. Quod Ecclesia Romana nunquam a fide erraverit.

14. Quod papa debet universali Ecclesiæ subvenire, et quidquid in ea nocivum est corrigere.

15. Ut Antiochena Ecclesia Romanæ sit subjecta, nec ab ejus dissentiat dispositione.

16. Quod Romanam Ecclesiam beati Petri sacerdotio Dominus ditavit; et quod prima salus est a constitutis Patrum non deviare, et quod in sede apostolica semper est catholica servata religio.

17. Quod Romana Ecclesia ipsius Domini voce Salvatoris omnibus prælata est.

18. Quod apostolica sedes firmamentum est omnium episcoporum, ecclesiarumque omnium vertex.

19. Ut prima sedes a nullo judicetur.

20. Ut omnes Ecclesiæ statuta Romanæ Ecclesiæ conservent.

21. Ut nemo apostolicæ sedis judicium judicare aut retractare præsumat.

22. Quod apostolica sedes caput est omnium Ecclesiarum.

23. Quod Romana Ecclesia singulari privilegio potestatem habet ligandi et solvendi.

24. Quod apostolicæ sedis præsul a nullo nisi a Deo judicandus est.

25. Quod papa vices suas alteri, et suæ sedis etiam subdiacono committit, ubi præsens esse non potest.

26, Quod papæ tacere non licet quod in querelam potest venire.

27. Quod ad sedem apostolicam ab episcopis referatur, dum in fidei ratione dubitatur.

28. Quod papa ex divina institutione universis Ecclesiis principaliter curam debet.

29. Quod sedis apostolicæ auctoritate judicantur quæ difficultatem dijudicationis habere videntur.

30. Quod Romana Ecclesia principatum a Domino accepit, et Marcus a magistro papa Petro non dissensit.

31. Ut omnes catholici sequantur quod sedes apostolica docet.

32. Ut omnium Ecclesiarum status papa curam habeat.

33. De eadem re.

34. De eadem re.

35. Quod Romana Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, et nunquam a fide erraverit.

36. Quod apostolica sedes nunquam hæreses fovet, sed destruit.

37. Quod navis beati Petri non turbatur.

38. Quod non sit liberum apostolico dissimulare vel tacere.

30. Quod habet apostolicus a beato Petro fiduciam et auctoritatem defendendi fidem.

40. Quod papæ major cunctis necessitas corrigendi incumbit.

41. Quod traditio Romanæ Ecclesiæ a reliquis observetur Ecclesiis, quæ ab ipsa principium acceperunt.

42. Quod non aliter de Scripturis sentiendum quam sancti Patres docuerunt.

43. Quod papa ipsius sedis reverentia cogitur studiosus pro omnibus esse.

44. Quod non sit recendendum ab apostolicis institutis.

45. Ut nullus decreta sedis apostolicæ temerare præsumat.

46. Quod apostolica sedes universæ præsit Ecclesiæ.

47. Quod sedes beati Petri fas habet judicandi de omni Ecclesia, sed nemo de illa.

48. Quod sedes apostolica absque synodo possit solvere inique damnatos.

49. Quod apostolica sedes uniuscujusque synodi sua auctoritate confirmatæ servare debet constitutum.

50. Ut irritum sit quidquid in apostolica sede absque apostolico decernitur.

51. Quod Petrus regni cœlorum claves accepit ut aliis aperiret.

52. Quod auctoritas congregandarum generalium synodorum soli apostolicæ sedi sit commissa.

53. Quod papa a solo Deo sit judicandus.

54. Ut nemo ea quæ apostolicæ sedi sunt concessa usurpet sine ejus consultu.

55. Quod sanctus Petrus jus ligandi atque solvendi Lino et Cleto non tradidit (2).

56. Quod in una catholica Ecclesia vera Christo hostia immolatur.

57. Quod ab apostolica sede fidei veritas est inquirenda.

58. De petitione Nicæni concilii, ut ab apostolica auctoritate confirmetur.

59. De petitione Ægyptiorum episcoporum pro LXX capitulis Nicæni concilii.

60. Quod Romana Ecclesia semper immaculata permanserit et permanebit.

61. Quod beati Petri sedes sacerdotalis mater est dignitatis et magistra ecclesiasticæ rationis.

62. Ut nulli sit fas temerare divina et apostolicæ sedis instituta.

63. Qod Romana Ecclesia omnes instituit ecclesiasticas dignitates; et qui ei suum privilegium auferre conatur, in hæresim labitur.

64. Quod qui comederit agnum extra Ecclesiam beato Petro commissam, profanus est.

65. Quod pro fide Petri Christus specialiter rogavit.

(2) Loquitur ex eorum sententia qui Linum et Cletum non pontifices ac successores Petri, sed ejus tantummodo adjutores fuisse putant.

66. Quod Romana Ecclesia ab ipso Domino primatum obtinuit, et quod Petrus et Paulus una die sua eam morte consecraverunt; et quod ipsa prima sedes est, secunda Alexandrina, tertia Antiochena.

67. Quod evangelica auctoritate prima omnium est Romana Ecclesia, et quod Petrus et Paulus una die mortui sunt.

68. Quod Romana Ecclesia non synodis sed evangelicis institutis primatum obtinuit.

69. Quod Petrus et Paulus doctores sunt gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum.

70. Quod nemo potest accedere ad beati Pauli corpus, vel sudarium ejus, de cujus catena interdum limari potest, interdum minime.

71. Quod auctoritate pontificum et potestate regum mundus regitur, et regalis tamen potestas subjecta pontificibus esse debet.

72. Quod sacerdotibus imperatores obedire debent, non jubere,

73. De constantia papæ Agapiti contra Justinianum augustum, quem tandem ad pedes suos humiliavit.

74. De obedientia et honore quem Tiberius imperator exhibuit papæ.

75. Quod imperatoribus fas non est curiose de spiritualibus negotiis agere.

76. Quod Stephanus papa Pippinum in regem provexit.

77. De obedientia et humilitate quam rex Pippinus Stephano papæ exhibuit.

78. Quod papa Joannes VIII cum episcopis et senatu populoque Romano Carolum in regem elegit et confirmavit.

79. De Carolo rege in Romanum imperatorem electo.

80. Quod, rogante Adriano papa, Carolus rex Desiderium regem Langobardorum cepit, et honofice idem Romæ susceptus est.

81. Quod Carolus rex et patricius provincias et civitates et castra aliaque multa Ecclesiæ Sancti Petri dedit ac restituit.

82. Quod cum magna honorificentia legali sedis apostolicæ dirigendi sunt ad regem.

83. Quod Adrianus papa legatos noluit Constantinopolim mittere nisi imperator et Augusta eis securitatem facerent; et quæ sine ipso facta sunt, prius anathematizarent; et ne universalis dicatur Constantinopolitanus episcopus.

84. Ut monitis apostolicis obedientia præbeatur ab Augustis.

85. De sacramento regis Othonis facto domino papæ Joanni.

86. Epistola Joannic papæ ad imperatorem Justinianum, et imperatoris ad papam de confinmatione catholicæ fidei contra Judaicam et apostaticam perfidiam.

87 De professione Justiniani, quod primum et maximum bonum est Christianæ fidei recta confessio.

88. Quod sacerdotium et imperium humanam maxime vitam exornant, et de eligendis ornandisque episcopis, et de damnatione Simoniacæ perversitatis.

CAPITULA LIBRI SECUNDI,

Qui est de primatu Romanæ Ecclesia et libertate appellationis.

1. Ut difficiliora judicia ad sacerdotes deferantur.

2. Ut omnes eam sequantur religionem quam divus Petrus apostolus edocuit.

3. Ut frustratoriæ dilationis causa appellationes non fiant.

4. Ut difficiliores causæ et majora negotia ad apostolicam sedem, si appellatum fuerit, deferantur.

5. De eadem re.

6. Quod ad Romanam Ecclesiam ab omnibus oppressis appellandum est, a qua omnes majores Ecclesiæ causæ terminandæ sunt.

7. Quod omnes quibus necesse fuerit ad Romanam Ecclesiam suffugere eamque appellare debent absque impedimento, et nullus episcopus judicetur vel audiatur, nisi in synodo apostolica auctoritate convocata.

8. Ut pulsatus episcopus licenter sedem apostolicam appellet, vocatus veniat, nec nisi formatis instructus revertatur.

9. Quod absque auctoritate apostolica nulli liceat episcoporum causas definire, quamvis scrutari liceat comprovincialibus episcopis,

10. Ut appellationis remedio vitiata causa relevetur, et in supplicio etiam destinato vox appellandi non negetur.

11. Ut in gravioribus episcopi pulsati ad sedem apostolicam, confugiant, quæ per se aut suos vicarios negotium eorum retractare procuret.

12. Ut primates accusatum episcopum discutiant, sententiam vero damnationis sine apostolica auctoritate non proferant.

13. Quod dubiæ ac majores causæ ab apostolica sede debent terminari.

14. De eadem re.

15. Quod alieno errore maculatus, vel a suo proposito recedens, vel apostolicæ sedi inobediens, non est suscipiendus.

16. Quod Romana Eccleaia fas habet judicsndi de omnibus, de illa vero nullus; et potestatem solvendi injuste damnatos, ac damnandi quos oportuerit absque synodo.

17. Ut nihil de fugiente ad Romanam Ecclesiam sine ejus præcepto judicetur; si vero quis secus præsumpserit, ab officio submoveatur.

18. Quod appellantium episcoporum et cunctorum majorum negotia apostolicæ sedi debent reservari.

19. Quod alienus sit a divinis et pontificalibus officiis, qui apostolicæ sedis noluerit obedire præceptis.

20. Ut nullus metropolitanorum causas episcoporum sive aliorum agere præsumat, nisi quæ ad propriam pertinent parochiam.

21. Quod papa omnium ecclesiarum curam debet habere, et beati Petri sedes sacerdotalis mater est dignitatis, et magistra ecclesiasticæ rationis.

22. Quod papa restituit episcopos injuste principum timore damnatos, et omnia sua reddi præcipit.

23. Quod apostolica sedes ab aliis ligatos potest solvere, ab illa vero ligatos nemo.

24. Quod papa reparare potest judicia damnatorum.

25. Quod apostlica sedes vim habet convocandi synodos, et judicandi omnes majores Ecclesiæ causas.

26. Quod ideo Romanæ sedi concessa sunt privilegia de congregandis conciliis et judiciis et restitutionibus episcoporum, ut omnibus oppressis succurrat.

27. Quod veritas sæpius exagitata manifestius clarescit.

28. Ut ad apostolicam sedem transferantur quæ alibi finiri non possunt.

29. Ut ad apostolicam sedem referatur, si qua dissensio inter fratres oriatur.

30. Ut causæ ecclesiarum ab episcopis ventilatæ corroborentur ab apostolica sede, si ratæ debuerint permanere.

31. Ut purgatio episcoporum non fiat sine consensu Romani pontificis vel aliorum pontificum.

32. Quod papa decreta canonum ita librare debet, ut quæ necessitas temporum relaxanda exposcit, temperet quantum fieri potest.

33. Ut nec concilium nominetur quod sine consensu papæ congregatum fuerit, et ut difficilliores quæstiones ad ipsum referantur.

34. Quod apostolicæ sedi summarum dispositiones causarum ab ipso Domino traditæ sunt; et ut sacerdotes non accusentur apud publicos judices.

35. Ut episcoporum finitiva judicia ad sedem Romanam referantur, et in ecclesiis eorum non alii præponantur donec negotia eorum juste ibi terminentur.

36. Ut accusatus episcopus alieno judice non constringatur, sed apud suos episcopos causa ejus discernatur, finis vero ad apostolicam sedem deferatur.

37. Quod apostolica sedes auctoritatem habet universæ Ecclesiæ subveniendi atque nociva corrigendi et emendandi.

38. Ut difficiliores singularum provinciarum quæstiones ad sedem apostolicam referantur.

39. Quod absque auctoritate sedis apostolicæ nulla potest synodus regulariter congregari; nec episcopus qui eam appellavit, potest sine ipsa damnari.

40. Ut nemo suspicionis arbitrio judicetur; et quod sola sedes apostolica privilegium habet a temporibus apostolorum judicandi episcopos.

41. Quod ab apostolis eorum successoribus statutum est, ut absque Romani pontificis sententia nec concilia celebrentur, nec episcopi damnentur; et sicut beatus Petrus primus erat apostolorum, sic Romana Ecclesia primatum habet omnium Ecclesiarum.

42. Quod Romanæ sedi a tempore apostolorum concessum est, et in Nicæna synodo confirmatum, ut absque ejus sententia nullus episcopus damnetur aut depellatur.

43. Ut omnes observent quod apostolica sedes observat.

44. Ut absque apostolica sede nec concilium celebretur, nec episcopus damnetur.

45. Quod papa Julius eos increpat qui præter ipsius sententiam concilium fecerant, et episcopos damnaverant, quos ipse suscepit et in suas Ecclesias restituit.

46. Quod irritum sit concilium nisi fuerit apostolica auctoritate firmatum.

47. Quod apostolicæ sedi privilegia specialiter sunt concessa de congregandis conciliis, et judiciis ac restitutionibus episcoporum, et de summis negotiis Ecclesiarum.

48. Ut in causis episcoporum sententia papæ exspectetur.

49. Quod episcopi ab apostolica sede ordinationes, dogmata, sublevationes debent recipere, et de majoribus causis nihil præter ipsam decernere.

50. Ut apostolicam sedem appellet qui metropolitanum suum vel cæteros episcopos habet suspectos, et quod ipsa potestatem habet injuste damnatos et excommunicatos restituere, et sua eis reddere, quia caput est omnium Ecclesiarum.

51. Ut accusatores et accusati episcopi coram papa conveniant, et ibi causæ eorum retractentur, et firmentur, aut infirmentur, sicut antiquis consuetum est regulis.

52. Ut contentiones inter clericos et laicos a comprovincialibus episcopis terminentur, majores vero ad sedem Romanam transferantur.

53. Dum in fidei ratione dubitatur, debent episcopi ad sedem beati Petri hoc referre.

54. Quod papa non per se sed per legatos conciliis provincialibus solet interesse.

55. Quod de judicio sedis apostolicæ nullus debeat judicare, ipsa vero de omnibus.

56. Ut si quis judicio provincialium episcoporum depositus fuerit, papam adeat, et ipse, si videtur ei, retractet.

57. Ut difficiliores quæstiones ad sedem apostolicam referantur.

58. Ut prægravati a comprovincialibus episcopis vel metropolitano, sedem apostolicam appellent, et

nullam interim molestiam patiantur, donec ibi res finiatur.

59. Quod metropolitano cum omnibus comprovincialibus episcopis summas ecclesiasticas causa licet discutere, sed non definire, nec episcopum damnare, nec synodum congregare absque apostolicæ sedis auctoritate.

60 Quod statuta majorum nullo modo sint negligenda, nec usurpanda quæ non sunt concessa.

61. Quod episcopi non possint regulariter synodum congregare præter apostolicam sedem.

62. Ut judicium renovatur, si Romana judicaverit Ecclesia renouandum.

63. Sicut inter apostolos fuit discretio potestatis, ut unus aliis præemineret, sic inter episcopos ordinatum est ut singulis provinciis singuli præsint, quibus tamen omnibus Romana præest Ecclesia.

64. De invectione contra Remensem archiepiscopum pro Rothardo episcopo, quem ipse appellantem apostolicam sedem damnavit.

65. Quod nemo potest ab his qui inferioris sunt dignitatis vel ordinis judicari.

66. Quod Constantinopolitana Ecclesia, sicut et cæteræ omnes, Romanæ sedi debet esse subjecta.

67. Quod quisquam sibimet non assumat honorem, sicut et Christus se ipsum non clarificavit sed Pater.

68. Quod etiam inferioris gradus clericorum causæ apud sedem apostolicam sunt finiendæ, dum tempus aut res exegerit.

69. Quod apostolicæ sedis sententia tanti consilii deliberatione debet proferri, ut nec retractatione nec immutatione egeat, nisi sic prolata sit ut retractari possit.

70. Ut anathema sit quicunque contra papam verba infamantia composuerit, aut quemquam patriarcharum inhonorare tentaverit.

71. Quod apostolica sedes intra Italiam ac cæteras Hispaniæ provincias, et intra totius Illyrici fines, consecrationes, ordinationes et depositiones patrare antiquitus consuevit.

72. Quod papa ordinaverit Ravennatem episcopum ; et de obedientia Mediolanensis archiepiscopi, et de consecratione Ticinensis antistitis.

73. Ut si quis episcopus a comprovincialibus episcopis condemnatur, alius in ejus loco non ordinetur, dum apostolicam sedem appellat, nisi ab ipsa determinetur.

74. Quod quædam sunt quæ nulla ratione convelli possunt, quædam vero pro necessitate et ætatum consideratione oportet temperari, ut evangelicis præceptis ac decretis Patrum non sit contrarium.

75. Quod Nicænæ synodo nullum potuit fieri præjudicium a multitudine Arimini congregata, quia Romana Ecclesia nullum ei dedit assensum.

76. Quod episcopi debent observare quæ a Romana Ecclesia sunt judicata.

77. Quod accusati episcopi aut condemnandi sunt apostolica auctoritate, aut ejus auxilio fulciendi.

78. Quod nemo præter apostolicam auctoritatem debet episcopum damnare.

79. Ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus episcopis licenter papam appellet, qui ejus causam retractet, et in loco ejus interim alius non ordinetur.

80. Quod pulsato, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.

CAPITULA LIBRI TERTII.

Qui est de ordine accusandi, testificandi, et judicandi.

1. Quod homicidæ, adulteri, et cunctis criminibus alligati, et infames, atque laici et quicunque coæquales non sunt, episcopos accusare et vexare non debent.

2. Quod infames sunt qui adversus Patres armantur, et sacerdotes vel ecclesias conculcant. Hi episcopos accusare non possunt.

3. Qui a proposito suo ceciderit, et apostolicis jussis non obedierit, infamis est.

4. Enumeratio earum culparum quibus infames notantur.

5. Item qui sint infames, et qui accusare episcopos non possint, et quod statuta Patrum, si labefactari cœperint, apostolica denuo auctoritate roborentur.

6. Quod infamis accusare non debet, et qualiter quis accusare vel judicare debeat, et cætera.

7. Ut qui sanctos Patres persequuntur, infames habeantur, et ab Ecclesia usque ad satisfactionem arceantur.

8. De his qui suscipendi non sunt, et infames censentur.

9. Ut qui suæ legis vel religionis normam reliquerit. aut recte prohibita neglexerit, ad accusationem non admittatur.

10. Quod deteriores sunt morum corruptores quam rerum raptores.

11. Quod accusatores sacerdotum non debent audiri, nisi prius vita eorum et intentio discutiatur.

12. Quod episcopi a populis non sunt arguendi, et de quibus non sint etiam accusandi.

13. Quod hi qui hodie aut nudiustertius inimici fuerunt, accusare vel testificare non possunt.

14. Item de eadem re, quod hi sacerdotes accusare non debent, qui sacerdotes esse non possunt.

15. Quod suspecti, et inimici, et facile litigantes, et pravæ conversationis, et qui non tenent ac docent rectam fidem, accusatores esse non possunt.

16. De eadem re.

17. Ut nullus alienigena accusator sit vel judex, sed nec servus aut libertus vel suspectus infamis.

18. Item de his qui ad accusationem et testimonium non admittendi sunt.

19. Item de eadem re.

20. Item de his quibus accusare non licet; et ne accusatus alios habeat judices, præter quos ipse elegerit, aut suo consensu sedes apostolica.

21. Ut accusandi vel testificandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

22. Ut nemo clericum trahat ad sæculare judicium sine consensu episcopi.

23. De eadem re.

24. Quod infami et sacrilego adversus Christianum non licet dicere testimonium, et ut ecclesiastici judices causam non audiant quæ legibus non continetur.

25. Ut nec laici nec hi quoscunque sæculi leges non admittunt, episcopos vel clericos accusare præsumant.

26. Ut etiam habitantes cum inimicis, et omnes laici ab accusatione clericorum amoveantur.

27. Ut clericus criminatus sua in provincia audiatur et ut sententia judicis quæ absente accusato datur, irrita sit, et proditoris calumnia non audiatur.

28. Quod nec clerici laicos, nec laici clericos in sua accusatione debent recipere.

29. Ut si laicus contra clericum causam habeat, episcopum adeat.

30. Quod episcopus si in fide erraverit, primo est corrigendus; si non emendaverit, accusandus est ad apostolicam sedem.

31. Quod accusatio episcoporum nonnisi ab idoneis et probatissimis viris fieri debet.

32. Ut accusatus episcopus communione non privetur, nisi die statuta venire noluerit.

33. Quod judicium subterfugientibus absentia procurata non prosit.

34. Ut detractores et inimicorum fautores ab episcopali amoveantur accusatione, neque in re dubia certa detur sententia.

35. Ut qui causas habet contra pastores vel ecclesias eorum, primo charitative exspectet emendationem; quod si ante infestare præsumpserit, excommunicetur.

36. Quod hi qui culpam suorum produnt præpositorum, Cham sententia, qui patris pudenda non operuit, damnetur.

37. Quod non potest humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio.

38. Quod non passim et facile fieri debent sacerdotum vel pastorum accusationes.

39. Ut accusatus episcopus duodecim sibi judices eligat qui ejus causam juste decernant, finis vero causæ ad papam deferatur.

40. Si quis episcopus absque tempore synodi in crimine detentus fuerit, a duodecim episcopis audiatur.

41. Ut inferiores gradus superiores non accusent; et in quot testibus episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, et cæteri condemnandi sint.

42. Quod oves pastores reprehendere non possint, nisi in fide erraverint, et quod exspoliati non debeant ad synodum vocari, nisi prius eis bona sua fuerint restituta.

43. Ut nemo episcopum vel quemquam clericorum apud sæculares judices accuset.

44. De eadem re, et ut vocato ad synodum congruum spatium detur. Aliter non respondebit nisi voluerit; et ut accusatores et accusati æqualiter audiantur.

45. Ut nullus judicetur nisi legitimos habuerit accusatores præsentes.

46. Quod nullus metropolitanus absque comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas.

47. De episcopis sine Romana auctoritate expulsis, ut sua eis redintegrentur.

48. Ut nemo exspoliatum episcopum præsumat excommunicare.

49. Item ut exspoliatis omnia reddantur, et tantum spatii quanto exspoliati sunt detur, antequam ad synodum vocentur.

50. Ut accusatus legitime episcopus vocatus ad synodum veniat; si non potest, legatum pro se mittat; ipse vero a communione non prohibeatur, nisi sex vel plures menses venire distulerit.

51. Ut judex ante suam non proferat sententiam quam, peractis quæ in quæstione sunt, ad rei veritatem perveniatur, et induciæ non parvæ ad inquirendum dentur.

52. Ut nullius accusatio vel testimonium per scriptum recipiatur, sed propria voce, præsente eo qui pulsatur.

53. Ut persona, fides, et conversatio accusantium Domini sacerdotes diligenter exquirantur.

54. Quod accusatores omni suspicione et infamia carere, et rectæ fidei et bonæ vitæ esse debent.

55. Ut ea quæ adversus absentes aguntur, evacuentur.

56. Ut inferiores ordine non accusent superiores, et in re dubia certa non detur sententia, et absens nemo judicetur.

57. De his qui non possunt accusare episcopos, et quod non debeant episcopi ante reintegrationem omnium rerum suarum ad objecta respondere.

58. Ut nec falsi nec inimici nec suspecti suscipiantur in accusatione.

59. Ut hi qui episcopis crimina impingunt, per se ipsos faciant, si tamen irreprehensibiles ipsi sint.

60. Item de his qui ad accusationem non sunt admittendi.

61. Ut nemo sit præceps ad proferendam senten-

tiam, vel passim dictis credendum vel judicandum, aut damnandum quemquam ante veram et justam probationem.

62. Ut nihil contra quemlibet accusatum absque legitimo accusatore fiat.

63. Quod accusatus episcopus non damnetur nisi apostolica auctoritate aut confessus aut canonice convictus.

64 De eadem re, et de numero legalium testium.

65 Quod sacerdos non debet judicare quemquam nisi confessum aut convictum.

66. De excommunicatis apud vicinos episcopos audiendis.

67. Quod damnatio vel absolutio ejus irrita est, cujus causa non est subtiliter examinata, et quod propter extortam confessionem damnari nullus debet.

68. Quod in ecclesiasticis negotiis, dicta etiam causa, recedere licet ac differre si necesse fuerit, sed in sæcularibus minime.

69. Quod accusati alios criminari non possunt, nisi prius expurgati fuerint.

70. Ut nemo simul sit accusator, judex, et testis, sed singuli sint per se idonei.

71. Item de his qui accusare sacerdotes non possunt; ut quisque episcopus in sua audiatur provincia, et de libertate appellationis.

72. Ut omnis accusatio intra provinciam terminetur, nisi sedes apostolica appellata fuerit.

73. De eadem re

74 Ut episcopus, congregata legitime synodo, ab omnibus comprovincialibus audiatur, si accusatores legitimi sunt; sin autem, non fatigetur accusatus.

75. Ut judex ante suam non proferat sententiam, quam accusatus ipse aut confiteatur, aut juste convincatur.

76. Ut in omnibus diligenter inquiratur causis, quæ sint, quomodo, quales sint.

77. De illatione criminis, et accusator rei pœnam incurrat, qui quod objecit probare non potuit.

78. Ut provinciæ suos habeant judices, nisi papa aliter voluerit.

79. Ut adversus episcopum nemo conqueratur prius quam eum familiariter conveniat.

80. Ut episcopi suis sedibus sine apostolica auctoritate expulsi restituantur, et tunc objectis respondeant. Qui vero loca eorum subintraverint, ab ecclesia arceantur.

81. Quod judices et accusatores suspicione debent carere.

82i Quod ita nocens judicium subterfugit, sicut innocens requirit.

83. Sicut nemo debet sine justo judicio damnari, sic quæ juste judicata sunt non debent differri.

84. Quod injustum judicium et definitio alicujus potentis metu vel jussu ordinata non valet.

85. Quod non licet imperatori quidquam agere, quod apostolicis regulis contrarium sit.

86 Nempe allocutione ejus ad clerum Romanum.

A 86. De accusandi testificandique licentia, quando, et ubi, et quomodo.

87. Commonitorium papæ Gregorii Joanni defensori, qualiter agere debeat de quibusdam episcopis injuste damnatis, et presbyteris quibusdam, et cæteris.

88. De Dioscoro episcopo.

89. De damnatione Dioscori episcopi, qui vocatus ad synodum noluit venire.

90. Quod Dioscorus non est damnatus propter fidem, sed quia in dominum papam Leonem fecit excommunicationem.

91. Ut memoria Eutychetis damnetur, et Flaviani venerabilis recordatio magnificetur.

92. De damnatione Macarii, præsidentibus Ro-
B manæ Ecclesiæ appocrisiariis.

93. De episcopis a Julio papa restitutis, et Liberio in exsilium relegato, et Felice pro eo consecrato.

94. Quod Agapitus papa synodum contra Theopaschitas Constantinopoli celebravit, in quo Anthimum deposuit et Mennam consecravit.

95. Quod papa Vigilius venit Constantinopolim, et Mennam excommunicavit.

96. De conciliis ex apostolica auctoritate congregatis contra diversas hæreses.

97. Quod papa defensoribus adjunxit regionarium honorem, et ut inter clericos sederent.

98, Item quod papa Gregorius Romano defensori adauxit honorem.

99. Quod episcopi qui Romam convenerant ob ea
C quæ Symmacho papæ ab adversariis dicebantur, noluerunt in illum sententiam proferre, sed Dei judicio commendaverunt.

100. De congreganda synodo in Chalcedonensium civitate.

101. Quod imperatores ad Chalcedonense concilium convenerunt non ad potentiam ostendendam, sed ob fidem confirmandam.

102. Ut si quis litem habens judicium expetit episcoporum, mox illi concedatur; et quod illi firmaverint nullus audeat judex retractare.

103. Ut episcopi et cæteri ordines ecclesiastici ad publicas leges non pertrahantur.

104. Ut administratores sæcularium dignitatum dum ab episcopis et ecclesiasticis viris conventi fuerint, querimonias eorum diligenter examinent et
D corrigant.

105. Ut præsides litteras accipiaut communicatorias cum promoti fuerint, et sint sub cura episcopi in cujus loco præsidatum gerunt.

106. Quod Spiritum sanctum blasphemant, qui contra canones poterve aqunt.

109. De eadem re.

108. De Liberio papa, et admonitione ejus (3).

199. De exsilio Liberii papæ, et Felice ejus consilio ordinato.

110. De canonica damnatione Nestorii.

111. De Joanne Antiocheno et episcopis quos ipse A injuste damnavit.

112. Quibus canonibus vel regulis judicandum sit.

113. De clericis a sæcularibus non fatigandis.

114. De eadem re.

115. Quod excommunicatus ad accusationem admitti non debet.

CAPITULA LIBRI QUARTI,

Qui est de auctoritate privilegium

1. Ut privilegia ecclesiarum et monasteriorum B inviolata permaneant.

2. Quod privilegia ecclesiarum et monasteriorum, auctoritate sanctorum Patrum instituta, non debent improbitate convelli aut novitate mutari.

3. Quod privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.

4. Quod contra sacerdotale propositum est monasterii privilegia confundere, et quietem ejus perturbare.

5. Ut privilegia et ordinationes quæ papa præsente sunt dispositæ, a nullo convellantur vel mutentur.

6. Quod papa sicut suæ ecclesiæ privilegia, ita singularum debet ecclesiarum jura defendere ac servare.

7. Ut ea quæ ob religionis quietem ordinata sunt nsn violentur.

8. Ut monasteria nullus contra voluntatem fundatoris sibi vindicet.

9. Ut semel ordinata nulla refragatione turbentur.

10. Ut Constantinopolitana civitas suam habeat gloriam et non ambiat alienam.

11. Ut imperatores obediant episcopis.

12. Ut imperatores habeant privilegia legis publicæ, et sacerdotes habeant dispositiones universarum ecclesiarum.

13. Ut clerici suis rebus licenter gaudeant.

14. Ut fideles Christiani perpetua securitate potiantur.

15. Ut custodes sacrorum locorum nullam molestiam sustineant.

16. Ut privilegia ecclesiis facta permaneant inviolata.

17. De eadem re.

18. Ut privilegia ecclesiæ qui violaverit duodecim libras auri persolvat.

19. Privilegium imperatoris de venerabilibus locis.

20. Item privilegium de libertate clericorum ac monachorum.

21. Item be quibus necessitatibus ecclesiæ singularum urbium habeant immunitates.

22. Ut nemo audeat ab ecclesiis quomodolibet tollere vasa sacra vel vestes seu cætera donaria.

23. Ut procurator provinciæ capitali sententia vindicet injurias quæ ecclesiis vel ecclesiasticis viris importantur.

24. Ut episcopi per ecclesias clericos ordinet quotquot unicuique videntur competere.

25. Ut nemo de fide Christiana quæstionem audeat amplius movere, quæ reverentissimis synodis confirmata est.

26. Ut qui promulgata ab apostolico pro catholica fide et ecclesiastica disciplina contempserit, anathemasit.

27. De eadem re, et quod privilegium statutum est Christi.

28. Ut non liceat apostolico prædia ecclesiæ perpetualiter alienare vel commutare, nisi forte domus urbis pro clericis et captivis et peregrinis.

29. Ut eadem lege cæteri episcopi et presbyteri constringantur qua summus pontifex.

30. Ut privilegia triginta annos possessa a nullo sæcularium subtrahantur vel violentur.

C

31. Ut nemo patrimonia Romanæ Ecclesiæ petat, et si quis quomodolibet subtraxerit, anathema sit.

32. Item de eadem re.

33. Quod Constantinus imperator papæ concessit coronam et omnem regiam dignitatem in urbe Romana et in Italia et in partibus occidentalibus.

34. De provinciis et civitatibus quas imperatores Romanæ Ecclesiæ concesserunt et præcepto confirmaverunt (4).

35. De eadem re (5).

36. Item de eadem re.

37. Ut nemo beati Petri proprietatem usurpet vel sciens occultet, vel debitum non reddat servitium.

38. De discretione inter divinum jus et publicum ac privata commoda.

39. Quod prima sedes a nullo est judicanda.

D

40. Ut nullus regum censuram canonum violari permittat.

41. Ut ex propria diœcesi a clero et populo episcopi eligantur.

42. Ut res ecclesiis concessæ nullam divisionem vel jacturam patiantur.

43. Quod papa petit sibi ab imperatore restitui jura et possessiones Romanæ Ecclesiæ.

44. Ut unicuique ecclesiæ suus honor servetur.

45. Quod Pannonica diœcesis deputata est privilegiis apostolicæ sedis.

46. Ut constituta apostolicæ sedis et sanctorum Patrum irrefragabiliter observantur.

47. Item de eadem re.

48. Item de eadem re.

(4) Est diploma Ludovici imperatoris.
(5) Nimirum sunt diplomata Othonis et Henrici impp.

49. Ut unicuique sacerdotum sui juris limites sufficiant.

50. Quod quidquid semel contra aliquam hæresim decretum fuerit, inconcussum permanere semper debet.

51. Confirmatio privilegiorum quæ sacrosanctis ecclesiis facta fuerunt.

52. Ut privilegia Catholicis facta non prosint hæreticis.

53. Item confirmatio privilegiorum quæ locis venerabilibus facta sunt.

54. De peculio clericorum quasi castrensi.

55. Quod non solum episcopis, sed etiam sacerdotibus, liceat verbum prædicationis proferre.

CAPITULA LIBRI QUINTI

Qui est de jure et ordinatione ac statu Ecclesiarum.

1. Quod Ecclesia una est, licet habeat membra diversa.

2. Quod profanus est qui unitatem non servat Ecclesiæ.

3. Quod Ecclesia domus Dei, columba appellatur, et sponsa, et quod potestatem accepit ligandi et solvendi.

4. Ut novæ basilicæ non consecrentur absque auctoritate sedis apostolicæ.

5. Item de eadem re.

6. Ut publica missa non fiat in ecclesia quæ sine concensu papæ fuit dedicata.

7 De consecranda ecclesia cum solemni dote, in qua fundator nihil proprii juris retineat.

8. Quod non liceat laico præter papam in ecclesia statuere, id est ordinare quidquam.

9. Ut nullam potestatem statuendi in ecclesia aut disponendi de facultatibus ejus habeat laicus.

10. De eadem re.

11. Quod papa licentiam dat consecrandi ecclesiam.

12. Quod papa, cui cura debet esse omninum ecclesiarum, visitationis vicem in Capuana Ecclesia alteri cuidam episcopo committit.

13. De consecratione ecclesiæ si altare movetur.

14. Ut altaria in quibus non fuerint reliquiæ, destruantur.

15. Ut status parochiarum nulla ratione mutetur.

16. Propter tres causas loca sanctorum commutari possunt.

17. Quod ligna ecclesiæ ad laicorum opus non sunt admittenda.

18. De pœnitentia ejus qui ecclesiam comburit.

19. Ut facultates ecclesiarum triginta annos possessæ, stabiles exinde permaneant.

20. Quod ecclesia quæ apostolicæ prædicationis fundamenta non possidet, deserenda est.

21. Ut ecclesiæ Arianorum catholicæ consecrentur.

22. Ut dedicationes ecclesiarum et sacerdotum singulis annis solemniter celebrentur; et si de dedicatione ecclesiæ dubitatur iterum consecretur.

23. De eadem re.

24. Quod papa duas diœceses uni episcopo committit.

25. De eadem re.

26. Quod ecclesiarum parochiæ vel possessiones per tricennium quiete possessæ, inconcusse permaneant.

27. Quod tricennali possessione territorii conventum non adimit

28. De tricennali possessione untra unam provinciam.

29. Ut oratorium non consecretur absque auctoritate sedis apostolicæ.

30. Quod sacrilegus est qui sacerdotes Dei insequitur, et qui ecclesias deprædatur.

31. Quod monasteria vel xenodochia, quæ ex pecunia pro sacris ordinibus data construuntur, mercedi non proficiunt sed nocent.

32. Qualiter ecclesiæ pecunia sit servanda.

33. Quod providendum est religiosis, ut loca commoda habeant, ne patientes necessitatem desides fiant.

34. Quod decimæ tributa sunt egentium animarum.

35 Qusd decimæ tantum dari plebibus debent.

36 Ut sacrilegus habeatur qui prædia divinis usibus tradita subtrahit.

37. De eadem re. Et quod res ecclesiæ non propriæ sed communes esse debent.

38. Un propriis usibus non applicetur quod pro communi utilitate datur.

39. Quod sacrilegium est ea retinere quæ sanctis locis relinquuntur.

40. De his qui loca sancta infringunt, et aliquid inde abstrahunt.

41. De his qui res alienas vel oblationes ecclesiasticas rapiunt.

42. Quod licet ecclesiasticis viris alienata ab ecclesiis cum fructibus suis reposcere.

43. Quod baptismus in monasterio non fiat.

44. Ut res ecclesiæ nemo dare vel accipere præsumat præter episcopum vel eum cui hoc commissum est.

45. Quod si nimia necessitas alicui episcopo incumbit, non tamen debet ecclesiæ redditus distribuere, nisi primum insinuaverit primati provinciæ.

46. Ut qui domum Dei violaverit, et inde aliquid abstulerit, communione privetur.

47. Ut possessiones ecclesiæ non alienentur, nisi religiosis clericis vel monasteriis aut peregrinis, et hoc temporaliter.

48. Quod ministeria ecclesiæ pro captivorum redemptione vendenda sunt.

49. Ut decimæ a laicis non possideantur.

50. Quod res sacræ nullius sunt, nec alienari debent nisi pro captivis.

51 Ut qui converti voluerit, medietatem rerum suarum ecclesiæ cui subjectus est, dimittat, et sic ad monasterium vadat.

52. Ut nullus abbas decimas vel primitias teneat sine auctoritate apostolica vel episcopi proprii.

53. De quodam abbate constituto a papa Gregorio.

54. Ut nullum constituatur monasterium sine conscientia episcopi sui, et ut omnes monachi episcopo subjecti sint.

55. Quod non liceat monasteriaquæ sacrata sunt, diversoria sæcularia fieri.

56. Ut irritum habeatur si quis res ecclesiæ a regibus expetit, et ipse communione privetur.

57. Si quis ecclesiarum vel xenodochiorum facultates abstulerit, ut necator pauperum excommunicetur.

58. De libertate monachorum et monasteriorum.

59. Ut monasteria releventur a gravamine clericorum.

60. Quod clerici non debent monasteriis præponi.

61. Ut monasterium nullam patiatur calumniam in his rebus quas quadraginta annos possedit.

62. Ut episcopi vel œconomi vel orphanotrophi vel xenodochi nihil hæreditarie possideant, nisi quod ante ordinationis horam possideant, nisi quod ante ordinationis horam possederunt.

63. Qui contra pacem ecclesiæ sunt, aut rebus suis exspolientur, aut verberibus cæsi exsilio deputentur.

64. Ut de rebus Ecclesiæ quatuor portiones fiant, una episcopo, altera clericis, tertia pauperibus quarta rest tuendis ecclesiis.

65. De eadem re.

66. Item de eadem re.

67. Ut episcopi subjectos non opprimant, et ecclesiæ redditus secundum laborum merita dividantur.

68. De eadem re.

69. Ut res ecclesiæ non donentur, non commutentur, non vendantur, nisi meliorationis prospectu.

70. Ut monasterium nec commutari possit cum alio monasterio.

71. Quid episcopo agendum sit, si plures hæredes contendant de una ecclesia.

72. De eadem re.

73. Quod monasterium constructoribus invite non auferatur.

74. Quod liceat in monasterio missam cantari et mortuos sepeliri.

75 Ut ecclesia non consecretur, si corpus in ea humatum esse constiterit.

76, De his qui documenta ecclesiarum supprimunt aut negant.

77. De traditionibus ecclesiasticis observandis quæ fidei non officiunt.

78. Ut de redditibus ecclesiæ et antiquis et noviter acquisitis quartæ dentur.

79. De diei Dominici observatione.

80. De esdem re.

81. De panibus et aliis rebus quæ sacris altaribus offeruntur.

82. De eadem re.

83. De constitutis ecclesiasticis temporis qualitate moderandis.

CAPITULA LIBRI SIXTI,

Qui est de electione et ordinatione et de omni potestate sive statu episcoporum.

1. Ut papa incolumi nullus ambiat papatum; et de electione alterius, si ipse adhuc vivens nihil inde disposuerit.

2. Ut sanctum esse nemo dubitet quem apostolicæ dignitatis apex juste attollit.

3. Item de eligendis episcopis, ut puris mentibus fiat, et nullum pretium interveniat.

4. Ut in electione Romani pontificis nullus impedimentum aliquod faciat.

5. Ut irrita sit omnis electio episcopi vel presbyteri vel diaconi quæ a principibus fit.

6. De his qui se a populo electos asseverant

7. Ut extranei non præponantur his qui bene servierunt in ecclesiis suis.

8. Quod non licet populo electionem facere episcoporum.

9. Quod episcoporum electio non ex favore debet esse, sed ex judicio cautissimi examinis.

10. De quodam electo in episcopum quem beatus papa Gregorius reprobavit, et alium fecit eligi atque consecravit.

11. Quod vivente Romano vel alio pontifice nullus electionem præsumat facere.

12. De electione pontificis.

13. Quod invasorem epostolicæ sedis liceat cardinalibus excommunicare et expellere.

14. Ut ab ambitione omnes cessent, et ille papa permaneat quem clerus cum concensu populi elegerit.

15. Qui eligendus est episcopus, non sit laicus, non neophytus, non secundæ conjugis aut viduæ maritus.

16. Ut ad electionem metropolitani episcopi omnes provinciales episcopi conveniant: qnod si in duos se diviserint, ille præponatur qui melioribus meritis juvatur.

17. Quod principatus quem seditio extorsit, aut ambitus occupavit, et si non moribus, tamen exemplo initii est perniciosus.
18. Quod grave sibi parat damnum qui sublimat indignum episcopum.
19. Ut longa probatione viam bonam monstrent, quibus gubernacula Ecclesiæ sunt committenda.
20. Ne quis laicorum principum vel potentum se interserat electioni vel promotioni episcoporum.
21. Ut de aliena Ecclesia episcopus non eligatur, nisi dignus in propria non inveniatur.
22. Quod de altera Ecclesia non eligatur episcopus, si in ea dignus invenitur.
23. Quod Mediolanensis episcopus jubente papa ordinatus est.
24. Quod monachi vel laici nisi per gradus ecclesiæ non debeant ad summum sacerdotium pervenire.
25. Quod nullus Romanus eligatur pontifex nisi unus ex cardinalibus.
26. Qui sit neophytus; et ut ipse ad summos ordines non prosiliat.
27. De laicis qui ambitionis causa tonsurantur, et fiunt subito sacerdotes.
28. Quod secundum proprietatem nominis episcopus non est, qui dilexerit præesse et non prodesse.
29. Quod miserum est eum fieri magistrum qui nunquam fuit discipulus.
30. Quod jus ordinationis debet amittere, qui neophytum consecravit improvide.
31. Præceptum de electione Imolensis episcopi, et de consecratione Cumensis.
32. Ut in electione Romani pontificis nullus se audeat interponere, præter eos quos antiqua consuetudo admittit.
33. De ordinatione episcopi.
34. Ut omnes suffraganei cujuslibet archiepiscopi ipsum eligant et ordinent.
35. Quod non oportet ordinationes episcoporum diu differri.
36. Quod metropolitanus suos subjectos, et ipsi debent illum ordinare.
37. Quod episcopum esse non oportet, qui præter conscientiam metropolitani factus est.
38. Quod non licet turbæ electionem facere sacerdotum.
39. Qualis esse debeat qui in episcopum eligendus est.
40. Ut eligendus episcopus nihil det aut promittat cuiquam.
41. De episcopo ordinato, et in parochiam non recepto.
42. Quod dominus papa cujusdam episcopi consecrationem ideo distulit, quia uxorem adhuc et filios habuit, per quos ecclesiastica substantia periclitari solet.
43. Eruditio quid episcopum ordinatum oporteat facere.
44. Quod ab omni clero et universa turba dignum est eligi episcopum cum assensu episcoporum provincialium.
45. De ordine consecrationis summi pontificis.
46. De ordine consecrationis episcoporum.
47. Item de ordinatione episcoporum, qualiter, qua die, qua hora, fieri debeat.
48. Quod non oportet episcopum a paucioribus quam a tribus episcopis ordinari.
49. Qualiter consecrentur episcopi.
50. Ut præter conscientiam metropolitani nullus ordinet episcopum, sed nec unus solus.
51. Quoties ordinantur antistites in principalibus quatuor sedibus, debent vicissim synodicas mittere, quibus profiteantur generales synodos custodire.
52. De auctoritate quatuor conciliorum synodica sancti papæ Gregorii.
53. De ordinatione in Sabbato sancto post baptisma.
54. De ordinatione in Sabbato sancto Paschæ celebranda.
55. Ut electus episcopus, si qua contradictio insurrexerit, quinque episcopis expurgetur.
56. Quod episcopus moriens non debet alium pro se tanquam hæredem episcopum constituere.
57. De eadem re.
58. Quod ordinato papa ex communi consensu, quicunque illo superstite subintraverit, profanus erit.
59. Qui ab unitate Ecclesiæ recesserit, nec episcopi potestatem habere potest nec honorem.
60. Ut privilegium amittat, qui permissa abutitur potestate.
61. Ne quis invitus ordinetur.
62. Ut perdat vim ordinandi qui illicitas ordinationes fecerit.
63. Ut ab illicitis ordinationibus abstineatur.
64. Ut inter episcopos vel abbates non habeantur nec audiantur, qui de laicis hanc susceperint dignitatem, et idem de inferioribus gradibus.
65. Ut laicæ potestates non præsumant dare ecclesiasticas dignitates.
66. De sacrificiis episcoporum, qui contra Dei voluntatem fiunt.
67. Quod plebs a malo præposito separare se debet, et alium eligere dignum.
68. Ut inter episcopos non habeantur qui nec a clericis sint electi, nec a plebe expetiti, nec canonice consecrati.
69. Ut nullus per ambitum accedat ad episcopatum.
70. Ut ex laicis non fiant subito sacerdotes, neque per Simoniacam hæresim.
71. De eadem re.
72. De eadem re.
73. Quod ordinati ab hæreticis damnationem potius quam consecrationem accipiunt.
74. De eadem re. Et ut aliæ mulieres cum sacerdotibus non habitent nisi quas canones permittunt.

75. Quod non solum a munere pecuniæ, sed et a munere obsequii et linguæ cessandum est.

76. Quod Simoniacus est qui pro electione præmia largitur.

77. Qui contra Simoniacam et neophytorum hæresim vehementer non arserit, partem habebit cum illis a quibus incepit.

78. De damnatione eorum qui donum Dei emunt vel vendunt.

79. De damnatione hæresis Simoniacæ.

80. Ut omnis qui per pecunias dederit vel acceperit sacrum ordinem, a gradu suo decidat.

81. Quod non oportet episcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.

82. Sicut sacros ordines, ita et pallium, neque per gratiam vel preces dari oportet.

83. Ut pro ordinatione vel usu pallii, seu chartarum atque pastelli, nihil commodi detur.

84. Ut si quis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum ad sedem apostolicam non miserit, commissa sibi careat dignitate.

85. Ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis fortiterque postulanti dari non debeat.

86. Quod cum usu pallii semper aliqua privilegia sunt concedenda ab apostolico.

87. Quod archiepiscopi non debent uti pallio nisi in missis.

88. Ne absque licentia sedis apostolicæ episcopus vel diaconus utatur dalmaticis.

89. De auctoritate Arelatensis episcopi.

90. Quod tantum intra missarum solemnia pallio utendum sit.

91. Quod sanctus Gregorius electionem episcopi affirmat, et pallium dat.

92. De eadem re.

93. Quod pallium non debet cuiquam dari, nisi post consuetam fidei professionem.

94. Quod mutationes episcoporum communi consilio et utilitate per apostolicam auctoritatem fieri possunt.

95. Quod sacerdotes ad ecclesias cupiditatis gratia migrare non debent.

96. Quod si episcopus, despecta civitate sua, ad majorem migraverit, careat tam propria quam aliena.

97. Quod causa necessitatis aut utilitatis mutationes episcoporum fieri possunt.

98. Quod episcopalis sedes ad alium ejusdem diœcesis locum necessitatis causa transponatur.

99. De expulso episcopo in alia Ecclesia incardinato, et de vitandis ordinationibus illicitis.

100. Quod papa duos episcopatus redigere possit in unum.

101. Quod episcopus propria voluntate in aliam civitatem mutatus debet removeri, et alius ibi ordinari.

102. Quod episcopo non licet dimittere ecclesiam suam, sicut nec marito uxorem.

A 103. Ut Ecclesia non judicetur nisi a suo episcopo, qui si persecutus fuerit in sua, fugiat ad aliam. Aut si utilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat.

104. Quod non oportet episcopum vel reliquos ordines demigrare.

105. Quod in civitatibus quibus olim primi flamines erant, primates et patriarchas esse sanctus Petrus præcepit, in quibus archiflamines archiepiscopi essent.

106. De eadem re.

107. Quod provincia est quæ habet decem vel undecim civitates cum episcopis, et unum regem.

108. Ut metropolitani suas provincias gubernent, salva tamen apostolica auctoritate.

109. Quod primates in majoribus urbibus debeant B esse, ubi gentiles olim suos propter majora negotia primates appellabant.

110. Ut episcopi ad comitatum non vadant, nisi formatam a Romana Ecclesia accipiant.

111. Ut nullus episcopus ad comitatum pergat, nisi vocatus a religiosis imperatoribus.

112. Ut qui in canali sunt episcopi, euntes ad comitatum sollicite discutiant.

113. De episcopo Sereno invite ad comitatum pro facti inhumanitate ducto.

114. Item ut episcopi ad comitatum non proficiscantur nisi consulto apostolico.

115. Ut nemo subjectus regulæ ecclesiasticæ adeat imperatorem, nisi cum consilio metropolitani vel reliquorum episcoporum.

C 116. Incipit epistola formata a trecentis decem et octo episcopis, et Attico Constantinopolitanæ urbis episcopo edita. De litteris formatarum.

117. Ne quis episcopus ordinet aut retineat vel judicet clericum alterius absque ejus voluntate.

118. Ut nullus episcopus de alterius parochia se quidquam intromittat nisi rogatus.

119. De eadem re.

120. De eadem re.

121 Ut episcopus non leviter cuiquam dimissorias faciat litteras.

122. Ne universalis quisquam vocetur.

123. De eadem re.

124. Quod papa episcopum damnatum possit restituere.

D 125. Ut episcopi secundum ordinationis suæ tempus sedeant in concilio et subscribant.

126. Ut nullus præsumat ea quæ sibi non sunt concessa.

127. Quod doctor vel pastor si a fide exorbitaverit, a fidelibus corrigendus erit.

128. Quod sæpe pastores Ecclesiæ depravantur, ut magis corruant qui sequuntur.

129. Quod magis proficimus communibus et alternis orationibus quam privatis et singularibus.

130. Ut imperitis et rudibus Ecclesia non committatur regenda.

131. Ut episcopi sacrificantes secum habeant

testes in solemnibus diebus diaconos septem vel A octo.

132. Ut episcopi semper secum habeant testes sacerdotes et levitas.

133. Ut clerici vel electi monachi cubiculares sint episcopi.

134. Ut clerici Ecclesia habens episcopum, habeat et œconomum.

135. Quod episcopus non debet pravos homines in sua societate habere.

136. Ut omnis episcopus suum habeat vicedominum : aut si ipse neglexerit, clerus eligat unum.

137. Ut episcopus res Ecclesiæ sæcularibus viris non committat.

138. Ut res Ecclesiæ sæcularibus non committantur.

139. Quod episcopalis dignitas ab ea civitate subtrahitur, quæ proprium episcopum interemit.

140. De tribus personis, pastoris, mercenarii, et furis.

141. Quod filii ex adulterio nati ad sacerdotium possunt promoveri.

142. Quod bigamus aut concubinam habens non potest esse episcopus, nec presbyter, nec diaconus nec cætera.

143. Quod excelsæ sedes episcoporum significant speculationem et potestatem ipsorum.

144. Quod valde timenda est sententia episcopi, licet injusta ; et non communicandum quibus ipse non communicat.

145. Quod pastores placere non possunt lupis pariter et gregibus.

146. Quod inferiorum culpæ ad negligentes rectores maxime referuntur.

147. Ut sacerdotes et ministri altaris sæcularibus curis abstineant.

148. Ut destruatur quod illicite commissum est.

149. Quod Christiani principes debent episcopis caput subdere, non de eorum capitibus judicare.

150. Quod petendum est auxillium ab imperatore quando fuerit necesse.

151. De sacramento synodali.

152. De sacramento episcoporum a schismate redeuntium ad catholicam unitatem.

153. Quod Leo episcopus se de quodam sinistro rumore sacramento ad beati Petri sanctissimum corpus expurgavit.

154. De fide sanctorum Patrum in Ecclesia servanda.

155. Ut episcopi, qui apostolicæ sedis ordinationi subjacent, annue Idibus Maii sanctorum apostolorum Petri et Pauli liminibus præsententur.

156. Quod beatus Gregorius se dicit non recognoscere qui canones nolunt custodire, arguens negligentiam.

157. Quod episcopi ad sæcularia negotia non ordinantur, sed laici hæc curare debent.

158. Quod episcopus, presbyter et diaconus peccantes fideles verberare non debent.

159. Ut res ecclesiæ in sua potestate habeat episcopus, et per presbyteros ac diaconos dispenset.

160. Ut si episcopus res habeat proprias, cui vult derelinquat, non autem res ecclesiæ.

161. Quod si presbyteri, cum episcopus non est, de rebus ecclesiæ quid vendiderint, ad ecclesiam revocetur.

162. Ut episcopus dispensandi res ecclesiasticas habeat potestatem, et eam non committat domesticis aut propinquis vel fratribus suis.

163. Quod Syracusanus et cæteri Siciliæ episcopi a quolibet diœcesis suæ presbytero nunquam ultra duos solidos cathedratici nomine accipere debeant.

164. Ut nullus sacerdotum rem tituli sui usurpare præsumat.

B 165. Ut non liceat episcopo a sacerdote vel alio clerico vel a sanctis locis ultra statuta Patrum quidquam exigere.

166. Quod non debent episcopi a suis clericis vel monachis aliquam pecuniam turpis lucri gratia exigere.

167. Quod non licet episcopo res in episcopatu acquisitas alienare, sed quas antea habuerit, cui vult judicare.

168. Quod non licet episcopo cimelia vel vasa sancta vel cætera alienare, nisi pro redemptione captivorum.

169. Ut per singulos gradns ad ordinem suum ascendat episcopus.

170. De Marcellino papa, qui coactus thurificavit, et postea martyr factus est.

C 171. Ut omni die Dominico et natalitiis martyrum *Gloria in excelsis* cantetur.

172. Ut presbyteri simul cum papa canonem in festis dicant.

173. De benedictione chrismatis et sacri olei.

174. Quod non licet episcopo abesse per tres septimanas ab Ecclesia sua.

175. Quod non licet alicui relicta principali cathedra ad aliquam in diœcesi ecclesiam se conferre.

176. Ut episcopus in sæcularibus causis non occupetur.

177. De eadem re.

178. Quod episcopus negligens non debet esse, sed studiosus circa filios et pauperes.

179. Quod metropolitanus nihil extra parochiam D suam agat.

180. Quod solus episcopus diaconum vel presbyterum deponere non potest.

181. De his qui in plebes irruunt, quas ad se pertinere putant.

182. Quod papæ primum colobiis usi sunt, quæ postea in dalmaticas commutata sunt.

183. Quod non licet episcopo vel abbati res ecclesiæ principibus tribuere, aut propinquis nisi ut pauperibus.

184. Quod non licet episcopis vel clericis claris vestibus ornari.

185. Quod nihil facilius, sed apud Deum damna-

bilius, quam sacri ordines, si secundum homines agantur; si vero secundum Deum, nihil difficilius ac beatius. A

186. Quod boni principes ecclesias debent ædificare, et sacerdotes tueri et honorare.

187. De eadem re.

188. Quod episcopi ad judices sæculares non debent confugere.

189. Ut laicus episcopum sub digna custodia dirigat (6).

190. Ut schismatici per publicas potestates reprimantur.

191. De falsis et apocryphis libris ut in usu lectionis non habeantur.

192. Qui libri sint legendi.

193. Quod ideo non recipiendi quilibet apocryphi libri.

194. De brevi annexu librorum in canone sanctarum Sripturarum receptorum.

195. Ut in Ecclesia præter canonicas Scripturas nihil legatur.

196. De plebibus qui nunquam episcopos habuerint.

197. De his qui in aliena Ecclesia vel provincia audent ordines efficere.

198. Quod bis in anno episcopi in provincia congregentur quo metropolitanus voluerit.

199. De episcopo ad Ecclesiam sibi commissam ire nolente.

200. Si episcopus infirmus fuerit, qualiter alius ei succedere possit.

201. Ut episcopi quoties ad consignandos infantes egrediuntur, subjectis suis graves non existant.

B 202. Epistola Urbani papæ secundi comprobans ecclesiarum emptores et venditores esse Simoniacos, et quod missæ sceleratorum sacerdotum sint respuendæ.

CAPITULA LIBRI SEPTIMI,

Qui est de ordinatione presbyterorum, diaconorum, et reliquorum ordinum.

1. Quod communiter omnibus vivendum est, maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt.

2. De interpretatione vocabuli quod est *clericus*, et quod Dominus pars clericorum est, et quod ipsi de sorte sunt Domini.

3. De communi vita clericoram, et eorum qui se continere non possunt.

4. Item de communi vita clericorum, et quod res ecclesiæ in alios usus quam ecclesiasticos converti non debent. C

5. De claustris et officinis clericorum.

6. Quod clericis communiter viventibus proprium habere non licet.

7. De diaconis et religiosis personis, ut canonice vivant.

8. Quod adolescentes in clero positi probatissimo seniori deputentur.

9. De quibus laicis quis non possit ad clericatum pervenire.

10. Ut qui viduam duxerit uxorem seu ante baptismum seu post baptismum, clericus non fiat.

11. Ut bigamus clericus non fiat.

12. Ut pœnitens clericus non fiat. D

13. Ut clericus nec viduam nec ejectam ducat uxorem.

14. Ut qui uxorem virginem non duxerit, ad sacros ordines non aspiret.

15. Ut inscii litterarum vel membris truncati sive pœnitentes ad sacros ordines non aspirent.

16. Ut hi qui baptizati vel rebaptizati sunt extra catholicam Ecclesiam, ad sacros ordines non accedant.

17. De his qui ad sacros ordines non debent promoveri.

18. Quod pœnitentes, quamvis peccato sint mundati, clericatus tamen honorem adipisci non possint.

19. Quod venia pœnitentibus bigamis et viduarum maritis ita olim est concessa, ut tales ultra non promoverentur.

20. Ut qvi invitus ad agendam pœnitentiam in monasterium mittitur, ad sacerdotium pervenire non permittatur.

21. Ut transmarinum hominem nemo ad clericatum suscipiat, nisi sub quinque episcoporum testimoniis.

22. Ut nullus ex pœnitentibus clericus ordinetur.

23. Quod incogniti et peregrini ad sacros ordines non suscipiantur.

24. De his qui ad sacros ordines pervenire non possunt.

25. Ut nullus episcopus alterius servum, nolente domino suo, promoveat.

26. De mancipiis non ordinandis; aut si ordinentur, suis dominis restituantur.

27. De eadem re.

28. Qui sint pœnitentes, et ad quos ordines pervenire possint.

29. Ut nullus laicus nisi per distinctos gradus ad presbyteratum ascendat.

30. Ut nullus laicus ad sacrum ordinem assumatur, omissis clericis qui ministrarunt jam Dominicis castris.

31. Qui laici ad clericatum possint promoveri.

32. Quod is qui membrum sibi volens abscidit, ad

(6) Agitur in textu de pseudoepiscopo ad sedem apostolicam dirigendo.

clericatum admitti non debet; si casu evenerit, non A prohibetur.

33. De eunuchis et qui se ipsos absciderunt.

34. Quod presbyteri post susceptum ordinem casu corpore debilitato, ordinem suum amittere non debent.

35. Ut qui præter formas canonum venerit ad sacerdotium, ipse et ordinator ejus honore privetur.

36. Quod non licet neophytum vel laicum inconsiderate presbyterum vel diaconum ordinari.

37. Ut non fiant ordinationes illicitæ.

38. Ut ordinatio presbyterorum vel levitarum congruo tempore solemniter fiat.

39. Ut in principio Dominicæ noctis fiant sacri ordines, sive mane, eodem die continuato jejunio.

40. De presbyterorum et diaconorum ordinationibus certis celebrandis temporibus. B

41. Quod pueri ad sacros non admittantur ordines, et nulla sit in ordinatione venalitas.

42. Quod per gradus singulos debent a minimo ascendere qui volunt in Ecclesia militare.

43. Per quæ tempora et per quos gradus ascendendum sit ab infantia usque ad summum sacerdotinum.

44. De eadem re.

45. De ordine consecrationis ecclesiasticorem ordinum.

46. De eodem.

47. Quod presbyter et diaconus ab uno tantum episcopo ordinantur.

48. Qualiter psalmista, id est cantor, ordinetur.

49. De ordinatione ostiarii. C

50. De ordinatione lectoris.

51. De ordinatione exorcistæ.

52. De ordinatione acolythi.

53. De ordinatione subdiaconi.

54. De ordinatione diaconi.

55. De ordinatione presbyteri.

56. Ut diaconi suum servent ordinem, et officiis presbyterorum se non implicent.

57. De ordine et officio diaconorum.

58. Quod presbyteris diaconi, et diaconis sequentes clerici honorem debent exhibere.

59. De obedientia diaconorum erga presbyteros.

60. Ut diaconus eucharistiam presbyteris subministret.

61. Ut diaconus jubente presbytero sedeat. D

62. Ut diaconus coram presbytero sedeat.

63. Ut diaconus tempore tantum officii alba induatur.

64. Ut minores ordines majoribus sint subjecti.

65. Quod diaconi quasi oculi sunt episcopi, qui circumlustrare debent ecclesiam, et docere laicos.

66. Quod in unaquaque civitate debent esse septem diaconi qui custodiant episcopum.

67. Quod ministri sacri altaris cantare non debeant, sed prædicationi et eleemosynis vacare.

68. Quod Deo non voce tantum sed corde cantandum est in ecclesia.

69. De ministerio diaconorum, sine quibus sacerdotes nomen habent, officium non habent.

70. Quod quidam necessitate diaconus factus est, qui post mortuam uxorem filios habuerat de ancilla.

71. Ut diaconi calciati compagis non procedant.

72. De archidiacono quem suus episcopus voluit callide promovendo deponere.

73. Quod archidiaconi res ecclesiæ debent arctius custodire.

74. Quod vicedomino episcopium est committendum.

75. Quod in Romana Ecclesia ordinatus, inde ulterius egredi non debet.

76. De quodam quem fecit sanctus Gregorius acolythum, et remisit eum ad obsequendum episcopo suo.

77. Quod papa possit concedere clericos unius Ecclesiæ in alia ordinari.

78. Quid ab episcopo, quid a presbytero, quid a diacono suscipi debeat.

79. Quod septem diaconi, et totidem subdiaconi per civitatem Romanam ordinati sunt.

80. De septem subdiaconis qui septem notariis imminerent.

81. Quod regiones, sicut in urbe Roma, per singulas urbes diaconis dividantur.

82. Quod diaconus in sinistro humero stolam gestare debet.

83. Quod non debet diaconus in presbyterio sedere cum divina celebrantur, neque corpus Domini prærogare presbytero præsente.

84. Quod subdiaconus orario non utatur, nec hostiam derelinquat.

85 Quod lectores et cantores orariis non utantur.

86. Quod presbyteri majores sunt diaconis, et quod olim id presbyter quod episcopus (7).

87. Quod secundum canonica instituta inquirenda est vita ordinandi presbyteri; et quod in omni ecclesia necessarius est presbyter et minister.

88. Ut personæ promovendæ diligenter inquirantur, et presbyteri semper recitent nomina apostolici et ordinatoris sui.

89. Quo ætatis tempore presbyterum conveniat ordinari.

90. De eorum promissione qui ad gradus ecclesiasticos promoventur.

91. Quod sacerdotes non propter ætatem sed propter sapientiam presbyteri dicuntur.

92 Quod si diaconi nolunt in presbyterii gradum promoveri, de acolythis et subdiaconis qui sunt idonei ordinentur, et illis honore atque commodo præferantur.

(7) Nihil affertur ab Anselmo in textu nisi Hieronymi celebris epistola ad Evangelum (ed. Vallars. n. 146) quam cum doctissimi homines sæpe explicaverint, et episcopatus necessitatem atque excellentiam supra presbyteratum asseruerint, haud opus est hic diutius disputare.

93. De clericis qui non obtemperant suis episcopis, dum volunt eos promovere.

94. Quod reconsecrari nullus possit.

95. Ut nemo absolute (8) ordinetur.

96. Quod presbyter in qua Ecclesia ordinatus est permanere debet.

97. De his qui in ecclesiis quibus provecti sunt minime perdurant.

98. Ut in duarum civitatum ecclesiis nullus clericus conscribatur.

99. Quod minime clericos transmigrare oportet.

100. Ut clericus non connumeretur in duabus ecclesiis.

101. Ut singula ecclesiarum officia singulis committantur personis.

102. Ut clerici nihil præter proprii officii licentiam agant.

103. Quod ex monachis presbyteri in ecclesia possint ordinari.

104. Quod presbyteri ordinati ab his de quibus dubium est an episcopi essent, a catholico ordinentur si utiles sunt.

105. Quod non debent sacerdotes sine sacerdotali ornatu extra domos apparere.

106. Quod presbyteri parochiæ dum ordinantur, libellum officialem a suo sacerdote accipere debent.

107. Quod maxime sacerdotibus vitanda est mater errorum ignorantia.

108. Quod oportet presbyterum vel diaconum, quando per parochias constituitur, professionem facere castitatis.

109. Quod intolerabilis est inscientia in sacerdotibus.

110. Quod nulli sacerdotum licet canones ignorare.

111. Qui libri sacerdotibus necessario sint discendi.

112. De precibus et orationibus.

113. De præfationibus quas tenet Ecclesia Romana.

114. Quod nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat.

115. Quod Simoniacus est qui ordinem emit, et ab ordine sui officii submoveri debet.

116. De iis quibus chorepiscopi et presbyteri distant ab episcopis.

117. Ut chorepiscopi de officio quod ad summos sacerdotes pertinet nihil præsumant.

118. Ut presbyteri ad episcopale officium non aspirent.

119. De eadem re.

120. Ut presbyteri baptizatos chrismate tangant in fronte ubi episcopi desunt.

121. Quod idem olim episcopus qui presbyter (9).

122. Quon presbyteri qui Christi corpus per-
A ficiunt, et populum benedicere ac prædicare possunt.

123. Ut episcopi clericos, et clerici honorent episcopos.

124. Qualiter episcopi et presbyteri ligare ac solvere debeant.

125. Quod clerici monachis præstant.

126. Quod non licet missas cantare nisi in locis sacratis.

127. De eadem re.

128. Ut presbyter minus quam cum duobus missam non celebret.

129. Quod solum sacrati sacerdotes debent missas cantare, et nonnisi in loco sacrato.

130. Quod presbyteri soli non debent missas can-
B tare nec in quolibet loco.

131. Ut si presbyter inceptum non potest implere officium, alius pro eo presbyter expleat.

132. Ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare.

133. Quod presbyteri qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur.

134. Ut presbyteri et levitæ cum uxoribus suis non misceantur.

135. De subintroductis mulieribus.

136. Quod sacerdotes cum mulieribus non habitent præter quas cononum censura permittit.

137. Quod lex continentiæ eadem est altaris ministris quæ episcopis atque presbyteris.

138. Quod nec habitare cum mulieribus diaconi
C debent.

139. Quod subdiaconi carnale conjugium habere non debent.

140. De eadem re.

141. Ut clerici soli ad feminarum tabernacula non accedant, nec confabulentur cum eis soli.

142. Ut concubinæ clericorum venumdentur, clericis vero pœnitentia imponatur.

143. Ut in clericorum domibus mulieres non habitent, præter quos synodus Nicæna permittit.

144. Ut clerici ad pubertatem venerint, aut conjugium, aut castitatem profiteantur.

145. Ut clerici vel continentes ad virgines vel viduas soli non accedant.

146. Quod major a minore non debet benedici.

D 147. Quod non est quærendum quis prædicet, sed quem quisque prædicet.

148. Quod præpositi sua quærentes, mercenarii sunt.

149. Quod omnia quæ episcopi vel presbyteri vel quicunque clerici in qualibet ecclesia ordinati adquisierunt, debent esse ejusdem ecclesiæ.

150. Ut clerici res ecclesiæ non vendant nescientibus episcopis, nec episcopi inconsultis presbyteris.

151. Quod sacerdotes cupidi non debent esse.

(8) Nempe sine titulo speciali seu assignatione ad certum ministerium, ut est in textu.

(9) Nihil aliud recitat in textu Anselmus nisi notissimum Hieronymi locum ex Commentario in Epist. Pauli ad Titum I, 5.

152. Quod clericus nec per alium fenus attentare debet.
153. Quod clerici non sint conductores vel negotiatores.
154. Ut clerici usuram non accipiant.
155. Quod clerici debent papæ intimare, si viderint episcopum suum contra ipsius præceptum agere, aut dampnum in ecclesia.
156. Ut clerici si viderint episcopum vel presbyterum seu diaconum excedere statuta Romani pontificis, ipsi debeant indicare.
157. Quod oportet presbyteros et diaconos scire omnia quæ sunt Ecclesiæ.
158. Quod sacerdotes cæterique fideles in ecclesia non sedeant quando evangelia leguntur.
159. De clericis superbientibus contra episcopum suum, et ut monasterium conditiones episcopo reddat quas fundator tempore consecrationis disposuit.
160. Ut nemo ex ordine clericorum intret in curiam.
161. Ut clericus sui episcopi insidiator curiæ tradatur.
162. Ut clerici, præter Romanos, mappulis non utantur.
163. Ne quis clericum alicujus episcopi illo invito suscipiat.
164. Quod non oportet peregrinos clericos sine commendatitiis ministrare.
165. Ut clerici scurriles abjiciantur.
166. Si quis potentium quemlibet exspoliaverit, et admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur.
167. De jejunio clericorum ante Pascha, et de missa in nocte Nativitatis Domini.
168. De tempore Quadragesimæ.
169. Quibus temporibus anni temporalia celebrentur.
170. Quod quisque pro suis mortuis vere Christianis offerat oblationes, eorumque presbyter faciat memoriam.
171. Quare dies III, VII, XXX, pro mortuis celebrentur.
172. Quibus defunctis sacrificia vel oblationes prosint viventium.
173. Quod non sit nimium de amicis mortuis contristandum.
174. Ut episcopia vel monasteria non nemo fiat communia diversoria.
175. Quod presbyteri et diaconi non debent monasteriis praeesse nisi vitam mutaverint.
176. Ut in monasterio abbas non alius eligatur, nisi qui dignis sit actibus et moribus.
177. Ut si quis in monasterio converti voluerit, prius diligenter probetur.
178. Quod pro suo arbitrio non debent monachi expellere aut ordinare sibi abbates.
179. Quod paterna devotio vel propria confessio monachum facit.
180. Ut contentiosi monachi etiam a laicis constringantur.
181. De clericis monachorum appetentibus propositum.
182. Ut serviles personæ in monasteriis non teneantur extra voluntatem dominorum suorum.
183. Quod conversi in monasteriis ante biennium non tonsurentur.
184. Quod cum aliquis fit monachus, omnes res juris monasterii fiunt.
185. Ut monachi commatres sibi non faciant.
186. Ut monasteria nemo perturbet, sed episcopo loci illius curæ sit causas utilitatesque eorum disponere,
187. Ut clerici negotiis sæcularibus non illigentur, neque ad tutelam vel curam ullo modo nominentur.
188. Quod diaconi et presbyteri nonnisi certo, cæteri vero clerici omni tempore ordinantur.
189. De clericis arma sementibus.
190. Quod episcopo præsente vel presbyteris urbis, in ecclesia civitatis presbyteris ruris offerre non licet.
191. Ut ecclesia per sæcularem dignitatem non obtineatur.
192. De rerum venditione, quæ ex consecratione proveniunt.
193. Quod missa a talibus nequeat celebrari.
194. De (non) ordinato si ordines sibi usurpaverit.
195. De clericis qui ad sæcularia judicia transeunt.
196. Ut clerici præfecti vel ordinati in parochiis, monasteriis, atque martyriis, in proprii episcopi maneant potestate.
197. De his qui de propria parochia ad aliam, deinde omnino demigrant.
198. De his qui propositum monachi reliquernnt.
199. Ut non liceat personam ecclesiasticam ad testimonium dicendum pulsari.
200. De his qui viduam aut dimissam duxerint, vel homicidio consenserint.
201. De virginibus consecrandis.
202. De viduis ab episcopis non velandis.
203. De votis monachorum ac virginum prævaricatis.
204. De clericis vel monachis non manentibus in suo proposito.
205. Quod juvenculæ abbatissæ non fiant, et virgo nonnisi sexagenaria veletur.
206. Quod sacratæ Deo feminæ vel monachæ sacra vasa vel sacratas pallas contingere non debent, nec incensum circum altare deferre.
207. Ut oblatio ab omnibus fiat Dominicis diebus.
208. De oblatione et pace.
209. De panibus benedicendis.

Incipiunt capitula Placentinæ synodi quæ celebrata est a domino papa Urbano secundo (10). Sunt autem capitula xx.

(10) Urbani II pontificatum obitu S. Anselmi posteriorem fuisse scimus. Sed jamdiu est exploratum addita quædam fuisse Anselmi codicibus, id quod scripturæ quoque differentia sæpe demonstrat.

CAPITULA LIBRI OCTAVI

Qui est de lapsis.

1. Ut qui ex clero lapsi fuerint, pauperrimis monasteriis ubi pœniteant tradantur ipsi et res ipsorum; aut si parentes habeant, ipsi res accipiant, ut sufficientiam eis provideant.

2. A quibus officiis se ministri altaris contineant, si post ordinem cum suis uxoribus misceantur, quibusve utantur.

3. Quod nemo post pœnitentiam sit clericus, rigore disciplinæ non indulgentiæ desperatione statutum est.

4. Ut viduarum mariti et numerosa habentes conjugia ab omnibus ecclesiasticis officiis arceantur.

5. De eadem re.

6. Quod papa Siricius pœnitentibus, bigamis, et viduarum maritis gradus quos tunc habebant concessit, præcipiens ne ultra tales promoverentur.

7. Quod episcopi vel sequentes gradus sacra mysteria contrectantes, si se ab uxoribus non continent, ab ecclesiastico officio removeantur.

8. Quod sacerdotes et levitæ suis uxoribus non misceantur, quia quotidiano ministerio occupantur.

9. Ut clerici excommunicentur qui se post tertiam admonitionem non continent.

10. De damnatione incontinentis presbyteri.

11. De his qui ad presbyterium promoventur, et ante ordinationem peccatorum sibi sunt conscii.

12. Quod episcopi fornicantes deponendi sunt.

13. De his qui ad honorem presbyterii sine examinatione provecti sunt.

14. Quod liceat episcopo vel presbytero seu qui in clero est, expurgare se, si testes defuerint.

15. Ut presbyteri qui se expurgare de fornicatione non possunt, a ministerio moveantur.

16. Ut conspiratores adversus episcopos suos ab omni gradu removeantur.

17. Ut qui calumniam vel insidias vel convicia suo episcopo intulerit, depositus curiæ tradatur.

18. Quod clericus vel monachus si conspiraverit, vel calumniam episcopis, vel clericis machinatus fuerit, proprio cadat gradu.

19. De clericis in hæresim lapsis et postea conversis.

A 20. Ut ex sacris ordinibus lapsi, ad sacrum ministerium nec post pœnitentiam revocentur.

21. Ut presbyter qui, postquam depositus est, missam celebraverit, communione corporis et sanguinis Domini usque ad obitus sui diem privetur.

22. De diacono et presbytero lapsis, ut ad sacros ordines amplius non redeant, et subdiaconi lapsi inter laicos communionem habeant.

23. De episcoporum carnis munditia.

24. De his qui ab hæresi ad Ecclesiam revertuntur.

25. Ut in loco lapsi episcopi alius restituatur.

26. Quod presbyter post lapsum in sacro ordine nec permanere nec revocari potest.

B 27. Quomodo hi qui injuste depositi sunt, ab episcopis coram altari debeant restaurari.

28. Ut temere quis non communicet lapsis.

29. De lapsis, quibus propter pœnitentiam et manus impositionem, communio periclitantibus concedebatur.

30. Quod vigor antiquitatis servetur in lapsis usque ad auctoritatem et consilium papæ.

31 De his qui ex fuga comprehensi sunt, et per vim pagani ritus aliquid protulerunt, ut a communione non moveantur.

32. Qui a melioribus quæ deliberant succumbunt, coram oculis Dei ceciderunt.

33. Quod plurimum possunt pro lapsis merita C sanctorum, præsertim cum dies judicii venerit.

34. Ut clerici Donatistarum in suis honoribus suscipiantur.

35. Ut lapsi ad suum ordinem non revocentur.

36. Ut hi qui pro deserenda accusatione sacros acceperunt ordines, eisdem priventur ordinibus.

37. Qui reparari possint post lapsum, et qui minime.

38. De clericis qui sine consultu episcopi sui uxores duxerunt.

39. Quomodo recipi debeant qui prævaricati sunt, cum ad Ecclesiam redeunt.

CAPITULA LIBRI NONI,

Qui est de sacramentis.

1. Ut in sacramentorum oblationibus nihil offeratur nisi panis et vinum aqua mixtum.

2. Ut sacrificium altaris in puro lineo panno ab episcopo sacrato celebretur.

3. Ut a jejunis sacrificium Deo celebretur.

4. Quod nec vinum solum nec aqua sola in calice offerri debet.

5. Unde calix Domini fieri debeat.

6. Quod non hominis consuetudinem sed Dei oporteat sequi voluntatem.

D 7. Quod ad hoc cœlestem cibum sumere debemus, ut in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

8. Quod caro Domini vere est cibus, et sanguis vere est potus.

9. Quod Christi corpus ideo edimus, ut vitæ æternæ participes esse possimus.

10. De his quibus omnibus Dominicis communicare licet diebus.

11. De eadem re.

12. Quod dum Dominicum sacramentum malus acceperit, tamen illud malum non efficit.

13. Ut baptisma non fiat præter Pascha et Pentecosten, nisi cogente necessitate.

14. Quod legitima tempora baptizandi sunt præfixa, id est Pascha et Pentecoste.

15. Quod juxta apostolicam sedem in Epiphania baptizandum non est.

16. De redditione baptizandorum.

17. Quod dum tertio baptizatus mergitur, triduanæ sepulturæ sacramentum signatur.

18. Ut ad suscipiendum de baptismo infantem unus tantum accedat.

19. Quod catechumeno et in baptismo et in confirmatione unus pater potest esse.

20. Quod si quis ex conjugio filium alterius ad aliquod sacramentum tenuerit, utique compatres habentur.

21. Si quis in perfidia manens baptizatur, aut nullam accepit remissionem aut ad temporis punctum.

22. Nisi regeneratus confirmetur ab episcopo, perfectus Christianus esse non potest.

23. Ut omnes fideles post baptismum per manus impositionem episcoporum accipiant Spiritum sanctum.

24. Quod mox morituros babptisma salvat, victuris autem necessaria est chrismatis confirmatio.

25. Quod solis debetur episcopis confirmatio chrismatis.

26. Quod magis veneranda est manus impositio episcoporum quam baptismus.

27. Quod sine baptismo nemo potest salvari, et sine ipso quis non debet participare corpore et sanguine Domini.

28. Quod corpore et sanguine Domini parvulus participat, cum membrum Christi in baptismo efficitur.

29. Quod manus impositio repeti potest (11).

30 De renovando chrismate singulis annis.

31. Ut baptizati ab hæreticis sola manus impositione confirmentur.

32. De eadem re.

33. Quod donum Dei, quod est charitas, extra Ecclesiam nec haberi potest nec dari.

34. Quod hæretici et schismatici, quidquid habeant, charitatem non habent.

35. Quod tam per malos quam per bonos sacramenta administrentur.

36. Quod sacramentum baptisma apud hæreticos et haberi et dari potest.

37. Quod eadem sacramenta ubique sunt integra.

38. Quod remissio per columbæ gemitum datur, quicumque baptizet.

39. Quod hæretici sacramenta et Scripturas habent ad speciem non ad salutem.

40. Quod si per vim sacramenti remissio fit peccatorum, sicut avarus ita et hæreticus; si per meritum, nec avarus, nec hæreticus.

41. Quod mali sacramentum Christi maculare non possunt.

42. Quod sacramenta Dei ubique recta sunt.

43. Quod sacramentum apud hæreticos haberi et dari potest, effectus vero sacramenti minime.

44. De eadem re.

45. Quod parricidalibus manibus se sacra mysteria subtrahunt.

46. Quod non ita nocet perfidia parvulis, quemadmodum fides profuit cum baptizarentur.

47. Quod perceptam in baptismate Christi gratiam parvuli non amittunt nisi propria impietate.

48. Quod ita parvuli per alios credunt, sicut ab aliis peccata, quæ in baptismo dimittuntur, traxerunt.

49. Quod mater Ecclesia etiam invitos sanat.

50. Quod hæretici errorem acceptum debent amittere, non sacramentum, quod similiter ut nos acceperunt.

51. De eadem re.

52. Quod nec ante baptismum bigamus, ordinetur episcopus.

53. Quod Deus hæreticorum sacrificia detestatur.

54. De eo qui necessitate extrema a non catholico communionem susceperit.

55. Quod Spiritus sanctus procedit a Filio.

56. Quod virtus sacramenti non est in sacramentis quæ ab Ecclesia segregati celebrant.

57. De intincta eucharistia.

58. Si presbyter infirmum baptizare neglexerit.

59. De his de quibus dubitatur utrum baptizati sint.

60. De eadem re.

61. Item de eadem re.

62. Quod solum baptisma eis qui ab hæreticis baptizantur esse permittitur, et non cætera mysteria.

63. De gentibus ad fidem venientibus, omni tempore, si necesse fuerit, baptizandis.

64. De trina et una immersione baptismatis.

65. Quod eos quos post damnationem baptizavit vel ordinavit Acacius, nulla portio læsionis attingat.

66. Quod præcisi ab ecclesia Spiritum sanctum non habent.

67. Qualiter baptizandi ante baptismum catechizentur.

68. De baptismo.

69. De confirmatione.

70. De sacramento altaris.

(11) Puta ad reconciliandum hæreticum, vel quid simile, non autem ad sacramentum repetendum.

CAPITULA LIBRI DECIMI,

Qui est de conjugiis.

(12) Veluti si latro latrocinii socio fidem non servet in partienda præda; vel mulier vagam potius libidinem exerceat, quam unico conjugio, quamvis illegitimo, contenta sit. Sic in textu S. Augustini.

62. Ut vir uxore vivente, aut uxor vivente viro, nullatenus alteri copuletur.

63. De propinquorum copulatione cavenda.

64. Quod infames vocentur qui ex consanguineis nascuntur.

65. Ut vir non conjungatur consanguineis uxoris, sicut nec suis.

66. Quod uno modo parentela viri et mulieris in conjunctione consideranda sunt.

67. Sacramentum de parentela quomodo inquirenda sit.

68. Juramentum testium.

69. Sacramentum de separandis incestuosis.

CAPITULA LIBRI UNDECIMI

Qui est de pœnitentia.

1. De pœnitentia quæ agitur ante baptismum.

2. De pœnitentia, quæ agitur post baptismum, de gravioribus.

3. De pœnitentia quæ de quotidianis peccatis agitur.

4. Quomodo sit agenda pœnitentia.

5. Quod aliter pœnitere debent qui minus, et aliter qui magis peccant.

6. Quod post conversionem necessaria est pœnitentia.

7. Quod nisi corrigentibus se venia non conceditur.

8. Quod non prodest bonum quod agimus, nisi malum relinquamus.

9. Quod sacerdotes debent peccata hominum diligenter inquirere.

10. Quod presbyteri non debent pœnitentes reconciliare nisi ex jussione episcopi.

11. De eadem re.

12. De eadem re.

13, De potestate sacerdotum donandi remedium pœnitentiæ.

14. Quod non debemus mortuis communicare, quibus vivi non communicavimus.

15. Ut plena communio detur eis qui linguæ officium perdiderint, et habent bonum testimonium quod pœnitentiam ante petiissent.

16. De ungendis infirmis.

17. De pœnitente infirmo, si convaluerit.

18. De his qui pœnitentiam petunt, et officio linguæ privantur.

19. De his qui sine communione moriuntur.

20. De eadem re.

2.. Ut episcopus decernat tempora pœnitentibus.

22. Ut manifesta peccata manifeste purgentur.

23. Ut omni fideli in exitu posito, communionis gratia detur.

24. Quod confessio pœnitentis manifestari non debet.

25. Ut sacerdos, si confessionem pœnitentis manifestaverit, deponatur.

26. Ut secreto corripiantur, quæ secreto committuntur.

27. Quod omnibus pœnitentibus, quinta feria ante Pascha, remittendum est.

28. Ut presbyteris et diaconis in crimen lapsis privatus detur pœnitendi locus.

29. Quod episcopus aut presbyter vel diaconus [in] fornicatione aut perjurio aut furto captus deponatur.

30. De fornicatione clericorum.

31. De eadem re.

32. Quod pro criminalibus peccatis in melius vita mutanda est.

33. Quod criminalibus peccatis irretiti ad pœnitentiam a sacerdotibus sunt compellendi.

Incipit de omni genere homicidiorum et de pœnitentia eorum.

34. De episcopis et presbyteris et diaconis si homicidium fecerint.

35. De his qui ad homicidium consentiunt.

36. De pœnitentia feminæ quæ irata occidit ancillam suam.

37. De his qui ita percutiunt ut sanguinem fundant.

38. De his qui infantes opprimunt, vel conceptus decipiunt, vel abortum faciunt.

39. Quod presbyter deponatur, cujus negligentia moritur infans absque baptismo.

40. De mulieribus fornicariis vel abortum facientibus.

41. De eadem re.

42. De tribus generibus homicidiorum.

43. Quod detractio genus est homicidii.

44. Quod non solum manibus, sed et consiliis homicidia perpetrantur.

45. De homicidio sponte commisso.

46. De homicidio non sponte commisso.

47. De diversis homicidiis sive voluntarie, sive [a] nolente.

48. De homicidio quod fit in congregatione monachorum.

49. De eo qui casu nolens homicidium fecerit.

50. De eo qui publice pœnitentem occiderit.

51. De pœnitentia cujusdam matricidæ.

52. De his qui patrem vel matrem, vel fratrem aut sororem interfecerint.

53. Quod divinæ ultionis minister est, qui non ex positione, sed præter voluntatem homicidium fecerit.

54. De eo qui pro vindicta fratris fecerit homicidium.

55. De eo qui, jubente domino servum ejus occiderit.

56. De eo qui proprium servum sine judicio judicis occiderit.

57. De his qui in utero matris vel jam editos infantes necant.

58. De his qui sibimet proprium membrum sponte absciderint.

59. Quod sacerdotes non debent membrorum truncationes facere, nec aliquid morte plectendum judicare.

60. De eadem re.

61. De eadem re.

62. De eo qui compulsus a domino sciens perjurium fecerit.

63. De his qui perjurant in manu episcopi vel in cruce.

64. De his qui coacti perjurant.

65. De his qui perjurant, et alios in perjurium ducunt.

66. De eo qui se sciente perjurat.

67. De eadem re.

68. Quod jejuni debent homines jurare.

69. Quod perjurium emendandum est sicut homicidium sponte commissum.

70. De his qui per capillum vel aliud membrum Dei jurant.

71. Quod non est observandum illud sacramentum quod vertit in pejus.

72. De sacramento quod regibus fit, si sponte violatur.

73. Utrum observandum sit, si quis per dæmonia jurat.

74. Quod Deus sacramentum sic accipit sicut ille cui juratur intelligit.

75. Quod sacramentum a malo est eorum quibus juratur.

76. De his qui per cupiditatem se perjurant.

77. Quod duo sunt tantum genera mendaciorum in quibus non magna culpa est.

Incipiunt capitula de falsis testimoniis.

78. De eo qui consentit ad falsum testimonium.

79. De his qui falso fratres accusant.

80. De his qui crimen objiciunt et probare non possunt.

81. Quod falsum testimonium capitale crimen est.

82. Quod falsi testes a communione submovendi sunt.

83. De falso testimonio et mendacio.

Incipiunt capitula de adulteriis et de incestis conjunctionibus et de fornicatione.

84. Ut de adulterio publica agatur pœnitentia.

85. De eadem re.

86. De pœnitentia adulteri.

87. De incestis conjunctionibus.

88. Ut incestuosi inter catechumenos habeantur, et cum Christianis non communicent.

89. Ut conjunctiones consanguineorum prohibeantur.

90. De eadem re.

91. De eadem re.

92. De pœnitentia cujusdam qui uxorem violavit alterius.

93. De his qui violaverint puellas Deo sacratas.

94. De eadem re.

95. De eadem re.

96. De femina quæ adulterum maritum dereliquit, et alterum ducit.

97. De eo qui sponsam alterius rapuerit.

98. De feminis quæ habitum religiosum acceperunt.

99. De eadem re:

100. De ea quæ duobus fratribus nupserit.

101. De his qui cum pecoribus et masculis se coinquinaverunt.

102. De his qui fornicati sunt ut Sodomistæ.

103. De pœnitentia ejus qui virginem rapuerit.

104. De his qui incestis nuptiis se coinquinaverunt.

105. Quod adolescentibus conjugium conceditur post pœnitentiam propter ætatis incontinentiam.

Incipiunt capitula de furtis, et de fornicatione, et de aliis quibusdam diversis.

106. Quod Israelitæ furtum non fecerunt, qui jubenti Domino obedierunt.

107. Quod in furto non tam quod ablatum est, quam mens furantis attendenda est.

108. Qualiter satisfaciendum sit de furtis.

109. Quid inter furtum sit et rapinam.

110. Quod qui aliena rapiunt, pœnitentiam agere non possunt nisi redditis his quæ rapuerunt, si quo modo poterunt.

111. Quod tolerandi sunt mali, sicut Dominus Judam toleravit.

112. De his qui ecclesias deprædantur.

113. De furto quod fit ecclesiæ.

114. De pœnitentia eorum qui usuras exigunt.

115. De clericis furtum facientibus.

116. De violatoribus sepulcrorum.

117. Quod stulta vota virginitatis frangenda sunt (13).

118. Quod judicandus est ut sacrilegus qui patrem vel matrem expulerit.

119. De his qui ducatum præbent barbaris.

120. De eo qui habens uxorem lapsus fuerit.

121. De his qui cum semetipsis fornicantur.

122. De his qui cum matre vel sorore fornicantur.

123. Quandiu mulier se debeat abstinere a viro cum concipit.

124. De diversis fornicationibus.

125. De ea qui fornicari vult et non potest.

126. De his qui maleficio suo aliquos perdiderunt.

127. Da immissoribus tempestatum.

128. De auguribus et sortilegis.

129. Quod episcopus, presbyter, diaconus, vel

(13) Agitur in textu de conjugatis qui sine alterutrius consensu virginitatem voverint.

quilibet clericus magos, haruspices, hariolos, augures vel sortilegos consulentes deponantur.

130. Quod dæmonium habentibus licet herbas vel petras habere sine incantatione (14).

131. De cultoribus idolorum, et haruspicibus, et sortilegis.

132. De his qui arbores colunt et cætera.

133. De his qui absque necessitate prævaricati sunt.

134. De his qui communicant hæreticis.

135. De catholicis ad heresim transeuntibus, si revertantur,

136. Quod securus non exit qui in ultimo tandem pœnitentiam petit

137. Quæ sit utilis pœnitentia.

138. Quod pœnitenti non est utile negotiari.

139. Quod negotium quod sine peccato est, per post, conversionem repeti potest.

140. Ut pœnitens, si dignam habet causam, ecclesiasticum petat judicium.

141. Quod nullum peccatum remanet impunitum

142. Quod inaniter plangunt qui commissa non deserunt.

143. Quod Deus non tam mensuram inspicit temporis quam doloris.

144. Quod canones arbitrio maxime sacerdotum committunt decernenda tempora pœnitentibus.

145. Quod nunquam carebunt supplicio, qui carere noluerint peccato.

146. Ut post pœnitentiam nemo revertatur ad malitiam.

Incipiunt capitula de secundo loco pœnitentiæ et quibusdam aliis.

147. Quod hi qui ad priora vitia revertuntur, severissime dampnantur.

148. De pœnitentia eorum qui denuo lapsi sunt.

149. De eadem re.

150. De eadeam re.

151. Quod dimissa per pœnitentiam requiruntur, si debitoribus non dimittitur.

A 152. Quod iniqui qui semper peccare vellent, semper puniri debent.

153. De his qui ad sæcularem habitum revertuntur, postquam se Deo voverint.

154. Quod non sint peccata nescientium nisi nolentinm.

155. Quod post ipsum etiam docere aliquid possunt.

156. Quod omne peccatum aut Deus aut homo ipse punit in se.

157. De eadem re.

158. Quod in purgatorio igne ante judicium quædam relaxantur parvissima peccata.

159. Quod colentes Deum excipiuntur ab angelis suis dum hinc exeunt.

B 160. Ee animabus justorum dum de sæculo exeunt.

161. De illusionibus nocturnis.

162, De eadem re.

163. Quod purgatorius ignis sævior est omni hujus vitæ pœna.

164. De his qui per ignem salvandi sunt.

165. De eadem re.

166. Quod nemo ab errore ad veritatem potest sine pœnitentia transire.

167. De eo quod scriptum est : Qui irascitur fratri suo reus erit gehennæ ignis.

168. De sacerdote deposito qui oculum ernit levitæ, et ut levita non promoveatur.

169. De pœnitentia eorum qui contra sanctissi-
C mum patriarcham Ignatium juraverunt.

170. Contra eos qui negant communionem his reddi qui lapsi sunt prævaricatione.

171. De pœnitentia stragis et effusionis humani sanguinis.

172. Quod pænitens nisi peracta pœnitentia non communicet.

173. Ut quicunque religiosum habitum spontanee susceptum dimittit, in monasterio esse cogatur.

174. De eadem re.

CAPITULA LIBRI DUODECIMI

Qui est de excommunicatione.

1. Quod excommunicati sunt omnes qui contra sanctam Romanam Ecclesiam superbiendo se erigunt. D

2. Quod omnes violatores decretorum Romanorum pontificum sint anathema.

3. Ut anathema sit quicunque præcepta sedis apostolicæ contempserit.

4. Quod raptores et alienatores rei ecclesiasticæ excommunicati sint, et qui illis consentiunt.

5. Quod qui consentit peccanti aut defendit, maledictus erit.

6. Quod his quibus ecclesia ab episcopis interdicitur, janua cœlestis clauditur.

7. Quod qui ab Ecclesia excommunicatur, in cœlo ligatur; et qui ab Ecclesia reconciliatur, in cœlo solvitur.

8. Quod Silverius papa eos qui ipsum insontem damnaverant et in exsilium miserant, anathematizavit.

9. De nodo excomunicationis Silverii in Vigilium.

10. De excomunicatione Felicis papæ in Acacium præsumptorem.

11. Quod non debet quis ei communicare quem sedes apostolica repellit, nisi ab illatis se emendaverit.

(14) Sic ad verbum apud Gratianum C. 26, q. 7, c. 18.

12. De eadem re.

13. Quod nullus religiosus excommunicatis jungatur.

14. Excommunicatis nemo communicet in oratione, cibo, potu, osculo, nec ave eis dicat.

15. Quod hi separati a nobis debent esse, cum quibus nec cibum sumere licet.

16. Quod cum excommunicato orare non licet, nec vesci, nec loqui nisi de ejus conversione.

17. Quod is qui cum excommunicato oraverit, communione privetur.

18 De eadem re.

19. Quod cum excommunicatis non sit communicandum; et qui fecerint, excommunicentur.

20. Ut simili excommunicationi subjaceat qui excommunicato communicat.

21. Quod excommunicatus et communicator ejus æque refutari et puniri debent.

22. Quod par culpa est communicare hæretico, vel ei qui conjectus est illi.

23. Ut propter propriam injuriam nullus excommunicare quemquam præsumat.

24. Quod pastores, dum pro suis voluntatibus injuste, solvunt vel ligant, ipsi se potestate privant.

25. De eadem re.

26. Quod si excommunicatus sacrum ministerium contigerit, spem restitutionis ultra non habeat.

27. De eadem re.

28. Quod schismaticorum nomina inter divina mysteria non sunt recitanda.

29. De eadem re. Et de excommunicatis sine communione defunctis; et de his qui excommunicatis scienter communicant.

30. Quod absolutionem, quam superstes non quæsivit, mortuus impetrare non possit.

31. Quod schismaticorum nomina inter divina mysteria non sunt recitanda.

32. Ut nomina excommunicatorum publicentur.

33. Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.

34. Quod ecclesiasticæ leges præponendæ sunt legibus imperatorum.

35. Quod manifesta opera accusatione non indigent.

36. Quod Lotharius rex a pellice abstineat, s excommunicari nolit.

37. De excommunicatione Innocentii papæ in imperatorem cum imperatrice.

38. Si quis quod sancti Patres et universalis synodi statuerunt, transmutare audet, condemnatus est.

39. Ut hi qui ab hæreticis ad Ecclesiam revertuntur, non sine professione legitimæ satisfactionis habeantur.

40. De damnatione Novati.

41. Quod hæretici in Ecclesia nihil habeant potestatis vel juris.

42. Quod non est consecratio sed execratio quæ extra Ecclesiam fit.

43. De custodia Aquileiensis et Mediolanensis episcopi. Et quotiens de universali synodo dubitatur, ab apostolica sede veritas requiratur.

44. Quod schismaticus non conficiat corpus Christi (15), cui Catholici non debent sociari.

45. Quod Ecclesia non persequitur, sed diligit, cum punit vel prohibet malum. Et quod divisi a Romana sede schismatici sunt; et quod comprimendi sunt a sæcularibus injusti episcopi (16).

46. Quod nullum sacrificium Deo a potestatibus gratius est, quam ut schismatici episcopi ad obediendum coerceantur.

47. Item de schismaticis a sæcularibus coercendis.

48. Quod non est vera fides quæ cum Romana Ecclesia non convenit.

49. Quod hæresis perversum dogma, schisma vero discessionem habeat.

50. Quod hæresis Græce ab electione dicitur.

51. Qualiter fiat quisque hæreticus.

52. Quod hæreticus amittat Spiritum sanctum.

53. Quid sit hæreticus.

54. Ut hæretici cohibeantur a sæcularibus.

55. De malis cogendis ad bonum.

56. Quod schismatici nec divino jure nec humano res ecclesiarum debent possidere.

57. Quod qui extra Ecclesiam sunt, nullo jure possunt bona ecclesiæ possidere.

58. Quod separatus ab Ecclesia quantumcunque laudabiliter vivat, non tamen habebit vitam æternam.

59. De schismaticis ad correctionem cogendis.

60. Quinam non sint inter hæreticos habendi.

61. Quando mali tolerandi sint, et quando separandi a nobis.

62. Quomodo recedere debeamus a malis.

63. Quod excommunicatio injusta ei potius oberit qui faciat, quam qui patiatur.

64. Quod innocens pro peccato alterius recte excommunicari non potest.

65. Quod Acacius juste et canonice sit damnatus.

66. De edicto imperatorum in damnationem hæreticorum.

67. Ut homnes hæreses et earum ministri conquiescant.

68. Ut adimantur hæreticis omnia suarum celebrationum loca.

(15) In textu nihil aliud est quam Pelagii I PP. fragmentum epistolæ adversus schismaticos, quod ex ipso Anselmo sumpsit Holstenius, et deinde in Conciliorum quoque collectiones transiit cum cæteris Pelagii epistolis. Jam ut de corpore morali Christi, id est de Ecclesia, verba hæc intelligamus, docent nos quæ ibidem sequuntur, *unam, ut sæpe dictum est quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam.*

(16) Agitur de schismaticis episcopis per orthodoxos principes coercendis. Exstat apud Grat. c. 23., q. 5, c. 42.

69. Ut hæretici nihil habeant cum cæteris commune.

70. Ut nullus hæreticis ministeriorum pateat locus.

CAPITULA LIBRI DECIMI TERTII

Qui est de vindicta et persecutione justa.

1. Quod Moyses nihil crudele fecit quando præcepto Domini quosdam trucidavit.
2. De vindicta non odio sed amore facienda.
3. Quod bella cum benevolentia sunt agenda.
4. Quod militantes etiam possint esse justi; et quod hostem deprimere necessitas non voluntas debet.
5. Quod pugnaturo orandum est.
6. De persequendo hostes.
7. De eadem re.
8. De prædando hostes Eccleaiæ (17).
9. De habenda obedientia rei publicæ utilitatibus.
10. Ut temperetur vindicta.
11. De sacerdotali intercessione pro reis.
12. Ut mali non occidantur, sed corrigantur.
13. Quod inobedientes seueriua sidt corrigendi.
14. Quod Ecclesia persecutionem possit facere (18).
15. De eadem re.
16. De eadem re.
17. Ut non nobis imputentur si quid mali acciderit.
18. Quod qui potest perturbare perversos et non facit, eorum impietati consentit.
19. Quando mali sint tolerandi, vel quando descrendi.
20. Quod homini misericordia, peccatis persecutio debeatur.
21. Quod non imputetur fallax, qui quod promisit, superna dispositione præventus adimplere prætermisit.
22. Quod sæculi potestates a pravis actibus malos revocare studeant.
23. De eo quod scriptum est: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*
24. Quod Ecclesiæ inimicis omni vivacitate mentis et corporis sit obviandum.
25. De victoria orationibus prævenienda, et bello non appetendo desiderio fundendi sanguinis.
26. Quod secundum divinam et humanam legem, sine personarum acceptione, rectorum sententia proferatur.
27. Quod magis obediendum est spiritus quam corporis domino.
28. Quod bene velle non sufficit, nec iterum bene facere, nisi ex bono fonte preces sint, et de libertate probabili (19).

AUCTORES ET LIBRI

Qui in Anselmi Decreto ejusque interdum additamentis laudantur, hi fere sunt :

Adrianus I PP.
Agapetus PP.
Ambrosius.
Anastasii Bibliothecarii Historia eccl.
Anastasius I PP.
Athanasius.
Augustinus.
Basilius Magnus.
Benedictus (beatus).
Biblia sacra.
Bonifacius PP. Alibi tertius.
Burchardus.
Callistus II PP. cum synodo Lateranensi.
Canones apostolorum.
Canones Patrum Orientalium.
Canonum judicium.
Capitula Caroli, Ludovici et Lotharii impp.
Carolus Magnus.
Clemens PP.
Codex Justiniani.
Cœlestnus PP.
Commeanus archimandrita.
Constitutiones Ludovici Pii, Othonis I, Henrici I.
Cyprianus.
Cyrillus Alex.
Damasus PP.
Decretales ante Siricium cum diversorum pontificum nominibus.
Ennodius.
Eugenius II PP.
Eusebii Cæsar. Historia eccl.
Gelasius I PP.
Gregorius I PP.
Gregorius junior PP.
Gregorius VII PP. in epistolis, et cum concilio LX episcoporum.
Hermes in libro Pastoris.
Hieronymus.
Hilarus PP.
Honorius junior PP.
Hormisdas PP.
Imperatores Arcadius, Constantinus, Constantius, Gratianus, Honorius, Justitianus, Justinus, Leo I, Marcianus, Otho, Theodosius, Valens, Valentinianus, cum constitutionibus.
Innocentius I PP.

(17) Anselmi hac de re textus, qui est ex epistola S. Gregorii I PP., exstat apud Gratianum c. 23, q. 8, c. 17.

(18) Nihil aliud est in textu nisi S. Augustini nonnulli loci, et quidsm apud Gratiauum quoque recitati.

(19) Postremo monemus capitulorum hujus operis numerum in codicibus variare, sive ob quædam additamenta, quæ alibi desiderautur, sive ob alias quaslibet causas.

Isidorus Hispalensis.
Joannes Chrysostomus.
Joannes varii PP. usque ad XII.
Leo PP. I, IV, IX.
Liberius PP.
Liber conjugii.
Liber Pontificalis.
Libri legum civilium.
Martinus I PP.
Nicolaus I PP.
Novellæ leges impp.
Ordo Romanus.
Origenes.
Pandectæ.
Paschalis PP. I et II.
Pelagius I PP.
Pœnitentiale Theodori.
Silverius PP.
Silvester I PP.
Simplicius PP.

A Siricius PP.
Stephanus IV, PP.
Symmachus PP.
Synodi Africanæ variæ, Agathensis, Ancyrana, Antiochena, Arausicana, Arelatensis; Aurelianensis, apud Alpheum sub Conrado rege, Bracarensis, Carthaginenses variæ, Chalcedonensis, Constantinopolitanæ variæ, Elucensis sub Gregorio VII Eugenii PP. II, Galonensis, Gangrensis, Hiberniensis, Hilari PP. Leonis IV PP., Milevitana, Neocæsariensis, Nicæna prima. Nicæna secunda, Romanæ variæ, Sardicensis, Stephani II PP. Symmachi PP., Toletanæ variæ, Triburiensis, Zachariæ PP.
Theodorici regis constitutum.
Vigilius PP.
Vita Gregorii I PP.
Urbanus II PP.
B Zacharias PP.
Zozimus PP,

AD OPERA S. ANSELMI LUCENSIS APPENDICES

APPENDIX PRIMA

DE SANCTI ANSELMI LUCENSIS CANONUM COLLECTIONE

DISSERTATIO

Augustinus Theinerus, *Disquisitiones criticæ*, pag. 563.)

Omnium quotquot Gratianum præcessserunt canonum collectorum tum sanctissimus tum doctissimus fuit S. Anselmus Lucensis. Ab Anselmo episcopo quondam Lucensi; qui sub nomine Alexandri II an. 1051 ad summum Ecceleslæ principatum evectus est anno 1075 episcopus Lucensis designatus et a S. Gregorio VII Alexandri successore rite consecratus fuit (20).

Ob eximiam quam præditus fuit sanctitatem, a Mathilde celeberrima Etruriæ momitissa electus, ut ipsi a confessionibus esset, S. Gregorium septimum tum opere tum scriptis, uti narrat Paulus Bernrie- C densis (21), ordinis S. Benedicti monachus in Bavaria, et S. Anselmi coævus, strenue defendit, atque ipsins causa ærumnas et persecutiones animo prorsus intrepido sustinuit. S. Anselmus Ecclesiæ et ordinis S. Benedicti, cujus alumnus fuit, immortale ornamentum, Mantuæ xv Kalend. April. an. 1086 exul diem supremum obiit.

Varia S. Anselmus in Eeclsiæ illiusque summi hierarchæ Gregorii VII defensionem opera conscripsit, quorum aliqua typis edita sunt, alia, ut ipse S. episcopi pœnitentiarius ac biographus jam adnotat (22), memoria retinentur, et, ut suspicari licet, in

(20) Juvat Domnizonem presbyterum O. S. Benedicti Canossensem et S. Anselmi cævum de sancto nostro loquentem audire (*Vita comitissæ Mathildis*, auctore Domnizone, lib. II, cap 3, apud Muratori *SS. rer. ital.* t. V, pag. 309 [*Patrol.* tom. CXLVIII]):
Huic similis, credo, fuit hoc in tempore nemo.
Officium duplex monachorum pontificumque
Noc die complens, corpus macerabat ut hostem;
Catholicus cælebs, pius et sobrius fuit æque
De cujus vere tristantur morte fideles;
Schismatici gaudent : erat his contrarius autem.
Quem, sibi commissum per Gregorium, comitissa,
Ut decuit digne sepelivit mœsta benigne,
Artus Anselmi condivit Mantua terris :
De quo quod gliscit, monstrati Christe, Mathildi :
Nam virtute tua fecit miracula plura.
Servulus iste tuus de sanctis exstitit unus
Catholicæ parti signum quasi debilitatis,
D *Inde triumphando gaudet comitissa pecando.*

(21) « Hic introducendus videtur præcipuus virtutum ejus sectator et hæres, beatus videlicet Anselmus Ecclesiæ Lucensis antistes : qui ante omnia id studii semper habuit ut imitaretur eum in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet in aliquo. Deinde quidquid in eo fuit, illius semper meritis attribuit, Gregorius namque veluti fons erat, Anselmus quasi rivus fluebat, et arida irrigabat. Ille quasi caput totum corpus gubernabat; iste ceu manus studiosa, quod injunctum superabat. Ille sicut sol illuminavit omnia; iste velut splendor declaravit singula. » (*Append. ad Marianum Scotum*, ad a. 1082.)

(22) « Multa sibi sacris ex Scripturis divinitus exposita cognovimus, quorum aliqua ab ipso habe-

bibliothecis latent. Principem vero inter ipsius opera A locum sine dubio celeberrima canonum Collectio obtinet, quam, adhortante atque suadente Gregorio VII, adornasse vero simillimum est. Id enim operis epigraphe demonstrare videtur, quam inclytæ Barberiniorum bibliothecæ codex ante medium sæculum decimum tertium exaratus exhibet, quæque ita se habet: *Incipit authentica et compendiosa Collectio regularum et sententiarum SS. Patrum et auctorabilium conciliorum, facta tempore Gregorii sanctissimi papæ a B. Anselmo Lucensi ejus diligenti imitatore et discipulo, cujus jussione et præcepto desideranter consummavit hoc opus.* Eamdem inscriptionem habent codex Vaticanus num. 5331 chartaneus, necnon duo Parisienses, Bibliothecæ Regiæ alter, bibliothecæ vero celeberrimi Maurinorum B monasterii S. Germani a Pratis alter, qui tamen omnes nonnisi prælaudati codicis apographa sunt.

Quanquam vero hæc inscriptio non ab ipso S. Anselmo operi suo apposita videatur, nihil tamen ex eo deduci potest quod nostram sententiam evertat, cum eadem plane manu qua ipse codex exaratus est, conscripta sit, ac proinde tanquam cujusdam S. Anselmi coævi testimonium considerari possit. Accedit quod codex iste Barberinius Lucæ exaratus esse videatur. In ejus enim exordio tum charta manumissionis, tum littera, quam dicere solemus formata, in ecclesiæ Lucensis usum conscriptæ exstant Celeberrimus Dom. Mansius, archiscopus quondam Lucensis, et doctissimus sacrorum conciliorum editor hanc manumissionis chartam ex C nostro codice exscripsit et typis pervulgavit (23).

Cæterum idem codex versus quosdam in S. Anselmi opus exhibet, qui eumdem ac inscriptio auctorem habere videntur, quosque hic apponere lubet.

In Trinitatis nomine
Sanctæ et individuæ
Incipit hinc feliciter
Istius libri series;
Quem scilicet ex Italia
Anselmus, quique pontifex
Lucanæ fuit Ecclesiæ,
Vir prudens ac catholicus,
In Christi fide fervidus,
Carpsit ex toto canonum
Et Patrum sanctorum corpore.

Anselmiani operis codices quod attinet, maxime inter se varii sunt. De quaro consule ea quæ doctissimi fratres Ballerinii disserunt (24). Codices nimirum in multis locis interpolati sunt, iisque documenta plurima inserta conspiciuntur, quæ Anselmo tum priora, tum posteriora sunt.

Inter ea quæ posteriora sunt, synodi Placentinæ an. 1109 habitæ capitula, necnon summorum pontificum Urbani II, Calixti II, Paschalis II, imo et Innocentii II epistolæ quædam decretales habentur. Unde factum esse putamus ut nonnulli hanc collectionem S. Anselmo Lucensi tribuendam esse negaverint, quorum vana argumenta a fratribus Balleriniis docte et scite explosa sunt, ad quos proinde benignos lectores remittimus, cum nos in hac nostra dissertatione, quam De S. Anselmi canonum Collectione inscripsimus, ea tantummodo daturi simus quæ virorum illorum sagacitatem effugerant, vel quæ Anselmiani operis naturam atque indolem melius declarare possunt.

Cæterum documenta illa, quæ, uti diximus, Anselmianæ Collectioni adjecta sunt, in singulorum librorum fine passim addita conspiciuntur. Ita ad libri septimi calcem, in codice bibliothecæ Barberinianæ, Innocentii II decretales habentur, quas celeberrimus Sartius typis edidit (25). Nos hic dabimus aliam ejusdem Innocentii II epistolam ad libri decimi calcem in codice Vaticano num. 1364, fol. 255, ascriptam. Idem codex in fine libri sexti alteram Urbani II epistalam *dilecto filio Lucio præposito ecclesiæ S. Juventii apud Ticinum directam* habet, quam Mansius publici juris fecit (26). Gratianus eamdem Urbani P. epistolam integram fere Decreto suo C. 1, q. 3, c. 8, inseruit.

Plurima vero ex istis documentis, sive Anselmo

mus scripta, aliqua retinemus in memoria; multos libellos propriis manibus conscripsit: Apologeticum unum ex diversis sanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus domni papæ sententiam et universa ejus facta atque præcepta canonicis D defenderet rationibus et approbaret orthodoxis auctoritatibus. In lamentationes Jeremiæ dilucidissimam fecit expositionem: Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Dei ancillæ Mathildæ exposuit luculentissime, breviter quidem, sed utiliter, usque ad illum in locum, ubi ait: *Benediximus vobis in nomine Domini.* » (*Vita S. Anselmi*, § 20, pag. 654, apud Bolland. *Acta SS.* ad 18 Martii, t. II, pag. 654, et apud Mabillon. *Acta SS. O. S. Benedicti* Sæc. VI, p. II, pag. 480. edit. Venet. Eadem S. Anselmi Vita una cum variis ejusdem sancti opusculis a celeberrimo Luca Waddingio edita fuit Romæ 1657, in-4.)

(23) Ampliss. Collect. concilior., t. XVIII, p. 221.

(24) De antiquis canonum collectionibus, etc., p. IV, cap, 13, pag. 640-643, edit. cit. (*Patrologiæ* tom. LVI' Opp. S. Leonis Magni III, init.)

(25) De claris archigymnasii Bononiensis professoribus t. I, in append. num. 5, pag. 191-194. Bononiæ 1769. in-fol.

(25) Ampliss. Collectio concil. t. XX, p. 660-663. Innocentii epistola est: *Ut homines non prohibeantur accipere monachilem habitum in fine, neque sepeliri in monasteriis nisi excommunicati.*

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus R. Mediolanensi archiepiscopo, Ar. Cumano et J. Laudensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Perlatum est ad aures nostras quod, contra Romanæ Ecclesiæ privilegia, quædam nova et inaudita in vestris parochiis statuere contendatis, ut videlicet nullus deinceps sæcularium in monasteriorum cimiteriis tumuletur; et si quis infirmitate præventus se monachum fieri postulaverit, nullatenus suscipiatur. Mandamus itaque vobis et universo clero vestro quatenus ab hujusmodi præsumptione omnimodis desistatis, et eos qui in vita vel in morte in monasteriis converti vel sepeliri decreverint, ut,

priora sive posteriora, quæ in Anselmianæ Collestionis codicibus reperiuntur, in illis etiam collectionibus exstant quæ ex Anselmi Collectione decerptæ sunt (27). Quod præ cæteris ex Collectione quam Bonizo Sutrinus episcopus, et S. Anselmi coævus, paulo post anno 1089 composuit et *Decretale* seu syntagma decretorum ecclesiasticorum inscripsit, dein ex illis quas Gregorius presbyter et Deus ledit (28) adornarunt, nec non ex Anselmianis excerptis, Vindobonensi nempe et Cassinensi, ac denique ex amplissima illa et a nobis sæpius laudata canonum Collectione apparet, quæ olim in celeberrima societatis Jesu bibliotheca Parisiis exstabat, nunc vero Berolini in clarissimi Savignii bibliotheca asservatur. Hinc facillime fieri potuit ut ejusmodi documenta ex istis collectionibus, quæ omnes cum Anselmiano opere maximam similitudinem habent, desumerentur, atque codicibus in quibus Anselmi Collectio describebatur, adjungerentur.

Sed jam de codicibus mss. Anselmianis nonnulla dicenda esse videntur. Nos in elaborandis nostris in Anselmi et Gratiani opera disquisitionibus tum Vaticanos tum Parisienses codices inspeximus. Codices Parisienses parum aut nihil ad rem facere possunt, quippe qui omnes recentiores, et, prout jam superius adnotavimus, ex codicibus Romanis, Barberiniano scilicet et Vaticano num 4993, paucis solummodo, quæ alii Anselmiani codices forsitan Vaticani suppeditarunt, adjectis, exscripti sunt. Codex Vaticanus modo citatus, chartaceus atque nullius pretii, jussu sacræ congregationis de emendatione Decreti Gratiani conscriptus est. Librarius omnes operis Anselmiani codices Vaticanos ad suum codicem exarandum adhibuisse, atque capitula quæ unus præ aliis plura exhibet, in suum codicem recepisse videtur. Hujusmodi codice correctores Romani præ cæteris usi sunt, unde factum credimus quod plurima capita quæ tanquam ex Anselmi Collectione a Gratiano mutuata afferunt, in genuinis illius operis codicibus minime inveniantur.

Codex Barberinianus, qui Vaticano mox laudato simillimus est, septem priores tantummodo Collectionis libros complectitur, ac parum aut fere nihil rei criticæ adjumento esse poterit ex quod nimis interpolatus sit. Doctissimus Sartius, ordinis Camaldulensis decus, quem de juris civilis et canonici antecessorum historia optime meritum esse constat, operi quod De claris archigymnasii Bononiensis professoribus publici juris fecit, accuratam ac diligentem ejusdem codicis illustrationem inseruit (29).

Restat ut de aliis duobus codicibus Vaticanis, n. 1363 et 1364 signatis, pauca dicamus. Posterior mancus est, et libro undecimo caret. Uterque membranaceus ac elegantissimus, medio, uti videtur, sæculo duodecimo conscriptus. Codex vero num. 1364 longe præstantior, et mira diligentia exaratus. Nos etsi hisce duobus codicibus præ cæteris usi simus, nequaquam tamen reliquos adire neglexirnus, in iis præsertim quæ ad restituendam capitulorum seriem, quam in omnibus fere Anselmiani operis codicibus turbatam esse deprehendimus, aliquid inservire posse videbantur.

Anselmus opus suum in tredecim libros divisit, quorum singuli, prout rerum tractandarum argumentum expostularet, tum majorem, tum minorem capitulorum numerum complectuntur. Juvat librorum rubricas una cum capitulorum numero ex Balleriniorum opere hic apponere :

Lib. I. *De primatu et excellentia Romanæ Ecclesiæ.* Alias, *De potestate et primatu apostolicæ sedis.* C. 90, al. 91, vel 94.

II. *De libertate appellationis.* Alias, *De primatu Romanæ Ecclesiæ et libertate appellationis,* C. 78, al. 81. vel 82.

III. *De ordine accusandi, testificandi et judicandi.* C. 117, al. 124, vel 127, vel 131.

IV. *De privilegiorum auctoritate.* C. 55, vel 56, aut 57.

V. *De ordinationibus ecclesiarum, et de omni jure ac statu illarum.* Alias, *De ordinatione et jure ac statu ecclesiarum.* C. 71, al. 83, vel 93.

VI. *De electione, et ordinatione ac de omni potestate sive statu episcoporum.* C. 201, al. 203, vel 207.

VII. *De vita et ordinatione clericorum.* Alias, *De vita et ordinatione presbyterorum, diaconorum et reliquorum ordinum.* C. 207, vel 209, aut 213.

VIII. *De lapsis.* C. 39.

IX. *De sacramentis.* C. 74, al, 69.

X. *De conjugiis.* C. 63, al. 68, vel 70, aut 76.

XI. *De pænitentia.* C. 174, al. 179.

XII. *De excommunicatione.* C. 75.

XIII. *De vindicta et persecutione justa.* C. 28, al. 29, vel 34.

Ad methodum quod spectat quam Anselmus in suo opere compilando adhibuit, illum ab antecessorum vestigiis minime recessisse deprehendimus. Summorum pontificum decretales litteras modo integras, modo in partes discerptas compilationi inseruit, in quibus recipiendis potius Burchardi Wormatiensis Decretum, quam aliam illam Anselmo dedicatam Collectionem adhibuisse dicendus est.

Minime necessarium ducimus ut modum fusius explicemus quo Anselmus Burchardi Decreto usus

juxta consuetudinem hactenus habitam, eis liberam licentiam permittatis per apostolica vobis scripta mandando præcipimus, nisi forte excommunicati fuerint. Dat. Later. VIII Maii. »

(27) Ballerinii loc. cit., p. IV, cap. 15, pag. 657-661.

(28) Ballerinii loc cit., p. IV, cap. 14, pag. 646-656.

(29) Loc. cit. Cf. adnot. 25, supra.

est, cum hoc a viris doctissimis Antonio Augustino et Stephano Baluzio satis superque demonstratum fuerit. Illud unum prætermittere non possumus, quod Burchardiana capitula in septem prioribus Anselmi libris raro admodum occurrant, in reliquis vero ejusdem libris Burchardi Decretum sæpissime adhibitum fuerit. Ad priores nempe illos libros compilandos Anselmus Collectionem Anselmo dedicatam adiit (30), eaque eodem modo usus est quo hoc ab aliis canonum collectoribus factum esse jam sæpius animadvertimus.

Verum præter ea decretalium pontificiarum documenta quæ Anselmus tum ex Burchardi Decreto, tum ex Collectione Anselmo dedicata excerpsit, alia quædam summorum præsulum decreta in Anselmi Lucensis opere inveniuntur, quæ ex ipsis archivii Romani scriniis desumpta esse videntur. Huc referenda censemus excerpta nonnulla inscripta ex Libro pontificum Romanorum, quæ res mere historicas exhibent, atque a rebus quæ Anastasius Bibliothecarius in opere quod vulgo sub eodem *Libri pontificum* titulo notum est, narrat, in multis differunt (31). Frequenter etiam loca quædam ex *Libro diurno Romanorum pontificum* (32), nec non ex *Ordine Romano* (33) desumpta occurrunt, quorum alia genuinam documentorum inscriptionem præ se ferunt, alia ejus generis monumenta quamplurima continent, quæ ad veterem Ecclesiæ disciplinam illustrandam maximi momenti sunt. Sic, ut unum tantum exemplum proferamus, habetur in libri sexti capite 49 celeberrima Joannis P. VIII constitutio de jure cardinalium, quam Mansius in sua conciliorum Collectione typis mandavit (34).

Nullæ, uti jam admotavimus, RR. PP. decretales in genuina S. Anselmi collectione deprehenduntur, quæ decretalibus a S. Gregorio VII editis recentiores sint ; ejusdem vero pontificis canones, in conciliis Romanis editi, collectioni inserti sunt. Cæterum decretales litteræ ab Anselmo adductæ non raro ampliores accuratioresque inscriptiones apud ipsum quam apud alios canonum collectores habent ; subscriptiones quoque sæpissime illis additæ sunt (35); quin imo Anselmus eas aliquando in iis etiam decretalibus litteris affert, in quibus in ipsis decretalium regestis desiderantur. Sic e. gr. libri decimi caput sextum Gregorii Magni *ad Velocem magistrum militum* (36) datam litteram exhibet una cum subscriptione : *Data die* v *Kalend. Octobris, indictione decima*, quæ subscriptio, adnotantibus doctissimis Operum S. Gregorii editoribus Maurinis, nonnisi in uno eoque vetustissimo codice Colbertino Parisiensi, nec non in S. Gregorii epistolarum collectione quam Paulus diaconus adornaverat, invenitur. Gratianus c. 23, q. 8, c. 17, epistolam hanc fere integram, rejecta solummodo inscriptione, ab Anselmo mutuatus est. Pseudo-Ivo nonnisi exiguum ejusdem epistolæ fragmentum operi suo (p. x, c. 70) inseruit.

Quod sacros conciliorum, præcipue Græcorum, canones spectat, eos Anselmus fere omnes ex Dionysii Exigui collectione mutuatus est. Tamen etiam alias Græcorum canonum versiones, tum eam quam genuina Ecclesiæ Hispanæ canonum Collectio, nuper, anno nempe 1821, regiæ Matritensium academiæ curis et impensis edita, exhibet, tum eam quæ huic proxime accedit atque a Pseudo-Isidoro in

(30) Pauca tantum exempla hæc probent. Sequentia capitula Collectionis Anselmo dedicatæ in opus S. Anselmi transierunt.

Ans. dic. lib. i, cap. 1, 10, 11, 17, 20, 21, 24, 27 31, 38, 41, 42, 52, 64, 65, 67.

Ans Lucens., lib. iii, c. 1 ; lib. ii, c. 4 ; lib. i, c. 67, 34 ; lib. ii. c. 47; lib. i, c. 14, 17 ; lib. ii, c. 8, 49, 75; lib. i, c. 35 ; lib. iv, c. 29 ; lib, ii, c. 62, 37. 25.

Ans. dic. lib ii, cap, 81, 86, 192, 194. 195.

Ans. Lucens., lib. vi, c. 164, 167 ; lib. vii, c. 108, 109, 110.

Ans. dic. lib, iii. cap. 28, 32, 36, 44, 46, 52, 68, 73.

Ans. Lucens, lib. iii, c. 34, 30, 13, 35, 55, 14, 44, 46.

Ans. dic. lib, iv, cap. 138, 141, 151, 152, 156, 157, 158.

Ans. Lucens., lib. vii, c. 60, 59, 58, 57, 55, 54, 52, etc.

Capitula hæcce modo indicata Anselmiana in nulla alia canonum Collectione quam in illa Anselmo dedicata occurrunt.

(31) Vide quæ de Athanasii Bibliothecarii Libro pontificum docti ejus editores L. A. Muratorius, Blanchini et Vignoli adnotent. Haud spernenda est doctissimi Pertzii, recentissimi monumentorum Germaniæ editoris, disquisitio de Anastasio nostro in Itinere ejus Italico, Hannoveræ a. 1823 edito.

(32) *Liber diurnus Ramanorum pontificum* typis primum excusus fuit a docto J. Garnerio S. J. Parisiis 1680. Mabillonius in Museo Italico t. I, pag. 33 sq., monumenta quædam inedita in appendicem Libri diurni adjecit, quæ una cum Libro ipso diurno a Garnerio edito recusit I. Chr. God. Hoffmann. Nova scriptorum et monumentorum collectio, Lipsiæ 1735, tom. secundus in 4. P. J. de Riegger Viennæ Austriæ 1792 in-8°.

(33) Quid de hoc libro sentiendum consule eruditos editores monumentorum Ordinis Romani, Georgium Cassandrum, Melchiorem Hittorpium, Georgium Ferrarium, J Mabillonium. Edm. Martenium et Durandum.

(34) Tom. XVII, p. 247.

(35) Cf. lib. v, cap. 6, de 1, *De cons.*, c. 7. *Dat. Ibid. Aprilis* lib. v, cap. 7, *Dat. XIII Kal. Aug.* C. 16, q. 7, c. 26 ; lib. v, cap. 19. *Dat. Idus Maiarum Asterio et Præsidio V. V. coss.* C. 13, q. 1, c. 1.

Lib. v, cap. 47, *Joannis P. VIII decretum de ecclesiarum violatoribus*, quod Baluzius primum edidit Miscellaneor, t, VII, pag. 352, Parisiis, 1705, in-8°, et t, I, pag. 402, editionis Dom. Mansi, Lucæ. 1751, in-fol. et in ejusd. Collect. concil. ampliss. t, XVII, p. 244. Lib. v. cap. 51, S. Leonis P. IX decretum contra exemptionem monachorum cum integriori inscriptione quam quæ in actis conciliorum legitur : *Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus in Christo per totam Italiam. — Data Romæ, mense Aprilis die* xx, *indictione quinta.* Cf. Collectiones concilior. Labbe et Cossart. t. IX, col. 484 ; Harduini t. VI, p. i, p. 961 ; Coleti Venet. t. XI, p. 1353; Mansi t. XIX, p. 670. — Hæc pauca exempla sufficiant.

(36) Regest. S. Gregorii lib. ii, ep. 3, pag. 101 edit. Venetæ, t. VII.

suam collectionem recepta est. Sæpius etiam unius ejusdemque canonis duplicem versionem affert, Isidorianam scilicet et Dionysianam. Paulo frequentior alia demum Græcorum canonum versio in Anselmiano opere occurrit, quæ tum a modo relatis, tum ab illa quam in vetustis Italicis Collectionibus deprehendimus, ideoque priscam versionem Italam nunc ipamus, quam maxime recedit.

Verum, ut hujusce versionis indoles melius pateat, nonnullorum canonum tum textum Græcum, tum illam eorum versionem hic apponendam esse censuimus, quam priscam Italam vocamus, quamque fratres Ballerinii ex vetustis Italiæ membranis primi sedulo studio collegerunt (37), et celeberrimus dein Mansius amplissimæ suæ conciliorum Collectioni inseruit (38). Animadvertendum interim est Gratianum, qui Anselmi opus fere totum in suum Decretum recepit, hanc illi propriam versionem penitus neglexisse, qua de causa rei criticæ studiosos hæc nostra specimina grato animo suscepturos esse confidimus.

Lib. xi, Cap. 36, *ex concilio Ancyrano, cap.* 20.

« Mulieres quæ fornicantur et partus suos necant, et illæ quæ ex utero suo conceptos excutiunt, antiqua definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Nunc vero humanius definitum est: decem annos pœniteant. »

Collectio codicis Saviniani, lib. x, cap. 32, priora hujus canonis verba paulo aliter habet: *Antiqui Patres constituerunt usque ad exitum vitæ.*

Prisca versio Itala.

« Quæ erunt fornicatæ, et interficiunt natos, et festinant abortivum facere, primum constitutum usque ad exitum vetuit, et hoc definito humaniore aliquid consequantur, constituimus eas decennio tempore, secundum gradus qui sunt constituti. »

Apud Ballerinios loc. cit., pag. 438, et Mansium, tom. VI, pag. 119.

Textus Græcus hujus canonis audit;

Περὶ τῶν γυναικῶν τῶν ἐκπορευουσῶν καὶ ἀναιρουσῶν τὰ γεννώμενα, καὶ σπουδαζουσῶν φθόρια ποιεῖν, ὁ μὲν πρότερος ὅρος μέχρις ἐξόδου ἐκώλυσεν, καὶ τουτῷ συντίθενται. Φιλανθρωπότερον δέ τι εὑρόντες, ὡρίσαμεν δεκαετῆ χρόνον κατὰ τοὺς βαθμοὺς τοὺς ὡρεσμένους.

Apud Mansium t. II, pag. 520.

Lib. vi, Cap. 141, *ex conc. Chalced. cap.* 26. — *Ut omnis Ecclesia habens episcopum, habeat œconomum.*

« Quoniam, ut in quibusdam ecclesiis reperimus, sine œconomis res ecclesiasticas tractant episcopi, placuit omnino ut omnis ecclesia habens episcopum etiam œconomum habere de proprio clero debeat, qui res ecclesiasticas dispenset cum consensu episcopi sui; ne, cum dispensatio sine testimonio fuerit, res ecclesiasticæ dispensæ sint ad contumeliam pontifici irrogandam. Si vero hoc non fecerint, reos eos sanctis subjacere canonibus judicamus. »

Versio prisca.

« Quoniam in quibusdam Ecclesiis, sicut reperimus, sine œconomis res ecclesiastica tractatur, placuit omnem Ecclesiam episcopum habentem œconomum habere de suo clero dispensantem ecclesiasticas res cum voluntate sui episcopi, ut ne sine testimonio sit dispensatio ecclesiæ, et ex hoc dispergantur ejusdem ecclesiæ res, et detractio infligatur sacerdotum (sacerdotio). Si vero hoc non fecerit, subjacere eum sacris canonibus. »

Apud Ballerinios, pag. 622; Mansium, pag. 1230.

Textus Græcus hujus canonis.

Ἐπειδὴ δὲ ἔν τισιν ἐκκλησιαις, ὡς περιηχήθημεν, δίχα οἰκονόμων οἱ ἐπίσκοποι τὰ ἐκκλησιαστικὰ χειρίζουσι πράγματα· ἔδοξε πᾶσαν ἐκκλησίαν ἐπίςκοπον ἔχουσαν, καὶ οἰκονόμον ἔχειν ἐκ τοῦ ἰδίου κλήρου, οἰκονομοῦντα τὰ ἐκκλήσιαστικὰ κατὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπ σκόπου ὥστε μὴ ἀμάρτυρον εἶναι τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκβλησίας, καὶ ἐκ τούτου τὰ τῆς ἐκκλησίας σκορπίζεσθαι πράγματα, καὶ λοιδορίαν τῇ ἱερωσύνῃ προστρίβεσθαι· εἰ δέ μὴ τοῦτο ποιήσῃ, ὑποκεῖσθαι αὐτὸν τοῖς θείοις κανόσι.

Mansi tom. VII, pag. 368.

Gratianus canonem hunc concilii Chalcedonensis bis recepit: ex versione Pseudo-Isidori, D. 89, cap. 4, et ex versione Dionysii Exigui, C. 16, q. 7, c. 21.

Capitulum 156 libri septimi Collectionis S. Anselmi exhibet fragmentum perexiguum canonis 24 concilii Antiocheni ex versione nostra prisca Itala.

Præter eos conciliorum Græcorum canones, quos ex modo dictis versionibus mutuatus est Anselmus, plurima eorumdem capita ex capitulis S. Martini Braccarensis et Adriani P. desumpsit. Priora passim cum inscriptione: *Ex concilio Martini papæ Braccarensis*, seu *Ex Decreto Martini P.* occurrunt, quorum plurima Gratianus sub eadem Martini P. Braccarensis, seu concilii Martini P. inscriptione in suo Decreto affert (38*). Inde factum esse credimus quod nonnulli ejusmodi capitula S. Martino P. I ascribere voluerint, eumdemque sanctissimum pontificem tanquam veteris ecclesiasticæ disciplinæ corruptorem insimulare auderent, propterea quod permiserit ut bigami in minoribus ordinum gradibus permanere possint. Recentiorum nonnulli eo usque pro-

(37) Inter Opera S. Leonis, p. i, t. III, pag. 473-622. Venetiis 1757, fol.

(38) T. VI, pag. 1109-1230.

(38*) D. 50, c. 41, C. 26, q. 5, c. 3, et C. 32, q. 5, c. 9. Reliqua, quæ ex hisce Martini Braccarensis capitulis in Gratianum abierunt, sunt: D. 18, c. 15. D. 23, c. 32, D. 24, c. 7, D. 27, c. 1. D. 28, c. 12. D. 30, c. 17. D. 34, c. 12, 17 et 18. D. 44, c. 12. D. 50, c. 8 et 22. D. 54, c. 7. D. 55, c. 9. D. 63, c. 6. D. 64, c. 7. D. 65, c. 2. D. 92, c. 3, 4 et 9. D. 95, c. 11. C. 1, q. 1, c. 67. C. 1, q. 7, c. 22. C. 6, q. 4, c. 2. C. 8, q. 1, c. 4. C. 9, q. 3, c. 1. C. 10, q. 2, c. 7 et 8. C. 11, q. 3. c. 7. C. 12, q. 1, c. 20. C. 14, q. 4, c. 4, C. 15, q. 8, c. 4. C. 17, q. 4, c. 38. C. 21, q. 5, c. 5. C. 26, q. 5, c. 3. C. 26, q. 6, c. 6. C. 26, q. 7, c. 13. C. 27, q. 1, c. 8 et 26. C. 32, q. 7, c. 9. C. 33, q. 4, c. 9. D. 1, *De cons.* c. 29, D. 2, *De cons.* c. 4 et 18. D. 3, *De cons.* c. 7. D. 4, *De cons.* c. 59, 116 et 124.

terviæ progressi sunt, ut hæc Pseudo-Martini P. capitula in suæ opinionis suffragium adducerent, atque episcopos nostrisquoque temporibus in irregularitate ad ordines minores suscipiendos dispensare posse contenderent. At quantum hoc a vero distet, nemo est qui ignoret, et summus pontifex Sixtus V ejusmodi cavillationes satis superque explosit (39).

In indice alphabetico quem in præcipuas, quibus Gratianus usus est, canonum Collectiones elaboravimus, passim falsam Martini Braccarensis inscriptionem retinuimus, quoties nempe illam in veteribus Collectionibus invenimus.

Cæterum S. Martini Braccarensis capitula, uti notum est, omnibus tum spuriæ tum genuinæ Collectionis Isidorianæ codicibus inserta sunt. Jacobus Merlinus una cum Pseudo-Isidori Collectione primus ea vulgavit, ac dein in omnes fere conciliorum collectiones transierunt. Mansius eadem ex Garsiæ Loaisæ et P. Labbei S.J. recensione recusit (39*) quod etiam Justellus (40) et Harduinus (41) fecerunt. Posterior cum adnotet se capitula ista in amplissima collegii S. J. Parisiensis canonum Collectione ms. invenisse, non de alia quam de illa canonum Collectione locutus esse videtur, quæ in Saviniano codice a nobis sæpius commemorato continetur. Codex enim iste olim in illa collegii soc. J. bibliotheca Parisiis servabatur, atque ipsa Collectio integra ex S. Anselmi Lucensis opere desumpta est. Posteriores canonum collectores, qui ex *decretis* seu ex *concilio Martini papæ* S. Martini capitula citant, nullo modo codicis Saviniani Collectionem, uti fratres Ballerinii opinantur (42), sed ipsum S. Anselmi Lucensis opus præ oculis habuerunt.

Ad Adriani P. capitula quod attinet, ea Anselmus vel singulatim vel plura simul sese invicem excipientia suæ Collectioni inseruit. Quæ singulatim hinc illinc in diversis libris sparsa deprehenduntur, passim *ex decreto Adriani P.* inscripta sunt; quod si vero eorum seriem recepit, vulgarem inscriptionem iis

A præfixit. Sic. e gr. post 85 libri tertii caput sequentia Adriani P. capitula exhibentur : 22, 50, 52, 53, 54, 55, 72 et 80; et quidem cum hac inscriptione : *Incipiunt capitula quæ ex Græcis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis præsulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt, et Angelramno Mediomatricæ urbis episcopo Romæ a beato papa Adriano tradita sunt* XIII *Kal. Octobris. indictione* IX, *quando pro sui negotii causa agebatur.* Integra capitulorum Adriani pont, series, hac eadem inscriptione præmissa, in plurimis vetustis Pseudo-Isidorianæ Collectionis codicibus exstat, unde Anselmus sine dubio sua capitula deprompsit. Gratianus sæpissime eadem capitula affert (43), atque Antonius Augustinus ea intregra doctissimo commentario in-

B structa publici juris fecit (44).

Præter hæc monumenta, quæ ecclesiastica sunt, S. Anselmus plura fragmenta tum ex jure Romano, tum ex regum Francorum capitularibus recepit, quæ ad res ecclesiasticas spectant. De juris Romani usu vide quæ a Reisachio in dissertatione, quam de hac re nostris disquisitionibus adjunxit (45), dicta sunt, ubi indicem quoque a clariss. Savinio adornatum invenies, in quo omnia capitula ab Anselmo ex jure Romano mutuata notata sunt.

Gratianus, ut jam sæpius admonuimus, S. Anselmi collectione in adornando Decreto quam maxime usus est ita quidem ut, si celebrem canonum Collectionem, quam Tripartitam nuncupamus, et Ivonis Panormiam excipias, nullo canonum opere tam fre-

C quenter usus esse dicendus sit. Quod cum celeberrimi *correctores Romani* animadverterent, singulis Gratiani capitulis ex Anselmiano opere desumptis, ejusdem et libri et capitis numerum in margine addiderunt.

Cæterum in excerpendo S. Anselmi opere Gratianus eamdem omnino methodum retinuit, quam ab eo quoad Collectionem Tripartitam atque Ivonis Panormiam observatam fuisse demonstravimus (46). Anselmi capitula aut integra aut in partes dissecta

(39) Fagnanus in Commentario ad caput secundum De bigamis, tom. I, pag. 450. Venetiis 1709, fol.

(39*) Concil. tom. IX, pag. 845-860.

(40) Bibliotheca juris canonici veteris, tom, I, in append. pag. 7-32. Parisiis 1661, fol.

(41) Collect. concil. tom. III, pag. 390.

(42) Loc. cit., p. IV, cap. 2. pag. 578-582. Omnium doctissime de hisce S. Martini Braccarensis capitulis disseruit Antonius Augustinus, De emendatione Gratiani dialogor. lib. prior. dialog. X, XI et XII, apud Galland. t. II, pag. 290-314. ed. cit., et post eum Carol. Sebast. Berardus, antecessor Taurinensis, in opere : Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati. Venetiis, 1777, t. I, cap. 33, pag. 292-309.

(43) C. 2, q. 3. c. 3 et 4. C. 2, q. 6, c. 40. C. 2, q. 7. c. 50 et 53. C. 3, q. 5, c. 7. C. 3, q. 6, c. 16 et 18. C. 3, q. 7, c. 1. C. 3. q. 11, c. 3. C. 4, q. 6, c. 4. C. 5, q. 1, c. 1. C. 5, q. 3, c. 1 et 2. C. 5. q. 6, c. 1 et 5. C. 6, q. 1, c. 2 et 6. C. 11, q. 1, c. 48 et 49. C. 25, q. 4, c. 3, et C. 25, q. 1, c. 11.

(44) Operum t. III, pag. 349-369. Lucæ, 1767, fol. Mansius capitula Adriani P. una cum Ant. Augustini Commentario recusit Collect. concil. t. XII, pag. 903-936. Vide quæ C. Seb. Berardus de hisce capitulis adnotat : Gratiani canones, etc., t. I, pag. 350-355, ed, cit.

D (45) In sylloge nostra dissertatio IV.

(46) Gratianus, in quantum fieri potuit, ordinem operis Anselmiani secutus est; pauca tantummodo exempla hoc comprobent.

Ans. lib. I, cap. 11, 16, 31, 37, 39, 57 et 65. — C. 24, q. 1, c. 18, 15, 16, 10, 13, 22, 25; lib. I, c. 20. 25, 54. C. 9, q. 3, c. 13, 14, 15. — lib. I, c. 33, 44, 46, 50. — C. 25, q. 1, c. 1, 2 et 4.

Ans. lib. II, cap. 6, 7, 8 10. — C. 2, q. 6, c. 8, 6, 4, 2.

Ans. lib. III, cap. 6, 13. 15, 17.— C. 3, q, 5, c. 13, 2, 4, 7. lib. III, cap. 65, 66, 67. — C. 1, q. 1, c. 20, 4 et. 5.

Ans. lib. IV, cap. 1, 2, 5, 6, 7. — C. 25, q, 2. c. 1, 2, 7, 8, 9.

Ans. lib. v. cap. 1, 2 et 3. — C. 24, q. 1, c. 18, 19, 20; lib. v, c. 4, 5, 6, 12, 10, 18, 21, 22, 23.—

recepit (47), nonnunquam etiam plura duo vel tria se invicem sequentia retentis eorum inscriptionibus in unum conjunxit. Sæpius capitulis pauca verba addidit, in aliis vero quædam reliquit. Inscriptiones quæ apud Ansel. longiores erant, Gratianus contraxit, quod etiam cum summulis, singulis capitulis ex more præfixis, fecit. Epistolarum decretalium subscriptiones, quas Anselmus sæpissime exhibet, fere omnes omisit.

Quæ cum ita sint, dubium non est Anselmianæ Collectionis ope multa Gratiani capitula, quorum inscriptiones aut deperditæ aut depravatæ sunt, restitui, textumque ipsum, qui nonnunquam magis integer ac correctior in S. Anselmi Collectione quam in Gratiani decreto deprehenditur, emendari posse Nimis longum atque a nostro instituto plane alienum esset, si singula Gratianeæ Collectionis capitula adnotare vellemus, quæ ope Collectionis Anselmianæ corrigi possunt. Attamen pauca quædam hic exempla dabimus, ut pateat quanti momenti sit Anselmi opus pro iis qui critices ope Gratianei, Decreti textum emendatiorem reddere student.

LIB. IV, CAP. 3. *Privilegium omnino*, c. 11, q. 3, c. 63.

Gratianus ex solo Anselmo capitulum hocce mutuatus est, idem vero inscripsit: *Ex registro Gregorii M.* Anselmus offert genuinam ipsius inscriptionem : *Simplicius P. Joanni episcopo Ravennati.* Hard, t. II, p. 803; Mansi t. VI, Burchardus lib. I, cap. 29 et Pseudo Ivo p. V, cap, 140, idem fragmentum sub genuino Simplicii P. nomine proferunt, ast multo amplius et locupletius, Cod. Sav. lib. I, cap. 13, Anselmum quidem ex ungue secutus est, sed capitulum falso inscripsit : *Leo P. cognomento Magnus.*

LIB. IV, CAP. 14, 15 et 19. *In qualibet civitate.— Universos quos. — Sancimus.* C, 23, q. 8, c. 23.

Anselmus hic tria inter se discrepantia legum sæcularium fragmenta profert, et quidem l. 16 et 26 C. Theod. *De episcopis, ecclesiis et clericis* (XVI, 27), et l. 22, c. *De SS. Ecclesiis* (I, 2). Gratianus tria ista fragmenta, in unum vero conjuncta, integra recepit. Cod. Savinianus, et codices operis S. An-

A selmi qui Parisiis exstant in bibliotheca regia, integram constitutionem Justiniani imp. l. 22, c. *De SS. ecclesiis* exhibent, cujus Gratianus et codd. Anselmiani Vaticani nonnisi fragmentum proferunt, ex quo patet Gratianum Romano vel saltem Italico Anselmi exemplari usum fuisse.

Cæterum de hisce legum fragmentis eorumque usu in monumentis ecclesiasticis conf. doctis. J. Dan. Ritterum in edit. sua Cod. Theodos. t. VI, p. I, p. 49 et 65. Lipsiæ, 1713, in-fol.

LIB. IV, CAP. 38. *Nemo.* C. 9, q. 3, c. 13.

Gratianus capitulum istud ex Anselmo quidem integrum recepit, sed falso inscripsit: *Innocentius P.* Anselmus et auctor Collectionis Cæsaraugustanæ, lib. I, c. 1, et lib. V, c. 1, inscriptionem : *Silvester P. in concilio*
B *lio CCLXXVII episcoporum.* Capitulum desumptum est ex cap. 20, act. II, constitutionis Silvestri P. a. Pseudo-Isidoro procusæ; Hard. t. I; p, 290, et apud Pet. Coustant. Epistolæ RR. PP., append., pag. 50, ed. Paris, 1721, in-fol. Cod. Sav. et codices Anselmiani Vaticani in fine capituli addunt : *Subscripserunt omnes episcopi et XLV presbyteri et diaconi VII, et Constantinus Augustus et mater ejus Helena.* quam subscriptionem Gratianus nec non Ivo In Panormiæ lib. IV, cap. 5, resciderunt. Ivo insuper capitulum nostrum sub duplici profert inscriptione : *In decretis Innocentii Silvester D. in generali residens synodo dixit : Nemo.* Quid plura? Fontem inde inscriptionis Gratianeæ detectum videmus.

LIB. V, CAP. 1. *Ecclesia una est.* C. 24, q. 1, c. 18. *Loquitur Dominus ad Petrum.*

C Locus quem Anselmus hic profert desumptus est ex S. Cypriani libro *De unitate ecclesiæ.* Alterum hujusce Cyprianei loci fragmentum : *Loquitur Dominus ad Petrum* occurrit in eodem Anselmi opere lib. I, cap. 11. Polycarpus lib. VII. tit. 3, utrumque fragmentum ex Anselmo recepit, sed in unum conjunxit, posterius priori præponens. Gratianus in recipiendis hisce duobus fragmentis Polycarpum secutus esse videtur, cum ea in eodem omnino ordine, verbis solummodo paucis resecatis, exhibeat Cæterum Gratianus aurea ista Cyprianea verba fra-

D. 1, *De cons.*, c. 6, 5, 7, 19, 36, 38, 21, 22, 16. Lib. V, c. 59, 60, 61. — C. 18, q. 2, c. 25, 26, 27; lib. V. c. 72, 73, 74, 75. — C. 16, q. 7, c. 40, 36, 35, 33.

Ans. lib. VI, cap. 27, 28, 29, 30, 31, — D. 79, c. 9, 4, 3, 5, 6. Lib. VI, c. 42, 43, 54, 56. — D. 64, c. 6, 8, 1, 5; lib. VI, c. 64, 65. — C. 7, q. 1, c. 5 et 6. Lib. VI, c. 91. — 95, 97, 99, 100. — D. 100, c. 1, 2, 9 7, 8, 5. 11, 4. Lib. VI, c. 100-106, 107-111. — C. 7, q. 1. c. 34, 43, 31, 34, 35, 42, 44. Lib. VI, c. 121, 123, 129, 130. C. 23, q. 8, c. 26 et 27. — D. 99, c. 4 et 5.

Ans. lib. VII, cap. 2-8. — C. 12, q. 1, c. 5, 8, 9, 3, 10, 11, 14, 1. Lib. VII, c. 18-20, 21-23, 32-34. — D. 50, c. 60, 56, 58. — D. 98, c. 1-3. — D. 55, c. 6, 7, 12. Lib. VII, c. 38-40. — D. 75. c. 3, 4, 7. Lib. VII, c. 48-55. — D. 33, c. 20, 19, 18, 17, 16, 15, 11, 7. Lib. VII, c. 56-58, 66 et 67, 108-110, 114 et 115. — D. 93, c. 13-15. — D. 92, c. 1 et 2.— D. 38, c. 3-5. — D. 68, c. 4 et 5.

Ans. lib. VII, c. 140-142. — D. 81, c. 20, 21, 30, 31. — Lib. VII, c. 185, 186. — C. 18, q. 2, c. 19 et 20.

Ans. lib. IX, cap. 22, 23, 25. — D. 5, *De cons.* c. 1, 2 et 3.

D Ans. lib. X, cap. 7-9, 18-20. — C. 27. q. 2, c. 50, 46, 49, 19, 21, 22. — Lib. X, c. 27, 28. — C. 30. q. 3, c. 1 et 2.

Ans. lib. XI, cap. 51-54, 130 et 140. — C. 22, q. 5, c. 1-4, — D. 1, *De pœnit.*, c. 81 et 82.

Ans. lib. XII, cap. 13, 14, 16, 18, 25-27, 32-34, 36, — C. 11, q. 3, c. 16, 12, 27, 6, 9, 20, 3-5. Lib. XII, c. 41, 42, 44, 48, 52. — C. 24, q. 1, c. 31, 33, 34, 23, 30. Lib. XII, c. 45-47, 49-50, 53, 54-56, 64 et 65. — C. 23. q. 5, c. 42-45.— C. 24, q. 3, c. 26-28, 31. — C. 23. q. 4, c. 37-39, 18, 4.

Ans. lib. XIII, cap. 3 et 4, 10-12, 15, 16, 28 et 29. — C. 23, q. 1, c. 1-3. — C. 23, q. 5, c. 1-3. — C. 23, q. 4, c. 42 et 43, 48 et 49.

(47) Ita ex Gr. cap. 152 libri XI in sex partes discerpsit : D. 1. *De pœnit*, cap. 50-56.

gmento nostro inserta, *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit?* supra paululum mutata denno profert: D. 93, c. 3: *Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Gratianus locum istum ex Collectione Tripartita p. III, tit. 9, cap. 18, et ex Pseudo-Ivone p. V, cap. 361, excerpsit. Uterque auctor tum Collectionis tripartitæ, tum Decreti Pseudo-Ivonis, verba quædam fragmento nostro præmittit: *Petri unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?* Quæ Gratianus rescidit, cum ea in argumentum vel summulam capituli transtulerit: *Non est in Ecclesia, qui cathedram Petri non sequitur.* Locus noster hisce verbis conceptus in veteribus cod. mss. Vaticanis et Gallicanis omnino deest, sed in nonnuliis aliis itemque vetustis deprehenditur, uti *correctores Romani* et eruditissimus Operum S. Cypriani editor, Stephanus Baluzius, adnotarunt. Unde animadvertas quam injuste criticæ modernæ sectatores Gratianum nostrum ceu textuum SS. Patrum corruptorem accusent.

Lib. VI, Cap. 49. *Concesso.* C. 12, q. 2, c. 26.

Gratianus locum nostrum, omissis tantummodo quibusdam verbis, ex Anselmo, quem et auctor Collectionis Cæsaraugustanæ lib. IV, cap. 74, secutus est, desumpsit, sed in duas partes divisit, posterius fragmentum: *Venerabilis baptismi* infra D. 4, *De consecrat.*, c. 17, Decreto suo inserens. Gratianus vero posteriori fragmento aliam inscriptionem dedit, idque inscripsit *Gelasius P. clero et plebi Tarentino*, Ivonem, ut videtur secutus, qui capitulum hocce (*Panorm.* lib. I, cap. 21) sub inscriptione *Gelasii P. clero et plebi Tharensi* profert. Auctor pseudo-decreti Ivonis idem capitulum bis exhibet, tum sub inscriptione: *Gregorii P. clero et plebi Tarensi* (p. I, cap. 63), tum sub inscriptione: *Ex concilio Wormatiensi, cap.* 10. (p. I, p. 202), Pseudo-Ivo in primo loco Ivonis Panormiam præ oculis habuit, in posteriori vero Burchardi Decretum, ubi lib. IV, cap. 7, capitulum istud ex conc. Wormatiensi inscriptum conspicitur, mutato solummodo ejus initio *Sacrosancti baptismi* loco *Venerabilis baptismi.* Et revera caput hocce una cum initio *Sacrosancti* inter canones conc. a. 868 Wormatiæ editos deprehenditur apud Hartzheimium Concil. Germaniæ t. II, pag. 868; Harduin. t. V, pag. 737, et Mansi t. XV, pag. 871. Quod capituli nostri inscriptionem, quam Pseudo-Ivo p. I, cap. 63. exhibet, attinet, ea sine dubio incuria librariorum orta est, cum caput quod hic in opere Pseudo-Ivonis præcedit, inscriptionem *Gregorii Augustino respondentis* habeat. Cæterum animadverti debet eadem fere hujus capituli verba in capitulari Gregorii P. II, *Martiano episcopo, Georgio presbytero et Dorotheo subdiacono euntibus in Bajoariam ablegatis* decreto deprehendi apud Harduin. t. III, pag. 1681; Hartzheim t. I, pag. 6; Mansi t. XII, pag. 258. Mansius utrumque capitulum, tum ex Anselmi Collectione, tum ex decreto Gratiani inter decreta S. Gelasii P. I recepit, Collect. Ampliss. concilior. t. VIII, pag. 87, 120, 135 et 139. Conferatur etiam Harduinus Collect. concilior. t. II, pag. 930 et 936.

Lib. VI, Cap. 89, D. 100, c. 3.

Anselmus uti Polycarpus legunt rectius *Novit fraternitas tua.* Ita habet littera S. Gregorii M. ad Joannem Corinthiorum episcopum, cujus nostrum caput fragmentum est. Lib. V, epist. 59.

Lib. VI, Cap. 100. D. 100, c. 4.

Anselmus et Deusdedit offerunt genuinam inscriptionem *Joannes P. VIII Wuiliberto episcopo.* Etenim eamdem inscriptionem exhibet altera ejusdem pontificis epistola ad nostrum præsulem transmissa. Mansi t. XV, pag. 209. Idem Mansius capitulum nostrum sub hac inscriptione inter fragmenta epistolarum Joannis P. enumerat loc. cit., p. 212.

Lib. XIII, Cap. 33. *Si quis.* C. I, q. 3, c. 7.

Capitulum hocce in genuinis Collectionis Anselmianæ codicibus omnino deest, et ex Collectionibus Deusdedit, Gregorii presbyteri, Bonizonis aliorumque, quæ Anselmi opus communem originem habent, in illam Anselmi transmigrasse videtur. Collectio æque codicis Saviniani lib. IX, cap. 247, idem capitulum exhibet cum inscriptione: *Paschalis P. in epistola ad Mediolanensem Ecclesiam in libro VII.* Ivo in Panormia idem caput inscriptum: *Ex decretis Paschalis P. cap.* 18 profert, ex veteri, ut apparet, canonum collectione nondum cognita depromptum. Pseudo-Ivo (p. II, cap. 84) integram Paschalis P. I epistolam sub eadem inscriptione insertam habet, quam celeberr. Mansius ex Burchardi Wormatiensis pervetusto codice Lucensi S. Martini denuo recusit Collect. ampliss. t. XIV, pag. 378 sq., ignorans eam in Pseudo-Ivonis decreto jam reperiri.

C. 12, q. 5, c. 17. *Decrevit.*

Etiam hoc capitulum in nonnullis codicibus Collectionis Anselmi falso deprehenditur lib. III, cap. 98. Buchardus lib. XII, cap. 20, et Collectio codicis Saviniani lib. XII, cap. 109, idem caput sub genuina inscriptione *ex concilio apud S. Medardum cap.* 4, exhibent. Gratianus omnino eamdem inscriptionem retinuit. Fragmentum hocce, alioquin multo integrius, occurrit in capitulari Caroli Calvi (tit. XI, cap. 8, inter Jac. Sirmundi Opera, t. III, pag. 70, Parisiis 1696, in-fol., in ejusque Concilia Galliæ, t. III, p. 89; apud S. Baluzium, Capitularia regg. Franc. t. II, pag. 53; Hard. Collect. Concil. t. V, pag. 53; Mansii Collect. ampliss. t. XVII, pag. 39, in Append.), nec non in Reginone De eccles. disciplinis. lib. II, cap. 319, pag. 433, ed. Steph. Baluzii, Parisiis, 1671, in-8°. Fragmentum istud in capit. Caroli Calvi inscriptum est ex synodo Suessionensis anni 853, quanquam inter canones hujus concilii, quod apud Suessiones in monasterio S. Medardi a. 853 celebratum fuit, non invenitur. Vide quæ viri docti Hartzhemius Concil. Germ. t. II, pag. 563, et P. J. de Riegger in editione sua Reginonis ad loc. cit,

pag. 333, Viennæ Austriæ 1765, in-4°, adnotent. A Mansius recte canonem nostrum a Gratiano receptum una cum tribus aliis a Burchardo ex eodem conc. apud S. Medardum alibi relatis, actis suis concilii Suessionensis a 853 inseruit. Collect. concil. ampliss. t. XIV, pag. 995. Cæterum auctor Collectionis codicis Saviniani in fine capituli hujus verba quædam adjecit, quæ nullibi deprehenduntur, et sunt : *Sin autem, ut perjurium sponte commissum singuli pœniteant.*

Hæc pauca de S. Anselmi Collectione disseruisse sufficiat, cum a nostro scopo plane alienum sit hic integrum opus notis criticis illustrare, quod insuper fastidiosum nimis et inutile prosus esset, si non simul totius Collectionis textum daremus. Cæterum cum nostræ Collectionis tum in Antonii Augustini, Stephani Baluzii aliorumque operibus, tum in animadversionibus quas correctores Romani B Gratiani Decreto adjecerunt, frequens occurrat mentio, nonnulli, in errorem inducti, S. Anselmi Collectionem jam dum typis vulgatam esse dixerunt. Forsitam non pauci ex eo decepti sunt quod celeberrimus et eruditissimus Andreas Schottus S. J., in laudatione quam in Antonii Augustini funere habuit, defuncti opera commemorans dicat : *Sacro vero juri illustrando, post duos Antonios Gallos Democharem et Contium, qui in Gratiani collectaneis elaborarunt, Ilerdæ Collectiones integras Anselmi Ducensis, ut dixi, foras dedit, opus rarum et utile* (48). Quis non videt oratorem hic de editione locutum fuisse quam Antonius Augustinus de veteribus decretalium epistolarum collectionibus, Bernardi nempe Papiensis aliorumque, adornavit? quod Gregorius Majansius, celeberrimus sui temporis jurisperitus Hispanus, jam animadvertit (49).

Multi inter viros doctos S. Anselmi Collectionis typis mandandæ consilium cœperunt. Lucas Waddingius, celeberrimus ordinis Minorum annalium compilator, pluries de hac re cogitavit, ut præfatio quam opusculis S. Anselmi, ejus curis editis, præfixit, demonstrat. At præmatura morte abreptus curam hanc posteris reliquit. Si fidem Stephano Baluzio habemus (50), Lucas quoque Dacherius S. Anselmi opus prelo jam præparatum habuit, et quam maxime dolendum est ipsum consilium suum non ad exitum perduxisse, cum codex integer ac vetustus, qui in celeberrima Benedictinorum S. Germani a Pratis bibliotheca asservabatur, seditionis Gallicæ tempore deperditus sit. Docti insuper viri Andreas Rota (51) et Mich. Ang. Monsacratus (52) idem consilium habuisse videntur. At nobis eorum opera inspicere minime licuit. Una tandem eademque virorum doctorum sententia est ut S. Anselmi Lucensis Collectio typis edatur.

DE CODICE ANSELMIANO, QUI IN SACROSANCTÆ BASILICÆ VATICANÆ BIBLIOTHECA ASSERVATUR.

Collectio quam codex hic num. 118 C. signatus, C exhibet, a multis pro eadem ac illa quam S. Anselmi Lucensis decretorum opus complectitur, habita fuit. Quam opinionem et si jam Ballerinii falsam demonstrarent (53), nihil tamen attulerunt quo istius operis indoles illustrari possit. Quocirca pauca de illo hic proferamus.

Canonum collectio de qua loquimur universa ex Anselmi opere excerpta est, ad quod propius adhuc ac illæ Bonizonis, Deusdedit et Gregorii Collectiones accedit. Auctor in ea ordinanda eamdem fere rationem eamdemque methodum secutus est, quam in collectione Saviniana Berolinensi, sæpius a nobis laudata, nec non in excerptis Anselmianis, altero Vindobonensi et altero Cassinensi, observatam fuisse animadvertimus. Ipsum quidem Anselmi opus adiit, librorum vero numerum ad novem contraxit, quorum singulis exscriptionem generalem D præfixit, quas hic apponimus :

Lib. I. *De potestate et primatu apostolicæ sedis.*

Lib. II. *De prælatorum electione.*

Lib. III. *De consecrandis ecclesiis et earum ritibus,*

Lib. IV. *De sedibus episcoporum et auctoritate prædicationis.*

Lib. V. *De excommunicatione.*

Lib. VI. *De accusatione.*

Lib. VII. *De unitate Ecclesiæ.*

Lib. VIII. *De conjugio et adulterio.*

Lib. IX. *De raptoribus et furibus.*

Singuli libri plura vel pauciora capitula complectuntur, quibus eodem modo ac Gregorius, vulgo Polycarpus dictus, fecit, generales quædam inscriptiones seu summulæ præfixæ sunt. Quod si canones ex diversis conciliis quæ idem nomen habent afferuntur, concilia numeris minime distinguuntur ; canonum quoque numerus passim deest, quod in RR. pontificum decretalibus litteris nec non in SS. Patrum et scriptorum et ecclesiasticorum operum fragmentis pariter animadvertimus. Præter nuda conciliorum, pontificum aliorumque scriptorum nomina, aliud nihil occurrit, atque in multis capitulis, inscriptiones penitus omissæ sunt.

In singulis dein libris plurimæ habentur inscriptiones, rubro colore exaratæ, quæ rubricis simill-

(48) Apud Galland. pag. 589, tom. II, edit. cit.

(49) « Anselmi Augustini Tarraconensis pontificis Vitæ Historia quam Hispanice scribebat Gregorius Mayansius Siscarus, nobilis Valentinus, Hispaniarum regis bibliothecæ custos et codicis Justinianei in Valentina academia interpres : Latine vertebant Fabius Prosper Cenamius et Joannes Baptista Montecatinius patricii Lucenses. » Inter Opera Ant. Augustini t. 1, pag. XLI. Lucæ, 1776, in-fol.

(50) Præfatio in Antonii Augustini dialogos De emendatione Gratiani § XIX, pag. 215. Apud Galland. t. II.

(51) Notizie istoriche di S. Anselmo. Verona 1737, in 4°.

(52) S. Anselmi epistola nunc primum vulgata acc. in decretum ms. S. Anselmi animadversiones. Lucæ. 1821, in-8°

(53) Loc. cit., p. IV, c. 13, § 8, p. 648.

mæ videntur, quæque non raro tria, quatuor et plura etiam capitula, sæpissime vero nonnisi unum amplectuntur. Aliquando, et quidem non raro, 20, 30, 40, imo et 50 capitula se invicem excipiunt, quibus præter hujusmodi inscriptionem nulla alia præfixa est, quæque, uti ex eorum argumento apparet, ad præcedentem inscriptionem minime pertinent. Hinc non sine ratione concludi posset ejusmodi inscriptiones nihil aliud esse quam generales quidam argumentorum indices, qui a rubricis differunt, atque ab auctore ad lubitum appositi sunt. Cæterum nec capitula singula, nec inscriptiones numeris distinctasunt.

Præfatio omnino deest, et plura in diversis Collectionis libris ab aliena eaque posteriore, licet vetusta, manu codici ascripta sunt, qui insuper hac illac folia nonnulla habet quæ vel ex integro vel ex parte vacua sunt. Minime tamen hac de causa cum Ballerinis asserere auderem opus ipsum incompletum esse, cum nullibi appareat auctorem opus ex omni parte absolutum edere voluisse. Quod si investigare velimus undenam factum sit quod nostra collectio sancto Anselmo Lucensi tribueretur, certum quidem est id non ex eo explicari posse quod codex inscriptionem : *Anselmi decretum*, præseferat. Hæc enim inscriptio a posteriori manu ac multo tardius apposita est. Potius ipsa hujus nostri operis ratio, ac maxima quæ ipsum inter et Anselmi Collectionem intercedit similitudo, doctos in errorem induxerunt, qui cum viderent singulos nostri operis libros eidem omnino capitulis incipere quibus iidem in Anselmiana Collectione incipiunt, atque inter inscriptiones plurimas invenirent quæ ad verbum ex Anselmi capitulorum inscriptionibus desumptæ sunt, opus quoque ipsum universum idem omnino ac Anselmi decretorum opus esse crediderunt (54).

Cæterum plurima in nostra Collectione capitula occurrunt quæ neque in Anselmi, neque in aliorum A qui eum propius secuti sunt, uti Bonizonis, Densdedit, et Gregorii Collectionibus exstant (55). Frequentiora itidem sunt fragmenta ex jure Romano desumpta, quorum nonnulla, præsertim ea quæ ex Digestis et ex Codice excerpta sunt, a posteriori manu circa sæculi XIII initium codici ascripta esse videntur. Ab eodem manu libellus accusationis, quem Ballerinii ex nostra Collectione publici juris fecerunt, exaratus est. Incertum omnino est utrum auctor ejusmodi capitula, ab Anselmo prætermissa, ex alia Collectione desumpserit, et quamnam ipse adicerit. Burchardi tamen Wormatiensis Decretum sæpissime adhibuisse videtur, cum plurima capitula ex eo in suum opus receperit (56).

Restat ut videamus quomodo nostra Collectio ad B Gratiani Decretum se habeat. Indubium porro est Gratianum eam et cognovisse et adhibuisse, cum loca permulta quæ tum in Anselmi Collectione, tam in aliis illis Collectionibus quas correctores Romani ad emendandum Gratiani Decretum adhibuerunt, penitus desiderantur, in nostra Collectione habeantur, atque ex ea a Gratiano in Decretum recepta sint. Sic e. g. ex nostræ Collectionis lib. II, fol. 23, est C. 19, q. 2, c. 10, et c. 19, q. 3, c. 2 ; ex lib. III, fol. 33, C. 16, q. 7, c. 13 et 17. C. 16, q. 2, c. 1. (57) et c. 6, C. 1, q. 1, c. 124; ex lib. IV, fol. 37, D. 1, *De Consecr.*, c. 68. D. 33, c. 3, ex lib. V, fol. 58. C. 24, q. 3, c. 17. C. 11, q. 3, c. 73. C. 7, q. 1, c. 22. C. 24, q. 3, c. 17. C. 25, q. 6, c. 4 ; lib. VII, fol. 83. C. 7, q. 1, c. 8. C. 1, q. 1, c. 56. Serie non interrupta recepit Gratianus ex lib. IV, cap. 16, 17, 18 et 19, in Decreto c. 11, q. 3. c. 21, 22, 23 et 24 ; ex lib. IX, cap. 5 et 6, c. 14, q. 5, c. 2 et 3. Supervacaneum esse credimus plura ejusmodi exempla hic apponere, cum jam ex his paucis sat superque appareat quanti momenti hæc nostra collectio pro emendando plurimorum Gratiani locorum textu sit.

Quod ad tempus quo Collectio hæc nostra com-

(54) Nimis longum esset si hic fuse demonstrare vellemus quomodo Collectio nostra cum illa Anselmi in omnibus suis partibus cohæreat. Pauca exempla sufficiant.

Lib. I, c. 1-8, 9-20, 23-30; Anselm. lib. I, c, 1-8, 10, 11, 13, 14, 15, 16, 17, 18-21, 22-31.

Lib. II, cap. 1 et 2, 4-10. Anselm. lib. VI, cap. 35. Lib. VII, cap. 109, 30. Lib. VI, cap. 74, 17, 18, 19, 137. 21.

Lib. VIII, cap. 1-3, 3-7, 9-11. Anselm. lib. X, c. 1, 2, 5, 20, 18, 19, 29 et 39, etc.

(52) Transcripsimus canonem lib. IV, fol. 47, ex Collectione Hibernensi, quem nullibi reperiri potuimus, quique antiquam Ecclesiæ Hibernensis et Anglicanæ disciplinam pœnitentialem respicit. « Sancta Hibernensis synodus cui præfuit Leo S. R. Ecclesiæ episcopus, tempore Caroli regis Francorum, cum Theodorico Anglorum et Hibernensium archiepiscopo multisque illarum regionibus episcopis de lapsu sacerdotum sic ait : *Sacerdos si suggerente diabolo in fornicationem cecidit, et Deo miserante ad pœnitentiæ remedia confugit*, IV *annis in hunc modum expiabitur. Imprimis* XL *diebus et noctibus se expurget tuto loco remotus in solo pane. Quibus exactis primo anno prosequitur similiter in pane et aqua, exceptis Dominicis diebus et paschalibus præcipuis festivitatibus, in quibus vino et omnibus pulmentis uti poterit, excepta sola carne. Cæteris vero diebus sola aqua et pane sit contentus, et tunc considerata personæ qualitate in his indulgeatur ei de modico vino legumine, lacte, pomis, pisciculis et oleribus, sicut suo confessori visum fuerit. Igitur decurso primo anno statim sacri corporis et sanguinis particeps fiat. Psalmos cum fratribus ultimus in choro canat et ad pacem veniat, minor agerat officia. Secundo anno tres legitimas ferias in unaquaque* D *hebdomada expleat in pane et aqua. Expletis duobus annis si juxta præfixos pœnituit, episcopus eum in suum gradum poterit revocare.* » Cf. D. 82, c. 5.

(56) En quædam exempla.

Lib. III. c. 3, 6 et 12, ex Burch. lib. III. c. 63. 225. 90, 41, 39.

Lib. V, c. 2, 4, 7, 12, 22, 23. Burch. lib. XI, c. 38, 31, 43, 36, 48.

Lib. IX, c. 1, 2 et 4. Burch. lib. V, c. 39, 55, 53.

(57) C. 16, q. 2, c. 1. Nostra collectio habet : *Joannes P. VIII Isaaco Syracusano episcopo*, atque insuper decretalis diem adjungit : *Dat. prid. Kal. Aprilis.* Gratianus rectius habet : *ad Isacum Lingonensem.* Mansius aliam Joannis VIII decretalem litteram ad eumdem episcopum Lingonensem vulgavit inter epistolas ejusdem pontificis n. 96. Ampliss. Coll. concilior. t. XVII, pag. 83.

pilata fuit attinet, ea pauto post S. Anselmi mortem adornata videtur, cum præter quædam Urbani II ac Paschalis II litteras decretales, recentius documentum nullum in ea occurrat. Litteræ vero hæ decretales eædem fere sunt quæ et in aliis interpolatis S. Anselmi Collectionis codicibus exstant, ex quo mirifice confirmatur opinio quam superius enuntiavimus, ejusmodi scilicet documenta in Anselmi Collectionem ex Collectionibus ipsi proximioribus recepta fuisse.

Codex versus sæculi duodecimi finem exaratus; at Collectio ipsa in Italia compilata esse videtur; conciliorum enim tum Gallicanorum tum Germanorum nomina multis erroribus proferuntur. Sic e. g. concilium *Magotiense*, *Warmiense*, *Avirense*, *Gabilense*, *Ludinense*, occurrit loco: concilium *Magontinum*, *Wormatiense*, *Cabillonense*, *Lugdunense*, etc., etc. Similiter pontificis *Aniceti* nomen semper *Anitius* scribitur, qua scribendi ratione collectores Itali ab aliis distinguuntur.

Nos pro more Collectionis rubricas hic apponimus.

LIB. I. *De potestate et primatu apostolicæ sedis.*

1. Quod in Antiquo Testamento post Christum Dominum sacerdotalis cœpit ordo.
2. Ut Petrus habeat concessum sibi jus ligandi ac solvendi in suos transponere successores.
3. Quod præpositi non læduntur, dum a fratribus pro rigore justitiæ odio habentur, imo magis amor Dei illis conciliatur.
4. Quod post Christum non recipit qui papam contristaverit.
5. Quod Christus sancto Petro concessit, volentibus apostolis, ut primus esset inter illos.
6. Quod nec loqui debemus cui papa non loquitur.
7. Quod ad formam apostolorum facta est quædam distintio episcoporum, quibus tamen omnibus beati Petri sedes præminet.
8. Quod Ecclesia Romana omninus præest Ecclesiis, sicut beato Petro datum est præminere cæteris Ecclesiis.
9. Quod nuper unum, id est Petrum ædificavit Dominus Ecclesiam.
10. Ut nemo dissentiat a Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Ecclesiarum.
11. Quod a regulis Romanæ Ecclesiæ nullatenus convenit deviare.
12. Quod Ecclesia Romana nunquam a fide deviaverit.
13. Quod per universam Ecclesiam quidquid nocivum in ea est debet papa corrigere vel emendare.
14. Ut Antiochena Ecclesia Romanæ subjecta nec ab ea dissentiat.
15. Quod prima salus est regulas rectæ fidei custodire et a statutis Patrum non deviare, sicut Roma permansit Ecclesia, beati Petri sacerdotio ditata.
16. Quod Romana Ecclesia omnibus est prælata, non tantum canonum decretis, sed voce ipsius Salvatoris.
17. Quod Ecclesiæ columnæ, quæ sunt episcopi, confirmatæ sunt super fundamentum Petri.
18. Ut prima sedes a nullo judicetur.
19. Ut sacerdotes, sive omnes Ecclesiæ, statuta conservent sanctæ Romanæ Ecclesiæ, si nolunt ejus communione carere.
20. Ut nemo præsumat judicium primæ sedis retractare vel judicare.
21. Quod apostolica sedes caput est omnium Ecclesiarum.
22. Quod habeat Romana Ecclesia singulari privilegio potestatem ligandi et solvendi.
23. Quod a papa a nullo nisi a Deo judicandus.
24. Ut papa vices suas alteri committat ubi præsens esse non potest; quod et subdiaconus potest.
25. Ut ad apostolicam sedem ab episcopis referatur dum in fidei ratione dubitatur.
26. Quod papa pro universis Ecclesiis principaliter curare debet.
27. De apostolicæ sedis auctoritate, quod pro necessitate temporis adhibenda est cura.
28. De principatu Romanæ Ecclesiæ, et quod discipulus Marcus a beato Petro non dissensit.
29. Quod pro omni statu Ecclesiæ papa debet curam habere.
30. Ut omnes qui veri filii volunt esse sciant et sequantur quæ in Romana Ecclesia sacro ritu aguntur.
31. Quod apostolica sedes nunquam hæreses fovet, sed destruit.
32. Quod non sit liberum apostolico tacere, quia omnibus præest.
33. Quod apostolica sedes a beato Petro percepit fiduciam defendendi fidem rectam in omni Ecclesia.
34. Quod papæ major cunctis necessitas corrigendi incumbit.
35. Quod traditionem Romanæ Eaclesiæ debent reliquæ observare, quia principium ab ipsa acceperunt.
36. Non aliter de scriptis sentiendum est præter quæ sancti Patres docuerunt.
37. Quod non sit recedendum ab apostolicis statutis.
38. Ut nullus decreta sedis apostolicæ temerare præsumat, quia hoc ad potentissimum sacerdotem, papam, pertinet.
39. Quod apostolica sedes absque synodo potest solvere inique damnatos.
40. Quod nullus magis observare canones debet quam apostolicus.
41. Ut irritum sit quidquid in apostolica sede absque apostolico decernitur.
42. Quod auctoritas congregandarum synodorum generalium soli apostolicæ sedi sit commissa, nec sine ejus auctoritate esse potest.
43. Quod sanctus Petrus vim ligandi atque solvendi Lino et Cleto non tradidit, licet eos sib associaverit.
44. Petitio Nicæni concilii, ut ab apostolica auctoritate confirmetur.
45. Petitio Ægyptiorum episcoporum pro capitulis LXX Nicæni concilii ab auctoritate sedis apostolicæ.
46. Ut nulli fas sit temerare divina et apostolicæ sedis instituta.
47. Ut Romana Ecclesia omnes instituit ecclesiasticas dignitates.
48. Quod pro fide Petri specialiter supplicatus est Christus.
49. Quod Romana Ecclesia ab ipso Domino primatum obtinuit et quod ambo apostoli Petrus et Paulus una die suam causam morte consecraverunt, et quod ipsa sedes est prima, altera Alexandrina, tertia Antiochena.
50. Quod Romana Ecclesia non synodicis sed apostolicis institutis primatum obtinuit et quod sanctus Petrus et Paulus una die in urbe Romana coronati sunt.
51. Quod auctoritate pontificum et potestate regum mundus regi, et regia tantum potestas sucjecta esse debet pontificibus.
52. Quod sacerdotibus imperatores obedire debent, non jubere.
53. De constantia papæ Agapiti contra Justinianum Aug., quem tandem ad pedes suos humiliavit.

54. Quod imperatoribus fas non est curioso de spiritualibus negotiis agere.
55. Qualiter Gregorius regnum a Leone separavit propter ejus impietatem.
56. Quod Stephanus papa Pippinum in regnum provehit, et antecessorem ejus regem totondit et in monasterio conscripsit; illum vero sacramento rei commisso absolvit.
57. Ut imperatores obediant episcopis.
58. Quod imperator non judicat episcopos.
59. Ut episcopi auxilium imperatorum petant pro tuendis Ecclesiis.
60. In quibus obedendum imperatoribus, in quibus non.
61. Ut in bono tantum imperatoribus obediatur.
62. Non esse per omnia obediendum legibus imperatorum.
63. Ut episcopi ad comitatum non vadant absque licentia papæ.
64. Ut nullus secreta sedis apostolicæ temerare præsumat.
65. Ut in re dubia ad fidem Ecclesiæ Romanæ recurratur.
66. Ut nec nominetur concilium quod sine consensu papæ congregatur.
67. Ut absque apostolica sede nec concilium celebretur nec episcopi damnentur.
68. De episcopis non damnandis vel ordinandis sine auctoritate papæ.
69. In damnandis sententia servanda arbitrio papæ.
70. De episcopis absque apostolica sede non dijudicandis.
71. Ut difficiliora judicia ad sacerdotes referantur.
72. Quod basilica, vel Catholicorum congregatio, non debet institui sine nutu apostolicæ sedis.
73. Ut publica missa non fiat in ecclesia quæ sine consensu papæ fuit dedicata.
74. De violatoribus canonum.
75. Quod omnes violatores decretorum Romanorum pontificum sint anathematizati.
76. De observatione decretorum pontificum Romanorum.
77. De inobedientia canonibus.
78. De auctoritate quatuor conciliorum.
79. Ut concilium bis in anno celebretur.
80. Quo tempore celebrandum sit concilium.
81. Quod non sit discedendum ab apostolica doctrina.
82. De conciliis quibus uti debemus.
83. De institutis ecclesiasticis pro tempore moderandis.
84. De curatione adhibenda temporali necessitate.
85. De quodam propter necessitatem promoto qui uxori defunctæ fidem non servavit.

Lib. II. *De prælatorum electione.*

1. De electione.
2. De eodem.
3. Quod principatus non sit ambiendus nec seditionibus extorquendus.
4. Ut institutionis ecclesiasticæ ignari non ordinentur episcopi.
5. De eadem re.
6. De populo non sequendo.
7. Ut ex laicis sacerdotes subito non ordinentur.
8. De eodem.
9. De purgatione ordinandi episcopi.
10. De eodem.
11. De concilio Bragarensi si non licet populo per se sacerdotes eligere.
12. Quæ sint custodienda in electione.
13. Quales eligendi sint.
14. De eodem.
15. Ut irrita sit omnis electio episcopi vel presbyteri vel diaconi quæ a principe fit. Ex secunda actione VI synodi CCCL episcoporum.
16. De his qui se a populo electos asseverant.

A 17. Ut extranei non præponantur his qui bene servierunt in Ecclesiis suis.
18. Quod jus ordinationis debet amittere qui neophytum improvide consecravit.
19. Ut inter episcopos vel abbates non habeantur nec audiantur qui de laicis hanc susceperint dignitatem, et idem de inferioribus dignitatibus.
20. Quod bigamus aut concubinam habens non potest fieri episcopus, aut presbyter, nec diaconus nec cætera.
21. Quod Mediolanensis episcopus, jubente papa, ordinatus est.
22. Ut episcopus minus quam a tribus non ordinetur.
23. Ut ordinatio episcopi non differatur.
24. Ut modica civitate episcopus non ordinetur.
25. De episcopo qui non potest accedere ad parochiam cui ordinatus est.
26. De episcopis non receptis a sua parochia.
B 27. Qualiter ordinentur presbyteri et cæteri clerici.
28. De ordine presbyterorum.
29. Ut in principio Dominicæ noctis fiant ordinationes.
30. Quod clericus semel consecratus in eodem ordine consecrari non debet.
31. Ut presbyteri a pseudo-episcopis ordinati consecrentur.
32. Quomodo reparandi sunt qui injuste dejiciuntur.
33. De receptione sedis et sacerdotii Athanasii.
34. Quod irrita sit ordinatio illius qui ordinatur nesciente proprio episcopo.
35. Ut Ecclesiis duarum civitatum clericus non ordinetur.
36. Ut extraneus clericus sine commendatitiis litteris non ministret.
37. Ut clericus in aliena civitate non ordinetur.
38. Ut metropolitanus suam provinciam gubernet salva auctoritate apostolici.
C 39. Ut nullus metropolitanus audiat causas aliquorum absque comprovincialibus episcopis.
40. Ut in duos metropolitanos provincia non dividatur.
41. Qui sint vocandi primates.
42. De his civitatibus ubi primates sunt ponendi.
43. De honore Jerosolimitani episcopi.
44. Quot civitates provincia continere debeat.
45. Quomodo possunt habere episcopum qui nunquam habuerunt.

Lib. III. *De consecrandis ecclesiis et earum ritibus*

1. De ecclesia hæreticorum consecranda.
2. De ecclesiarum benedictione quid sit observandum.
3. De non sacrificandis nisi in loco sancto.
4. De solemnitate dedicationis.
D 5. Ut missa non cantetur nisi in sacro loco.
6. De re aliena non consecrata.
7. Ne ligna ecclesiæ ad laicorum opera admittantur.
8. De vasis sacris.
9. Ut vestimenta ecclesiæ non tangantur nisi a sacris viris.
10. Ut altaria nisi lapidea consecrentur.
11. Ut in omni missa pro defunctis oretur.
12. De ministeriis ecclesiasticis.
13. Quantum spatii quæque ecclesia obtinere debeat.
14. Quod non sit habenda ecclesia per pretium consecrata.
15. De invasoribus ecclesiasticæ rei.
16. De episcopi potestate in rebus ecclesiarum et qualiter eas expendant.
17. Qnod præsuli non liceat prædia ecclesiastica alienare.
18. Ut res ecclesiæ propriis usibus non appli-

centur.
19. De damnatione rectoris ecclesiæ.
20. De raptoribus et consentientibus.
21. Ut qui ecclesiasticas res sine jussu episcopi tenet de Ecclesia pellatur.
22. De raptoribus ecclesiasticæ rei.
23. De pœna illius qui ecclesiam combussit.
24. Quod damnandus sit qui de ecclesia subtractum aliquid vendidit.
25. De persecutione sacerdotum, et quod gravius sit sacrilegium fornicatione.
26. De vexantibus ecclesiastica prædia.
27. Quod episcopus sine consilio fratrum quædam ab ecclesia alienare potest.
28. Ut episcopus nec nescientibus clericis nec ipsi eo nesciente res ecclesiæ vendant.
29. Ut nullus rem tituli sui usurpet, et de salariis ecclesiæ.
30. Ne res ecclesiæ dentur vel vendantur.
31. Qualiter episcopus rebus ecclesiæ utatur.
32. Ne prædia ecclesiastica a militibus teneantur.
33. Ut pro captivis redimendis res ecclesiæ vendantur.
34. Quod faciendum sit cum necesse est rem ecclesiæ vendere.
35. Ut temere alienatum ab ecclesia revocetur.
36. Ut nec in vadium res ecclesiæ dentur.
37. Quibus personis res ecclesiæ vendi possint.
38. Quam curam habeant hæredes fundatoris ecclesiæ.
39. Quod decimæ sunt tributa egentium animarum.
40. Quod qui decimas ecclesiæ baptismalis contendunt damnum componant.
41. Ut decimæ dari debeant.
42. Quod fiat de negligentibus decimam dare.
43. Quæ decimæ a laicis possideantur.
44. Ut decimæ sub manu episcopi sint et quid ex his faciatur.
45. Quibus personis episcopi decimas conferre debeant.
46. Ut episcopi et abbates de agris suis decimas dent.
47. Quod si quis agrum suum ecclesiæ legaverit, decimam dare non potest.
48. Ut anathematizentur qui decimas non dant.
49. Quod decimæ non sint exigendæ a communiter viventibus.
50. Ut ecclesiæ nec decimis nec aliqua possessione priventur.
51. Ut ecclesiæ præter suas novas non perdant justitiam aut decimam.
52. Quod consensu apostolici sui proprii episcopi licet abbas vel monachus decimas detinere.
53. Ut quidquid in ecclesia pro pecunia gestum fuerit irritum habeatur, et quod ordinati a Simoniacis nescienter misericorditer suscipiantur.
54. Ordinationes pretio vel precibus vel obsequio factæ cassandæ sunt.
55. Quod a communione privetur qui donum Dei emit.
56. Quod res ex consecratione provenientes sine ea non emuntur.
57. Quod Simonia sit altare et decimas vendere.
58. Ut quilibet ex clero per pecuniam non ordinetur.
59. Quod non sit elemosina quæ sit ex pecunia per Simoniam accepta.
60. Quod contra Simoniam vehementer sit exardendum.
61. Non esse ordines humana gratia largiendos.
62. Quod sacerdotium et imperium humanam maxime vitam ordinat, et de eligendis ordinandisque episcopis et de damnatione Simoniacæ pravitatis.
63. De septem diaconis in unaquaque civitate habendis.

A 64. Ut episcopus testes habeat.
65. De septem diaconis urbis Romæ.
66. De subdiaconis et notariis.
67. Ut in sacrificando sanus succedat infirmo.
68. Ut celebrationem missarum ante tertiam horam non celebrent.
69. Ubi celebranda sit.
70. Sanus succedat infirmo.
71. Presbyter sine duobus non cantet missam.
72. Ut missa tota audiatur.
73. De novem præfationibus.
74. De capite non velando.
75. Ut missa ab eo quo incipitur peragatur.
76. De discretione eucharistiæ.
77. Ut sacrum corpus non sumatur sine sacro cruore.
78. De illusionis discretione.

LIB. IV. *De sedibus episcoporum et de auctoritate prædicationis*

B 1. De potestate episcoporum.
2. De juramento ad papam.
3. Quibus sacri ordines tribuendi, quibus negandi.
4. Ne quis cito post baptisma presbyter fiat et qui post crimen ordinati sunt ab ordine decidant.
5. Qui sint promovendi ad clericatum vel non.
6. Qui viduam duxit uxorem sive ante baptisma sive post non sit clericus.
7. De quibus laicis intelligi debeat.
8. Ne ordinati ab hæreticis nullo modo ordinentur.
9. Ut ordinandus probatur per prolixum tempus.
10. Qui sint admittendi ab clerum.
11. Si quis contra canones ordinatur honore privetur.
12. De illicita ordinatione ne fiat.
13. Qui extra catholicam Ecclesiam baptizantur non ordinentur.
14. De transmarinis clericis.
C 15. De marito duarum matronarum.
16. Quod nec ante baptismum bigamus ordinetur episcopus.
17. Quod ex acolythis et subdiaconis possint promoveri ad presbyterum.
18. Ut obnoxii licet ordinati sint dominis suis reddantur.
19. Ut servi non promoveantur.
20. Ut obnoxii dominis suis ignorantibus non admittantur ad clerum.
21. Quod ex monachis presbyteri possint ordinari in ecclesiis.
22. Quod monachi possint aggregari officiis clericorum
23. Quod qui concubinam habuerit non promoveatur.
24. Quod qui post baptismum secundo nupserit aut concubinam habuerit non sit episcopus vel clericus.
D 25. Ut viduæ maritus si ordinatus fuerit deponatur.
26. Ut omnes ministri altaris continentiam servent.
27. Ut XXXV annorum ordinetur sacerdos.
28. Quod sit cito manus aliqui imponere.
29. De eo qui ens in crimine sine examinatione ordinatur.
30. Ut pœnitens non ordinetur.
31. Qui non sunt ordinandi.
32. Quos ordines pœnitentes possint accipere.
33. Ut qui invitus ad pœnitentiam in monasterium mittitur non ordinetur.
34. Propter cingulum militiæ non ordinetur quis.
35. Clericus viduam non ducat uxorem.
36. Ut pœnitentes vel aliqua membrorum damna perpessi non promoveantur.
37. Quod debilitus in corpore post susceptum ordinem non abjiciatur.
38. Quid fiat de sacerdote redeunte ad lectum uxoris.

39. Ne clerici frequentent domos vel colloquia feminarum.
40 De incontinentia sacerdotum.
41. Quod nec subdiacono conceditur carnale connubium.
42. Ut subdiaconus non ordinetur nisi castitatem promiserit.
43. Ut clerici excommunicentur qui se post tertiam admonitionem non convertuntur.
44. Ut presbyter conjugium non sumat.
45. Ut mulieres cum episcopis non habitent.
46. Diaconi uxoribus non misceantur.
47. Ut subdiaconi uxoribus non misceantur.
48. De presbyteris filios generantibus.
49. De his qui post sacerdotium filios procreaverint.
50. Ut sacerdotes uxores non abjiciant.
51. De filiis subdiaconorum.
52. Qui clerici uxores accipiant.
53. De relicta presbyteri.
54. Ne presbyter conjugatus spernatur.
55. Ut lapsus in peccato carnis sacro ordine careat.
56. Ut lapsi in ordinem non redeant.
57. Quid fiat de presbytero fornicatore, perjuro et fure aut homicida.
58. De diacono fornicario.
59. Difficile est post crimen redire.
60. Quod lapso post pœnitentiam concedatur.
61. Differentia occulte peccantium sacerdotum.
62. Ut restituti altius quam fuerant non ascendant.
63. Ut clerici non misceant sese sæcularibus negotiis.
64. Ne clerici sint cupidi vel feneratores.
65. Qui ordinandus non sit implicitus his criminibus.
66. Ut episcopus non cogatur dimittere clericum suum.
67. De his qui moveri volunt.
68. Quæ culpa subditorum ad prælatos referenda sit.
69. Ut singula officia ecclesiastica singulis committantur personis.
70. De yconimo eligendo.
71. Ne facultates ecclesiæ committantur laicis.
72. Ut episcopus corrigat quod ab antecessore suo illicite commissum est.
73. Quod sola lectio non sufficiat.
74. De episcopo ne levitate credat.
75. De episcopo qui indignos consecrat.
76. De his qui negligunt plebes sibi commissas.
77. Ne quisquam episcoporum libros gentilium legat.
78. De episcopo qui concubinam habuit.
79. De correptione senioris episcopi et de ejus consiliariis excommunicatis.
80. De ministerio chorepiscopi.
81. Ut plebes quæ proprium pastorem peremerunt vice parochiæ gubernentur.
82. Ne diaconi cantores fiant.
83. Ut monachi vel clerici ministerio cubili pontificis obsequantur.
84. Ut feretrum Romani pontificis non veletur.
85. Ne fiscali more titulos imprimant.
86. De portionibus ecclesiasticæ oblationis.
87. De obedientia erga episcopos et de conspirantibus.
88. Ut clerici monasteriorum sint sub potestate episcopi.
89. Non esse communicandum inimicis episcopi.
90. Ut nemo contristet vel accuset suum episcopum.
91. Ut qui episcopo non obedierint ab Ecclesia arceantur.
92. De contumeliosis erga episcopos.
93. De his qui non obtemperant sacerdotibus.
94. De insidiantibus ut curiæ tradantur.

Lib. V. *De excommunicatione.*

1. Quod audientia denegetur excommunicatis per annum, et quod fiat si ita moriuntur.

A 2. De pœna communicantis cum excommunicato.
3. Ut damnati, si ministraverint, maneant sine spe reconciliationis.
4. De his qui ante audientiam communicant.
5. Ut excommunicati et communicator ejus æque puniantur.
6. Quod mortui excommunicati non possunt reconciliari.
7. Quod faciat presbyter excommunicatus.
8. Separatos esse qui falsa crimina intendunt.
9. Ut nec excommunicati ab alio recipiantur ab alio.
10. De separato ab Ecclesia.
11. Ut scienter excommunicati communicans excommunicetur.
12. De his qui infra annum excommunicationis se non expurgant.
13. De his qui contra apostolicam Ecclesiam suas erigunt cervices.
B 14. Convictum vel contumacem tantummodo excommunicandos esse.
15. Excommunicandum esse qui aliena tollit nisi restituat.
16. Quod absolutionem quam superstes non quæsivit mortus impetrare non possit.
17. Ut excommunicatis fidelitas non servetur.
18. Ut propria injuria episcopus non excommunicet.
19. Ut sententia episcopi timenda, licet injusta.
20. De episcopo qui totam domum pro unius excessu excommunicat.
21. Ut non excommunicetur nisi confessus vel convictus.
22. Qualiter episcopi debeant solvere vel ligare.
23. De injusta excommunicatione.
24. Quod papa possit absolvere ab alio excommunicatos.
25. De his qui excommunicatis fidelitate astricti sunt.
C 26. Quibus licitum sit cum excommunicato communicare.
27. Quod episcopi imperatores excommunicare possunt.
28. De privilegiis ecclesiarum.
29. Quibus clericis privilegia valeant.
30. Ut clerici vacatione gaudeant.
31 De privilegiis monasteriorum.
32. Ne episcopus faciat clericos in monasteriis.
33. Ut monasteria non sint habitacula clericorum.
34. Ut monasteria releventur a gravamine clericorum.
35. Ut clerici abbates non sint nisi omisso clericatu.
36. Ut privilegia indulta non confundantur.
37. Quod non liceat monasteriis diversoria sæcularia fieri.
38. Ne decimæ exigantur a monachis.
39. De monachis.
D 40. De clericis non manentibus in suo proposito vel monachis.
41. Quod non liceat monachis conjugium.
42. Quod liberum sit clericis monachos fieri.
43. Quod tribus modis monachi fiant.
44. Ut monachi non morentur in urbibus.
45. Ne quis promoveat aliquem de alterius monasterio.
46. De milite non recipiendo sine consensu papæ.
47. De his qui reddunt bona quæ vovent.
48. De communi vita servanda.
49. Quod conversi non possint testari.
50. Ut monachi commatres non habeant.
51. Ut episcopus tantum monachos judicet.
52. Non licet monachis abbatem expellere.
53. De proprietate Romanæ Ecclesiæ quam dedit Grégorius papa ad construendum monasterium.
54. Ut altare erigatur ubi fontes fuerunt.
55. De pacto servando.
56. De implendis voluntatibus defunctorum.

57. De monacho qui servus receptus est.
58. De viro non recipiendo nisi uxor convertatur.
59. Quæ sint deliciæ monachorum.
60. De monachis infirmis.
61. Quod laicus plus monacho habeat.
62. De his qui tonsurantur sine eorum voluntate.
63. De his qui, dimissa tonsura, uxorem ducunt
64. Ut monachi in ecclesia non prædicent.
65. De monacho non exhæredando.
66. De substantia monachi monasterium relinquentis.
67. Ut episcopus non cogat abbatem ire.
68. De novis cellis.
69. Ut unus abbas duobus monasteriis non præsideat.
70. Quid habeat fundator in monasterio suo.
71. De traditione vel commutatione monasteriorum.
72. De translatione monasteriorum.
73. De incognito per biennium probando.
74. Quod abbas pro humilitate proprium locum deserere potest.
75. Abbatem ab episcopo non esse eligendum.
76. De abbate qui per cupiditatem quemlibet tondit.
77. Nullum invitum præter justam causam in monasterium retinendum.
78. Ad episcopos monasteria pertineant.
79. De venditione abbatis ab episcopo revocanda.
80. Ut monachi non prohibeantur mortuos sepelire vel missas facere.
81. De virginibus.
82. Ut de juvencula abbatissa non sit.
83. De sacris virginibus indicta pœnitentia.
84. Quæ vivente viro alteri nupserit ei non debetur pœnitentia nisi alter eorum moriatur.
85. De virginibus non velatis si deviaverint.
86. De virginibus non servantibus propositum.
87. De puellis devotis, si nupserint postea.
88. De consecratis, si nupserint.
89. De virginibus sacris quæ vim barbaricam tulerint.
90. De raptoribus virginum.
91. Ut viduæ votum habentes non nubant.
92. Ut diaconissa ante annos XL non ordinetur.
93. De prescriptione vel integritate locorum servanda.
94. De præscriptione Romanæ Ecclesiæ.
95. De terminis non transferendis.
96. Quando valeat triennalis possessio.
97. Ut diœcesis quæ episcopum non habuit non habeat, et quæ aliquando habuit habeat
98. De episcopis qui ultra sex menses loca sua negligunt.
99. Quod clericis non valet præscriptio quam in rebus per renuntiationem habuerunt.
100. Ex quo die computatio præscriptionis incipiat.
101. Quod non valet mora quam necessitas facit
102. Ut episcopus in propria cathedra assiduus sit.

Lib. VI *De accusatione.*

1. Ut adversus sacerdotes vox mortui non audiatur.
2. Ut criminosis non credatur.
3. Ut accusatio absentis non recipiatur.
4. Doctores non esse accusandos.
5. Ut minores majores suos non accusent.
6. Ut infamis non testificetur.
7. De examinando accusatore et de ordine totius causæ.
8. Quod non nocet si fuerit extorta confessio.
9. De accusatione clericorum.

A 10. Quod non sit facile credendum.
11. De eo qui non probanda detulit.
12. Ut apostatæ non accusent.
13. Ut qui nuper inimici fuerunt abjiciantur.
14. Ut viles non accusent.
15. Ut nihil fiat contra quemlibet accusatum.
16. Episcopos prius familiariter conveniendos esse quam accusandos.
17. Ut inimicis familiaribus non credatur.
18. Ut propria voce et præsente accusato accusatio fiat.
19. Ut primates notificent accusatis quod eis opponitur.
20. Quod non sint accusati recipiendi.
21. De judicandis episcopis.
22. Ne alicui liceat convolare ad alias provincias sine præjudicio rei ecclesiæ.
23. Qui sint ab accusatione submovendi.
24. Qui sint infames.
B 25. Ut non accuset nisi accusatus expurget.
26. Ut nemo per scriptum accuset.
27. Quator personas necessarias esse et quod singulæ faciant.
28. Ut servus aut libertus non accuset.
29. De pastore non reprehendendo, nisi erret, et ut expulsus restituatur priusquam accusetur.
30. Ut accusatores episcopum tales sint ad minus quod provehi possint ad sacerdotium.
31. Accusatores sacerdotum tales sint quales sacerdotes eligi debent.
32. Ut majores non dedignentur a minoribus accusari.
33. De induciis accusatorum.
34. Non esse accusandum aliquem ut melior fiat.
35. Quales debeant esse advocati.
36. Quare licet recedere ante latam sententiam.
C 37. De difficili accusatione.
38. De his qui non possunt accusare.
39. De non admittendis ad accusationem.
40. Ut qui primum non probaverint ad cætera non admittantur.
41. De testibus non admittendis.
42. Quod pagani et hæretici non possunt accusare.
43. Ut clericus non tradatur ad sæculare judicium si non per missum episcopi.
44. Ne laicus criminetur clericum.
45. De calumnia.
46. De pastore non accusando a subditis nisi in fide erraverit.
47. Qualiter episcopus audiatur.
48. Quod fiat cum testes desunt.
49. De pœna quorumdam qui ab accusatis destiterunt.
50. Ne clericus apud præsidem accusetur.
D 51. Manifestum crimen egere accusatore.
52. De exspoliatis.
53. De expulsis.

Lib. VI. *De judiciis et judicibus.*

1. De præcipitanda sententia.
2. De examinatione temporum.
3. De numero et qualitate judicum.
4. Quod sit certa provincia.
5. Nullus episcopus invadat alienam dœcesim.
6. Ut non idem sit accusatores et judices.
7. De stulta diffinitione.
8. Ut nemo absens judicetur.
9. Ut actio die ventiletur.
10. De judicio renovando.
11. De contumeliosis in majorem natum.
12. A quantis audiatur episcopus, presbyter, diaconus.
13 .De clericis qui ecclesiasticum judicium relinquunt.

33. De diacona
34. De monacha.
35. De commatre.
36. De sorore.
37. De nepte.
38. De virgine non desponsata.
39. De conjugiis quatuor generationis quondam Anglis permissis.
40. De conjugio vitando.
41. De his qui infra septimam generationem nescienter conjuncti sunt.
42. Ut conjunctio consanguineorum prohibeatur.
43. De his qui se proximis copulant.
44. Quod matrimonia affectu contrahuntur.
45. De affinitate ex decretis Innocentii
46. Ut conjugia a presbyteris, diaconibus, subdiaconibus contracta dissolventur.
47. De cognata vel quam cognatus habuit.
48. Isidori capitula de septen gradibus consanguinitatis
49. De diversa fornicatione.
50. De mulieribus fornicantibus.
51. De fornicatione presbyteri.
52. De muliere quæ cum duobus fratribns nupserit.
53. De concupita muliere.
54. De Sodomitico scelere.
55. Quod propter quamdam fornicationem separatus vel separa a nubere potest.
56. Quid fit de illo qui filiam vel filiastram ad confirmationem vel fontem tenuerit.
57. De varietate homicidiorum.
58. Quod detractor sit homicida.
59. De voluntario homicida.
60. De homicidio non sponte commisso.
61. De occiso pœnitente.
62. De uxoris interfectore.
63. De pœna matricidæ.
64. De patricida et fratricida.
65. De interfectione impii.
66. De juramentis.
67. De perjurio pro vita redimendo.
68. De perjuro qui alios in perjurium ducit.
69. De eo qui sciens perjurat.
70. De eo qui contra id quod suspicatur jurat.
71. De perjurio in manu episcopi vel cruce.
72. Quod verum jurare non sit peccatum.
73. De juramento synodali.
74. Ut pueri ante quatuordecim annos non cogantur jurare-
75. Ut perjurium emendetur sicut adulterium.
76. De his qui per capillum vel per caput Dei jurant.
77. De incautis juramentis non servandis.
78. Si utendum sit fide veritatis per falsos deos
79. De perjurio cavendo etiam in communi loquela.
80. Quacunque arte verborum quis juret?
81. De multimodis juramentis et mendaciis.

Lib. IX. *De raptoribus et furibus.*

1. De membrorum truncatoribus et incensoribus.
2. Quod non furtum, sed mens juris attenditur.
3. De eo qui aliquem exspoliavit.
4. Quod non sit sumendum exemplum spoliandi.
5. Quod oblatio de rapina maculosa sit.
6. Ut pauperum defensio ab imperatore postuletur.
7. Peccatum esse diviti ablatum pauperi dare.
8. Rapinam esse inventa non reddere.
9. Regum esse oppressos liberare, nec effusionem sanguinis esse malos punire.
10. De puniendis malis.
11. De oratione qua orat ut temperentur interdicta.
12. Quibus licitum sit malos occidere.
13. Ut mali non occidantur, sed corrigantur.
14. De tolerandis vel fugiendis vel impugnandis malis.
15. Quod bella cum benevolentia sint agenda.
16. De persequendis vel deprædandis hostibus.
17. De prædandis hostibus ecclesiæ.
18. De eo qui, cum possit, injuriam non repellit a socio.
19. De pœnitentia.
20. De reconciliatione pœnitentis.
21. De utili pœnitentia.
22. Quod non tam mensura temporis quam doloris consideranda est.
23. Ut pœnitentia publice agatur.
24. Post dignam pœnitentiam posse aliquem docere.
25. Cur prohibeatur clericatus post pœnitentiam.
26. Quod oblata oporteat pænitentem restituere.
27. Quod nullum peccatum sine pœnitentia remittatur.
28. Quod pro conversipne necessaria fit pænitentia.
29. Quod venia non accipiatur sine pœnitentia.
30. Ne aliquis episcoporum alienum pœnitentem suscipiat.
31. Indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum obtineri nequit.
32. De his qui se occulto crimine contaminarunt.
33. Quod par causa fit mulieris adulterium et viri adulterium.
34. De justa et injusta misericordia.
35. De persequentibus sacerdotes.
36. De cruce et imagine.
37. De reconciliatione excommunicatorum

APPENPIX SECUNDA

OPUSCULA SPURIA

Bibliotheca Veterum Patrum Supplementum, tom. XXVII, col. 436.)

F. P. LUCÆ WADDINGI

ORDINIS MINORUM

AD SEQUENTIA OPUSCULA PRÆMONITIO

Duo nobis desunt sanctissimi viri opuscula, Commentarii scilicet in Threnos Jeremiæ, et in Psalmos Davidis, quórum postremos morte præventus complere non poterat. Etsi a nobis diligenter perquisitos, hactenus reperire non potuimus : si aliquando apparuerint, auctiori dabimus editione. Interim laboramus

circa collectionem canonum, quam libris tredecim Anselmus absolvit, et *Anselmi Decretum* quidam appellant. Eam suis numeris absolutam a mendis et erroribus expurgatam, notisque, ubi oportuerit, illustratam, Deo propitiante, aliquando in lucem proferemus.

Quæ vero sequuntur opuscula, Arnoldus Uvion tribuit S. Anselmo (Uvion *in notis ad diem* 18 *Martii*), eaque exstare, et Anselmo ascribi in codicibus prægrandibus membraneis bibliothecæ cœnobii S. Benedicti Mantuani testatur Possevinus (*in Appar.*). Eminentissimus dominus Franciscus cardinalis Barberinus, Benedictini ordinis protector, pro sua erga me veteri ac peculiari benignitate, atque innata in omnes bonarum litterarum cultores benefica propensione, curavit inde fide integra hoc exemplar transmitti. Atqui illa eloquio humiliora, quam quæ tanti viri præferant gravitatem, alicui videbuntur. Veruntamen conjecturæ quæ ex styli varietate efformari solent, leves frequenter apparent et fallaces; quippe manifestum est non eumdem in universis operibus suis sermones methodumque servare sacros doctores, præsertim eos qui præter doctrinæ excellentiam, vitæ addunt sanctitatem, et pietatis igniculis incensi frequenter feruntur in Deum. Dei verbis alios quandoque gravius reprehendunt, suis precibus aliquando Deum humilius pro se interpellant. Pro rei et argumenti varietate modo extollunt, modo deprimunt sermonem, nec eodem vocis tenore agendum judicant cum Ecclesiæ persecutore et cum mundi conditore. Spiritus intus alit humiles cordis cogitationes, et foris edit lenes vocis susurros, in conspectu illius pro cujus honorum in spiritu vehementi plerumque clamant, et quasi tuba exaltant vocem suam, annuntiantes populo scelera eorum, et domibus principum peccata eorum. Cum quo quis loquitur, et de qua re agitur expendendum, adeoque temperandi sermones, ut undequaque conveniant. Anselmus modo cum Henrico tyranno in acie pugnat, modo contra schismaticos scriptis tonat, attamen in cubiculi penetralibus *divinum semper aliquid intus agitabat, et contemplabatur cœlestia* (*In Vita* num. 30), quæ reverenti deinde promebat eloquio. Nihil ergo mirum si graviter doceat, et humiliter oret; si sacras Scripturas in tyrannos acriter contorqueat, et divina mysteria humiliatæ mentis meditetur affectu. *Multos libellos propriis manibus conscripsisse* Vitæ auctor recenset (num. 25). Quid si inter illos isti? Certe in ipsa illa domo in qua vitam monasticam et contemplativam professus est, omnes isti qui sequuntur, contemplationum libelli, præfixo ad singulos ejus nomine, diligenter conservantur. Liceat itaque præcedentibus opusculis ista subtexere, saltem ne pereant.

I

MEDITATIO IN ORATIONEM DOMINICAM

1. *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, etc. O summa clementia! O ineffabilis benignitas! O mira dignatio! O longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum charitatis divinæ! Vilissimum lutum sum, detestabilis sanies, nequissima creatura, et tamen Deus deorum, Rex regum et Dominus dominantium, se meum Patrem dicit. *Cum oratis*, inquit, *dicite* : *Pater noster*, etc. Ex quo hoc dicit ipsa Veritas, verissimum est. Et scio quod plus sine comparatione me diligit quam pater carnalis vel mater, imo quam ego ipse. De tanto ergo Patre elevabitur cor meum ut aquila, et jam hujus cœli inferiora contemnam. Quid ultra mihi de terrenis honoribus qui sum filius Dei? Majus dedecus esset mihi appetere quantumcunque magnum honorem terrenum quam filium imperatoris appetere B latrinæ officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis qui regni æterni sum hæres? Ignominiosius esset mihi de quantumcunque magnis divitiis terrenis curare quam primogenitum imperatoris de fimo equorum suorum. Quid ultra mihi de deliciis carnalibus, de terrenis, quantumcunque magnis? Detestabilius esset mihi filio Regis summi affici in quantumcunque allectiva creatura quam filium imperatoris in sanie fetidissima. Quid bonum, quid pulchrum, quid utile, quid desiderabile me allicere potest qui hæres sum fontis omnis pietatis, et boni? Omnia respectu illius non sunt nisi quædam similitudo et umbra. Accedam ergo ad Patrem meum, qui nihil aliud vult nisi ut habeam eum. Nunquid ergo negli- A gens ero? Nunquid pausabo? Nunquid aliis intentus ero? Certe cum impetu, omnibus postpositis, curram ad eum. Sufficit mihi, si habeo Patrem meum, et ideo toto corde tendam in eum. Non aspiciam, non aliud videbo nisi Deum meum, quia oculus mentis meæ totus tendit in illum, quia nimis allexit animum meum. *Pater noster*. O mel, et favum in ore meo, cum te Deum meum, Patrem meum voco! O dulcedo indicibilis! O jucunditas inæstimabilis! O jubilatio ineffabilis, cum audeo te Patrem vocare! O exsultatio! O admiratio! O medullaris modulatio! Quia Pater meus est tu. Quid ultra prætendam? Quid ultra dicam? Quid ultra petam? Pater meus es tu.

2. Sed ubi es, Pater mi? ubi es, si ubique es? imo quia ubique, quomodo cœlum tibi sedes est? Sed ideo, benignissime Domine, vis ut dicamus. *Pater noster, qui es in cœlis*, ut nos a terrenis ad cœlestia eleves, ubi maxime tua potentia, sapientia, et bonitas elucesit; ut ibi, mi pater, sit semper tecum conversio et conversatio nostra, ut a te cœlestia, non terrena, petamus, aut certe ut, nos spirituales cœli facti, in nobis sit habitatio tua. Quid ergo nos tardabit? Quid nos retrahet? Quid impedimenta parabit quin cœlestem, non terrenam, vitam ducamus, ut in nobis sit habitatio tua? O digna admiratio, mira dignatio, et dignissima habitatio Christi in nobis! Ego fœdissimus fimus et abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa Dei mei clementia tabernaculum ejus. Et qui sum ple-

nus sanie et fetore, ero sanctum Dei templum, sapientiæ sedes, et habitaculum Spiritus sancti! O felix dies! O beata hora cum talem hospitem possidebo! Tenebo eum, nec dimittam eum, donec introducam eum: imo ipse introducat me in domum illius, quæ sursum est Jerusalem, matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, scilicet in intimam contemplationis quietem, ubi cubant, ubi quiescunt animæ delicatæ (*Cant.* III).

3. *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, etc. O quam bene sequitur, quam optime continuatur, quam elegentissime ordinatur petitio ad prædicta, scilicet *Sanctificetur nomen tuum* ad *Pater noster qui es in cœlis*, quia filialis devotio, cœlestis contemplatio totum animum reverentis filii convertit in Patrem cœlestem, ut clamet, et dicat: *Sanctificetur nomen tuum*, quasi dicat: Non terrenas divitias, delicias, et honores peto, sed ut sim in te totus conversus, sim totus divinus. *Sanctificetur nomen tuum*, ut scilicet pars mea rationabilis, tua sapientia illustrata, omni errore et ambiguitate et tenebrositate purgata, habeat sanctissimam, id est purissimam notitiam tui.

4. *Adveniat regnum tuum*, ut mea irascibilis [*f.* voluntas], tua potentia raborata, ad sublimitatem tui regni conscendat. *Fiat voluntas tua*, ut mea concupiscibilis, tua bonitate dulcorata, imo tua charitate perfecta plene tuo beneplacito quiescat, ut ex vera dilectionis amicitia sit idem velle et nolle. Vel, *sanctificetur nomen tuum*, quantum ad puram notitiam intellectus. *Adveniat regnum tuum*, quantum ad fervens desiderium affectus.

5. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Quantum ad perfectum obsequium effectus. Sanctificetur ergo in nobis nomen tuum, quod ab æterno sanctissimum est, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus et sentimus, totum ad sanctissimi tui nominis ordinemus: ut sic in nobis nomen tuum sanctum sit, sine terra et purum, ut excussi et purgati ab omni curiositate et vanitate et omni inutili phantasia, te solum in omnibus agnoscamus semper, piissime et sanctissime Pater; mentis nostræ oculus ad te lumen æternum incessabiliter dirigatur; semper te qui in omnibus, et a quo omnia sunt, in omnibus te intuear, in omnibus te agnoscam. O quam dulce lumen et delectabile a te sole justitiæ nunquam mentis intuitum amovere! O quam dulcis, quam amabilis, quam admirabilis oculis nostris tuorum claritas radiorum! *Sanctificetur* ergo *nomen tuum. Adveniat regnum tuum.* Nunc Domine Deus, regnum hujus mundi occupavit animam meam, imo totam dissipavit, totam laceravit, totam fœdavit, totam denigravit, sponsam tuam dilectam, animam meam, totum cor meum, totum animum meum, totum affectum meum vanitas, imo fœditas hujus mondi. Ideo non nisi quæ mundi sunt sentio, quæ carnis sunt appeto, et sola terrena cogito et affecto. Factus sum hujus mundi cinis, et sub hujus mundi principe sollicite

A studeo militare. Sed, domine, nonne creatura tua sum? Ergo *adveniat regnum tuum*, ut princeps hujus mundi ejiciatur foras, tu solus in me regnes, tu solus inhabites mentem meam, totum me occupet regnum tuum, totum sibi vindicet desiderium meum, solus reficias affectum meum. Quid quæro? Quid volo? Quid desidero? Quo vagor? Quo discurro? cur distrahor? Sufficit mihi, Domine, regnum tuum, ergo *adveniat regnum tuum.* Nihil de cætero cogitem, nihil desiderem, nihil affectem, nisi regnum tuum; sit ibi refectio mea, sit ibi habitatio mea, sit ibi tota conversatio mea. Tu solus bonus, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus desiderabilis animarum amator. Tu solus me regas, tu solus me dirigas, tu solus me allicias, tu solus totum B cor meum habeas animarum zelator. In te solum pectus meum dulcoretur, in te solum quiescat cor meum, totum repleas animum meum, cum impetu ascendam ad te centrum et regnum omnium animarum; ergo *adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Hoc volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, ut in me, de me et pro me, non mea, sed tua, fiat voluntas, totus tuus sim, totus in tuum solum tendam honorem. Ad hoc factus sum, ad hoc natus sum, ut solum tuum requiram honorem. Jam non flectar ad meum appetitum, jam non proprium requiram commodum, jam non considerem amicorum affectum, non cogitem quid amarum, vel dulce; honorificium vel vile; sed solum nitar in omnibus tuum beneplacitum adimplere, difficile vel leve; asperum vel C suave; sed cum impetu, et desiderio ferventi et animi anxietate curem perficere quæ tuæ voluntati sunt placita. Hoc solum mihi suave, hoc solum sit jucundum, hoc solum mihi leve, hoc delectabile, et amabile in quantumcunque asperis, difficilibus et amaris tuam requiram perficere voluntatem. O gaudium, et jucunditas, et exsultatio medullaris totum et totaliter, semper, et ubique exponere me ad omnem tuum honorem, quem possim modo aliquo effectui mancipare! O utinam solus possem omnia tua ministeria, mi Domine, adimplere! Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus et visceribus concupisco me totum impendere tuo honori, me divinæ tuæ satisfacere voluntati quam et quantumcunque cœlestibus et divinis deliciis ju- D cundari. Si enim pro te, mi domine, totaliter lacerer, et passiones et mortes quascunque ad tuum honorem reciperem, de eis magis gaude remquam de quacunque delectatione quam etiam in patria habere possem, nisi fortasse in illa delectatione tantum aut plus cederet ad tui honorem; et hoc etiam non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem; non enim factus sum ad meam vanitatem consolandam, sed ad tuam magnificentiam honorandam. Quid mihi majus? Quid mihi dulcius? Quid mihi amabilius quam totum in tuum honorem resolvi? O gaudium! O tripudium, omne mihi jubilare solatium, quod possim aliquid quanta-

cunque difficultate facere ad tuum honorem. Hoc est angelorum gaudium, cœleste desiderium, patriæ præmium posse tibi totaliter obsequi, totaliter in te ferri, tuæ voluntati plenarie conformari, et tuum honorem et magnificentiam admirari. Non dubito, imo certus sum, quod plus gaudent angeli et animæ sanctæ de magnificentia tui honoris quam de magnificentia gloriæ suæ. Et ideo *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. In cœlo*, scilicet in cœlestibus spiritibus. *Et in terra*, scilicet in nobis hominibus: scilicet tuæ voluntati adeo libenter, et ferventer et voluntarie obsequamur, et tuæ voluntati totaliter conformemur secundum possibilitatem nostræ virtutis.

6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* O quam bene ordinat, quam eleganter conjungit hæc verba præmissis! Et quamvis de pane materiali et spirituali possit exponi, de sacramentali tamen pane maxime exponamus ad præsens. Et, ut dixi, hic in Deo est egregius ordo. Quis adeo dignus est, quis adeo humilis est ad susceptionem hujus sacramenti ad offerendum Filium Deo Patri, ut ille qui, sicut supradictum est, se totaliter in Deum ordinavit quantum ad intellectum, affectum, et effectum, qui se totum Deo obtulit, totum se sacrificio concremavit, qui in se annihilatus est, et totus in Deum illatus est, qui jam non quæ sua sunt quærit, sed quæ Jesu Christi (*Philip.* II)? Ille vero in hoc sacrificio potest Jesum Christum recipere, Jesum Christum rogare, Jesum Christum pro se et aliis Deo offerre. Et ideo petitioni isti verus Magister præposuit: *Sanctificetur nomen tuum*, etc., et optime subjungit, et illis verbis conjungit: *Panem nostrum*, etc. Qui ex Ægypto peccatorum exivit, ibi *sanctificetur nomen tuum*, et mare Rubrum inundantium tempestatum submersis Ægyptiis sicco pede transivit, ibi *adveniat regnum tuum*; et in deserto contemplationis soli Deo intendit, et se totum Deo dedicavit, ibi *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Jam in hoc deserto esuriens, manna, scilicet panem cœlestem, a cœlesti Patre requirit; ibi *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Qui etiam in Ægypto aliquando super ollas carnium sedit, nec illis spretis solum panem vivum, qui de cœlo descendit, exquirit, postulat et acquirit. O inaudita Christi dignatio! O mira jubilatio mentis! Deus meus, sponsus meus, amor meus, factus est cibus meus. Sanctorum præmium, angelorum gaudium, Dei Patris verbum est nutrimentum meum. Lux mundi, Sol cœli, Sapientia Dei, est refectio mei animi. Proles Virginea, redemptio humana, cœli gloria, facta est cibatio mea. Quid ultra affecto? Quid ultra me allicere potest? Absit a me, Domine, ut ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, quod circa aliud in toto mundo afficiatur? Quomodo, obsecro, post tam nobilissimum, et sufficientissimum, et suavissimum, et dulcissimum cibum, potest cor meum circa vana, turpia et immunda delectari? Quomodo, obsecro, potest cor meum ad momentum ab isto cibo nobilissimo separari? Et si super non possum ipsum sacramentaliter sumere, saltem cor meum ipsum spiritualiter non desinat ruminare. In veritate mirum et plus quam mirum videtur quanto præ dulcore et nimio ardoris fervore cor non deficit in hoc cibo. Tu solus, bone Jesu, sis cibus meus, et refectio mea; te solum esuriam: te avide, et insatiabili appetitu comedam, et semper famelicus sim tui. Quid te dulcius? Quid te suavius? Quid te amabilius, bone Jesu? Te solum volo comedere, te solum cupio masticare. Tu mihi semper dulcescas in corde. Solus odor tuus deberet reficere totum mundum, quanto magis cibatio tua! Si in verbo quod procedit ex ore tuo reficimur et vivimus (*Matth.* IV), quid erit te ipsum Verbum æternum ore recipere, et cordis dentibus masticare? Quomodo non sic cor meum delectatur in te, ut omnia obliviscatur præter te? Si aliquid terrenum, imo similitudo terreni, tantum aliquando cor meum occupat ut aliarum rerum obliviscar, quomodo tua verissima præsentia non me tantum reficit et inebriat ut totius mundi obliviscar, et etiam mei? Hunc ergo, Pater cœlestis, panem quotidianum hodie nobis concede. Sed *hodie*, Domine Deus, da nobis hunc panem, ut in præsenti et semper præsentialiter habeamus. Sit semper præsens spiritualiter saltem hic cibus, ut nunquam sciat præteritum vel futurum. Sed *hodie* dicit bonus Jesus, ut dicamus: Cur, quæso, tantum festinas esse nobiscum? Quare non differs usque cras, quid enim id nobis vides? Quid in nobis sentis, quid in nobis agnoscis, quod tantum nostro es inebriatus amore? Quid nobiscum lucraris? Quid in nobis reperis? Quem fructum de nobis habebis, quod nescis tardare? Si sic amor nostri te urget ut differre nequeas quin statim velis esse nobiscum, cum quibus nullum habes lucrum, nos autem qui sumus fetidissima sanies, et indigni, etiam tua creatura quantumcunque vilissima nominari, quomodo differimus, ex quo tantum hoc desideras, esse tecum, cum te summum bonum, sine macula speculum, angelorum solatium impetremus. Tu ergo, bone Jesu, differre non vis ut ostendis; nec nos amplius differre volumus. Hodie ergo te petimus, ut hodie habeamus. Non enim cassa est instructio tua, sed esset, si peteremus et non impetraremus. Quia ergo te statim petimus et desideramus, et hoc ipsum tu cupis, accede ad cor nostrum; quia ad te ascendit cor nostrum. Tu enim inebriatus es nostri, et nos tui amore. Te ergo ad nos, et nos ad te cum impetu ducis, o pondus amoris, et jam omni mora sublata mutuus sit amplexus, et inter tua brachia deficit anima mea, absorpta amoris fervore. Cum enim sensi amplexum tuum, eradicasti animum meum, primo cibasti, deinde inebriasti, tandem tuis amplexibus et osculis soporasti animam meam, et in tuis brachiis requiescit. Non eam, quamvis indignam, abjicis. Non eam refugis, sed ad te stringens clamas, et dicis: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne*

suscitetis nec evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit (*Cant.* III).

7. Sed adhuc admiror clementiam tuam, bone Jesu. Quare dixisti *quotidianum?* Nunquid vis quotidie cibus noster esse? Nonne sufficit tibi si per unam diem in nobis habitas, et moraris nobiscum? Quare semper vis esse nobiscum? quid fecimus tibi? Quid dicam de tanta benevolentia nescio, quia in illis thesauris clementiæ deficit animus meus, ut non possit parvam considerare scintillam, tanta est abyssus eis, et ideo nihil scio dicere, nisi, ex quo sic semper vis esse nobiscum, nos omni tempore simus tecum, et nunquam a te Sponso benignissimo, cibo suavissimo recedamus. Ita, Domine, nos tuo amore, et devotione glutines tecum, ut nec a te possimus recedere, nec velimus. Sic ergo *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, etc.

8. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, etc. O bone Jesu, nobilissimum cibum nobis indignis servulis tuis benignissime et instantissime obtulisti. Sed quid? Timeo ad convivium Esther reginæ, ut Aman, invitari (*Esth.* VII), etsi illa, bone Jesu, non sit intentio tua, tamen timeo. Quid ergo? convivium opulentissimum paratum est. Nuntii, scilicet angeli sancti mihi instant; esuries me excitat, et compellit; tamen accedere non præsumo, quia peccavi. Quid ergo faciam? angustiæ mihi sunt undique; sed certe quid eligam scio. Ibo enim ad Patrem meum cœlestem, de quo supra dictum est: *Pater noster, qui es in cœlis*, et dicam: *Pater peccavi in cœlum, et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (*Luc.* XV), scilicet *dimitte nobis debita nostra*. Sed o felix recognitio culpæ, quæ promeretur patris amplexus. Forte amoris fervore inter amplexus ejus dissolvar et mutabor in virum alium, et aliqualiter comedere potero de vitulo saginato. *Dimitte ergo nobis debita nostra*. O mira Dei nostri erga nos dignatio: ipsum contempsimus, et pro vilissima sanie commutavimus; et tamen nobis suadet ut veniam petamus, quia vult nobis debita dimittere cum offensis. Hoc autem noluit angelis elargiri. Quomodo, quæso, bone Domine, potes amplius nos respicere qui ita turpiter a nobis abjicimus te? Ergo ex quo tu ipse suades, *dimitte nobis debita nostra*, dimitte, dimitte nobis, quia jam pro nobis debitum solvisti. Jam teipsum pro nobis in sacrificium obtulisti. Tu es ipse qui nos doces, ut dicamus *dimitte nobis*, etc.; hoc facere potes. Nonne jam pax facta est? Nonne jam pacis convivium celebratum est, et quotidie celebratur. *Dimitte* ergo *nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. O beatum proximi debitum! o felix offensa, quam allegare possimus coram Deo in remissionem debiti nostri. Non ergo hujusmodi fratres contristemus, si nos offendunt homines, si nobis injuriantur, si nos affligunt, rapiunt et accipiunt nostra; sed in eis, quantum est, pro nobis exsultemus et gaudeamus, quia dimittendo ea pro-

A ximis allegare poterimus dimissionem debiti nostri. Non est dubium quod magnæ virtutis magnæque efficaciæ est allegatio ista, quam summus advocatus et Judex noster nos docet. Ergo si dimittimus aliis, dimittitur nobis. *Dimitte* ergo *debita nostra* nobis *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*.

9. *Et ne nos inducas in tentationem*. Quid enim, Domine, prodest baptizari, sive lavari a mortuo, si iterum tango mortuum (*Levit.* XI)? Non sufficit mihi, Domine, ut peccata commissa dimittas, nisi etiam a peccatis imminentibus custodias. Nam promptissimus sum ad peccatum, et nisi me custodias, sine freno irruam in peccata. Si ergo, Domine, ad probationem, et humilitatem et exercitationem nostram vis et permittis nos tentari, non tamen in tentatio-

B nem nos permittas inferri. Quid enim profuit Aman, qui a rege Assuero super omnes principes fuit elatus, cum postea inflatus superbia fuerit suspensus in ligno? (*Esth.* VII.) Quid enim mihi prodesset quidquid in præmissis verbis petivi, nisi in tentationibus me conserves in bono! Ergo *et ne nos inducas in tentationem*. Vis, bone Jesu, ut sic petamus, quia permittis nos multoties tentationibus stimulari, ut ad te recurramus? Omnem modum, et viam qua possis nos ad te trahere, exerces; quia nos tecum cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos fugiam, ut me recipiat fugientem, et timidum exhortetur; et dicam ei: *Et ne nos inducas in tentationem*, etc. Hoc vult, hoc desiderat, hoc exspectat Pater meus, ut curram ad refugium,

C ad complexum et ad sinum ejus, ut totaliter de me diffidens, solum de ipso confidam, ergo *et ne nos inducas*, etc. *Sed libera nos a malo*. Verum est, Domine, quia digni sumus omni malo, quia te contempsimus, omne bonum. Sed vide, clementissime Pater, infinitam misericordiam tuam, non detestabilem nequitiam nostram, et releva a nobis parvulis, nobis infirmis importabile onus, et a malo opprimente, et distrahente, et retrahente, et retardante ad bonum libera nos, filios tuos, ut libere possimus; .... et maxime ab illo horribili et terribili malo æterno nos libera, ne tua desiderabili visione privemur; quod horrent omnia ossa nostra. Quid enim mihi profuisset tuam creaturam fuisse, nisi te habeam, et

D totus et totaliter in te ferar in vita æterna, quam nobis concedas, qui es in sæcula benedictus? Amen.

Alia expositio

Possunt autem omnia supradicta aliter explicari sic: *Pater noster*, præmittitur, ut confidentes accedamus ad ipsum. *Qui es in cœlis*, ut quæ sursum sunt quæramus et sapiamus, non quæ super terram. *Sanctificetur nomen tuum*, quantum ad fidei illustrationem: *Adveniat regnum tuum*, quantum ad spei erectionem. *Fiat voluntas tua*, quantum ad charitatis conformitatem et perfectionem. *Panem nostrum*, etc., quantum ad nutrimentum et fulcimentum temperan-

tiæ, quæ maxime exhibetur in pane eucharistiæ. *Et dimitte nobis*, etc., quantum ad correspondentiam et lancem justitiæ, per hoc quod subditur: *Sicut et nos dimittimus*, etc., *Et ne nos inducas in tentationem*, quantum ad actum prudentiæ, quæ est in præcavendis insidiis. *Sed libera nos a malo*, quantum ad actum fortitudinis, quæ est in tolerandis adversis. Amen.

Alia expositio ejusdem.

Possumus etiam supradictas petitiones exponere pro iis quæ habituri sumus in patria, ut, *Sanctificetur nomen tuum*, quantum ad apertam visionem, quasi dicat : Quod nunc per speculum in ænigmate videmus, pure et sine terra, sine medio aliquo facie ad faciem videamus. *Adveniat regnum tuum*, quantum ad firmam intentionem, ut in æternum regnemus. *Fiat voluntas tua*, quantum ad consummatam dilectionem, quæ plene amantem in amatum transformat ; et tunc exponendum est *sicut in cœlo et in terra*, scilicet sicut in angelis, et in hominibus fiat. *Panem nostrum quotidianum*, etc., quantum ad suavissimam fruitionem ; et exponendum est tunc *quotidianum*, scilicet, continuum, quia semper est ibi dies, et exponendum est *hodie* pro æternitate, quæ non habet præteritum vel futurum ; sed est tota simul, et melius per præsens notatur. *Et dimitte nobis*, etc. in quo petitur adventus anni jubilæi, in quo omnia debita dimittuntur veris Judæis, scilicet, pœnitentibus et justis et homo homini, et Deus hominibus talibus debita universa dimittent. *Et ne nos inducas in tentationem*, etc., in quo petitur illa pacis pulchritudo, de qua dicitur *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* (*Isai* XXXII), etc., ubi non erit amplius Satan, nec malus occursus. *Sed libera nos a malo*, quasi dicat : Duc nos ad illum statum, qui est omnium bonorum congregatione perfectus et omnium malorum privatione jucundus; ubi vere erimus liberati a malo. Hæc autem ultima expositio multam admirationem, miram devotionem, medullarem exsultationem et plenam laudis persolutionem requirit. Et sunt in ea miri et inenarrabiles contemplationis thesauri. Sed non sufficio, nec dignus sum eos dispensare, nec ponere ibi os meum immundum maxime cum aulam regis Assueri ingredi non audeam, non vocatus (*Esth.* IV) ; et ideo simplicitati nostræ sufficiant quæ supradiximus foris in atrio existentes. Ipse autem Christus ad nos inclementiæ signum auream virgam extendat (*Esth.* V), ut possimus secure ad ipsum intrare, et secum in æternum regnare. Quod ipse præstare dignetur qui est in sæcula benedictus. Amen.

II.

MEDITATIO DE SALUTATIONE B. V. MARIÆ

Scilicet, *Ave Maria*.

1. *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*, etc. Tibi, Domine Deus meus, gratias quas possum refero ex intimis præcordiis meis, qui pro nobis indignis dignatus es nostram naturam assumere, virginali utero bajulari, et ex ea scilicet Virgine nascens, lacte ejus nutriri, ejus foveri gremio, et ejus subjici imperio qui omnia conservas, et regis, et qui me fetidissimam saniem, et turpitudinem detestabilem, abominatione plenum et omni venia et clementia indignum dignatus es tantum illustrare ut sciam Matrem habere ; hoc mihi indignissimo concessisti ut ipsam possim et audeam salutare. Non enim, Domine, fecisti taliter omni nationi, et hoc summum beneficium non manifestasti eis (*Psal.* CXLVII). Ubi est Domine, ille tuus peculiaris populus, quem in manu potenti et brachio extento de terra Ægypti per desertum in terram promissionis duxisti tot signis et prodigiis magnificentiæ tuæ? (*Psal.* CXXXV.) Nonne, Domine, iste est populus ille, cui hoc beneficium promisisti ? Cur ergo non illis tuis cultoribus, sed nobis idololatris et infidelibus hoc tuum summum beneficium reseiasti ? Quare nobis paucis, cum multi et quasi infiniti populi hoc ignorent ? Nonne Domine, universorum es creator, et omnes ad imaginem tuam fecisti ? Nonne, Domine, secreta consueverunt pandi amicis? Cur nunc, Domine, inimicis, et maxime mihi, qui a vertice capitis usque ad plantam pedis infectus sum, et totus tendo ad ea quæ sunt tuæ contraria voluntati ? Cur, Domine, tam nobile donum, tam excellentem thesaurum tuo infidelissimo servo et nequissimo dedisti? Nonne, Domine, tibi videtur quod non honorem, sed derideam Matrem tuam ? Quomodo superbus humilem, imo humilissimam superbissimus, castissimam immundissimus, cœlestissimam, imo divinissimam vanissimus et terrenissimus, sanctissimam impiisimus, Matrem Dei filius diaboli salutare præsumet ? Ubi est, Domine Jesu bone, reverentia Matris tuæ ? Cur talem salutare permittis ? Sed, o piissime Jesu, propter tuam erga nos nimiam charitatem nonne sufficit te omni derisui et omni ostentatui propter nos subjacere ; sed Matrem tuam jam ad tuam sedentem dexteram, permittis pollutis labiis tractare, ut possis corda nostra tuo et ejus inflammare amore? Non est dubium enim quod indignissimi sumus, et credo firmiter quod nullus sit cœlestis angelus qui eam, ut digna est, valeat salutare : quanto magis ego indignissima creatura?

2. Mirum videtur quando miser homo non tremit A et expavescit tantam Dominam salutare; sed illud detestabile nimium est ipsam nominare ore, et corde vana et inutilia, imo nefanda tractare, ipsam alloqui tergo verso. Cum omni devotione et reverentia est Virgo beatissima salutanda, et ipsa tales quærit qui ad eam devote et reverenter accedant; hos diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit. O beatus qui de tam nobili Matre lætatur, et ipsam corde amplectitur et opere imitatur! O felix, qui Matri Dei secundum suum posse nititur conformari! Hic est certe qui, omni creatura contempta, soli Deo singulari amore inhæret, et crucifixus cum Christo, animarum sitit salutem. O mirum certe, quomodo exsultatione non rapitur cor talem Virginem salutantis! Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipsa factum hominem contemplatur. B Hic videt ima summis, et summa imis pro sua charitate conjungi. Quomodo, quæso, non liquescit in hac salutatione mens nostra, cum Deum tantum nos dilexisse videmus ut ex virginali utero dignatus sit fieri frater noster. Jam os nostrum, et caro nostra est. O nimia et ineffabilis diffusio bonitatis divinæ! Quanta, quæso, erga talem Virginem deberet cor nostrum devotione diffundi, per quam meruimus Deo esse confratres et cohæredes. Mira deberet os nostrum dulcedine abundare, cum tam dulcem et benignam Dominam salutamus, et ejus benedicimus fructum. Suavissimus et dulcissimus est fructus ejus, et in ore, et corde sapientis dulcescit. Mira est hujus Virginis fecunditas, quæ, dum salutatur devote, ad cor salutantis suum suavissimum C fructum emittit, et quanto in ejus fructu quis amplius jucundatur tanto ab ea amplius impetratur. Nisi dicas: Sufficit, nunquam cessabit. O mira Domina, mirum videtur quomodo non tantum delectamur in te salutando quod, præter te et tuum fructum, cætera ignoremus. Quomodo, quæso, non est ad te tantum intentus homo, propter tuam nimiam suavitatem, ut etiam semetipsum a se abstractus ignoret? O raptrix cordium! O absorptrix mentium! O liquatrix peccatorum!

3. *Ave.* Cur, Domina, nos ingravidas tuo fructu? Cur nos Deo nostro impraegnas? Cur lutum imples cœlo, et vanissimos facis dominos? Cur nos, obsecro, filii tui amore inebrias, cum nec tibi, nec sibi aliquid impendere valeamus? Quid tibi prodest animarum amatrix, quod te et Filium tuum nostro di- D ligamus amore? Nonne cœlestia sufficiunt tibi, quid nostra corde requiris, cum tamen sint fetidissima et terrena? Accipe ea, animarum venatrix, et refove ea in sinu gratiæ tuæ. Quis enim potest effugere claritatis tuæ fulgorem et tuæ radios pietatis? nec enim est qui se a tuo calore abscondere possit (*Psal.* XVIII), quia beneficiis tuis pleni sunt cœli et terra. Quocunque enim pergamus, occurrit diffusio uteri virginalis. Ecce ergo nos undique tuis beneficiis irretisti, et semper et ubique tuæ benignitatis laqueos extendisti, ut a te Matre dulcissima fugere rationabiliter nequeamus, sed semper in dulcedinis tuæ gremio quiescamus. Currite ergo undique, humani, et tam nobilem et suavem Virginem salutemus.

4. *Ave.* Patientiam habe, Domina, quod angelicam salutem promo, et angelice non vivo; sed potius, diabolice horrendus et te salutare præsumo, confido certe de tua nimia bonitate, et tuo inflammatus amore te, quamvis indignus nimium, non vereor salutare. *Ave.* Quid mihi dulcius, Domina, tuo *ave*? O mirum *ave*, quod quadam cœlesti dulcedine inebriat cor devotum! Certe jam dicere potest devote salutans: *Liquefacta est anima mea* (*Cant.* X), ut salutavi Dominam meam. *Defecit cor meum et caro mea* (*Psal.* LXXII), dum alloquor Dominam meam. Quis in te non deficiet, Virgo sacra dum cernit hac salutatione prævia, te Dei Filio impraegnatam? Quis non deficiet, dum cernit Dei Filium tuo utero bajulari, tuo lacte nutriri? Quid ergo libentius audis, o Domina, quam salutationem, qua recognosceris, Mater Dei, sic in te homines jucundari ut semper in eum cujus es Mater refundant? Non enim puto nisi ut Mater Dei vis aliter salutari, nec et cognosci. Porta est Christallina, et per te vis tuo Filio nos conjungi. Sed, *ave*, et vere *ave*, nam cor nostrum aperit tuum *ave*. O admirabile et superadmirabile *ave*, a quo dæmones effugantur, peccatores lacrymantur, filii delectantur, angelus gratulatur, Verbum incarnatur, Virgo gravidatur. Certe, *ave*, cujus fructu creaturæ renovantur, homines redimuntur, angeli reparantur. Ergo tibi, *ave*, universa creatura sine fine proclamet. O dulcissimum, et suavissimum *ave*, quo terrestria lætantur, cœlestia jucundantur, imis suprema junguntur. O *ave*, quod intellectum irradiat, affectum satiat, mentem ad cœlestia levat, animus illustratur, pectus indulcoratur, caro maceratur: ergo *ave*. O catenale *ave*, quod cor stringis cum Virgine et separas a terrenis cum misericordissima miserum, cum Domina servum, cum Matre Filium firmissime ligas. O admirabile *ave*! Accedat, ut te salutet, qui vult catenari amore, et, cum ex corde salutaverit, amplius, fortius constringetur, et quanto constringetur fortius, libentius salutabit. Sic, *ave*, Domina mea, et amor mutuo se angebunt, donec cor salutantis deficiat præ dulcore. O Virginis amor, divinum reddis amantem, virgineum facis jam multa sorde pollutum. Ergo *ave*, Domina mea, Mater mea, imo cor meum, et anima mea virgo Maria.

5. *Maria* virgo, *ave*: O nomen suavissimum, nomen dulcissimum, nomen jucundissimum, nomen Mariæ! Quid feci? Quid præsumpsi? Quomodo excessi? nominare te audeo! Quis unquam talia audivit quod perditionis filius, peccatorum sacculus, dæmonum famulus te nominare præsumat? O amor mei! nomen Matris Dei! revereri nescit amor; mihi parce, Domina, quod te amare dicam; et si ego non sum dignus te amare, tu es digna amari. Quis, o Domina, te amare desistet, cujus beneficiis gratiam

et gloriam impetramus? Per te, Domina, franguntur vincula, solvuntur delicta vincuntur vitia, solidantur confracta, reperiuntur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incœpta promoventur, imperfecta perficiuntur, perfecta consummantur, purgatur cor, refulget mens, et animus inflammatur, liquescit pectus, decoratur aspectus, desponsatur peregrina, traducitur sponsa, resolvitur anima. O anima! habet hoc per te, Virgo Maria.

6. *Ave Maria*, Vere *Maria*, stella maris, mundo totaliter transformando. Domina super omnes angelorum choros ad Filii dexteram transcendendo. Es stella maris nos dirigendo, amarum mare compatiendo. Domina es protegendo. Stella maris es honestate, amara pietate, sed Domina es potestate. O Domine Deus meus, quid tibi retribuemus pro omnibus quæ dedisti nobis; aut quid tibi facere possumus, aut quid facimus, quod, nobis in mari omnis amaritudinis constitutis, tenebris undique circumseptis, a portu salutis nimium elongatis, turbinibus et procellis ad naufragium agitatis, imo tempestate nimia pene submersis, tam nobile solatium, tam dulce consortium, tam efficax auxilium, tam pium subsidium, Virgine Maria irradiante, stellam dedisti? O certe beata nox, et felix tenebra, et gloriosa caligo, quæ tali stella meruit radiari, certe hæc *nox illuminatio mea in deliciis meis* (*Psal.* CXXXVIII). O gloriosa Virgo, sies maris stella, semper in hac vita volo esse in mari, ut semper sis mea stella. Semper in mari, ut semper sim perfectæ amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intime compatiendo, pro animarum miseriis et vitiis condolendo, compatiendo. Semper volo in hoc triplici navigare pelago, ut semper habeam hujus stellæ ducatum. Væ illis qui sunt in deliciis, et nesciunt, imo nolunt hoc mare intrare, quia hac dulcissima stella carebunt. Currant undique tribulantes, et sepiant me amaritudinibus inauditis, et *non timebo, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII). Imo tunc mihi vere refulges, curæ vallatus angustiis, sum omni humano auxilio destitutus, cum *intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* LXVIII). Abjectum et repudiatum ab omnibus creaturis me peccatorem nequissimum, et omni malo dignissimum impugnet, et stimulet, obsecro, tota hujus mundi machina, ut mecum sit stella marina. O felix, cum fuero ex omnibus exprobratus, conculcatus, et conturbatus, et ab hac stella susceptus! Stella est maris, et in amaritudine positis ipsa relucet. O quam dulce, et delectabile oculis hanc lucem videre! O quam bona et amabilis commutatio, omnem mundi consolationem abhorrere, et longe a se irrecuperabiliter ejicere pro refulgentia stellæ maris! Plus valet una sola illustratio hujus stellæ quam omnium possessio mundanorum. Quis omnis amaritudinis, compassionis et passionis mare non intrabit gaudenter, ubi refulget hæc stella; nec paveat cor perfectum, quia impossibile est naufragium fieri irradiante hac stella, nec

A potest nubes aliqua interponi, nisi volenti. O Domina mea, tu in hoc mari es nobis navis sustentans et portans, anchora stabiliens et firmans, gubernaculum dirigens et rectificans, velum deducens et obumbrans, stella refulgens et salutis portum demonstrans; imo impetrans, conservans. Quis ergo non libenter hoc mare compunctionis, passionis et compassionis intrabit, ubi tu nobis subvenis, et ministras in omnibus?

7. Imo ut plus dicere audeam, tu es Maria, amarum mare facta, propter Filii passionem et nostrarum iniquitatum compassionem, non quod aliquid tristabile patiaris, sed considero mentem tuam secundum quod in hac vita juxta crucem vivebas. Hoc B ergo duplex intremus mare, scilicet tuo Filio crucifixo et tuo cordi sibi confixo compatiendo, et de nostris iniquitatibus, quæ tantæ necis fuerunt occasio, intime contristando, si volumus cor tuum intrare quod factum est mare magnum et nimium spatiosum (*Psal.* CIII). Quis non libenter ergo intrabit hoc mare, ut possit cor Virginis introire? Hi certe bene intrant cor tuum, et sunt continue in corde tuo, qui Filii tui ruminant continue passionem. Impossibile est enim, mater piissima, Filii tui intrare vulnera, et non intrare cor tuum, quia illa vulnera sunt in corde tuo perpetuo collocata. Sicut enim illa stigmata semper erunt in Filii tui corpore, sic semper et in matris mente. Quis ergo tardabit? C Quis amplius pigritabit hoc navigium introire? dulce est de te audire, sed dulcius de te cogitare dulcissimum et nimis suavissimum per Christi vulnera intrare cor tuum. Non recedat homo a Christi contumelia et vulnere, si non vult de tuo corde exire. Ibi fit homo totus virgineus, totus sanctissimus, totus divinus, obliviscitur homo sui. Solum recogitans quæ sunt matris et Filii.

8. *Ave Maria*. Sine væ animæ et corporis; animæ, quia sine væ infirmitatis, ut esset tibi difficile ad bene agendum; sine væ ignorantiæ, ut non possis cognoscere, sive eligere bonum a malo; sine væ malitiæ, ut esses prona ad malum. Quantum ad corpus, sine væ doloris in pariendo; sine væ subjectionis, marito non obsequendo, sed potius ipse tibi; sine væ fatigationis in filios nutriendo. *Maria*: Hoc D nomen interpretatur *stella maris*, amarum mare, et dicitur et stella, inquam, maris, in nativitate Filii; amarum mare in passione Filii. Quia sicut ad stellam ferrum vertitur tactum ad adamantem; sic ad te corda peccatorum ferra, quasi circa se vertentia ad cœlum, scilicet sanctorum te laudantium. Amarum mare propter bonitatem Filii, propter genus mortis ejus, propter visionem mortis ejusdem, Domina vero fuisti ratione dignitatis, quia Mater Regis, ratione virtutis, primigenia virginum; ratione loci, quia thronus tuus est super thronos angelorum.

9. *Gratia plena*, humilitatis, reverentiæ, taciturnitatis, mansuetudinis, prudentiæ in solitudine, et virginitate. *Gratia plena* fuit B. Virgo quantum ad

Dominum, qui ejus humilitatem respexit (*Luc.* I); A quantum ad angelos, quibus etiam cognata virginitas, et quantum ad homines, quibus edidit Salvatorem. Vel *gratia plena*, quia Virgo contra carnem; pauper contra mundum; humilis contra diabolum. *Dominus tecum*, sicut pater cum filia gubernando, sicut filius cum matre obediendo, sicut custos ejus thesauros custodiendo, sicut puer cum nutrice, sicut sponsus cum sponsa, sicut rex cum regina. Et ultimo, *Dominus tecum*, per naturam, per gratiam, et per gloriam. Per naturam, excellenter subsistendo, præsentialiter cognoscendo, potentialiter persistendo; per gratiam, scilicet infusionis, operationis et revelationis; et per gloriam, quia in ratione plenitudo lucis, in voluntate plenitudo pacis, in memoria continuatio æternitatis. *Benedicta tu in mulieribus*, quia in utero sanctificata, quia in anima a peccato præservata, quia in te peccati fomes exstinctus, quia bonis omnibus et virtutibus repleta, quia utero tuo privilegiata, quia concepisti sine semine, portasti sine pondere, peperisti sine dolore, quia ab omnibus Christianis specialiter laudata, quia ab ipso Christo, et omnibus sanctis et angelis in morte obviata, etc.

III.

MEDITATIO SUPER SALVE REGINA, ETC.

Titulum hunc præfixum habet codex ille prægrandis Mantuanus ms. circa quem fortassis lector hæsitabit dum viderit opellam hanc alias D. Bernardo attribui, atque inter ejus opera circumferri. Eadem quidem utrobique est meditatio, sed illa contractior, ista duplo major, neutra tamen reputabitur Anselmi, si Bernardus, illo posterior, postrema illa verba. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria, *subjunxerit in urbe Spirensi;* (58) *quod scribunt plerique. Alii solemni trina genuflexione recitasse volunt, non addidisse. Possevinus utique lectorem monet ut videat utrum recte Bernardo tribuatur. Idem profecto hujus et præcedentium meditationum censendus est auctor, maxime pius, divinis contemplandis mysteriis assuetus.*

1. Ad salutandum beatam Virginem, primo debes B ejus magnitudinem considerare; nec enim amplius circa Filium suum potuit elevari quam ut Mater Domini vocaretur. Exsultans ergo, et admirans magnificentiam Matris nostræ, devote et reverenter, ac confidenter ad ipsam accedens dicito: *Salve.* Hoc dicto resilias in tuam parvitatem a magnificentia Matris Dei. Et dic, patientiam habe in me, Domina, quia ego vilissimus hominum audeo assistere tantæ Dominæ, et salutare te præsumo Reginam cœlorum, Dominam angelorum, Matrem Dei mei, sed de tua benignitate, Domina, humili, ac humilitate benigna confido, quod me indignissimum sustinebis. Et quamvis sis arca Dei, sine comparatione nobilior arca Veteris Testamenti, et ego multo ingnobilior; attamen cum te tetigero corde, ac salutavero ore, non credo percuti, sed tuo amore potius inflammari, et a tua pietate largissima in omnibus exaudiri. Ergo *Salve Regina*, sub tuo regimine, Domina, de cætero volo militare, me totaliter dominationi tuæ committo, ut me pleniare regas et gubernes. Non me permittas mihi, quia sum mihi ipsi conscius nimis. Quidquid enim mihi dimiseris, noveris miserrime destruendum. Sed cum plenus sum miseria, et a planta pedis usque ad verticem putrefactus putredinem generem et horrorem, quomodo me regere dignaberis tam nobilis creatura? Certe quia tu es Regina *misericordiæ*.

2. Et qui sunt misericordiæ subditi, nisi miseri? Sic erga *misericordiæ* Regina, es et ego miserrimus sum, omnium subditorum tuorum maximus peccator. Quomodo ergo, Domina, in me non exercebis tuæ miserationis effectum? Vere Domina, Regina es *misericordiæ*, quia non est in hoc vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres salutarem misericordiam si quis ad tuum declinaverit regimen. Certe, Domina, cum te aspicio, non nisi misericordiam cerno. Nam pro miseris mater Dei facta es. Misericodiam miseris genuisti. Undique, Domina, misericordia tu vallaris, solum miseri appetere tu videris. Multum es sollicita de miseris, hos in tuos filios adoptasti, hos regere voluisti, Domina, et ideo Regina *misericordiæ* debite tu vocaris. Quid ergo de cætero, Domina, formidamus? Quid timemus? Quid ad te gradu concito non venimus? Et quis a te, quæ petierit, C non habebit? certe nescio, nisi qui se miserum non cognoscit. Quia non subest de nobis tuo regimini, nisi miser, aut etiam qui se cognoscit miserum, et de tua misericordia confidit. Illi ergo paveant soli, qui se existimant justos esse, et superbi et præsumptuosi, qui tuo regimini non subsunt, et etiam illi miseri, qui tuam misericordiam non requirunt. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum modo Domina habitemus; te mentis visceribus amplectamur, quia tu es *vita.*

3. Vita vere, quæ mortem superbiæ humilitate vicisti, quæ nobis vitam gratiæ impetrasti, quæ vitam gloriæ genuisti, et non est dubium quod vitam natu- D ralem a multis periculis liberasti. In omnibus enim te vitam morti opponis, cum, videris expedire. O vita mirabilis, quæ mortuas vivificare conaris? Per te, Domina, est regressus de privatione ad habitum. O vita mortem non timens, mortem expellens, mortales immortales constituens! O certe vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis! O vita non senescens, sed potius senes ad juventutem reducens!

(58) Vide Eylengren. in Chronico Spirensi.

A O vita, carnales vitas ad nihilum redigens! O vita certe contraria mundi vitæ! Qui enim vult te habere se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat; et qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit. O *vita* divina fortificans potestate, impetratione divinam sapientiam exhalans, et divina vegetans bonitate. Si vita mea es, cur non semper vegetas vitam meam? Quis mihi tribuat ut semper gaudeam beneficio hujus vitæ? *dulcedo.* Vere dulcedo, qua amaritudinem peccatorum impetrando expellis, quæ nobis dulcorem gratiæ acquiris, quæ ad suavitatem patriæ cœlestis contemplantes introducis, et demum ad ipsam possidendam adducis. O dulcis Domina, cujus sola memoria allectum dulcorat, cujus magnitudinis meditatio mentem elevat, B cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat, cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat! O Domina, quæ rapis corda dulcore tuo, et nunc cor meum, Domina, rapuisti; et ubi, quæso, posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? Nunquid in sinu tuo, ut meipsum inveniam, collocasti? Nunquid inter tua ubera posuisti? fortasse ubi posuisti illud, ut quod friguerat, amore tuo succensum calefiat, ut a te nequeat separari. O rapatrix cordium! Quando restitues mihi cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? Quare violentiam, imo benevolentiam facis amicis? Nunquid vis ipsum tenere? Cum illud a te postulo, mihi arrides; et statim tua dulcedine consopitus quiesco, cum in me reversus, iterum illud postulo, me amplexaris, dulcissima, et statim inebrior tuo amore. Nunc cor meum non discerno a tuo. C Nec aliud petere scio a te nisi tuum. Sed, ex quo sic est cor meum tuo amore inebriatum, tuo amore consopitum, guberna cum tuo, et in sanguine Agni conserva et in latere filii tui colloca, ut solum quæ sentis sentiat, et solum diligat quæ tu amas, non in terra, sed in cœlo sit tecum. O! beatum cor est, cui datum est semper, vel quasi semper, Dominam meditari; cui datum est semper inter delicias Domini gloriari; necnon compati Filii passioni. O mirabilis at amabilis cordis dulcedo, cui cætera et patrem, matrem et filios, vel ea quæ ad ipsos spectant, fetidissima et amara videntur. O dulcissima Domina, dulcissimum fructum habens, dulcissime corda attrahens, dulcissima bona largiens, dulcissima quæque promittens, dulcissima corda tu reddis. O quam dulcis es, Domina mea! O certe quam dulcis, et quam dul- D cissima in deliciis, dulcissima habens ubera pietatis, et summe benedicta! Tunc assequar quæ intendo, tunc possidebo quod spero, quia tu es *spes nostra.*

Nonne tu es Domina regni? nonne tu es Mater præmii, scilicet Christi, qui est præmium bonorum ac beatorum? Nonne tu es quæ nos tantum desideras exaltari? Nonne sine comparatione plus nos diligis et bonum nostrum procuras quam mater carnalis? Si ergo nos vis facere gloriosos, imo quia vis, quis poterit prohibere? Quid enim habes aliud facere nisi Filium exhibere? Ipse est meritum, et præmium nostrum, et gloria nostra est. *Sperent* ergo *in te, qui nomen tuum noverunt, quoniam non derelinquis quærentes te,* Domina (*Psal.* IX). Certe *qui sperant* in te, *mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, volabunt et non deficient* (*Isa.* XL). Qui non sperabit in te, quæ et adjuvas desperatos? Et quis non sperabit in te, propter quam exauditæ sunt preces patrum, oracula prophetarum, et eorum adimpleta promissa? Et quid potuerunt, patriarchæ, et prophetæ desiderare, Domino, quod per te non fuerint assecuti? Si antiqui per te hæc omnia habuerunt, quomodo nos, qui sumus filii tui sanguine unigeniti jam redempti, non habebimus, quod voluerimus postulare? Non dubito quod si ad te venimus, habebimus quod volumus. In te ergo speret, qui desperat; qui deficit, ad te currat confidenter; ad te veniat qui vult aliquid impetrare dicendo: *Salve.* Quis a tua salutatione de cætero nos poterit prohibere, ex quo sic es Mater et Domina, *vita, dulcedo et spes nostra?* Quis ergo ex quo Regina es, a tua reverentia nos poterit impedire? Non solum homines, sed universæ etiam creaturæ te Genitricem Dei salutent. Universa, Domina, per te sunt restaurata, et suum Conditorem per te recuperant universa, ut sibi debito ordine sint subjecta. Certe mirum videtur quod totus mundus cessat a tua salutatione, quin semper te laudet omni tempore, et salutet. Sed quid est te bis salutare, nisi te ut Dominam angelorum et hominum revereri? Et quid est salutem replicare, nisi tibi sine fine reverentiam exhibere? Quid est te salutare et iterum salutare, nisi salutem, et salutis profectum a te, Domina postulare? Quid salutamus et iterum salutamus, nisi ut tam interius quam exterius per te, Domina, salubriter custodiamur? Quid est, saluto, et iterum, saluto, nisi quia tuæ reverentiæ utrumque hominem expono? Ut quid porro te salutavi, et iterum salutavi, nisi ut per te Deum et hominem, nisi ut per te tuum Filium possiderem? Quid salutavi te, nisi ut redderem ad mea vota accinctam, et iterum salutavi, nisi ut propera esses ad perficienda? Aut certe primo voluimus salutare, ut te commendaremus; secundo ut post hanc miseriam Filii tui gloria gauderemus. Primo es, Domina, salutanda, ut per te gratiam impetremus; secundo, ut per te ad gloriam veniamus.

5. *Ad te,* ad te vere, quia tu, Domina, Deum et hominem genuisti; tu sola, Domina, hæreticam pravitatem interemisti; tu sola es Domina regni; tu sola es gubernatrix præmii. *Ad te* matrem nostram, ad te nutricem nostram, ad te adjutricem nostram, ad te certe, quæ nos lavas a fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris etiam in incunabulis vagientes, lactas parvulos esurientes; tuis brachiis sustentantur infirmi deficientes; tu vere consolidas vulneratos, ad salutem perducis ægrotos, et non solum mater et nutrix, sed etiam medica facta es miserorum, quæ non derelinquis derelinquentes, quæ recipis fugientes, quæ es Regina, Imperatrix et Domina angelorum; quæ blandimentis nos allicis,

deliciis nos foves, et nutris. *Ad te clamamus.* Quomodo non clamaremus, Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui undique ab inimicis circumdamur et terremur! *Clamamus,* angustiati et miseriis infinitis oppressi. *Clamamus* cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate, aut forte erga te amoris immensitate. *Clamamus.* Ne tibi erga nos somnolentia inducatur, quæ nos die noctequo custodis. Quare obdormis, Domina? Surge, adjuva nos. *Clamamus,* etiam ut necessitatem nostram pandamus quia clamare nos necessitas compellit. Necnon *clamamus* ut ad compassionem te, Domina, invocemus. Nam propter hunc clamorem raucæ factæ sunt fauces meæ. Quid ergo amplius affligi permittis? Si ergo multum tardaveris, vocem amittam clamando, et ad te amplius vociferari nequibo. Heu mihi, quid tunc faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire? Tunc quid faciam, Domina, cum a te fuero penitus destitutus? Tunc quid faciam, cum tua ubera non poteris ministrare? Cito, Domina, subvenias clamanti, ne manibus subjaceam inimici. Curre, festina, Domina, tuum nequissimum ac infidelissimum servum ad te clamantem parcendo adjuva, et eripe de manibus inimici et a periculis tui hostis. Si non aliud, Domina, allicere te deberet, nisi quia tuus hostis audet nos servulos invadere fraudulenter, deberes quantocius festinare. Curre, et libera nos, Domina, propter eorum superbiam reprimendam. Curre ne inimicus glorietur in tuis [illegible] gloriari. Curre, ne dicant: Ubi est eorum Domina, in cujus clementia confidebant? Ne mireris, Domina, si clamamus, quia sumus a te nimium elongati, in regione longinqua dissipavimus partem nostram. Qui si prope essemus planius possemus loqui, et ideo memores uberum tuorum ad te clamamus. *Exsules* a patria, exsules a visione divina; nec non exsules a gratia, exsules a consolatione materna! O anima mea, cur non es potius separata a corpore quam a tua Domina exsulata? Si es exsulata a matre, exsulata es a capite Christi. Et quomodo potes miser sine capite ambulare? Nonne sine capite ambulare esset monstrum? Heu mihi, cur sum in tam longum exsilium relegatus? Quando videbo Deum Salvatorem meum? aut quando potero saltem meam Dominam intueri? Non dubito, Domina, quod si ad te tanquam exsules clamaremus corde, te et Filium tuum possideremus plene. Cur ergo volumus hic quiescere tanquam cives, cur non ad patriam anhelamus? Cur nos affectamus Matrem dulcissimam amplexari? Quid non desideramus secum et cum Filio suo commorari? O Domina dum hic sumus exsules, constituas nos ne hic, tanquam in patria confidentes, te et tuum Filium quærere desistamus. Sic tamen constituas in corpore, ut semper tecum simus cives in mente.

6. *Filii Evæ.* Vere filii Evæ, quia superbi, præsumptuosi, ambitiosi, avari saltem libris et scientia, et utinam non re alia! gulosi, carnales, et inobedientes, et breviter, ipsam Evam in omnibus sequentes, proni sumus ad malum, difficiles vero ad bonum. Et si contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quodam cordis dolore, et tristitia parturimus multoties, sed malum cum lætitia perpetramus. Non nobis sufficiunt mala nostra, sed sicut Eva Adam, ita et nos aliquos inclinamus ad mala. Et sicut ipsa excusabat se, ita et nos in nostris defectibus excusamus, aut saltem, si possimus, in alios retorquemus. Tædet nos vesci ligno vitæ, Christum Dominum, scilicet in cruce contemplari, et manus ad lignum vetitum applicamus. Non curamus per contemplationem paradisi deliciis consolari, sed potius volumus in peccatorum fæcibus habitare, et vanissima quæque tractare, imo ut verum dicam, fetidissima stercora masticare? Heu, quanta insania, et vanitas, et cæcitas inaudita! Plus enim nobis placet, in labore nimio, et sudore vilia et mortem nostram acquirere quam cum omni dulcore et suavitate vitam non solum acquirere, sed etiam quodam modo possidere æternam, et gloriæ Dominum degustare. Et nisi, Domina, nos adjuvisses, fortasse ad inferni profundissima venissemus. Non est, Domina, quod nos valeat excusare, quia non te, sed Evam in omnibus imitamur, imo potius transcurrimus in malis. Et ideo hoc a tuo clementi suffragio cognoscentes, per te, Domina, de tanta miseria sublevari sperantes, propter hoc, *ad te,* Domina, *suspiramus,* suspiramus autem de bonæ matris absentia, venire ad te, Domina, cupientes. *Suspiramus,* ad te, Domina, videre tuum Filium affectantes. *Suspiramus,* tanquam parvuli ad ubera anhelantes, tanquam filii, et indigni ad tuos maternales complexus tendentes. Ad te *suspiramus* desiderio. Ad te *suspiramus* amore interno, tuo nimis inebriati amore. Nullus enim, nisi tuus amor, quo erga te sumus inebriati, Domina, intrinsecus, cogit nos ad te Domino [*f.*, desiderio] suspirare. Quis enim te non diligat, et ad te non suspiret desiderio, ad te reparationem omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnis sanctitatis exemplum? Omnibus enim amabilis, affabilis, omnibus delectabilis. Sedes es sapientiæ, fluvius clementiæ, radius deitatis; nec est, qui se abscondat a calore tuo. Sic ergo ad te desiderio et amore medullitus suspiramus. *Suspiramus* nos, et vehementi dolore; nam undique nos angustiæ premunt. Quomodo [*f.*, amodo] ergo ad te solatium miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, sponsa adulterorum, Regina stellatorum, Domina universorum, etiam inimicorum, non est qui tuæ voluntati valeat obviare. Et ideo sic afflicti, sic miseri, ad talem tam dulcem, tam suavem, in omnibus adjutricem, lignum vitæ, consolationis radicem, ad te, talem, inquam, Dominam suspiramus.

7. *Gementes et flentes in hac lacrymarum valle.* Tu, Domina, nonne vides quod totaliter sumus amaritudine pleni. Intus sumus gementes, exterius flentes, in hoc lacrymoso loco jacentes. Onerati peccatis gemimus, aggravati molestiis flemus, abundantes

A miseriis flemus, in valle lacrymarum auxilio destituti geminus, Solem justitiæ non videntes. Flemus inimicis nostris servientes in valle lacrymarum sumus, tuum auxilium postulantes. Hæc est certe vallis lacrymarum ad quam omnia lacrymabilia fluunt gemebunda decurrunt, ad quam flebilia ruunt. Ad hanc vallem fluxerant dæmones infernorum, hic est pœna protoplastorum, miseriæ antiquorum. Quid amplius dicam ? nec sufficio, nec scio hujus vallis detestabilia enarrare. *Eia ergo. Advocata nostra!* O laudabilis clementia Salvatoris, et nimium amabilis, qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatus est elargiri ! O certe Dei nostri mira benignitas quæ suis reis te Dominam tribuit advocatam, ut a Filio tuo inter nos et Deum Patrem Judice constituto, quod pro nobis volueris, impetrare valeas. Nec enim dubium B erit quod non tam manifeste damnabit, quos conservat tuæ advocatio pietatis ! O admirabilis erga nos misericordia Dei nostri qui, ne a sua fugeremus clementia, non solum communicare nobiscum in Judice, ut esset Deus, et homo, id est, Christus, a quo debet sententia promulgari, sed voluit viscera misericodiæ, Matrem suam, Dominam gloriæ, nostram constituere Advocatam, ut rei, non judicium, sed subsidium, non supplicium, sed æternum præmium invenire possemus. Et ideo non est timendum quin miserearis miseris, et ad illam partem declines sententiam quam defendis, et nobis impetres gratiam quam pro nobis precaris. Scio bene quod post sententiam non restat appellatio ad majorem, quia, etsi Judex sit homo, cujus es mater, est tamen et C Deus Filius Dei Patris. Non enim video, Domina, quomodo tibi aliquid valeat denegari, et quin per te cœlestem patriam habeamus. Et hæc etiam miranda illa pietas; hoc est certe quod cupit Deus noster; hoc est quod desiderat; hoc est, pro quo te nostram constituit Advocatam. Non restat ergo, Domina, nisi ut *illos tuos misericordes oculos ad nos convertas.* Non dubito, Domina, quod si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum retardare effectum. Mirabiles, necnon amabiles sunt tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, et ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timeamus. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam ? nam suorum radii oculorum et claritas D expellit tenebras, dæmonum effugat catervas, purgat mentium vitia, corda congelata accendit, et demum ad cœlestia trahit. O beati, Domina, quos viderint oculi tui ! Hos ergo oculos, benigna Domina, ad nos converte.

8. *Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende.* O venter mirabilis, qui potuit recipere Creatorem ! O venter laudabilis, qui meruit concipere redemptionem ! O venter desiderabilis, a quo emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvius, gloriæ præmium ! O venter, non venter, sed empyreum cœlum ! In hoc ventre fuit pretium perditorum, felicitas beatorum, Dominus angelorum. O beata ubera ! O Domina mea ! O fons pietatis, lacus sanctitatis, fluvius bonitatis venter tuus, Domina ! O felix venter, qui Solem genuisti, universum mundum reparasti, cœlestem patriam recuperasti, insuper donasti ! O quam pretiosus venter, qui protulit medicinam infirmis, vitam mortuis, paradisum justis ! O venter eburneus, et sedes sapientiæ ! O venter tornatilis, et celsitudo gloriæ ! O venter amabilis, et dulcedo animæ ! O elevatio mentium, inebriatio cordium, et suavitas peccatorum ! Fructus tuus, Domina, certe est fructus beatus a principio sui ortus. Hic est Jesus, Dei vivi Filius. Hic est Salvator noster, Christus Dominus. In dulcedine hujus fructus sublevatur intellectus, dilatatur affectus, et utriusque quietatur appetitus. Clarescit ratio, dulcescit affectio, purificatur intentio. In dulcedine fructus tui totum liquescit cor, tuum fructum degustans. Hunc Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. Ut ipsum videndo, ipsum habeamus, ipsum videndo beatitudine repleamur, ipsum videndo in ipsum rapiamur, ipsum videndo in ipsum diffundamur, ipsum videndo in ipsum convertamur. Ut sic deifici, non nostri simus, sed totaliter transformati in ipsum O *clemens! O pia! O dulcis Maria!* O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis amantibus ! O clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus ! O clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando ! O clemens consolando, pia consulendo, dulcis blandiendo ! O clemens in conspectu, pia in effectu, dulcis in affectu ! Clemens in conceptu, pia in aspectu, dulcis in amplexu ; clemens es afflictis, pia derelictis, dulcis in amore justis. Clemens es subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis. Clemens es petentibus, pia te quærentibus, dulcis te pulsantibus ; clemens admirantibus, pia exsultantibus, dulcis te gustantibus. Clemens es pauperculis, pia es despectis, dulcis es devotis. Clemens es elevatis, pia transformatis, dulcis liquefactis. O clemens ! O pia ! O dulcis virgo Maria. *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

IV.

MEDITATIONES DE GESTIS D. N. JESU CHRISTI.

Sequentes rhythmos Anselmo ascribit Arnoldus Wion: ejusque nomen atque hos titulos præfert codex ms. Mantuanus. Similes ejusdemque modulationis alii habentur apud Bernardum. Pii quidem sunt isti et

affectuosis meditationibus respersi. Gravior magisque serius et succinctus est auctor in canendis Christi mysteriis in primo; in secundo; laxior in Christi passione enarranda totus effusus in soliloquia, et pioserqa. B. Virginem affectus; cujus doloris vehementiam, animi languorem, et ejulatus in Christi passione frequenter exaggerat. At sacratissimam Virginem perfectum habuisse dominium in omnes suas actiones, affectus, et potentias, nihilque indecorum, nihil dissonum in se permisisse antiquorum et graviorum Patrum est sententia (59). *Idipsum in primo rythmo monet auctor :* Sed gestus, *inquit*, virgineos dolor non deflorat. *Diversus videtur in secundo, ubi per omnia, tam serie meditationum quam verbis concordat cum opusculo* de Lamentatione virginis Mariæ *S. Bernardi operibus intermisto. Quid si hic etiam illius auctor opellæ? Nos utique rhythmo notulas marginales apposuimus.*

Prologus.

Desere jam, anima, lectulum soporis ;
Languor, torpor, vanitas excludantur foris.
Intus cor efferveat facibus amoris,
Recolens mirifica gesta Salvatoris.

Mens, affectus, ratio, simul convenite,
Occupari frivolis ultra jam nolite.
Discursus, vagatio, cum curis abite,
Dum pertractat animus sacramenta vitæ.

In primis, præcipue lector moneatur
Ne sequens opusculum cursim percurratur
Sed, legendo paululum, sensus protrahatur,
Ut ipsis devotio verbis hauriatur.

Mysteria vitæ Christi.

Jesu mi dulcissime, Domine cœlorum
Conditor, Omnipotens, Rex universorum,
Quis jam actus sufficit mirari gestorum
Quæ te ferre compulit salus miserorum ?

Te de cœlis charitas traxit animarum,
Pro quibus palatium deserens præclarum,
Miseram ingrediens vallem lacrymarum,
Opus durum suscipis, et iter amarum.

Annunciatio.

Angelus ad Virginem a te destinatur,
Per quem Incarnatio tua nuntiatur.
At Virgo dum sedula voce salutatur,
Admirando, seriem rei percontatur.

Cum te, inquit, Spiritus sanctus fecundabit,
Tibique Altissimi Virtus obumbrabit,
Paries quem Filium Dei gens vocabit ;
Eique perpetuum regnum Pater dabit.

Incarnatio.

Ad consensum Virginis mox hunc descendisti,
Et pudici pectoris templum elegisti :
Virginis pauperculæ cellam introisti,
Qua nostræ substantiam carnis assumpsisti.

Nativitas.

Pudoris signaculum servans illibatum,
Et quem Virgo concepit, Virgo parit natum :
Non decet vas flosculi esse defloratum ;
Neque Deum tollere Matri cælibatum.

Cœlo, terræ, tartaro, tu qui dominaris,
Formam servi sumere jam non dedignaris :
Ter tribus in utero mensibus versaris :
Sic minus ab angelis paulo minoraris.

Quam potens benignitas ! quam potestas pia !
Cœlo, terræ, præeminens nascitur in via,
Cui dant obsequia Joseph et Maria,
Hunc canens angelica laudat harmonia.

A

In præsepio.

Majestas deifica, quantum inclinaris,
Cum Deus ex femina oriri dignaris !
Nunquid in palatio Rex cœli lætaris ?
Non; sed in præsepio brevi reclinaris.

Jesus, quem angelicus cœtus veneratur
Vestibus purpureis natus non ornatur :
Sed ic satis vilibus pannis inclinatur.
Sicque mundi gloriam pauper detestatur.

Natis regum principes solent congaudere,
Et altrices nobiles ubera præbere ;
At hæc Dei Filius renuit habere,
Malens se pastoribus natum exhibere.

Infantia

Sola Virgo genitrix summi Patris Nato
B Lac fundis virgineum ubere sacrato,
Vagientem osculo consolaris grato,
Sistis, foves gremio, sinuque beato.

O felix puerpera sola gaudens paris.
Eia, quam et dulciter nato jucundaris !
Quam piis amplexibus Jesum amplexaris !
Quam gratis obsequiis ipsi famularis !

O Dei dignatio, quam mira probatur !
Regitur potentia. Deus inclinatur.
Altitudo subditur, longum breviatur.
Fit plana profunditas, latum angustatur.

Tristatur lætitia, salus infirmatur,
Panis vivus esurit, virtus sustentatur.
Sitit fons perpetuus quo cœlum potatur.
Et ista quis intuens mira non miratur ?

C

Circumcisio.

Qui sub Lege nasceris, Legem observasti,
Circumcisus pretium nostrum inchoasti,
Dum pro nobis sanguinem Patri immolasti.
Tunc etiam proprium nomen reportasti.

Adoratio magorum.

Magos, duce sidere, ad te perduxisti,
Quorum donis mysticis coli voluisti.
In Ægyptum transmeans hostem evasisti,
Exemplum debilibus in hoc reliquisti.

Præsentatio in templo.

Manibus virgineis templo præsentaris,
Justi senis brachiis parvulus portaris,
Per quem tu prophetice Deus prædicaris.
Gentium Lux, Israel Gloria vocaris.

D

Disputatio in templo.

Postmodum puerulus bis jam sex annorum,
Quæsitus a Virgine in turba notorum ;
Et in templo medio repertus doctorum

(59) Vid. Suar. in part. III, tom II, disput. 4, sect. 3, et disput. 41, sect. 2.

Audiens, interrogans mira secretorum,
Fili, inquit Genitrix, quid nobis fecisti?
Sic, Jesu, quæ Patris sunt, tractare venisti?
Quæsitus jam triduo, cur sic latuisti?
Non tamen hominibus subdi renuisti.
Ex hinc ad trigesimum annum Salvatoris
Miror quo se transtulit calamus scriptoris.
Hic forsan suggeritur animo lectoris,
Ne se nimis publicent acta junioris.

Baptismus.

Baptizatus postmodum culpas nostras lavit,
Tactu sacri corporis aquas consecravit,
Quem descendens Spiritus sanctus illustravit,
Voxque Patris Filium palam declaravit.

Jejunium deserti.

Hic, Jesu dulcissime, eremum subisti,
Ibique jejuniis corpus afflixisti,
Et cum feris habitans Satan confudisti,
Sic exemplum efficax cunctis reliquisti.

Vocatio apostolorum.

Cumque tua placuit facta declarare,
Atque pœnitentiam mundo prædicare,
Incipis discipulos tecum aggregare,
Quales solet sæculum viles reputare.
Respuis philosophos, vocas piscatores,
Et quos mundus despicit, efficis doctores.
Ut confundas fortia, dissipes tumores,
Per hos tibi subjicis terrarum rectores.

Miracula.

Hic signis mirificis mundum illustrasti,
Approbans conjugium, nuptias intrasti.
Et in vinum optimum aquam commutasti,
Paucis multa millia panibus cibasti.
Solo tuo mortui verbo suscitantur,
Cuncta morbi genera protinus curantur,
Mari, ventis imperas, nec ultra turbantur,
Præcipis dæmoniis, et mox effugantur.

Prædicatio passionis.

Jesu benignissime, post gesta tam clara
Nuntias discipulis, intimas amara.
Turbantur mox pectora talium ignara,
Immolandum judicas te crucis in ara.
Urbes, castra circuis populos docendo;
Fatigaris, esuris, sitis discurrendo;
Molestaris crebrius aspera ferendo
Atque plebis perfidæ mala sustinendo.

Triumphus Palmarum.

Pergis Hierosolymam in asello sedens,
Te plebs gaudens suscipit, obviam procedens;
Iter sternit vestibus, palmæ ramos cædens,
Et agmen infantium te laudat incedens.

Acta in urbe.

Urbis defles prævidens casum perituræ,
In templo mercantibus comminaris dure,
Invident mox principes, gens mentis impuræ,
Sciscitantes talia quo præsumis jure?

Proditio Judæ.

Prædicans quotidie tempus præstolaris,
Quo pro vita sæculi mortem patiaris,

A Machinantur immundi modum quo prædaris,
Spondent Judæ pretium, ut eo prodaris.

Cœna.

Cœnam cum discipulis post hæc celebrasti,
Quos tui mysterio corporis cibasti,
Pedes lavans singulis te humiliasti;
Ipsos post hæc pabulo verbi roborasti.

Oratio in horto.

Tunc palam discipulis mortem prædixisti,
Et auctorem criminis Judam ostendisti,
Oransque pro omnibus gratias egisti,
Et egressus protinus hortum introisti.
Ducem nox præcluserat, omnes exiere,
Cœpitque cum tædio Jesus pavere,
Monetque discipulos paululum sedere,
B Ut orandi spatium valeat habere.
Ecce Jesus legitur pavens contristari;
Non præsumat igitur quisque indignari,
Si tristatum quempiam viderit turbari,
Pie magis studeat illum consolari.

Sudor sanguinis.

Tunc præcedens modicum humo se prostravit,
Et transferri calicem a se postulavit;
Sed Patris arbitrio illud commendavit;
Ecce mox sanguineus sudor emanavit.
Quis unquam mortalium ob mortis horrorem
Auditur sanguineum fudisse sudorem?
Ex hoc forsan instruit Scriptura lectorem.
Illi nunquam similem fuisse dolorem.

C *Captura.*

Adest statim proditor, multisque vallatur,
Ut impiorum manibus innocens tradatur,
Et salutans subdole Jesum osculatur,
Sed Jesus blandissimis verbis hunc affatur.
Ad quod, inquit Dominus, amice, venisti?
Num ut tradas osculo quem jam vendidisti?
Sævierunt protinus ruentes ministri,
Nec verentur fieri peremptores Christi.
Quis mirari sufficit in hoc Salvatorem,
Ejusque mirificum pectoris dulcorem?
En amicum nominat hostibus pejorem,
Admittens ad osculum pacis proditorem.
O Juda miserrime, ut quid sic egisti?
Osculo pacificum neci tradidisti,
Quare beneficiis sic abutens Christi,
D Bonis mala reddere non erubuisti?
Mitissima voce postulati
Quem quærant, continuo corruunt prostrati,
Hinc pensent quam aspera erit vox irati
Cujus verba dulcia nequiverunt pati.
Comprehensus denique nequiter tractatur,
Vinculis atrocibus, diris mancipatur,
Sic agno mitissimo vere comparatur
Qui nec minas ingerit neque reluctatur.
Salvator mitissime, quam male vexaris!
Jam solus relinqueris, solus infestaris.
Fugiunt discipuli, solus retentaris,
Opprobriis variis sputisque fœdaris.

[illegible].

[illegible], [illegible],
[illegible] ?
Sed [illegible] gratis,
Ne pro ipso [illegible]atis.

Petri negatio.

Sequens Petrus a longe atrium intravit,
Sed ad vocem fœminæ Jesum ter negavit,
Quem dum Jesus respexit, flendo suspiravit,
Et amaris lacrymis culpas expiavit.

Judæ desperatio

Videns post hæc proditor quod Jesus damnatur,
Detulit argenteos quibus vendebatur,
Et recedens, laqueo [illegible]atur;
Sic mercede congrua latro præmiatur.

Christi injuriæ.

Nox insomnis itaque tota ducebatur,
Nulla prorsus requies Jesu præstabatur.
Ministrorum impia plebs injuriatur:
Alapis et colaphis innocens tractatur.

Iniqua accusatio.

Falsi, Jesu, contra te testes inducuntur,
Tacensque dissimulas cuncta quæ dicuntur,
Mane facto manibus vincula nectuntur.
Ad Pilatum traheris, hostesque sequuntur.

Accusaris nequiter, sed nihil probatur;
Finguntur mendacia, verum occultatur,
Nec latebat judicem quod fraus operatur.
Ideo te perdere præses verebatur.

Herodis aspectibus post hæc præsentatus,
Multisque sermonibus tacens rogitatus;
Te rex cum exercitu sprevit indignatus;
Præsidi reduceris veste candidatus.

Judæi tunc acrius instant accusantes,
Herodis ac præsidis fœdere lætantes.
Patienter toleras canes oblatrantes
Et iniquis verbis te laniantes.

Tacentem ad omnia judex admiratur,
Ab ipsis eripere Jesum conconatur.
Sed tumultus populi ingens suscitatur,
Et plebis vox insonat ut crucifigatur.

O gens nefandissima, quare sic egisti?
Salvatorem abnegans, impium petisti,
Et latronem eligens Christum perdidisti;
Sic ab eo despici jure meruisti.

Impia sententia.

Videns judex denique se nil prævalere,
Sed magis in populo tumultum augere,
Judicavit fieri quod hi petiere.
Exsultat gens perfida; sui doluere.

Flagellatio.

Traditur militibus, vinculis arctatur,
Ad columnam sistitur, dure flagellatur,
Undique verberibus corpus cruentatur;
Sepelitur pietas, furor dominatur.

Ecce caro tenera pii Salvatoris,
Ad columnam nequiter coarctata loris,
Sic flagellis cæditur impii tortoris.
Quod patent vestigia nunc usque cruoris.

Varia opprobria.

A Post conflictum verberum vide quid agatur:
Purpura induitur, spinis coronatur,
Arundo in dexteram, quasi sceptrum, datur,
Et illusus, genibus flexis, adoratur.

Adoratum conspuunt faciem cædentes.
Feriunt arundine caput, hæc dicentes:
Prophetando indica te percutientes;
Talibus ludibriis instant illudentes.

O quam longum singula foret enarrare,
Sed quam fuit longius tanta tolerare?
Lethali duritia constat laborare
Qui amantem taliter negligit amare.

Ecce post augustias tot injuriarum
Oritur acerbitas denuo pœnarum,
Quare sic supplicium noscitur amarum,
Dum quod post actum est reputatur parum?

Bajulatio crucis.

B Nam per urbis medium Jesus procedebat,
Suisque patibulum humeris ferebat,
Ad fores, ad ostia populus fluebat,
Ejusque confusio singulis patebat.

Occurre nunc, anima, intuens amantem
Gratias ad patibulum pro te properantem,
Sponsum tuum respice crucem bajulantem,
Tua suis crimina pœnis expiantem.

Triplicem intueor turbam te sequentem,
Scilicet, carnificum primam te prementem,
Judæorum alteram prorsus irridentem,
C Amicorum tertiam anxie lugentem.

Crucifixio.

Tandem ad Calvariæ locum transmeatur,
Et ibidem vestibus Jesus spoliatur,
Ut hinc quisque militum partem sortiatur:
Post hæc in patibulo crucis coarctatur.

Ad pudoris cumulum, Jesu mi, nudaris,
Ut ventis ac frigori nudus exponaris:
Innocens cum impiis in cruce damnaris,
Et quasi dux criminis in medio locaris.

Stant a longe proximi; a nullo consolaris;
Sed assistunt undique per quos cruciaris;
A malignis perfide servis blasphemaris,
Et quod pene pejus est, a tuis desolaris.

Cor tumens superbia, disce non inflari,
Nec te, quæso, pigeat Jesum imitari,
Quem indigne conspicis viliter tractari,
Qui præ cunctis meruit semper honorari.

D Disce falsam spernere gratiam honoris
Laudesque contemnere humani favoris,
Dum te vilem reputat homo videns foris,
Tu te vilem oculis penses Creatoris.

Ut quid ergo murmurans, miser, indignaris.
Si coram hominibus vilis reputaris,
Et magis in oculis Dei confularis,
Coram quo pro meritis vilis comprobaris?

Tensis longe brachiis manus conclavantur.
Cutis, caro a tribus clavis perforantur;
Nervi, venæ simili modo laniantur;
Nec iis tamen perfidi pœnis satiantur.

Sed, ne desit quidpiam ad mortis horrorem,
Ferrum pedes penetrans cumulat dolorem,
Atque sic exacuunt impii furorem,
Postponentes nequiter Domini timorem.
Horrorem incutiunt mallei sonantes,
Cutemque cum carnibus totam terebrantes,
Nervos cum subtilibus venis lacerantes,
Et compagnes ossium simul dissipantes.
Fundunt rivos sanguinis fontes Salvatoris
Properans huc anima currat peccatoris,
Hauriat hic quidpiam sacrati liquoris,
Quo frequenter liniat vulnera doloris.

Oratio in cruce.

Denique melliflua verba charitatis,
Promit Jesus, veniam petens sceleratis,
O quantum exuberat unda pietatis?
Non desperet amodo quisquam pro peccatis.
Crucifigunt, laniant, pœnas cumulando,
Sed rependis gratiam pro eis orando,
Non diffidat pœnitens quisquam aliquando,
Salutaris gratiæ copiam pensando.

Conversio boni latronis

O admiranda pietas bonitatis Christi,
Ad te de patibulo clamans voce tristi
Latro petit veniam, et mox indulsisti,
Quo spem pœnitentibus veniæ dedisti.
Pœdam, quam sustinuit, crimen exigebat,
At postquam in exitu vitæ pœnitebat,
Veniam consequitur statim quam petebat,
Et perennem gloriam lætus obtinebat.

Ecce Mater tua.

Post hæc Matrem intuens Jesus advocavit,
Eamque discipulo charo commendavit,
Virginemque virgini pulchre sociavit,
Ex tunc hanc discipulus ut matrem servavit.
O quam Virgo graviter intus cruciatur,
Cum orbata Filio alii commendatur;
Mira commutatio merito probatur,
Cum servus pro Domino Matri commutatur.

Sitio.

Doquens Jesus denuo : Sitio, dicebat,
Et acetum protinus felle quis miscebat,
Ac infusum spongiæ ori porrigebat;
Quod degustans paululum, bibere nolebat.
Heu, Jesu mirifice, quid est quod agebas?
Tu de siti conquereris, de cruce silebas.
Puto quod magnopere potum non petebas,
Sed salutem potius nostram sitiebas.

Christus exsanguis.

Venas jam exhauserant rivuli cruoris,
Evanescit pristini species decoris;
Vultum tabes occupat lividi cruoris,
Sic triumphat de Jesu pia vis amoris.

Christus tabescens.

Corpus jam distenditur, et fauces raucescunt,
Contorquentur labia, crines perhorrescunt.
Pia languent lumina, membraque rigescunt,
Et totius corporis vires delitescunt.

A *Moritur.*

Vocem promens ultimam, Patrem invocasti,
Spiritumque manibus ejus commendasti
Cum clamore valido tandem expirasti,
Sic salutis omnium opus consummasti.

Sol obscuratur.

Dum Salvator patitur, cœli obscurantur,
Velum templi scinditur, tumbæ reserantur,
Scissis petris corpora multa suscitantur,
Et naturæ Dominum pati protestantur.
O quantum Judaicam gentem nox premebat,
Quæ tanta miracula videns non credebat!
Sed quem vox prophetica cum signis promebat.
Morti tradens impie nequiter spernebat.

Planctus Virginis.

B Astat Virgo virginum cruci Salvatoris,
Stat transfixa gladio intimi doloris,
Nati pœnas intuens, et rivos cruoris
Intus illa sustinet quod hic tulit foris.
Astans Unigenitum Genitrix deplorat,
Quo se vertat anxia, proh dolor! ignorat:
Nunc plangit, nunc ejulat, nunc gemens adorat,
Sed gestus virgineos dolor non deflorat.
Vultu Mater anxio respicit pendentem,
Sanguinem vulneribus largiter fundentem,
Nati cernit faciem in morte pallentem,
Nimirum sic laniat suam dolor mentem.
Nunc reposcit debitum atrox jus naturæ
Quod sibi detinuit olim * pressuræ:
Pœnasque cum fenore extorquent usuræ,
C Quæ communi matribus debebantur jure.
Denuo parturiens experiris vere,
Quam sit Matri proprium nato condolere;
Nam amaros gemitus cordis extorsere
Dolores, quos Filium cernis sustinere.
Gladio transfigeris doloris revera,
Tensa videns Filii brachia procera,
Pendens corpus regium velut in statera,
Membraque fundentia sanguinem sincera.

Vulnus laterale.

Cujus, quæso, valeat mens aut lingua fari
Quantum Virgo creditur intus cruciari,
Dum cernit jam mortui latus vulnerari,
Atque nati viscera lancea rimari?

Exivit sanguis et aqua.

D Corpus quidem mortuum nil jam sentiebat;
Sed maternum lancea pectus transfigebat,
Quam fixam in Filii latere videbat.
Quo et aquæ et sanguinis liquor effluebat.
Miserere, Domina, miseris dignare,
Quos Jesus redimere dignatur tam care,
Ipsaque te pietas cogat nos salvare,
Quæ te pati compulit pœnas, contemplare.
Surge, torpens anima, expers vanitatis,
Aquas sperne sceleris, sume sanitatis;
Ecce fons purissimus, Pater pietatis,
Affluunt uberrimæ rivi charitatis.

Pia exhortatio ad lectorem.

Ad hunc ergo propera fontem Redemptoris,

Ut fluentis quidpiam haurias dulcoris,
Aquæ inde lavacrum pretium cruoris,
Hinc tui curatio profluat languoris.
O mira dignatio pii Salvatoris,
O vere mirifica pietas amoris,
Expers culpæ nosceris, Jesu, flos decoris,
Ergo tui, proh dolor? causa sum doloris.
Ergo, heu! superbio, tu humiliaris!
Ego culpas perpetro, tu pœna multaris;
Ego fruor dulcibus, tu felle potaris;
Ego peto mollia, tu dure tractaris.
Ad te, Pater, dirigo Propitiatorem,
Propter me qui proprium effudit cruorem.
Pater, ne despicias, quæso, peccatorem,
Pro quo passum gravia nosti Redemptorem.
Tua docet passio, Christe, dolorosa
Creatori vitia quam sint odiosa,
Inferni supplicia quam sint lacrymosa,
Atque cœli gaudia quam sint gaudiosa.
Hinc, o lector diligens, facile perpendis,
Jesum passum intuens pro culpis delendis,
Atque pro suppliciis nobis auferendis,
Simulque pro gaudiis cœli conferendis.
O quam admirabilis amor comprobatur,
Cum Jesus pro vitiis nostris immolatur,
Et pro pœnis debitis nobis cruciatur,
Suisque doloribus gaudia mercatur.
Ergo tuis, anima, viribus conare
Hanc amoris gratiam digne compensare,
Hunc totis præcordiis gaudens amplexare,
Prætes ipsum penitus nil velis amare.
Jesu, cordis gaudium, et dulcedo mentis,
Animæ solatium in te confidentis,
Te benigne deprecor precibus attentis,
Mei memor singulis custos sis momentis.

Depositio Christi ex cruce.

O Jesu, quem curia cœli veneratur,
Tuum quam mirifice opus consummatur!
Jam de cruce tempus est ut corpus tollatur,
Et labori requies ex hoc concedatur.
Nicodemus et Joseph post hæc affuerunt,
Qui nequaquam Domini neci consenserunt,
Hi pedum ac manuum clavos eduxerunt,
Atque de patibulo corpus sustulerunt.
Nunc accedens propera Genitrix orbata,
Pia nati vulnera terge cruentata,
Oscula vulneribus imprimens beata,
Sanguinis libamina collige sacrata.
Cujus, inquam, integre cor excogitavit
Quanto Mater studio vulnera tractavit,
Et tractando lacrymis tergere curavit,
Quam crebris osculis illa delibavit?
Jam, Virgo dulcissima, jam cessat ploratus,
Ecce dolor Filii cessat tumulatus,
Instatque lætitiæ dies exoptatus,
In quo jam a mortuis sit resuscitatus.

Funus Christi.

Sindone Dominicum corpus implicatur,
Et cum aromatibus sepulturæ datur;
A Sed ut discipulis furtim non tollatur,
Militum custodia tumulus vallatur.
Magdalena denique locum observabat,
Quæ Jesu præcipuo amore flagrabat,
Pervigil aromatum unguenta parabat,
Quibus hæc perungere Jesum festinabat.

Resurrectio Christi.

Atqui luce Dominica, dum hæc peragebat,
Dominus ab inferis victor resurgebat,
Hinc captivos eruens, quos lymbus habebat,
Et tumba cum linteis vacans apparebat.
Terræmotus vehemens factus est repente,
Et descendit angelus, Domino surgente;
Tunc custodes vigiles, consternati mente,
Fiunt velut mortui metu perurgente.
B Postmodum a tumulo territi fugerunt,
Et Judæis seriem rei retulerunt,
Quos illi pecuniis multis corruperunt,
Et sublatum dicerent furtim suaserunt.
O quam mira cæcitas Judæos premebat!
Quam cæca cupiditas milites urgebat!
Sic hinc inde veritas occulta latebat:
Sed hoc diu fieri Jesus non sinebat.

Mulier et monumentum.

Mane prima Sabbati surgentis auroræ
Magdalena affuit æstuans amore,
Sed dum cernit tumulum absque Salvatore,
Flens gemit et ejulat anxia dolore.

Mulier, quem quæris.

Astans ad hæc specie Dominus ignota,
Hanc affatur dulciter, metus vi submota:
C Quem quæris sic lacrymans, mulier devota?
Promere ne timeas cordis tui vota.
Secretorum Cognitor, qui corda scrutaris,
Tu causas tristitiæ quare percontaris?
An amantis lacrymis pie delectaris,
Cujus desiderium cordis tu probaris?
Illa, Jesu, præter te nil prorsus quærebat,
Te corde, te labiis solum sitiebat,
Pro te sexus immemor arma non timebat,
Pro te gemens anxie, pro te flens dolebat.
Hortulanum itaque hæc Jesum putabat,
Sed sic spiritualiter non multum errabat,
Nam sentes perfidiæ jam eradicabat,
Atque flores fidei plantare curabat.
Tunc vocem piissimus Salvator mutavit,
D Et eam, ex nomine Mariam, vocavit:
At hæc post Agnum gandens adoravit,
Adoransque gaudio multo exsultavit.

Frequens Christi apparitio.

Tu, Jesu, dulcissime, postquam surrexisti,
Sæpe te visibilem tuis præbuisti,
Cibos cum discipulis denique sumpsisti,
Et ipsis cernentibus cœlos ascendisti.
Quanto putas gaudio Genitrix impletur
Quanto impassibilem natum intuetur
Resurgentem; gaudio luctus mox deletur,
Et nova lux oritur quæ non auferetur.
Nunc doloris gemitus omnis propulsatur,

Mœror in lætitiam mire commutatur.
Dum mors invincibilis victa coarctatur,
Et devicto vitio virtus restauratur.
Sed si viso discipuli gaudent Salvatore,
Qua putas lætitia gaudet ampliore
Viso suo Genitrix redivivo flore,
A Quem extinctum viderat nuper in mœrore?
Ex hoc Virgo poteris secure gaudere
Tibi nequit amodo dolor prævalere,
Sed nec ultra corpori valet mors nocere.
Pia nobis igitur Mater miserere.
Amen.

V.

MEDITATIONES ALIÆ

DE GESTIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET MAXIME DE PASSIONE IPSIUS

Introductio ad meditationes

Jesu Christi celeri miseratione,
Et Mariæ virginis infercessione
Spero quod hæc meditans ex intentione,
Lacrymis plorabit se ex compassione.
En verba Apostoli omnibus promuntur :
Congregantes [*f.*, conregnantes] sunt qui compatiuntur,
Qui certant legitime, hi coronabuntur,
Et qui se dijudicant non judicabuntur.
Ergo Christi vulnera docet nos pensare,
Condolendo intime plorando amare,
Dei adjutorio hostes superare,
Discussaque crimina lendo expiare.
Idcirco, qui legis subscripta, dignare.
Nigores affectum simul congregare,
Vanitates studeas mentis elongare,
Legensque mortaliter noli festinare.
Si Jesum vis sæpius in his cogitare,
Non sit epus jugiter totum recitare,
Sed ubi te citius possis excitare,
Et devotum animum dulcius cibare.
Sic legendo habeas, lector, tuam mentem
Quasi Jesum intuens puerum lactentem,
Per ætates singulas juvenem crescentem,
Item cernas Virginem illi famulantem.
Pandentem miracula, mortem patientem
Pene undique et semper ipsum imitantem
Sui pœnas Filii acriter plorantem,,
Tormentaque singula mente tolerantem.
Quamvis enim pagina non videtur clare
Virginis mœstitiæ modum declarare,
Tamen inde convenit nos pensitare,
Et in corde sæpius avide tractare.

Deploratio ignorantiæ humanæ.

Ohomo miserrime, quid sis memorare,
Necnon ad quid factus sis semper recordare,
Qualem Deus fecit te, miser, meditare.
Heu qualem fecisti te nequis cogitare !
Bonum satis fecit te, qui cuncta creavit,
Ac sæpe refecit te, quem peccatum stravit
Reu ! heu ! cur ingratus es ei qui te lavit
Suo sancto sanguine, quem pro te stillavit?
O nequam, vanissime, invide, pompose,
B Iracunde, cupide, fornicans, gulose,
Mendax, piger, negligens, detractor, dolose,
Omnis mali servus es, nimis vitiose,
Resipisce, pessime, dum te vocat Deus,
Ne die judicii puniaris reus.
Non ingratus maneas, ut falsus Judæus ;
Sed clama sæpissime : Parce, Deus meus.
Erubesce, anima impia, ingrata,
Heu ! cur non consideras ! cur es obdurata?
Flendo da suspiria, gemeque prostrata,
Ut tua Cunctipotens deleat peccata.
Heu me quanta est animæ habetudo !
Quam diverse occupat sæpe turpido,
Cui sanctimoniæ deest habitudo,
Nisi ficta forsitan vix similitudo !
C Raro se opus videt vix recordari;
Vix ut oret, misera, potest excitaii :
Legere desiderat magis quam precari,
Sed, heu ! vanitatibus nequit satiari.
Nam dum Altissimum orans deprecatur
Pene inutilia sæpe meditatur.
Heu ! ream esse se nec recordatur,
Sed discurrens undiqne vane pervagatur.
Apparere nititur a foris agnina,
Sed manet interius, pro dolor ! vulpina,
Debtia servitia dum agit divina,
Semper in volvendo est, ut sunt molendina.
O quoties opus a te faciem avertit,
Et ad curas noxias cito se convertit!
Quæ deberet facere non animadvertit,
D Sed se male occupans sipsam pervertit.
Nempe carnis labia canunt verba vitæ,
Et adoravit sæpius corpus quoddam rite :
Sed hoc malum animæ est Dei oblitæ,
Nudæ bonitatibus, vitiis attritæ.
O cordis vesania multum abhorrenda,
Graviter a Domino juste punienda;
O cordis discursio jugiter deflenda,
Et juvante Domino a cunctis plangenda.
O cordis vacatio, o inquietuo!
Reu! heu! hæc est animæ meæ ægritudo
A qua elongata est vera sanctitudo,
Et perfecta criminis sui pœnitudo.

Deus meus, sana me tua medicina,
Corporis et animæ dignum morte bina :
Salutaris calicem mihi mox propina,
Et ad juvandum me deprecor, festina.
Parce una Trinitas, unitasque trina,
Pater, Filii, Spiritus, Majestas divina :
Parce qui creasti me, ne fraus serpentina
Me credentem opprimat mortis ruina.
Pater, te per Filium deprecor Messiam
Ut te solum diligam, fac et ut me sciam;
Cogitem continue passionem diam,
Humilis in oculis cordis ego fiam.
Propter Matrem Virginem rogo, Jesu bone,
Ut cor meum vulneres tua passione,
Inde jugi perfruar meditatione,
Et Mariæ virginis ex compassione.
Deus sancte Spiritus, qui in deitate
Et [es] persona tertia, plena pietate :
Obsecro propitium mihi semper da te,
Fac memor Christi sim passionis grate.

Dei beneficia.

Deus, quanta debeo pietati isti.
Qui me ad imaginem tuam condidisti
Quem vilem vermiculum facere quivisti.
O quam multa munera huc usque auxisti.
In peccatis genitum baptismo mundasti,
Victus necessaria semper ministrasti,
Formam, census copiam, honores donasti,
Et in loco (60) optimo me nunc collocasti.

Hominus ingratitudo.

Heu ! his donis omnibus scio me ingratum,
Quia non custodio Domini mandatum
Sed negligentissimum reddo famulatum :
Atque nimis pronus sum ad omne peccatum.
O dolor, o gemitus, quid est quod (61) ego feci ?
In quantam versutiam me ipsum dejeci ?
Non est malum aliquid, quod ego non feci,
Heu ! in bonis omnibus non est quod perfeci.
Heu, quid aget anima sic in malis strata,
Quæ fetet in vitiis velut reprobata :
Certe hic petenda est ut sit Advocata,
Quæ sæpe refugium est reis probata.

Deprecatio ad Virginem Mariam.

O misericordiæ Mater et Regina,
Semper Virgo permanens, Genitrix divina,
Miserere animæ, quæ jacet supina,
Oppressa multiplici peccati sentina.
Tibi pro Deo supplico, per quem venit vita,
Cujus est clementia ubilibet sita,
Per quam est astutia dæmonis contrita,
Ut nati justitia per te sit lenita.
Primum fac ut diligam Dominum perfecte,
Nunquam eum deseram meditando, nec te;
In fide catholica semper vivam recte,
Carens omni scandalo infidelis sectæ (62).
O quantæ sunt gratiæ, quas per te recepit

A Homo olim perditus, quem dæmon decepit,
Dum ex te Altissimus naturam suscepit,
Et misericorditer nos juvare cœpit.

Exprobratio ignorantiæ humanæ.

Magestas altissima se exinanivit,
Et in te purissima carne se vestivit,
Cursu novem mensium completo prodivit,
Sine voce parvulus, qui immensus vivit.
En quantum Omnipotens pro te inclinatur.
Et adhuc, vir fetide, cor tuum inflatur ?
Deus, Dei Filius pro te lacrymatur,
Et adhuc in risibus cor tuum lætatur?

Christi nativitas.

Deus pauper nascitur, et tu vis ditari ?
Ponitur in præsepi, tu vis honorari ?
B O fetens superbia, disce non fatuari,
Quia idem jussit nos ipsum imitari.
Inops, et in frigore nascitur in via
Quem lactat et balneat et nutrit Maria,
Molesta non spernere docet nos hic pia,
Dum flet, sitit, esurit Christus, proles dia.
Infans piissime, mei miserere
Peto pro obsequiis Matris tam sincere,
Dona mihi lacrymas charitatis veræ,
Ut tuis doloribus possim condolere.

Circumcisio.

Heu, cur non compatior respuendo risus,
Et amaris lacrymis abluendo visus,
Dum puer tenerrimus dolet circumcisus,
Quem choro cœlico laudat paradisus?

C

Adoratio magorum.

Angeli pastoribus te nuntiaverunt,
Ac magi muneribus te adoraverunt,
Perdere te perfidi mox proposuerunt,
Sed tecum a patria parentes fugerunt.

Fuga in Ægyptum.

O quis non compatitur tantillo infanti
Tam cito insidias pati inchoanti,
Labores itineris hujus toleranti,
Atque Matri Virginis ipsum bajulanti?
Nam Matrem quæ egredi domum vix solebat,
Modo casus Filii in tantum cogebat,
Quod a sua patria nocte fugiebat,
Cum recenter edito, quem secum gerebat.
O Jesu piissime, o puer tenelle,
D Pro amore obsecro Mariæ puellæ,
Omnis tuæ reple me passionis felle,
Meque tibi jugiter servire compelle.
O Virga fructifera, o flos feminarum,
Angelorum Domina, et orbis terrarum.
Pande mihi, supplico, quidquid sit amarum
In cunctis quæ passa es pro salute animarum.
Utinam tunc Josephi servulus fuissem,
Certe libertissime te, Jesu, gessissem,
Vel ad minus asinum Virginis duxissem,
Et cuncta servitia gaudens implevissem.

(60) Videtur hic Anselmus loqui de suo monachatu. Vide in legenda et comment. n. 25 et 26.
(61) Dolere videtur de accepta ab Henrico episcopatus investitura. Vida ib.
(62) Henricianos e. schismaticos innuit. Vide ib n. 86 et 87.

Poma, rosas, lilia, vellem collegisse,
Et quidquid puerulo posset placuisse;
Heu, cur non licuit mihi te vidisse,
Et parvulo pulcherrimo prædicta fecisse?
Forte, pie parvule, me non repulisses,
Sed meum officium grate accepisses,
Ac servo sollicito clemens arrisisses,
Nec non indulgentiam precanti dedisses.

Disputatio in templo.

Dum puer duodecim annorum moratur
In templo Jerusalem, Mater contristatur;
Quem dum quærens reperit, cum Joseph miratur,
Qui doctos interrogat et stupenda fatur.
O quis novit gemitus Virginis dolentis,
Suum unigenitum triduo quærentis,
Cur sic ille fecerit pie conquerentis?
Hoc dolore vulneres, Jesu, cor legentis.
O quam sæpe æstimo, dixit Mater Christi,
Heu! meum solatium! cur me reliquisti?
Quo, mi nate unice, heu! quo ivisti?
Redi, precor, fili, redi matri tristi.
Utinam post Jesum sic cor meum langueret,
Et quærendo jugiter intime doleret!
Forte clementissimus mihi appareret,
Ac suæ clementiæ firmam spem præberet.
Sed, heu! Jesu, cor meum hoc caret languore,
Raro enim quærit te, nec tunc cum fervore;
Tibi illud, Jesu mi, retrahe timore,
Quieta dulcedine, restringe amore.
Subderis parentibus, regens universa;
Cui cuncta serviunt, servis vice versa.
O divina charitas, nimis es dispersa,
Dum pro nobis miseris sustines adversa

Baptismus.

Baptizatus promeris a voce paterna,
Descendente super te columba superna.
In deserto esuris, O Virtus æterna,
Victo hoste congregas agmina fraterna.

Aqua facta vinum.

Vocatus ad nuptias incœpisti signa,
Matre admonente te omnibus benigna.
O cur reprehenditur Genitrix tam digna,
Quæ nulli negat suæ pietatis signa!
Tamen quod suggesserat, statim faciebas;
Quia nihil poterat nisi quod volebas;
Nam in vinum optimum aquam convertebas,
Et per hoc discipulos ad fidem trahebas.
O Virgo purissima plena summis bonis,
Ditas omnes miseros tuis sacris donis:
Reple vino optimo nos devotionis,
Unicum irriguum da compunctionis.
Heu! benignissima Mater benedicta,
In nobis devotio non est nisi ficta;
Frigida sunt pectora animaque afflicta,
Succurre mox miseris spes reorum dicta.
Jesu benignissime, ob Matris honorem,
Verte corda frigida in tuum amorem:
Ut semper multiplicem pensemus laborem,
Quem pro nobis passus es, multumque dolorem.

A Nam in exercitiis te exemplum dando,
Quod nos doces facere, imples pernoctando
In orationibus, et in vigilando,
Fatigaris, esuris, sitis laborando.

Miracula.

Villas, castra circuis, regnum prædicando
Surdos, mutos, languidos, cæcosque curando,
Expellendo dæmones, mortuos levando,
Pluribus das veniam peccata laxando.
Disputando etiam diceris lassatus,
A Judæis ipsis sæpe reprobatus,
A quibus multoties es injuriatus,
Necnon aliquoties ab his blasphematus.
Pro me quanta sustines, o beatitudo!
B Pro me fis ut debilis, Dei fortitudo.
Pro me vilis visa es, vera pulchritudo:
Et fis quasi indigens, summa plenitudo.
Pro me angustata es, longa latitudo,
Pro me breviata es, lata longitudo,
Pro me inclinata es, magna altitudo,
Pro me prona immines, alta magnitudo.
Cur tot dura sustines, tanta celsitudo?
Tibi nimis recta est tua rectitudo.
Ergo me tot munerum vincat multitudo,
Ut in me sit erga te semper gratitudo.

Triumphus Hierosolymorum.

Consummato tempore prædicationis;
Sic super asinum, qui sedes in thronis
Properas Jerusalem, causa passionis?
Turbæ vocem resonant venerationis.
C Nunc festina, anima, curre sine mora:
Quia, ut consideras, ecce venit hora.
Dominum cum cæteris collaudans adora,
Ut secum te deducat ad crucem implora.
O quantum gavisi sunt mater et amici,
Cernentes a populo Jesum benedici,
Christo, David Filio, Hosannaque dici!
Sed, heu! inde invident ejus inimici.
O mea fiducia, Genitrix beata,
In laude tui Filii valde jucundata,
Heu! quanta tristitia eris cruciata,
Paulo post cum videris cuncta hæc mutata?

Christus venditur.

Nam in necem Filii principes majores
D Ineunt consilium, legis transgressores,
Constituto pretio, pessimi emptores
Permittunt se fieri Judæ debitores.
Heu! heu! mea Domina, Virgo singularis;
Venditus est Filius, et adhuc lætaris?
Heu! cur unigenitum clare non precaris,
Ut priusquam passus sit, ipsa moriaris?
Tu nati præsentia multum delectaris,
Et affectu maximo ipsum imitaris:
Heu! de tua anima minus meditaris,
Torquenda in proximo luctibus amaris.
Heu! quandiu torpeo in corde tam duro,
Et nihil compatior Jesu morituro,
Vel dolori maximo paulo post futuro
Meam dulcem Dominam fere perempturo

Jesu, cui nihil est penitus occultum,
Usquequo sic sustines tecum Judam stultum?
Qui, dum tibi exhibet simulatum cultum,
Tempus, in quo tradat te, optat nimis multum.
Tunc missis discipulis cum signo lagenæ,
Pergis ad hospitium præparatæ cœnæ:
Tunc sedes in medio turbæ duodenæ,
Mandas ut se invicem diligant serene.

Cœnat.

Tunc te, ut prædixeras, dicis moriturum,
Et ex eis unum te fore tradituram;
Forumque quemlibet a te fugiturum,
Sed et Petrum nocte hac ter te negaturum.
O dolor, o gemitus, quantum turbabantur?
Ac de tanto scelere omnes tristabantur,
Quando nolle fugere se pollicebantur!
Et quis esset traditor, mox sciscitabantur.

Pedes lavat.

Exemplum interea das humilitatis,
Subditorum pedtbus a temet lavatis:
Sed et corpus proprium das in cibum gratis
Illis, atque omnibus in te baptizatis.

Eucharistiam instituit.

O quid ego faciam, massa peccatorum,
Omnium miserrimus qui sum miserorum,
Dum tu flectis genua, Rex universorum,
Ac lavas vestigia tuorum servorum?
Jesu clementissime, fons amoris casti,
Tu mortales homines in tantum amasti,
Quod te ipsum credulis in cibum donasti,
Et ut tui memores te sumant, mandasti.
Christe benigissime, Fili summi Dei,
Precor indignissimus miserere mei,
Tantum charitatis da, fidei atque spei,
Ut digne mysterium sumam tantæ rei.
Quid hinc reddam gratiæ, qui me sic dotasti?
Qui tuo mysterio tanto deputasti?
Ac indignum miserum semper tolerasti,
Et cum tuis famulis manere donasti?
Heu! mihi quid faciam, o summa dulcedo?
Cur sic indevotus sum, dum te ipsum edo?
Heu! nimis culpabilis, et durus accedo:
Heu! illic durus sum, durusque recedo.
O Jesu, quid faciam vermis et putredo?
Cujus mentem opprimit peccati nigredo,
Me ministrum dignum fac, Deus, in quem credo,
Pro amore Virginis Matris intercedo.
Mirum est certissime quod te comedendo
Anima non liquescit pure diligendo:
Sed, heu! esurio, duraque rependo,
Nec molliri valeo paululum deflendo.
Parce mihi, Domine pie, tribuendo,
Ut cumpungi jugiter queam te sumendo,
Semper Matrem Virginem atque te colendo,
Tuam cœnam ultimam mente recolendo.
O si mea Domina tunc præsens fuisset,
Et tradendum Filium hac nocte audivisset:
Cibum ut existimo, prorsus non sumpsisset,
Sed amaris lacrymis statim se dedisset.

A Heu! mihi. charissima, heu! dilecta mea,
Laus sanctorum omnium, nunquam semel rea
Utinam existeres nunc in Galilæa,
Ne videres Filium passum in Judæa!
Pie Jesu, supplico pro Matris amore,
Reple me gravissimo tuo nunc dolore,
Ut tibi compatiens maximo fervore,
Suspirando rugiam fletu largiore.
Cernam cordis oculis te tanquam præsentem,
Passiones singulas pro me sufferentem,
Tuam Matrem juxta te tibi condolentem,
Ad tormenta singula quasi morientem.
Virgo Dei Genitrix, præ cunctis beata,
Pro misericordia precor ex te nata,
Pande mihi qualiter fuisti gravata,
Tua prole coram te tantum cruciata.
Mea, mea Domina, plena gratiarum,
B Dona mihi, obsecro, tuum cor amarum,
Et abundantissimos rivos lacrymarum,
Ut tuarum sentiam vim angustiarum.
Utinam ex munere tuo, Jesu Christe
Torqueat me quotidie nimis dolor iste
Sicut Matris Virginis cor torquebat triste,
Dum te crucifixerant crudeles lanistæ!
Deus homo, quis de te cogitet intente,
In nimis passibili corpore manente,
Passo tot angustias corpore et mente,
Et totus in lacrymas non fluat repente?
Quis, o Dei Genitrix, potest meditari,
Te deflente Filium pœnis cruciari,
Ac tantis angustiis jam jam fatigari,
Dt non potest subito ad fletum mutari?
Heu! mihi durissimo cur ego non comploro?
Heu! ut quid tam durus sum, dum te Matrem oro?
C Domina circumdata supernorum choro,
Lacrymas uberirmas da mihi, te imploro.

Orat in horto.

Audi Jesum, anima, velut nunc præsentem:
Surgite, eamus hinc, fratribus dicentem,
Ac responde concite deprecans loquentem;
Fac me, Jesu, sequi te ad mortem pergentem.

Sudat sanguinem.

Vide hunc discipulos orare monentem,
Et orando Patrem ter in terram ruentem,
Carnem in angustia, tristem, et paventem,
Ac sudorem sanguinis ab ipso fluentem.
Quid facis fortissime, Fili Dei vivi?
Nunquid tu tam tristis es ut ii pandunt rivi?
De tanta angustia nunquam jam audivi,
Et tamen ut debui, flere, heu! nequivi.
Quid si mea Domina hæc præsens vidisset,
Nunquid cum apostolis ipsa obdormisset?
D Nequaquam certissime, sed multum flevisset,
Et dolore nimio pene defecisset.
Heu! heu! mea Domina. semper Virgo pura,
Hora est jam proxima, dies cras futura,
Quando unigenitum tuum es visura.
In cruce deficere morte nimis dura.
Sed nunc cerne, anima, turbam malignantem,

Et Judam falsissimum, Jesum osculantem,
Ad quid Judas venerat audi sciscitantem,
Et illum nequissimum amicum vocantem.
Tunc voce lenissima Domino dicente
Ad eos: *Quem quæritis*? corruunt repente.
Quid facturi erunt tunc Jesu veniente
Judice terribili illis apparente?
O quis sine gemitu potest cogitare
Illos impiissimos te Jesum ligare,
Manusque sanctissimas tam dure arctare,
Heu! cur ego pessimus nequeo plorare?

Ducitur ad Annam.

Tunc omnes discipuli metu fugientes,
Heu! solum relinquunt te inter sævientes,
Certe nimis duri sunt corde, intuentes
Te ad Annam deduci, si non sunt dolentes.

Fugiunt discipuli.

O sancti discipuli, o mei patroni!
Cur non fidem facitis vestræ sponsioni?
Sed sermo verissimus est Magistri boni,
Dum ad fugam concitam estis ita proni.
Attamen intelligo multum vos tristari,
Et in mente graviter intus cruciari.
Sed peto dignemini Jesum deprecari.
Ut mihi mœstitiam det cordis amari.

Crudeliter tractatur.

O Virgo sanstissima, si tu præsens natum
Cerneres ab impiis tam stricte ligatum,
Et despicabiliter ab illis tractatum,
Vere amarissimum dares ejulatum.

Alapa cæditur.

Nunquid tu non somnias qualiter est Jesus
Captus a malevolis, vinculisque læsus?
Heu! cur meus animus permanet illæsus,
Dum Christus est alapa apud Annam cæsus?
Usquequo piissima differs vulnerare
Meum cor angustiis tuæ prolis charæ?
O mea fiducia, supplico dignare
Dolores et vulnera pati mihi dare!
Contemplare, anima, Jesum destitutum,
Et in duris vinculis arcte coustitutum,
In pravo concilio principum statutum,
More agni simplicis nil esse locutum.

Mittitur ad Caipham.

Confitere venerans false accusatum,
Derisum a Caipha, et interrogatum,
Sed bene intellige rursum reprobatum,
Et futurum judicem Jesum esse datum.
Christe benignissime, qui es adventurus
In die novissimo nos judicaturus,
Justis delectabilis, eos salvaturus,
Injustis terribilis, eos damnaturus,
Obsecro, piissime, ob cruorem dignum,
Quem fudisti propter me super crucis lignum,
Tuum vultum mihi tunc ostende benignum,
Ne formidem aliquem spiritum malignum.
Propter matrem Virginem, quæ a dextris tuis,
Tunc sedebit nobilis, ut oret pro suis,
Salva in perpetuum me cum sanctis tuis,

A Qui nunc super impios atque pios pluis,
O quis sine lacrymis potest meditari,
Jesu, quid te permiseris tantum tribulari,
Blasphemum a Caipha te judicari,
Ad mortem turpissimam a pravis damnari.

Irridetur, conspuitur.

Post hæc fere singuli in te irruentes,
In præclaram faciem turpiter spuentes,
Alapas et colaphos undique præbentes,
Ad lugendum excitant amatorum mentes.
Dolens cerne, anima, istos sævientes,
Heu! capillos capitis, et barbæ vellentes,
Ac velatam faciem psalmis ferientes,
Simul quidquid poterant, mali facientes.

Soliloquia.

B O dolor, o gemitus! quare miser ego
Intime non doleo, dum hæc mala lego?
Nisi quia malus sum, et hoc ipsum tego,
Et, heu! aliquoties sic me esse nego.
Delicata facies Dei Jesu Christi,
Vide me his oculis quibus respexisti
Petrum ter negantem te, sicut prædixisti,
Ut tibi compatiar pro me nimis tristi.
O Judæi impii superbi et vani,
Quare insanitis sic, veluti vesani?
Deus, Dei Filius est, o nimis profani,
Quem vos sic affligitis velut inhumani.
Jesu potentissime, Fili Dei veri,
Quare vis pro miseris tam vilis videri?
Certe nimis plenus es amoris sinceri.
Dum a viris impiis tantum vis torqueri.
C O si mea Domina te videret stantem,
Ac tantas angustias pie tolerantem,
Nullum, ut æstimo, quis vidit sic plorantem,
Sicut eam cerneret, ac pati optantem.
Heu! quid factura est, o digna majestas,
Maria, quæ aluit te, summa potestas,
Cras cum cernet te cadere per manus infestas,
Et virtutes corporis arentes, ut testas?
O mea fiducia, si natum dilectum
Multis contumeliis, et pœnis affectum
Blasphemari cerneres in crucem erectum,
Eum esse diceres nimium directum.
Heu! heu! mea Domina qualem dabis luctum
Paulo post cum videris ventris tui fructum,
Ad tormenta gravia a perversis ductum,
Ac tortum deficere, quasi jam destructum?
O Jesu, qui Deus es, et homo perfectus,
Quare vis tam viliter sedere despectus,
Heu? pro nobis miseris tam esse subjectus,
Pro nobis irrisus, et penitus abjectus?
Videns pro se Dominum indigna subire,
Quis est fidelium qui audeat ambire,
Aut de tuis donis amplius superbire,
Imo, spretis omnibus, post Christum venire?
Decet nempe singulos, qui volunt salvari
Propriam miseriam semper contemplari,
Linguæ spretis laudibus, vane non lætari,
Sed despectum Dominum pie imitari,

Absit ergo altum quid de nobis sentire,
Dulce sit injuriæ sermones audire;
Pio corde jugiter demus locum iræ,
Studeamus omnibus bene obedire.
Heu! mihi nequissimo amanti laudari,
Qui, licet culpabilis, renuo culpari,
Ac sæpe laudabilem me præsumo fari,
Heu! mihi, quis pessimo potest comparari?
O Jesu piissime, qui es vera vitis,
Fove me ut palmitem, et fac ut sim mitis;
Mihi sit justitiæ perseverans sitis,
Oro auctor nunquam sim, sed sedator litis.
Mater Dei, obsecro tuam pietatem
Ut mihi verissimam des humilitatem:
Expellas invidiam et asperitatem,
Et perfectam impetres mihi charitatem.
O mea fiducia, Mater Creatoris,
Jam me tibi offero, nutrix Redemptoris,
Me gubernans adjuva, precor, cunctis horis,
Fac me tui memorem gladii doloris.
Licet nemo, Domina, possit plene fari
Dolores quos passa es morte nati chari;
Tamen inde decet nos sæpe meditari,
Ac plorando intime tecum contristari.
Idcirco, piissima, supplico, dignare,
Inde verum aliquod cordi meo dare,
Facque me id taliter scribendo signare;
Ut illud amantes te possit excitare.

Jesus sistitur Pilato.

Sed nunc vide, anima, illos invidentes,
Judæorum principes in Christum frementes,
Vinctum derisorie per vicos trahentes,
Ad Pilatum præsidem cum deducentes.
O Jesu, qui nequiter pro me es ligatus,
Falsis testimoniis pro me accusatus,
Sed et cum latronibus pro me deputatus,
Ut tibi compatiar mihi da ploratus.
Precor, fac me nuntiam meæ Salvatrici,
Virgini piissimæ, tuæ Genitrici:
Quatenus mox veniat ipsa, et amici,
Et spectent quæ faciunt tibi inimici.
Propera nunc, anima, quamvis non libenter,
Enuntians hæc Dominæ, et fac reverenter,
Circumspecte facias simul et prudenter,
Ne issa accipiat hoc impatienter.
Nunc quasi præsenti dic voce luctuosa,
Laus tibi puerpera, Virgo speciosa,
Obsecro piissima, Mater gratiosa,
Hæc tibi quæ refero ne sint onerosa.
Bene nosti, Domina, quia incarnatus
Est in te Omnipotens, et in mundo natus,
Et cum peccatoribus diu conversatus,
Ut nos ipse redimat, pro nobis humanatus.
Ob hoc, quantum prævales, noli conturbari,
Ne plus natum facias pro te molestari,
Sed ab ipso unam rem digneris precari,
Ut mihi det plurimum pro se contristari.
Ac si roget ipsa: Quid habes amari?
Tu dic: Veni, Domina, si vis speculari

A Jesum tuum filium, vel cum eo fari,
Qui pro nobis incipit Patri immolari.
Tunc ipsa intelligens captum suum natum,
Et demum in vinculis ductum ad Pilatum,
Mox in amarissimum defluet ploratum,
Et corpus in terram concidit prostratum.
Sed nati charissimi compulsa amore,
Consurgens quantocius profusa pallore,
Properat ad Filium confecta mœrore,
Cugitum virgineo comprimens pudore.
Sunt juvantes Dominam ipsius sorores,
Ad Jesum, quem diligunt, pergunt ociores
Ostendentes lacrymis animi dolores,
Sed illis Magdalena reddit largiores.
Dominæ, quid facitis provide videte,
B Obsecro, a fletibus paululum silete,
Lacrymas detergite, vel hic remanete,
Ne Jesum crucietis flentes indiscrete.
Ac illæ ad Dominum, cito venientes,
In tanto opprobrio ipsum intuentes,
Condolentes multo plus, largiusque flentes,
Ad dolorem provocant omnes diligentes.
Tunc vidente Domina solum suum natum,
Plusquam furem aliquem esse tribulatum,
Cor ineffabiliter ejus est turbatum,
Et sic quasi mortua vix retinuit flatum.
At Jesus pro Virgine magis est turbatus,
Plusquam pœnis propriis pro ea tristatus
Heu! heu! Jesu, undique tu es cruciatus,
Intus et exterius nimis es gravatus.
Heu! tantam mœstitiam nullus unquam scivit,
C Nec tam graves gemitus aliquis audivit,
Nec est mirabile, nam qui semper vivit
Dolorem multiplicem ibidem subivit.
Contemplare, anima, Jesum diligenter,
Cum iniquis positum tam irreverenter,
Quem præses interrogans Pilatus frequenter
Admiratur tacitum, stupens vehementer.
Jesu, qui non poteras loqui falsitatem
Et tamen tacebas, silens veritatem,
Ne sinas me cadere per loquacitatem,
Sed discretam mihi da taciturnitatem.
O Jesu, mihi da cor pensandi instructum
Oculorum Virginis planctum, atque luctum
Propere sequentium te ad Herodem ductum,
Et veste in candida spretum, et reductum.
D O Virgo, quam obruit dolorum tempestas,
Unde tibi, Domina, sit ista potestas?
Qua sic sequi poteras has gentes scelestas:
Vere amor filii vicit res molestas.
O mea fiducia, quæ non habes parem,
Certe libentissime tecum ambularem,
Et ex fletu debilem libens sustentarem,
Vel si dares lacrymas saltem ut plorarem.
O quis sine gemitu potest meditari
Jesum cum dedecore tam male tractari
Pedes ductu celeri forsan violari?
Nam non fuit solitus ipse calceari.
Ecce amarissima fiut quæ sequuntur,

Et juste compassiva quæ jam infliguntur.
Juste ergo homines ingrati dicuntur
Qui Jesu sæpissime non compatiuntur.
Nunc te ipsam præpara, anima devota,
Super Jesum condoleas dans illi vota,
Lacrymas multiplicans sis pie lota,
In eum, si valeas, liquefias tota.
Ecce quantum amat te Christus nimis chare;
Nam te suo sanguine optat salvare,
Ac morte vilissima te sic liberare,
Quod tu semper negligis, nec vis redamare,
O Jesu piissime, succurrere poscenti,
Te amare usque nunc mihi negligenti,
Au, quod multo pejus, pluries nolenti,
Heu! et contemnendo te sæpe offendenti,
Misericordissime, ignosce fatenti,
Salva et juva me, teipsum da quærenti,
Filioque prodigo tarde revertenti.
Tu occurre, Pater mi, et parce petenti.
Jesu, qui repletus es miseratione,
Vulnerare velis me tua passione,
Ut tibi compatiar ex dilectione,
Velut nunc te intuens in afflictione.
O quis potest cernere illos malignantes,
Sine reverentia te, Jesu, nudantes,
Ad columnam nequiter, Jesu, alligantes,
Tuum atrocissime corpus verberantes.

Jesus flagellatur.

Tremens cerne, anima, ministros sedentes,
Carnem hanc tenerrimam flagellis scindentes,
Vulnera vulneribus tibi infligentes,
Livores livoribus superimponentes.
Quis non mœret speculans gubernantem mundum,
Sic perfusum sanguine veluti immundum,
Corpus hoc sanctissimum totum tremebundum,
Pectusque piissimum totum gemebundum.
Contemplare, anima, tibias, lacertos
Plagis multiplicibus undique refertos,
Omnes artus corporis sanguine opertos,
Defluentes rivulos cruoris apertos.
O corpus sanctissimum ad columnam strictum,
Pro me amarissimis flagellis afflictum,
Circumquaque roseo cruore amictum,
Aufer a me, obsecro quodlibet delictum.
Anima sanctissima pro me tam gravata,
Maximis doloribus pro me tribulata,
Deprecor per Virginem, quæ est de te tristata,
Cuncta mea jugiter dilue peccata.
Sed Maria mater hæc sese affligendo
Lacrymas multiplicat jugiter deflendo,
Alta dat suspiria amare gemendo,
Mœstisque singultibus pectus conterendo.
O quis sine gemitu potest te videre
Inconsolabiliter, o Mater, lugere!
Præbe mihi lacrymas, fac me tecum flere,
Te deprecor, o mea spes, mei miserere.
En pudici oculi ex fletu tumescunt,
Genæ splendidissimæ ubique pallescunt,
Sed, heu! membra filii sanguine rubescunt,

A Ac tuæ angustiæ plus plusque concrescunt.
Post tormentum verberum tam malitiosum,
Cunctis diligentibus valde luctuosum,
Sequitur mox aliud grave et probrosum,
Isto multo amplius contumeliosum,

Illuditur.

Nam cohortem milites totam colligentes,
Mitem Jesum ambiunt probris illudentes
Inhoneste iterum eum exuentes,
Et veste purpurea ipsum induentes.

Spinis coronatur.

Tunc coronam spineam molestam plectentes,
Et in Jesu capite profunde figentes,
Pro sceptro arundinem in dextra ponentes,
Genuflexo, *ave* clamant irridentes.
B Mœrens cerne, anima, ministros cædentes,
Faciem pulcherrimam Domini spuentes,
Caput cum arundine dire ferientes,
O quare non cruciet iste dolor mentes?
O Caput Dominicum, omnibus colendum,
Cruentaris, pungeris, angelis tremendum,
Cæderis, conspueris, sanctis reverendum,
Vere tu es intime devotis dolendum.
O præclara facies ictibus afflicta,
Heu! sputis et sanguine tota es depicta,
Jam a Deo inimicis quasi derelicta,
Pro dolor! hoc totum faciunt mea delicta
Bone, bone Domine, cur pœnis tam duris
Permittis torqueri te pro nobis impuris?
Parce pœnis, Domine, parce vel futuris,
C Parce tibi, deprecor, vel Matris pressuris.
Inter hæc nequissimus exiens Pilatus,
Ne Jesum perimerent plebem est hortatus;
Nam nullus inventus est in ipso reatus,
Sed perversus populus ex adverso est fatus.

Contrariæ Pilati et populi voces.

Tunc produxit Deum flagellis cruentatum,
Et dixit: Accipite ipsum emendatum,
Sed pleni perfidia negant præsentatum,
Poscentes a judice virum sceleratum.
Judex ne sic faceret, adhuc laborabat,
Crucifige, populus e contra clamabat:
Tunc injustus Dominum morti judicabat,
Et plebs nefandissima ob hoc exsultabat.
Quamvis horribilia sint ista prophetata,
D Tamen ad sequentia parva sunt collata.
Heu! quantum est Genitrix in his tribulata!
Pene, sicut æstimo, est exanimata.
Contemplare, anima, quam sit onerosum
Matri caput filii cernere spinosum,
Ac præ natis hominum forma speciosum
Videre horribilem magis quam leprosum.
Heu! quam gravata es, cœlorum Regina,
Spectans tuum filium coronatum spina!
Certe in te irruit pæna repentina,
Ex qua vulnerare me, supplico, festina.
Sunc sancta Magdalena, et omnes amici,
Gemunt amarissime luctu infelici;
Puto hæc tristitia nequit verbis dici,

Sed hanc minus reputant Christi inimici.

Imponitur Christo crux.

Mox perversi milites crucem assumentes,
Eam super humerum Domini possentes,
Jesum per Jerusalem ducunt illudentes,
Crucis ignominiam cunctis ostendentes.

Nunc attende, anima, Jesum nimis gratum,
Ligni crucis pondere pro te oneratum,
Delicatum humerum scias vulneratum,
Et Jesum a populo pravo subsannatum.

Portantem turba sequitur.

Heu ! Jesu, considero rem nimis molestam,
Turbam tibi proximam militum infestam,
Judæorum maxime deinde scelestam,
Amicorum a longe ultra modum mœstam !

Heu ! tanta processio non est laudabunda
Nam in te prima pars est tota fremebunda,
Sed pejor est altera quasi furibunda !
Heu ! pro te est tertia tota gemebunda !

Mater et piæ mulieres.

Mater Christi videns hæc, tremens præ dolore
Irruit in tristitiam morientis more,
O huis ista cocitans non flet præ mœrore,
Certe nimis durus est, vel caret amore!

Sed sorores Dominæ eam sustinentes,
Ambulant post Dominum acriter lugentes,
Undique conspiciunt Jesum persequentes
Clamose maleficum illum perstrepentes.

Christus prohibet fletum.

Tunc conversus Dominus cœpit prohibare
Filiis Jerusalem super se lugere,
Sed debere super se et super suos flere,
Prædicens beandas has quæ non genuere.

O quis sine gemitu potest meditari,
Te, Virgo puerpera, sic angustiari !
Omnes diligentes te tantum lacrymari,
Ad locum Calvariæ Jesum sic tractari.

O Mater cur properas cum Jesu ad crucem ?
Nunquid vis cum Filio pati mortem trucem ?
Heu ! ubi visura es mori Judæ ducem,
Qui creavit cherubin super veram lucem.

Virgo, quæ precantes te adjuvas instanter,
Christi pœnis compati fac me festinanter,
Da mihi nunc lacrymas, precor, abundanter,
Et, ut ipsum cogitem fac perseveranter.

Aceto potatur.

Proh dolor! et flebile hoc, quod immutatur.
Nam Messias Dominus aceto potatur,
Heu ! ut mortem subeat, statim crux paratur ;
Et cum vehementia tertio denudatur.

Nisi sis lapideum cor vix habens metum,
Intende diligenter, et habebis fletum,
Pensa vestimentum hoc a Jesu deletum,
Quem scias ex verberum plagis jam repletum.

Vestibus nudatur.

Cerne turbam pessimam vestem hanc trahentem,
Cuti et carni undique fortiter hærentem,
Plagis ruptis respice sanguinem fluentem,
Ac Jesum ex plaga hæc graviter dolentem.

A Certe magna gravitas istius tormenti
Ad fletum sufficeret bene diligenti ;
Heu ! mihi durissimo minus condolenti,
Pie Jesu, mihi da lacrymas petenti.

Virgo, cui similis nunquam est inventa,
Potes adhuc vivere videns hæc tormenta ?
Ecce nuda Filii membra sunt cruenta,
Heu ! ut ista videas adhuc es detenta.

Virgo, te considerans anxie plorare,
Doleo te, Domina, sed heu ! non, amare,
Misericordissima, supplico, dignare,
De hac pœna tua me velis vulnerare.

Vides, mea Domina, natum generosum,
Quem Propheta nominat præ cunctis formosum,
Nunc pœnis urgentibus virum dolorosum,
Heu ! et plagis pluribus totum ulcerosum

O turba Judaica, perfida, obscena,
B O vestræ duritiæ aspera venena,
O gens nefandissima, omni malo plena,
Quare nihil flecteris in tam dura pœna?

Sic tu, mea anima, dura et perversa,
Cur in hoc tormento non es ad fletum versa?
Quare non es lacrymis amaris aspersa,
Videns membra Domini cruore conspersa?

O Jesu, digneris me confestim juvare,
Me amaritudinem tuam fac gustare.
Pro tuis doloribus fac me plorare,
Nam hoc sine lacrymis pudet me pensare.

Heu ! hoc miserabile est, et mirum vere,
Qui te passum pensitat, et non potest flere,
C Heu ! quomodo potest se talis continere?
O Jesu, durissimi mei miserere.

Crucifigitur.

Item vide, anima, in Jesum bacchantes
Super crucem asperam duriter locantes,
Membra horribiliter ferro perforantes
Christumque durissime in ligno clavantes.

Condolendo respice populum vesanum,
Nudum corpus premere tenerum, non sanum,
Super lignum jacere asperum, non planum,
Et crasso transfigere clavo pulchram manum.

Contemplare manum hanc longam, et decentem
Perfossam arctissime pro te patientem,
D Sanguinem largissime pro te effluentem,
Vulnus amarissimum pro te sufferentem.

O manus sanctissima, pro me penetrata,
Clavi crassitudine multum laniata,
Percussorum impetu dire lacerata,
Scribe in me qualiter es angustiata.

Pensa hæc, durissime, qui nunquam flevisti,
Voca instantissime magnæ pœnæ isti.
Plorabis, si senseris hunc dolorem Christi,
Vel quod ex eis contingit ejus Matri tristi.

Nempe Mater videns hoc, multo plus languescit,
Et commota acriter in se contabescit,
Sensu fere perdito semetipsam nescit.
Sed in fletu diffluens quasi jam liquescit.

Proh dolor ! molestia hujus plagæ dire
Matrem pœnis Filii videtur ferire,

Curre, curre, anima, nunc festina ire,
Ut tu possis Dominam eadem fulcire.
Heu, hæc est, Domina, dies tibi dura,
Nam circumdederunt te modo matris jura,
Nunc plusquam parturiens sentis mala plura,
Quæ carebas pariens materna pressura.
O dolor! o gemitus! quo te es versura,
Undique afflicta es ex nati tortura?
Qualiter mensura stigmata futura,
Quæ in tantum deficis pro ista fixura?
Porro tam flebiliter manu hac firmata,
Altera distenditur ut sit conclavata,
Sed nimis foramina sunt inordinata,
Ultra longitudinem corporis formata,
O dolor! o gemitus! quid nunc sunt facturi
Gemant qui considerant jam non corde duri,
Cum festinant trahere pravi perituri
Ad loca foraminum membra Chisti puri.
Ut legisti, anima, cerne diras gentes,
Inhumanos milites, heu! nimis furentes,
Membra tui Domini cum vi distendentes,
Et in modum pellium hinc inde trahentes.
Quis effari potest, quod tantum tetenderunt
Ut membratim Dominum pene diviserunt (63),
Pene ossa omnia ejus nudaverunt,
Ac clavis crassissimis membra transfixerunt?
O quis loqui poterit horribilitatem,
Aut crucifigentium hanc crudelitatem,
Patient's Domini hanc pœnalitatem,
Matris et amantium hanc anxietatem?
Hic nostræ duritiæ penitus frangantur,
Medullæ in lacrymas sanguinis vertantur,
Cuncta desideria in Jesum figantur,
Et sic corda valido dolore scindantur,
Sive fletu pudeat nos hæc præterire,
Hic a cordis gemitu decet nos rugire,
At cum ffente Domino dolorem sentire,
Vel si ipse dederit, cum eo obire.

Flet Christus in cruce

Contemplando, anima, hic dilata mentem,
Vide Jesum maximas pœnas sufferentem,
Pro te amarissime in tormentis flentem,
Intus, et exterius totum patientem.
Ecce horribiliter membra extenduntur
Cutis, caro aspero ferro fodiuntur,
Heu, compages ossium a se dissolvuntur,
Atque membra sanguine cuncta perfunduntur.
Et manus tenerrimæ clavis perforantur,
Pedes modo simili dire terebrantur,
Nervi cum subtilibus ferris lacerantur,
Sic et venæ teneræ clavis laniantur.
Vide, vide intimos istos cruciatus,
Cordis ejus gemitus, atque ejulatus,
Oculorum pariter uberes ploratus,
Utque decor corporis totus est ablatus.
O Jesu piissime, quid est, quid egisti?
Quare tot pro miseris tormenta subisti?

(63) Suar. in III p. tom. II, dis, 36, sect. 4.

A Faciam consignari me passioni isti,
Plagis tuis læde me atque morte tristi.
Item cerne, anima, vultum Matris flentis,
In istis angustiis, jugiter præsentis,
Pensa ineffabiles pœnas ejus mentis,
Urgente incommodo pene morientis.
Heu, Virgo pulcherrima, peccati ignara
Feminisque pridie cæteris plus præclara,
Nunc pallens, et lugubris tota es amara,
Patiente coram te tua Prole chara.
Compellor, o Domina, de te reticere
Quia te considero amplius dolore
Quam sermones aliqui possint fari vere,
Aut mentis meditatio comprehendat meræ.
B Non miror, o Domina, Virgo redimita,
Quæ in tam flebilibus es tormentis sita;
Sed admiror quomodo perseveras ita,
Et quod cor non rumpitur abscedente vita.
O mea fiducia! deprecor ut velis,
Statim me perfodere tuæ pœnæ telis,
Fac ut tibi jugiter servus sim fidelis,
Et meam Dominam adorem in cœlis.
O quis sine lacrymis potest hæc pensare
Tot sufferre gravia Dei Salutare,
Hancque Matrem Virginem tam multum plorare,
Sanctosque apostolos multa tolerare?
Joannes apostole, qui ista vidisti,
Videndoque intime condolens flevisti,
C Fletus mihi impetra, vulneraque Christi,
Juva me, cum videris, ante Jesum sisti.
F amatrix Domini, pia Magdalena,
Quem vidisti perpeti multo luctu plena,
Peto pro multiplici, quam tu vides, pœna,
Mihi luctus obtine, et poli amœna.
O reliquæ sanctæ feminæ, sigulæ Mariæ,
Quæ vidistis gravia tormenta Messiæ,
Pro me preces fundite semper proli piæ,
Ut salvum me faciat in extrema die.
Per Christi, adjuro vos, vulnera cruenta,
Pro quibus mœstissima dedistis lamenta,
Juvate ut spernam hostis tentamenta,
Et ut non sustineam æterna tormenta.
D Nunc affectans animus lacrymarum fructus,
Iterum ad Dominum totus sit reductus,
Nunc, nunc pia anima fias aquæ ductus,
Dehinc tota si valeas, liquescas in luctus,
Specta, specta intime Jesum ejulando,
Circumquaque vulnera singula scrutando,
Qualiter gravata sint pie explorando,
Et quid pravi fecerant crucem exaltando.
Ecce, ecce elevant signum nominatum,
Spiritu prophetico prius præsignatum,
Jesum, verum hominem, Deum, Dei natum,
In ligno arctissime tensum et clavatum.
Gemens, cerne, anima, crucem erigentes
Tandem cum impetu nimio figentes:
Heu, disjuncta graviter membra collidentes,

[illegible]
[illegible] non mœret videns furorem malorum,
[illegible] fletus copiam et suspiriorum,
Hanc pœnam gravissimam omnium membrorum,
Disjunctorum scilicet ita collisorum?
Curre, curre anima, nunc, si sis devota,
Ad hanc crucem propera sine mora tota,
Discurrentem sanguinem collige et pota,
Et cuncta quæ passus est in æternum nota,
Contemplare clavos hos manus transfigentes,
Totum pondus corporis, proh dolor! gerentes
Heu, ineffabiliter vulnera augentes,
Et ut vere æstimo, ea discindentes!
Lasso collo, heu! caput pendet dolorosum,
Carens sustentaculo, cruentum, spinosum!
O quis non fleat intuens vultum speciosum;
Cruentatum, pallidum, lugubrem, verberosum?
Certe qui hæc cogitas et non lacrymaris,
Non satis diligere Deum comprobaris,
Jesu, mihi lacrymas precor largiaris,
Me amare parum te nunquam patiaris.

Orat pro crucifixoribus

Jesu, qui ab impiis in cruce clavaris,
Et tamen his veniam a Patre precaris,
Mei et credentium tu miserearis,
Nobis parcas jugiter, nunquam irascaris.
Item vide, anima, qualiter Judæi,
Sacerdotum principes, Scribæ, Pharisæi
Clamant: *Vah! qui destruis templum* veri *Dei*,
Salva temetipsum, si es Filius Dei.
Suspensi cum Domino illi duo rei,
Unus: *Salva te, et nos*, loquitur ei:
Alter petens gratiam ait: *Memento mei.*
Cui spondet Dominus paradisum Dei.
Jesu amantissime, qui non offendisti,
Quare tot immania tormenta subiisti?
Certe pro me, Domine, hæc sustinuisti,
Et quod ego rapui, tu passus solvisti.
Ego tuæ meritum sum traditionis,
Vinculorum, verberum, et damnationis,
Sputorum, ac ictuum et occisionis,
Ego causa tuæ sum omnis passionis.
Ego mala perpetro, tu pœna mulctaris;
Ego, heu, superbio; tu humiliaris;
Ego vane rideo, et tu lacrymaris;
Ego vescor dulcibus, tu felle potaris.
Mecum ridet timida Eva, et non pia:
Tecum plorat acriter humilis Maria,
Ego sum in prosperis, tu in agonia:
Fac me tecum compati, precor, o Messia.
Ecce sancta viscera distensa arescunt,
Membra horribiliter cruenta rigescunt,
Caligantes lacrymis oculi languescunt,
Labia nectarea, proh dolor! pallescunt,
O Jesu omnipotens, qui cuncta discernis;
Quare hoc sanctissimum corpus ita spernis?
Nonne esset melius non subdi infernis
Quam, te Deo sic torto, perfrui supernis?
Vere amor nimius ad hæc te coegit

A Et quasi in nihilum fere te redegit,
Triumphatrix charitas opus hoc peregit,
Sed nostram duritiam, heu, adhuc non fregit.
O ingrata anima, prava, indevota.
Quare non es pœnis his planctuque commota?
Ecce tu es Domini morte dira lota;
Hæc pro tuis vitiis passio fit tota.
Apparet, nequissima, quod jam cares vita,
Dum hunc passum cogitans, dura manes ita;
Sic dum Jesum comedis velut oblita,
Heu! nec tunc, nec alias bene es contrita.
Vide Dei Filium, virum virtuosum,
In verbo et opere pridie formosum;
Magis quam maleficos nunc opprobriosum,
Vocatum a pluribus pro te scelerosum.
B O Jesu piissime, qui es nimis gratus,
Et te passum cogitans vix sum lacrymatus,
Precor, benignissime, da mihi ploratus,
Pande mihi qualiter tu es vulneratus.
Heu! mihi qui nequeo per compassionem
Corde semper gerere tuam passionem.
Summam Dei erga me hanc dilectionem,
Summam Dei gratiæ hanc diffusionem.
Cur si membra Domini fideles dicuntur,
Patienti Capiti non compatiuntur?
Heu, in multis imminet quod jam exciduntur,
Qui dolore Capitis mœsti non cernuntur.
Scio quod si meus pes male læderetur,
Ad compatiendum cor totum vigeretur.
Ergo pedem diligi plus Christo videtur,
Pro cujus angustiis parum vix movetur!
C O Jesu! qui penitus nunquam peccavisti,
Nonne ut conjungerer tibi, me fecisti?
Cur non reum lædi me, Christe, permisisti,
Et, heu, tecum reum me non vulneravisti
Ego sum, qui debeo esse vulneratus.
Non tu, qui nequitiam non es operatus.
Ego sum culpabilis, meus est reatus,
Vulnera me, ut a te non sim separatus.
Pia proles, deifica bonitate plena,
Sic tenere vulnera noli aliena;
Tua facta bona sunt, mea sunt, obscena
Vulnerare velis me vel ex tua pœna.
Dominator, Domine cœli, atque terræ,
Precor vulnerare me, nec velis differre,
Nam illæsum meum cor nequeo sufferre,
D Dum pro me tot vulnera video te perferre.
Nonne magis pium est virum a te factum,
Tecum in vulneribus tenere subactum,
Quam a te dimittere in nihil redactum,
Cogitationibus diversis valde subtractum
Curre, curre, vulnerate Jesu, in hac hora,
Ne forte amittas me, si intersit mora:
Da ut tua sentiam tormenta majora,
Sculpe in me vulnera tua acriora.
Qui permittis ferrum te intus penetrare,
Cur rationalem me sinis foris stare?
Ferro viliorem noli me reputare,
Sed in tua vulnera coge me intrare.

Jesu, tuas supplico miserationes,
Propter Matris merita et orationes,
Per sanctorum omnium intercessiones,
Ut pensem ego jugiter tuas passiones.
Mihi sit pensandi te copiosus fletus,
Semper sim recordans tuis lacrymis repletus,
Oro, fac ut nunquam sim nisi in tæ lætus,
Tu sis meum gaudium, et amor secretus.
Jam nunc Matri Virgini, anima, intende,
Quantum ipsa doleat sub cruce perpende,
Ut te secum vulneret, preces mox impende,
Et quod illi condoleas lacrymis ostende.
O quantum es, Genitrix, intus cruciata,
Ob tormenta Filii tam multiplicata;
O Virgo Christi, vere mea advocata,
Mihi inde aliquid pande exorata.
O mea fiducia, et mea patrona,
Omnis pudicitiæ rutilans corona,
Esto præsens spiritu, quamvis non persona,
Ut quod ipsa doceas, loquar, Mater bona.
Loquere nunc, Domina, super omnes digna,
Reum ne despicias, precor, o benigna!
Mihi tua vulnera concite designa;
Ac tantæ materiæ verba da condigna.
Sed respondes forsitam me non esse talem,
Cui hanc miseriam reveles pœnalem,
Neque tuis ultimis servis esse æqualem,
Ut hanc petam gratiam a te specialem.
Scio, scio, Domina, me indigum esse.
Sed quid accusanti me poterit obesse?
Te pro Deo supplico, Virga stirpis Jesse,
Ut tu meis precibus digneris adesse.
Sed dicis non omnia me fateri vere,
Nec sicut peccaverim, promere sincere,
Oblivisci plurima, quædam reticere,
Nec vitando crimina bene pœnitere.
Heu, Mater clementiæ, hæc sunt dura verba,
Quæ, proh dolor! vera sunt, licet sint acerba.
Nam videri sicut est, non vult mens superba;
Sed, te rogo, sana me ob salutis verba.
En tibi confiteor omne crimen meum,
In peccatis omnibus fateor me reum,
In quibus cognoscis me offendisse Deum,
Et ut salvet ipse me, precor, coge eum.
Peccavi superbia et mala cogitatione,
Visu, verbo, opere et omissione,
Gustu, tactu, naribus et auditione,
Multa negligentia et delectatione.
Deliqui malitia et perverso more,
In Dei et proximi modico amore,
Luxu, avaritia, ira et livore;
Gula, et acedia, odio, torpore.
Hæc tibi confiteor, et Omnipotenti,
Ac sanctorum cœtui vobiscum manenti,
Deprecor ob meritum divini tormenti,
Salvato culpabilem, veniam da petenti.
Ecce qualis factus sum sæpe delinquendo,
Tibi aliquantulum, o clemens, ostendo;
Mea malà omnia tibi nunc commendo,
A Ut tu ipsa salves me ista auferendo.
Sed quid ago, referens sordes fœditatis,
Auditui Virginis summæ puritatis?
Horresco, sanctissima Mater pietatis,
Ita loqui auribus tuis illibatis.
Expavesco ne a me forsan te avertas
Multas ob putredines intra me insertas,
Sed per Jesum deprecor ad me te convertas
In quo tot miserias cognoscis tam certas.
Tu, quæ vota omnium pia intueris,
Nunquid soli misero mihi dura eris?
Cur misericordiæ notum nomen geris,
Si mihi petenti te non misereris?
Hanc consuetudinem propter me non mutes
Per quam soles miseris reddere salutes,
B Nec me, quamvis impium, flagito, refutes,
Sed tuæ clementiæ fac in me virtutes.
Recordare, Domina, præ cunctis perfecta,
Quia ob culpabiles fuisti electa,
Mater propter miseros, Dei es effecta,
Ergo salva miseros, nostra spes erecta
Te pro eis, Domina, Deus est ingressus,
Pro eis miserias humanas perpessus,
Pro ipsis, vidente te, in tormentis fessus,
Ac mortis angustiis pro illis est pressus.
Ergo nobis, Domina, reis sis parata,
Eorumque infimum audi me rogata,
Memento pro quibus es tantum exaltata,
Et pro quibus tua est proles tormentata.
Meas preces, Domina, digneris audire,
C Et nunc et in posterum semper subvenire,
Fac tuas atque Domini plagas me ferire,
Et in corde jugiter devote sentire.
O fracta doloribus stans sub crucis ara
Ex nati vulneribus plena et amara!
Da mihi partem doloris, ne sis avara,
Quæ larga, et libera dicta es et gnara.
O mea fiducia! Mater Salvatoris,
Me transfige gladio mox tui doloris,
Dita me ex munere perfecti amoris,
Et dic meæ animæ vim tui mœroris.
Nunc, nunc præsens spiritu Mater singularis,
De tuis doloribus aliquid loquaris,
Quod placere valeat tuis servis charis,
Et eos aspergere lacrymis amaris.

Mater Filio compassa.

D Importuna anima, cur ad me sic clamas,
Quam tam parum recolis, et tam parum amas
Sed dicis audisse te de me pias famas,
Et ob hoc audaciter ad me sic acclamas.
Modo si audire vis pœnas meæ mentis
Crucifixo Filio meo condolentis,
Vanitates abjice cordis discurrentis,
Et lamenta animi da compatientis.
Sine fletu anima hæc audire noli,
Ubi me sic compati vides meæ proli,
Ubi fudit lacrymas multas Factor poli,
Ubi mortem sustulit Dominator soli.
Et in primis alloquor te certificando

Ex hoc quod tu cogitas de me aliquando.
Si cognovi vulnera cuncta speculando
Quæ suscepit Filius meus tolerando.

Scias quia dolor me in tantum premebat,
Quod vim fere corporis cum sensu delebat,
Sed immensus Filii amor me cogebat,
Omnes pœnas cernere quas ipse ferebat.

Quando pœnam aliquam inferri videbam,
Tota quasi moriens mox deficiebam,
Sed amoris impetu statim revivebam,
Et tormenta filii avide videbam.

Nam cum eo meum cor totum habitabat,
Quem ineffabiliter plus quam me amabat,
Idcirco quod Filius meus tolerabat,
Inconsolabiliter meum cor gravabat.

Nam cum eo cor meum dure est ligatum,
Colaphis, et alapis, sputis cruciatum,
Probris et blasphemiis illusum ac vexatum,
Flagris ejus asperis multum tormentatum.

Cum Jesu est meum cor spinis coronatum,
Ligni crucis pondere secum oneratum,
Ad locum Calvariæ cum eo tractatum,
Ejus potu felleo est amaricatum.

Eum magnis doloribus vidi spoliatum,
Delicato sanguine totum cruentatum,
Cum Jesu est meum cor tensum, et clavatum,
Ecce vides meum cor totum laceratum.

Contemplare, anima, meum cor clavatum,
Et cum meo Filio sæpe perforatum;
Sed in hoc est maxime meum cor gravatum,
Quod non his suppliciis est vita privatum.

Sed inenarabiles pœnæ me torquebant,
Quando crucem impii sursum erigebant,
Nam eam cum impetu stare faciebant,
Et ineffabiliter Jesum affligebant.

O! si scires quantum me pœna hæc gravabat,
Quantum Christi manuum plagas dilatabat,
Quamque et profundissime ipse suspirabat,
Et quam amarissime ille tunc plorabat.

Stabam sub patibulo Mater veri Dei,
Videns pati Dominum universæ rei,
Condolebam intime ejus speciei,
Quem deformem fecerant torquendo Judæi.

In languore maximo et dolore gravi,
Ad Jesum sæpissime oculos levavi,
Væ! Væ! sicut poteram, væ! Fili, clamavi.
Ego te ad pœnas has, Jesu, generavi.

Suspexi multoties ad natum suspensum,
In cruce atrociter clavatum, et distensum,
Solum justum Deum inter reos pensum,
Et dolendo perdidi pene meum sensum.

In dolore maximo Filium videbam,
Et juvare penitus eum non valebam.
Gemitus, suspiria, singultus edebam,
Lacrymas multiplices amare fundebam.

Vidi sanctam faciem et deliciosam,
Plusquam lingua exprimat dulcem, gratiosam
Multis pro angustiis totam lacrymosam.
Cruentatam, lividam, nec non maculosam.

A Nam tam largas lacrymas oculi stillabant,
Quod præ multitudine fletus caligabant,
Quia nulli aderant qui eos mundabant,
Sed lugentem Dominum multi subsannabant.

Dignum caput Filii lassum dependebat,
Nam ubi quiesceret locus non manebat,
Præter spinas minime pulvinar habebat,
Cujus dolor multiplex multum me torquebat.

Manus decentissimas dum sæpe spectavi,
Laceratas graviter, heu! consideravi,
Quas angebant nequiter perforantes clavi,
Quos in his transfixerant illi nimis pravi.

Aspexi dignissimos pedes laniatos,
Heu, percussos malleo, ferro terebratos,
Omnes artus corporis simul cruciatos,
B Et compages ossium dire dissipatas.

Gustum mei Filii felle cruciabant,
Auditum blasphemiis Judæi vexabant,
Olfactum putredines loci tormentabant,
Et hæc simul omnia multum me gravabant.

Me loqui ad Filium amor compellebat,
Et affectuosum cor sermones edebat,
Sed, heu! dolor nimius eos dirumpebat,
Quod verba edicere minime valebat.

Sensibus languentibus jam deficiebam,
Et confractis viribus dolens corruebam,
Sed resumpto spiritu, voce, qua valebam,
In verba hujusmodi statim prorumpebam:

Væ! væ! Fili mi, væ! væ! charo nate,
Ecce hi perversi me diviserunt a te,
Adjuva me, obsecro, in anxietate:
C Audi preces, miserere Matris desolatæ.

Per te, Fili, habui omnia secunda,
In te, Jesu, extiti jugiter jucunda,
Heu nunc in tristitia per te sum profunda,
Quia te sic cruciat turba hæc immunda.

Tecum fac obire me per istum agonem,
Quæ te ipsum alui ad hanc passionem,
Ego, heu, lactavi te ad occisionem,
Fac me, precor, commori per compassionem.

In te impassibilis, Fili mi, fuisti;
Totum hoc quod pateris, de me assumpsisti.
Ergo fac ut moriar tecum cæde tristi,
Quia te exposui diræ morti isti.

O! quis det ut subeam pro te, Jesu, mortem,
Cujus ex me miseram tu sumpsisti sortem?
D Fili, cur permittis me esse nunc tam fortem?
Rogo, moriendo fac me tuam consortem.

O mea lætitia, salus, spes et vita,
Jesu, cur relinquis me desolatam ita?
Cur sine auxilio sum in pœnis sita?
Heu, mea solatia cuncta sunt finita.

Quis mihi de cætero præstabit solamen?
Digneris audire nunc maternum gravamen,
Et ad minus da mihi aliquod levamen:
Vide, vide, Fili mi, maternum vexamen.

Tunc Jesus, me audiens tam indesinenter
Suspirare, gemere et flere dolenter,
Intuensque anxium meum cor patenter

Consolari lugubrem visus est clementer,
O si scires qualiter mihi condolebat!
Nempe pro me multo plus quam pro se languebat,
Et ejus pœnalitas multum me premebat,
Ac utrosque passio vicissim angebat.
O immensa gravitas et anxietudo!
Pœna ineffabilis, et amaritudo!
Quantum pressit ambos nos ista habitudo,
Quos inæstimabilis strinxit gratitudo!

Christus Matrem commendat Joanni.

Nam morti appropians flentem me vocavit,
Joannem in filium mihi ordinavit,
Me in matrem pariter illi commendavit,
Et doloris gladius tunc me perforavit.
Semivivum Dominum, heu! audiebamus;
Loqui præ mœstitia nihil valebamus,
Jesum pene mortuum fari videbamus,
Respondere aliquid, heu, non poteramus.
Ego cordis jubilum mei amittebam,
Et in multas lacrymas tota deflebam,
Vitam meæ animæ obire videbam,
Ac pœnis ingentibus jam liquefiebam.

Utquid dereliquisti me?

Nam et sic humanitas derelinquebatur,
Nec tunc ei deitas opitulabatur,
Unde, et passibilis valde reddebatur,
Et cur reliquisti me, Deus? loquebatur.
Anima, si ruminas primum hunc dolorem,
Possidebis forsitan lacrymarum rorem,
Et si tu devota es ac cupis honorem,
Meditare sæpius hunc meum mœrorem.
O misericordia immensa repleta,
Laus tibi et honor sit, Mater, sine meta.
Omnia quæ facta sunt, nota et secreta,
Tibi solvant gratias, Virgo, Verbo feta.
Jam obortis lacrymis per compassionem,
Cogor interrumpere tuum hunc sermonem,
Gratiarum reddere tibi actionem,
Et tuam extollere miserationem.
O mea fiducia! Mater Dei veri,
Per te oro jugiter ad bona urgeri,
Et a malis omnibus per te coerceri,
Tuisque doloribus semper adimpleri.
Utinam cum lacrymis possem nunc rugire
Et pro te, o Domina, dolendo obire!
Pœnas semper me tuas precor fac sentire,
Meum cor durissimum digneris mollire.
Heu, quare post Filium, Domina, abiisti?
Heu! cur ad Calvariæ locum exivisti?
Heu! cur solitaria domi non fuisti,
Ne in morte forsitan perimaris Christi?
Nonne nati passio nobis esset satis,
Nisi crucifigeret te plebs feritatis?
Cur fecisti, Domina miræ sanctitatis,
Te vas amaritudinis et pœnalitatis?
Heu, non solum cerno te juxta crucem flentem,
Sec simul cum Filio in cruce manentem,
Christum corporaliter in ligno pendentem,
Tuam vero animam suspensam et dolentem.

A Heu! contemplor tuum cor sæpe perforatum,
Et cum membris singulis Filii conclavatum,
Ecce geris intra te crucifixum natum,
Flagris, spinis, ictibus, clavis laceratum.
O cor delectabile, dulce, delicatum,
Heu! nunc in angustiis valde immutatum,
Probris, et blasphemiis nimis molestatum,
Sputis, felle, fletibus est amaricatum.
O amabilissimum cor, plenum dulcoris!
Quomodo sic conversum es felle mœroris?
Partem mihi, flagito, da tui doloris,
Lacrymrrum, vulnerum, Christique languoris.
Tunc charo discipulo Mater commendata,
Ut sacra paginula esset consummata,
Proles Dei: *Sitio*, dixit fatigata;
B Sed, heu, qualis ei potio est amara data?
O Messia! supplico tuam pietatem,
Pelle a me crapulam et ebrietatem,
In cibis et potibus da sobrietatem,
Ne sinas me cadere per edacitatem.
Heu! quare cupio lautius cibari,
Sive delicatis cibis nunquam satiari?
O Jesu! ne sinas nos ita delectari,
Qui felle dignatus es pro nobis potari.
Tunc, sicut apostolus Joannes dictavit,
Jesus: *Consummatum est*, statim exclamavit,
Sicque suum spiritum Patri commendavit
Cum clamore valido, et sic expiravit.
Moriente Domino terra contremebat,
Scindebantur lapides, sol lumen claudebat,
Resurgebant mortui, populus mœrebat,
C Velum templi scissum est, æther non lucebat.
Si tunc insensibilia compatiebantur,
Et in morte Domini lapides scindebantur,
Erubescant homines, qui non contristantur,
Dum obiisse Dominum Jesum meditantur.
Tu dixisti, Domine, per prophetam vere,
Quod nostrum lapideum velles cor delere,
Et cor tuo populo carneum præbere (*Ezech.* XI et XXXVI);
Sed, heu! vix vult carneum dolere.
O plus quam lapidei, ingrati, indigni!
O nostri duritia cordis imbenigni,
Nonne contumelia multa sumus digni,
Quod parum compatimur regi tam insigni?
O cor pessimum, durum atque vanum,
D Durius lapidibus, quasi inhumanum.
Saltem nunc compatere, nisi sis vesanum,
Dum sic vides pati quod non est humanum.
O Jesu, qui gratiæ das donationes,
Omnes tuas supplico miserationes,
Cordis mei dilue obdurationes,
Et da mihi lacrymas et compassiones.
Contemplare, anima, cum magno fervore,
Jesum Christum medicum cum suo cruore,
Virum sine specie et sine decore,
Percussum et mortuum pro tuo amore.
O quantæ, Deifera, tuæ sunt pressuræ,
Dum sic insensibiles dolent creaturæ!

Qua lingua exprimentur tuæ mentis curæ?
Quales nato mortuo tuæ sint torturæ?
O quis novit, mea spes, tuos cruciatus,
Quando Jesus coram te est translanceatus,
Quando sic percussum est illud sanctum latus,
Cujus sanguis pretium nostrum est vocatus?
Etsi corpus exanime ictus non gravabat,
Sed tuum beatum cor dire perforabat,
Lancea latus Christi cruore rubricabat,
Sed totius vulneris dolor te cruciabat.
Juxta crucem Filii Mater assistebat,
Fletu amarissimo jugiter lugebat,
Nam sensu emortuo ipsa vix vivebat,
Voce atque viribus, proh dolor? carebat.
Ima cadens anxia prostrata pallebat,
Vivens fuit mortua, moriens vivebat;
Heu! plena angustiis anima pendebat,
Vivens tamen mortua mori non dolebat.
Rursumque se erigens in dolore stabat.
Et pendentem Dominum flens considerabat,
Mori plusquam vivere certe adoptabat,
Dum deponi Filium suum exspectabat.
Tunc dicebat ejulans illis depravatis;
Ecce, desideriis vestris consummatis,
Mihi Matri miseræ corpus deponatis,
Vel, si libet, illi me necando jungatis.
Suum natum tangere Mater cupiebat,
Seque quantum poterat sursum erigebat,
Sed cum eum tangere nequaquam valebat,
Heu, ad terram debilis graviter cadebat,
Iterum amoris vi sursum ferebatur,
Et crucis patibulum mox amplexabatur,
Filiumque tangere multum nitebatur,
Sed ad terram durius, heu! collidebatur.
Ibi jacens anxia male torquebatur,
Immensis doloribus, heu! opprimebatur,
Sic cadentem sanguinem deosculabatur,
Quod cruore facies rubra reddebatur,
Inter hæc discipuli Jesu duo grati,
Nicodemus, et Joseph (sic sunt appellati),
Adepta licentia præsidis Pilati,
Ut Jesum deponerent, venerunt parati.
Tunc corpus et brachia Mater assumebat,
Et ad se mœstissimam concito trahebat,
Super jam depositum osculo ruebat.
Satiari minime de nato valebat.
Tunc ad caput Filii sui Mater stabat,
Beatamque faciem lacrymis rigabat,
Sæpe profundissime gemens suspirabat,
Seque ipsam feriens tales voces dabat:
O Fili charissime, quid mihi fecisti?
Cur Judæi morti te tradiderunt isti?
Quare me relinquere post te voluisti?
Succurre spiritui meo nimis tristi.
O mi amor unice, atque salutare,
Gaudium, solatium meum singulare,
Vita meæ animæ, o Fili! dic quare
Permittis dolere me pro te tam amare?
Ubi est quod habui gaudium tam latum,

A Dum virgo concepi te, peperique natum?
In magnam mœstitiam, heu! nunc est mutatum,
Dum te meum gaudium video necatum.
Sed dolendo Domina mentem conservabat,
Fidem firmam retinens nihil desperabat,
Imo juste doluit, et recte plorabat,
Dum injuste Dominum perimi spectabat,
Tunc volentes Dominum sepulcro locare,
Ne tam cito facerent, cœpit hæc rogare.
Hi volebant mortuum sepulturæ dare,
Ipsa ad se visa est corpus retractare.
Inter eos taliter pia lis fiebat,
Et eorum acrius quilibet dolebat,
Et pro Matre Virgine maxime plangebat,
Quod ipsa tam anxie jugiter lugebat.
B Tunc ad tumbam Domini angeli venerunt,
Et sepulto Domino laudes persolverunt,
Sed Mariæ oculi lacrymas fuderunt,
Singultus et gemitus ipsam vexaverunt.
Taliter in tumulo Christo collocato,
Genitrix tristissima benedixit nato,
Commendavit, æstimo, eum Patri grato,
Gemens, flens et ejulans pro mortificato.
En qui nunquam moritur, Dominus deorum,
Sepellitur mortuus manibus suorum,
Quem nec terra continet, nec cœli cœlorum,
Clausus est sub lapide more mortuorum.
Tunc hic, cui Dominus Matrem commendavit,
Joannes videlicet, lugentem levavit,
Urbemque Jerusalem cum ea intravit,
Et ei, ut Filius, bene ministravit.
C Tunc devotæ feminæ, quæ ista viderunt.
Quæ viventem Dominum secutæ fuerunt,
Mortuo obsequium grate præbuerunt,
Ementes aromata ei parentaverunt.
Inter quas Mrgdalena talis videbatur,
Quod sexus feminei obliviscebatur,
Nam pergens in tenibris nihil verebatur.
Et quæsitum invenit, a qua ungebatur.
Sed Virgo puerpera fletibus vacabat,
Languendo post Filium jugiter plorabat,
Quanta ipse passus sit, ad mentem revocabat,
Et in corde languido flendo ruminabat.
Die autem tertio Christo resurgente,
Captivos ab inferis secum educente,
Descendebat angelus de cælo repente,
D Terræmotu pariter facto vehemente.
Jam mane Magdalena ad tumbam pergebat,
Et secum aromata parata ferebat,
Nec arma, nec homines feros metuebat,
Sed ferventer diligens Dominum quærebat.
Ipsi soli Dominus primo apparebat,
Conturbata amplius sublatum credebat,
Consolantes angelos audire nolebat,
Nihil sine Domino placere valebat.
Et quia ferventius cæteris quærebat,
Ipsi soli Dominus primo apparebat,
Hæc ne eum tangeret statim prohibebat
Sed ut vivum diceret fratribus monebat.

Passionis Domini finito agone.
Et ex Judæ genere, rugiente leone,
Suscitato Filio, devicto dracone,
Tu Virgo Christifera dolorem depone.
Gaudens vide, Domina, corpus immortale,
Subtile, et agile, et spirituale,
Cui non nocebit plus tormentum carnale,
Nec vulnus suscipere poterit lethale.

A Si gaudet Magdalena. viso peramato,
Qui eam absolverat a suo peccato,
Multo magis gaude, tu Mater, viso nato,
In tam vivo corpore, jam glorificato.
Deprecor te, Domina, et hanc Magdalenam
Juvate ut cogitem Christi diram pœnam :
Et ut conscientiam habeam serenam,
Ac Dei proximique charitatem plenam.

APPENDIX TERTIA

PRIVILEGIA

Ecclesiæ Lucensi tempore S. Anselmi a Mathilde comitissa concessa.

(UGHELLI, *Italia sacra*, 1, 814.)

I.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Anno ab incarn. ejus 1078, VI Kal. Octobris, ind. II.

Constat me Mathilda Dei gratia inclita comitissa Tusciæ ex genesre Longobardorum relicta bonæ mem. Gottifredi ducis, et filia bo. me. bonifacii magni ducis et marchionis Tusciæ. Quia ego ex parte supradicti viri mei, qui fuit Salicus lege videor vivere Salica in atramentario pennam, et pergamenam manibus meis de terra levavit et Rustichi notarii D. imperatoris ad scribendum tradidi per vuasonem terræ.... et fisticum nodatum seu ramo arborum, ad quæ per Coltellum, et guantone, simulque andilagine sic per hanc chartulam juxta Saligorum consuetudinem pro animæ meæ remedium, et remedium animarum supradicti Bonifacii, qui fuit genitor meus, et gloriosæ Beatricis comitissæ genitricis meæ offero tibi Deo, et episcopatuiS. Martini, qui esse videtur ædificato infra Lucensem civitatem, id est meam portionem ex integra de monte, et pojo, seu castello illo qui dicitur Decimo de monte, et pojo, seu castello vero ipso cum curia, et turre, et casis infra se, et super se habentes in circuitu suo, et cum fundamento, et omni ædificio suo competi exinde mihi quartam portionem ipsam vero et integram meam portionem, et quantum mihi exinde, per quantumque ordinem est pertinentes, et cum inferioribus, et superioribus suis, seu cum accessionibus, et ingressuras suas tibi Deo, et suprascripta ecclesia S. Martini offerre prævideor tali ordine, ut ab hodierna die in ipsius Eccl. et episcopatu S. Martini, et de illo episcopo qui ibi pro tempore ordinatus et electus fuerit, in ejus sint potestate suprascriptam meam portionem prædictas res, quas in ipsius ecclesia, et episcopatu S. Martini offerimus eas habendi, tenendi possidendi, et imperandi, laborare faciendi, et usufructuandi, et, si opportunum fuerit, licentiam et potestatem habeant prædictus episcopus causas exinde agendi, queremo- B nias faciendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus ad pars ipsius ecclesiæ, et episcopatu S. Martini defensandi cum chartula ista offersionis qualiter juxta legem melius potuerit pro animæ meæ remedium, et per remedium prædictorum Bonifacii, qui fuit genitor meus, et gloriosæ Beatricis comitissæ genitricis meæ stabilem permaneat semper, et, si aliquo tempore ego qui supra Mathilda Dei gratia inclita comitissa, vel meos hæredes tibi Deo, et ipsius ecclesia, et episcopatui S. Martini, ut ad illud episcopus, qui ibi pro tempore ordinatus et electus fuerit suprascriptam portionem de prædictas res quas in ipsius ecclesiæ, et episcopatum C offerri aliquando tempore in aliquid exinde intentionaverimus, aut retolli, vel subtrahi quæsierimus nos, vel ille homo cui nos eas dedissemus, et dederimus pro colibet ingenium, et eam ad partem prædicti episcopatus ab omni homine defendere non potuerimus, et non defensaverimus, tunc feramus ad partem supradicti episcopatus mulctam, quod est auri optimi uncias 20 et argenti pondera 40, et hoc quod supradictæ ecclesiæ obtuli in duplum infer quidem loco sub existimatione quale tunc fuerit, et nec sic valeamus, nec possamus disrumpere, vel infringere, sed præsens hæc chartula offersionis meæ diuturnis temporibus firma et stabilis persistat perpetualiter inconvulsa constipulatione subnixa, sic D tamen si nos exinde authores nec defensores quærere, nec dare volueritis licentiam habeatis absque nostra persona si vestra fuerit voluntas exinde causas agendi, responsum reddendi. finem ponendi modis omnibus pars supradictæ ecclesiæ episcopatus S. Martini defensandi cum chartula ista oblationis et traditionis meæ qualiter juxta legem melius potueritis, et ita in hac ordine hanc chartulam ego Matilda tibi Rusticus notarius ad scribendum tradidi et scribere rogavi.

Actum in loco ubi dicitur S. Cipriano prope Perusiam.

Ego Matilda Dei gratia dux in hac chartula a me facta SS.

Flacopertus judex, et missus D. imperatoris.

Ubertus judex Domini imperatoris.

Gerardus judex sacri palatii SS. et ✝

Signum manus Roberti filius bon. mem. Rolandi rogatus interfui.

Signum manus Rolandi filii bon. mem. Alilardi rogatus interfui.

Rusticus notarius D. imperatoris post traditam complevi et dedi.

II.

In nomine D. N. Jesu Christi Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus 1079, xv Kal. Octobris, ind. III. Manifesta sum ego Mathilda marchionissa et ducatrix relicta bon. mem. Gottifredi, qui fuit dux, et filia bon. mem. Bonifacii, qui fuit similiter dux et marchio.

Quia ego qui supra Matilda marchionissa professa sum ex natione mea legem vivere videor Longobardorum, sed nunc modo pro parte supradicti Gottifredi, qui fuit viro meo, legem vivere videor Saligam. Quia ego qui supra Matilda marchionissa ac ducatrix secundum legem meam Saligam cum atramentario pinnam, et pergamenam manibus meis de terra levavit, et Cunradi notarii D. imperatoris ab scribendum tradidi per vuasonem terræ, et fistucum nodatum, seu ramo arborum, atque per cultellum, et vuantonettonem, seu andilaginem sic per hanc chartulam justa legem meam Saligam dono, trado, cedo, atque offero tibi Deo et ecclesia, et episcopatui S. Martini, quæ est constructa, et levata infra civitatem Lucæ prope muro ejusdem civitatis, id est casa, et curte, seu monte, et pojo, atque castello illo qui dicitur Castallione Besardescos, qui est positum infra Comitatum, et territorio Volterranense una cum ecclesia illa, cui vocabulum est beati sancti.... ibi consistente una cum omnibus fossis, et carbonariis, et muris, et turre, qui infra præd. monte, et pojo, seu castello esse videntur una cum omnibus casis, et cassinis, seu casalinis, simulque terris, et rebus illis, qui ad jam dicta casa, et curte, seu monte, et pojo atque ecclesia sunt pertinentes tam de muro pro dicto castello, quam et de foris casis, et cassinis, seu casalinis, simulque terris, et rebus vero ipsis tam donnicatis, quam et massaritiis cum fundamentis, et omnem edificiis, vel universis fabricis suarum, seu curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercictis, silicis virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus, vel incultis omnia, et in omnibus rebus, tam donnicatis, quam et massaritiis quantas ubique in qualibet locis, vel vocabulis ad suprascripta casa, et curte seu monte, et pojo, atque castello, sive ecclesia sunt, pertinentibus, ut dictum est omnia in integrum, et cum inferioribus, et superioribus suarum, seu cum assessionibus, et ingressorias earum tibi Deo, et jam dicta ecclesia episcopatui S. Martini donare, et tradere, atque offerre provideor tali ordine, ut ab hodierna die in ipsius Ecclesia, et episcopatu S. Martini, et ad illo episcopo, qui in jam dicta ecclesia episcopatuo, et pro tempore ordinato fuerit, in ejus sint potestate eas habendi, tenendi, gubernendi, laborare faciendi, et usum fructuandi, et, si oportunum fuerit, licentiam, et potestatem habeatis, causas exinde agendi, querimoniam faciendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus vobis eam defensandi, cum chartula ista offersionis a pars jam dictæ ecclesiæ, et episcopatuo S. Martini qualiter juxta legem melius potueritis pro animæ meæ remedium stabilem permanet semper, et aliquaedo tempore ego qui supra Matilda marchionissa, vel in eos hæredes supradicta casa, et curte, seu monte, et pojo, atque castello sive ecclesia qui in prædicto castello de Castilione esse videantur, cum sua pertinentia, et jacentia tibi Deo, et jam dicta ecclesia, et episcopatuo S. Martini, et ab illo episcopus, qui ibi pro tempore ordinati fuerint in aliquod exinde intentionaverimus, aut rotelli, vel subtragi quesierimus. Nos, vel ille homo, cui nos eas dedissemus, aut dederimus per quodlibet ingenium, et casu a pars jam dictæ ecclesiæ, et episcopatuo S. Martini ab omnis homines defendere non potuerimus, et non defensaverimus, spondimus nos vobis comprare supradicta casa, et curte, seu monte, et pojo, atque castello, sive ecclesia, et terris, et rebus, quas in ipsius ecclesia, et episcopatuo S. Martini offerruit in duplum inser quidem loco sub existimatione quales sunt fuerit, et super pœnam auri optimi uncias 50, et argenti optimi pondera 100. Nec si valeamus, neque possamus disruppi, nec infringi, set præsens hanc cartula offersionis meæ diuturnis temporibus firma et stabilem persistat perpetualiter inconvulsa cum stipulatione submissa. Dic tamen si nos exinde authores, nec defensores querere nec dare volueritis, licentiam habeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis ommibus vobis eas defensandi cum cartula ista offersionis qualiter juxta legem melius potueritis, et mihi qui supra Matilda Marchionissa foras exinde werpivit, et exitum fecit, jam dicta ecclesia, et episcopatuo S. Martini ad suam proprietatem intromisit, et ad habendum tradidit, et hanc cartulam offersionis Cunradus notarius Domini imperatoris scribere rogavi. Actum Burgo qui dicitur Bricole.

Ego Matilda Dei gratia id quod sum in hac chartula a me facta SS.

Ubertus judex domini imperatoris.

Ego Ardericus judex rogatus testis.

Signum manus Federighi comitis legem viventem Saligam, filius quondam Lodoici, qui fuit dux, et Enrichi filius quondam Eurardi, qui fuit similigem Saligam rogatus interfui.

Signum manus Anselmi legem viventem Saligam filio bon. mem. Gerbotta, qui fuit similiter Saligo rogatus interfui.

Signum manus Pagani filio bon. mem. Rolan-

di, et Idelbrandi filio suprascripti Pagani rog. interfui.

Signum manus Enrighi filio bon. mem. Sigifridi rogatus interfui.

A Cunradus notarius domini imperatoris post traditam complevi, et dedi.

ANNO DOMINI MLXXXVI.

UDALRICUS CLUNIACENSIS MONACHUS.

IN SUBSEQUENTEM COLLECTIONEM *MONITUM.*

UDALRICI ÆTAS, PATRIA, NATALES, RES GESTÆ.

(Apud ACHERIUM, *Spicileg.*, tom. I, pag. 639.)

Cluniacensis abbatiæ antiquiores Consuetudines ut in lucem proferrem duplici sum usus apographo: alterum quingentos præseferens annos ad me transmiserat Nicolaus Camuzatius, Ecclesiæ Trecensis quondam canonicus, anno Christi 1650; alterum vero asceterium Cluniacense recentiori manu exaratum subministravit. E priori ad libri tertii dimidiam partem capitis 9 exscribi tantummodo curaveram, quod mihi diutius illud servare per tempus non liceret; sperabam nimirum si quando hæ Consuetudines edendæ forent, iterum apographi copiam mihi factum iri: at spes vana fuit, siquidem, licet omnem adhibuerim diligentiam, qua meis, qua amicorum litteris ac precibus, nullibi tamen, potissimum in bibliotheca Trecensi Patrum congregationis Oratorii, ubi illud asservari certo audiveram, apographum potuit reperiri. Auctor harumce Consuetudinum Udalricus, nobilitate juxta et sanctitate clarus, inscribitur: e cujus vita paucula quæ ad rem faciunt nostram hæc habe: *Venerabilis vir Udalricus ex illustri prosapia Bavariorum Ratisponæ civitatis, velut Lucifer inter cætera poli sidera, sic inter totius cognationis suæ relucebat nobile schema*, etc. Et multis interjectis: *Ipse primum, petente Willelmo Hirsaugiensis cœnobii reverendissimo abbate, Alamanniæ monasteriis Consuetudines Cluniacensis ecclesiæ invexit, quas plerique monasticæ religionis amatores tanto studio, tantaque veneratione observant et amplectuntur, ac si opes regias se habere gratulentur: de quibus duos* (tres Udalricus asserit) *libellos luculento sermone composuit; quorum conscriptio tam per Alamanniæ quam et aliorum regionum monasteria longe lateque pervolavit. Quos si forte leges, quasdam divinæ servitutis, aliorumque officiorum, necnon obedientiæ, humilitatis, fratrumque charitatis leges conscriptas in eis reperire, studium, ingeniumque quoque, sapientiamque viri inibi manifeste poteris cognoscere. Erat enim homo iste doctus paterfamilias in regno cœlorum, proferens de thesauro suo nova et vetera, unde multos ad scientiam erudivit*, etc.

Atenim non eo quo collegit tempore Udalricus illas Consuetudines primum fuisse conditas, sed a multis retro temporibus jam usu receptas legenti palam fiet, ita ut id confirmari opus non sit. Quare eas vetustiores nuncupare non dubitavi. Alias postea scio latas a venerabili Petro abbate, ut occurreret nonnullis qui irripserant dissolutis quorumdam cœnobitarum moribus; quas cernere est in Bibliotheca Cluniacensi.

Et quamvis ad monachos præsertim attineant ordinationes istæ, multa nihilominus inibi occurrent quæ ad ecclesiasticorum muniorum illustrationem atque ad divina mysteria rite petractanda non parum conferunt; puta quæ de augusto missæ sacrificio, de Extremæ Unctionis sacramento, de confectionis hostiarum in altari consecrandarum summa cura et religione singulari; deque aliis ad canonicas Deo laudes die nocteque persolvendas observantiis, præscribuntur. Ast prætereunda minime est adnotatiuncula a me affixa ad cap. 35: *De Benedictionibus uvarum, et aliorum fructuum*: ut explicarem verba ista: *Allatas* (uvas) *armario repræsentat, et armarius sacerdoti inter Canonem ad horam competentem et prænotatam*, etc. Ita se habet annotatiuncula: *Scilicet ad hæc verba Canonis*: « *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, etc. » Nempe tunc fideles offerebant novas fruges, fabas, aliaque id genus, queis sacerdos in altari benedictionem impertiebatur. In eamdem it sententiam Durandus episcopus Mimatensis in libri IV Rationalis, capite 46, num. 8, ubi Canonis locum proxime citatum explanat his verbis: *Hoc autem loco benedicuntur uvæ*, etc. Mox enim vetus fuit, et etiamnum in quibusdam viget Ecclesiis, primitias fructuum Deo consecrare, quo tanquam summum creatorem universorum ipsum fidelis populus profiteatur, veneretur, eique gratias de beneficiis sibi præstitis agat, ac cœlesti benedictione illis fruendo cumuletur. Et id quidem ex institutione Eutychiani papæ, uti refert pontificale Damasi (HUGO MENARD. in *Lib. Sacram. S. Gregorii* pag. 173): *Hic instituit fruges, fabas, et uvas in altario benedici*, velut et Martyrologia Rabani et Notkeri. In concilio Carthag. III, can. 3, frumenti et uvæ fit mentio, in concilio quoque Trullensi, can. 28, et Burchardi Decret. lib. V, cap. 3 et 4. Atque ut sensum hic meum apponam, admodum vero simile est illa Canonis verba posse sic exponi: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas et præstas nobis*, etc. Hoc est per Filium tuum, *sine quo factum est nihil quod factum est*, hos fructus, quos tibi nunc offerimus, et abs te benedici postulamus, continuo creas ac producis ad bonum et utilitatem nostram. Verum de ejuscemodi interpretatione Lectoris esto judicium.

Alius etiam codex scriptus earumdem Consuetudinum, a Bernardo Cluniacensi monacho concinnatarum,

ac B. Hugoni abbati dicatarum, subministravit quædam capita quæ in utrisque et Cluniacensi et Cannizatii codicibus desiderabantur, nimirum capita 13, 14 et 15. Bernardi autem præfationis pericopen, ne tota pereat, hoc loco subtexere, Lectori, opinor, haud erit ingratum, vel a proposito alienum. Sic autem exorditur Bernardus :

Reverendissimo atque totius religionis præcipuo domno Hugoni *abbati. Frater* Bernardus *filiorum ejus ultimus quidquid esse, dici et cogitari potest excellentius.*

« Quoniam, Pater religiosissime, loci Cluniacensis viam universæ carnis paulatim ingredientibus, ac novitiis succedentibus, quædam de consuetudinibus sæpissime oriebantur controversiæ, diversis diversa sentientibus, ita ut plerumque novitii hæc audientes, incertiores de capitulo discederent quam accessissent, operæ pretium judicavi, si vestra mihi auctoritas imperaret, ut cum quanta possem diligentia ipsam veritatem investigarem, et sive ex his quæ scripta reperirem, sive ex his quæ didiceram vel discere possem, sententias veriores atque discretiores, quibus videlicet probabiliores et melius ordinem scientes personæ testimonium darent, in unum volumen redigerem ; sicque æquitatem consideratam, litteris diligentius annotatam posteris derelinquerem. Hoc itaque opusculo pro meæ parvitatis modulo a vobis accepta jussione implet, quasi rivulus ad fontem recurro, Vestræque Excellentiæ quod ex ejus plenitudine hausi repræsento, etc. Tantum restat ut vestra mihi succurrat oratio, quatinus sequi possim quod in vobis laudo, et viam quam monstratis, quamque describere jussistis, tenere sufficiam ad salutem meam et gloriam vestram. Obsecro autem fratres nostros ne dedignentur ex ligneo vase potum veritatis sumere, neque propter fistulam plumbeam, per quam fluit, aquam frigidam claramque despiciant, si eos sitire contingat, ut sciant quibus sententiis inniti debeant, ut a sanctarum Consuetudinum tramite non recedant. Omnipotens Deus, in cujus manu consistit omnis profectus loci Cluniacensis, conservet sanctum caput vestrum nobis incolume, ut videatis filios filiorum vestrorum, longoque tempore mundo præbeatis solatium. »

Hactenus Bernardi Præfatio, qui æqualis exstitit Udalrici, eodemque conscripsit tempore Consuetudines, ut conjicere licet, quo et ipse Udalricus. Cur porro Udalrici potius quam Bernardi collectionem ediderimus, ratio in promptu est, nimirum ob nominis claritatem Udalrici ; quodque comptiore stilo ac meliori ordine, dialogis scilicet, digestam ejus collectionem judicaverimus : qui scribendi modus, cum de asceticis rebus ritibusve præsertim agitur, faciliori via animum instruit suadetque.

ANTIQUIORES CONSUETUDINES
CLUNIACENSIS MONASTERII
COLLECTORE UDALRICO MONACHO BENEDICTINO

(Acherii *Spicil.* tom. I, pag. 641.)

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Domino reverendissimo ac piissimo Patri Willelmo, Hirsaugiensi abbati, sanctoque fratrum collegio sibi subjecto, frater Wildalricus Cluniacensis Ecclesiæ qualiscunque monachus, in Domino salutem, et ipsius celerrimam benedictionem, et hic et in futuro.

Quotidie meminisse cum personæ tum Ecclesiæ tuæ, Pater dilectissime, revera ita venit in usum humilitati meæ, ut jam tam usus quam affectus non patiatur ut ullo die omittatur. Accedit aliquoties admodum grata et jocunda memoria pollicitationis tuæ de cavendo ingenio quorumdam hominum sæcularium, qui nimirum, non magnopere curantes de alio quam de hac sola temporali vita, postquam domum habuerint, ut dicam, plenam filiorum et filiarum, aut si quis eorumdem claudus erit aut mancus, surdaster aut cæcus, gibbosus aut leprosus, vel aliud quid hujusmodi quod eum aliquo modo sæculo facit minus acceptum, hunc quidem impensissimo voto ut monachus fiat offerunt Deo, quanquam plane non propter Deum, sed propter hoc A tantum ut seipsos expediant ab eis educandis et pascendis, vel aliis suis liberis possit esse magis consultum. Ergo ut taceam de his qui non carent sanitate corporali et membrorum integritate, ab his ipsis qui sunt ita semihomines vel ita semivivi, qualia sæpius experti sumus perpetrari. Si expediret, in promptu est talem nominare quem ad habitum sanctitatis non alia sanctitas quam sola strumæ contumelia traxit, et talem quem non nisi pes . . . a quorum utroque vobis etiam testibus parum boni processit exempli ; quanto minus ab illis qui bonæ sunt valetudinis, ubicunque tanti sunt congregati, tantæque potentiæ, ut habitudo monasterii sit in illorum manu ? Equidem quæ ibi sit vita, qui vigor disciplinæ regularis, omnes sciunt, quicunque sciunt id genus monachorum ibi regnare. Adeo tritum est et usitatum, si qua districtio hujus spiritualis militiæ B inter has nostrorum temporum fæces esse potest, non esse, nisi ubi major est numerus et auctoritas major illorum qui non ætate lasciva, nec imperio parentum, sed sponte sua, et majoris ætatis, solo

Christo imperante, ad ejus se obsequium rebus sæculi abdicatis contulerunt.

Quod prudentia tua perpendens, quanquam ipse nutritus sis in monasterio, et per vices eveniat ut flos liliorum de spinarum medio emergat, tamen nil addo curans quam quod facit ad cautionem et meram religionis soliditatem, per misericordiam Dei hanc monasterii tui legem promulgasti, ut opus sit præfatis sæcularibus aliumsibi nidum providere ubi reponant pullos suos abortivos, velut exhæreditatos.

Deo vidente hic nihil ulterius obtineb't illud eis familiare ingenium, ut, sicut ait propheta, ova aspidum, et quod confotum erumpit in regulum (*Isai.* LIX), ingerant et committant piis et Deo dicatis animabus, eis quidem tanquam ancillis suis et nutricibus abutentes. De qua re sentiat quisque quod voluerit; ego autum certus sum illam te radicem funditus exstirpasse, ex qua sola præcipue omnia sunt monasteria destructa quæ destructa sunt vel in Teutonica vel in Romana lingua.

Unde, ut fatear quod verum est, quia te vidi ea piæ sollicitudinis prærogativa cautum, et stud'osum disciplinæ regularis, quanquam, si bene tibi voluerim, nihil ulterius quod aliquid valeat possim, tamen solo excepto, ut dignum est, cujus s m professus revera nomen, alius quisquam tui nominis et officii, cui magis possit a parvitate mea modis omnibus et faveri et deferri; nam et alia sunt adhuc quæ non immerito plurimum et te et hanc domum Dei commendant. Primum, quia infirmiorem sexum, quod prius non erat, de habitatione vestra longius remotum exclusistis, vel in obsequio quotidiano tales famulos habere meruistis qui ex liberis ingenuis ultro se humiliantes, vobisque servientes, non aliam vitam quam illam quæ est cœlestis et perpetua exspectant. De quibus tamen unum, quod si benevolentiæ vestræ videretur, in proximo mutari vellem. Vellem utique ut non amplius permitterentur extra claustrum commorari; daretis eis habitum nostrum. Et quia non ad hoc valent ut sint lectores vel cantores cum litteratis, ulmi vivæ vivas quoque vites, juxta quadamtenus dictum est, portarent, ut eodem modo quo huc usque serviendo litteratis, litteratorum mercedem consequerentur. Nam si B. Benedicto videbatur ut fratres vicissim coquinæ munus obirent; muuus hoc quoque apnd sanctos Patres invenitur, quod semel ingressi coquinam de cætero in eadem obedientia perduraverunt. At si quis fratrum fortassis, talem non habens fidem ut montes tranferat (*I. Cor.* XII), causatur non esse vobis tantas opes ut tantos monachos expediat aggregare, videte quid Deus faciat de quodam nostro Gerardo, nato quidem de talibus parentibus qui non erant quammaximæ nobilitatis, de litteris quoque non adeo imbuto ut non multi sint illo doctiores; sed hujus fidei hominem non cognosco. Nec æstimaverim facile posse contingere majus miraculum, quam quod Deus per illum jugiter operatur. Nondum est annus trigesimus, ex quo in ipso pago na-

A tivitatis suæ fundans cellam ædificavit appellatam nomine Sanctæ Mariæ ad Charitatem, quia, cum sit in via publica, nullus mortalium transit, qui de industria unquam dissimuletur, et non potius experiatur illud Gregorianum, quod hospites non solum sunt invitandi, sed etiam trahendi (GREG. *homil.* III, *in Evang.*). In claustro autem ad præsens nunquam contingit ut non aliquanti super centum fratres quotidie inveniantur. Infra pene quadriennium non erat opportunum domno abbati ut inviseret eamdem cellam. Hoc anno venit, et uno die LV novitiis habitum nostrum vel benedictionem dedit, quanquam prior singulis annis ad memoriam sanctorum apostolorum pro benedictione quantos potuit misisset. Qui etiam ea vice quæ domnum abbatem invitavit,
B quam parum frumenta habuerit, et tamen per . . . septimanas quanta liberalitate ministraverit, non modo nobis, sed etiam cunctis interim supervenientibus, et ad domni abbatis audientiam, quasi ad quoddam spectaculum, undique confluentibus, si charitati vestræ pro re gesta enarravero, quantumlibet fidem mihi habeatis, tamen nescio si hoc totum bene credere valeatis. Hoc autem certe nequaquam mentior, quia, quantum de utroque loco accepi. . . abbatiæ possessiones, solis vineis exceptis, duplo scilicet ampliores. Sed D. G. est talis homo, qui, si opus esse viderit, minime veretur usque ad tria vel quatuor millia solidorum mutuari. Et divina clementia qui fieri posset ut unquam desereret de se præsumentem, quæ iterum plane corvos mittit ad Eliam temporalis vitæ subsidium ministrantes?
C (*III Reg.* XVII.) Quid enim Francigenas aliud dixerim cum sint tam inquieti, raptores et de candore virtutum nihil habentes; inter quos tamen sunt tales aliquando qui fideli Dei servo tanta largiuntur, ut in parvissimo tempore quidquid debet resolvat. Cui etiam hoc est familiare, et quasi pro ludo, ut optet nunquam sibi contingere multum abundare de divitiis hujus mundi. Quod si comes et defensor loci vestri sciret vos tanti debitores, non æstimo ut aliquo modo auderet vobis importunus esse, et, accedente piæ et religiosæ conjugis suggestione, si nihil daret vobis, nihil etiam acciperet. Absit autem ut quisquam credat Deum esse localem, ut quod facit in Francia non etiam facere possit in territorio Spirensi! Tantum ejus misericordia sit vobiscum,
D ut ipse qui probat renes et corda hic etiam videat ea sibi simplicitate et non minore studio ad ejus voluntatem et præcepta obaudiri.

Quod parvitati meæ injunxistis, de hoc videre potestis me non fuisse negligentem; habetis enim consuetudines monasterii nostri, quas collectas utcunque notavi, quantum ego scire potui et recordari. Quibus semel visis, si postea schedas deponitis et de cætero non curabitis, ad quid tunc tantum mihi laboris imposuistis? Quod ne tacerem, ad hoc me compulit aliorum negligentia, quos in primis multum curiosos ad ultimum ita fecisse cognovi. Pleraque snnt, quæ propter consequentiam dixi, de

Quibus non est necesse ut mentio fiat in conventu fratrum. De his autem de quibus ædificari possunt animæ et incrementa fieri meritorum, de his tu, Pater, habebis cum fratribus collationem. Perpendant suas antiquas consuetudines, perpendant tuas, cum quibus te nutriri contigit; perpendant et istas, et de omnibus quæ meliora videntur, de his fiat unum corpus quod de cætero teneatur. Et si hoc volueris esse ratum, expedit ut communi fratrum consensu præveniatur, ne quod inde . . . aut aliquid non bonæ voluntatis possit oriri. Et quia Deus imperavit domno P. qui moratur modo nobiscum, non est abs re virum hujus scientiæ, hujusque religionis, huic negotio interesse, et, si ego adessem, meum quoque nomen non paterer omnia [*f.* omnino] celari, quamvis adhuc neophytus esse videar.

Memineris autem quod in ipsis verbis quæ notavi, nos duos ita feci colloquentes, quia, si recolis, multa sumus ad invicem inde locuti. Et si quid videor addidisse, hoc quoque non nisi os tuum et tua lingua edidit, quia non modo lingua nostra, sed totus ego sum tuus, ut non dicam quod Christus ita nos fœderavit in unitate Spiritus, in uno corpore, quod est Ecclesia, sub uno capite, quod est ipse. Verum persona mea cum sit tenuis et obscura, nomen A barbarum, stylus agrestis, indignum mihi videbatur ut hujusmodi nominis unquam meminissem, aut ullam præfationem, ut moris est, prætitularem. Quamvis tres sint partes ipsius qualiscunque collectanei, quibus singulis clausulas aliquas, quæ procemium simulant, præmisi, propter te maxime, aliosque fratres nostros, in quibus bona quæ vidi exempla libenter reticere non potui.

Pars autem prima est de opere divino, et quod maxime fit in Ecclesia per annum universum; secunda, de eruditione novitiorum; tertia, de obedientiis, quibus et ultima obedientia est subjuncta, qua quisque fratrum ab hoc sæculo migraturus vocatur ad Christum.

Sola capitula singularum sententiarum curavi prænotare propter utilitatem legentium, ut facilius B quod quisque voluerit, possit invenire. Sanctam Christi familiam, cui præesse videris, plurimum saluto, et non, ut fertur, in via, sed vere voto et desiderio salutis æternæ, quam eis fidelissime opto. Specialiter autem speciales quoque necessarios parvitatis meæ, scilicet dom. et mag. A dom. S. dom. O. dom. G. et adhuc tyronem Christi dom. E. Gratia Dei omnipotentis sit cum omnibus vobis. Amen.

INDEX CAPITUM

INCIPIUNT CAPITA LIBELLI PRIMI

INCIPIUNT CAPITA LIBELLI SECUNDI.

INCIPIUNT CAPITA LIBELLI TERTII.

PROOEMIUM

Occasionem scribendarum consuetudinum refert auctor

A Ante hos dies senior noster dominus abbas humilitatem meam in Germaniam direxit, propter quid non multum interest modo referre; quod ad rem pertinet, per hanc occasionem diverti ad virum venerabilem dominum Willelmum abbatem, cujus monasterium situm est in pago Spirensi et in Silva cognomento Nigra. Isdem autem Pater, ut erat a puero notus et amicissimus, me videns lætabundus collegit; et alter mihi Cleophas (*Luc* XXIV) alio tendentem, tamen aliquantos dies secum manere coegit. Interim erat ei mecum sermo assiduus, imo, quantum fieri potuit, pene continuus, de consuetudinibus Ecclesiæ, nostræ, de quibus nimirum sic orsus est loqui : Ecclesia vestra, dilectissime, per misericordiam Dei non parvam in nostris partibus opinionem religionis obtinuit, nec aliud æstimatur a nobis quam quod in his locis quæ ad nostram notitiam pertingere potuerunt, non sit ei similis in vita et disciplina regulari; unde non parum facis ad votum nostrum, si qua te referente meremur audire de usibus et institutis majorum vestrorum. Quæ etiamsi non geruntur a nobis, tamen hoc ipsum ad humilitatem ædificat, si nos non latet ita vos vivere et conversari, ut nostra infirmitas aut noluerit aut nequiverit. Ad quod ego : panem, inquam, vestrum sum commessurus, dignum est etiam ut interim voluntati vestræ obedire non sim imparatus. Sed qui est in loco tali pro diversitate linguæ quasi barbarus, nec a pueritia nutritus non facile fieri potest ut ita sciat omnia sicut ille qui est indigena, et qui ab infantia inter talia crevit; ideoque non est mirum si et ego non multum scio de hujusmodi, qui pene B usque ad tricesimum ætatis nostræ annum non nisi de rebus sæculi magnopere curavi. Tamen quantum est quod scio, id ipsum referam non invitus. Ergo vide de quo volueris primum interrogare.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo Testamentum legatur utrumque.

Interrogatio. Audio lectiones vestras in hieme et in privatis noctibus multum esse prolixas. Si videtur, simul et semel edissere quomodo non modo in hieme, sed etiam in æstate Testamentum legatur utrumque.

Responsio. Ut incipiam de librorum omnium antiquissimo, id est Octateucho, hic liber, ut mos est generalis, et in aliis Ecclesiis et Septuagesima ponitur ad legendum. In ipsa Dominica fiunt lectiones satis breves, præter ad primam lectionem, prologus ille *Desiderii mei* expenditur totus. Per sequentes noctes ita protenduntur ut in illa una septimana *Genesis* perlegatur, et in ecclesia tantum. In Sexagesima *Exodus* inchoatur, et simul cum aliis voluminibus quæ leguntur, legitur utrumque et in ecclesia, et in refectorio, ita ut ubi lectionis terminus fuerit lectæ, ibi semper initium fiat legendæ die sequenti, et si non ante, tamen intrante Quadragesima ex toto perlegitur Octateuchus; ex quo tamen ad Dominicas sunt lectiones exceptæ. In aliis noctibus Quadragesimæ legitur expositio S. Augustini super Psalterium, et maxime super cantica graduum; et sicut noctes tunc magis ac magis corripiuntur, ita quoque lectiones. Cavendum tamen est ne aliquando fiant ita breves ut ille frater, qui circam facit cum absconsa, non possit per totum chorum et extra circuisse, exploraturus scilicet si quis forte obdormierit intes legendum. In Passione Domini legitur *Jeremias* propheta, cujus rursus prologus erit ad primam lectionem. Legitur autem in ecclesia tantum, et ita ut ante Cœnam Domini finiatur usque ad *Lamentationes.* In octavis Paschæ C legentur *Actus apostolorum*, et tantum per unam septimanam, de quibus pro noctium brevitate fieri non potest ut multum legatur. Postea per duas septimanas *Apocalypsis* et *Epistolæ canonicæ* usque ad Ascensionem Domini. Ponuntur iterum Actus apostolorum, iterumque leguntur quasi non amplius inchoati a capite usque ad Pentecosten. Non minus tamen hæc ipsa volumina ex toto continuatim in refectorio leguntur; sicut etiam tempore suo liber Regum, liber Salomonis, liber Job, Tobiæ, Judith, Esther, Esdræ, et liber Machabæorum; qui leguntur omnes in refectorio tantum, in ecclesia minime, nisi quantum de eis ad quamlibet Dominicam est breviter excerptum. A Kalendis Novenbris repetuntur ad D privatas noctes lectiones. Ponitur Ezechiel propheta, in ecclesia tantum legendus, et finitur ex more ante festivitatem S. Martini; cujus etsi octavas cantu, et aliis solemnibus celebramus, tamen propheticæ lectiones non mutantur, nec etiam in aliis octavis, nisi fiant duodecim lectiones. Ponitur Daniel propheta, et duodecim prophetæ, et non sufficiunt nisi novissimo adjungatur de homiliis beati Gregorii papæ super Ezechielem. In Adventu Domini propheta ponitur Isaias; de quo dum quærerem et ad certum scire vellem quot noctibus et ipse perlegeretur ex more, non potui audire ab aliquo, nisi dicam quod meipsum vidisse memini et audisse; me quidem audiente aliquando sex privatis noctibus perlegebatur.

Quem sequuntur epistolæ Leonis papæ de incarnatione Domini, et alii sermones sanctorum Patrum, et maxime sancti Augustini. Apostolus ponitur in illa Dominica quæ prima occurrit post Natale Innocentium; si tamen in ipsa non est Circumcisio Domini; vel Depositio domini Odilonis. De quo idipsum dicere possum quod et supra de propheta; nam diversi diversa sentiunt; sed ut ego rursus hoc perhibeam quod et ipse vidi, talis Epistola qualis est ad Romanos, in duabus privatis noctibus tota legebatur. Et cum quidam frater, qui lectiones terminaverat, terminasset breviores, prohibitus est in capitulo a senioribus nostris. Si autem contigerit ut finiatur Apostolus ante Septuagesimam, legitur expositio Joannis Chrysostomi super Epistolam ad Hebræos. Ecce circulum anni quodammodo circuivi; si placet, ultra promoveamus.

CAPUT II.

De nocturnis et omnibus horis regularibus; si quid eis plus sit additum quod Sanctus constituit Benedictus.

Interrogatio. Soletis amplius quid intexere nocturnis vel aliis horis quam quod S. constituit Benedictus?

Responsio. Quantum est, si bene memini, dicam. Primo nulla est antiphona tam parva quam non plena toni sui definitione finiamus. Cujusmodi preces post Dominicam orationem sanctus Benedictus dixerit, nescitur, quia nec scriptum invenitur; sed quæ dicuntur a nobis ad nocturnos, ad matutinas, ad tertiam, sextam, nonam, et vesperas, quatuordecim versiculis comprehenduntur: et si est dies privata, et nullæ octavæ, nec dies paschales, interponitur psalmus quinquagesimus. Adjiciuntur ad matutinas et ad vesperas etiam alii quatuor psalmi, et ad completorium duo. Hoc autem non est mihi compertum quare ista diversitas a majoribus nostris sit inventa. Nam cum quatuor psalmi a nocturnis incipiendi post quamlibet horam, excepto completorio, pro familiaribus dicantur, ad matutinum et ad vesperas dicuntur inter preces ante novissimum versiculum, priusquam se fratres levaverint de formis, et collecta dicatur. Et horum psalmorum quia semel memini, ut non differam quoque eos nominatim designare, primo nocturnorum, ut ita dicam, pedissequus est primus de septem pœnitentialibus psalmis, et ita cæteri pro ordine suo divisi, singuli singulis horis applicantur, præter ad tertiam quinquagesimus, alias adeo frequentatus, quinquagesimo sexto mutatur. In secundo loco apponitur psalmus 19, 85, 22, 12, 66, 78, 83, sic autem geminis præmissis. In tertio loco psalmus 69 post omnes horas semper concurrit, et pro fidelibus defunctis 141, quem adhuc post primam 50 subjunctus antecedit pro abbatibus nostris defunctis. Ad completorium inter preces, ut præmissum est, 50 sequitur iterum 69, 12, 120. Sed ut ad hoc redeam paululum intermisi, et precum quoque primæ completorii meminerim, A præmissa oratione Dominica et Symbolo apostolico, ad primam sunt preces 31 versiculorum, et confessio suo in loco est interponenda. Ad completorium autem septemdecim. In privatis diebus Adventus Domini et Quadragesimæ, ad matutinas, et ad vesperas, usque ad viginti versiculos pertingunt. Verum ea precum diversitas, et si quæ sunt alia hujusmodi, possunt tibi, si placeret, in una chartula singulariter adnotari, ut non opus sit modo his longius immorari. Non autem recolo si quid amplius inseratur ad quamlibet horam regularem in ullo privato die, et qui non aliquo modo appendeat ad aliquam solemnitatem.

CAPUT III.

De psalmodia quæ solet dici præter horas regulares.

B *Interrogatio.* Peto ut digeras quidquid psalmodiæ in conventu dicatis præter regulares horas.

Responsio. Hæc nimirum prolixior et multiplicior est in Quadragesima quam in alio tempore; et hoc quod nunc dicturus sum, dicam maxime secundum hunc ordinem qui tenetur in ipsa Quadregesima. In cujus omnibus privatis noctibus nocturnos cum ea psalmodia prævenimus de psalmo 119 usque ad finem Psalterii. Post quatuor psalmos, qui nocturnos, ut superius dictum est, rite sequuntur, gerenda est processio ad ecclesiam Sanctæ Mariæ. De qua inter procedendum psalmi duo cantantur, id est 84 et 86, una sequente antiphona et collecta. Aguntur matutinæ de Omnibus Sanctis. Item matutinæ pro fidelibus defunctis. Consideretur ab omnibus ut decantetur psalmodia illa *Deus, auribus* C *nostris*; ad quam pendet psalmus 78, 93. Cantica quindecim graduum et post Dominicam Orationem, et ante collectas secuturas, psalmus 89, et pro fidelibus defunctis, 22. Si cujus fratris nuper defuncti tricesimus agitur, pro illo psalmi dicuntur, 5, 6, 114, 115, 129, 141, 142. Invenitur autem in regula quod sanctus Benedictus præcipit ut in Quadragesimali quid addatur ad pensum solitæ servitutis; quod nec dissimulatur a nobis. Ad matutinas et vesperas post suffragia sanctorum, ad horas autem reliquas post quatuor psalmos horarum, ut ita dicam, appendicios, toto corpore prosternimur, ut duos psalmos dicamus, primum de septem pœnitentialibus psalmis, alterum de canticis quindecim graduum. Verum ad vesperas qua- D tuor continuatim dicuntur, quia non est consuetudo, ut post completorium ullus unquam psal. in aperto dicatur, nisi qui psalmos noverit, dum pueri faciunt orationem sub silentio, et dicit psalmos 12, 42, 66, 126, 129. Textus fidei, scilicet *Quicunque* a S. Athanasio conscriptus (cujus nonnullæ ecclesiæ nec meminerunt, nisi in sola Dominica), nullo die obmittitur, ut non dicatur a nobis; sed in privatis diebus simul cum aliis psalmis, in Dominica post preces. Post primam, præter psalmos quorum jam supra memini, sequuntur adhuc etiam septem psalmi pœnitentiales. Post letaniam, quæ in eodem momento est dicenda, et ante collectas

secuturas, psalmi quatuor interseruntur, id est 69, 120, 122 et pro fidelibus defunctis 42. Post capitulum pro defunctis, quorum anniversarius in ipso capitulo est recitatus idem psalmi dicuntur, qui et pro triginta (1) cujuscunque defuncti sunt dicendi, excepto 141, qui ea vice de medio aufertur. Post vesperas regulares, et post psalmos qui dicuntur a prostratis, agitur iterum processio ad ecclesiam Sanctæ Mariæ cum ipsius quoque cantico. Ut sicut matutini, aguntur etiam vesperæ de Omnibus Sanctis, et pro fidelibus defunctis. Post cœnam cum psalmo 50, in ecclesiam reditur, sicut etiam post prandium semper; servitoribus autem exspectatis usque dum et ipsi surexerint a mensa, agitur officium, vel quod a nostratibus vigilia vulgo appellatur, quod aliquando, cum tanti defuncti non haberentur, fieri solebat cum tantum lectionibus tribus et responsoriis, nisi alicujus fratris anniversario superveniente. Nunc autem cum nulla sit dies qui vel multis careat defunctis, ipsum quoque officium nunquam agitur modo, nisi cum novem lectionibus, et responsoriis et collectis, quæ ipsum officium sequuntur; duo psalmi antecedunt scilicet 119, 3, sicut etiam ad vesperas 145, 123. Ad matutinas, *De profundis*, et *Usquequo*. Ergo, quantum recolo, psalmodiæ non est amplius quam in usu habeamus.

CAPUT IV.

De eo quibus ex causis et quomodo per vices psalmodia minuatur.

Cæterum de ejus summa decedit, nunc pro eo quod Quadragesima est transacta, nunc in æstate pro noctium brevitate, nunc pro diebus paschalibus et octavis, nunc pro eo quod duodecim fiunt lectiones. Primo namque illi duo psalmi, qui a prostratis dicuntur, nunquam dicuntur nisi in Quadragesima; a Cœna quoque Domini usque ad Kalendas Novembris, vel quoties in ipsa hieme ullæ celebrantur octavæ : ante nocturnos non dicuntur nisi sola cantica quindecim graduum. Item non solum in duodecim lectionibus, sed etiam in omnibus octavis diebusque paschalibus horas singulas non sequuntur, nisi hi duo psalmi 69 et 141. In ipsa autem Quadragesima, si qua evenerit festivitas duodecim lectionibus agenda, remaneat ipsa psalmodia quæ in diebus prædictis, et insuper officium pro defunctis; pro quibus tamen et vesperæ et in nocte matutinæ lectiones dicuntur. Illa quoque psalmodia, *Deus, auribus*, non omittitur, nec post primam septem pœnitentiales psalmi simul cum letania; et tamen propter Quadragesimam ipsi psalmi qui remanserunt, post capitulum supplentur, et pro eis a capite Psalterii, *Gloria Patri* post tertiam interposito, triginta psalmi cantantur. Post tertiam vero, cum statim missa de ipsa festivitate sequatur, ad sextam, et de cætero ad reliquas horas, potemus veniam, totamque psalmodiam sicut in alio quolibet die privato et quadragesimali repetimus; quanquam ad horas non alias antiphonas, versus, et collectas, quam de ipsa festivitate dicamus. Remanet quoque rursus officium, pro quo quod pene oblitus sum, post singulas horas psalmi 119, 69 et 141, medius est incertus. Nam Majores nostri, eo tempore quo in nocte non gerebatur officium sicut geritur in hieme, ipsum officium in diebus Dominicis, et in aliis quibus duodecim lectiones fiebant, non omiserunt agere post Cœnam; ne pro una die solemni duo officia remanerent. Quod cernens sanctus Majolus aliquando fratribus esse maxime in tali die onerosum,, pro ipso officio constituit ut post singulas horas duo psalmi dicerentur 119 et 141. Sed ut de psalmodia hic quod proposui tandem concludam; in diebus dominicis, et in aliis extra Quadragesimam festivitatibus duodecim lectionum agendis, de tanta psalmorum diversitate nihil est amplius quod dicatur, præter quindecim cantica, graduum, matutinæ laudes, et vesperæ de Omnibus Sanctis, illi psalmi pro tricenario et anniversario fratrum post quamlibet horam duo psalmi; et si tertius apponitur eadem de causa, quæ præmissa est, tantum in æstate : nam a Kalendis Novembris usque ad Septuagesimam rite oficium defunctorum non agitur nisi in nocte, et illa nox sola, quæ ad Dominicam pertinet, officio caret.

CAPUT V.

De collectis et versiculis quæ psalmodiam sequuntur et quantitate letaniæ.

Interrogatio. Igitur libens audio, ut supra psalmodiam, ita nunc quoque per ordinem innotueris et collectas, et versiculos collectas prævenientes, sine quibus tanta psalmodia et in tot membra divisa non finitur. Addideris quoque de letania quæ primam sequitur, cujus sit quantitatis et prolixitatis.

Responsio. Ut morem tibi geram, et secundum eumdem ordinem quem huc usque tenui; primo ante nocturnos dicuntur sola quindecim cantica graduum; dicuntur prima quinque pro fratribus nostris et omnibus fidelibus defunctis; alia quinque pro nobismetipsis; novissima pro regibus et omnibus nostris familiaribus adhuc viventibus. Ad singulas autem incisiones, oratione Dominica præmissa, sequitur ad primam versus et collecta. *A porta inferi*, etc. *Absolve, Domine, animas famulorum tuorum fratrum nostrum*, etc. Ad secundam versus, *Memento nostri, Domine, in beneplacita populi tui*; et, *Memor esto*, etc, Collecta, *Deus, cui proprium*. Ad tertiam versus, *Domine, salvos fac reges*; *salvos fac servos et ancillas*. Collecta, *Prætende, Domine*, etc. At si protenditur usque ad finem psalterii, sola incisionum loca mutantur, non collectæ, et tunc prima pervenit ad psal. 129, secunda ad 139. Ad quatuor psalmos qui quamlibet horam sequuntur, dicuntur semper hi versiculi : *Domine*,

(1) *Pro triginta.* Dicere voluit *pro tricesimo* a morte.

A *salvos fac reges; salvos fac servos et ancillas tuas, Fiat pax in virtute tua. A porta inferi;* et una de istis collectis: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis et famulabus tuis*: et, *Dirige, quæsumus, Domine, famulos tuos et famulas; Largire, quæsumus, Domine, famulis et famulabus tuis; Prætende, Domine.* Quarum singulis adhuc subjungitur: *Et pacem tuam nostris concede temporibus*; et, *Animæ famulorum tuorum requiescant in pace.* Quod tamen ad solam primam, quia tunc quinquagesimus psalmus pro nostris cantatur abbatibus; pro ipsis quoque solet ita mutari: *Annue nobis quæsumus, Domine*, etc. De quatuor autem psalmis qui quamlibet horam sequuntur, quoties duo priores subtrahuntur, ut in omni Dominica, in festo 12 lectionum, in omnibus octavis, et a Natali Domini B usque ad Epiphaniam, et in tempore Paschali, subtrahitur quoque de præmissis versiculis unus, id est, *Domine, salvos fac reges.* De S. Maria vers, et collecta, *Post partum. Gratiam tuam. Deus, qui de B. Mariæ*, etc. Si qua magis placet, quæ tamen in usu sit, nemo reprehendit. In Adventu Domini est alius versus, id est, *Benedicta tu in*, etc. Ad. mat. laudes de omnibus sanctis, nec capitulum nec collecta unquam mutatur, sicut etiam ad vesperas; capitulum est, *Scimus quoniam diligentibus Deum*, etc. Collecta, *Fac nos, quæsumus, Domine, beatæ Mariæ*, etc. Ad matut. laudes de omnibus sanctis, post Dominicam orationem versiculi: *Post partum. In conspectu ang. Nimis honorif. Exsultabunt sancti. Sacerdotes tui induant. Adducentur Regi virg. Exsurge, Domine, adjuva.* C

Ad defunctorum matut. dicuntur hæ collectæ: *Deus cui proprium. Præsta, Domine quæsumus, ut anima. Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam. Deus, veniæ largitor. Deus, cujus miseratione, Quæsumus, Domine, perpetua pietate. Fidelium, Deus, omnium.* Prima est pro fratribus nuper defunctis, pro quibus septem officia in conventu generaliter sunt agenda; secunda pro anniversario in capitulo, recitatorum: tertia pro cunctis familiaribus nostris defunctis; quarta pro defunctis fratribus; quinta pro omnibus in loco nostro sepultis; sexta pro nostris sororibus et aliis feminis familiaribus nostris; septima pro omnibus fidelibus defunctis. In æstate, et eo tempore quo officium non agitur in nocte, quoties duodecim fiunt lectiones de his, defuncto- D rum matut, laudes quæ proxime sequuntur, aufertur prima et secunda collecta, quia et ipsæ mat. laudes officio non præventi, nec pro anniversario cujusque, nec pro nuper defunctis deputantur, sed maxime pro familiaribus nostris, pro quibus et prima dicenda est collecta. Anniversarius autem in sequentem diem usque dum bene fuerit opportunum dilatus, tunc rite celebratur. Ad psalmodiam, *Deus, auribus nostris*; versus, *Ostende nobis misericordiam. Esto nobis turris fortitudinis. Memor esto congregationis. Domine salvos fac reges. Salvos fac servos. Fiat pax in virtute. A porta inferi.* Collectæ, *Deus, a quo sancta desideria. Omnipotens sempiterne Deus, Prætende, Domine. Absolve, Domine, animas. Omnipotens Deus, qui vivorum.* Ad psalmos pro tricenario dicitur collecta. *Absolve.*

Post matutinas regulares agimus quorumdam commemorationem sanctorum cum antiphonis versibus et collectis, quia nobis est familiare ut appellemus suffragia angelorum, sanctorum, et primo quidem sanctæ crucis, sanctorum angelorum, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri et Pauli, aliorum apostolorum, sanctorum martyrum, sancti Martini, sancti Benedicti, sanctorum simul Patrum Oddonis, Majori atque Odilonis, et novissime confessorum. Duos psalmos, qui a prostratis dicuntur, sequuntur isti versiculi, *Domine, ne memineris. Adjuva nos, Deus. Domine non secundum. Ostende nobis. Et veniat super.* Postea collecta brevis, quæ est *Vox nostra te, Domine*, etc. Cujusmodique similes in collectaneo plures habentur; et semper in fine additur *Et ad beneficia recolenda*, etc. Ad singulas horas, præter ad matutinas laudes et ad vesperas, sicut nihil est medium inter illos quatuor psalmos, quos supra memoravi horarum appendicios, et inter istos duos psalmos; sic etiam et versus et collectæ amborum simul conjunguntur, et ad vesperas hi de canticis sunt priores, sicut et in ipso libro psalmorum.

Letania ita inchoatur: *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Christe, audi nos*, etc. Ita deinceps nominantur de sanctis plus minus septuaginta tres. Sequentes versus ad ipsam divinam pronuntiationem destinandi sunt quadraginta tres. Qui autem post Dominicam orationem, et post alios psalmos antecedunt collectas, sunt hujusmodi: *Et veniat.* Et de cætero iidem qui dicuntur ad psalmodiam, *Deus auribus*, nisi hic solus, *Oremus pro fidelibus defunctis.* Collectæ, *Deus, cui proprium. Omnipotens sempiterne. Deus qui facis. Prætende, Domine, famul. Deus a quo sancta desideria.* A Pascha usque ad festivitatem sancti Michaelis contra tempestatem psal. *Benedixisti. A domo tua. Absolve, Domine. Deus, qui es sanctorum splendor mirabilis.* Aliquando et aliæ, si videtur, et si opus fuerit pro tali causa, adduntur. Ad psalmos anniversales post capit. Collecta est pro defunctis fratribus, *Præsta, Domine, quæsumus ut animæ*, etc. Pro familiaribus, *Absolve, Domine.* Hinc quoque si aliquando in Quadragesima propter aliquam festivitatem triginta psalmi dicuntur, hos sequuntur isti versiculi et collectæ: *Ostende nobis, Domine. Fiat misericordia tua. Salvos fac servos. Mitte eis, Domine, auxilium.* Pro fidelibus defunctis, *Requiem æternam. Deus, cui proprium. Prætende, Domine. Absolve, Domine. Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum.* Ad vesp. de omnibus sanctis, cap. *Sancti per fidem.* Collecta *Omnipotens Deus, nos famul.* Ad vesp. pro defunctis dicendæ sunt collectæ eædem quæ ad mat. sicut etiam ad officium; ita tamen ut si forte officium secuturum plures habuerit collectas quam

matut, quæ præcesserunt propter causas superius relatas, habeantur quoque ad vesp. Et de officio hoc est sciendum quod si brevis pro aliquo defuncto ita venerit, ut pro eo fiat ante nonam, tres tantum collectæ sunt dicendæ. Prima quæ alias solet dici pro familiaribus; secunda pro fratribus nostræ congregationis; tertia pro omnibus fidelibus defunctis. Et propter hoc consuetum officium non omittatur, si tempus et dies est hujusmodi, ut rite post vesperas agatur. Verum quod primum est pro quolibet nuper defuncto, quacunque hora agitur prædicta collecta, primo quoque loco non mutatur, et tunc non est pro familiaribus dicenda. Item, si talis anniversarius evenerit pro quo sunt pulsanda omnia signa, habebit primum locum ea de anniversario collecta. Aut si anniversarius est talis feminæ, dicenda primo et pluraliter ea collecta quæ est pro feminis. At si unum officium est utrumque primum pro aliquo nuper defuncto, et pro aliquo tali anniversario, præponenda est semper illa pro nuper defuncto, cui et amplius non contigit ut quisque ejus pro hujusmodi meminisset. Quod ipsum quoque observandum est in appendentibus et vesperis et matut. In festivitatibus Quadragesimæ vesperæ pro defunctis, qui tunc dicuntur, tam sunt præcipue pro familiaribus, quam et matut. laudes; ideo non aliæ collectæ, nec alio subjunguntur ordine quam ad matut. Ad psalmos, qui post completorium quoque sub silentio dicuntur, sunt hi versiculi et collectæ: *Quoniam tu illuminas*, etc. *Quoniam in te erip. Dominus, illuminatio. Dominus, protector vitæ Exsurge, Domine. Deus, qui illuminas noctem*, etc.

CAPUT VI.

De missarum solemniis; et 1° De majore missa privatis diebus.

Interrogatio. Quot missas acturi estis quotidie generaliter in conventu?

Responsio. Duas: primam de die, alteram, si est dies privatus, pro defunctis. De quo ut ultro inseram quod tu tamen quærere non libenter negligeres majorem missam in privatis diebus solet iterum letania prævenire, quæ tamen non est multum prolixa, tribus tantum sanctis de singulis ordinibus nominandis. Prima collecta præmissa, hæ rite sequuntur: *De cujus dextera beatum Petrum, Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut inter sanctæ. Quæsumus, omnipotens Deus, ut famuli. Omnipotens sempiterne. Deus qui fac. Deus a quo. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famul.* Ab oct. Paschæ usque ad festum S. Michaelis: *A domo tua quæsumus.* Quorum cum quædam satis sint nota propter quid dicantur, de quibusdam tamen dubitari potest. Quarta est pro regibus aliisque principibus; quinta pro episcopis et abbatibus nostris; sexta pro familiaribus nostris; septima pro regibus Hispaniarum per vices, et aliæ collectæ. Si est causa pro qua opus fuerit, adjiciuntur, ut, verbi gratia, pro iter agentibus, pro infirmis, vel pro qualibet alia tribulatione superveniente. Cantus autem totus simpli-

A citer et eodem modo quo in aliis Ecclesiis cantatur. Solus introitus, sicut et alias moris est, secundo post *Gloria Patri*, ter repetendus. De versibus offerendis nihil aliud referre novi, nisi præcentor secundum quod sibi videtur imponit, nunc unum, nunc omnes, maxime propter offerentes. Nam per tres dies septimanæ quotquot sunt de sinistro choro ab his offertur, pax datur et accipitur; et quibus visum fuerit ab his corpus Domini sumitur, propter quod etiam tres hostiæ consecrantur; per alios tres a dextro eadem vicissitudine et pacem accipiunt, et communicant, si qui volunt.

CAPUT VII.

Pro quibus dicuntur collectæ in missa pro defunctis.

B Ad missam pro defunctis, tam de primo choro quam de altero, solent omnes offerre. Hujus collectæ nunc plures, nunc potiores; numerum tamen decimum non excedunt. Persæpe autem prima solet collectarum eadem quæ ad officicium est prima; et ejus secunda, hic etiam secunda pro anniversariis; tertia pro pontificibus; id est *Deus, qui inter apost.*; quarta pro familiaribus nostris; quinta pro fratribus; sexta pro regibus Hispaniarum. *Omnipotens sempiterne Deus in cujus humana conditio*; septima pro regina Hispaniarum, et pro sororibus et aliis feminis familiaribus; octava, *Inclina, Domine, aurem tuam*, parentibus et consanguineis nostris; nona pro omnibus qui in loco nostro sunt sepulti; decima pro omnibus fidelibus defunctis; novissima pro vivis C et defunctis, id est, *Sanctorum tuorum.* Cæteræ in alio loco jam sunt prænotatæ pro quibus dicantur. Sed sicut ordo collectarum aliquando mutatur ad officium, ita per vices etiam mutatur hic vel propter aliquem nuper defunctum, vel propter aliquem anniversarium; post duodecim quoque lectiones, sicut semper matutinæ defunctorum familiaribus nostris sunt deputatæ, ita missa defunctorum deputata est pontificibus Romanis, et propterea tunc prima collecta pro eis dicenda, et duæ de medio auferuntur quæ et matut. familiaribus nostris deputatæ, sunt auferendæ. Sequentes autem tenent ordinem supra memoratum; sed earum, quas dixi post duodecim lectiones auferendas, ut adhuc meminerim, tanta est multitudo illorum qui omnes professi sunt con- D gregationis nostræ ut rarissime his defunctis careamus, pro quibus septem officia simul cum septem missis sunt agenda; et propterea non est alia quæ tam frequenter prima dicatur quam ea quæ pro hujusmodi est constituta, id est, *Deus cui prop.* At si evenerit talis anniversarius pro quo pulsanda sunt omnia signa, præponenda est ea de anniversario collecta. Quod si missa prima celebranda est pro quolibet nuper defuncto, sive corpus defuncti præsens sit, sive non, dicenda est pro eo ea prima collecta quæ solet alias pro familiaribus dici, id est *Omnipotens sempiterne Deus cui nunquam*; et postea quam semel dicta fuerit, ea vice non est dicenda pro familiaribus secundo. At si evenerit simul et talis

anniversarius et prima missa pro fratre nuper defuncto, quod in alio loco de officio jam dixi, hic etiam tenetur ut illa collecta pro nuper defuncto præponatur, et ea quæ est de anniversario sequatur. Et hoc notandum ut illa prima missa pro nuper defuncto nunquam dicatur, nisi prius officium sit præmissum. De cantu autem missæ defunctorum non est multum quod opus sit ut dicatur; quod tamen æstimaverim non tacendum. Quoties solito solemnius agitur sive pro recens defuncto, sive pro anniversario, primus puerorum cappa indutus tenet chorum, a duobus pueris albis indutis cantatur graduale, vel quod ab aliis responsorium appellatur, et ita ut, versu finito, graduale a principio repetatur. Aliquando talis anniversalis agitur tam celebris ut duo pueri rursus graduale cantaturi sericis induantur tunicis, et duo fratres cappis ad tractum cantandum, qui tamen satis raro cantatur.

CAPUT VIII.

De majore missa in diebus Dominicis.

In Dominicis diebus ad majorem missam introitus post versum dimidius solet recantari, post *Gloria Patri* totus. *Gloria in excelsis Deo* nunquam omittitur nisi in Adventu Domini, et a Septuagesima usque ad Pascha. Una tantum collecta est dicenda. Graduale a duobus albatis cantatur, ita ut versu finito a principio repetatur. Item alleluia a duobus. Versus offertorii omnes cantant. Tamen nisi unus offert, sed quinque simul hostias; ut qui voluerint possint communicare. Pacem accipiunt universi. Ipsæ autem hostiæ cum fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis quæ in pixide, et in aurea columba super altare pendente jugiter servantur; maxime propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, viaticum sit in promptu. Mutantur autem per manum diaconi in omni die Dominica ea de causa, ne longo situ aliquo modo fiant deteriores.

CAPUT IX.

Item de missa matutinali in diebus Dominicis.

Tunc ad missam quoque matutinalem in eisdem diebus veniamus; hæc nimirum non alia solet esse quam et major, scilicet de die. Post primam collecta secunda est de Trinitate. Postea hæ omnes quæ in privatis diebus ad majorem missam dicuntur, et novissime *Sanctorum tuorum*. Cantatur autem absque Symbolo apostolico, nisi aliquando eveniat, ut propter aliquam tribulationem plebs rusticana convocetur ad eamdem missam audiendam; tunc non omittitur. Si est in Quadragesima, absque tractu, si in paschali tempore cum uno tantum alleluia. Solus prior offert unam tantum hostiam. A diacono accipit pacem alicui foris chorum de popularibus dandam. Diaconus quoque ex more communicat.

CAPUT X.

De processione Dominicali.

Missa matutinali finita, confestim a sacerdote qui majorem missam cantabit, sal et aqua consecratur; nisi forte in aliis præcipuis festis; tunc alius quam qui missam cantabit stola præcinctus, facit consecrationem; qua consumpta aspergit primum cum aqua benedicta pavimentum in circuitu altaris majoris, et aliorum altarium quæ sunt in vicino, et postea fratres. Uno converso cum cruce sinistro ejus lateri jugiter adhærente, et altero consecratam aquam præferente perlustrat claustri officinas, in singulis unam collectam benedictionalem dicendo. Primum domum infirmorum; 2, dormitorium; 3, refectorium; 4, coquinam regularem; 5, cellarium. Conventus eum exspectando facit primam stationem in ecclesia Sanctæ Mariæ, ubi et una collecta de ipsa tonali est pronuntiatione dicenda; secunda ante dormitorium; tertia ante refectorium; quarta simul cum ipso in vestibulo ecclesiæ; quinta a pascha usque ad Pentecosten ad sanctam crucem, ubi rursus mos est ut de illa una collecta dicatur. Singulas collectas hic nominare non vacat, quia satis sunt notæ, nisi de duabus, nescio si apud Teutonicos ita sunt in usu; una quæ ante portam ecclesiæ dicenda est inter cantandum, id est, *Domine Jesu Christe;* altera quæ in choro, *Via sanctorum omnium.*

CAPUT XI.

De diversitate solemnitatum.

Interrogatio. In aliis festis, si processionem non facitis, nunquid tamen alia omnia tenetis et observatis, quæ in diebus Dominicis sunt observanda, aut est quidquam quod addere soleatis?

Resp. Alia sunt plura in quibus nihil agitur amplius quam in qualibet Dominica die; et alia sunt in quibus hoc superadditur quod invitatorium cantaturi albis induantur, et quod sacerdos, lecto post nocturnos Evangelio, cum alba redit in chorum, ut albatus ad canticum Evangelii altare incenset, ut in Depositione S. Hilarii, in Octavis Epiphaniæ, in Festo S. Agnetis, S. Agathæ, S. Matthiæ, in Depositione S. Gregorii, S. Benedicti, in Annuntiatione S. Mariæ, in Octava Ascensionis Domini, in Depositione S. Confortiæ virginis, in Octava S. Joannis Baptistæ; in Translatione S. Martini, in Octava Translationis S. Benedicti, in Depositione S. Brictii, in Octava S. Martini, in Depositione S. Clementis, in Octava S. Andreæ; in Nativitate S. Luciæ, in Depositione S. Silvestri; et hoc ipsum fieri solet in quinque Dominicis diebus, id est in prima Dominica Adventus; in Septuagesima, Quadragesima, et Ramis palmarum.

Sunt alia quæ in hoc præcellunt quod formæ in choro tapetibus cooperiuntur, quod ad vesperas et matutinas ante altare cerei quinque accenduntur, cum alias, nisi tres quod sacerdos altaria incensat in cappa, quod ad easdem horas duo pueri responsoria decantant, et *Benedicamus* pronuntiant, quod ad nocturn. duo lectores et non plures, responsoria quartum, 8 et 12 cantant, quod ipsum respons. duodecim recantant, quod ad majorem missam om-

nes qui cantare sciunt sunt in albis, quod post alleluia quædam melodia neumatum cantatur, quod sequentiam quidam appellant, ut in Depositione S. Mauri, in Nativitate S. Vincentii, in Conversione S. Pauli, in Natali apostolorum Philipi et Jacobi; in Inventione et Exaltatione S. Crucis; in Depositione S. Martialis, in Exceptione reliquiarum S. Gregorii, in Natali S. Jacobi, in Depositione S. Germani, in Inventione S. Stephani, in Octava Assumptionis S. Mariæ, in Nativitate S. Bartolomæi, in Nativitate sanctorum Juliani et Hermetis, in Decollatione S. Joannis Baptistæ, in Nativitate S. Marcelli martyris; in Exceptione S. Marcelli papæ, in Nativitate S. Ægidii, in Nativitate S. Mauricii, in Nativitate S. Dionysii, in Depositione S. Lucæ; in Nativitate S. Aquilini, in Nativitate apostolorum Simonis et Judæ, in Nativitate S. Quintini martyris; in Depositione S. Odonis abbatis; in Nativitate S. Thomæ apostoli. Inter quas tamen festivitates, Inventio et Exaltatio sanctæ Crucis hanc habent prærogativam ut ad majorem missam cappis omnes induantur. Item quædam sunt in hoc superiores, quod in choro duo dorsalia (2), et sex in presbyterio suspenduntur; quod hi duo qui invitatorium sunt cantaturi tam cappis induantur quam omnes ad majorem missam; quod ad vesperas et matutinas super canticum Evangelii in tria membra divisa ter cantatur; primo ante ultimum versum (2*), tertio post *Gloria Patri* simul ab omnibus: quod melodia solemniore quam in aliis diebus cantatur hymnus tertiæ et duarum sequentium horarum, et prima solemniore quam etiam in Dominica; quod Missa majore finita omnia signa pulsantur, ut in Nativitate S. Joannis Evangelistæ et Innocentium, in Circumcisione Domini, in Depositione S. Odilonis, in Nat. S. Marcelli papæ, in Nat. S. Fortunati, in Cathedra S. Petri, si evenerit extra Quadragesimam, in illis tribus diebus Paschæ et Pentecostes, in Dep. S. Majoli, in commemoratione S. Pauli, in Octava SS. apostolorum Petri et Pauli, in Translatione S. Benedicti, in Nat. S. Laurentii, in Nat. S. Mariæ, in Nat. S. Matth. in festivitate S. Michaelis, in Nat. S. Andreæ. Ubi tamen notandum quod matutini excipiuntur in illis tribus Paschæ et Pentecostes; et quod Antiphonæ non recantantur, ut etiam nec in Nat. S. Marcelli papæ et S. Matthæi.

Item sunt quæ in hoc supereminent, quod invitatorium quatuor cantant, quod singula responsoria cantant duo vel plures; quod ad vesperas et matut. non pueri, sed majores cantant responsoria, quod duo thuribulis incensant, quod ad matutinalem et majorem missam non nisi una collecta est dicenda, quod septem cerei ante altare accenduntur, quod in choro quatuor pallia et in presbyterio octo suspenduntur, ut in Nat. S. Stephani, in Epiphania, in Hypapante Domini, in ejus Ascensione, in Nativit. S. Joannis Bapt. Hoc autem de prima collecta ad matutinalem missam habent et illi tres dies post primum non solum Paschæ et Pentecostes, sed etiam Natalis Domini. Item sunt aliæ in quibus hoc apponitur; quod tota ecclesia a fine usque ad finem dorsalibus adornatur, et coronæ accenduntur; quod inter nocturnos altare principale ter incensatur ad tertiam lectionem, ad septimam, et ad undecimam, et thuribulum ab ipso sacerdote qui incensavit cappa induto portatur generaliter ad fratres, et in choro et extra chorum, ut ad Vincula S. Petri, in festivitate Omnium Sanctorum, in Depos. S. Martini, in Dedicatione Ecclesiæ, si evenerit extra Quadragesimam. Solæ quinque principales festivitates ad superlativum gradum quodammodo pertingunt, id est, Nat. SS. Petri et Pauli, Assumptio S. Mariæ, cum tribus festis Dominicis, quæ hoc habent singulare quod ad nocturnos vice scillæ pulsantur omnia signa, et postea non singula, sed duo simul, sicut etiam ad vesp.; quod illud triangulare ante factam crucem dependens accenditur, quod illi quoque maximi cerei tres post altare principale, et septem ad sanctam crucem accensi de vesperis, usque ad vesperas, imo usque ad completorium ita perdurant; quod ad noctur. tria diversi coloris pallia super altare principale mittuntur singulatim auferenda; primo ad finem Responsorii; item octavi, et post Cantica; quod processio per claustrum tam solemnis agitur ut non solum cruces, sed etiam textus Evangelii, candelabra, et cætera quæque mobilia ornamenta portentur. In Octavis Pentecostes; commemoratio S. Trinitatis, et Annuntiatio S. Mariæ, si contigerit extra Quadragesimam celebranda, hoc solum minus habent quod ad nocturnos tria pallia non ita mittuntur super altare, et processio eo apparatu non agitur. Prosa, vel quod alii sequentiam vocant, non cantatur nisi in quinque festis principalibus, in Epiphania, in Ascensione Domini, in Translatione S. Benedicti. et in Nat. S. Mauricii. Hoc quoque sciendum de ipsis festivitatibus quia, si duæ continuatim celebrantur, et præcedens majoris est reverentiæ, de præcedente quoque secundæ vesperæ dicuntur ex toto, et de sequente nonnisi antiphona et collecta. Quæcunque autem festivitas in Quadragesima celebratur, nihil ei amplius ullo modo defertur quam uni diei Dominicæ; ex his quinque, quarum supra memini, exceptis.

CAPUT XII.

De Cœna Domini.

Interrog. Meministi aliquantulum utrorumque dierum et privatorum et solemnium, scilicet in quo sint dissimiles, et quibusdam ex ipsis solemnibus solemniores, sed nondum specialiter dixisti de aliquo anni tempore, vel die, qui ab eo proprium ac singulare habeatur; et propterea si volueris, ut pollicitus es, pro voluntate nostra agere quod loquor, incipe ab aliquo die ut singulorum dierum vel temporum

(2) *Dorsalia*: dorsale, inquit Acherius pallium est sive aulæum et tapetum quod in dorso ponitur, sive parietibus appenditur.

(2*) Hic aliquid deesse videtur.

suis proprietatibus quamdam præscribas definitionem, et sicut superius fecisti de utroque Testamento quo modo legendum esset referendo, ita nunc quoque fac iterato quemdam circulum anni.

Responsio. Crede mihi, Pater, iste circuitus, quem modo quæris, non est ita levis, multumque diffido meis viribus ut, si incipiam ita ut sit proficuum, a me perfici non possit. Tamen in Christi nomine, et pro amore tam chari petitoris, quantum possim non omittam experiri; sed, priusquam hoc ipsum quod habeo virium deficiat, expedit ut difficilior locus ad incipiendum eligatur, quia per planiora curritur aliquando etiam a lasso. In toto autem anni tempore, non est ullius diei obsequium tam multiplex et tam prolixum ut in Cœna Domini; idcirco hæc sit meta, prout postulas, et a qua incipiatur et ad quam recurratur. Igitur in illis tribus noctibus æqualiter quæ Dominicam Resurrectionem præcedunt, quomodo ante noct. ordinentur quindecim candelæ, ut singulæ ante singulos psalmos exstinguantur, vacat ut referatur, quia illa consuetudo satis nota est, et per Ecclesias omnes, quæ in istis sunt partibus, generalis. Cantica quindecim graduum sub silentio dicuntur; nec tamen omittitur per singulas incisiones super formas procumbi. In prima nocte pulsantur ad nocturnos omnia signa, in qua et in duabus sequentibus ipsi nocturni geruntur a nobis eodem modo quo a canonicis, psalmis, lectionibus, et responsoriis ad novennarium pertingentibus. Primæ tres lectiones de Lamentationibus Jeremiæ fiunt, in quibus tamen non ita canonicos imitamur ut eas non tam legere quam cantare videamur, sicut illi per multa loca solent, illaque alphabeta omnino tacemus; tres sequentes de tractatu S. Augustini super psalmum sexagesimum secundum, tres novissimæ de Apostolo quæ in prima nocte incipiunt ab eo loco Epistolæ ad Corinthios : *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesia, audio scissuras esse.* In secunda nocte ab eo loco Epistolæ ad Hebræos : *Festinemus ingredi in illam;* in tertia nocte ab eo loco ejusdem epistolæ; *Christus assistens Pontifex.* De hoc quoque non est opus verbum facere, quod non minus est scitum, et nocturnos, et omnes horas absque versu, *Deus in adjut.* cum venia tamen inchoari, et ab antiphonis quarum etiam nulla cum definitione toni finitur; lectiones quoque solito more nec incipi nec finiri; verum ad matutinas laudes cum venitur ad *Laudate Dominum de cœlis*, quisque juvenis stabit juxta custodem suum; in medio quoque duorum puerorum stabit unus magister eorum, qui ambos per manicas tenebit usque dum matutinæ finitæ sint. Post cantica Evangelii cum antiphona quæcunque fuerit cantata, procumbunt super formas. A singulis preces dicuntur sub silentio, *Ego dixi*, cum psalmo *Miserere*, et collecta *Deus a quo Judas*, etc., signo facto per sonitum a domino abbate consurgunt, et laternis cum lumine aportatis per magistros puerorum, eunt in dormitorium.

Aurora bene apparente, ut alio lumine non indi-
A geatur, scilla sonatur; levant se de lectis suis, festinant ad ecclesiam. Facta oratione, prima inchoatur ab hymno, sicut et tres horæ sequentes, cujus ultimus versus, qui est de sancta Trinitate, remanebit. Psalmi consueti cum antiphonis et tono cantantur. Inter preces, cum venitur ad locum confessionis, dat signum dominus abbas cum sonitu, ut dicatur, omissis psalmis familiaribus; cum post preces surrexerint, decantant septem psalmos sine *Gloria*, letania consequente cum omnibus appendiciis suis. Qua finita, non mutant quod in privatis diebus per totam Quadragesimam observare solebant, ut non se calcient antequam signum audiant, et tribus orationibus tertiam præveniant; hoc autem mutatur quod ipsam tertiam eo die non statim se-
B quatur missa matutinalis. Prius quoque quam ab ecclesia exierint, nova calceamenta super perticas suspensa a famulis camerarii in capitulum apportantur, et super quatuor palos terræ infixos ipsæ perticæ mittuntur. Ubi præter diei et lunæ pronuntiationem, et sententiam regulæ, quæ ex more ibi legitur, quidquid aliud et a sacerdote et a conventu dicitur sub silentio, et illis tribus diebus nihil aliud legitur in capitulo nisi de regula tantum.

Ut autem prosequar quod incœpi de calceamentis, exposita regulæ sententia, jubente domno abbate consurgit camerarius, et suffraganeus ejus et per eos ipsa calceamenta erogantur, quibus singulis singulorum quoque nomina fratrum sunt adscripta. Accipientes nova, reddunt vetera bene lota (si ta-
C men plus quam unum par habuerint de diurnalibus) ut pauperibus tribuantur. Pronuntiatur quanti fratres sint in claustro, ut tanti quoque pauperes ad mandatum admittantur; et insuper quantum visum fuerit pro amicis nostris domno abbati. Ipsis autem pauperibus continuo a sacerdote, qui missam matutinalem cantaturus esset, cantatur ad altare Sanctæ Crucis, et singulis singulæ dantur oblatæ; et quia temerarium esset ut ita indiscrete communicare permitterentur, quorum conscientia nescitur : qui tamen pauperes prius a decano villæ electi sunt, nec tales sint aliquo modo qui claustrum non debuerint intrare. In hospitali autem reficiendis bina dantur edulia fabarum et milii; a famulis eleemosynæ cum aqua calida prælavantur pedes eorum. Antiqua consuetudo erat satis probabilis ut in isto die, et in
D præcedenti, et in sequenti, etiam per totum annum, quoties tale aliquid debuerit fieri, quasi novum pro qualitate temporis, hoc in capitulo ab uno puero ediceretur, qui si quid mendosum proferret, non esset talis persona cui contradici non auderetur. Nunc autam nescio propter quid hoc est mutatum, et si domnus abbas non adest, nec prior, talis multum inde peritus præcentori, vel alii fratri alicui, potius quam puero imperat hoc munus. Post capitulum psalmi pro anniversario fratrum eo die cantantur in aperto, quanquam in duobus sequentibus sub silentio, tabula percussa fratres loquuntur in claustro, et post sextam iterato. Post nonam statim sacerdote alba induto,

et cæteris ad majorem missam servituris, faciunt processionem ad novum ignem consecrandum, cantantes psalmum quinquagesimum. Ante processionem portatur crux, aqua benedicta et thuribulum, tamen sine igne, ut novus ignis, postquam consecratus fuerit, aspergatur et incensetur ad benedicendum. Oratio, *Domine Deus, Pater omnipotens*. Per mediam autem ecclesiam revertuntur in chorum cantando psalmos LIII, LVI, LXXIX. Ipso die rite lumen in pertica portatur a custode ecclesiæ, in Parasceve a priore in Sabbato sancto a domno abbate vel a sacerdote; lapis pretiosus berillus de quo ignis est producendus, sub custodia apocrisiarii servatur. Quem tantum præcentori adhibet, ut ab eo ignis proferatur; eumdemque ipso die, in processione idem major ecclesiæ custos bajulat.

Sed ut ad istum de quo agitur redeam, cum venerint in chorum, complicantur formæ, sicut est consuetudo in his diebus in quibus venia non est petenda. Pulsatis omnibus signis cantatur missa festive tamen absque *Gloria in excelsis*, et post versum *Gloria Patri* introitus non dicitur. Diaconus dalmatica induitur, subdiaconus tunica, cappis qui gradualem cantaverint. Omnes accipiunt pacem, omnesque communicant; et per illos quatuor dies communicare non quisquam fratrum omiserit, etiamsi aliud tale quid ei contigerit dormiendo. Finita missa tabula percutitur pro signo ad orationem vesperarum, quam formis iterum explicatis faciunt procumbendo. Interea vero reconditur Dominicum corpus a sacerdote retro altare. Ponitur in patena aurea, et patena inter scutellas aureas, et adhuc scutellæ inter tabulas argenteas, quæ factæ sunt ad textum evangelii. Eo autem quo ab altari portatur cum cereis, et cum plurimo incenso, postquam se exuerint qui ad missam servierunt, domnum abbatem præcedentem omnes sequuntur (sedet enim interim in choro) et eunt in refectorium ut mistum accipiant tantum unusquisque de libra sua, et potio eis pigmentata propinatur. Quando consederint, vel quando surrexerint, nihil dicunt de versu, solummodo ante faciunt et retro. Interim pauperes in claustrum introducti consedere jubentur. Ad quos fratres venientes in alia parte claustri per ordinem consistunt, et ita ut priores pauperibus sint propiores. Ipse dominus abbas imponit antiphonam, vel præcentor, *Dominus Jesus*, et venia petitur ab universis. Inchoatur mandatum, et duo simul ex una parte lavant et tergunt, et ex altera duo pueri seorsum cum magistris suis et cum infirmis. Psalmus LXVI subjungitur antiphonæ prædictæ, *Mandatum novum*, quæ et per singulos versus ejusdem psalmi repetitur; postea psalmus CXVIII, in quo iterum repetitur post octo versus. Cum ad hoc quoque ventum fuerit ut ad manus pauperum aqua ministretur, tunc et aliæ antiphonæ ad mandatum pertinentes decantantur; tabula semel percussa cessatur a cantu. Datur benedictio super vinum propinandum sub silentio, cum quo simul duo denarii singulis pauperibus a singulis fratribus tribuuntur. Inclinatis omnibus dicendus est versus, et collecta a domno abbate, sicut et in cæteris diebus ad mandatum pauperum dici solent, ita ne possit audiri. Et in hunc etiam modum imposito psalmo *Miserere mei, Deus*, et facto ante et retro redeunt in ecclesiam. Interim autem dum mandatum fiebat percussa est tabula tantis vicibus quantis signa solent ad vesp. pulsari; sed conventu intrante provisæ sunt tabulæ quam plures, quæ in vice signorum omnium a custodibus ecclesiæ ad ostium ipsius ecclesiæ stantibus percutiuntur. Cantantur vesperæ more canonicorum, puero inchoante cum quinque psalmis, et eodem modo quo et matut. laudes finiuntur; propter quod tamen ne æstimaveris B ut ad alias horas alii psalmi, quam qui solent, dicerentur. Omnia ex toto altaria nudantur; pro cymbalo percutitur tabula, et in refectorio pro scilla. Ubi rursus sicut in capitulo quæ dicenda sunt, omnia præter lectiones sub silentio dicuntur, et ad ecclesiam ita regrediuntur.

Ad mandatum quod inter fratres est gerendum, hebdomadarii primum lavant pedes fratrum et non tergunt; quos duobus abbas sequens tam iterum lavat quam tergit. Cui etiam tres fratres obsequuntur pedes fratrum inter lavandum sustentando, aquam apportando, et manutergia mutando, et cum ad alias vices de una aqua duobus fratribus aqua pedes laventur, hic quidem non nisi uni. Fratrum autem tanta multitudine collecta, nimirum plus C aliquando quam ducentorum, dies non sufficeret, si domnus abbas solus ita mandatum faceret; propter quod alter quoque frater ex prioribus assumitur, a quo similiter ex altera parte geratur; et si visum fuerit, adhuc alii duo assumuntur. Quibus omnibus simul cum ipso domno abbate priusquam aquam ministrent ad manus fratrum, lavantur pedes foris capitulum a fratribus qui ab hoc fuerint nominati. Illi autem soli qui prima vel secunda vice laverunt pedes fratrum, in medio capituli ante faciunt et retro priusquam sedeant, quorum cum sit unus domnus abbas, tunc ipsi primum sedem suam petenti assurgent fratres, et datur ei locus a priore parum secedente qui in sede sua sedebat. Hoc autem totum posteaquam calceamenta distributa sunt, statim in capitulo fuit ordinatum. Præter solitas D antiphonas quæ sunt de mandato, habetur hymnus Flavii primi Cabilonensis episcopi, *Tellus ac æthera jubilent in magni cæna Principis*, qui in hoc die et ad hoc mandatum post primam antiphonam cantatur, et ita ut per singulos versus primus ejus versus repetatur. Peractis omnibus cessatur a cantu, custos ecclesiæ percutit tabulam pro signo; intrat diaconus alba et stola indutus, et textum Evangelii portans, quem præcedunt unus ostiarius ecclesiæ cum analogio in quo legatur, et tres conversi similiter albati cum candelabris, et incenso. Quibus intrantibus assurgit conventus universus, nec prius residet quam unus versus de Evangelio sit

lectus; lectio inchoatur ab eo loco, *Ante diem festum Paschæ*, et perducitur usque ad eum locum, *Surgite eamus hinc*. Tunc et fratres percussa tabula se levant, ut in refectorium præcedente diacono, cum processione eant. Ubi rursus qui laverunt et terserunt pedes fratrum, vinum quoque omnibus propinant, et manus osculantur, illis obsequentibus, et vinum apportantibus qui in capitulo fuerunt obsecuti. Diacono ad gradum stanti adhuc et legenti, et qui cum eo stant, propinatur; quod ab ipsis in pateras suas apportatas infunditur, et ita ponitur per alios ad mensam principalem, ut finita lectione, et ibi facto ante et retro considentes bibant. Completorium sub silentio est dicendum; et de cætero, exceptis nocturnis et matutinis, nulla regularis hora alio modo usque ad vesperas Sabbati sancti. Si quis autem fratrum foris positus paschali solemnitati vult interesse, in quarta feria debet. venisse. At si forte per negligentiam contigerit, sive sit noster professus sive monachus extraneus, ut non veniat nisi in ipsis tribus diebus, postquamlibet horam finitam postquam se fratres ad sonitum levaverint de formis, solitam benedictionem habebit; nemo tamen illum osculatur ab eo momento Cœnæ Domini, quo pax in Ecclesia generaliter est data, usque dum pax iterum detur in præfato Sabbato sancto ad communionem.

CAPUT XIII.

De Parasceve.

In Parasceve ad primam nudis pedibus debent universi venire; qua sub silentio finita, sequuntur manifeste septem psalmi simul cum letania, quæ nihil sui juris et consuetudinis carebit in versibus et collectis. Exeunt fratres in claustrum considere, et communiter incipientes totum Psalterium decantant. Tertia, et duæ sequentes horæ cantantur ad ecclesiam Santæ-Mariæ, quia major Ecclesia interim scopatur, et pulvis inde levatus non se tam cito deponit. Ad processionem, quæ ad novum ignem iterum est agenda, debent albis esse induti omnes qui ad officium missæ sunt servituri. Tractus *Domine audivi*, a cantoribus inchoatus, ita cantatur ut post singulos versus a primo versu repetatur nunc integro, nunc dimidio tractus *Eripe me, Domine*, ut alii tractus a solis cantoribus. Passio legitur absque salutatione, quæ tamen in aliis diebus non est omissa. Collectis consummatis quæ in missali habentur, duo sacerdotes albis et casulis induti, et crucem alaturi, illuc ubi crux est extra chorum in dexteram partem abscedunt, et inter portandum cantant hos tres versus *Popule meus*, a duobus aliis, *Quia eduxi te*; *Quid ultra*. Quos versus singulos sequitur a duobus aliis cantatum *Agios o Theos*, et chorus *Sanctus Deus*. Bajuli crucis eam præsentantes et nudantes (est enim huc usque cooperta) imponunt antiphonam *Ecce lignum crucis*; et omnes petunt veniam. Versus, *Beati immaculati in via*; antiphona, *Crucem tuam;* versus, *Deus, misereatur nostri;* antiphona, *Dum fabricator;* versus, *O admirabile;* hymnus, *Crux fidelis*, qui reciprocando cantatur. Pavimentum tapetibus est constratum; maxime propter illos qui in albis sunt crucem adoraturi. Et primum quidem sacerdos casula et stola exutus. Post pueros adorant infirmi. Quando crux aufertur, imponitur antiphona, *Super omnia ligna*, et venia petitur secundo. Si quis popularium crucem adorare voluerit, huic locus retro altare datur. Die priore, præcentore providente, tantum est reservatum eucharistiæ, de quo iterum possint omnes communicare. Eo quo reposita est proceditur rursus cum incenso et candelabris duobus, ut frangatur et dividatur sicut sumendum est, a duobus prioribus albis et casula indutis; et ab uno illorum calix tenetur cum vino non consecrato: hoc modo defertur ad altare, ubi a sacerdote sola Dominica Oratio dicenda est, illaque collecta, *Libera nos;* et cum manifeste dicaur, *Per omnia sæcula sæculorum*, illud, *Pax Domini*, non sequitur, quia nec signum pacis eo die datur. Aliquando erat illa diligentia ut, postquam omnes communicaverunt, quidquid residuum erat ab eisdem presbyteris qui apportaverunt cum magna reverentia, et cautela sumeretur, et nihil omnino in crastinum remansit. Quod etiam ego non aliter novi, nisi generaliter consuetudo sit aliarum Ecclesiarum, de quo tamen non hic modo magnopere curatur; et tam hoc die quam in alio, si quid communicantibus supererit, reservatur. Postquam autem omnes communicaverint, percutitur tabula, ut fiat oratio vespertina. Exeunt fratres pedes lavare, et se calceare. Quibus redeuntibus omnes simul tabulæ percutiuntur, et vesperæ decantantur sub silentio, et cum eisdem psalmis prioris diei, nisi primus aufertur, et pro eo ponitur in novissimo psalmus centesimus quadragesimus tertius. In refectorio non habetur nisi panis et herbæ crudæ, vinum justitiis infusum magis datur ad eleemosynam quam quisquam bibat; quod etiam fit secundo cum iterum pergunt in refectorium quasi more solito bibituri; verum de collatione surgunt ad Charitatem, et de vino quod tunc propinatur nullus omnino præsumit abstinere, ut non aliquantulum gusteti. Custodes Ecclesiæ statim post vesperas singula de super incœperunt altaria lavare diligenter, primum cum aqua, postea vino; ad quod etiam opus nec spongia carent, quem libet imbibente liquorum, ut cum ea nitidius ipsa laventur altaria.

Inter. Altare principale eratne nudum quando corpus Domini dabatur?

Resp. Minime; uno interim linteo erat opertum.

Inter. In loco illo passionis: *Diviserunt sibi vestimenta mea*, simulaturne aliquo modo a vobis?

Resp. Certe simulatur, duobus panniculis in altari positis, et eadem vice hinc et inde per duos fratres abstractis; sed ut modo fatear quod verum est, de industria celavi, quia, quamvis nullum sit malum, tamen id non fit cum Apostolo perhibente se per fidem, et non per speciem ambulare (*II Cor*

v); verum hoc omisso sine me, ut ordo teneatur inceptus.

CAPUT XIV.

De Sabbato sancto.

In Sabbato sancto post matut. continuo non modo altaria cooperiuntur, sed etiam tota ecclesia palliis ornatur, nullumque linteum super altare aliquod mittitur quod non sit optime lavatum. Post capitulum, et post sextam, fratres loquuntur in claustro. Post nonam processione facta, primo a diacono laus cerei est legenda. In cujus quodam loco cum aliquando non bene haberetur, *O felix culpa, et quod peccatum Adæ necessarium esset*, ante hos annos domnus abb[as] optime fecit, quod fecit abradi, et ne amplius legeretur interdixit. Ipsi vero cereo præcentor inscribit quotus annus sit Dominicæ Incarnationis, quota indictio concurrens et epactæ. Cum ventum fuerit ad hunc locum, *Suscipe, sancte Pater, incensi hujus sacrificium vespertinum*, diaconus in eo foraminibus ante præcavatis crucem facit cum quinque granis incensi. Quando legitur *Rutilans ignis ascendit*, tunc et cereus primum accenditur. Inde sequitur lectio, *In principio;* oratio, *Deus qui;* lectio 2, *Factum est;* tractus, *Cantemus Domino*, quia duobus cantur ex toto; oratio, *Deus cujus;* lectio 3, *Apprehendent septem mulieres;* oratio, *Deus qui nos;* tractus, *Vinea;* lectio 4, *Hæc est hæreditas;* tractus, *Attende;* oratio, *Deus qui Ecclesiam;* tractus, *Sicut cervus;* oratio, *Concede.* Letania tripla cantatur a duobus cantoribus qui et chorum tenent cappis indutis, et præcinentibus, et utroque choro singulatim respondente; ad singula nomina sanctorum, præter angelorum, inclinatur ab his a quibus nominantur, nisi præcentores non inclinant. De baptismo nihil nos intromittimus, nec ab ullo in ecclesia nostra celebratur. Letania inchoata statim cum tapetibus cooperiuntur formæ, finita, pronuntiatur a cantore, *Accendite.* Accenduntur quæ sunt ante altare candelæ, et pulsantur omnia signa, cooperiuntur cum tapetibus formæ; Inchoatur missa cum *Kyrie, eleison;* sequitur *Gloria in excelsis*, et cætera solemniter omnia, Cereus nullus portatur ante sacerdotem ad altare procedentem, nec ante Evangelium nisi incensum solum. Tunc etiam primum si quis sacerdotum privatim missam cantare voluerit, licentiam accipere potest, et similiter incipiat a *Kyrie, eleison.* In cœna Domini potuit etiam sine licentia ante majorem missam cantare, sed absque candela, quia novus ignis nondum erat consecratus. In isto autem die quanquam *Agnus Dei* non dicatur, pax tamen ab omnibus datur et accipitur, et, ut supra memini, ab omnibus communicatur. Missa peracta, statim scillæ duæ simul pulsantur. Ad vesperas, sicut et signa sequentia, bina pulsantur, ad quos consueti psalmi cantantur; primus *Confiteamur* cum alleluia secundum melodiam; antiphona *Crucifixus;* Resp. *Angelus Domini;* Hymnus, *Ad Cœnam.* Ad canticum

A Evangelii post antiphonam, quamvis ter recantetur, tamen adhuc et ipsius antiphonæ melodia cantatur cum alleluia; collecta *Deus qui hanc.* Processio quæ ad ecclesiam S. Mariæ fieri solet, mutatur ad sanctam crucem, sicut etiam in omni Sabbato, sed modo cum responsorio, *Dum transisset*, sequente versu et collecta cum tonali pronuntiatione, *Dicite in nationibus : Deus qui pro salute.* Generale Mandatum esset faciendum, nisi quod factum est in Cœna Domini; et hoc etiam constitutum est a beato Patre Odilone, ut si festa præcipua in vespera Sabbati, *Quæ*, ut scriptum est, *lucescit in prima Sabbati*, id est in Dominica, evenerint, Mandatum in quinta feria præcedente anticipetur, ne fratribus prodixioribus vigiliis laboraturis, Mandati quoque labor
B accedat. Quod tenetur in quinque præcipuis festis; et domnus abbas hoc superaddidit, commemorationem sanctæ Trinitatis; Vincula S. Petri; Festum Omnium Sanctorum, S. Martini; Hypapantem Domini, et Dedicationem Ecclesiæ.

CAPUT XV.

De ipsa nocte, vel die Resurrectionis Domini.

In ipsa nocte Dominicæ Resurrectionis satis novi quia vobiscum in nocturnis non concordamus agendis: nam et psalmi, et lectiones, et responsoria pariter ad duodenarium pertingunt, quamquam in antiphonarum numero nisi tres antiphonæ habeantur, quarum prima cantatur super primos quoque sex psalmos; secunda super alios sex; tertia super cantica. De pulsandis primo omnibus signis pro
C scilla; de tribus palliis super altare mittendis; de incenso inter nocturnos ter circumferendo; de responsoriis octavo et duodecimo, postquam semel cantata fuerint, iterum repetendis, vacat (ut modo dicam quod meminisse potes) jam in superioribus dixisse, ubi mentionem feci de diversitate solemnitatum. Ad matutinas laudes singularum antiphonarum melodia repetitur cum alleluia. In die cum hora una quæque propriam habeat antiphonam, ut in promptu est in antiphonario videre, ad Vesp. super psalmos non antiphona sed tantum alleluia ita, *Jesum quem quæritis.* Ad processionem post aquam benedictam, antiphona, *Vidi aquam*, etc., cum *Gloria Patri*, proceditur ad ecclesiam S. Mariæ cum responsorio *Veniens a Libano*; vel cum
D alio quod tamen non finiatur sine Alleluia. Sequitur antiphona. *In die resurrectionis meæ, alleluia.* Et, *Sedit angelus*, cum versu *Crucifixum;* ad introitum ecclesiæ antiphona, *Christus resurgens;* in chorum redeundo antiphona. *Et valde mane.*

Inter. Si dicendum est in tali die collecta, cujus supra in quodam loco meministi, id est, *Via sanctorum.*

Resp. Utique, nec in ulla solet Dominica remanere; hujusmodi autem cantus ad processionem in omni Dominica non mutatur usque ad Pentecosten, excepto quod pro novissimo responsorio cantatur aliud vel responsorium, vel antiphona de sanctis

Petro et Paulo, et versus ille *Crucifixus* remanet. Missa sacrosanctæ diei quomodo celebretur non opus habes iterum audire, si bene recolis supra memorata de diversitate solemnitatum. Quod tamen ibi non dixi : Introitus ter recantatur, quia duos versus habet. Duo quoque paria cantorum hinc et inde, vel si videtur, plures statuuntur ad prosam concinendam; quibus chorus per neumas respondet. Ad *Agnus Dei* tropi quidam adjiciuntur, et communio post versum suum iteratur. Hymnis omnium horarum additur unus versus, id est *Quæsumus, auctor omnium;* et novissimus ita mutatur, *Gloria tibi, Domine, qui surrexisti,* etc. Quod etiam tenetur usque ad Ascensionem Domini. Præfatio, *Te quidem omni tempore*, per totam istam septimanam dicenda est ad utramque missam. Est autem alia consuetudo, quoties fuerint duodecim lectiones, et una eadem collecta dicatur, et ad vesp. et ad Evangelium post nocturnos, et ad tertiam, et missam, et iterum ad vesperas; quod tamen in hac die et in hac septimana observatur præter ad solas vesperas, ut præmissum est in vigilia Paschæ.

CAPUT XVI.

De secunda feria et diebus majoris septimanæ.

Transacta die Dominica, in secunda feria, et in aliis diebus et noctibus ejusdem septimanæ, non nisi duo signa sicut in privatis ad nocturnos pulsantur, qui cum duodecim psalmis, sicut sunt per ferias ordinati, aguntur; sed lectiones tres tantummodo ex Evangeliis fiunt. Puer unus invitatorium cantat. Ad matutinos pulsantur omnia signa, et de cætero fiunt omnia festive. Illæ autem quæ in Dominica cantatæ sunt ad matutinos, postea singulæ ad singulas matutinas cantatur usque ad Sabbatum, et ad alias horas habentur antiphonæ de Evangelio. Ad solos nocturnos et vesperas super psalmos non nisi alleluia cantatur, ad melodiam antiphonarum formatum; et primo in feria secunda alleluia, ut *Postulavi*, *Angelus autem*, Jesum *quem quæris*. In tertia feria, ut, *et ecce terræ motus. Præ timore. Nonne cor nostrum.* In quarta feria ut, E*rat autem. Et respicientes. Scio quod* Jesum. In quinta feria ut, *Stetit* Jesus. *Oportebat*, et iterum Jesum *quem quæritis*. In sexta feria ut, *Nonne sic. Et ingressæ. Crucifixus.* De his tribus singulis prima semper est ad primos sex psalmos nocturnorum; secunda ad alios sex ; tertia, vesp. In Sabbato ut, *Noli flere. Venit Maria. Vespere autem.* In quo etiam ad alias horas non nisi alleluia cantatur. Ad mat. ut, A*ngelus autem.* Ad primam ut, E*t ecce terræ motus.* Ad tertiam *Præ timore*. Ad sextam, *Erat autem.* Ad nonam, E*t respicientes.* Ad missam matutinalem per totam septimanam cantatur officium, *Resurrexi*. Quæ si per tres dies non nisi cum una collecta celebratur, per alios tres dicuntur omnes collectæ, quæ in qualibet Dominica ad matutinalem missam sunt dicendæ. Item major missa per tres agitur generaliter in cappis, et post alleluia nescio quæ Gallicanæ neumæ cantantur. Per alios tres ad instar diei Dominicæ. Ad vesperas quoque non mutantur hi psalmi *Dixit Dominus Domino meo*, et cæteri usque ad vesperas Sabbati.

CAPUT XVII.

De die octavo, et quomodo de cætero ad omnes horas cantantur alleluia.

Octavus dies Paschæ quomodo sit colendus, per occasionem aliarum festivitatum jam superius audisti, quod nunc tamen adnectitur. Ad vesperas non alii psalmi quam feriales dicuntur. Ad noct. non alia responsoria quam quæ in prima nocte Dominicæ Resurrectionis sunt cantata, quæ et per totam sequentem septimanam ita cantanda perdurant. Missa matutinalis, *Quasi modo geniti.* Major est eadem præter quod solus introitus cum introitu *Resurrexi* mutatur, et prius alleluia est, *Post dies octo.* Ab illo autem die cum ad omnes horas usque ad Ascensionem Domini semper alleluia cantetur, tamen in nullo reperi antiphonario prænotatum, si quo certo ordine tanta cantari debeant alleluia. Quæsivi curiosius a quodam juvene perspicacis ingenii, et qui jam per viginti quinque continuos annos in claustra morabatur, quid inde sentiret et sciret; quod ipse mihi retulit, illud hic a me refertur. In omni Dominica ad primum nocturnum alleluia *Postulavi*. Ad secundum, *Angelus autem.* Ad cantica, E*t ecce terræ motus.* Ad laudes, *Præ timore*; ad primam, *Surgens autem*; ad tertiam, de Evangelio, *Ut multa quidem*: ad sextam, E*rat autem;* ad nonam, E*t respicientes*; ad vesperas, *Jesum quem quæris*. In secunda feria cum iterum opus sit non paucioribus. ut ita dicam, alleluiis, nisi tantum una minus propter cantica tunc non dicenda, cantantur eodem quo supra ordine alleluia ut, *Postulavi. Angelus autem.* E*t ecce terræ motus. Præ timore.* De Evangelio, E*rat autem.* E*t respicientes.* In matutinis, *Jesum quem quæris.* In tertia feria alleluia ut, *Stetit Jesus. Oportebat. Nonne sic. Qui sunt hi sermones.* De Evangelio, E*t coegerunt. Mane nobiscum. Nonne cor nostrum.* In quarta feria, *Noli flere. Venit Maria.* E*t ingressi.* E*t valde mane.* De Evangelio, *Ite nuntiate. Iterum venit Maria. Scio quod Jesum.* In quinta similiter ut in secunda. In sexta ut in tertia, excepto quod ad vesperas cantatur alleluia, *Vespere autem.* De Evangelio et, *Multa quidem*, vel, *Mitte manum tuam. Ego sum Pastor. Modicum et non videbitis me.* In Sabbato similiter ut in feria quarta, excepto quod ad vesperas alleluia. Quodcunque autem in septimana legitur Evangelium, de eo ad tertiam omni die cantatur alleluia.

CAPUT XVIII.

De secunda feria post octavas Paschæ; et quod tunc nonnullæ consuetudines inchoantur.

Post octavas autem Paschæ feria secunda cum sit quasi novum initium privatorum dierum, inchoantur nonnullæ consuetudines, quæ non prius

vel posterior non est aliud quam responsoria ad ipsum diem pertinentia; id est primo responsorium, *Eduxit Dominus*; aliud, *Ponis nubem*; novissime in choro, *Viri Galilæi.* Item cum responsorio ad vesperas et ad matutinas laudes fieri solet processio ad sanctam crucem. Ad hymnos omnium horarum sicut in Pascha apponitur versus ille, *Da nobis illuc sedula devotione tendere :* et, *Gloria tibi, Domine, qui scandis :* et hueusque ad Pentecosten; verum etiam ad octavas, ad mat. laudes et vesp. prima eadem collecta semper est dicenda, *Concede quæsumus.* Quo tamen sola sequente Dominica non tenetur. Et quia de Ascensione non multæ sunt collectæ, eliguntur quoque competentes de paschalibus ad alias horas, ut est, *Omnipotens sempiterne Deus, deduc*, etc. *Deus, qui ad æternam vitam*, etc. Præfatio, *Qui post Resurrectionem*, etc., non amplius dicitur quam in primo die ad utramque missam, et in octava ad utramque. Notandum autem quod psalmus *Ad Dominum*, qui in duodecim lectionibus, simul cum psalmo *Voce mea* solet dici pro officio defunctorum, non est dicendus in hac solemnitate, nec in eis similibus, quia et antiquitus in talibus diebus officium non fiebat.

CAPUT XXIII
De vigilia Pentecostes.

In vigilia Pentecostes post capitulum loquuntur; post tertiam silent; post sextam eunt ad lecta sua eodem modo quo in rogationibus facturi, usque ad inchoationem officii ante nonam inchoandi, de quo lectio prima, *Tentavit Deus*; sequitur collecta sine salutatione, *Deus, qui in Abraham.* Lectio secunda, *Scripsit Moyses.* Tractus, *Attende cœlum.* Collecta *Deus, qui nos per prophetas.* Lectio tertia, *Apprehendent septem mulieres.* Tractus, *Vinea facta est.* Collecta, *Deus qui nos ad cœlestem.* Lectio quarta, *Audi Israel.* Collecta, *Deus incommutabilis.* Tractus, *Sicut cervus.* Collecta. *Concede quæsumus.* Cantatur letania eodem modo quo in vigiliis Paschæ; ipsa quoque missa non dissimiliter per omnia, præter quod habet cantum offerendæ, et quod *Agnus Dei* simul cum communione est dicendum. Ante vesperas cœnatur, ad quos etiam sicut in Sabbato sancto iterum non alii psalmi quam feriales sunt dicendi, id est *Confiteantur* : collecla, *Præsta, quæsumus*, etc.

CAPUT XXIV
De ipso die Pentecostes, et ea quæ sequitur Septimana

Ut dignum est, sancti Spiritus Adventui nequaquam minus defertur quam et dominicæ Resurrectionis. In illa nocte, et in illo die quidquid pro reverentia solemnitatis agebatur, et in isto est agendum; tantum ad matutinas post singulas antiphonas earum melodia non ita cum alleluia iteratur. Ad vespertinalem processionem resp.; ad matutinalem resp. In die ad illam processionem non alius cantus quam illæ antiphonæ de Pascha usque in vestibulum ecclesiæ; ibi omisso versu, *Crucifixum*, agitur statio cum antiphona, *Hodie completi sunt.* Ad introitum A ecclesiæ, et ad sanctam Crucem responsorium, *Apparuerunt apostolis*; in choro responsorium, *Spiritus sanctus.* Quamvis autem omnes Galli non magnopere curent de prosis Teutonicorum, tamen beato Patre Odilone adnitente et de nostratibus asserente, hæc sola, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, obtinuit ut in nostro loco in isto die cantaretur. Ad cujus vesperas super psalmos cantatur *Alleluia*, ut antiphona, *Loquebantur*; ad Mat. in secunda feria, ut, *Cum complerentur*; ad tertiam, *Repleti.* His tribus antiphonarum melodiis locum semel acceptum non mutantibus, ad alias horas cantantur aliæ et de pascha, et de Evangelio, et de Ascensione Domini; in quibus et non alius tunc ordo tenetur, B nisi præcentor hoc providet, et imponenti præmonstrat, ut nulla relinquatur quæ non in hac septimana recantetur a nobis, videlicet singulis quasi ultimum vale facturis. Horarum hymni iterum non carent uno versu superaddito, scilicet hic, *Christe, nunc piissime*; et, *Sit laus Patri.*

CAPUT XXV
De octavo die Pentecostes.

Octavus dies Pentecostes non tam pro octavo, quam pro commemoratione sanctæ Trinitatis celebratur. Ad cujus etiam priores vesperas, quod alias raro fieri solet, super singulos psalmos singulæ cantantur antiphonæ de sancta Trinitate. Capitulum tam ad vesperas quam ad matutinas laudes, et adhuc etiam ad tertiam, *Benedictio. et claritas, et sa-* C *pientia*; hymnus, *O lux beata Trinitas.* Evangelio, *Erat homo ex Pharisæis*, pronuntiato, nulla tamen ejus homilia legitur, sed sermo sancti Gregorii Nazianzeni scilicet, *De solemnitate hodierna.* Processio cum responsorio ad sanctam Crucem; sicut etiam post matutinas laudes. Ad nocturnos, *Tu, Trinitatis, unitas*; ad laudes, *Splendor paternæ gloriæ*; tamen cum solemniore melodia quam quotidiana. Quanquam illorum hymnorum melodia qui cantatur in Pascha ita sit plana et in directum, et in ipso sacro sanctæ Dominicæ Resurrectionis non magis solemnis quam si iidem hymni ad aliquem, ut ita dicam, privatum diem pertinerent; quod nobis relictum a simplicitate seniorum noztrorum adhuc ita tenetur, et si qua persona esset idonea, quæ id domno abbati D suggereret et suaderet, fortassis emendari juberet, sicut et de multis aliis jam fecit. In die autem præfato missa matutinalis est de Spiritu sancto; ad quam illa præfatio non omittitur, *Qui ascendens super omnes cælos*; sicut etiam per totam præcedentem septimanam ad utramque missam. Ad processionem per claustrum, et ad stationem in vestibulo ecclesiæ, idipsum cantatur quod in priore Dominica ad sanctam Crucem; et in chorum cum responsoriis quæ sint de sancta Trinitate, reditur. Missa major de sancta Trinitate, sed absque graduale cum duobus alleluia. Ad sextam capit. *Gratia Domini nostri;* collecta, *Domine Deus, Pater omnipotens.* Ad nonam *Omne quod natum*, vel aliud, *Tres sunt qui testimonium*; collecta, *Mentes nostras, quæsumus, Domine*,

Ad secundas Vesperas in ultima super psalmos antiphona, non sunt alia verba quam illius capituli, *Benedictio et claritas*; propterea mutatur capitulum ut dicatur, *Benedictus Deus et Pater*. De Spiritu sancto cantatur antiphona, *Hodie completi sunt*: de sancta cruce, vel potius de Resurrectione Domini, *Christus resurgens*, sequentibus consentaneis collectis.

CAPUT XXVI.

De septima sequente post octavas Pentecostes.

Interrogatio. Agitis octavas de Sancta Trinitate?

Responsio. Minime. Major tamen missa cantatur per totam septimanam de sancta Trinitate, et ad vesperas super canticum Evangelii cantatur antiphona. Postquam sola Dominica fuerit transacta, statim redimus ad quatuor psalmos per singulas horas dicendas, et ad venias petendas ad initia horarum; ad nocturnos quoque in privatis noctibus nihil amplius legitur quam [quæ scribit sanctus Benedictus,una parvissima lectio cum simili responsorio. Est aliud quod constitutum est ut in secunda feria hujus septimæ semper agatur; quippe quotquot defunctorum in loco nostro sunt sepulti, pro his domnus abbas specialiter constituit ut eorum recordatio hac vice studiosissime fiat. Quod etiam pro ipsius edicto per omnia loca nostra fieri solet. Pro hujusmodi post vesperas regulares, et suffragia sanctorum, priusquam procedatur ad ecclesiam Sanctæ Mariæ, pulsatis prolixe omnibus signis, in choro aguntur vesperæ pro fidelibus defunctis, et postea officium simili modo. In sequenti die missa matutinalis propensiore studio est celebranda, et ab omnibus sacerdotibus privatæ missæ pro eisdem cantandæ. Verum et ad missas, ad vesperas et ad officium, et matutinas primo dicenda est ea collecta *Deus cujus miseratione*. Duodecim pauperes ad panem et vinum, edulio carnis adjuncto, ubertim sunt reficiendi, et cunctis aliis pauperibus supervenientibus de pane et vino misecordia impendenda.

CAPUT XXVII.

De jejunio Quatuor Temporum in mense Junio.

Priusquam ultra progrediamur debemus et jejunii Quatuor Temporum meminisse,quod cum in anno quater eveniat, ad omnes vices in ejus sabbato major missa non prævenitur cum letania, nec ad eam collectarum amplius quam de officio est dicendum; nec offertur, vel pax recipitur, nisi ab uno; nec in refectorio dantur hostiæ inconsecratæ, sicut in aliis privatis diebus solent. Hoc autem jejunium, quod in mense Junio agitur, nunquam agitur ante Pentecosten, tametsi prius eveniat terminus ejus regularis: at si venerit in ipsa septimana Pentecostes, minime differtur.

Inter. Et quomodo tunc facitis utrumque, jejunium et solemnitatem?

Resp. In hoc nihil erramus. Nam, ut primo dicam, de primo quoque jejunii, id est, quarta feria, post capitulum sedent omnes in claustro ad lectionem; A cum visum fuerit, pulsatur signum ad tertiam: oratione facta, induuntur albis, post tertiam cappis. Cantatur officium Spiritus Domini: ad quod tamen legitur de Actibus apostolorum ferialis lectio, et Evangelium feriale. Post sextam quasi pausaturi dormitorium ascendunt: audito signo descendunt, lavant manus et faciem, et ecclesiam intrant. Post orationem, et posteaquam sacerdos cum suis suffraganeis erit vestitus, imponitur officium, *Deus cum egredereris.* Ad quod cum legantur duæ lectiones, duæ quoque collectæ dicuntur, et non amplius. Prima lectio est de libro Sapientiæ; Evangelium de quinque millibus hominum in quinque panibus et duobus piscibus saturatis. Cantus, *Alleluia*, minime cantatur, sed tantummodo responsorium, B vel quod alii Gradualem vocant. Una vice reficiunt, post nonam, et adipe abstinent. In diebus jejunii secuturis nihil est aliter agendum, excepto quod nec cappis, nec albis generaliter induuntur, et collectæ, quæ dicuntur in privatis diebus, ad missam majorem non omittuntur. Idem autem jejunium si contigerit extra Pentecosten, non alia tamen officia quam et ad Pentecosten pertinentia ex more cantantur; et, in Sabbato post offerendam, qui responsorium cantaverit, et lectionem legerit præter epistolam cum albis esset indutus solet se exuere. Cantor qui tenet chorum in cappa, aliis ad orationem procumbentibus non procumbit, et ad illam orationem quæ fit ante nonam exit de choro.

CAPUT XXVIII.

C *De festis sanctorum venientibus post Pentecosten.*

Interrogat. Ad nocturnos privatarum noctium si talis lectio, ut superius dixisti, jugiter est deputata quomodo agitis commemorationem sanctorum, pro quibus tamen duodecim lectiones non fiunt?

Resp. Bene mones; nam de sanctis hujusmodi utique fiunt tres lectiones cum responsoriis quoque tribus; et ipsæ lectiones excerptæ sunt de aliquo sermone vel homilia quæ ad hoc maxime competere videtur, quamquam non ita fieret in paschalibus diebus, in quibus si tria responsoria canebantur de sanctis, tamen lectiones erant de eo libro qui in ea legendus erat septimana. Et ut quæstioni tuæ adhuc aliquid supererogaverim de eisdem sanctis, ad nocturnos propter illos nec hymnus nec psalmi feriales mutantur. Invitatorium, capitulum, versus et D collectæ de eis sunt dicenda. Ad laudes antiphonæ pro eis de quibus sunt; et singuli psalmi habentur de eis utique mutantur et ad reliquas horas antiphonæ usque ad officium missæ; cum officio eorum recordatio ex toto clauditur et finitur. Nam postea ad horas quæ officium sequuntur, nec antiphonæ, nec aliud quidquam est de ipsis. Sed si evenerit, ut eorum memoria in aliqua Dominica sit agenda, post vesperas regulares in Sabbato cantantur Antiphonæ de illis, et sequitur collecta. Ad nocturnos simul cum invitatorio, et cum Evangelio, quatuor extremæ lectiones fiunt de ipsis, postea pleniter ad matutinas laudes, et in die missa matutinalis. De

cætero quod ad Dominicam pertinet tenetur. Sciendum quoque in privatis diebus quæcunque de sanctis collecta dicta fuerit ad vesperas, quod illa nec ad matutinas laudes, nec ad tertiam, nec ad majorem missam mutatur.

CAPUT XXIX.

De jejuniis quæ fieri solent quarta et sexta feria

Si imbecillitas nostra pateretur, dignum esset, secundum edictum præceptoris nostri sancti Benedicti, ut post octavas Pentecostes statim in omni quarta et sexta feria jejunium faceremus; quod si non amplius, tamen utcunque non omittimus facere in uno et pridie prædictarum feriarum; in quo post tertiam silemus, post sextam dormitorium ascendentes simulamus meridianam potius quam geramus, quia mox pulsatur signum ut in ecclesiam redeamus, facturi nudis pedibus processionem: calceos nostros deponimus in claustro prope canales, ut pedes lavaturi sint in promptu. Inchoatur autem ipsa processio eodem modo quo in Rogationibus, cum orationibus antiphonæ, psalmo et collecta; omnia signa non pulsantur, sed tantum duo; et hoc inchoatur ante introitum puerorum. Ergo cantando aliquid pro peccatis, ut est antiphona, *Propitius esto*, et alia, *Miserere, Domine*, proceditur per cœmeterium ad ecclesiam S. Mariæ: ad cujus introitum et cantus et collecta est de ipsa Domina nostra. Procumbitur super formas ad orationem; domnus abbas imponit psalmum CXLV pro his qui in cæmeterio sunt sepulti, et sacerdos prosequitur cum collecta, *Domine, cujus miseratione*. Incipitur letania duobus pronuntiantibus, cum qua per claustrum et per vestibulum ecclesiæ venitur in chorum. Sane, ut præmissum est, primum diem jejunamus; postea in loco jejunii aliquod opus manuum sæpius agitur a nobis. Quotiescunque autem per aliquam occasionem jejunamus in æstate, non mutatur illud de silentio post tertiam, et de ascensione dormitorii per sextam. Et si est quarta aut sexta feria, facimus, sicut modo dixi, discalceati processionem, excepta sola vigilia sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis sanctæ Mariæ; si tamen et ipsæ aliquando evenerint in tali die. Solet etiam remanere, si quem defunctorum sepelimus, vel si qua persona talis et hujus dignitatis advenerit, cui processionem faciamus, vel si majores capsas nostras cum sanctorum reliquiis ad aliquam villam nostram destinamus, ut sæpe contingit, pro timore prædarum et rapinarum, cum quibus et omnes albati, et pulsatis omnibus signis usque ad exteriorem portam eximus, et eamdem reverentiam deferimus in reportando.

CAPUT XXX.

De opere manuum.

Interrog. Quod paululum tetigisti de opere manuum, plus aliquantulum refer; refer, inquam, quid sit illud opus manuum, et quomodo fiat?

Resp. Certe, ut non mentiar quod ego sæpius A vidi, non erat aliud quam fabas novas et nondum bene maturas de folliculis suis egerere, vel in horto malas herbas et inutiles, et quæ bonas herbas suffocabant, eruere; et aliquando panes formare in pistrino. Qualiter autem fiat ut hoc etiam digeram, in die quo agendum est, illico ut fratres surrexerint, factis orationibus signum pulsatur ad primam, quam aliis psalmis intermissis, sola sequitur letania, missaque matutinalis; capitulum quoque plus corripitur quam, in aliis diebus; nec cum psalmodia, ut moris est, itur ad Sanctam Mariam, sed percussa tabula, et præmisso *Benedicite*, domnus abbas pronuntiat: Eamus ad opus manuum. Imponitur psalmodia quæ post primam est intermissa: incedunt cum processione, ita ut pueri sint B primi, priores novissimi. Cum ventum fuerit ad locum operandi, versi omnes ad orientem per ordinem consistunt. Ad finem unius psalmi faciunt ante et retro, et domino abbate pronuntiante tunc dicunt hunc versum, *Deus in adjutorium*, etc., Sequitur, *Kyrie eleison*, *Pater noster*; Versus, *Adjutorium nostrum*; facta rursus inclinatione, incipiunt operari. Hæc autem psalmodia quæ cantatur inter operandum; primum quæ remansit post primam, et post capitulum; postea omnes regulares horæ more canonicorum a prima incipientes. Inter cujus etiam preces subjungitur etiam psalmus quintus, et septem psalmi per alias horas divisi; tres qui remanent toti inter preces completorii dicuntur; et completorium ipsum præcedunt vesperæ pro fidelibus defunctis, adnectuntur psalmi qui solent dici pro fa- C miliaribus post tertiam, et post duas horas quæ sequuntur. Si visum fuerit domino abbati ut amplius operentur, ampliatur quoque psalmodia de psalmo, *Ad Dominum cum tribularer*, usque ad finem Psalterii, et tunc etiam a principio, *Gloria Patri*, etc., post tres psalmos interposito. Verum illis psalmis pro familiaribus finitis, postea domnus abbas cum primum voluerit, innuit fratribus ab opere cessare, et ad se magis appropiare, jubet ut aliquid legatur, citius tamen finiendum, quia ipse facturus est inde sermonem; loquens aliquid tale, maxime de vita Patrum, quod ædificet audientes. Quo finito, iterum imposita psalmodia revertuntur; quam, et pueri cum primum claustri limen attigerint, altiore voce levant, nec prius in capitulo consistunt quam conventus ante capitulum, domino abbate pronuntiante versum, *Adjutorium*, faciunt universi ante et retro; et iterum præmisso, *Benedicite*, accipiunt licentiam loquendi. Ergo nona quoque magis quam in aliis diebus acceleratur. Postquam ventum fuerit ad horam loquendi, rursus ad opus manuum ire compelluntur.

Hæc est psalmodia quam tunc adoriuntur. Primum psalmi pro familiaribus, qui post vesperas ex more dicuntur; Vesperæ de Omnibus Sanctis, Vesperæ pro fidelibus defunctis cum antiphonis: Officium pro defunctis absque matutinis laudibus, quæ semper ad noctem servantur, *Deus auribus*. *Verba*

mea. Postea inchoant psalmodiam ubi eam priore vice intermiserunt. Post quam reversi fuerint, ea vice sermo fieri solet in claustro ; a quo exsurgentes et facientes ante et retro, domno abbate ex toto pronuntiante, tum iterum dicunt hunc versum : *Benedictus es*, *Domine Deus* : et sequitur *Kyrie eleison* cum familiari appendicio ; et novissime versus, *Adjutorium nostrum*, et facto ante et retro datur licentia loquendi. Si videtur domino Abbati ut opere facto bibant, postquam pulsato signo ad vesperas fecerint orationem, cymbalo percusso vadunt in refectorium, et potio propinatur melle, vino et absynthio confecta. Et sciendum est quia quoties hoc contigerit, postea nequaquam, ut aliquando solent, bibunt inter collationem. Quod si non nisi semel operantur, tunc sermonis locus est in claustro, et versus ille non differtur, ut non statim dicatur, *Benedictus es*, *Domine.* Et si quando fient in sequente nocte duodecim lectiones, minime bis operantur. Si in pistrinum ierint ut panem faciant, propter opus hujusmodi non differunt illos post primam psalmos pro familiaribus, vel septem psalmos. Post capitulum lavant generaliter manus, et non tergunt; et sic imposita psalmodia procedunt in pistrinum. Pueri, vel si quis sanas manus habet, non se intromittunt ut tangant quid de conspersione farinæ et hi a quibus panes formantur, postea quidquid sudoris fuerit in eorum facie, minime taugunt illos, nec os aperiunt ad psalmodiam, ne forte de saliva quid saliat in massam. De sermone quoque nulla tunc mentio fieri solet, nec alio versu clauditur illud opus manuum, quam cum eo, *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

CAPUT XXXI.

De Dominica tertia post Pentecosten, et septimana

Post commemorationem sanctæ Trinitatis, in illa Dominica quæ primo occurrit cantantur responsoria de libro Regum usque ad Kalendas Augusti. Et tunc de libro Salomonis usque ad Kalend. Septembris. Quibus ad unam vicem cantatis in cæteris Dominicis ad nocturnos tertium, septimum et undecimum responsoria cantantur de sancta Trinitate, quartum, octavum et duodecimum illa minora, ut est, *Domini est terra :* Quorum etiam similia cantantur, si qua sanctorum festivitas cum duodecim lectionibus agitur; quæ tamen non sit de majoribus, sed talis, ut est quælibet Dominica : et non solum in hoc tempore, sed etiam postea semper quam venerit Pascha. De hac autem Dominica, et septimana non est abs re si plus aliquantulum dixero quam de aliis ; quia nonnulla, quorum usus est in istis ad obsequium divinum, tenentur etiam per omnes Dominicas et septimanas usque ad Adventum Domini, excepto si non pro aliqua festivitate mutantur. Primo ad vesperas in Sabbato capitulum, *Benedictus Deus.* Quod etiam tam in privatis diebus, quam in Dominica ad vesperas, semper idem est. Ad noctes sequentes tria sunt invitatoria vicissim, id est, *In manu tua. Adoremus Dominum.* Ad cantica, Alleluia, ut antiphona, *De Sion.* Ad laudes super psalmos tres, alleluia, ut, *Dico vobis.* Ad hymnum trium puerorum antiphonæ propriæ habentur ; ad sequentem psalmum, alleluia, ut antiphona, *In Domino laudabitur.* Capit. *Benedictio et claritas.* Ad primam, alleluia, ut *Hortus conclusus est;* capitulum, *Regi autem sæculorum,* collecta de sancta Trinitate, quæ etiam ad hanc horam, et in hoc die, per totum annum semper in dicenda ; nec pro aliqua vel præcipua festivitate mutanda. Post consecrationem salis et aquæ antiphona, *Asperges me ;* in exitu processionis ad ecclesiam Sanctæ Mariæ antiphona vel responsorium de ipsa; per claustrum de istis tribus antiphonis una, id est, *Cum venerimus ;* alia, *Oremus dilectissimi nobis ;* alia *Omnipotens Deus, supplices te* ; et si opus fuerit amplius quid addit, antiph. *Dimitte nobis, Domine.* Ad stationem in vestibulo ecclesiæ antiphona, *Benedicat nos Deus*, vel aliquod responsorium de S. Trinitate ; in chorum redeundo antiphona vel responsorium de sanctis apostolis Petro et Paulo. Ad tertiam, alleluia, ut antiphona, *Christi Virgo* ; capitulum, *Deus charitas est* ; ad sextam, alleluia, ut *Inter natos*; cap. *Alter alterius*; ad nonam, alleluia, ut, *Innuebant*; cap. *Empti enim estis* ; collecta ad sextam et nonam, *Deus qui conspicis. Gratiæ tuæ, quæsumus.*

In privatis noctibus ad nocturnos est capitulum, *Vigilate.* Ad laudes, *Nox præcessit*; ad primam capitulum, *Pacem et veritatem* ; collecta, *Domine Deus, Pater, qui ad principium.* Quæ ambo privatis diebus ita sunt conglutinata ut nunquam ab eis separentur. Ad tertiam capitulum, *Sana me, Domine* ; ad sextam et nonam eadem quæ in Dominica ; collectæ quæ notantur in collectaneo. Ad completorium cap. *Tu autem in nobis* ; et collecta *Visita, quæsumus* ; ista sunt immobilia, ut sive sit dies privatus, sive solemnis, ipsa nequaquam moveantur. Quod si non est Dominica dies, et tamen duodecim lectiones, ad primam est collecta *In hac hora hujus diei, quæsumus.* Quæ notiora æstimavi, præterivi, velut quod in Sabbato ad vesperas super canticum Evangelii antiphona, *Quasi germana est ;* Responsorium de eodem libro; ad laudes, et secundas vesperas de Evangelio, vel quod in privatis noctibus ad matutinas est de ipso cantico, ad vesperas iterum de Evangelio. Eo quoque Sabbato, in cujus sequente nocte aliqua sunt responsoria inchoanda, non cantatur ad vesperas feriale responsorium, sed unum de ipsis responsoriis inchoandis. Si autem meministi eorum quæ superius in aliis locis memoravi ; me tacente modo, tamen scire potes quod collecta quæ ad quamlibet Dominicam pertinet, dicenda est in Sabbato ad vesperas, et post nocturnos ad Evangelium, ad matutinas laudes, missam matutinalem, ad tertiam, ad majorem missam, utrasque vesperas. In privatis autem noctibus habentur in collectaneo, et hæ collectæ quæ dicendæ sunt ad nocturnos, et laudes, et vesperas. Et sacerdos,

si voluerit, ut non reprehendatur, caveat ne aliquam dicat ignotam, sed quæ bene simulet stylum Gregorianum, et sui mediocritate et ipsorum verborum humilitate.

CAPUT XXXII.

De Nativitate S. Joannis Baptistæ.

Inter natos mulierum, juxta ipsius Domini testimonium, *cum nemo surrexerit major Joanne Baptista*, non est indignum si ejus quoque solemnitas solemnius quam aliorum sanctorum celebretur. Celebratur autem ejus Nativitas cum octavis, nec sunt plures sanctorum pro quibus hoc fiat, tantum aliæ quatuor festivitates similiter aguntur, id est, Natalis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Translatio S. Benedicti, Assumptio sanctæ Mariæ, et Depositio S. Martini; de quibus, ut primo dicam quod omnes communiter habent, prima nocte post laudes et præcedentes vesperas agitur processio ad altaria singulorum, excepto Natali apostolorum Petri et Pauli, in quorum honore est ipsum altare principale. Agitur autem cum aliquo responsorio, collecta quoque aliqua sequente cum tonali pronuntiatione. Per totam singularum festivitatum septimanam venia non petitur ad initia horarum, nec procumbitur super formas ad preces. Item ad singulas horas de psalmodia non minus omittitur quam in pascali tempore quoties duodecim lectiones non fiebant. Octavus dies totus est solemnis, duodecim lectionibus agendus. In ea quoque Dominica, si qua venerit, non aliud legitur vel cantatur quam de ipsis. In privatis noctibus, etiamsi sit tempus æstivum, tamen tres lectiones cum tribus responsoriis fiunt; principalis quoque collecta, quæ in primo die ad majorem missam dicebatur, postea usque ad octavum diem semper est dicenda ad laudes, tertiam, majorem missam et vesperas. Præfatio autem tantum in primo die ad utramque missam, in octavo die ad solam majorem. Hoc solum minus habent, et ab aliis dissimile, Nativitas sancti Joannis, et Translatio sancti Benedicti, quod in octava nocte novissima nocturnorum responsoria sunt de his minoribus, ut est, *Justus ut palma*. Quod tamen omnibus ejusdem festivitatibus, quæ in æstate veniunt, est commune, Dominica interveniente ut similia responsoria cantentur. Igitur succincte prælibato quod, ut dixi, communiter habent, videndum est modo quod proprie pertinet ad memoriam S. Joannis. In vigilia ad vesperas, collecta, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua.* In nocte ad Evangelium, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus.* Quæ et per octavas frequentatur. Ad matutinas, *Deus qui præsentem diem*; quæ ad tertiam, ad missam, et ad vesperas iteratur, ibique ex toto finitur. Verum nesciosi quid dicere possim quod non jam noveris per ea quæ a me superius de solemnitatibus sunt relata.

Interrog. Non sum oblitus illorum; verumtamen est quod adhuc libenter audierim, quo ordine per octavas ad nocturnos, et alias horas antiphonæ dicantur.

Resp. Hoc etiam a fratre, cujus supra memini, quærere non omisi, et aliud nescio vel de ipsis octavis, vel de aliis, nisi quod ille rursus mihi dixerit; pro cujus testimonio, solemnitas diei agitur, si venerit, verbi gratia in feria sexta, in Sabbato quod sequitur in primo nocturno super psalmos antiphona, *Priusquam te formarem.* In 2 antiphona, *Ad omnia.* Ad matutinas iterum super psalmos. *Elisabeth Zachariæ.* Super cant. Evangelii, *Innuebant patri ejus*; ad primam, *Ne timeas*; ad tertiam, *Misit Dominus*; ad sextam, *Ecce dedi*; ad nonam, *Dominus ab utero*; ad vesperas, *Joannes est nomen*; ad Magnificat, *Pro eo quod non credidisti.* Ad Dominicam in 1 nocturno, *Posuit os meum*; in 2, *Formans me*; ad cant. et ad matutinas de SS. Joonne et Paulo; post canticum Evangelii, *Apertum est os*; ad primam, *Elizabeth*; ad tertiam, *Innuebant*; ad sextam, *Inter natos*; ad nonam, *Tu puer*; ad vesperas, *Ex utero senectutis* ad Magnificat: *Ex posuerunt omnes.* Feria secunda in 1 nocturno, *Posuit os meum*; in 2; *Formans me*, ad matutinas de S. Irenæo et sociis ejus; de S. Joanne antiph. *Joannes vocabitur*; ad sextam, *Reges videbunt*; ad non. *Nazaræus vocabitur*; ad vesperas, *Ipse præibit*; item *Puer qui natus est.* Feria 3, in 1 nocturno, *Erit enim magnus*; in 2, *Inter natos*, matutinæ de S. Leone, de S. Joanne, *Tu puer*; matutinalis missa de S. Leone; ideo ad solam primam antiphona de eodem, ad tertiam, *Joannes est nomen*; ad sext. *Ipse præibit*; ad non. *Ex utero*; ad vesperas non de S. Joanne, sed de S. Petro; et 1 antiphona, *Beati eritis*; propter quos etiam mutantur octavæ, ut non amplius dicantur de S. Joanne, nisi post matutinas et vesperas regulares, una antiphona et collecta; de quo tamen octavus dies pleniter celebratur tam cum duodecim ad nocturnos antiphonis, quam etiam 12 lectionibus et responsoriis.

CAPUT XXXIII.

De Natali apostolorum Petri et Pauli.

Vigilia Natalis SS. apostolorum, et vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ habent aliquid singulare, et quod in nullis aliis sanctorum vigiliis solet agi; nam ad majorem missam pulsantur omnia signa et, præter quod non angelicus Hymnus nec alleluia cantetur, alia solemniter omnia fiunt. Chorus, ut aiunt, ab uno tenetur in cappa, responsorium a duobus cantatur in cappis, subdiaconus vestitur tunica, diaconus dalmatica, unus offert, omnes accipiunt pacem; *Kyrie eleison, Sanctus, Agnus Dei*, singula cum quotidiana melodia cantantur. Est autem in priore vigilia, ut et supra memini, Depositio S. Leonis papæ; et, in sequente, Depositio sancti Eusebii presbyteri, de quibus et missa matutinalis cantatur; propter quod tamen generalis oblatio non omittitur, et pax ab uno accipitur. Post primam collectam cæteræ quæ sequuntur omnes sunt pro defunctis; quod similiter fieri solet quoties eadem missa cantatur pro salute vivorum; non autem est

consuetudo ut unquam in duodecim lectionibus hoc fiat.

Sed revertamur ad ipsum Natalem sanctorum apostolorum. Domnus abbas constituit ante hos annos, ut ad psalmos nocturnorum hæ cantentur antiphonæ, quarum prima est, *In plateis.* Evangelium sequitur ea collecta quæ dicebatur ad vesperas, id est, *Deus, qui Ecclesiam tuam apostoli tui Petri*, quanquam ad laudes, et ad majorem missam dicitur, *Deus, qui hodierna.* Et si hoc aliquando contigerit, tamen non præjudicat generali consuetudini collectarum, quod hujusmodi si dicuntur ad vesperas dicuntur etiam ad matutinas laudes, et ad alias vices. In die cum processio solemniter sit agenda, si est Dominica dies, agitur ante tertiam; puto propter consecrationem salis et aquæ ex more gerendam. Si qualibet alia feria, post tertiam; quod item observatur in Assumptione S. Mariæ et in Nativitate Domini. Ad ipsam autem processionem cantari solet respinsorium. *Quem dicunt homines;* et aliud. *Magnus sanctus Paulus.* Ad stationem antiphona, *Hodie illuxit nobis?* In chorum redeundo respons. *Quodcunque ligaveris;* aliud, *Sancte Paule.* Horarum hymni augentur eo versu, *Vos sæcli justi*, etc. Vesperæ secundæ de ambobus apostolis communiter aguntur, tamen singulariter de utroque dicenda est collecta; et primo de S. Petro, postea de S. Paulo antiphona et collecta. Collecta quæ ad majorem missam primo die dicebatur, ita mutatur: *Deus, qui Ecclesiam tuam apostolorum tuorum Petri et Pauli prædicatione docuisti* : et est dicenda per totam octavarum septimanam. Cujus etiam commemoratio singularis cum agatur in sequente die, de S. Petro tantum ad matutinalem missam est collecta : ad matutinas et vesperas antiphona et collecta, sicut etiam ad has horas, de S. Joanne, sed de illo sine salutatione.

Tertius dies est quoque octavus Nativitatis ejusdem S. Joannis Baptistæ, in quo communiter amborum apostolorum meminimus ad vices prænominatas, non quarto die pro computo, quæ supra, verbi gratia, proposuimus, cum sit Sabbatum : in primo nocturno antiphona, *Tollite jugum meum* ; in 2, *Jugum enim meum.* Respons. 1 et 3 de S. Petro 2, de S. Paulo. Ad mat. laud. *Petrus apostolus et Paulus* ; ad Benedictus, *Inseparabilis fides* ; ad primam antiph. *In omnam terram;* ad tertiam, *Jam non dicam vos servos.* Officium missæ non est aliter cum omnibus suis appendiciis, quam quasi generaliter de apostolis, sicut et aliis diebus infra octavas, præter collectam, quæ sola proprie est de S. Petro et de S. Paulo ; ad sextam antiph. *Tradent enim vos*; ad nonam, *Gaudete et exsultate ;* ad vesp. *Gloriosi principes terræ ;* ad Magnificat antiph. *Isti sunt viri sancti.* Dominica in 1 nocturno antiph. *Petrus apostolus* ; in 2, *Inseparabilis fides ;* ad cantic. *Vos qui reliquistis omnia* ; ad mat. laud. *Beati pacifici* ; ad Benedictus, *Sanctum et verum lumen ;* ad primam, *Hoc est præceptum meum* ; ad tertiam, *Majorem claritatem*, ad sextam, *Vos amici mei ;* ad nonam, *In patientia vestra ;* ad vesperas, *In regeneratione ;* ad Magnificat, *O cœli janitor.*

Feria II, Translatio S. Martini, de quo, etsi ad nocturnos alia resp. simul cum antiphonis omnibus sunt de ejus vita, tamen 3 et 7 et 11 sunt de illis rebus quæ pertinent ad quemlibet confessorem, et similiter illæ antiphonæ ad matut. laudes.

Feria III, in 1 nocturno antiph. *Principes populorum* ; in 2, *Tradent enim vos ;* ad mat. laud. *Hoc est præceptum meum* ; ad primam, *Majorem charitatem* ; ad tertiam. *Vos amici mei estis ;* ad sextam, *Beati pacifici ;* ad nonam, *In patientia vestra* ; ad vesp. *Beati eritis*; ad magnif. *Isti sunt duæ olivæ.*

Feria IV, cum sit dies octavus 12 lectionibus agendus ; ad nocturnos et antiphonæ et responsoria de his duobus apostolis alternantur. Quomodo autem, quia in nullo antiphonario inveni, certe de ipsa brevi factum notare curavi, et ita quoque vestræ communico dilectioni. Ad nosturnos 1, antiphona, *In plateis* ; 2, *Qui operatus est* ; 3, *Ait Petrus* ; 4, *Scio cui* ; 5, *Petrus apostolus* ; 6, *Mihi vivere* ; 7, *Factum est* ; 8, *Tu es vas electionis* ; 9, *Adveniente Petro* ; 10, *Magnus S. Paulus* ; 11, *Ponens Petrus* ; 12, *Bonum certamen.* Responsorium 5. *Tu es pastor ovium ;* 6, *Reposita est mihi* : 7, *Ego pro te rogavi*; 8, *Sancte Paule*, antiphona. *Gloriosi principes terræ*; resp. 9, *Beatus es, Simon Barjona* : 10, *Magnus, S. Paulus* ; 11, *Quodcunque ligaveris* ; 12, *Isti sunt duæ olivæ.* Ad mat. laud. antiph. *Petrus apostolus et Paulus*, etc. *O cœli janitor*, etc. *In regeneratione Inseparabilis fides. Sanctum et verum lumen.*

CAPUT XXXIV.

De translatione S. Patris Benedicti.

Depositio præceptoris nostri S. Benedicti cum sit in Quadragesima, non est opportunum propter ipsam ut cum octavis celebretur, propterea quod ea vice non bene possumus, ut in ejus translatione faciamus, et illam celebremus cum octavis, de qua qualiter facta fuerit, vel cujusmodi persona in Gallias sacrosancta attulerit ossa, manifesto litterarum testimonio non caremus. Et in prima nocte legitur ad nocturnos, et in aliis per octavas noctibus, pulcherrimus sermo domni Oddonis de eodem Patre. Verum ut iterum manifestiora transeamus, veniamus ad ordinem antiphonarum per octavas ad singulas horas cantandarum, in quo plane mei similis potuerit errare, si non habet inde aliquid aliquo modo prænotatum. Igitur ut computum semel incœptum teneamus, solemnitas de qua agitur, si evenerit in II feria, vel in feria III. In 1 noct. antiph. *Fuit vir vitæ* ; in 2, *Ab ipso pueritiæ* ; ac mat. laudes antiph. *Beatus vir Benedictus*; alia, *Erat vir Domini*; ad primam, *Dum in hac terra* ; ad tertiam, *Liberiori genere* ; ad sextam, *Relicta domo* ; ad nonam, *Recessit igitur* ; ad vesperas, *Hic itaque* ; alia, *Sanctissime confessor.*

Feria IV, in 1 noctur. antiphona, *Compassus* ; in 2, *Expetitus a fratribus* ; ad mat. laudes, *Erat vir Domini* ; alia, *Gloriosus confessor* ; ad primam,

Cumque sibi conspicerent; ad tert. *Inito consilio*; A ad sext. *Tunc ad locum*; ad nonam, *Tantum gratiam*; ad vesp. *Qui dum eremum pergeret*; alia, *O beati viri Benedicti*. Feria v, in 1 nocturno, *Fuit vir vitæ*; in 2, *Ab ipso*; ad mat. laud. *Gloriosus confessor*; alia, *Vir Domini*; ad primam, *Dum in hac terra esset*; et reliquæ ut in feria iii, nisi ad magnif. *Orabat S. Benedictus*, Dominica in 1 noct. *Fuit vir vitæ*; in 2, *Compassus*; ad cantica, *Hic itaque*; ad mat. laud. *Puer quidem parvulus*; ad primam *Beatus vir Benedictus*; ad tertiam, *Vir Domini*; ad sextam, *Gloriosus*; ad nonam, *Vir Domini*; ad vesp. *Oramus te*; alia, *Exsultet omnium*, etc. De octavo die non habeo aliud referre, præter quod et supra jam retuleram. Unum tamen B est, cujus nondum memini, quod ad secundas vesperas super psalmos hæ quatuor antiphonæ cantantur quæ ad nocturnos primæ fuerunt; et hoc fieri solet non in hac tantum festivitate, sed etiam in aliis, si antiphonæ nocturnorum sunt istis similes, ut magis sint tractæ de vita sanctorum, quam de textu et materia psalmorum.

CAPUT XXXV.

De benedictione uvarum, et aliorum fructuum.

In multis libris missalibus habetur benedictio uvarum, et maxime ad Natalem S. Sixti martyris et papæ; sed si nondum sunt maturæ, custos ecclesiæ observat quando primum maturescant ut faciat eas ad ecclesiam deferri; allatas armario repræsentat, et armarius sacerdoti inter canonem ad horam C competentem et prænotatam (4) ut eas benedicat. Postea in refectorio per sacerdotem distribuuntur in loco hostiarum, quod non omittitur etiamsi est dies Dominicus. Sunt præterea et aliæ tres species quæ ex more in refectorio benedicuntur, id est, novellæ fabæ, novellus panis, et mustum; et hoc modo: lectio prius inchoatur, post cujus versum primum stat sacerdos in medio refectorii ante mensam principalem, et præmissa salutatione singula benedicit fabas ita: *Benedic, Domine, hos fructus*: pro pane, *Benedic, Domine, creaturam istam panis*; pro musto, *Domine omnipotens Jesu Christe, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti*, etc. D

CAPUT XXXVI.

De Assumptione B. Mariæ.

In vigilia Assumptionis S. Mariæ ad vesperas super psalmos antiphona, *Tota pulchra es*; collecta, *Deus qui Virginalem*; ad processionem vespertinalem, respons., *Super salutem*; collecta eadem quæ supra: ad nocturnos legitur sermo sancti Hieronymi, *Cogitis me, o Paula*, qui cum tantæ sit excellentiæ, ad nonam lectionem nequaquam pronuntiatur Evangelium, sed omnes lectiones de eodem sermone fiunt. Evangelium, *Repleta est Spiritu*; collecta, *Veneranda nobis*. Eadem ad ambas futuras processiones. Ad matutinas laudes, ad tertiam, et majorem missam collecta, *Famulorum tuorum*, quæ per totas octavas dicenda: ad processionem matutinalem, respons. *Gaude, Maria*. In die antiphona, *Tota pulchra*. Per claustrum, respons. *Quæ est ista*; aliud, *Ista est speciosa*; ad stationem, *Gaude, Maria*; ad introitum ecclesiæ antiph., *Hodie beata virgo*; respons. *Beata es virgo*; ad majorem missam *Credo*, sicut etiam ad omnes festivitates beatæ Mariæ; ad vesperas psalmi, *Dixit Dominus. Lætatus. Nisi Dominus. Memento*. Excepta Hypapante Domini. De ordine antiphonarum quæ dicendæ sunt ad omnes horas per octavas, non æstimaverim opus esse ut aliud dicam, nisi quod ad nocturnos singularum noctium sunt quoque de nocturnis primæ noctis: item ad matutinas laudes de matutinis laudibus: ad cæteras horas hæ cantari solent antiphonæ, quarum prima est, *Ecce tu pulchra es*. Et officium per octavas, *Salve, sancta Parens*; in octavo die, *Gaudeamus*. Ad omnes hymnos horarum additur, *Gloria tibi, Domine, qui natus*, et similiter ad omnia festa S. Mariæ.

CAPUT XXXVII.

De eo quod cantatur in Septembri.

In Septembri cantantur responsoria de libro Job per duas Dominicas. Item per duas Dominicas de libro Tobiæ, Judith, Esther et Esdræ. Quod si qua festivitas occurrerit in ipsis Dominicis quæ impediret, si ad præsens ageretur, ut responsoria de præfatis libris suo tempore cantari non possent, pro hujusmodi in sequentem diem ipsa festivitas differtur, et non erit necesse vel hoc vel illud remanere. Hic quoque omittuntur responsoria de Sancta Trinitate, et illa minora de volumine psalmorum, ut non ad nocturnos inter alia responsoria cantentur. Hic enim inchoatur, ut quotquot responsoria cantantur, ad nocturnos vel matutinas laudes cum *Gloria Patri*, his et adhuc adjungatur, *Sicut erat*; quod huc usque fiebat a Pascha ad vesperas; amodo autem non ad vesperas, sed, ut præmissum est, ad nocturnos, et matutinas laudes, usque iterum ad Pascha. Sciendum tamen est quia si talis festivitas celebratur ut duo simul primum responsorium cantent, tunc hæc adjectio non observatur.

CAPUT XXXVIII.

De Exaltatione S. Crucis.

In Exaltatione S. Crucis, sicut etiam in Inventione, agitur aliquid contra morem aliarum festivitatum. Nam cum 1 vesperæ sint de sancta Cruce, ad nocturnos psalmi omnes, et 8 lectiones sunt de sanctis; sed iterum de sancta Cruce super cantica, *Domine audivi*. Quorum prima incisio est in eo versu, *Pro iniquitate*; secunda in eo, *Egressus est*; et postea non solum 4 extremæ lectiones et matutinæ laudes, sed etiam de cætero omnes horæ sunt de sancta Cruce. In ejus autem Exaltatione, finita tertia, priusquam officium missæ inchoetur, porte-

(4) *Prænotatam*, Scilicet, ait Acherius ad hæc verba: *Per quem hæc omnia. Domine, bona creas*, etc.

tur crux pallio cooperta a duobus albatis ante altare A principale; quam discooperientes, imponunt antiphonam, *Ecce lignum crucis*, et omnes veniam petunt, et tapetibus in terra constratis, ita ut sunt albati ad terram prostrati adorant; interim antiphona post antiphonam prænominatam sequitur alia, id est, *Crucem tuam*, quæ recantatur per singulos versus psalmi, *Deus misereatur*, et postea quælibet aliæ antiphonæ de sancta Cruce; quæ postquam adorata fuerit a conventu, sublevatur cantando antiphonam, *Super omnia;* et venia iterum ab omnibus est petenda. Psalmis ad vesperas, *Dixit Dominus*, *Confitebor*, etc., super quos eadem cantantur antiph. quæ ad matutinas laudes, prima tan- B tum ablata. Beatissimo Patri, domno scilicet Odiloni videbatur multum congruere ut, eo die quo crux adoraretur, jejunium fieri deberet, propter quod constitutum est ab illo, et quasi pro legitimo Ecclesiæ nostræ indicto, ut, si Exaltatio S. Crucis evenerit in quarta feria, sexta, vel Sabbato, ea vice minime curetur de termino jejunii Quatuor Temporum, sed statim in ea septimana agatur. Adhuc autem de sancta Cruce sciendum est quia de ea major missa cantari solet omni VI feria, ab octavis Paschæ usque ad adventum Domini; et ab octavis Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, nisi forte dimittatur propter officium alicujus sancti, vel propter officium de aliquo jejunio, vel propter octavas; ferialis tamen Epistola legitur, vel Evangelium feriale.

CAPUT XXXIX

De eo quod ab Idibus Septembris semel comeditur.

C Ab Idibus Septembris semel tantum comeditur, et in privatis diebus de hoc ordine nihil mutamus, quem per totam habuimus æstatem quoties jejunium fiebat. Item in duodecim lectionibus quia bis sumus comesturi, per omnia quoque facimus sicut et prius.

CAPUT XL

De consuetudinibus incipientibus a Kalendis Octobris usque ad Kalendas Novembris.

A Kalendis Octobris usque ad Kalendas Novembris cantantur responsoria de libro Machabæorum; ad nocturnos hymnus, *Prime dierum*; ad laudes *Æterne rerum Conditor;* de cætero quoque ex toto dimittitur pausatio meridiana. Si sunt duodecim lectiones, post prandium sedemus in clau- D stro ad lectionem, usque dum servitores surrexerint a mensa. Pulsatur signum majus, et oratione facta, quod minus fuerit, ut nona cantetur. Ambulamus solito more in refectorium ut bibamus, sed aqua nequaquam ulterius propinatur. In privatis diebus aurora apparente pulsatur scilla, et continuo nocturnalibus induti festinamus ad ecclesiam; præmissa breviter oratione, cantamus primam, sequentibus septem psalmis et letania. Si aliquando contigerit, per incuriam custodis ecclesiæ, ut non sit clara dies, sedemus in choro capite cooperto, et pueri cum magistris in capitulo, usque dum legere possumus cum luce diei. Vacamus lectioni usque ad tertiam, pulsatur scilla, et tunc primum diurnalibus nos calceamus; lotis manibus et facie, et pexo capite, imus ad ecclesiam, et procumbendo ad orationem pueros exspectamus; quibus ingredientibus pulsatur signum facimus tres orationes, pulsatur scilla, cantatur tertia, missa quoque matutinali simul adjuncta. Non solum post capitulum, sed etiam post sextam habemus licentiam loquendi, quanquam illud spatium soleat esse brevissimus; nam non amplius erit quam ut sacerdos et cæteri ad majorem missam servituri, lavent manus, et sint ad induendum se parati. Pulsatur signum ut omnes occurramus ad orationem; qua facta, imponitur letania; et hi vestiunt, sequorum supra memini, ad ministerium missæ. Si est quarta feria aut sexta, prius nos audito signo discalceamus quam occurramus ad orationem, ut nudis pedibus faciamus processionem Finita missa signum pulsatur ad nonam, et orationem facimus priusquam exeamus ad lavandum pedes: aut si non est dies in quo processio fiat, in choro tamen legendo exspectamus usque dum servitores potuerint prandisse; pulsatur scilla iterum ad nonam. Quod etiam et si nondum dixerim, tamen per totam æstatem quoties dies est jejunii, similiter observatur.

CAPUT XLI.

De consuetudinibus in Novembri.

A Kalendis Novembris cantantur responsoria de libris Ezechielis, Danielis, et aliorum minorum prophetarum. In privatis diebus, et si nullæ fiant octavæ, postquam semel surgimus, non redimus ad lecta. Hic denuo inchoamus quod omissum est a Cœna Domini, ut triginta psalmos cantemus ante nocturnos. Item officium defunctorum, quod usque post vesperas agimus, amodo post nocturnos agere solemus, matutinis laudibus quoque defunctorum simul adjunctis. Reliqua psalmodia, ut moris est, cantatur ad ecclesiam Sanctæ Mariæ; regularibus matutinis laudibus prima cum suis appendicis continuatim adjungitur. Hic etiam si ordinem nostrum per omnia tenere volueris, habes meminisse quod, postquam officium agitur in nocte, non est opus ut in duodecim lectionibus post singulas horas psalmus, *Ad Dominum cum*, pro ipso officio cantetur, pro quo primitus a S. Majolo est decretum, ut psalmus *De profundis* simul cum præfato psalmo diceretur; sed hunc postea domnus abbas mutavit psalmo *Voce mea*; et hoc addidit ut si officium geritur in nocte, propter hoc tamen ille psalmus non aliquando omittatur. Nam et per vices non solum pro officio, sed etiam pro tricenario alicujus nuper defuncti fratris deputatur; et si neutrum fuerit tamen post omnes horas sæpe pro fidelibus defunctis cantatur. Patre autem sæpe dictus, scilicet domnus Odilo, vir plane misericordiæ, perpendens quam difficile nonnulli fratrum pati possent, ut in tanta hiemis aliquando asperitate nudis quoque pedibus

procederent, hujusmodi processionem in quarta et sexta feria a Kalendis Novemb. usque ad caput jejunii pro pietate sua indulsit.

Interrog. Scire velim cujusmodi sit intervallum post psalmodiam in ecclesia S. Mariæ consummatam; vel quod interim maxime sit opus vestrum, vel ubi conventus moretur?

Resp. Breviter ad singula respondeam. Intervallum solet temperari, ut claustralis prior cum absconsa totum claustrum possit circuire; videt namque si omnia claustri ostia sunt clausa; perlustrat dormitorium a fine usque ad finem, nec minus ad ipsas necessarias. Pergit in domum infirmorum, ut videat per omnia quo modo se ipsi habeant infirmi. Redit per ecclesiam Sanctæ Mariæ in Majorem Ecclesiam. Nullum altare, quo quisquam fratrum accedere potest, dimittit invisitatum, ut videat quis ibi sit, vel quid agatur ab eo. Fratres autem de ecclesia S. Mariæ simul exeuntes, præter si qui opus habent ad necessarias ire, revertuntur in chorum, et singuli sedent in sedili suo caput cooperti, juvenes, qui in custodia sunt, juxta custodes suos, de quibus summopere cavetur ne simul ita sedeant, ut non habeant inter se probabilem et boni testimonii mediatorem, et unusquisque, postquam caput cooperuerit, facit quod sibi videtur vel quod potuerit; nam ut mei ipsius pro exemplo meminerim, erat aliquando quod intentius orabam, aliquando quod psalmos ruminabam, aliquando quod somno adeo gravatus eram, ut ita sedens vellem nollem dormitarem; sed si quis voluerit secretius orare, surgit, et seceditad aliquod altare; ubi tamen non diutius moratur, ut locum habeat alius similiter orandi; qui satis pauca sunt altaria tantorum fratrum multitudini comparata. In qua habitudinis diversitate fortassis plures non sunt mei dissimiles. Pueri sedent in capitulo, et per aliquem præcinentem cantum addiscunt. Quod si tanta est hiemis asperitas, est officina in qua grandis focus ab ipsis fratribus qui fuerunt coqui prioris septimanæ præparatur, et illuc omnes tam majores quam minores licenter accedunt, cum summa tamen gravitate, sicut dignum est in tali hora. Amodo quoque usque ad Cœnam Domini in privatis omnino diebus hymnus completorii est, *Christe, qui lux es;* si tamen nullæ sunt octavæ.

Interrog. Sed post Vesperas cum nec cœnetis, nec defunctorum geratis officium, quid aliud est quod geratur a vobis?

Resp. Imus in dormitorium, cultellos nostros deponimus, abstrahimus calceos diurnales et nocturnales induimus; sedemus in claustro ad lectionem, tangitur cymbalum ut manus lavemus, et in refectorium bibere veniamus. Sedemus iterum ad lectionem, sonatur scilla ad collationem. Itemque et illud pro certo noveris quod si aliquando contingit nobis invitis, et de industria nunquam, ut lux diei adhuc clare non appareat, quando dormitum collocamus, et propterea sustinere possumus inter alia tam prolixas lectiones, quæ nimirum quibusdam nostris commilitonibus, tam patrios mores quam ipsam patriam mutare volentibus, non minus graves essent ad audiendum quam massa plumbea fore solet ad portandum. Nec mirum quibus non est studium nobiscum dormire, si et ipsis non est studium nobiscum vigilare.

Et quia semel incœpi inde loqui, ut subinferam quæ adhuc de eodem genere novi, in Natali SS. apostolorum Petri et Pauli, nocturni et matutinæ laudes tantæ sunt prolixitatis, ut semper die adhuc clara incipiantur, et nunquam nisi die adhuc clara finiantur; propter quod cum scire possis quod illo die non erit hora tardior dormitum collocandi, venit mihi aliquando in mentem ut ipsam horam solis radio notarem, quem sequenti die quando cantavimus nonam in eodem vidi esse loco; ita ut momentum præcedentis completorii a momento nonæ sequentis nihil esset divisum; idcirco potuimus cum alacritate et cum aliqua devotione vigiliis interesse, nec erat necesse somno satiatis iterum in ecclesia somno gravari. Fratres qui de foris venturi sunt ad monasterium, eo præcepto et ea conditione non semel sunt constricti ut nunquam post completorium audeant venire. Frater qui erat ad vesperas in claustro, si ante completorium comedere neglexerit, post completorium nullius rei gratia habebit licentiam comedendi, excepto si tali infirmitate gravatur, verbi gratia, ego quadam vice cellerarium vidi tota die recipiendo vinum occupatum, et de prandio minime curavit; post completorium quærens a domino abbate licentiam prandendi, prorsus nihil obtinuit; et ita impransus, vellet nollet, cubitum recessit. Si videres quoque in Quadragesima quali hora damus operam ut dormiamus, utique fatereris satis nos mature surgere posse ad nocturnos. Hæc quasi extraordinarie sint dicta, ut noveris nos in comessationibus noctem expendere nolle.

CAPUT XLII.

De festivitate Omnium Sanctorum, et recordatione omnium Fidelium defunctorum.

In festivitate Omnium Sanctorum ad utrasque vesp. nec psalmi nec antiphonæ mutantur, et sicut per totum annum de ipsis quotidie cantamus psalmos *Confitebor*, *Credidi*, *In convertendo*, *Eripe me*; hymnus etiam est, *Christe Redemptor*; sed cum tam solemnis melodia quam et ipse dies est solemnis. *Kyrie, eleison* quoque ante Dominicam Orationem, cum in aliis diebus ad omnes regulares horas tunc ex utroque choro dicamus, in isto tamen ad vesperas et matut. laudes nonnisi tantum ad duas vices; quod etiam per totum annum similiter tenemus. Item ad vesperas et matut. laud. non aliæ preces dicuntur quam hi versiculi, *Post partum*. *In conspectu angelorum*.

Quamvis autem in sequenti die de S. Cæsario et de aliis sanctis duodecim lectiones fiant, tamen post vesperas, pulsatis omnibus signis diutius, cantantur quoque vesperæ defunctorum, et in nocte post mat. laudes de Omnibus Sanctis officium simul cum mat.

laudibus, et matutinalis missa solemnissime pro A omnibus fidelibus defunctis, pro quibus et singuli sacerdotes privatas missas sunt cantaturi. Sed nec ad vesperas, nec ad alias vices de collectis est amplius dicendum quam una tantummodo collecta, id est, *Fidelium, Deus.* Hoc enim decretum est a Patre Odilone, ut sicut in priore die commemoratio fieri solet Omnium Sanctorum, sic et in sequenti commemoratio omnium Fidelium defunctorum. Ergo unde acciderit quod hoc pius Pater constituit, qui ejus Vitam legerit, ibi bene hoc ipsum cognoscere potest. Hic autem, ut quod adhuc superest expleatur, duodecim pauperes ubertim sunt reficiendi de pane, vino et carne; et quotquot pauperes alii supervenerint, omnibus de pane et vino misericordia impendenda. Et quia refectio nostra non injuria B lautior est propter omnes sanctos quam propter omnes fideles defunctos, in ipsa festivitate Omnium Sanctorum quidquid panis et vini superest ad mensam ad eleemosynam datur. De hoc exemplari traxit et modo domnus abbas (quod jam in alio loco, si memineris, memoravi), ut post octavas Pentecostes specialis recordatio fiat illorum in quolibet loco nostro, qui in ipso loco sunt sepulti.

CAPUT XLIII.

De festivitate sancti Martini, et consuetudinibus quæ tunc inchoantur.

Quod festivitatem S. Martini cum octavis celebramus, hoc processit a primo loci nostri abbate proprio, scilicet domino Odone, qui Turonis oriundus S. Martini alumnus, et canonicus erat ibidem; unde antiphonas non antiquas, sed novas, quas C modo cantamus in Depositione S. confessoris et episcopi, super nocturnos ipse fecit, ipse hymnum, ipse quoque, ut præmissum est, octavas suas indixit. Cujus Vita cum sit luculento stylo composita, et de ipsis adeo virtutibus admiranda. SS. Patres nostri, sicut in Assumptione S. Mariæ, ita hic quoque noluerunt ut in ejus Depositione aliud Evangelium pronuntiaretur, vel alia homilia quam ipsa Vita legeretur. Omnibus horarum hymnis hic versus apponitur, *Martine, par apostolis.* Quod si iterum scire volueris quo cantentur ordine per octavas antiphonæ ad horas, nimirum non minorem antiphonarum copiam habemus quam in præfata Assumptione S. Mariæ; ideoque quod tunc fecimus, nunc ipsum quoque facere solemus, ut antiquas D nocturnorum antiphonas ad nocturnos per ferias cantemus. Illas quæ sunt de matut. laudibus ad matut. laudes. Novas autem, quas jam dixi a S. P. Odone dictatas, per diurnas distribuimus horas. Nocturnos ad octavum diem appendentes, cum plenum habeant officium tam in antiphonis quam in responsoriis, ea vice cantamus antiquas. Dies autem cum jam sit adeo brevis, ideo a festo S. Martini usque ad Purificationem S. Mariæ, quoties bis comedimus, post prandium non exspectamus cum nona servitores; sed statim, cum a mensa surgimus, chorum intrantes, et eo stantes ordine quo solemus ad horas, cantamus eam, et per se postea servitores: nec amplius ante vesperas ad bibendum in refectorium redimus. Per octavas S. Martini, et per octavas Dominicæ Nativitatis et Epiphaniæ, duabus vicibus manducamus; post matut. laudes dormimus; inde primam cantamus. Officium tamen Defunctorum de loco suo non omittimus inter nocturnos et matut. laudes agendum.

CAPUT XLIV.

De Adventu Domini.

In Adventu Domini, quoties duodecim fiunt lectiones, abstinemus ab adipe; minime tamen cantatur, *Gloria in excelsis*, quanquam alias Natali S. Andreæ apostoli tantum deferatur, ut ejus octava dies pleno per omnia celebretur officio. Ad primam capitulum mutatur, sicut etiam in Septuagesima, ut pro *Regi autem sæculorum* dicatur *Domine, miserere notri.* Per omnes Dominicas usque ad Natalem Domini post *Alleluia*, sequentia cantatur. Commemoratio S. Crucis post vesperas et matut. laud. omittitur usque post octavas Epiphaniæ; unde et post primas vesperas Adventus Domini, non ad Sanctam Crucem, sed ad S. Mariam agitur processio cum respons. *Missus est*; post matut. laudes cum respons. *Ecce Virgo*; collecta, *Deus, qui salutis*, vel *Deus qui de beatæ*; *Gratiam tuam*; *Benedicta.* In die cum resp. *Ave Maria*; per claustrum cum antiphona *Venite omnes*; et, *O quam casta Mater*; novissime, ut moris est, cantatur aliquid de apostolis; sed præfatæ antiphonæ per alias quoque Dominicas non mutantur, nec capitulum ad tertiam, *Ecce dies veniunt*, usque ad novissimam Dominicam in qua dicendum est *Gaudete in Domino.* In privatis diebus ad matut. laud. et vesperas, quod et in alio loco jam non tacui, dicuntur hæ preces, *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ.*

Inter. Nunquid et in aliis Dominicis acturi estis iterum process, cum resp. ad matut. laudes, et vesperas?

Resp. Minime.

Inter. Et quas antiphonas cantatis ad horas regulares?

Resp. In qualibet Dominica antiphonæ, quæ cantatæ sunt ad matut. laudes, cantantur et ad primam et sequentes horas. In privatis diebus non aliæ cantantur quam quotidianæ usque ad septimanam jejunii Quatuor Temporum.

CAPUT XLV.

De septimana jejunii Quatuor Temporum.

Quod si vigilia Natalis Domini evenerit in sabbato, tunc agitur jejunium Quatuor Temporum in septimana præcedente; in cujus etiam præcedente secunda feria ea vice nunquam differtur, ut non ad matut. laudes hæc inchoentur antiphonæ *Ecce veniet Dominus.* Tunc etiam per occasionem istarum antiphonarum, et aliarum quæ ab O littera incipiunt, habentur in antiphonario quasi omnino vacantes antiphonæ; et hæ ad diurnas cantantur horas, verbi gratia, in secunda feria ad primam, antiph. *Dicit Dominus*; ad tertiam, *Consurge*; ae sextam. *Ele-*

vare; ad nonam, *Ponam in Sion.* Verum de his ferialibus antiphonis est una, id est *Nolite timere*, quæ semper reservatur, ut in Natali S. Thomæ apostoli post mat. laudes pro recordatione Dominici cantetur Adventus, nisi forte contingat ut ipsa festivitas de loco suo et die mutetur. Mutatur autem, si evenerit in sexta feria Quatuor Temporum, et in quinta præcedente celebratur : aut si evenerit in Sabbato, vel in sequenti Dominica, celebratur in secunda feria. In quarta feria jejunii inchoantur responsoria, *Clama in fortitudine.* In illis tribus noctibus, quibus eadem cantantur responsoria, pronuntiatur Evangelium, et non amplius quam Evangelii ex more legitur homilia ; prima tamen homilia cum sit longe minor duabus sequentibus ; ego quidem, si bene memini, plus aliquando lectum esse audivi, et additum de sermonibus sanctorum Patrum ; sed hoc postea reprehensum est a senioribus nostris. Tu ergo elige quod magis volueris e duobus.

Inter. In Sabbato, cum non habeatis proprias antiphonas nisi de vigilia Natalis Domini, quid cantatis ?

Resp. Ut scire potes, duas satis proprias, quia de ipsis psalmis sunt, in promptu canendas habemus, id est, *Ad te, Domine levavi*; et *Exspectetur sicut pluvia*, his addimus quæ incantatæ remanserint pro festivitate S. Thomæ, vel, si quas alias de alio loco magis competentes videmus. Præcentor et armarius, siquidem sensatus et studiosus est, non multum pro hujusmodi errabit, et ad illum pertinet omnia quæ sunt hujus generis providere.

Inter. Ergo ipsas, de quibus agitur, antiphonas matutinales postquam semel omnes cantastis, quid facitis si nondum est Natalis Domini ?

Resp. Quid interest, si secundo eas repetimus, nimirum aliud non facimus.

CAPUT XLVI.

De vigilia et de die Natali Domini.

Aliquando quidam forte libellus venit in manus nostras, simulans quod olim scriptus esset ante plures annos, in quo inter cætera habebatur nostram esse consuetudinem ut in Natali Domini ministerium coquinæ domnus abbas et cellerarius cum decanis simul faciant. Quod ideo tacere nolui, ut animadvertas a quanta sanctitate locus noster incœpit, quanquam modo non sit, nec absque maxima importunitate esse possit idipsum humilitatis et religionis exemplum. Nam postquam et hæc vinea nostra extendit palmites suos usque ad mare et usque, non ad flumen, sed ad flumina multa propagines suas, tanti fratrum, tanti hospitum accurrunt ad sacrosanctam solemnitatem, quibus singulis habet domnus abbas pro tam diversis negotiis respondere, ut omnino non expediret, si tunc se lavatione fabarum occuparet; a quo tamen obsequio alio tempore non magis ipse quam et alii excusatur ; hac autem vice, sicut etiam in Pascha, procuratores villarum, et qui decani appellantur, quotquot supervenerint, omnes ad hoc in brevi recensentur, quanquam non omnes serviant, sed tanti quantos ipsi inter se voluerint, et opus esse viderint.

In vigilia Natalis Domini nocturni fiunt sicut in quolibet privato die, triginta psalmis præcedentibus, nec quid remanet de cætera psalmodia, quæ vel in choro vel in ecclesia S. Mariæ cantari solet ante matut. laud. Ad nocturnos legitur illa Origenis homilia : *Quæ fuit necessitas.* Ad matut. laudes formis complicatis, et tapetibus constratis, et primo ex more signo uno pulsato et oratione facta, pulsantur omnia signa, nec alii psalmi quam qui solemnitatibus competunt cantantur, psalmus nonagesimus secundus et sequaces ejus. Responsorium *Judæa et Jerusalem* a duobus cantatur; altare incensatur. Prima tamen non separatur ab ipsis matutinis laud., nec a prima solito more septem psalmi cum letania. Psalmus quoque *Miserere* pro defunctis abbatibus, licet duo alii remaneant præcedens et sequens, sicut etiam postea ad omnes horas. Tres orationes ante tertiam stando aguntur, quia, posteaquam matut. laudes sunt incœptæ, toto illo die nequaquam genua flectuntur, excepto ad letaniam, et quando in capitulo *Nativitas Domini* pronuntiatur. Propter quod etiam matutinali missa pro fidelibus defunctis finita, ad ipsum capitulum prolixius scilla pulsatur, ut omnes possint convenire; et cum *Dominica Nativitas*, ut præmissum est, pronuntiatur, universi solemus in faciem cadere, et aliquandiu in oratione jacere. Transacto capitulo non caremus licentia loquendi, et iterum post sextam, quia per totam futuram septimanam debemus generaliter esse tacentes, nisi quantum loquimur in capitulo, et ad confessionem. Major missa solemniter celebratur, subdiaconis indutis tunica, diacono dalmatica, qui tenet chorum cappa, vel qui gradualem cantant. Ad vespertinalem processionem respons. *O magnum mysterium*; collecta *Deus, qui salutis.* In ipsa nocte Nativitatis Domini, priusquam consurgatur ad nocturnos, quatuor cerei per quatuor angulos claustri accenduntur, jugiter usque ad diem arsuri, quintus in olla marmorea perlucida ponitur in medium lavatorii. Quamvis autem missarum solemnia ter sint celebranda, tamen cantica quindecim graduum non prætermittimus ante nocturnos; primæ tres lectiones de propheta, quarta de libro Sapientiæ, *Ego sapientia :* nona et duæ sequentes de homilia Bedæ presbyteri super Evang. *In principio*; duodecima lectio est homilia beati Gregorii papæ de eo, *Exiit edictum* : Evangelium quod legendum est, est de generatione Christi secundum Matthæum. Collecta, *Deus, qui hanc sacratissimam noctem.* Proceditur cum responsorio, *Confirmatum est*, ad ecclesiam Sanctæ Mariæ, ubi matut. laudes quoque de Omnibus Sanctis solito more cantantur, et *Verba mea.* Ad nonam lectionem nocturnorum introducti sunt famuli in coquinam regularem, ut nobis de ecclesia Sanctæ Mariæ exeuntibus sit paratus ignis, et ibi est in promptu aqua calida, conchæ, manutergia, ut manus et faciem lavemus. Cum auditum fuerit signum majus aliquan-

tulum pulsatum, ad ecclesiam convenimus. Sacerdos cæterique ministri postquam fuerint vestiti (quia tunc oratio non fit in choro), pulsantur signa ut missa cantetur, *Dominus dixit ad me* : ad quam tres cantores cappis induti sicut etiam ad alteram, tenent chorum, utrinque illorum candelabra sunt posita, et super ea cerei splendentes ; hi autem qui cantaturi sunt responsorium vel alleluia, postquam cantaverint quod sibi est destinatum, adjunguntur tribus supradictis cantoribus una recturi chorum ; quod et in sequenti missa similiter fieri solet. Post alleluia sequentia jubilatur, *Credo* cantatur, una offertur hostia, et pax ab uno recipitur. Cantantur matutinæ laudes ; collecta, *Concede quæsumus omnipotens Deus* ; de suffragiis sanctorum nihil omittitur, nec illi duo familiares psalmi, qui in omnibus duodecim lectionibus horas sequuntur. Imus in dormitorium aliquantulum pausaturi. Cum visum fuerit custodi ecclesiæ, iterum majus signum pulsatur, ut veniamus ad ecclesiam. Missa quæ est celebranda ea vice, pueris intrantibus, prævenitur oratione. Quæcunque pro solemni officio cantata sunt ad priorem, cantantur et ad istam, tres hostiæ offeruntur et consecrantur, ut si quis fratrum voluerit, possit communicare. Pax a cunctis est accipienda. Eo die non cantatur alia missa matutinalis. Primo signo ad tertiam sonato, et oratione facta, albis generaliter vestimur ; et, sicut longe superius memini dixisse, si est dies Dominica, statim agimus processionem, et si est alia, post tertiam, primo ad ecclesiam S. Mariæ cum antiphona, *O Beata infantia* ; per claustrum antiphona, *O Maria Jesse* ; alia, *O quam casta Mater* ; ad introitum ecclesiæ responsorium, *Descendit de cœlis* ; ad tertiam cantatur antiph. *Hodie intacta Virgo*. Cum ventum fuerit ad eum locum, *Omnes Christum adoremus*, solet ab omnibus generaliter venia peti ; hymnis horarum adjungitur, *Memento salutis*, et *Gloria tibi, Domine*.

CAPUT XLVII.

De octavis Natalis Domini et Epiphania.

Octavæ Natalis Domini non possunt ita continuatim celebrari sicut octavæ Dominicæ Resurrectionis, propter consequentes solemnitates, id est, S. Stephani, S. Joannis, sanctorum Innocentium ; de quibus, sicut dignum est, cum nocturni fiant simul cum aliis horis, et officia missarum, de Natali Domini sola erit missa matutinalis cantanda ad ecclesiam S. Mariæ, id est, *Puer natus est* : ad quam per tres dies duæ tantum collectæ sunt dicendæ, de nativitate Domini et de instanti solemnitate ; non tamen ad unum *Per Dominum nostrum*, etc., sicut etiam in festivitate sanctorum Sebastiani et Fabiani, quanquam ad alias vices, præter ad utramque missam, nonnisi una collecta dicatur, sed pluraliter de ambobus, scilicet, *Infirmitatem nostram*, etc. Epistolæ et Evangelia alternantur eodem ordine quo legebantur ad tres missas in prima nocte seu die celebratas. In Natali Innocentium quod aliæ Ecclesiæ non cantant *Gloria in excelsis* nec *Alleluia*, de hoc minime curatur a nobis. Super psalmos vespertinales antiphonæ, *Sinite parvulos*, *Angeli eorum*, *Sub throno Dei*, *Cantabant sancti*. Duo sequentes dies, si tamen neuter est Dominicus dies, assimilantur illi quintæ feriæ vel sextæ quæ est in majore Paschæ septimana. In priore nocte pronuntiatur Evangelium *Exiit edictum*; sed alia sequitur homilia quam illa, scilicet sancti Gregorii; missæ majoris est officium, *Dominus dixit*. In nocte secunda Evangelium, *Pastores loquebantur*; offertorium, *Lux fulgebit*. Excepto quod ipse introitus mutatur cum introitu, *Puer natus est*. In die tertia est Depositio S. Sylvestri papæ duodecim lectionibus agenda.

Interrog. Quid est, charissime, quod, quantum video, nihil omnino vis de antiphonis referre? Quinimo, si tanti non æstimaveris, ut fateris, rogamus ut eas ordinaveris non solum ad istos duos dies, sed etiam ad quoscunque videris opus esse, usque ad extremum diem Theophaniæ.

Resp. Istud sane dilectio vestra non difficile moretur, quia nec maximi est laboris. Et primo quidem si nunquam a me dicatur, tamen id scire potestis quia, si qua reperitur de eo textu noctur., hæc quoque magis competenter quam alia cantatur super nocturnos; at si talis defuerit, cantari potest antiphona, *Verbum caro factum*; alia, *Beatus venter*. Ad matut. laud., *Genuit puerpera*; *alia*, *Angelus ad pastores*; ad primam, *Illuxit nobis*; alia, *In principio*; ad tertiam, *Verbum caro*; alia, *Propter nimiam*; da *sextam*. *Cristus Deus noster*; alia, *Ecce de quo*; ad nonam, *Ecce advenit*; alia, *Exsultemus*; ad vesperas iidem cum suis antiphonis psalmi, qui in ipso die, quorum est novissimus, nunc *De profundis* nunc *Memento, Domine*; et, ut semel dicam, ad quantas cantantur adhuc vices in Circumcisione Domini, in Epiphania; et in ejus octavo die, et in Hypapante Domini, tantum ad secundas vesperas, et præterea in illis Dominicis, quæ eveniunt ab octavo die Natalis sancti Joannis evangelistæ usque ac octavum diem Epiphaniæ, iterum ad secundas vesperas, ad quas et non alius psalmus est novissimus quam *De Profundis*.

In Circumcisione Domini eædem antiphonæ ad matut. laud. et ad horas diurnas, quarum prima est, *O admirabile* cum collecta, *Deus, qui salutis*; ad vesperas, ad Evangelium, ad matut. laudes, ad majorem missam, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus*. Missa matutinalis, *Vultum tuum*; major, *Puer natus est*; ad utramque Epistola, *Apparuit gratia*; Evangelium, *Pastores loquebantur*: cui et illud annectitur, sicut est in ipso textu Evangelii, *Et postquam consummati sunt dies octo*.

Depositio S. Odilonis tam chari sancti et tam familiaris facit quod sancto Stephano in octavo die Natalis ejus alia commemoratio esse non potest, quam cum una tantum antiphona et collecta. In octavo die S. Joannis et Innocentium eodem modo agitur quo in quolibet privato die, qui tamen sit in aliquibus octavis. Post nocturnum officium cum matut.

laudibus dicimus in suo loco, *Deus, auribus nostris*; A
et post primam septem psalmos cum letania. Si cujus commemoratio, tribus tantum lectionibus est agenda. Igitur ad nocturnos hymnus et super psalmos antiphonæ de Natali Domini: cætera de præfatis sanctis, usque dum major missa sit consummata. Super vespertinales psalmos una tantum antiphona, et hæc de Natali Domini.

In vigilia Epiphaniæ ad vesperas collecta, *Deus illuminator*; ad matut. laud. antiph. super psalmos, *O admirabile*; sequentes antiphonæ ad sequentes etiam horas. Ad missam, *Dominus dixit ad me*; collecta, *Corda nostra*; epistola, *Apparuit benignitas*; respons. *Benedictus*, *Alleluia*, *Dominus dicit*; Evangelium, *Defuncto Herode*; offertor. *Lætentur cœli*; communio, *Exsulta, filia*. Eo die non jejunamus. B
Quantum ad solemnitatem et octavas pertinet, Epiphania et ejus octavæ similes sunt Dominicæ Ascensionis, excepta illa, quæ in die Ascensionis post tertiam agitur, processione; de cætero recole quæ ibi dixerim, ut hic etiam eadem observes. In ipso autem die primo Epiphaniæ eædem antiphonæ cantantur, et ad matut. laudes et ad horas diurnas. Per ferias ad nocturnos, si desunt antiphonæ de textu nocturnorum, cantari potest antiphona, *Vidimus stellam*; alia, *Tria sunt munera*; alia, *Admoniti magi*; ad matut. laudes super psalmos, quælibet una de illis quinque matut. laudum antiphonis; ad primam, *Lux de luce*; si est Sabbatum, *In sole posuit*; sicut etiam in vigilia Epiphaniæ; ad tertiam, *Interrogabat magos*; ad sextam, *Videntes stellam*; ad nonam, *Descendit Spiritus*; ad vesperas, *Vox de cœlo*. Sunt C
aliæ antiphonæ non solum de Epiphania, sed etiam de Natali Domini, cum quibus quoties istas mutare volueris, nihil video interesse.

CAPUT XLVIII.

De Purificatione S. Mariæ.

De diebus vel septimanis quæ post octavas Epiphaniæ veniunt, quantum puto, nihil referre novi quod nesciatis, excepto quod ad processionem diei Dominicæ, illæ de Natali Domini non mutantur antiphonæ usque ad Purificationem S. Mariæ, nisi forte prius veniat Septuagesima. Ergo ut de prælibata solemnitate aliquid dicatur, in vigilia ad vesperas collecta, *Perfice in nobis*, quæ et ad majorem missam præmissa alia collecta ad complendum iteratur. Ad vespertinalem processionem respons. D
Cum inducerent puerum; ad matut. laudes, *Gaude, Maria*. In die post tertiam, vel si est dies Dominicus, ante tertiam, cum antiphona, *Cum inducerent*; alia, *O beata infantia*; proceditur ad ecclesiam S. Mariæ, de qua sequitur et collecta, *Exaudi, quæsumus, Domine*; postea fit oratio ad quamlibet horam regularem, et omnes ante faciunt et retro. Candelæ quæ consecrandæ sunt, ibi consecrantur cum hac benedictione, *Adesto supplicationibus nostris*; alia, *Domine Deus, creator*; consecratæ aqua benedicta asperguntur, incensantur et distribuuntur. Inter accendendum antiphona, *Lumen ad revelationem*; cantic. *Nunc dimittis*; Post divisionem cereorum, oratio, *Domine Deus, Pater omnipotens, lumen, etc.* Per claustrum antiphona, *Ave, Maria*; alia, *Adorna thalamum*; in vestibulo ecclesiæ ad stationem, *Responsum accepit Simeon*; ad introitum ecclesiæ, *Hodie beata Virgo*; item responsorium, *Cum inducerent*. Ad offerendam oblatis primo hostia et vino, offeruntur quoque diacono inchoante candelæ. Ab illo die in duodecim lectionibus differtur nona, usque dum servitores surrexerint a mensa, et postea itur in refectorium ad bibendum.

CAPUT XLIX.

De Septuagesima et Quadragesima.

In Septuagesima adeps simul cum alleluia sepelitur, ut postea usque ad Pascha de illa non gustetur. Ad processionem diei Dominicæ per claustrum antiph. *Cum sederit Filius*. Ad cujus etiam vesperas, et in cunctis privatis diebus usque ad Quadragesimam responsorium, *Spes mea, Domine*: in mat. laudibus, *Adjutor meus esto*. De officio quoque pro defunctis id mutatur ut amplius non dicatur post nocturnos, sed post vesperas; post singulas horas in duodecim lectionibus: *Ad Dominum cum tribularer*. matut. laud. pro Defunctis, post matut. laudes de Omnibus Sanctis. In Quinquagesima, quia de cætero nec caseum nec ova comedimus, post vesperas ad cœnam de ipsis ovis coctis in pipere habemus generale, quod toto anno amplius non contingit ut aliud quid ea vice habeamus præter solum panem, et si forte sunt in promptu, cruda poma, vel ea quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, et ab hominibus Romanæ linguæ *nebulæ*, a nostratibus appellantur *oblatæ*.

CAPUT L.

De Capite jejunii, et de Quadragesima.

In Capite jejunii inchoatur, ut nec ad nocturnos nec ad alias horas capitulum, quam quod de jejunio sit, dicatur. Ad tertiam et alias horas sequentes collectæ pro peccatis, quarum prima est *Exaudi, quæsumus, Domine*, ad matutinas laudes et vesperas de ipsa die; ad nocturnos eædem quæ per totum annum in privatis noctibus dicebantur: ad processionem psalmum, *Deus misereatur*, sequitur collecta, *Concede nobis, quæsumus, Domine, præsidia*. Sacerdos tantum stola amictus cineres ita benedicit: *Deus, qui non mortem*: quos cum orsus fuerit singulis imponere, imponit quoque cantor antip. *Immutemur habitu*.

CAPUT LI.

De Dominicis diebus Quadragesimæ.

Per omnes Dominicas usque ad Passionem Domini est unum et idem capitulum ad vesperas, ad matutinas laudes, ad tertiam, et iterum ad vesperas, *Hortamur vos*; nullus hymnus de jejunio cantatur, sed iidem qui extra Quadragesimam in Dominicis diebus. Item ad sextam et nonam eædem collectæ, sed capitula de jejunio. Ad processionem vicissim usque ad Pascha hæ duæ cantantur antiphonæ, *Christe, Pater misericordiarum*; *et, Cum sederit*. In pri-

ma Dominica ad octo lectiones nocturnorum sermo A Maximi, id est, *Licet nobis, dilectissimi*. Secunda Dominica cum non aliam habeat collectam quam illam, *Deus, qui conspicis;* ideoque dicatur ad tertiam, sequentes de quotidianis dicuntur ad sextam et nonam.

CAPUT LII.

De secunda feria Quadragesimæ.

In secunda feria Quadragesimæ inchoantur hymni de jejunio ad matut. laudes, et tertiam et sequentes horas. Soli nocturni nescio quid hic commiserint, qui, cum in Adventu Domini, et toties in solemnitatibus, specialem hymnum habeant, in Quadrages. hoc amiserunt. In qua etiam tam parva hora, sicut est tertia, non caret hymno alio quam consueto, id est, *Ternis ter horis numerus:* et si hoc apud nos B est, tamen [non] est ita apud monachos et Italiæ, et ipsius sedis apostolicæ, et Ecclesiæ Romanæ; apud quos nimirum quod ea vice habent aliæ horæ, habent etiam nocturni. Sunt autem adhuc et alia quæ in præfata feria solent inchoari, duo psalmi qui per singulas horas dicuntur a prostratis, et majores preces ad ma'ut. laudes, et ad vesperas scilicet, *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*. In capitulo nequaquam alia regulæ sententia legitur quam quæ est de Quadragesima. Recitatur quoque *Brevis* librorum qui anno præterito sunt ad legendum fratribus erogati; cum quilibet frater nominatur, surgit, et librum sibi datum reddit; et si eum forte non perlegerit, pro indulgentia (5) veniam petit. Est autem unus tapes ibi constratus, super quem illi libri ponuntur, de quibus C iterum quanti dantur, dantur cum *brevi*; et ad hoc est una tabula aliquantulum major facta. Si qua festivitas in eodem die duodecim lectionum agenda evenerit, tunc in capitulo duæ lectiones leguntur, duoque fiunt sermones; anterior de festivitate, sequens de Quadragesima. Post librorum erogationem datur licentia jejunandi, ita tamen ut jejunent cum discretione et moderate, ne corporis valetudinem maxime ad exercitium talis vitæ, scilicet activæ, non amittant. Vide quoque quali humanitate Patres nostri ipsam Quadragesimam voluerunt initiari: eo namque die, prout ipsis placuit, habemus ad refectionem et panem solito meliorem et calidum, et generale piscium, si quo modo inveniri poterit, et pigmentum, ad cujus tamen propinationem scilla D non sonatur. In quarta feria et sexta post nonam exeunt fratres de ecclesia, et se discalceant, et ita redeunt ad processionem. Tunc autem oratio non præmittitur, sed pueri intrantes statim imponunt antiphonam, *Exurge, Domine*.

CAPUT LIII.

De jejunio Quatuor Temporum in mense Martio.

In mense Martio, quidquid sit de termino jejunii Quatuor Temporum, nunquam tamen ante primam Quadragesimæ septimanam agitur; in qua si nondum fuerit terminus, sed postea futurus, tamen in quarta feria ejusdem primæ septimanæ ad officium majoris missæ leguntur duæ lectiones, duoque responsoria cantantur; et illa quarta feria, qua jejunium agitur non nisi una. Qui mos unde primo inoleverit, de industria et studio, an ex negligentia, nescio, nisi hoc scio contra usum esse multarum Ecclesiarum tam in Romana lingua quam in Teutonica. Ea quoque officia quæ ad idem jejunium pertinent, cum scripta sint ad primam Quadragesimæ septimanam, si in eadem septimana jejunium non agitur, propter hoc tamen nullum differtur officium, nisi quod pertinet ad Sabbatum; hoc solum quoque ad Sabbatum jejunii reservatur; hac etiam sola vice pro hymno trium puerorum, non *Benedictus*, sed *Benedicite* cantatur.

CAPUT LIV.

De Passione Domini, et Ramis palmarum.

In Passione Domini *Gloria Patri*, si ad nullum cantatur responsorium, cantatur tamen ad introitus, quamvis iterum contra usum faciamus aliarum Ecclesiarum. In Ramis palmarum ad matitunalem missam nonnisi una collecta est dicenda, nec Passio legitur, sed illa tantum lectio sancti Evangelii, *Cum appropinquaret* Jesus; quod etiam cunctis sacerdotibus, qui privatas missas cantaverunt præcipitur, ut sint parati ad duas processiones, quæ illo die sunt agendæ. Prior post matutinalem missam sale et aqua consecratis, sicut est mos cunctis Dominicis diebus per claustrum; citerior post tertiam cum frondibus et Ramis palmarum ante majus altare consecratis, usque ad ecclesiam S. Majoli, omnibus albis indutis. Ipsæ autem frondes seu rami cum istis collectis benedicuntur: quando distribuuntur, cantatur antiphona, *Pueri Hebræorum ramos*; alia, *Pueri Hebræorum vestimenta*. Exeundo pulsantur omnia signa, cantatur antiphona, *Cum appropinquaret Dominus;* et, *Cum audisset populus*; responsorium, *Contumelias et terrores;* et alia respons. Ad introitum ecclesiæ, de Sanctis, quorum ibidem est memoria, antiphona, vel respons.; ad stationem antiphona, *Ave, Rex noster;* collect. de ipsis sanctis, Oratio Dominica cum solita inclinatione; fit sermo ad populum. Redeundo autem, *Collegerunt*. Præcesserunt aliqui cantores, qui cappis induti recipiunt conventum in vestibulo ecclesiæ cum his versibus: *Gloria laus;* ad introitum ecclesiæ, respons. *Ingrediente Domino;* tractus cantatur a solis quatuor cantoribus, hinc et inde conventu interim considente et ex toto tacente, sicut etiam tacet ad cæteros tractus. Ad Passionem et offerendam, qua frondes seu rami palmarum offeruntur, debent omnes adesse, nec quisquam ullius obedientiæ occasione deesse. Antiquitus in illa Dominica non dicebatur officium defunctorum, nec modo quoque psalmus ille, *Ad Dominum cum tribularer*, officii vicarius.

(5) *Pro indulgentia*. Imo *pro indiligentia*.

CAPUT LV

De festivitatibus quæ in Quadragesima eveniunt.

De festivitatibus quæ in Quadragesima eveniunt quantum dicendum æstimavi, in alio loco non tacui, quod tamen, ut iterum breviter tangam, in qualibet festivitate additur ad psalmodiam, quod non adderetur nec diceretur si ipsa festivitas extra Quadragesimam eveniret, et hoc est. Primo post vesperas de Omnibus Sanctis vesperæ quoque pro defunctis, et pro ipsis in nocte post matut. laudes psalmodia, *Deus, auribus;* post primam psalm. *Miserere*, pro defunctis nostris abbatibus septem psalmi et letania; post capitulum triginta psalmi; post tertiam missa de ipsa festivitate festive quoque cantatur. Ad sextam et reliquas horas petimus veniam, totamque psalmodiam repetimus, sicut in quolibet alio die privato et Quadragesimali repetimus; quanquam ad horas non alias antiphonas, capitula, versus et collectas, quam de ipsa festivitate dicamus. Cæterum solum rursus remanet officium, in cujus vice sæpe dictus psalmus post singulas horas cantatur. Quod si in die Dominica fuerit aliqua festivitas, differtur in secundam feriam celebranda; et post secundam A feriam quæ sequitur Ramos palmarum, si qua occurrerit, est differenda etiam usque ad quintam feriam sequentis se timanæ. De aliis diebus est manifesta, ut ipse noveris, causa, in quibus singulis sunt quædam, quasi precipuæ solemnitates, et quibus nulla debeat alia præponi, nisi in tertia feria, in qua quia nos sumus radendi, necesse habemus ut loquamur in claustro, quod nunquam in duodecim lectionibus licet. In quarta feria est Quadragesima quasi claudenda, in qua et officium missæ aliquantulum est prolixius propter duas lectiones, tractum et passionem Domini; ideoque majores nostri decreverunt ut in illo die non solum nulla festivitas B alia celebraretur, sed nec processio, nec officium defunctorum ageretur.

Benedictus Deus in cujus modo gratia utcunque peractum est quod volui, dilectissime Pater nam a Cœna Domini progressus, rursus ad Cœnam Domini sum reversus; ad quod hospes humilitatis meæ tam benignus et liberalis : Oportet, inquit, et te, Charissime, ad cœnam nostræ paupertatis invitari, et si qua sunt requirenda, in diem crastinum reservari.

LIBER SECUNDUS.

DE DISCIPLINA REGULARI.

PRÆFATIO

Jam dies erat secundus ex quo veni ad monasterium, cujus in primis memini, adorsus ea quæ sunt præmissa; forte sciscitatus habitudinem loci, comperi, vindemiis instantis anni peractis, non nisi octo vini carradas ad commeatum fratrum esse collectas; propter quod tamen Pater monasterii solitam vini mensuram nullo die subtraxit, non modo monachis, sed etiam illis qui extra claustrum positi ex liberis et ingenuis ultro se devoverunt, ut essent servi servorum Dei. Inter quos utrosque, quantum puto, fere quotidie triginta viri non defuerunt. Videres piam sanctamque contentionem domini abbatis et illorum; domini abbatis de charitate; illorum, de parcitate, ita ut, cum instaret eadem vice Hypapante Domini, adhuc ipse viderem in cellario fratrum sex carradas superesse; miratus tantæ sobrietatis exemplum, ut primum vidi Patrem monasterii, prior ita compellabam : Si Deus dederit istis filiis et alumnis sanctitatis tuæ, domine Pater, tam esse temperantes a cibo delicioso quam a vino, tunc quidem ad modum est verissimile ut, Deo auxiliante, per illum culinarum principem Nabuzardam domicilium pacis non amittant. Ad quod ille: In Christi, inquit, nomine quantum repugnare potuerint contra eumdem acerrimum hostem quotidie insilientem, quotidie provocantem, non omittunt experiri. Sed cum Scriptura dicat : *In desideriis est omnis otiosus* dilectionis tuæ subsidium non erit inutile, si adhuc amplius nos occupaveris illis religiosis institutio- C nibus, quarum hesterna die aliquam partem insinuasti; quibus occuppati fortassis minus cogitamus, ut ad ollas Ægyptiorum redeamus, vel tale quid desideremus, ut si antiquus Patrum populus tabernaculum fœderis fabricavit, tu noster Bezelehel cum varia suppellectile disciplinæ regularis componas sanctuarium mentis; hac de causa hodierno flagitamus audire, maxime de novitiis, et præceptis, quibus instruendi sunt et imbuendi, ut inter vos possint regulariter conversari. Nunc me, inquam, rogas cujus nunquam magister esse merui. Nunquam habitus sum hujus æstimationis ut sederem super cathedram hujus scolæ, ut preceptor essem novitiorum. Propter quod tamen non omitto, ut non incipiam referre si quid mihi contigit de hoc D genere nosse.

CAPUT PRIMUM

De diversitate novitiorum.

Ergo aliqua diversitas est eorumdem novitiorum; nam non solum absque habitu veniunt ut laici et clerici, sed etiam cum habitu et monachi jam facti; et tales trifariam sunt differentes. Quidam sunt de longinquis et alienis monasteriis, et ad hoc veniunt ut rursus profiteantur, et de cætero maneant nobiscum; quidam de cellis nostris, et vel pro infirmitate, vel loci longinquitate benedictionem jam a domino abbate acceperunt, professione interim dilata, et ad nostrum locum usque reservata; quidam sunt de tali monasterio nostro, quod absque domino

abbate proprium habent abbatem, ubi, etsi benedictionem accipiant, et professionem faciant, tamen habentur a nobis per omnia in vita et post vitam ac si apud nos fuissent, et isti cum primum venerint, fiducialiter et absque mora intrant, et secundum tempus, quo in monasterio præfato sunt recepti, hic etiam ordine suo non carebunt; reliqui omnes non permittuntur intrare, nisi prius, juxta verbum sancti Benedicti, vel unam noctem in hospitio morentur; prius quoque quam intraverit, instruendi sunt quemadmodum faciant petitionem suam; primum ut sciant veniam petere more nostro; ut prostrati et interrogati a domino abbate quid velint; singuli dicant: *Dei misericordiam et gratiam, vestramque societatem habere volo*, et postquam ille responderit: *Deus det vobis societatem fidelium suorum*, surgentes veniant ad pedes. Si quis est, ut præfatus sum, de aliqua cella nostra, fratribus in capitulo sedentibus invitatur, et petita venia, jubetur ut ultimus sedeat inter fratres, quia nondum fecit professionem. Qui de alieno monasterio, similiter petita venia sedet ubi jubetur secundum quod dominus abbas voluerit, et viderit personam: sed ab eo die quo professionem fecerit, sedebit ipse ultimus, nisi forte domno abbati visum fuerit ut promoveatur; qui si non affuerit, prior potest hujusmodi recipere, solum capitulum non habebit absque præcepto domini abbatis.

Clerico et laico qui nondum ita sunt experti vitam nostram, diligentius est insinuandum, ut habetur in regula, quam dura et aspera necessario patiantur si ad subjectionem nostram pervenerint, quæ nimirum compellit eos nullam potestatem propriæ voluntatis habere, sed ad nutum alterius per omnia pendere. Ducuntur in ecclesiam, ut ibi sedeant usque dum vestiantur. Ad majorem missam finita litania ducendus est laicus in chorum, et sella contra altare majus posita sedere jussus, et abscissa coma coronatur, barbaque detonsa tirocinio Christi insignitur. Inde consurgens, magistrum suum, cui novitii sunt commendati, sequitur ad vestiarium præcedentem; ibi namque sunt omnes vestiendi, et vestis eorum nostræ debet omnino similis esse, præterquam quod, quandiu erunt absque benedictione, sola cuculla carebunt.

CAPUT II

Quomodo se habeant in cella Novitiorum.

Postea capellum froco eorum assuitur, ne qua notabiles dissimilitudine nobiscum conversantes videantur; nam quando sunt pauciores, non séparatim dormiunt, quia nunquam veniunt in dormitorium nostrum nisi benedicti; tamen in refectorio, et in aliis locis minime separantur a nobis; quod si tanti sunt ut dignum videatur, tunc ablato capello pro se habebunt cellam suam, ubi non solum dormiant, sed et etiam comedant, et jugiter maneant a conventu separati; tantum operi divino nobiscum intersunt, et in capitulum veniunt usque dum sententia regulæ

A sit lecta et exposita, statim exituri ad collationem. Ad singulas horas, præter ad nocturnos, pueros præcedentes sequentur ad ecclesiam, et stant in minore choro, nemine ut se intermisceant audente. Quando conventus est post matut. laudes et vesp. in ecclesia S. Mariæ, ipsi non intrant, sed exeuntes foris exspectant, et tunc propius accedentes stant per ordinem altius inclinati usque dum omnes transierint; idipsum faciunt post singulas refectiones idoneo loco ad hoc proviso, ubi rursus stent inclinati conventu de refectorio exeunte, et simili contra se inclinatione transeunte. Quando sunt pransuri, ante conventum exeunt de ecclesia, et lotis manibus incedunt ad coquinam regularem, ut singuli fabas suas apportent; ad generale quoque apportandum,

B vel ad pulmentum, tanti surgunt de mensa quanti opus fuerit, et ille voluerit qui in loco cellerarii eis servit; nam et lectiones habent et scillam, et aliis modis simulant eamdem disciplinam quam nos in refectorio habemus. Quod si quis eorum de écclesia ad scellam suam habet venire, non præsumit nisi vel uno socio assumpto. Ego autem non hoc arrogaverim mihi ut vel meminisse possim quam multa sunt et quam diversa quæ tunc sunt docendi; et tamen quæ possunt breviter perstringere non omitto, quia, quod a me incipitur, fortasse ab alio quandoque perficietur, vel utcunque augebitur.

Sane in primis et si id parvum nec mentione dignum censeri possit, ab aliquo tamen cum non parvo studio quilibet novitius est instruendus, ut

C regulariter sciat caput inclinare, scilicet non dorso arcuato, ut quibusdam negligentibus est familiare, sed ita ut dorsum sit submissius quam lumbi, et caput submissius quam dorsum, quam inclinationem nos per usum ante et retro appellamus, quia incipit contra orientem, et finit contra occidentem; quam etiam agimus primo ante nocturnos, et post completorium, scilicet post tres orationes finitas, et de reliquo quoties convenimus in ecclesia, vel in capitulo, vel in refectorio, agimus eam ad introitum, vel ad exitum, sed in ecclesia Dominica prius Oratione præmissa. Et si quando a prandio, vel cœna, vel collatione imus in ecclesiam, tunc nisi cum hora regularis, si qua eodem momento sequitur, fuerit finita. Item ad officium, si in die cantatur, non inclinamus nisi ad finem, et quoties veni-

D mus ad ecclesiam S. Mariæ, de qua post psalmos anniversales, cum revertimur in capitulum, ea vice non nisi semel inclinamus ante percussionem tabulæ In choro quoque stationem quoties mutamus ad alterutram missam, inclinamus; ad missam enim qui sunt seniores stant primi et proximi altari principali, ad regulares horas novissimi in extremitate chori, præter ad tertiam in duodecim lectionibus, in quibus, quia solet eamdem horam matutinalis missa præcedere et major statim succedere, propter hoc puto quod statio non mutatur. De hoc autem præfatus scholaris Christi non auditu quantum visu instruitur.

CAPUT III.

De silentio, et in quibus officinis

Opus quoque habet ut signa diligenter addiscat, quibus tacens quodammodo loquatur, quia postquam adunatus fuerit ad conventum, licet ei rarissime loqui; et tales in claustro officinæ sunt, in quibus traditum est a Patribus nostris et præfixum, ut perpetuum silentium teneatur, in ecclesia, dormitorio, refectorio, et coquina regulari. In his singulis tam in die quam in nocte si vel unum verbum quoque audiente loquitur, non facile veniam absque judicio meretur, et si vel una antiphona, vel responsorium, vel aliquid, aliud tale absque libro nominaverit, et in libro simul cum emissione verbi non viderit, de hoc non aliud quam plane silentium censetur infregisse

CAPUT IV.

De signis loquendi

De ipsis autem signis ut aliqua ponam, verbi gratia, et primum quæ ad victum pertinent. Pro signo panis, fac unum circulum cum utroque pollice, et his duobus digitis, qui sequuntur, pro eo quod et panis solet esse rotundus. Pro signo panis qui coquitur in aqua et melior esse solet quam quotidianus, generali signo panis præmisso, hoc adde ut interiora manus super alterius manus exteriora ponas, et ita superiorem manum quasi ungendo vel imbuendo circumferas. Pro signo panis sigali, qui turta vulgariter appellatur, iterum generaliter signo præmisso, hoc adde ut crucem per medium palmæ facias pro eo quod id genus panis dividi solet per quadrum. Pro signo tortulæ, quæ præter solitam libram datur in quinque principalibus festis, duos digitos qui pollicem sequentur paululum divisos pone oblique super alteros duos digitos eorum similes de altera manu similiter divisos. Pro signo fabarum, primo pollicis articulo sequentis digiti summitatem suppone, et ita fac ipsum pollicem imminere. Pro signo ovorum, cum digito in altero digito simula testam diu vellicantem. Pro signo pulmenti oleribus confecti, trahe digitum super alium quasi qui coquendas inciderit herbas. Pro signo generali piscium, cum manu simula caudæ piscis in aqua commotionem. Pro signo sepiarum digitos omnes divide ab invicem, et ita commove, quia et sepiæ ita multiplices esse videntur. Pro signo anguillæ conclude utramque manum, quasi qui ita tenet et premit anguillam. Pro signo lampredæ, in maxilla cum digito simula punctos quos lampreda subtus occulos habet. Pro signo salmonis vel struthionis; signo piscium hoc adde ut pugnum erecto pollice supponas mento, quo superbia significatur, quia superbi maxime et divites tales pisces solent habere. Pro signo lucii, iterum generali piscium præmisso hoc adde ut cum manu signum facias celeritatis, quia lucius celerius quam alius piscis natat. Pro signo truitæ, hoc adde ut dignum de supercilio ad supercilium trahas, propter ligaturas quæ hoc in loco habentur a feminis, et quia truita semper femineo

A genere pronunciatur. Pro signo milii, fac gyrum cum digito, pro eo quod et ipsum millium ita vertitur in olla cum cochlearia. Pro signo crispellarum, vel, ut alii dicunt, frigdolarum, cum pugno accipe crines, quasi cupias eos facere crispos. Pro signo casei, utramque manum conjunge per obliquum, quasi qui caseum premit. Pro signo fladonum, præmisso generali panis et casei, de una manu omnes digitos inflecte, et ita manum cava et in superficiem alterius manus pone. Pro signo refeolarum, vel, ut Teutonici loquuntur, cratonum, premisso signo generali panis simula cum duobus digitis illas minutas involutiones, quæ in eis sunt factæ ex ea parte qua sunt complicatæ et quasi rotundæ. Pro signo lactis minimum digitum labiis impinge, pro eo quod ita

B sugit infans. Pro signo mellis paulisper linguam fac apparere, et digitos applica quasi lambere velis. Pro signo pomorum maxime piri vel mali, pollicem cum aliis digitis conclude. Pro signo cerasorum, hoc adde ut digitum subtus oculum ponas. Pro signo porri crudi, pollicem et digitum ei proximum conjunctos extende. Pro signo ali vel rafæ, extende digitum contra buccam paululum apertam, propter id genus odoris quod sentitur ex illis. Pro signo aquæ omnes digitos conjunge, et per obliquum move. Pro signo vini, digitum infecte. et ita labiis adjunge. Pro signo potionis pigmentatæ, conclude manum, et ita simula molentem. Pro signo potionis quæ est melle et absynthio temperata, duos digitos indicem et medium a cæteris disjunge, et ipsos quoque ab in-

C vicem disjunctos ita move, quia absynthium in suis foliis est divisum. Pro signo sinapis, articulo anteriori minimi digiti pollicem suppone. Pro signo aceti, frica cum digito guttur, quia in gutture acrimonia sentitur. Pro signo scutellæ, manum latius extende. Pro signo scyphi qui capit quotidianam vini mensuram, inclina manum deorsum, et ita cavam tene, digitis aliquantulum inflexis. Pro signo phialæ vitrea premisso signo hoc adde, ut duos digitos circa oculum ponas, ut splendore oculi splendor vitri significetur. Pro signo staminæ, manicam ejus tene cum tribus digitis, minimo et duobus sequentibus. Pro signo femoralium, hoc adde ut manum in femore de deorsum trahas quasi qui se femoralibus vestit. Pro signo frocci, manicam

D ejus tene eodem modo, quo manica staminæ est tenenda. Pro signo cucullæ, hoc adde. ut cum duobus digitis retro tangas capellum. Pro signo manicarum, tene manicam frocci, et signum quod pro femoralibus adde.

Plura sunt quæ adduc dicere possem, sed cum modo meminerim quibus sum locutus, video quod nec opus fuerit tamtum dixisse de hujusmodi re, et, ut ait ille, in silvam ligna contulisse [Hor. *I Sat.* x 34); unde ut de his tandem taceam; quæ, quantum puto, melius nostis quam ego, videndum est de seculturis, ut ea loquar quæ cum nec visa prius nec audita scire valeatis, tunc pro sola novitate plus aliquantulum veniant ad gratiam. Et quia sermo est

de instituendis novitiis, quantum fieri potest, per ordinem dicatur de ea disciplina qua jugiter ille tenetur qui nobiscum voluerit conversari.

CAPUT V.

Quomodo se frater levet ad nocturnos.

Primo igitur ad nocturnos, audito signo, illico se levare festinat, et priusquam coopertorium dejiciat, induit se cuculla, cruraque tegit cum illa, antequam levet, ante lectum; ipsumque lectum non ita negligenter dimittit, sed honeste coopertorium desuper extendendo, componit. Necessarias non intrat, nisi capite capello cooperto. Ante pueros solet venire in ecclesiam, et sollicitus est illis tribus orationibus interesse, quæ signo finito fiunt.

CAPUT VI.

De excessibus pro quibus veniam petit.

Nam si non interfuerit, in capitulo veniam petet, sicut etiam pro eo, si quam regularem horam dimiserit, ni forte sit sacerdos, ut interim missam cantet; vel si dimiserit collationem, vel capitulum sine licentia, vel generalem refectionem: procumbens ad orationem, super cubitos et genua froccum retrorsum attrahit, ne ita pendeat super pedes ad terram. Quod si aliquomodo contigerit ut non occurrat ante *Gloria* psalmi nonagesimi quarti vel ad quamlibet horam ante *Gloria* primi psalmi, intrans chorum et veniens ad gradum altaris, honeste tractimque petit veniam super manus et genua, paululumque protendit summitatem frocci ut super eam teneat manus; et surgens contra altare altius inclinat; inde non se movebit usque dum hora sit finita; aliis inclinantibus, ipse non nisi contra altare inclinat. Sed si visum fuerit domno abbati, fratrem aliquem ad eum dirigit ut recedat; cui cum manu innuenti paululum inclinat, et facto ante et retro recedit ad stationem suam; ubi rursus petens veniam ut prius, inclinat contra conventum, et conventus contra eum.

CAPUT VII.

Quomodo se habeat ad horas regulares.

Ad *Gloria* singulorum psalmorum qui sunt in regularibus horis, manus non tenet in sinu, sed in manicas mittit, easque constringit, ne inter inclinandum ad terram pertingant, quia inclinatio illa multum debet esse submissa, nec adeo ad aliam psalmodiam. Quod si sedere voluerit inter psalmodiam, observat ne sedeat juxta alium sedentem, sed ita ut unus stet, et sedeat alter, et invicem exhibere debent occasionem sedendi. Ubicunque sedet, nunquam dimittit manicas ita negligenter ad terram pendere, sed si manus sunt intra sinum, manicæ in transversum extra sinum sunt collectæ. Si propter aliquid de choro exiit, vel si postea venit quando hora est inchoata, in faciem suam inclinat, omnibus similiter inclinaturis. Contra majus altare nunquam inclinat, nisi manibus de manica extractis, et capite pene usque ad terram dimisso; contra alia altaria, et contra crucifixum in capitulo moderatius.

A Si psalmos noverit, et si in aliquo versu erraverit, eodem modo veniam petit ante se quo superius dixi ad gradum altaris esse petendam pro occursione tardiore. Lectori ad gradum ubi facit ante et retro, et eunti ad lectionem et redeunti, reverenter inclinat.

CAPUT VIII.

Quomodo laternam ligneam portare debeat ad nocturnos.

Quod si inter lectiones ille qui laternam ligneam circumfert ad eum venerit, et putans eum dormire, lumen contra faciem ejus intenderit, si vigilat, iterum reverenter inclinat; at si obdormivit et laterna posita fuerit ante eum, excitatus perlustrat primum cum ea dextrum chorum, et per medium rediens, chorum exteriorem, novissime sinistrum. Si quem offenderit obdormisse, tunc contra ejus oculos lumen ter intendit; si tertia vice non evigilaverit, ponit ante eum laternam, ut ab ipso quoque excitato similiter portetur.

CAPUT IX.

Qua disciplina recollocatus jaceat in lecto.

Ad lectum rediens iterum se collocat cum disciplina, nec cucullam prius exuit quam coopertorium usque super cubitos trahat; tunc quidem eam exutam diligenter complicat et ponit ad caput. Quantumlibet calorem sentiat, tamen nunquam plus corporis sui detegit quam pedes, brachia et caput.

CAPUT X.

Quomodo surgat mane, vel quid statim faciat.

Ad sonitum, qui diluculo fieri solet in dormitorio ad excitandos fratres, facit idipsum quod ad signum nocturnorum; quantocius surgit, et ea vice non alios calceos quam qui ad diem facti sunt induit, nisi forte sit sanguine minutus, cultelli sui secum portandi cavet oblivisci. Lotis manibus facie, cum tria manutergia pendeant simul in claustro, non tergit ad aliud quam quod suis similibus est deputatum, quia unum est pueris, alterum cantoribus, tertium idiotis. Pectit caput, facit tres orationes in choro, anterior et propior altari quam seniores, sicut etiam ad nocturnos, in quibus, posteaquam pueri legere incipiunt, non multum moratur.

CAPUT XI.

Quomodo sedeat, vel incedat.

Sedens ad lectionem ita sedet ut ulna sit inter se et alium juxta sedentem; anteriora frocci sui semper in gremium ita attrahit ut pedes possint bene videri. Girones quoque, vel quos quidam sagittas vocant, colligit utrinque, ut non sparsim jaceant in terra. Quocunque incedit, semper demisso capite incedit, et si aliquando visus fuerit erecta cervice, non negligitur innotatus.

CAPUT XII.

Quomodo veniat ad confessionem.

Si opus habet ad confessionem pro aliquo ex-

cessu venire, accedit ad sacerdotem ad quem potissimum voluerit: et stans ante eum, dexteram de manica extractam ponit super pectus, quod est signum confessionis. Surgit sacerdos, quem præcedentem sequitur in capitulum, et primum ante eum petit veniam toto corpore prostratus: a quo jussus se levare, postquam consederit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte quod nos verecunde fragilitatem appellamus, ante confessionem septem pœnitentiales psalmos dixerit, vel si psalmos nescit, Dominicam Orationem septies; et postquam fuerit confessus, quod sibi jusserit sacerdos. Eo die non textum Evangelii osculatur, nec ad pacem vadit, nec ad offerendam.

CAPUT XIII.

Quomodo, vel quando pannos suos induat.

Est autem apud nos lavatorium secretum cum aquæ ductu, ibique lavat femoralia sua, quantum illa eventione sunt contacta; aut si habet in promptu mutatorium suum, mutat quod est indutus, nec prius ad ea quæ præfatus sum accedere præsumit. Nunquam mutat in sola cuculla, nisi et pelliceum vel froccum habeat indutum, ne quid nuditatis suæ possit ab aliquo videri. Pannos, quos exuit, confestim complicat, femoralia involvit stamineo, et cum ejus manicis colligat utraque: horam quoque mutandi discernit, quæ non est nisi ante primam, vel si ipsa simul cum matutinis laud. cantatur, ante tertiam. Tunc etiam noverit horam esse confessionis, et post capitulum quandiu psalmi pro fratrum anniversario dicuntur. In diebus solemnibus usque ad missam matutinalem; in Quadragesima per tres dies, per quos silentium tenetur in claustro usque ad sextam.

CAPUT XIV.

Si coctus est, qua hora coctionem suam videat.

Quod si coctus est, ut vulgariter, aiunt coctionem ex more non videt, neque ligat, nisi ante primam, vel si ipsa, ut supra memini, matutinis laud. est adjuncta, ante tertiam, et post vesperas, ita tamen ut propter hoc silentium non infringat. Panniculi autem recens lavati sic esse debent in promptu, ut non opus habeat quid loqui. Ad catalogum fidei Sancti Athanasii nunquam sedet; ad offerendam nec anterior nec posterior accedit quam suus est ordo.

CAPUT XV.

Quomodo pannos suos lavet.

Qua facta, si quid ei placuerit de pannis suis lavare, in coquina regulari ad hoc solum æneum offendit, in quo aqua calefiat, lexiviaque temperetur. In claustro autem truncum amplissimum cum plerisque intervallis cavatum, ut hic stamineum, illic femoralia lavari possint separatim. Quæ ante capitulum mittit in aquam calidam ut mollescant, post tabulæ percussionem lavat, et non diutius nisi quandiu licentia loquendi durat, excepto si est dies jejunii lavare non prohibetur post tertiam; vel si est

A Quadragesima vel dies privata, non solum post tertiam sed etiam post sextam lavat, tametsi non loquamur in claustro. Quidquid autem lavat, quoquomodo sit lavatum, post horam lavandi aufert et siccat; ne jaceat ita sordidum et horridum, maxime ubi totus conventus videbit de refectorio exiturus.

CAPUT XVI.

Quomodo de regulari hora non exeat, nisi pro inevitabili necessitate.

Audito signo quod ad primam pulsatur, ecclesiam cum aliis intrat; et quia pulsatio signi rite protelatur quousque septem psalmi possint esse cantati, aliquando, si voluerit, postquam pueri transeunt, exit pro corporis necessitate, sed rediens la-
B vat manus, ne cum ventum fuerit ad offerendam, rursus habeat exire; quia si tam frequenter exierit, hoc quoque in capitulo reservatum experietur. Sed nec videt exire quemquam quandiu de regularibus horis ulla in die cantatur, nisi pro inevitabili necessitate, ut, verbi gratia, si de naso cruor emanat.

CAPUT XVII.

Quomodo se præparet ad capitulum, vel quid faciat si est sibi conscius ullius.

Quando scilla pulsatur ad capitulum, stamineum suum undique detrahit et honeste componit, ut paratus sit si aliquo modo accusatus judicium quærere jubetur. Cum domnus abbas dixerit: *Benedicite*, inclinat; postquam ventum fuerit ad actionem capituli, si quid ei excessus aliquo modo contin-
C git, quod alius vidit, et digne potuerit reclamare, ipse præveniens petit veniam, et illam veniam toto corpore prostrato, culpamque suam fatetur; sed quantacunque fateatur, tamen non amplius petit veniam præter illam quam petiit. Quod si alius de illo reclamaverit, tunc quidem quoties de se reclamare audierit, toties quoque veniam petit. Quod si sedens et reclamationem de se audiens prius quidquid responderit quam veniam petierit, jussus ut se prosternat, in ipso frocco suo unam accipit percussionem. Postea pro eo pro quo est reclamatus, sustinet quod prælato videtur, vel vapulare, vel esse in culpa leviori; nam quæ ad graviorem culpam pertinent, de his non loquor hac vice.

D

CAPUT XVIII.

De culpa leviore.

Missus autem in culpam leviorem ita se habet, ut ipsa quoque sibi regula præscribit. Inter preces nocturnorum, et horarum omnium regularium, prostratus jacet ad gradum; non offert, non osculatur textum Evangelii, non accedit ad pacem, nec ad mensam cum aliis; sed si qua dies festa duodecim lectionum agenda supervenerit, solutus est ab eo quod se prostravit, vel quod cum aliis non refecit. In ecclesia non abstinet se a lectione, a cantus impositione, nec a cæteris quæ prælibavi. Privata die veniente rursus intrat in quo prius erat,

usque dum fiat absolutus. Absolvitur autem maxime quando prostratus jacet ad gradum, et unus frater ad eum dirigitur, a quo sibi quod sit absolutus innuatur. Hoc quoque modo fieri solet absolutio, si eidem noxæ adjudicatus postea contigerit, ut pro aliquo delicto denuo reclamatus verberetur; et si hoc non erit, non absolvitur, nisi prius ejus satisfactio jacentis ad gradum, vel ad unam horam videatur a conventu.

CAPUT XIX.

Ubicunque steterit, quomodo stare debeat.

Stans autem ante domnum abbatem vel ubicunque steterit, id etiam non negligit ut habeat pedes æqualiter compositos, et nunquam ab invicem inter standum divaricatos.

CAPUT XX.

De his quæ non licet facere nisi ad horam loquendi.

Exiens a capitulo, si est ea dies in qua loqui non prohibetur, priusquam ullum verbum dicat, librum accipit et sedet. Stando nihil omnino loquitur; quod loquitur, loquitur submissa voce. Loquela sua et audientia non est nisi de spiritalibus, vel de his quibus hæc temporalis vita carere non potest. Si quid opus habet a camerario quærere, tunc maxime quærit; si opus habet ungues secare, tunc secat; si opus habet justitiam suam et pateram lavare, tunc lavat; si opus habet cultellum suum acuere, tunc acuit ad cotem qui ob hoc pendet in claustro; si opus habet quid de vestimento suo ad solem extendere, tunc extendit, et bene meminerit ut auferat ante collationem, vel, si duodecim lectiones in sequenti nocte fuerint, ante vesperas; si quem fratrum infirmantem visitare voluerit, tunc maxime visitat. Si autem est absque obedientia quantum ad hospites, tantum loquitur ad quemquam famulorum, nisi cum licentia. Nihil appellat singulariter suum, sed ad omnia dicit nostrum, nisi de patre et matre; de his solet licenter dici meus et mea. Si quem fratrem appella, nunquam puro nomine appellat, nisi domnus adjungat, et pueros fratres nominat; item proprium nomen dicturus, semper frater præmittit.

CAPUT XXI.

De minutione sanguinis.

Si voluerit sanguinem minuere, ipsa hora, qua de capitulo exierit, licentiam quærit. Et ut hoc modo quo fiat ordine persequar: accepta licentia, vadit ad cellerarium voluntatem suam indicare, ut provideat famulum ad hujusmodi deputatum in promptu esse post Evangelium missæ majoris. Eo namque momento abscedens de ecclesia induit nocturnales, non alios quidem usque in diem tertium induturus, nec chorum intraturus. Tollensque fasciam de lecto suo ad hoc necessariam, pergit in coquinam regularem, ubi brachium suum denudat et calefacit; vocat famulum præfatum signo tantum ex cellerario, ducitque secum ad illam minuendi sanguinis officinam. Priusquam quid aliud faciat, facit ante et retro, et ter dicit hunc versum: *Deus, in adjutorium meum intende* (sicut etiam ad opus manuum), et, ut ibi est, cætera subjungit. Sicque sanguinis diminutio inchoatur; silentium tenet, nisi modicum quid dicat de hoc quod inter manus habetur. Abhinc surgens statim venit in refectorium, aliquantum de libra sua comesurus et de vino bibiturus; sicut etiam per dies geminos sequentes. Ad prandium si alii habent pitantiam, ille generale, et ad cœnam ova tria. Si est tempus hiemale, scilicet a Kalendis Octobris usque ad Quadragesimam, et si fratres generaliter non nisi semel reficiunt, tunc ille post vesperas cœnat. Secundo et tertio die post capitulum veniens in refectorium, dicit versum refectionalem simul cum pueris, et habeat tria cocta pulmenta; die quarta, casei quadrantem, vel quod tantum valet. Quo die indutis quoque diurnalibus ad primam redit in chorum. Ad nocturnos his tribus noctibus si obdormivit, nemo eum cum absconsa inquietabit, sed etiam ad intervallum in lecto suo pausavit, nec permissum est veniam petere in capitulo, si quid ei reclamatum est de illo, et stare jussus pro venia inclinavit. Cavet autem eo die minuere, in cujus sequenti nocte duodecim fiunt lectiones, nisi in Quadragesima; tunc semper et in Sabbato post vesperas minuit, pro eo quod in die Dominica non jejunabit; in qua quia facturus est foris claustrum processionem, induit quoque diurnales; post completorium de tribus orationibus non nisi unam facit, et exit.

CAPUT XXII.

Qua disciplina in ecclesia maneat ad solemnia missarum.

Sed ut redeam ad locum unde paululum diverti, inter loquendum si ad horam signum audierit regularem, et si est in claustro, ipsum verbum quod habet in ore non perficit, sed continuo tacet et occurrit ad orationem interesse; sedet in choro, et quousque sacerdos missam cantaturus sit vestitus, intendit lectioni. A quo tamen primum ictum secundi signi audierit, illico cessat et surgit, etiam ad duo signa quæ pulsantur ad vesperas, vel quotiescunque omnia signa pulsantur. Veniam, quam petit, diligenter observat ne unquam tardius vel celerius quam alii petat; cum aliis se submittentibus se submittit, cum aliis se levantibus se levat ad venias, ad preces et ad orationes. Aliis non legentibus, nec aliud quam solum officium divinum attendentibus, ipse quoque nunquam librum aperit ad legendum, maxime in choro, nisi aliquando antiphonarium ad majorem missam propter aliquem graviorem cantum quid ad præsens cantatur, vel ad vesperas librum hymnorum propter aliquem hymnum ea vice canendum; et si sacerdos est hebdomadarius, in collectaneo licet ei quod opus habuerit, videre; aut si lector est in refectorio, et juvenis adhuc positus in custodia, ad utramque missam, si voluerit, in choro prævidet lectionem. Signa, quæ cum manu fiunt pro locutione, non

amat frequenter facere, conventu maxime cernente, et quoties facit, facit reverenter et pro necessitate, et nunquam absque alicujus utilitatis ratione, ut cætera membra, ita ipsum quoque visum cohibet a vagacitate. Finita missa, cum summo silentio sedet ad lectionem quousque pueri redeant de misto.

CAPUT XXIII.

Qua disciplina maneat in refectorio.

Ad horam prandii vel cœnæ, si in dormitorium non ascendit, lavatis manibus statim intrat in refectorium. Ad sedem suam facto ante et retro stando reverenter exspectat dominum abbatem, nisi adeo sit infirmus ut stare non possit, tunc sedet; nihil omnino comedit, antequam lectio sit incœpta, et antequam de manu sacerdotis oblatam accipiat; si tamen est privata dies, et si ipsa die non communicavit. De nullo gustat generali priusquam benedicatur; sibimetipsi nihil unquam apportat præter sal et aquam, nisi forte generaliter serviendo veniat ad sedem suam. Si quid ei per alium apportatur, reverenter contra porrigit manum, et aliquantulum inclinat; si quid ei vel ab ipso domno abbate, vel a priore ad scillam sedente dirigitur, ex toto surgens altius inclinat, et quantumlibet forte cupiat abstinere, de hoc tamen prælibare non dimittit. Scutellam quoque applicat ad illum potissimum fratrem, qui juxta se superius sedet ut comedat; si is renuerit, applicat ad inferiorem; quod si et ille, quantumvis remaneat quod noluit, vel non potuit comedere, non mittit quoque longius ad quemquam alium fratrem pro ulla gratia privata, sed a se tantum amovet scutellam, ut tollatur a servitore. De micis, diligentissime cavet ne quid vel minutissimum cadat ad terram et pereat; cum cultello corrodit eas de mensali, ut ad ultimum cum flabello graminco in scutellam colligantur, et ad eleemosynam deferantur. Quandiu autem non est a conventu separatus ut si cum infirmis, nec unum granum gustat piperis, nec ullo modo quidquam potionis pro aliqua infirmitate, nisi in refectorio, eucharistia excepta. Minime quoque bibit aliquando, nisi pateram cum ambabus manibus tenendo, et nunquam nisi sedendo. Quod si per vices contigerit ut aliis considentibus ipse in primis non adsit, postea veniens ad gradum, cum signo petit a domno abbate licentiam comedendi; quo annuente, quæ cum aliis fecisset et dixisset, eadem per se facit et dicit, id est, ante et retro, et versum, si est prandium, *Oculi omnium*, etc.; si cœna, *Edent pauperes*, etc. inclinis, *Gloria Patri*, et Orationem Dominicam, erectus manu et ore ita benedicit, *Oremus Benedic, Domine*, etc., inclinat domno abbati, et recedit ut sedeat. Quod si opus habuerit aliquando ut, priusquam cæteri, surgat a mensa, rursum veniens ad gradum, et manum expansam tractim a pectore trahens, cum hujusmodi signo licentiam quærit abeundi. Qua accepta inclinat quasi gyrando, et versum dicit, si est prandium. *Confiteantur*, etc., inclinis, *Gloria Patri*; erectus, *Agimus tibi*, etc., si cœna, *Memoriam fecit*, etc., et, *Benedictus Deus*, etc.; facto ante et retro incedit pedatentim cantando psalmum, *Miserere*, usque ad ostium refectorii; ibique se inclinans contra mensam principalem, dicit omnia quæ in ecclesia dicuntur a sacerdote vel a conventu, id est, *Dispersit, dedit pauperibus*, etc., novissime facto ante et retro exit. Quod si non amplius quam semel eo die fratres comedunt, tunc non alios versus dicit quam illos ad cœnam pertinentes, et *Agimus tibi gratias*; verum nunquam ad unam vicem facit utrumque, ut tardius quam alii veniat, et citius surgat.

CAPUT XXIV.

De habitatione sua et post prandium et post cœnam.

Post refectionem, ad hanc horam majori studio quam ad aliam silentium est sibi indictum, et secundum quod tempori vel ordini est consentaneum, aut in claustro sedet legendo vel cantando, aut si pergit dormitum et legere voluerit, jacendo legit, et ita compositus ac si statim cupiat obdormire; non modo ea signa quæ cum manu fiunt devitat, sed etiam nutum oculorum nequaquam dirigit ad lectum ullius fratris, ut illuc vel ad momentum intueatur. Post nonam sive sitim habeat, sive non, tamen non dimittit cum aliis ire bibituris. Quoties post vesperas cœnatur, cœna facta dormitorium ascendit, cultellum deponit, diurnalibus calceis detractis, nocturnales induit, venit in claustrum sedere; ubi ad illam horam quandiu sedet tantopere silentium studet, ut si scribendi sciolus forte quid scripserit, nec pergameneo, nec ipsa penna quidquam sonitus ullo modo committat. Aut si tardius quam cæteri de dormitorio descenderit, tam lente pedem ponit, ut ejus incessus, si videtur ab aliis, minime tamen ab ullo possit audiri.

CAPUT XXV.

Qua disciplina se post completorium est collocaturus.

Post completorium cum iterum fiant tres orationes, ad has locum tenet extremum, et priores anteriorem. Aspersus a sacerdote aqua benedicta, et veniens ad ostium ecclesiæ caput cooperit cum capello, nec amplius denudat usque dum collocaverit se in lecto. Hæc pauca, ut memoriæ occurrerunt, de multis dicta sint, quibus omnes novitii, si fieri potest, prius sunt instruendi quam collegio nostro socientur.

CAPUT XXIV.

De confessione et petitione Novitiorum.

In vita quoque sæculari quæcunque contra salutem animæ suæ commiserunt, omnia domno abbati ad confessionem manifestant. Postea, cum ei visum fuerit, jubet eos iterum ante se in capitulum venire. Quibus venientibus et veniam petentibus, postquam surrexerint, iterum quoque ut prius aliquanta insinuat de austeritate disciplinæ regularis, et inter alia non tacet melius esse ut sine benedictione ad sæculum redeant, quam accepta benedictione de cæ-

tero non perdurent. At si ipsi econtra omnem obedientiam et stabilitatem pollicentur, annuit tandem eos benedictione confirmare. Commendat fratribus ut in orationibus suis recordentur eorum, et aliquando, si videtur, unum psalmum post singulas horas in illo die pro eis cantari.

CAPUT XXVII.

De benedictione novitiorum.

Veniunt ad pedes bini vel terni. Post Evangelium majoris missæ rite benedictio est agenda, et hoc modo inchoanda. Singulis est scriptum quomodo profiteantur, quod est hujusmodi : *Ego frater promitto stabilitatem monachi, et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum regulam* S. *Benedicti, coram Deo et sanctis ejus in hoc monasterio quod est constructum in honore BB. apost. Petri et Pauli*; *in præsentia domini N. abbatis.* Hoc modo legit unusquisque in brevi sua, et ipsam brevem mittit super altare jugiter ibi servandam. Si litteras nescit, legit pro eo alius, signum tamen aliquod manu facit in brevi. Petunt ter veniam super manus et genua ; ter etiam hunc versum dicendo : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium*, etc., et toties a conventu similiter eis respondetur. Tertia vice, *Gloria Patri* adjuncto, gyrum faciunt, ita poplitibus flexis, et postea prosternunt se ad orationem. Domnus abbas stans imponit *Kyrie eleison. Pater noster*, psalmum *Miserere*; præmissis his versiculis : *Salvos fac*, etc., *Mitte eis*, etc., *Nihil proficiat*, etc., *Esto eis*, etc. Sequuntur hæ benedictionis collectæ : *Deus indulgentiarum, etc., Deus, qui per coæternum, etc. Domine Jesu Christe, qui es via*, etc., *Sancte Spiritus, qui te Deum*, etc., Cucullas ita benedicit : *Domine Jesu Christe qui*, etc., aqua benedicta conspergit. Sed novitii sua benedictione finita consurgunt ab oratione, exuunt froccos, et induunt cucullas. Inter exuendum rursus dicturus est ad singulos domnus abbas : *Exuat te Dominus*, etc. Inter induendum : *Induat te*. etc. Circumeunt per totum chorum ut omnes fratres, ab ipso domno abbate incipientes osculentur.

CAPUT XXVIII.

De habitatione illorum in illo triduo post benedictionem.

In his tribus diebus non denudant caput capello coopertum, in cucullis dormiunt, nihil omnino loquuntur, offerunt ad pacem, ad communionem veniunt, quod non aliquando dimittunt, etiam si eis aliquid contigit dormiendo. Tertio tandem die, cum sacerdos fuerit eos osculatus de capitibus eorum abstrahit capellum, et de cætero licet eis, sicut aliis fratribus, loqui et exuere cucullas. Si quis infirmus, et, ut aiunt, ad succurrendum benedictionem acceperit, et pro infirmitate silentium tenere non potuit, cum aliis qui benedicuntur capita contegentibus ipse quoque contegit, et omnia quæ illi faciunt eo triduo similiter facit, ut quod prius omissum erat suppleatur. Ergo ab illo die

A nequaquam ulterius a capitulo separantur; et domnus abbas secundum gratiam, quæ singulis est data, jubet eos de cætero in ecclesia servire, scilicet, ut legant, et cantent, qui hoc sciunt; et qui aliud non valent, candelabra et thuribula portent. De his tamen, qui sacerdotes sunt vel levitæ diligenter examinat quomodo sint ordinati, qualis sit eorum scientia, qualis conscientia, et per aliquod tempus probat eorum conversationem, antequam eis hujus ministerii licentiam permittat. Præcipue qui sacerdos erat antequam veniret, omnino ab officio prohibetur, usque dum sæpius prospiciens addiscat quam multiplici studio tale sacramentum tractetur a nobis. Sed ut hic meminerim, tam qui examinatur, quam qui jam examinati aliquo modo servire jubentur, unusquisque illorum in capitulo brevem diligenter attendit, ut animadvertat si est ad ullum scriptus obsequium, quod vel in ecclesia vel extra sit agendum. B

CAPUT XXIX

De hebdomadario cantore, et de eo qui notatus est ad invitatorium imponendum, vel ad aliquam lectionem, vel aliquod responsorium.

Si est notatus ad invitatorium, quando ipsum inchoat stans ad gradum cum suo collega vel quando finit, utraque vice facit ante et retro. Si ex duobus cantaturis invitatorium, est prior notatus, tunc etiam hebdomadarius erit, per totam hebdomadam officium missæ majoris imponit, ad quam cum in die Dominica, vel in qualibet ei simili, omnia signa sint pulsanda, ad eum pertinet ut ipse primas scillas incipiat pulsare, et postea cappa se vestire, ut chorus teneatur ab illo ; qui et incensum sibi allatum, C quo corpus Domini ante consecrationem est incensandum, in thuribulum ponit. Quando sunt fratres ad pacem et communionem, licet ei sedere. Quoties in septimana fuerint duodecim lectiones, ad omnes horas imponit antiphonam, præter ad vesperas, ad quas non imponit nisi in tali festivitate de S. Trinitate, vel etiam solemniore quam est. Quando omnes ad majorem missam sumus induti albis, non ad eum, sed ad armarium pertinet officium majoris missæ. Quod si non hebdomadarius, tamen ad aliquam antiphonam nocturnorum notatus est, cum imposuerit eam, finito primo versu psalmi, facit ante et retro ; ad legendum multum inclinis et accedit et recedit, nisi ea vice, qua conventus nondum D consedit, non est adeo inclinis; et postquam legerit, rursus ad gradum non solum ante et retro facit, sed etiam illam veniam super manus et genua præmittit. A quo etiam notandum hoc moris esse nostri, ut si quam prophetiam, maxime ubi nihil habetur historicum, legerit in Dominicis noctibus, ad finem lectionis non dicat, *Hæc dicit Dominus*, sed, *Tu autem Domine*, sunt etiam ad finem cujusque codicis prophetarum prælecti. Quod si ad responsorium notatur, hic quidem moderate inclinat, et antequam imponat, et postea finito versu, vel *Gloria Patri*, si hoc est adjungendum, facit ante et retro, et post versum ad aliquod momentum inclinem se submit-

tit, et si cum altero est cantaturus, cantabit ad gradum.

CAPUT XXX.

De sacerdote hebdomadario.

Qui ad hoc scriptus est ut sacerdotio fungatur, et in conventu septimanam majorem missam cantaverit, in sequenti cantabit matutinalem. De his autem, quae acturus est, non pauca scire debet corde tenus; [illegible] tres collectas ad cantica quindecim graduum ante nocturnos, vel si psalmodia protenditur usque ad finem Psalterii, collectas ad suffragia sanctorum, collectas ad officia defunctorum, ad psalmos pro familiaribus, ad psalmodiam *Deus, auribus*. Usus quoque nostros multifariam scire debet, maxime in collectis dicendis et ordinandis, ut in conventu nihil unquam dicat quod ab illis ullo modo dissideat; sed quantumlibet sciolus sibi de omnibus videatur, tamen non debet dedignari frequenter et de singulis cantorem et armarium interrogare. Quoties autem fiunt duodecim lectiones, post nocturnos lecturus Evangelium non prius exit de choro quam ex alternatione modulantium ventum fuerit ad illum versiculum, *Pleni sunt cœli et terra*; et tunc festinanter lavatis manibus sacrarium intrat, vestitus alba, stola et casula, rursus versiculo illo imposito, *Per singulos dies*,, procedit tenens ambabus manibus Evangelii textum reverenter contra pectus reclinatum, quem etiam accedens ponit in medio altaris, et cum incenso facit super eum crucis signum semel tantum; inclinat se ad orationem maxime Dominicam, ad ultimum versum hymni præsignati erigens se tollit textum de altari deosculato, et pergit ad analogium, contra quem etiam conventus totus conversus inclinat. Matutinis laudibus incœptis non se movet a loco usque dum dixerit cum aliis *Gloria Patri*, et aliquantulum inclinans, quibus se erigentibus ipse quoque recedit; verum semper accelerat ut prius sit reversus in chorum quam primus psalmus finiatur. De incenso ita gerit ut primum incenset faciem altaris, tunc superficiem manu ter cum incenso porrecta per diversa loca latitudinis altaris, et semel in transversum, tum retro dextrum cornu altaris, tum cornu altaris sinistrum. Incensat etiam altaria quæque minora choro proxima, et Sanctæ Crucis altare faciens per singula cum incenso crucis tantummodo signum.

In privatis diebus quoties bis comeditur, priusquam signum pulsetur ad tertiam, manus lavat ex more, ut oratione facta mox sacerdotalibus induat se, et tertiam imponat. Qua finita, litania, qua missa prævenitur, cum decantata fuerit usque ad illum versiculum, *Omnes sancti*, exit de choro, ut casula quoque vestiatur, et cum processione veniat ante altare. Si dies est talis ut non nisi semel comedatur, vestit se inter cantandum litaniam: et si processio est agenda, ut in quarta et sexta feria in quadragesima, non se vestit donec et ipsa jam facta fuerit. Accedens autem portat et ipse codicem missalem in brachio sinistro; quo deposito in dextrum cornu altaris, inclinat ad orationem, maxime Dominicam, vel si magis voluerit, *Domine sancte*, etc. Osculatur altare et textum Evangelii, dat locum diacono ut stare possit prope dextrum cornu altaris; ipse quoque stat prope sinistrum, et inclinis contra diaconum similiter inclinem, dicit confessionem; cujus etiam forma ita est prescripta, ut nec ad missam, nec ad horas quibus est dicenda, verbis amplioribus dicatur quam hujusmodi: *Confiteor Deo et omnibus sanctis ejus, et vobis, Pater quid peccavi in cogitatione, locutione, et opere, mea culpa; precor vos, orate pro me.* Resp. *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra; liberet vos ab omni malo; conservet et confirmet vos in omni opere bono, et perducat vos ad vitam æternam, Amen.* Ad epistolam sedet usque dum ad Evangelium venitur. Diacono lecturo dat benedictionem hujusmodi: *Deus misereatur vestri et benedicat*: ea vice stat prope dextrum cornu altaris, et diaconus prope sinistrum.

Hic autem non est indignum meminisse qua diligentia, quoque studio ad Dominici corporis et sanguinis consecrationem et communionem serviatur. Primum propter hoc ipsum factum est unum armariolum ante faciem majoris altaris optime compaginatum, et intrinsecus pannis vestitum, in quo nihil aliud reconditur præter illa utensilia, quæ necessaria sunt ad missarum solemnia duntaxat in conventu generaliter agendarum, præcipue duo calices aurei cum patenis diversæ quantitatis; et duo corporalia, unum duplum, sicut omnia corporalia solent esse ad privatas missas, alterum simplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem missam; major cum simplo ad majorem; nam et unum simplum semper jacet in sinistro cornu altaris, ut a prioribus nostris accepi, propter hoc ut ad manum possit esse contra periculum ignis; contra quod, si forte contigerit, creditur a multis quia multum valeat expansum. Item ibi est patena mediocris et argentea, et aurea scutella habens operculum ejusdem metalli, fabrili opere colligatum, ibi ampullæ ad subministrationem vini et aquæ: nam et in ampulla vinum ante consecrationem solet offerri. Ibi urceus argenteus, cum appendicio suo ad manuum ablutionem; ibi linteola plura, sine quibus singula sacrata vasa nec levantur, nec quoquam portantur. Ipsum autem armariolum habet in medio tabulatum, ut quæque satiora sint rursum, cætera deorsum. Ad initium missarum reseratur a majore custode Ecclesiæ, vel ab ejus suffraganeo qui tunc est hebdomadarius; panno totum desuper operitur, qui et patenam ibi ponit simul cum corporali; calicem vero cum linteolo in longum extento tenens, et desuper operiens, portat ad amphoram aquæ quæ de stanno semper est in ecclesia, et in loco competenti, ut omnes ibi calices laventur, quorum usus est ad privatas missas. Ibi quoque tunc hebdomadarius apportatum calicem diligenter lavat aqua bis infusa; et si non est sacerdos vel levita, quærit ad

hoc sibi vicarium alterutrius ordinis, ut in quarta feria et Sabbato; manu interius missa bene quoque in fundo ipse calix confricetur, ne forte aliquantulum fetiscat propter vini crebram infusionem. Ergo lavatus reportatur et ponitur super armariolum.

Subdiaconus anticipat lavare manus, ut ipse ad ministerium calicis sit paratus; quem interim, dum Evangelium legitur, accipiens simul cum corporali et patena, experitur si quid aquæ in illo remansit inter lavandum, et effundit in caveam de lateritiis tegulis factam in proximo altaris, sicut altera facta est paululum remotius, ubi idem subdiaconus, et alii subministri, manus super ea lavent. Stat juxta sacerdotem, usque dum Evangelium finiatur. Ponit corporale super altare, calicem retinens et patenam; comitatur sacerdotem præcedentem aliquantulum contra fratres ut a singulis offeratur: a diacono aqua et manutergium apportatur, et reverenter exhibetur; qui lavatis manibus accedit ad altare, et ut hic proprie dicam de mājori missa, utrumque corporale, vel quod in altari semper jacet, vel quod subdiaconus apportavit, accipiens expandit; pollicem tamen et indicem utriusque manus combinatos diligenter constringit, ne vel ipsa corporalia cum eis tangat, cum quibus hostias habebit in proximo tangere et tractare. Consummata autem oblatione sacerdos quoque lavat manus, cavens et ipse postea ne aliud quid tangat cum digitis quibus corpus Domini est tangendum. Subdiaconus portat hostias ad diaconum secus altare stantem et se operientem, ut de omnibus tres, quas voluerit, eligat ad consecrandum; propter quod dimissa patena cum hostiis super altare, vinum, quod oblatum est, funditur ab ipso quoque subdiacono in alterum calicem, tantumque relinquit quod sufficit ad consecrationem. Ad quod tamen ipse non miscet aquam, quia ei nec vinum nec aquam licet infundere, sed allatam ampullam aquæ simul cum calice dat diacono, ut ille misceat; dat et linteolum ut calix deforis tergatur diligenter, ne forte quid vini vel aquæ exterius remaneat, et consecratum pereat. Hac vice non cavet digitos diaconus, quorum supra memini, disjungere, qui has hostias jam posuit quas erat positurus; et sic tandem calice super altare posito, subdiaconus cum patena et ampulla revertens, patenam hostiis refertam ponit super armariolum, et ampullam in loco quo solet reservari. Accipit aliam patenam argenteam intra scutellam auream reconditam, et tergit studiose cum panno candidissimo prope armariolum propter hoc ipsum jugiter pendente, et pòstea cum linteolo honeste et reverenter involvit. Sacerdos interim calicem et hostiam incensans, facit cum incenso super ambo tres cruces, et unum quasi circulum, incensat quoque contra utraque altaris cornua dextrum et sinistrum, quantum manum extendere possit, pedibus tamen immotis; deinde reddit thuribulum diacono, qui prius incensat sacerdotem, et casulam inter brachia versus pedes trahit; postea faciem dextri cornu altaris et superficiem, ad extremum sinistri faciem et superficiem. Si vero dies festus adest, quinque illa altaria principalia proxima incensat, et illud ad quod conventus ad vesperas et matutinas laudes ivit ubi et cereus tam in nocte quam in die ardet.

Notandum autem quod in omnibus diebus festis et Dominicis ad majorem missam prædicta altaria bis incensantur, primo videlicet postquam confessionem suam sacerdos et diaconus fecerint, et post offerendam. Similiter ad minorem, ad quam omnia signa pulsentur; privatis vero diebus ad majorem missam semel incensum offertur, scilicet post offerendam, et solummodo sacra oblatio, quæ est in altari principali, incensatur. Ad majorem missam nisi signa pulsentur, nunquam incensum offertur. Sciendum quoque quoniam sive tres sive quinque hostiæ consecrentur, semper sacerdos mediam accipit, et cum ipsa cruces in calice facit, ipsamque dividit, et unam particulam in sanguinem mittit, et sese media, diaconum reliqua communicare non negligit.

Postquam autem diaconus altare, vel si talis est dies, altaria incensaverit, et aliquem epicopum, vel abbatem, si forte affuerit, juxta columnam ciborii stans, thuribulum converso reddit, a quo et incensatur, et ibidem manet acclinis, sicut ad primas et ultimas collectas, donec *Per omnia sæcula sæculorum* a sacerdote dicatur. Conversus quoque, si cappa est in choro, prius illum incensat qui ea indutus est; deinde incipiens a dextra eodem modo et ordine thuribulum portat, quo superius diximus, his qui sunt in choro majori vel minori; hoc plus faciendo, quod in minorem chorum exit prius ad dexteram, postea ad sinistram. Post hoc vero exiens, incensat eos qui extra chorum sunt, incipiens ab introitu chori in superiori parte, deinde alios, sicut sunt in stationibus suis per circuitum, postremo ipsa minora altaria quæ sunt prope chorum, quæ a diacono non incensantur, in anteriori parte, et in latere dextro, et in sinistro, non tamen præsumit super altare manum extendere. Quod si aliquem sacerdotem missam ibi cantantem offenderit, vel ipse vel diaconus, si competenter fieri potest, ei thuribulum offert, et ipse altare vel sacram oblationem incensans, ei thuribulum reddit, ipseque conversus vel diaconus eum reverenter incensare, et casulam inter brachia aptare non negligit. Cum autem *Per omnia sæcula*, etc., ante præfationem audierit, si jam de incensandis altaribus rediit, vel si ibi præsens est, ut in privatis diebus, vadit post sacerdotem retro; quod si nondum redierit, mox ubi redierit, illud idem facit; et post diaconum vadit subdiaconus, manu sursum extenta tenens patenam ita ut prædictum est coopertam, et in duodecim lectionibus hoc solet facere unus ministrorum, manens post subdiaconum. Qui quando illuc adveniunt, altius inclinant, erecti postea stantes donec *Sanctus* incipiatur.

Ex hinc sacerdos omnia eodem modo agit, sicut

et in qualibet missa privata deberent agi, sicut alias dictum est. Unus autem ministrorum, qui semper duo debent esse, stans cum flabello prope sacerdotem, ex quo muscarum infestatio exsurgere incipit, donec finiatur, eas arcere a sacrificio, et ab altari, seu ab ipso sacerdote non negligit. Diaconus vero, subdiaconus, et unus ministrorum, si dies festus est, acclines postea manent orationi intenti. Notat tamen diaconus quando sacerdos ad *Supplices te rogamus* inclinatus se erexerit, et tunc quoque ipse se elevans, ut quatuor digitos, quibus Dominicum corpus tangendum et dividendum est, abluat in partem ante supradictum armariolum secessit. Et sciendum quoniam non modo pro anima ipsius, qui ipsum urceolum, quo aqua funditur, et concham, qua suscipitur, dedit, sed post offerendam tam ipse quam sacerdos manus ibi abluentes hanc collectam dicunt: *Oremus*, *Absolve*, *Domine*, *animam*, *famuli*, etc., tam alte ut conversi audientes, qui sibi serviunt, possint respondere *Amen*. Digitis ablutis et tersis, ad locum ubi primitus acclinis manebat redit, altiusque inclinans continuo se erigit, postmodum stans et diligenter observans quando ad *Per ipsum et cum ipso et in ipso*, cruces super sacrificium facere incipiat sacerdos. Quod mox ut viderit moderato ac pedetentim ad altare accedens, prius dextrum cornu altaris, deinde dextrum humerum sacerdotis osculatur, et postea corporale cum duobus mediis digitis manus dextræ ex una parte removet, et sacerdos ex altera, cum quibus et calicem per medium tenens, parum sublevare, dum sacerdos dicit *Per omnia sæcula*, etc., et posmodum ipsum corporale ex eadem parte superponere procurat, et tandem rediens post sacerdotem in locum, ubi erat prius, iterum acclinis manet, donec ei a subdiacono patena argentea offeratur. Qui subdiaconus non prius se erigit, neque de loco, in quo post diaconum acclinis ex quo *Sanctus* incœptum fuerat, manserat, recedit, donec a sacerdote *Panem nostrum* in Oratione Dominica dicatur. Sed tunc inde secedens atque reverenter incedens, et linteamen de patena devolvens, manuque linteaminis parte involuta ipsam tenens, partem ejusdem linteaminis pendere ex industria facit, ut diaconus quoque cum digitis mediis linteamine involutis eamdem patenam ab ipso osculante ei manum accipiens, finita Oratione Dominica, offerat sacerdoti; propter quod tamen pollicem et indicem minime disjungit, sicut tunc non disjunxit quando calicem cum sacerdote levavit. Et sciendum quoniam quidquid de prædicta patena privatis diebus subdiaconus facit, hoc idem in duodecim lectionibus ille ministrorum, qui post illum manere solet, agere consuevit. Postquam vera diaconus sacerdoti patenam obtulit, ibi prope dextrum cornu altaris orationi, si sapit, intentus manet acclinis, donec *Per omnia sæcula sæculorum* dicatur. Sacerdos vero accipiens eam cum mediis digitis ponit super corporale ad pedem calicis, et postquam fregerit hostiam, unam particulam, ut mos est, mittit in calicem, duas super patenam, et cum corporali tegit utramque. Prius tamen super ipsum calicem, digitos quibus tetigit, diligenter fricat et excutit, ne quid forte inter frangendum de corpore Domini adhæserit; manus interim cum summo studio claudens et in modum crucis ad pectus applicans, vertit se primum diacono reverenter inclinanti, et casulam cum duobus mediis digitis post pacis osculum inter brachia aptanti, dans illi pacem, deinde subdiacono, et in procedendo contra conventum, duobus ministris, ad ultimum veniens super gradum ante analogium dat pacem cæteris, sicut adnotari decrevimus, in quinque præcipuis festivitatibus toto conventui; cæteris autem diebus, exceptis Sabbatis in quibus eveniunt jejunia Quatuor Temporum, et exceptis missis jejunii in festivitatibus Quadragesimæ, et reliquis jejuniis, in quibus festivitas duodecim lectionum evenerit, quando una hostia offertur, et pax uni a diacono datur, sic itur ad pacem: in tertia et quinta feria, et Sabbato semper dexter chorus vadit ad pacem, præter illum cui tale quid in nocte contigit; in secunda, quarta, et sexta sinister; in Dominicis autem alternatim, ut alter chorus in una, alter in altera, sicut alternatim incipiuntur hymni, antiphonæ et psalmi, ab uno choro in una hebdomada, ab altero in alia. Si vero revestiti sunt in cappis seu in albis, secundum dignitatem ordinis ibunt ad pacem, ut primo loco sacerdotes, sicut sunt priores, secundo diaconi, tertio subdiaconi deinde alii, sicut ordo eorum exigit, ad extremum conversi. Si autem aliqui sunt in cappis, et aliqui in albis, et aliqui in froccis vel cucullis, secundum dignitatem ordinis prius ibunt hi qui in cappis, deinde qui in albis, postremo qui in froccis seu cucullis erunt, sicut semper prout ad conversionem venerunt seu a domno abbate levati sunt, sive sint cantores, sive conversi.

Notandum tamen quoniam si domnus abbas propter aliquam rationabilem causam quemlibet conversum levaverit in capitulo et in refectorio, tamen ordinem illum servabit; ad pacem vero et ad communionem, sicut et ad aquam benedictam, secundum ordinem conversionis ibit. Privatis autem diebus conversus, qui servit de candelabro, quia alba indutus est, primus postquam sacerdos super gradum venerit, vadit ad pacem. At sacerdote ad pacem procedente, diaconus ad altare accedit, duasque hostias, vel si plures fuerint, ut in Dominicis, frangit et dividit, quas sacerdos non divisit, separatim dimittit, ut de altera ipse, de altera sacerdos communicetur, et si, priusquam sacerdos redeat, perfecerit, nusquam tamen recedit. Mox vero ut subdiaconus et ministri pacem acceperint, manus abluere in piscina, quæ est prope altare, non negligunt, et subdiaconus patenam auream ad calicem pertinentem, quam posuerat super armariolum, reportat, ponens super altare, et simul linteolum extensum in transverso altaris, et postea stat inclinis inter reclinatorium et dextrum cornu altaris usque dum

redeat. Qui rediens, et illam portiunculam Dominici corporis, quam sumpturus est, de patena accipiens cum duobus mediis digitis sinistræ manus, patenam modice diacono porrigit; et super calicem ipsam portiunculam sumens, postea eumdem calicem cum sanguine diacono dat. Unus autem de ministris tollit de armario scutellam, et allatam tenet cum linteolo super reclinatorium, quod est, quantum puto, propter hoc maxime factum inter duas ciborii columnas; super quod diaconus mittit patenam in qua Dominicum corpus est divisum; calicem quoque cum sanguine dat subdiacono intrinsecus stanti inter reclinatorium et altare: qui tenebit cum reclinem, quam conjunctius poterit erga scutellam; communicat primus diaconus, et post eum alii forinsecus accedentes, eo ordine quo et ad pacem, et præter illos qui in albis sunt, antequam communicent cuncti veniam petentes, et manum sacerdotis osculantes, tam illi quam alii. Si quis autem, qui non sit de illo choro qui vadit ad pacem, voluerit communicare, facto inde signo illi qui servat ordinem, si domnus abbas vel prior abest, accedit tam ad pacem quam ad communionem in suo ordine. Debent autem singuli ita se scutellæ adjungere, ut si forte inter sumendum corpus Domini aliquando vel de ore sumentis, vel de manu porrigentis lapsum fuerit, nisi in scutellam cadere non possit. Quotquot autem ipsum corpus sacrum dederit, singulis sanguine prius intinguit (6). Communicatis autem omnibus qui voluerint, et novissime subdiacono, qui semper per consuetudinem ad majorem missam communicare debet (exceptis his diebus in quibus tantum una hostia consecratur) et communicato illo qui tenet scutellam, si corpus Domini superest, vel si videtur sibi, cooperitur ipsa scutella, et qui tenet eam non se submovet inde quousque sacerdos calice a subdiacono recepto sanguinem sumat, vinumque, quo postea calicem lavat, infusum sibi ab eodem subdiacono in altera manu tenente ampullam, et cum altera involuta linteolo, quod cum patena super altare posuerat, sublevante calicis pedem. Diaconus, percepta communione, prope armariolum venit, ut cum vino in altero calice digitos abluat quibus Dominicum corpus tractavit, ministro qui supererat (7), cum ampulla fundente vinum et pedem calicis sublevante; quos ablutos ad calicem prius tergit, deinde ad faciem, et eam partem qua tersit ea applicat et vinum sumit vertens se ad orientem, et tunc corporalia plicare, et librum missalem de sinistro cornu altaris in dextrum ponere, et ad locum illum, ubi prior collecta est in proximo dicenda, vertere accelerat. Subdiaconus vero, mox ut sanguinem sumpsit sacerdos, et vinum quo postea calicem lavit, accipit ab eodem calicem, osculans ei manum, et a diacono patenam calicis, ab altari superimposito uno corporali acceptam; nam alteram in locum suum super altare reponit; et tunc ille qui tenet scutellam, altius eam elevans, vadit ante sinistrum cornu altaris, et subdiaconus remanet cum calice ante dextrum, post sacerdotem tenens cum altera manu calicem, cum altera patena parumper sublevata cum corporali. Verum contra ipsos totus conventus pro reverentia Dominici corporis et sanguinis veniam petit.

Sciendum autem quoniam, si quilibet post communem veniam supervenerit, nunc in choro, nunc extra chorum veniam petere debet. Similiter postquam aliquis communicaverit præter hanc communionem, nunc ante altare S. Joannis, nunc alibi veniam consuetudinaliter petit. Mox autem ut ille minister, qui supererat, digitis diaconi vinum superfudit, accedit extra inclinatorium deferens calicem alium minorem, cum ampulla, quam subministravit diacono, et post ab eodem recipit, ut sacerdos quoque digitos illos lavet, quibus Dominicum corpus tractavit, quos nunquam in majoris missæ calice abluere licet. Quo sumpto, iterum vinum in calicem funditur, ut ipse aliquantulum calix abluatur, et a sacerdote sumitur. Et quoties tam sanguinem quam reliquum vinum sumit, faciem versus altare, vel versus orientem vertit. Ille autem qui portat candelabrum, postquam sacerdos a pace redierit, continuo accipit, tenens hoc ante gradum sublevatum, nec prius deponit quam *Per Dominum nostrum* de prima collecta post communionem dicatur. Eadem hora tam subdiaconus cum calice quam minister cum scutella discedunt. In duodecim lectionibus duo conversi cum duobus candelabris, et tertius tenens thuribulum, eodem omnino modo ante gradum et accedunt et discedunt, quo dictum est privatis diebus.

Sciendum vero quoniam, quoties non nisi una hostia consecratur ad majorem missam, eadem missa cum calice minoris missæ et duplo corporali cantatur: et tunc neque patena argentea exhibetur, neque prædicta scutella apportatur, neque subdiaconus, postquam calicem post communionem susceperit, post sacerdotem moratur, neque conversus de candelabro serviens, postquam sacerdos post ablutionem digitorum vinum calici infusum ebiberit, amplius operitur. Sciendum quoque quoniam omni die Dominica corpus Domini mutatur, et dum sacerdos procedit ad pacem, recens consecratum a diacono in pixide cortica reponitur; et quod præterita Dominica consecratum fuerat, inde accipitur, et ab eodem diacono dividitur, et fratres inde com-

(6) *Intinguit.* Addit alius codex: Quanquam sit contra usum aliarum Ecclesiarum, quia quidam, maxime novitii nostri, adeo sunt rudes, ut si sanguinem ita separatim acciperent, non remaneret ut non magnam aliquando negligentiam incurrerent.

(7) *Supererat.* Idem codex supra laudatus: Servitor qui superest adhuc accedit cum altero calice extra reclinatorium, ut sacerdos super eum cum vino lavet digitos, quibus corpus Dominicum tractavit, sicut et diaconus, mox ut communicavit, et antequam corporalia complicaret: et hoc vinum ut iterum sacerdos ebiberit, quod secundo servitor infundit ut ille calix utrinque abluatur.

municantur, duæ tantum particulæ illius hostiæ, quam sacerdos divisit, non mutantur. Prædictam autem pixidem, dum psalmi familiares post tertiam dicuntur, diaconus de columba jugiter pendente super altare, bene cum linteolo de pulvere exterius tersa, abstrahit, et super dextrum cornu sub coopertorio ponit, missaque finita in eodem loco reponit. Postquam autem subdiaconus et minister de ante altare discesserint, quisque sua ad armariolum reportat. Ubi quantumlibet clara dies sit, tamen cum cereo utrumque, patena scilicet, super quam Domini corpus fractum fuerit, et calix diligentissime considerantur a subdiacono et a ministro, si quid forte vel minutissimum de corpore Domini remanserit; et, si quid viderit remansisse, hoc non manu tangere præsumit, sed lingua tantum levat et sumit, si talis est particula quam convenienter sumere possit; si vero minutissima, et, ut ita dicam indivisibilis et atomo similis, hanc, si potest, cum vino in calice, quo sacerdos et diaconus digitos abluunt, recipit, levat et separat. Quod si ita adhæserit, ut cum vino fieri non possit, in eo tamen loco, ubi eam viderit, linguam summatim applicat, et sic eam sumit; et postea iterum patenam vino superfundit. Quod si non et quamtumlibet ibi remansisse cognoverit, non tamen propter hoc eam vel semel diligentissime vino superfundere dimittat, et illam superfusionem primitus sumit; et postea eumdem calicem, quo vinum illud patenæ superfusum sumpserit, alio vino abluit, vel illud, quo calicem majoris missæ vel ipse vel minister interius lavit, in illum calicem immergit et sumit mittitque vinum alterum in calicem majoris missæ, et circumquaque intus diluit, et, si minister communicavit, illud ebibit; sin autem, subdiaconus, postquam vinum patenæ superfusum sumpserit, in eum calicem, super quem eadem patena fusa est, immergit, sicut dictum est, et sumit et tunc non alio vino eum abluit, nisi forte tale quid postea ibi remansisse cognoverit. Alter ministrorum cereum ad hoc diligenter inspiciendum tenere, verum linteola, quæ tria sunt, debet studio explicare. Quod si subdiaconus est in custodia, custodis est cereum tenere. Duo autem linteola super calicem majoris missæ, iterum vero super calicem minoris debent poni, et sic quoque sacra vasa in suo loco componi. Quod si ante finem missæ aliquando possunt perfecisse, non tamen propter hoc aliquis eorum debet devestitum ire. Recedens autem sacerdos ab altari, dat missalem diacono, ut ab eo reportetur; stolam ipse et manipulum complicat, nisi forte sint, ut in festis præcipuis, deaurata, tunc enim a sacrista sunt complicanda.

In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorio, ut his, qui eo die non communicaverunt, per manus sacerdotis distribuantur, quod hoc ordine fieri solet, ut primum tribuat de ipsis hostiis domno abbati; postea, cum sint mensæ tres, utrinque ad dexteram domni abbatis ad unam mensam, postea ad omnes in alia parte, et sic iterum redit ad dexteram, et tribuentis manus a singulis osculatur. Quoties benedicit, facit tres cruces contra mensam principalem, contra dextram et sinistram; ad potum vero non nisi unam. Post completorium, priusquam tertia finiatur oratio, exit de choro ad aquam benedictam, ut cum ea singulos aspergat.

Et quia sacerdotis semel memini, ut hic adjungam quod adhuc ad eum specialiter pertinet, si missam privatam cantare voluerit, innuit converso cum signo crucis, quod est signum missæ cantandæ. Qui, continuo sequens illum ad locum ubi sunt utensilia recondita ad solemnia missarum, accendit candelam, ponit in brachium sinistrum vestimentum sacerdotale, et desuper librum missalem. Sacerdos autem primo manus suas lavat et tergit, mittit hostiam cum cochleari super patenam; calicem quoque lavat et tergit. Item in ampullas duas infundit vinum et aquam, quas et cum sinistra lavat, et cum dextera calicem superpositis patena et coporali. Ita præcedens conversum sequentem, pergit ad altare ubi est cantaturus, cujus linteum complicatum explicat, ponit calicem et librum missalem. Ad vestimentum non est improvisum nec omissum, ut ad singula altaria una sit tabula in qua ponatur, unumque lignum patulum et muro infixum, super quod ponantur ampullæ; pendet quoque in promptu manutergiolum, ad quos sacerdos, postquam se induerit, lavatas tergit summitates digitorum, quibus necessario tangit res sacratas. Inde missam incipiens, totum cantum, qui ad eam pertinet, pro edicto Patrum nostrorum magis legit in directum quam unquam audeat cantare. Cum ventum fuerit ad offerendam, eodem studio, et diligentia, qua fieri solet ad majorem missam, per omnia se habet. Finita missa cum redierit, nec tunc omittit iterum lavare summitates digitorum, maxime propter calicem et propter corporale reportandum.

Ut adhuc amplius quid dicam de lege sacerdotis: quando se vestit ad missam privatam, si pulsatur signum ad horam regularem, et nondum stolam misit super collum, exuens se cessat a missa, et pergit ad horam. Item interim, dum hora cantatur, si missam finierit, et ipse venire potuerit in chorum ante *Gloria* primi psalmi, conversum dimittit cum vestimento complicato, vel non complicato, et ipse pergit ad Horam. At si venire non potest, non se movet a loco, nec conversus, quousque hora finiatur. Hæ sunt autem vices, in quibus sacerdotes possunt hujusmodi missas absque licentia cantare, quotidie ante primam, si tamen prima non conjungitur matutinis laudibus, ut sæpius in hieme; et post capitulum usque ad tertiam; aut si capitulum est, post tertiam usque ad sextam, nec minus post nonam, si tamen fratres non ierint dormitum. Aliquando post Evangelium majoris missæ aliquis sacerdotum licentiam accipere potest; quod tamen

reprehenditur, si frequentare voluerit et in usu habere.

CAPUT XXXI

De subdiacono, et de cantoribus gradualis, vel alleluia et tractus.

Subdiaconus, qui lecturus est Epistolam, cum sacerdote processurus ad altare, portat textum Evangelii, et ponit in medio altaris; pulvillum non portat, nisi quando dies est solemnis. Incohans lectionem, vel ea finita, ad utramque vicem facit ante et retro ibidem ubi lecturus est. Similiter sunt facturi qui cantant responsorium, vel qui alleluia, vel tractum seu canticum; quæ cum in privatis diebus non nisi communiter cantantur a conventu, si quod festum amplius in septimana evenerit, cantanda sunt iterum ab ipsis a quibus et prius in Dominica sunt cantana. Quod si omnes in cappis vel in albis, armarius innuit quibuscunque voluerit pro eis cantandis; quod et facit ad prosam, si quando est cantanda, et ad hanc ante et retro nec in fine nec in principio est gerendum.

CAPUT XXXII

De diacono

Diaconus sacerdotem præcedere solet ad altare; sacerdote inclinante se ad orationem, ipse quoque stat similiter inclinis; sacerdote se erigente, gerit ante et retro. Accedit ut sinistrum cornu altaris osculetur; pergit stare contra sacerdotem, ut confesso confiteatur. Porrigit incensum, quo imposito porrigit quoque ipsum thuribulum; quod postea recipiens, si est dies solemnis, incensat altaria quæque proxima choro, et maxime ipsius altaris principalis cornua posteriora. Cum sacerdos sederit, ipse quoque sedet, prius tamen sacerdote innuente, nec sedet, absque licentia ejus. Finito Evangelio facit ante et retro; item missa finita ad cujus finem nunquam pronuntiat *Ite Missa est*, nisi etiam *Gloria in excelsis* cantetur.

CAPUT XXXIII

De servitoribus ecclesiæ, et de his quos appellamus ministros altaris

Servitores præter hoc munus quod thuribulum et candelabra deportant, diligenter observant ut numquam desint ad obsequium sacerdotis. Levitæ quotiescunque ad ullum divinum opus se induunt, post consummationem operis ipsa indumenta deponunt, vel si opus habuerint aqua et manutergio, scilicet manus lavaturi. Item quoties alteruter illorum incensat altaria, unus de eisdem servitoribus jugiter illos comitatur. De his, quos appellamus ministros altaris, quantum dicendum videbatur, superius est præmissum.

CAPUT XXXIV

De lectore ad mensam

Mensæ lector finitis majoris missæ solemniis veniens ad gradum facit ante et retro et ter hunc versum toto conventu respondente pronuntiat: *Domine, labia mea* etc. Prosequitur sacerdos ea

A benedictione: *Salvum fac servum*; etc., *Mitte ei auxilium*, etc., *Dominus custodit te*, etc., *Dominus custodiat introit.*, etc. *Auferat a te spiritum elationis*.etc. Iterum qui lecturus est inclinat ut prius. Ante refectionem generalem de pane vinoque prælibat, juxta prescriptum sancti Benedicti. Ad matutinalem seu majorem missam post evangelium accipiens librum in quo legendum est, et secedens in minorem chorum intendit his quæ sunt legenda. Quod si juvenis est in custodia positus, tunc non ita secedit, et quantum legit, legit in ipso choro. Librum autem, in quo legendum est, in refectorium portat et reportat qui legit ad servitores. Et quia nullus fratrum quidquam gustaverit priusquam lectio est imposita, cum primum domnus abbas, vel prior con-
B sederit, petit lector benedictionem, et accelerat lectionem adoriri. Qua finita veniens ad gradum, ante facit et retro. In septimana si uno die lectionem intermiserit, et alium fratrem, ut pro se legat, rogaverit, non reprehenditur. Quod si amplius, nisi pro infirmitate, et hoc petens veniam in capitulo monstraverit, notatur.

CAPUT XXXV

De coquis.

Hebdomadarii coquinæ solent quatuor esse. Quod primo faciunt, pulsato signo ad vesperas, et oratione facta, pergunt in coquinam ut accipiant fabas; post vesperas lavant eas diligenter aqua ter infusa, in qua etiam faciunt eas pernoctare
C caldario bene cooperto. Ad mandatum illis, qui in præterita septimana servierunt, pedes fratrum lavantibus, isti præcincti linteo tergunt, et ad manus manutergia præbent. Cum quibus mandato etiam expleto, venientes ante domnum abbatem ante faciunt et retro. Item matutinis laud. Dominicæ diei expletis, illi ad gradum venientes Deo gratias agunt pro consummatione peracti obsequii, hunc versum ter cum totius conventus responsione dicentes: *Benedictus es, Domine*, etc, Isti idem obsequium facturi Dei adjutorium petunt, ita dicentes: *Deus in adjutorium*, etc. Pro illis dicendi sunt a sacerdote hi versiculi, eaque collecta: *Salvos fac servos*, etc, *Convertere, Domine*, etc, Oratio: *Deus qui humilium*, etc., Pro istis, *Salvos fac*, etc., *Mitte*
D *eis*, etc. Oratio: *Misericors ac piissime*, etc. Prius etiam quam conventus, exeunt de ecclesia Sanctæ Mariæ, ut se possint calceare, et interim descendere; dum ad necessarias est conventus, manus et faciem lavant, faciunt, ut moris est, tres orationes in ecclesia, si intrare potuerint; si non, prope fores ecclesiæ. Intrantes coquinam, iterum lavant fabas ternis aquis, et sic mittunt super ignem. A qua caldaria fervescente, et spumas bulliente, ejiciunt eas jugiter transverso cochleari, ne forte simul cum spumis fabæ supernatantes projiciantur; quas etiam fundo sæpius cum ipso cochleare diversant, ne, cum mandi, debuerint, sapiant ignis odorem Folliculas fabarum cum se incipiunt aperire, non

permittunt eas amplius super ignem; aqua frigida ter iterum refrigerantur, et iterum cochleari huc et illuc diversantur, mittuntur in unam cuppam habentem coopereulum optime compaginatum. Caldarium quoque, in quo coquebantur, intrinsecus usque ad nitidum lavatur; quo ablato ab igne, statim aliud dependitur, ut aqua calefiat qua scutellæ sunt lavandæ.

Reclinatur etiam tabula ad parietem inclinata, qua, cum lavatæ fuerint, pausentur; et ipsa tabula tota desuper infunditur aqua et tergitur scopis. Prius tamen consueta inclinatione præmissa, ter rursus eumdem versum dicunt quem in choro dixerunt; sed hic adjuncto tertia vice *Gloria Patri*, etc., et Dominica simul Oratione, et versiculo *Adjutorium nostrum*, etc., iterum facto ante et retro, ita demum tabulam reclinant. Cantant omnes horas regulares, more canonicarum; Vesperas pro fidelibus defunctis loco suo imponunt, et ad ultimum *Verba mea*. Effusa autem aqua, qua lavantur scutellæ, infunditur ea calefacienda, qua olera sunt coquenda. Quod si matutinæ laudes tardius expleantur, ut aliquando contingit, maxime in festis præcipuis et æstivalibus, et signum ad primam maturius est pulsandum; tum priusquam quidquid aliud faciant tabula reclinata horas adoriuntur; quia si quid remanet quod ante primam non cantaverint, non est consuetudo ut post primam cantetur in manifesto. Qua finita, vel si est in privatis diebus post Evangelium missæ matutinalis, olera caldario immittunt, et post capitulum in altero fabas iterato. Accipiunt lardum, quod cum aliquantulum coctum fuerit cum oleribus, exprimunt inde saginam fabis superfundendam. Propter quod tamen ad majorem missam non omnes se subtrahunt, sed duo tantum et præcipue si qui eorum sunt idiotæ. Quibus ante debet a commilitonibus indultum esse, ut aliquam privatam missam possint audivisse. Hi, ut præmissum est, fundunt saginam; per hos fabæ iterum calefiunt. Hi, si opus viderint, pro morosa coctione ut amplius aquæ super olera mittatur, quantum mittere volunt, primum in sartagine calefaciunt quia ea natura est olerum ut de aqua frigida saporem habeant deteriorem; unde caveatur etiam, cum mittenda sunt in caldariam, ut non de alia aqua quam de fervida laventur; sale non condiuntur, nec adipe, sparguntur, nisi quando fuerint percoctæ, ne forte mora longiore sal evanescat, et si unus coquorum voluerit, non est illicitum de ipsa fabarum aqua paululum prælibare, ut probet si bene sint conditæ.

Ad mistum non accipiunt nisi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis absque libra sua, et de vino similiter. Finita hora postquam fratres sunt refecturi, celeriter exeunt ut fabas administrent; quas, qui prior est coquorum, si tamen bene noverit et hujus est valetudinis, cum cochleario ad hoc facto mittit in scutellas; alii portant ad mensas, a principali mensa incipientes. De oleribus econtrario fierit solet, quæ ita administrant, ut a novissimo incipiant. Scutella posita cum oleribus ipsis ante domnum abbatem, vel priorem, qui eam apposuit cum signo mediocri licentiam quærit a præsidente ut sillam sonare jubeatur; quo annuente paululum inclinat, et ad scillam veniens tandiu sonat, ut singuli deglutire possint quod habuerint in ore, ut sint, expediti ad respondendum benedictioni sacerdotis; quæ etiam dum sit completa, interim præfatus dapifer stat inclinis ante architriclinum et tunc ante facit et retro. Quod medium datur inter fabas et olera, per tres dies in septimana. Id est feria II, IV et VI solet esse pitancia; alios tres, generale. Generale appellamus, quod singulis in singulis datur scutellis. Pitancia quod in una scutella duobus; verbi gratia, aliquando pro pitancia absque scutella unum crudi casei frustum, vel quatuor ova; pro generali ova quinque, et caseus nunquam nisi coctus. Sed si quid est generale, a novissimo incipit administrari, et ad hoc scilla sicut ad olera pulsatur. Pitancia vero a priore; et de hac hebdomadarii coquinæ nihil omnino se ex debito intromittunt, sed cellerarius quibus ad hoc innuerit cum his eam administrat; quidquid est generale hoc apportant, et nisi pisces sint, quos cellerarius ipse singulis eis suggerentibus apponit; si est alius generalis, adhuc unus eorum scillam sonat, scutellas colligit eas solas in quibus fabæ oleraque sunt administrata. Propter quas etiam unus jugiter remanet in coquina, qui eas ita recens ollitas abluat eadem aqua qua diliculo sunt lavatæ, ne si comestorum reliquiæ induruerint, major fiat abluendi difficultas. Eadem diligentia est et de caldariis, ut et ipsa lavata sint, si non ante, prius tamen, quam servitorum refectio finiatur. Focus autem caute cooperitur, ut in crastinum vivus et non exstinctus possit reperiri. Post vesperas iterum fabis jam lotis, pro gratiarum actione dicunt præfatum versum: *Benedictus es, Domine*, etc., eodem modo quo alterum in matutino dixerunt. Sed si voluerint, duos dies expedire possunt de lavatione scutellarum, id est in secundua et sexta feria, in quibus pro consuetudine cellerarius contradicere non potest, ut eas in cellarium diluculo portatas non commendet famulis suis propensiore studio lavandas. Veniente Sabbato, post nonam vel post vesperas scopant coquinam, totas sordes, quæ fiebant per occasionem cinerum vel lignorum, foris ostium accumulant, ut inde per famulos cellerarii efferantur. Calefaciunt aquam ad mandatum, et eo die differtur versus *Benedictus es, Domine*, usque dum mandatum sit peractum, et in refectorio etiam lectio collationis jam finiatur. In sequenti autem Sabbato, cum noster aquæductus limosam habeat aquam, scopant utrumque lavatorium, vel quod est ad usum ecclesiæ, vel quod ad manus. Item scopant necessarias, fenique reliquias per totam septimanam expansi congerunt ad murum; et si est tempus æstatis, per totam illam septimanam post nonam in refectorio aquam propinant.

CAPUT XXXVI.
De utensilibus coquinæ.

Hæc sunt autem utensilia quæ nunquam debent in coquina deesse. Primum tria caldaria, unum ad fabas, alterum ad olera, tertium simul cum tripode ferrea; ut si quis pannos suos lavare voluerit, lexiviam facere possit. Cuppæ quatuor, una ad fabas reservandas, quando fuerint ita semicoctæ; altera in qua cadit aquæductus, et in qua olera prius lavantur quam in caldarium mittantur; tertia in qua scutellæ; quarta ad hoc solum ut aqua calida in eam mittatur ad mandatum, et ad rasuram, qua fratres inter radendum utuntur; quam et calefacere debent qui in priore septimana servierunt. Item quatuor cochlearia, unum ad fabas, alterum ad olera, tertium non adeo grande ad saginam exprimendam; quartum est ferreum ad focum cineribus cooperiendum, ad quem componendum vel distrahendum est etiam ejusdem generis forceps. Item quatuor paria manicarum, ne stamineorum manicæ fratrum de nigredine coquinæ familiari sordidentur. Duo paria palmariarum, quæ ita Romanice appellantur, manusque defendunt a calore caldarii, quando recens ablatum ab igne quoque est movendum vel inclinandum. Tria manutergiola, quæ et in omni quinta feria mutantur, minimeque manus ad solita tergunt manutergia quæ pendent in claustro. Unum cultrum ad lardum incidendum, et simul cotis ad acuendum. Una patella ad aquam, si opus fuerit calefaciendam, et adipem fundendum; altera, quæ est permodica, in fundo minutatim perforata, ut ipse adeps coletur. Una pixis in qua sal recondatur: unum scrinium in quo minora quæque recondantur. Una urna, qua aqua hauriatur: et scopæ duæ quibus caldariæ post coctionem scopentur. Duæ retis abcisiones, quæ faciant ad ablutionem et scutellarum, et caldariarum. Duæ tabulæ ad scutellas; una in qua ponantur post refectionem utcunque lavatæ, altera in qua diluculo quando ad perfectum debent esse lavatæ. Duo sedilia, quæ bancos vulgo appellant; una cella quadripoda et submissa, super quam ponatur cuppa cum oleribus, quando sunt in caldaria mittenda. Una petra major etiamque molaris, super quam iterum ponitur caldarium, sive sint fabæ, sive olera, quæ administrantur; altera super quam et altera cuppa ponitur, de qua scutellæ lavantur inter reficiendum. Unus follis ad sufflandum ignem; unum flabellum vimineum ad ventilandum. Unus contus ad supportationem caldariorum, alter ad ignis dimotionem. Unus canalis in quo lexivia jugiter habetur propter manus frequentius lavandas; duo quoque trigoni, uterque de tribus lignis, licet imparibus angulis sint facti, qui in modum ostiorum huc et illuc versari possunt. In his pendent catenæ quibus caldaria suspenduntur, suspensa implentur aqua prope aquæductum, et ita deducuntur absque labore usque

A super ignem. Sciendum quoque quod pro nulla necessitate aliud quid coquitur in coquina regulari præter fabas et olera, nec etiam aliud genus leguminis. Nam ipsæ quoque fabæ, quando sunt ita novellæ, pro quibusdam deliciis cum pipere condiuntur, non coquuntur a fratribus, sed a famulis in alia coquina. Scriptor tantum si incaustum temperare voluerit, non prohibetur. Et si quis vult calceos ungere, providebit horam competentem, id est, in æstate ante primam, et in hieme ante tertiam, et si meridiana non agitur, post nonam; si tamen servitores non habent amplius administrare. Pueri quoque candelas, quibus opus habuerint, faciunt in ipsa coquina cum magistris suis.

CAPUT XXXVII.
B *De his qui faciunt mandatum.*

Brevis clauditur cum his tribus qui notantur ad mandatum (8) quotidianum, quod inchoatur in capite jejunii, et perdurat usque ad Kalendas Novembris omni die, sive una vice, sive duabus comedatur, agitur post cœnam. Sane conventu exeunte de ecclesia, post versum exeuntes colligunt se qui id facturi sunt ad ostium, et imposito psalmo *Miserere*, pergunt in eleemosynariam domum; ubi offendunt tres pauperes sedentes pedibus nudatis, contra quos etiam veniam petunt. Finito psalmo et antiphona imposita, *Mandatum novum*, etc., pedes pauperum lavant, tergunt et osculantur. Lavatis primum propriis manibus, ad manus pauperum aquam et manutergium præbent. Scillula percussa, cessatur a cantu, pulsatur tandem, et benedictio datur
C super panem, et vinum pauperibus eroganda. Panis mittitur eis in dextram, vinum in sinistram, et manus utraque osculatur. Inclinant se ad orationem. quæ est hujusmodi: *Ostende nobis. Kyrie, eleison. Pater noster. Suscepimus, Deus, misericordiam. Tu mandasti.* Oratio : *Adesto, Domine, officio nostræ servitutis*, etc. Facto ante et retro, et præfato psalmo rursus imposito recedunt. Cum autem venerint ad fratres in claustro sedentes, inclines incedunt, et fratres eis transeuntibus similiter inclines aliquantulum assurgunt. Pervenientes cum ipso psalmo in chorum ad gradum, iterum dicunt Orationem Dominicam, et versum, *Et veniat super*. Oratio : *Actiones nostras, quæsumus, Domine*. Totum clauditur consueta inclinatione. Loquela
D quoque nostra hic est claudenda. Etiam dabis licentiam abeundi, qui cum peregero quod injunctum est mihi, potero, si placuerit, reverti; et si qua modo remanserunt, tunc spero perorare. Hoc est, inquit, quod desideramus, quod rogamus, ut quia nec audemus contra voluntatem tuam modo te detinere, cum reversus fueris, nequaquam per aliam viam quam per nos revertaris, ut quod pro utilitate animarum nostrarum, talique affectu inchoasti, perducere possis ad consummationem.

(8) *Mandatum.* Vox ecclesiastica, pro lotione pedum sumitur, quia tunc canitur antiphona *Mandatum novum do*, etc., ex Evangel.

LIBER TERTIUS
PRO SINGULIS OBEDIENTIIS.

PRÆFATIO.

Beatus Hieronymus in quadam suadet epistola ut, qui monachorum nomine censemur, rogati raro accipiamus, rogantes nunquam. Quod cum legissem, ut fatear quod verum est, adeo mihi complacuit ut de cætero ejusdem verbi non possem immemor esse. Ut autem jam in alio loco memini, senior noster domnus abbas cum me in Alemanniam direxisset, videlicet ad regem, et ad quemdam regalium divitiarum pontificem, ita mihi contigit, ut aliquam paterer necessitatem utensilium ad tam longinquam viam redeundi. Tamen non valens auferre a memoria quod suasum erat a præfato Christi philosopho, et a meipso adeo probatum, posui ori meo custodiam contra stimulum necessitatis, ingruentis, ut personæ prænominatæ nihil omnino a me rogarentur, cum ipsæ quoque nihil omnino sua sponte largirentur. Ita egens iterato veni ad domnum abbatem Willelmum, qui me pridem discedentem a se adjuravit, propter quod a me non bene potuit omitti, ut ad eum peracta legatione, quæ mihi erat injuncta, non redirem; et tunc quid fecit ille? Certe non exspectavit ut a me quidquam rogaretur; nam quibuscunque opus habueram, priusquam vel scirem, omnia providit, et vellem nollem, accipere coegit. Qui adhuc etiam insuper impendebat omnia officia et obsequia, quæ ille potuit ullo modo æstimare ut pertinerent ad charitatem, ita ut gravatus cæsarie, cum tonsorem quærerem, non me pateretur alium habere quam seipsum. Item, sacram hostiam oblaturus, cum ad hoc ministrum quærerem, non me pateretur habere alium quam seipsum. Sine fuco imitatus est illum, qui venit non ministrari, sed ministrare. Amator autem præcipuus totius religionis, et specialiter nostro deferens monasterio, quasi alteri paradiso, enixius me rogavit ut quod adhuc de usibus nostris superesset, perorarem. Cui ut morem gererem, ita tertio sum exorsus.

CAPUT PRIMUM.

** De electione abbatis.*

De officiis, vel ut regulariter loquar, obedientiis nondum quidquam dixi. Quarum omnium cum sit principalis obedientia domni abbatis, sit etiam principium relationis nostræ. Igitur ejus ipsius primitiva electio hoc habet quasi legitimum sempiternum, quod ad eam nullus mortalium solet interesse, præter eos solos qui sunt Ecclesiæ nostræ professi. Et domnus abbas, quem Deo donante habemus impresentiarum, cum prior esset loci nostri, in ipso loco et generali capitulo prostravit, et de canticis quindecim graduum septem prima decantavit, et ipse domnus prior aliis adhuc prostratis se levans, hanc dixit orationem, et sine Oratione Dominica, *Adsumus, Domine sancte Spiritus*; *adsumus pec-* A *cati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati; veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi in cordibus nostris; doce nos quid agamus, quo gradiamur: et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus et suggestor et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores ejus justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum et in nullo deviemus a vero qualiter in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justititiam, ut et hic a te in nullo dissentiat senten-* B *tia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia æterna.* Responsum tandem est ab omnibus *Amen.* Quos iterum considentes prior compellavit, suadens ut de præsentia divinæ gratiæ nequaquam dubitarent. Pollicitus est quoque pro parte virili quod nullum omnino eligere possent, etiam si minimus esset puerorum, cui volens et absque omni typho non obediens esset.

Beatus autem Pater Odilo rogatus in extremis suis, quid sibi de successore videretur, non acquievit ad hoc quemquam nominare. Tantum cum aliquot personarum majorum et probabiliorum, excepto priore, meminisset, probavit ut, quisquis per illas eligeretur, cæteri omnes consentirent. Quod cum C relatum esset eadem vice in capitulo a quodam fratre, qui ad finem S. Patris interfuit, per hanc occasionem priore dissimulato compulsus est claustralis prior a cæteris majoribus, ut primus ediceret quid ipse de gerenda electione sentiret; ille autem hæsitans et tandem ratione convictus, cum mutare non posset ut non responderet, priorem nominavit et elegit. De cætero nullus erat qui contra hanc sententiam vel aliquantulum mutiret, sed omnes pariter laudaverunt. Solus electus reclamavit, asserens quod non sibi bene consuluissent, et si scire possent qualis futurus esset, quem jam probavissent hujus austeritatis esse, hujus præsumptionis in offi- D cio minore, ut jam pleraque præsumpsisset ab aliis prioribus minime præsumpta. Inter verba lacrymæ quoque satis fundebantur, ut plane daretur intelligi, juxta elogium cujusdam non aliud esse promptum in lingua, et aliud in pectore clausum. Sed quidquid ipse prætenderet nihil obtinuit et imposita antiphona, *Confirma hoc, Deus*, cantatus est psalmus LVII *Si vere utique*, alta voce; et sic deductus est in ecclesiam. Secuta est oratio, *Actiones nostras quæsumus, Domine.* Statuitur electus in loco abbatis, et imponitur hymnus, *Te Deum laudamus.* Ad cujus secundum versum singuli fratres veniam petentes incœperunt eum osculari. Talis erat ambitio primum

eligentis ad prærogativam electionis, talis electi ad obtentum prælationis. Quod cum non sit indignum memoria posteritatis, ipsis quoque posteris utinam libeat imitari.

In sequenti autem die Bisontiensis archiepiscopus invitatur ad capitulum, nuntiatur ei de electione; rogatur ut electum pro solemni ritu ipse benedicat: annuit voto se impensissimo facturum, non quod rogaretur, sed quidquid a quolibet ipsorum parvissimo præciperetur. Ter autem omnes adjuravit episcopali auctoritate, ut si cui aliud quid de persona, quæ erat electa, videretur, pro quo ejus ordinatio non posset esse legitima et secundum Deum, non taceret nec dissimularet, sed præsens ad medium proferret. Sed cum neminem invenisset, quidquid hujus generis dixisset, electione in præsentia archiepiscopi rursum confirmata, rursus quoque imposita est antiphona, *Confirma hoc Deus*, cum psalmo supradicto in ecclesiam procedendo. Tertia vero die scilicet in cathedra S. Petri, cum electus benedicendus esset, indutus est alba, stola et cappa, et archiepiscopus similiter, et adhuc duo abbates qui electum ad benedicendum in manibus deduxerunt. Stratis ante altare tapetibus simul omnes quatuor prosternunt se ad adorationem: cantatur breviter litania; post novissimum *Kyrie eleison*, et post Dominicam Orationem, surgit antistes dicturus, *Et ne nos inducas. Salvum fac servum. Mitte ei. Hic accipiet benedictionem. Domine, exaudi. Dominus vobiscum.* Inde sequitur benedictio: qua solemniter expleta iterato psallitur hymnus, *Te Deum laudamus*, et, sicut prius, recens benedictione confirmatum osculantur. His breviter de domno abbate, exempli gratia, prælibatis, repetatur, quod sine personali acceptione generaliter pertinet ad ordinem nostrum, et ad illum quicunque officio functus fuerit abbatis.

CAPUT II.

De *domno abbate.*

Domno abbati, in omni loco, ut dignum, est, singularis reverentia defertur. Primum in ecclesia quoties antiphonam imposuerit, et post impositam inclinaverit, omnes quoque contra illum inclinant. Quandiu est in conventu, nunquam omittitur ut non ad octavum responsorium notetur, et ad duodecimam lectionem, ad quam incedenti et recedenti universi assurgunt, quanquam ante faciat et retro, non ad gradum, ut alii, sed prope sedem suam, medio tamen choro, ne diutius stare debeant propter illum. Propter quod etiam finita lectione sursum ipse moratur, ne descendat, usque dum surrexerint ad *Gloria Patri* responsorii cantati. Si quando responsorium cantatur ad gradum, quod ipse cantat, cantat in sede sua cum concentoribus suis accedentibus ad eum, et stantibus retro. Sed et cantor semper ad eum venit prius prænuntians quæcunque antiphona est ab ipso imponenda, vel quodcunque responsorium cantandum. Ad eum quoque pertinet ut legat Evangelium quoties post nocturnos est legendum: a cantica quoque Evangelii quæ dicenda sunt vel ad matut, laudes, vel ad vesperas, non alius antiphonas imponit. Sacerdos oblaturus incensum, prius ad eum portat, ut per ejus manum in thuribulum mittatur. Item diaconus ante Evangelium, et qui tenet chorum ante offerendam. Qui ei tale quid in manum dederit, vel ab eo recipit, sive in ecclesia, sive extra, manum osculatur. Qui ipsum fuerit osculatus excepto ad missarum solemnia, et ante et post veniam petit. In medio dormitorii est lectus ejus prope murum; sonitum ipse facit quo fratres diluculo ad surgendum excitantur. Quod si forte aliquando ita obdormierit, ut prius pueri surgant quam ille, tunc non tam vehementer adoriuntur legere ut solent, sed submissa voce, ne graviter ab eis excitetur. Quod si in coquinam ad se calefaciendum venerit, et fratres occupatos psalmodia offenderit, pro ejus reverentia, usque dum exierit, omnino conticescunt. Signum quod pulsatur, et quo dimisso hora inchoatur, non dimittitur usque dum ipse veniat, vel ejus vicarius, ut non exspectetur. Ad capitulum vel ad collationem fratribus jam considentibus, si ipse intervenerit postea, non modo assurgunt, sed etiam de scabello pedes ad terram submittunt. Nomen ejus in brevi quoties recitare audierint, si præsens est, omnes, sicut et ipse, inclinant. Si de qua consuetudine dubitatur, quidquid inde definierit, de cætero quasi pro lege tenetur; et sibi soli est repositum, ut quemlibet fratrem mittat, ut aiunt, in culpam graviorem.

CAPUT III.

De graviori culpa, et aliis generibus culparum.

Frater qui talem incurrerit lapsum, venturus in capitulum primum pedes nudat, capitium quoque staminei sui dextra lævaque incisione laxatur, ut brachia possit per ipsum extrahere, et stamineum cum manicis circa femoralia ligare: accipit virgarum manipulum manu dextra et in læva cuculla decenti complicatione pendente, unus cum frater ad hoc destinatus antecedit ita veniens ad conspectum domni abbatis, virgis cucullaque ante se positis, veniam petit. Jussus ut surgat, sedet ad terram, et cucullam super genua ponit. Verberatur, quantum fuerit visum domno abbati. Post hæc jubet eum exire ad induendum; rediens iterum se prosternit. Cum audierit a domno abbate, abite, protinus caput flectit, capellum induit, ad designatum talibus locum tendit, ibi manet, dormit, comedit, quando et quod præcipit domnus abbas. Ad omnes horas prope ostium ecclesiæ stat capellatus, donec *Kyrie eleison*, incipit conventus, tunc capello abstracto, solo tenus se prosternit, nec se levat usque dum hora sit finita, et si fratres debent exire, usque dum omnes potuerint exisse; et cum intraverit capitulum, tunc etiam similiter se prosternit, et postea ad familiarem mansiunculam recedit. Ad ambas missas manet in angulo capituli qui ecclesiæ proximus adhæret. Nullus ei loquitur, nec etiam ille qui ministrat ei. Cibus non benedicitur qui ei defertur. De industria tamen

domnus abbas facit aliquos seniores ad eum accedere qui eum exhortentur, ut quidquid ei correctionis temporaliter fuerit irrogatum, totum habeat gratum, ut divinæ gratiæ possit reconciliari. Cum visum fuerit, concordat etiam cum eisdem senioribus, ut pro reo, et pro ejus absolutionem in capitulo veniam petant, maxime si vere sunt experti, et testari possunt quod pro reatu suo spiritum habeat contribulatum, cor contritum et humiliatum : annuit communi fratrum assensu, ut faciat cum illo misericordiam, et mittit pro eo. Nudat se eodem modo quo prius, et cum veniens vapulaverit, domno abbate jubente induit se cuculla. Ad cujus pedes, et pedes universorum a maximo usque ad minimum provolvitur singulatim. Iterato petit veniam, jubetur exire ad se induendum ; indutus et reversus adhuc etiam petit. Jubetur ut ultimus sedeat, ultimus sit cunctorum in omni loco. Interim non communicat, non venit ad pacem, non osculatur textum Evangelii in ecclesia ; nec ad lectionem, nec ad cantum, ut alii, notatur ; a sola coquina, ut in ea serviat, et ad mandatum non prohibetur. Post singulas horas finitas veniam ita super genua petit, nec tamen propter hoc conversus ad altare. Si quando fratres universi albis vestiuntur propter aliquam festivitatem, vel etiam processionem, tunc et ipse vestitur. Ad extremum si domnus abbas viderit id expedire, talemque ejus esse humilitatem quæ id mereatur, interpellatus a fratribus in capitulo vocat eum ut surgat, et in medium veniat ; quo petente veniam consuetam, loquitur consentanea et causæ et personæ, et reddit ei pristinum statum ne amplius ullam patiatur ab aliis separationem : cadit ad pedes ejus, sicut etiam quilibet alius, tam in ecclesia quam in capitulo, si quando promoverit altiorem.

Sunt autem apud nos adhuc et alia genera correctionis, quæ non solum domnus abbas facit sed etiam, si opus fuerit, prior. Nam et inde audivi quam verissime domnus abbas dixit nullam monachorum Ecclesiam dehonestari propter quod tale quid committitur ab aliquo fratre, sed hoc esse quod plane faciat ad ignominiam nostram, si quid nequiter committitur, et absque digna emendatione dimittitur. Idcirco si quis de aliquo flagitio divulgatur in populo, in præsentia quoque populi solet emendari, ut qui ejus excessum cognoverint, cognoscant etiam ejus emendationem. Cunctis enim qui videre voluerint videntibus, et maxime in media platea, nudatur, ligatur et verberatur. At si culpa non est de gravioribus malis, sed forte ut cum aliquo inhoneste et irreligiose in audientia popularium contenderit, pro hujusmodi, cum venerit dies Dominicus, ad initium missæ matutinalis, concurrente populo ad ecclesiam, stat ipse nudis pedibus prope fores ecclesiæ, et unum codicem grandiusculum tenet in manu ; capellum non induit, ut ab omnibus possit agnosci ; nemini loquitur intranti vel exeunti ; unus famulus semper est juxta illum, qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pænitentia sit

A injuncta. Nec recedit inde usquequo missa finiatur. Quod si quis inobediens, et rebellis aliquo modo fuerit fratres, ex more, non exspectant ut præcipiatur comprehendi ; sed ipsi continuo irruentes comprehendunt, et cum fuerit comprehensus, faciunt quod visum fuerit, mittentes eum in carcerem vel in bogas. Carcer est talis in quem cum scala descenditur, nec ostenditur ostium, nec fenestram habet. De bogis quoque sunt quædam leviores, quædam graviores, ita ut inclusus nec in dormitorium ascendere possit, et tunc alias in custodia dormit. Quod si ipse qui est inobediens, inobedientiam suam foris Capitulum aliquo modo monstraverit, statim tabula percutitur, ut in capitulum conveniatur. Potuit et tale quid tam præsumptuosum in præsentia loqui domni abbatis, vel prioris, ut propter hoc etiam non minus tabula percutiatur, quod est signum conveniendi.

Ubicunque autem contigerit ut colloquantur domnus abbas et aliquis fratrum, et si frater senserit B contra se iram et indignationem domini abbatis, continuo veniam petere toto corpore prostrato non moratur. Nullus etiam transit ante ipsum ubicunque sit locorum, qui non altius inclinet. In ecclesia post illum stat ipse sacerdos alba, stola, vel etiam cappa indutus. Ad processionem, ad quam vestiti sunt albis qui ad majorem missam sunt servituri, ante omnes incedit ; ad hanc autem, ad quam universi albis induuntur, sicut in majoribus festis, ipse indutus est cappa. In conventu si laneam cappam portaverit, vel capellum induerit, quoties sibi libuerit, in illo solo nemo reprehendit. Ad ejus obsequium intraturi refectorium tenet unus frater conchas, et manutergium alter ; clericis et peregrinis monachis, qui ita vadunt pedites absque jumento, nobiscum in refectorio comessuris aquam ad manus C ministrat ; talesque sedent ad mensam principalem. Si quid cuiquam mittere voluerit de refectorio, hoc nec priori licet, nec alii quam sibi soli. Solet quoque si est in domo infirmorum, inde dirigere in refectorium charitatem suam ad quemlibet fratrum ; et frater recipiens non negligentius quam si in præsentia esset, inclinat. Postquam nox fuerit, portatur ante illum per omnia laterna, tam in conventu quam extra usque ad lectum ubi qui portat, obsequitur illi et ad collocandum et ad levandum. Si quoque in refectorium iturus, mistum accepit, lectionem ad mensam debet habere ; si jejunus revertit ad hanc horam, qua fratres accepto jam post sextam prandio, secundo post vesperas cœnaverint, nequaquam cum eis ea vice comedit, sed sustinet usque dum surrexerint, quia nunquam qui sedet ad scillam debet remanere quin conventu D exeunte ipse quoque exeat. Romam quoque profectus, vel in aliis terris aliquandiu moratus, cum redierit, recipitur cum processione omnibus albis generaliter indutis ; et si ipso die competenter fieri possit aliqua regulari hora finita prævenit omnes de ecclesia exituros, prope cujus ostium stat aut

sedet, et fratres secum, qui secum erant in via, et singulos exeuntes osculatur; at si in illo die non erit opportunum, in sequente post capitulum simili modo facit; et pro ejus adventu habent in refectorio generale piscium, vel quod tantumdem valeat, et pigmentum. Fratres qui in ejus vadunt obsequio in via, jugiter observant ut semper sint cum illo in proximo, ne aliquando eis eveniat deesse quando horam quamlibet cantaverit regularem; et si quis eorum forte non interfuerit, postea non eam cantat absque licentia ejus. Quoties per ullam villam majorem transierint, ex more, nunquam obmittunt induere capellum.

Sed ut adhuc redeam in claustrum, omni die Dominica domnus abbas notatur cum pueris ad mandatum; qui etiam, quod alii non faciunt, pauperi, cui lavat pedes, tribuit duos denarios, et pueris tribuit ut per ipsos pauperibus tribuantur. Eorumdem puerorum confessionem quoties fuerit recepturus, magister illorum adducit illos usque ad introitum capituli, et ibidem exspectat redituros. Ad coquinam cum notatus fuerit, cum alias non sint nisi quatuor, ipse quintus solet esse. Ad duas septimanas in anno, si est præsens et incolumis, non alius unquam ad majorem missam quam ille notatur, id est, Dominicæ resurrectionis et Pentecostes; in quibus tamen alius sacerdos cantore injungente dicturus est horas regulares, præter vesperas et matutinas laudes, et in refectorio daturus est benedictionem; qui et in illis præcipuis diebus ad canticum Evangelii non viliore quam domnus abbas vestitur, ut cum eo simul altaria incenset, et collectaneum teneat ad ejus obsequium. Natalis Domini, et Natalis sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptio B. Mariæ, quia non magis in die Dominica quam in aliis occurrit, tunc domnus abbas non notatur ad septimanam, sed ad solos illos dies utriusque festivitatis. Quotquot etiam per totum annum majora sunt festa, si potuerit et voluerit, cantat missam majorem, vesp. et matut. laudes.

CAPUT IV.

De priore majore.

Quando prior est ordinandus, primo Dominus abbas habet inde consilium cum senioribus congregationis; postea refert sententiam suam in capitulo, et quod sibi videtur laudant omnes. Quem elegerit, si sapit, veniam petit, excusat se ad munus hujusmodi non idoneum esse. Ad ultimum si jussa et injuncta fuerit obedientia, non aliud facit quam inclinat; sedet ad sinistram domini abbatis. Cum surrexerint de capitulo, eunt cum psalmodia solita in ecclesiam majorem: ubi novus prior ante facit et retro, hunc versum dicendo ter: *Deus, in adjutorium*, et totus conventus similiter respondet. Dat ei ipse D. abbas hanc benedictionem: « Tuam, clementissime Pater, omnipotentiam supplices deprecamur, ut infundere digneris super hunc famulum tuum, quem tuo servorumque tuorum servitio mancipamus, spiritum sapientiæ, et intellectus discretionisque; dona

A ei in hac domo tua ita agere et injunctum sibi officium ita administrare ut et tibi placere valeat et utilitatem servorum tuorum te auxiliante perfectissime expleat, propter quod et hic et in futuro sæculo mercedem laborum suorum in consortio sanctorum tuorum a te piissimo largitore percipiat. Per Dominum, » etc. Quando autem est absolvendus, mittit cum illo versum: *Benedictus es, Domine, qui adjuvisti me*, et tali absolvitur benedictione. « Domine Jesu Christe, qui pie servientibus tibi munificus retributor et clemens largitor existis, hunc famulum tuum qui in hac domo tua nunc usque fideliter laboravit, et tibi servisque tuis obediendo injunctum sibi te auxiliante administravit officium, laboribus suis solita benignitate responde et pius

B remunerator appare; et præsta ut in hac domo jugiter permaneat, et mercedem laborum suorum et hic et in retributione justorum a te percipiat, largitoremque omnium bonorum te esse plenissima fide non dubitet. »

Ab hora autem ordinationis suæ, post D. abbatem de omnibus rebus et causis, quæ ad monasterium pertinent, et spiritualibus et temporalibus se intromittit. Quotquot sunt qui ullam habent obedientiam, ad eum respiciunt omnes; et si tale quid præcipuum acturi sunt, nequaquam agunt omnes absque concilio ejus et nutu. In choro sinistro stat supremus, et in refectorio ad supremam mensam quæ est ad dexteram D. abbatis; et si ille non aderit, sedet in ejus sede. Sed extra refectorium

C nulli mortalium licet ei quidquam mittere. In refectorio cui voluerit, et quid voluerit, mittit. Si perrexerit ad obedientias quæ sunt prope et in circuitu, ducit secum duos fratres et unum saginarium: si longius, verbi gratia, in provinciam, duos saginarios, et tres fratres, ex quibus unus est super ejus famulos et super sarcinulas ejus, et vestimentum sacerdotale cum quo sit argenteus calix. Quandiu autem fuerit in claustro, nec capellanum habet, nec vestimentum aliud ad missam, quam et quilibet alius frater, nec aliquid privatæ pecuniæ. Quando deforis fuerit reversus, quidquid hujusmodi apportat, totum camerario reddit, nec minus ab illo recipit quidquid habuerit opus. Quod ideo a nostris patribus præcatum est, ne illa mala pestis proprietatis, et præsertim monachis adeo

D periculosa, aliquo modo subrepat. Verum cum per omnia, ut præmissum est, vicem habeat D. abbatis, maxime absentis, nescio unde contigerit, quod in sola ecclesia amisit eam, ita ut ego viderim quod præcentor et armarius necdum quidem admodum senex, duodecimam habuerit lectionem, et prior octavam. Quod qui voluerit laudet, a parvitate adhuc mea ignoratur quomodo sit dignum ut laudetur.

CAPUT V.

De decanis qui sunt villarum provisores.

Ejus autem suffraganei ad temporalia sunt illi fratres qui sunt villarum provisores, et quos pro

more nostro decanos appellamus. De quorum, ut ita dixerim, lege singulari ut aliqua referam; quotquot sunt quorum obedientia sita est infra iter dimidiæ diei, omni Sabbato ad monasterium ante vesperas occurrere debent; nam nec levatos pannos induunt, nec se aliquando radunt præter ibi. Eo die, quo veniunt, post singulas horas ante faciunt et retro, et dicenda est pro eis una simul cum versiculo collecta, *Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum vitæque dispositor*, etc., *Quæsumus, omnipotens Deus, ut his famulis*, etc., *Omnipotens sempiterne Deus, miserere his famulis*, etc.; et versiculi qui præmittuntur sunt duo. Primus, *Salvos fac.*; secundus, *Convertere Domine*, vel, *Ecce quam bonum*, vel, *Beati qui habitant*. Pro quibus collecta tribus vicibus dicta fuerit, quarta vice non est dicendum, nisi versiculis præmissis absque salutatione, *Misereatur vestri omnipotens Deus*. Quod tamen nec domno abbati unquam nec priori. Migraturi post finitam quamlibet horam elevata manu, et signo crucis cum ea contra dominum abbatem vel priorem facto, ita petunt licentiam abeundi; quo annuente et illis rursus ut moris est, ad gradum inclinantibus, prosequitur sacerdos his versiculis, eaque collecta: *Salvos fac servos*, etc., *Mitte eis*, etc., *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam fam.*, etc. Qui nonnisi unam noctem foris claustrum morantur, propter hanc solam nec cum abierint, nec cum redierint, habent collectam. Quod si venienti contigerit ut ipso die rursus abeat, et in crastino redeat, tunc ei non subtrahitur quod habuisset in priore die, si remansisset. Quod si duo vel plures sint perrecturi, et ante generalem fratrum refectionem, vel postea cum servitoribus comessuri, nequaquam sedent ad unam mensam, sed unusquisque in sede sua sedet propter cautionem disciplinæ, nec comedit unquam absque conventu, nisi prius acceperit benedictionem. Si quis jam de claustro exierit, et ad hoc se præparaverit, ut illico ascendat super equum, si evenerit ut signum audiat ad ullam horam regularem, et adhuc positus sit intra septa monasterii, armamentis viæ depositis revertitur ad horam, nec præsumit iterum D. abbati vel priori non loqui, vel absque ejus licentia exire. Super caballum ascensurus, prius cappam induit, quam froccum corrigia præcingat. Caballo suo nunquam frena relaxat ad currendum, nec ipse pedes unquam currit, nisi propter duas res: propter mortuum et incendium. In via positus, si est privata dies, et hujusmodi in qua ad singulas horas venia est petenda, ipse quoque quando quamlibet horam cantaverit, descendit ad terram, abstrahit capellum de capite, de manibus chirothecas, veniam petit, Orationem Dominicam dicit; unde se levans, signo crucis facto iterum veniam petit, et hora imposita tenet viam. Pro nullo æstivo calore equitat absque frocco in sola cuculla. Talis famulus, qui sit imberbis, vel rasus barbam, non solet in ejus esse commeatu. In ipso loco decaniæ, famulus qui ei

A cibum et potum administrat, nunquam in sola camisia administrat, vel in femoralibus solis, nisi etiam froco, vel pellicio, et caligis sit amictus. Ad quem etiam inter comedendum si quid breviter dixerit pro his quæ ad præsens opus habuerit, de alia loquela tamen longiore cavet. Antequam comedat, dicto versu legitur quoque aliquid de sancta Scriptura, vel per alium, vel per ipsum, et in fine similiter antequam surgat post comestionem. Pro nullo commisso quemquam verberat suorum domesticorum. Non caret unquam testimonio alterius fratris, qui secum jugiter moretur. Si qua femina de alio loco talis supervenerit, cui hospitium negare non possit, nequaquam cum ea sedet ad unam tabulam; de manu quoque feminæ nihil unquam accipit. Omni tem-
B pore postquam nox fuerit, nisi aliqua tali necessitate imminente et impediente, alioquin completorium ulterius non differt, si est cuculla exutus, nullum verbum facit tam in nocte quam in die. Observat etiam ne quoquam ponat eam ubi a se longius sit separata quam cubitus unus. Si propter calorem froccum exuerit, in cuculla sedere poterit, sed ita ut nec gunellam, nec pellicium subtus habeat, nec aliud quidquam quam stamineum suum. Nihil cum ingenio lucratur, nisi agros et vineas diligenter exercet, et alit pecora et jumenta. Nihil habet absconditum, nec in domum extraneam commendatum, quod a nostris majoribus omnino est anathematizatum. Seges et vinum quando ex toto fuerit collectum, venit, ex more, prior, videt quidquid
C habuerit in cellario, quidquid in horreo. Quantum videtur dimittit ad commeatum decani, et hospitum supervenientium, et ad opus agricolandi; quod superest, jubet ad monasterium deferri. Et ipse decanus, si aliquando cœperit infirmari, et in claustro fuerit cum aliis infirmis, de cætero non intromittit se de obedientia, usque dum sanus sit; et iterum ejus dispensatio tota est in manu prioris. Si quis ejus familiaris pro antiqua familiaritate quidquam ei direxerit, hoc non ei, sed tantum cellario præsentatur, ut non magis ei quam omnibus expediat infirmis. Quibus etiam postquam, quidquid sit, fuerit expensum, infirmarius innotescit a quo et per quem hujusmodi habuerit charitatem.

CAPUT VI.

De priore claustrali.

D Claustralis prior vicarius est majoris prioris per omnia. Hic est quocunque domnus abbas proficiscatur, quocunque prior, qui in claustro jugiter moratur, et qui præcipue pondus totius ordinis portat; propter quod tamen in choro non est aliquantulum promotus, excepto quod absente priore primus offert, primus procedit ad pacem, et primus ad aquam benedictam. Sed quoties duodecim fiunt lectiones, uni de albatis annuit, ut per eum hostiæ offerantur; hoc est autem quod nullo die dimiserit. Post completorium accepta benedictione secedit stare prope ostium ecclesiæ, ut singulos possit intueri

uomodo inclinant ad altaria, et ad sacerdotem per quem asperguntur. Postquam omnes exierint, accipit absconsam ab hebdomadario, quæ candelam interius habet accensam, et capello induto totum claustrum perlustrat. Primo videt si clausa sit et obserata domus eleemosynaria, coquina regularis, refectorium, cella novitiorum, si quis adhuc sit, et propter quid ante cellarium, quid agatur in domo infirmorum, si infirmi jam si collocaverint, et quomodo se habeant, si quis eorum adhuc remanserit in ecclesia S. Mariæ, ascendit dormitorium, portans secum, si quid forte in claustro neglectum offenderit, et perspicit omnes necessariarum sedes a fine usque ad finem. In his omnibus si quid negligentiæ offenderit, in sequenti die in capitulo reclamat. In hieme facit aliam circam ad intervallum quod solet esse inter nocturnos, et matutinos; et in illa circuit etiam omnia lecta fratrum et omnia ecclesiæ altaria. Et ut breviter de ejus officio concludam, si domnus abbas non adest nec prior, non solum omnes obedientiarii, qui in claustro sunt, obediunt ejus imperio, sed etiam ipsi ad quodcunque opus fuerit, decani. Si quem tamen monachum recipit de alio monasterio, huic fraternam societatem per omnia tribuere poterit, excepto capitulo, quod solum domno abbati reservat. Habet autem et ipse suffraganeos suos; unum qui suppleat vicem ejus absentis in singulis quæ, ut aiunt, ad manum sunt agenda, circatores, magistros puerorum, juvenum custodes.

CAPUT VII.

De circatoribus.

Circatorum munus est ut omnes negligentias tam minimas quam majores, quæ ullo modo contra ordinem possunt contingere, notent, et in capitulo reclament; et propterea totum claustrum non semel sed multoties in die circumeant, ut nec locus sit nec hora in qua frater ullus securus esse possit, si tale quid commiserit, non deprehendi et non publicari. Igitur obedientiarii, qui non possunt omittere ut aliquando aliis silentibus de obedientiis suis loquantur, si quem circatorum viderint supervenire, continuo assurgunt, et summatim demonstrant quæ sit eis necessitas loquendi. Domno abbati et priori ita deferunt circatores ut nequaquam veniant ubi eos noverint esse; quia, ut scriptum est : *Non est discipulus super magistrum.*

CAPUT VIII.

De pueris et eorum magistris.

Puer qui cum laici vel clericali habitu venit, hunc camerarius in vestiarium ducit eodem modo vestiendum quo quilibet novitius vestitur, præter quod ei non stamineum, sed pro stamineo camisia linea datur. Cum visum fuerit domno abbati, capellum de froco ejus jubet auferri, et cucullam ei dandam benedicit. Jubet etiam uni fratrum ut puerum offerat vice parentum ejus. Qui petitionem, quam facturus est, scriptuam habens confirmat eam signo propriæ manus, et postea legit eam in aperto, A et mittit in manum D. abbatis. Est autem hujusmodi : *Ego frater N. offero Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo hunc puerum nomine N. vice parentum ejus cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu ejus involuta, ad nomen sanctorum quorum hic reliquiæ continentur et domni abbatis N. præsentis, trado coram testibus regulariter permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo excutere regulæ; sed magis ejusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta debere servare, et Domino cum cæteris gratanti animo militare. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu mea subterfirmavi, testibusque tradidi roborandam.* Accipit ipse puer cum offertorio patenam et calicem hostia imposita et vino infuso, et ita vicarius ille B involvit manum pueri cum palla altaris, ut tam ipsum puerum quam ejus sacrificium offerat a sacerdote recipiendum. Postea induitur cuculla; et de cætero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non amplius, vel usque ad quindecim annos ætatis. Rursus D. abbas cum voluerit eum benedicere, refert hoc fratribus in capitulo, et ipse juvenis statim veniam petit, et de schola absolutus venit ad pedes; tamen ab aliis pueris non recedit usque ad horam benedictionis. Sicut alii novitii, profitetur; sola cucullæ benedictio non iteratur, nec exuitur, nec induitur, nisi sicut et prius erat. Pueri autem qui sunt in conventu nostro, non ultra senarium protendunt, et eorum magistri sunt duo, si non plures, tamen nunquam sunt pauciores. C Quorum disciplina est hujusmodi. Primo simul in loco dormitorii jacent, et singula eorum lecta a magistrorum eorum lectis sunt discreta. Nullus eo alius accedere præsumit. Si quis eorum opus habuerit in nocte ad necessarias ire, prius magistrum sonitu excitat prope se jacentem, qui surgens accendit lucernam, mittit in laternam, surgere facit alium puerum. Eorum alterutro sursum tenente laternam, medius inter illos magister incedit; sic nimirum eos ducit et reducit, nec candelam exstinguit usque dum ambo sint recollocati. Cum autem cuncti se levaverint ad nocturnos, eunt simul ad necessarias et pueri et magistri, ut jam de duobus præmisi. Sedes eis in medio duobus circulis ligneis sunt prænotatæ, in quibus eis venientibus nullus audet ut sedeat. Capellum non induunt, sicut alii, nisi quandiu sedent; surgentes stant nudis capitibus, invicem exspectantes. Providet eorum magister principalis ut non prius ad ecclesiam accedant quam omnes potuerint convenisse, et septem psalmos sensim et diligenter cantasse. Tunc primum solemniter venit cum scholaribus suis et luminaribus, et ipse tres illas fratrum orationes terminat; quas ea vice, vel post completorium gerunt. Ad nocturnos, imo ad omnes horas, si quid ipsi pueri offenderint in psalmodia, vel in alio cantu, vel dormitando, vel aliquid tale ullo modo committendo, minime differtur, absque mora froco et cuculla exuti judicantur, et in sola camisia cæduntur vel a priore, vel a præ-

fato eorum magistro, virgis vimineis levibus et teretibus ad hoc provisis. Quotidie diluculo cum primum in claustro consederint, antequam aliud quid faciant, altiori voce legunt tres psalmos, quorum initium est, *Miserere*, etc. Nec quisquam prius venit ad confessionem quam audierit hos psalmos inchoatos esse.

Ad omnes horas facies eorum versa est contra occidentem, quantum puto, ut videri possint a prioribus qui in illa parte stare solent. Cum ventum fuerit ad preces, utrinque illi duo minores vertunt se in chorum; tertius, qui major est et stat altari proximus, contra altare, nisi ad completorium et ad primam. Tunc propter confessionem duo se comparant contra altare super unum scabellum, et unus magister est medius inter eos, sicut etiam ad litaniam, et ad singulas orationes in presbyterio gerendas, et cum dicenda est confessio, tertius accurrit. Ad utramque missam, ad quam et priores mutant locum, vertunt se omnes pariter in chorum; et similiter in Sabbato ad processionem quæ ad vesperas et matutinas laudes agitur ad sanctam Crucem, et in duodecim lectionibus ad tertiam, et ad processionem, si quam aliquando facimus pro aliqua persona tali veniente; ad quam si aliquando cappis induimur, ipsi non nisi tantum albis, cum tamen ad missarum solemnia si conventus indutus est cappis, ipsi quoque tunicis sericis induantur. Ad secreta et canonem si conventus est inclinis, vel etiam procumbit, ipsi stant erecti, præter ad solam Dominicam Orationem; et unus eorum magister similiter erectus jugiter eos intuetur. In claustro et in capitulo ubi sedent singuli, singulos truncos pro sedibus habent, et ita separati ab invicem ut ille nec amictum alterius aliquo modo tangat. In ecclesia est eorum diversa, propter scabella quæ nunc habent, nunc auferuntur; auferuntur enim in privatis diebus ad formas transversas, super quas ad preces quidam fratrum procumbunt, et ad horarum exordia veniam petunt, unumque tantum remanet scabellum, super quod transversum sedet maximus puerorum; etsi interim, dum cantatur regularis hora, vel quælibet alia psalmodia, sedet versa facie ad occidentem. Ad intervalla, ut est post matutinalem missam usque ad capitulum, post orationem tertiæ, majore missa statim consequente, post orationem nonæ, fratribus huc usque jejunantibus, post orationem vespertinam, ad canonem etiam missæ, si sedet, vertit faciem contra orientem. Alii pueri, si habent scabella, sedent super illa versi faciem in chorum; si non habent, sedent super terram et semper eodem modo quo maximus eorum super scabellum. Ad lectiones vero nocturnorum in diebus festis et octavis, sedent juxta formam indirectum. Quando autem formæ sunt transversæ, tunc ita sedent ut et sit transversum unum de scabellis, in quibus sedent, et magistri contra eos in forma quæ semper est posita in medio chori. Si quando cum psalmodia defuncto assidetur, pueri

A de choro dextero sedent ad caput, qui de sinistro, ad pedes.

Quando agenda est processio ut aliquis defunctus a foris allatus recipiatur, post crucem ipsi primi egrediuntur. Cum ad portam vestibuli venerint, faciem contra faciem tenent usque dum collecta, *Absolve, Domine*, dicatur a priore; secedunt paululum in partem, ut transire possint a quibus crux et alia processionis insignia portantur. Quos etiam sequentes usque in ecclesia, dimittunt eos prope ostium, ut defunctus ab eis circumstetur, et ipsi protendunt usque ad altare Sanctæ Crucis, et ibi stant magistris interpositis in sinistra parte, ne impediant sacerdotem accessurum ter ad altare ut incenset. Quod cum fuerit peractum, et defunctus ad

B tumulum elatus, promovent se ex sinistra in mediam ecclesiam, et versis jugiter ad altare faciebus antiphonas et psalmos imponunt. In omni processione quæ agitur per claustrum, post crucem semper incedunt. In Ramis palmarum, et Rogationibus inter idiotas et cantores. Capitulum cum eis non tenetur in quinque festis principalibus, in Purificatione S. Mariæ, in Ramis palmarum, et Ascensione Domini, quoties se radunt, quoties balneant, quoties pannos suos lavant, et opus manuum facimus, vel quoties habemus defunctum ad horam capituli eorum adhuc inhumatum; ipsum autem eorum capitulum absque inclinatione suscipitur, tantum benedictione præmissa. Reclamat alter de altero, si tale quid noverit de illo, aut si deprehenditur de industria celare, vapulat tam qui celaverit quam ille qui

C deliquit. Sed ea vice una scilla pulsari solet, ut illi domestici, quibus panis est tribuendus, occurrant ad accipiendum; qua audita nullus postea puerorum exuitur, et ipsum capitulum citius finitur. Inter loquendum nunc cellerarius, nunc camerarius veniunt ad eos, ut audiant, si quid opus habuerint, quod per ipsos possit emendari. Post majorem missam accipiunt mistum, aut si dies jejunii, vel in hieme, talisque dies in quo non nisi semel comedatur, tunc post tertiam. A Kalendis Octobris usque ad Quadragesimam, si, ut dixi, semel comeditur, non est illorum prandium, de solo pane sed etiam aliquid qualecunque sit, apponitur eis. Per totam æstatem in diebus Dominicis ad cœnam impenditur illis misericordia de lacte. Si quis eorum adeo

D est parvus, ut opus habeat, in ipso claustro, ubi sedet, apportatur ei panis et vinum. Ad lavatorium, sicut ad necessarias, specialiter habent locum suum.

Cum fuerint in refectorio, non accedunt ad ullam mensam ante versum, sed in medio refectorio stant, aut sedent cum magistris, usque dum veniat qui sessurus est ad scillam. Per mensas sunt divisi, et singuli ante tales fratres positi, qui non dissimulent, si quam viderint negligentiam eorum inter comedendum; non quoque discurrunt, ut vel sal, vel scutellam, vel aliud quid ulli fratri apportent, nec ab ullo quid accipiunt, nisi quod omnibus gene-

raliter datur; et si quid eis domnus abbas miserit, vel cellerarius dederit, solus ille puer qui stat ad mensam principalem, si ei a domno abbate vel priore innuitur scutellis [sc] opus habere, pergit ad magistrum, et ille surgens requirit de coquina, et ponit ante puerum ut eas apportet, per quem etiam cuique quod voluerit dirigit qui sedet ad scillam. Is denique puer propter hospites, qui ad illam mensam frequentius sedent, duos portat jugiter cultellos. Si quis eorum ita infirmatur ut non bene stare possit, huic priore consentiente a magistro mensula et mappula providetur, ut ibidem sedeat ubi stare solebat. Post prandium vel cœnam pariter exeuntes, inter utrumque chorum medii procedunt, post nonam, cum fratres bibunt, et ad collationem, novissimi, et ante domnum abbatem vel priorem.

Quoties generaliter ecclesiam intrant, intrant ad orientalem plagam, et conventus ad occidentalem. Nulla hora, nulla refectio generalis inchoatur absque illis, nisi adsint vel duo. Ubicunque transierint per claustrum, fratres contra eos aliquantulum se levant, et inclinant, tam propter duos quam propter omnes. Sed nec ad necessarias nec ad locum ullum divertunt, nisi semper duo sint simul, et unus magister eorum in medio, qui nec sedet, sed stat ante illos ad necessarias, si defuerit conventus. Servitores quoque de refectorio exeuntes, si sedent ubi sedere solent, inclinant contra eos, et illi assurgunt contra eos Quod si quidam ex eis ad regularem horam aliquando tardius occurrunt quam ad *Gloria* primi psal., non propter hoc ut alii stare veniunt ad gradum. Item si morantur a refectorio, usque dum versus dictus fuerit, minime petunt licentiam comedendi, sed tantum in loco suo ante faciunt et retro; magister tamen eorum, qui comitatur eos, consuetudinem tenet utrinque. Quod si aliquis puer, de foris veniens, intraturus est claustrum, contra hunc alii duo pueri ducuntur ad ostium claustri, et ita simul cum ipsis conventui præsentatur; post horas, cum aliis qui venerunt accipiunt benedictionem in presbyterio, ante eos stans. Item, si quis eorum ducendus est in domum infirmorum, illuc quoque alii duo veniunt cum eo, ubi quandiu moratur commendatus est cautissimo custodi, a quo die noctuque custodiatur, et in nocte quocunque incedit, portat ante se laternam, portat quoque baculum; si carnem comederit, capellum induit, ad majorem ecclesiam cum aliis infirmis venit, non tamen intrat illud membrum altaris S. Joannis Baptistæ; sed, illis intrantibus, ille remanet foris prope urnam aquæ benedictæ, ut possit ab omnibus videri. Morantem autem in domno infirmorum frequenter visitat principalis magister puerorum; et cum primo eum viderit hujus esse valetudinis, eodem quo adduxerat modo reducit, et cæteris pueris adjungit, ecclesiam jam intraturus ad primam vel tertiam, si est in hieme et dies privatus. Prius tamen ipso die curatus est laute de carne. In capitulo pro excessibus suis, nequaquam, ut alii infirmi, veniam petit.

Hoc est autem obsequium quod est ab eis rite gerendum. Ad horas omnes regulares singulos versiculos psalmorum pronuntiant; in privatis diebus antiphonas imponunt, et quidquid cantatur ad missam matutinalem. Ad matutinas laudes et vesperas responsoria cantant, versus dicunt, et in æstate ad nocturnos illam minimam et unicam lectionem. In capitulo non alii quam ipsi legunt (quanquam in refectorio nunquam) et ad collationem per vices. Tabula, quam prior major, vel claustralis, quinquies percutit ad licentiam loquendi, per priorem illorum est porrigenda. Item, in hieme quoties fratres post sextam secundo loquuntur, postea quam de ecclesia exierint, omnes conticescunt usque dum alta voce per illorum minimum *Benedicite* pronuntietur; quod et similiter ab ipso est dicendum quando exeunt de capitulo suo, vel jentaculo accepto de refectorio, si fratres loquuntur. Ad coquinam notantur cum magistris, et ita duobus; ad quam tamen non se levant de dormitorio ante sonitum, nec propter hoc exeunt de choro, priusquam psalmi familiares sint finiti, nisi ad matutinalem missam post offertorium; nec serviunt in refectorio, nec pedes lavant in capitulo, sed de magistris suis ad omnia quæ ipsi competenter facere non possunt, vicarios habent. His diebus quibus processio nudis pedibus est agenda, canales, in quibus fratres pedes sunt lavaturi, ipsi prius expurgant scopis et aqua. Si domnus abbas vel prior imperaverit aliquem psalmum per aliquot dies decantari, ipsi audientes inclinant, quia in eorum præcipue debet esse sollicitudine ne remaneant. Et quia ipsi quotidie legunt Martyrologium, et fratrum Memoriale, ab ipsis est sciendum et notandum quando trigesimus cujusque defuncti sit consummatus, ab ipsis eleemosynario pronuntiandum quantorum sit anniversarius fratrum, ut tantas quoque accipiat præbendas, et custodi ecclesiæ quando sunt omnia signa pulsanda pro annivesario cujusque, quod bene notatum est et sigillatim in Memoriali. In omni quarta feria si est privata dies, et in omni Sabbato, lavant post vesperas calceos suos; lavant quoque pannos suos consuetudinaliter ante Natale sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ante Translationem S. Benedicti, et ante Assumptionem S. Mariæ, quos tamen non suspendunt ad siccandum in horda (*sic*), ut alii fratres, sed tantum deponunt in herbario claustri. Ad horam regularem, ad quam non nisi unum signum pulsatur, ut ad primam, faciunt orationem in choro ad eam ad quam duo in presbyterio prope altare.

Mane cum se levant ad sonitum, vel cum prima cantatur cum aurora apparente, ut in privatis diebus. A Kal. Octobris ad Kal. Novemb. non prius vadunt ad necessarias quam ad ecclesiam, sed postea finita hora, si voluerint, vel orationibus factis. Pos completorium faciunt orationes absque conventa

et antequam conventus; et de necessariis debent exisse prius quam eo veniat conventus. Stat ante eos cum virga principalis magister eorum usque dum omnes sint collocati, et ipsas facies bene cooperti.

Item, quando se levant, si tardius se levant, continuo est virga super eos. Post matutinas laudes, eo tempore quo rursus omnes sunt dormituri, si nondum aurora apparuerit, tunc tenente magistro virgam in dextra manu et candelam in læva, exspoliantur et cito collocantur. Si vero aliquantulum aurora claruerit, candelas super laternas ligentes se calceant, et super lectulos reclinant, ut ad sonitum absque ulla dilatione consurgant, quod totus conventus eodem modo facere debet. Panis eorum et generale non sunt minora quam aliorum fratrum. Si quis fratrum de foris veniens osculatus fuerit omnes fratres, minime tamen osculatur eos, sicut etiam nec in ecclesia ad pacem. Ad Mandatum non lavantur eis pedes, sicut nec ipsi lavant; quando in coquina obsequuntur, magistri eorum solent providere ut opportune accendant luminaria dormitorii et necessariarum, et ad nocturnos, in ipsis necessariis duas candelas, quæ sufficiunt: tantum usque dum conventus recedat. Si aliquando nox fuerit, quando post cœnam de refectorio exierint, venientes in chorum de laternis extrahunt candelas, et sursum altius tenent quandiu sunt in choro; opus habentes codicem vel ipsam tabulam brevialem accipere alio loco quam ubi sedere solent in claustro, nunquam accipiunt absque licentia magistri. Vicibus duabus in septimana veniunt ad confessionem, quam non recipit nisi domnus abbas, vel prior major, vel ille qui tenet ordinem; stando confitentur, et si prior est recepturus, ipse ad eos venit, ducitque et reducit, et uno confitente, alter interim sedet. Super truncos super quos sedere solent, nullus alius sedet unquam, vel de ipsis pædagogis. Scrinium cum rasoriis, quibus radantur, pro se habent separatim, et seorsum se radunt pueri cum magistris, et ipsi magistri, quotquot fuerint, pro nulla occasione recedunt ab eis absque licentia magistri principalis; nullaque vice dimittenti sunt cum uno solo magistro. Eorum sessio in claustro ita est ordinata ut pueri sedeant prope murum, magistri in cancellis claustri, et ita ut possint eos jugiter intueri. Per medium eorum nullus est qui audeat omnino transire. Ubicunque fuerint, quantumbibet locus fuerit angustus, et quantalibet sit fratrum multitudo, tamen omnes cavent ita appropiare ut vel tangatur ab aliquo vestis eorum. Et ut tandem de ipsis pueris concludam, sæpenumero videns quo studio die noctuque custodiantur, dixi in corde meo difficile fieri posse ut ullus regis filius majore diligentia nutriatur in palatio quam puer quilibet minimus in Cluniaco.

CAPUT IX.

De custodia juvenum.

Frater qui est hujus ætatis ut adhuc sit imberbis, etsi ultro sæculo renuntiaverit, et optimæ sit opinionis, minime tamen custodia caret. Sed et aliquando illi maxime qui nutriti sunt in monasterio, si in moribus viri esse noluerint, virilis ætas nihil eis profuerit ut a custodia solvantur. In qua qui positus fuerit, primum in dormitorio lectus ejus est prope lectum custodis sui, ad quem absque illo nec accedit unquam nec recedit. In nocte vero quocunque incedit, portat ante se laternam, custode providente ut candelam habeat accensam; qui si cum duxerit ad necessarias, postquam ipse surrexerit, jugiter eum intuetur, quanquam et laterna sit ante eum. Si vero in nocte opus habuerit surgere, excitato custode, et accensa laterna pergit ad necessarias, nec ante a custode exstinguitur laterna quam ille collocetur; custodes namque eas semper incedunt et exstinguunt. Si in ecclesiam eum duxerit, non eum deserit usque dum perveniat in chorum; et in refectorio, usque dum sit intra ostium et in præsentia conventus. Si notatus fuerit ad coquinam, ante sonitum non venit ad eum. Ad tres orationes quas rite faciunt ante nocturnos, vel post completorium, seu in die ad illas similiter tres quæ fiunt in hieme ante tertiam, vel in æstate post sonitum, nunquam ab invicem separantur. Quando proceditur ad aquam benedictam, et processiones alias, si diversi sunt in ordine custodiendi, ascendunt vel descendunt ad custodientem; custos vero non mutat ordinem suum, nisi forte propter illum qui in culpa erat graviore, et, fraterna societate recepta, adhuc tamen omnium est extremus, vel fugere volens ita invitus est retractus atque retentus. Quod si in custodia est diaconus vel subdiaconus, lecturus Evangelium vel Epistolam, si tale quid ei contigerit ut legere non possit, propter hoc nec verbo nec signo quemquam sui similem in simili custodia positum appellat, ut pro se legat, sed ejus custodi, cum testimonio custodis sui rem innotescit, ut fratri ejusdem ordinis custos quoque fratris loquatur pro vicissitudine legendi; aut si maluerit qui legere debet, impossibilitatem suam refert armario maturius, ut ipse tempestive provideat cui legendi munus injungat. Singuli autem tales, si, ut aiunt, tergoribus suis voluerint esse consultum, tunc summopere cavent in omni loco ne absque mediatore stent simul, aut simul sedeant in ecclesia, in capitulo, in refectorio, vel se ad invicem impingant quando conventus ita cumulatim quoque incedit, ut aliquando ecclesiam intrando vel exeundo, vel quando libros in armariolum quod est in claustro reponunt. Hoc etiam non negligitur, si est eorum status adhuc in medio choro, et unus ex una parte, alius ex altera, ut ita sint stantes ne dorsa eorum e regione ad invicem sint conversa.

CAPUT X.

De præcentore et armario.

Præcentor et armarius armarii nomen obtinuit eo quod in ejus manu solet esse bibliotheca, quæ et in alio nomine armarium appellatur. Hæc est obedientia quam ex more nullus meretur, nisi

nutritus. Igitur iste, de quo agitur, officialis rite unum habet suffraganeum, qui et pueris cantet, et brevem faciat de lectionibus et responsoriis, et aliis obsequiis. Cæterum ipsa fratrum nomina qui lecturi sunt et cantaturi, vel aliud quid facturi, non alius quam ille ponit, nisi forte et ipse ita voluerit, ejusque secundus hujus sit industriæ hujusque sensus. De ejus autem continua occupatione ut aliqua perstringam, tota servitutis divinæ ordinatio in ecclesia super nullum pendet quam super illum, nec de hoc habet aliquem magistrum nisi solum domnum abbatem. Quod voluerit ut cantetur, cantatur; quod voluerit ut legatur, legitur et in ecclesia, et in refectorio, et ad collationem; et ad hujuscemodi omnes debent semper ei esse obedientes. Si quid tamen contra usum præsumpserit vel neglexerit, hoc omnino interim dissimulatur usque dum in capitulo reclametur. Ad cantica Evangelii, vel ad matutinas laudes, vel ad vesperas antiphonam imponit, excepto quod dom. abbas ad duodecimam lectionem est impositurus. Qui etiam armarius, quandiu est in conventu, non se notat ad ullam lectionem, vel resp.; ut, si domnus abbas forte non legerit, ipse pro eo sit legere paratus. Quod si quo in tono erratur, nullius scientia præjudicat illi, ut non eum potissimum omnes attendant et sequantur. Solus ille non reprehenditur, si quam antiphonam vel resp. nominaverit absque libro, indicens alicui fratri ut cantet. Omnes quoque versus offerendæ imponit; quemlibet cantum, quantumlibet submissa voce cantetur, nemo tamen alius audet ad altiorem vocem levare. Omni die diluculo postquam tres pueri psalmos, ut moris est, perlegerint, continuo venit ad eos ut pueri qui lecturus est in capitulo audiat lectionem; vel etiam rite, si ipsi aliquo modo pueri offenderint, maxime cantando, vel legendo negligenter, vel si cantum minus diligenter addiscunt, dignam ab eo disciplinam experiuntur. Summopere tamen observat, tam, ipse quam alii, quando eos verberat, non solum ne tangant carnem eorum cum manu, sed etiam ne vestis ejus eorum adhæreat vestibus; nunquam namque cum palma eorum percutiuntur maxillæ, sed, si opus fuerit, magister solus, qui eos ducit, potest eorum capillos excutere; alius, nunquam. Et propter hoc, quandiu ipse vel suffraganeus ejus moratur inter eos, magister puerorum principalis, cujus superius memini, non legit, nec aliud quidquam facit, nisi quod armarium et pueros jugiter intuetur. Inter quos et liber in quo legitur ita semper ponitur ut una de columnis claustri media sit inter audientem et audiendos. Lectiones, quæ legendæ sunt ad nocturnos et responsoria, rite audiuntur post nonam, et in Quadragesima post sextam; post Vesperas vero nunquam. Quæque missa major seu matutinalis fuerit cantanda, ubi sacerdos se cum cæteris ministraturis vestierit, nulla vice armarius per consuetudinem defuerit; primum ut videat si præsto sint omnes personæ quæ sunt obsecuturæ, A et insinuet si quid noverit opus esse ut insinuetur. Similiter facit quotiescunque post nocturnos Evangelium est legendum, vel si qui invitatorium cantaturi sunt albis vestiuntur vel cappis, totius rei est præcipuus ordinator. Si quis frater infirmus, infirmorum oleo est ungendus, vel, si obierit, ad sepulturam efferendus, vel si quis de foris allatus est recipiendus; ipsi est cura qui sacerdos induatur, quomodo corpus Domini apportetur, quomodo communicetur; et quæ collectæ, dum obierit, a priore super eum dicantur, et dum lavatur, et dum vestitur, et antequam in ecclesia apportetur, et quid cantetur, et quomodo tumulus benedicatur; et quæ collectæ dum benedicitur, et quæ dum sepelitur, et quæ post sepulturam dicendæ sunt; omnibus his intererit præcipuus monstrator. B Ipse supervenientes breves fratrum defunctorum accipit, et in analogio notat, descriptosque alios pergentibus fratibus per diversas terrarum provincias distribuit, nec obliviscitur, si quis frater finierit, missarum quæ rite VI fratribus triginta commendantur. Quinimo nescio si quis plusquam ille faciat ad omnes processiones, ad quas nihil, nisi quod ipso imposuerit, omnino cantatur.

Postremo quidquid tale quasi novum supervenerit gerendum, de hoc ille præcipue memor, et diligens esse debet. Loquor, ut est, quando fabæ novellæ, vel novellus panis, sive mustum in refectorio est benedicendum; vel si talis hospes hujus reverentiæ advenerit, ante quem post peractam processionem in C primis, juxta quod in regula tenetur, lectio est recitanda; vel opere manuum facto, quidquid tunc est legendum, vel si cujusquam novitii de professione populari coma et barba est tondenda, ad hæc singula et horum similia librum competentem accipit et aportat, et providet ne fiat negligentia vel de persona, vel de hoc quod persona est dictura. Et si forte episcopus aderit vel nostri ordinis, vel talis opinionis de quo vel domno abbati vel priori videatur ut det benedictionem in ecclesia, ipse stolam, librum et baculum ministrat, et imponit hunc versum : *Humiliate vos ad benedictionem.* In Natali Domini, in Pascha et Pentecoste, ad officium majoris missæ et tenendum chorum sunt notati de melioribus cantoribus, quantum armario videtur; qui tamen non præsumunt per se accedere, nisi D ipse manu sua cappas det, quæ in capite formæ semper de melioribus a principali sacrista præparantur. Addit etiam adhuc illis statutis per ordinem quantoscunque capere potest tota chori latitudo; nec quisquam eorum recedere præsumit, vel ad pacem accedere, seu missam cantare, vel de loco statuto secedere, quamvis sint de majoribus personis, præter ejus nutum. Et si ita contigerit ut neuter prior nec eorum vicarius sit in choro, tunc, si viderit opus esse, potest ipse mutare fratres de choro in chorum et ei qui quæsierit exeundi licentiam dare; thuribulum a converso sibi primitus apportatur, nisi fuerit abbas noster vel aliquis episcopus seu abbas

quibus pro reverentia exhibeatur ordinis. De cætero cujuscunque ordinis supradictos sit armarius, suum non amittit principatum. Non accedit ad pacem, neque sui suffraganei, sed interim, dum pax datur, cantat *Agnus Dei* cum versibus ad hoc congruentibus. Nec de illis qui fuerunt ad gradualem vel alleluia notati, aliquis se intromittit, nisi ipsi quibus libellos innuendo tribuerit. Sacerdoti quoque intimat quo tono incipiat *Gloria in excelsis Deo*, et, si opus fuerit, diacono *Ite Missa est*. Prosas cantant quatuor, duo in una parte, et duo in altera, id est sinistra et læva; additur et ipse quintus, maxime his duobus qui sunt ad dexteram, qui semper primum versum adoriuntur, ut, si forte discordaverint, ipse in promptu sit ad suffragandum. Prævenit quoque cæteros aliquandum in exuendo cappam, et in agendo ante et retro, ut festinet deponere singulorum vestes, et ut ipse primus imponat manum ad sonandas scillas, sicut et fecit in initio missæ. Si quando talis imbrevatio est agenda, non agitur in illa tabula quotidiana, sed in alia, quæ aliquantulum est major, et proprie deputata ad festivitates. Solet etiam apud nos et alia imbreviatio non inutilis fieri, sed quia armarius alias adeo est occupatus, committitur aliquando alii fratri memori et diligenti, scilicet ut qui servierint in coquina omnes per ordinem conscribantur, ne forte per oblivionem contingat ut quisquam frequentius quam alius eo munere fungatur.

CAPUT XI

De camerario.

Camerarius noster, quantum habere possumus denariorum ex villis nostris, ipse pergit et recipit eos tempore suo, de quibus tamen tertiam partem reddit decanis, pro eo quod tam multa sunt quibus opus habent, non solum propter agricolationem, sed etiam propter semetipsos, quia sæpius ibi morantur, et maxime propter hospites, qui nimirum si non reciperentur omnino esset inhumanum. De his autem villis quæ tam longe sunt positæ ut nec vinum nec annona quæ ibi nascitur possit ad nos pervenire, ibidem venditur, et pretium camerario defertur. Postremo quidquid auri vel argenti vel bestiarum undecunque donatur nobis, totum ipse habebit, excepto quantum sum hic dicturus. Si quis dederit nobis decem solidos aut pauciores, hi semper cellerario sunt deputati ad hoc tantum ut fratribus infirmioribus et aliquantulum delicatis, absque hoc quod generaliter omnibus datur, aliquam impendere possit charitatem. Et si evenerit ut aliqua vacca donetur nobis, hanc quoque habebit ad subsidium vaccariæ quæ est in manu ejus : oves et boves decanis ipsius villæ; oves, propter fimum quo arva sunt condienda; boves ad arandum. Pallia, et vasa aurea et argentea, quæ esse possunt ad usum et ornamentum ecclesiæ accipit sacrista. De cætero, ut præmissum est, omnia veniunt ad manus camerarii, nec immerito, quia frequenter accidit ut de omnibus rebus annuatim nascentibus nihil omnino habeamus

A ad subsidium vitæ temporalis, præter quod de denariis est comparatum; quod cum per vices eveniat de victu, quidquid ad vestitum pertinet, hoc non per vices, sed semper et ex toto est comparandum.

Cuilibet autem fratri unoquoque datur anno froccus novus et nova cuculla, ita ut ambo habeat parata et consuta ante Nativitatem Domini ; novum pellicium secundo datur anno, et in festivitate S. Michaelis; interim, dum conventus fuerit in refectorio ad prandium, ponitur in ejus lectum. Iterum in festivitate S. Martini pedules; de calceamentis alio loco dixi quomodo dantur in Cœna Domini, De stamineis et femoralibus, vel si quæ sunt alia hujusmodi, nihil aliud est constitutum quam quod, cum
B fuerint inveterata, nec magis proficua, eis ablutis et per ipsos fratres ad cameram redditis, alia sunt tribuenda. Et ut hoc semel dicam quidquid ad amictum uniuscujusque fratrum haberi potest regulariter et pro consuetudine generali : primo sunt duo froci, et duæ cucullæ, duo staminea, duo quoque femoralia; duo paria caleeorum cum corrigiis : unum par viltronum ad hiemem in nocte, et alterum sine viltrono ad æstivas noctes; duo paria caligarum, tria pellicia, vel unam pro tertio gunellam, capellum de pellibus, quinque paria pedulum. Ad lectum capitale, coopertorium, cottum, stragulatum, brachiolineum quo femoralia succinguntur, corrigia cervicina, quod stamineum, et in quo pendet cul-
C tellus cum vagina, pecten ligneus cum vagina, acus cum filo et vagina. Sacerdos et diaconus habere solent tria femoralia, ut si tale quid eis in nocte contigerit, in promptu sit ea mutare. Et camerarius, si cui habenti tria pellicia, adhuc pro misericordia addit et gunellam, et si cui dedit unum par caligarum de pellibus ovinis, aut fasciolas propter tibias infirmantes, et propter hoc non meretur et largiens vel accipiens multum reprehendi. Sed super hæc quicunque amplius quid de hoc genere habere voluerit, hoc profecto nec pro justitia, nec pro misericordia, sed pro magna censetur superfluitate. Omnia pellicia sunt velleris ovini, coopertoria vero aut ovini aut catini aut leporini, et nunquam de ullo genere majoris æstimationis; froccus et cuculla de tali sunt panno ut ambo non magis quam octo solidos va-
D leant, talis monetæ quæ plus habet æris quam argenti.

Si quando tale quid comparaverit vel vendiderit camerarius, negotiatione sua ex toto peracta, mercatori cum quo negotiatus est, secundum quod negotium est et persona, aliquantos adhuc addit vel reddit sua sponte denarios, propter illud S. Benedicti præcipientis ut res nostra semper vilius vendatur quam aliorum hominum. Quoties loquuntur in claustro, camerarius vel ejus junior qui clavem cameræ portat, nunquam debet deesse; tunc enim auditurus est a singulis quid ille aut ille opus habeat, et nec ad ipsos pueros venire negligit, ut ab eis si quid sit quo indigeant sciscitetur. Ergo ea vice dat

quidquid est dandum, ne, si fratres ab eo ad horam aliam, qua silentium est, quæsierint, silentium tenere non possint. Frater cujus pellicium, vel cujus stamineum, vel cujus femoralia ita sunt rupta ut adhuc valeant emendari, diliculo ponit ea in unum arcum capituli ad hoc deputatum. Et veniens junior camerarii portat foras ad sartores. Post vesperas reportans ponit in eumdem locum, ut ab eo ad quem pertinent recipiantur. Item qui opus habet ut calcei sui ungantur, primum ipse lavat eos aqua per canalem de aquæ ductu dimissa; quos rursus junior camerarii accipiens, quod de aliis, hoc ipsum et de calceis facit. At si frater vult ut a seipso ungantur, accepta sagina ungit eos in regulari coquina ante primam, vel si prima simul cum matutinis laudibus est cantata, ante tertiam, vel post refectionem fratrum, quando semel comedunt. A majoribus nostris est traditum ut intrante Quadragesima quanticunque pauperes supervenerint, omnes eleemosynam et benedictionem de carne consequantur; et camerarius præter illam sollicitudinem quam habet pro vestimentis fratrum, non est quod magis eum sollicitet quam hæc ipsa eleemosyna; ad quam nimirum non multum facit porcaria nostra vel lardarium nostrum, qui nunquam ita est refertum, nisi tantum soli denarii et de manu solius camerarii prodituri; ut non aliud dicam quam quod contigit hoc ipso anno: illi qui pauperes recensuerunt testati sunt septemdecim millia fuisse, quibus et in Christi nomine ducenti quinquaginta baccones divisi sunt.

CAPUT XII.

De apocrisiario.

Apocrisiarius est qui custodit ecclesiæ thesaurum, et in cujus manu est quidquid a popularibus ad altaria offertur. Qui officium suum digne ut possit adimplere, adhibentur ei aliquantorum solatia fratrum, inter quos tamen solet unus præstantior esse, et ad quem potissimum pertinet ut vicem ejus absentis agat, vel extra conventum aliud quid agentis. Porta quoque ecclesiæ uni specialiter committitur, qui eam semper claudat et aperiat tempore suo; et hic studiose talis eligitur qui gravis sit in moribus, nec ad risum facilis, ne quam in eo levitatem intrantes vel exeuntes deprehendant; et hoc est ei omnino interdictum, quando claudit et aperit, ut pro nulla occasione vel pedem extra portam portendat. Hic, cum semper in ecclesiæ moratur excubiis, ibi dormit et legit; ac præter cæteros hoc est soli injunctum officium ut omni Sabbato conchas, et candelabrorum pateras, in quibus candelæ ardent, diligenter abradat, ne aliquid de decurrente cera remaneat. Simili quoque studio totum pavimentum quod circa majus altare est purgat, nec prætermittit ut ejusdem et cæterorum altarium pavimentum scopa emundet. Claudit quoque et aperit ecclesiæ fores variis modis per diversa tempora; nam cum ad nocturnos tam in hieme quam in æstate semper aperiat, in hieme tamen post officium quod in nocte cantatur, semper eas claudit, atque ita permanent usque dum scilla sonetur ad tertiam. Finitaque missa matutinali claudit, clausæque permanent usque dum scilla pulsatur ad sextam; tunc aperiuntur, et missa finita usque ad vesperas clauduntur. Post vesperas vero regulares clauduntur, ita usque ad nocturnos permansuræ. In æstate autem cum statim post matutinas regulares claudantur, ad primam aperiuntur, et usque dum missa matutinalis finiatur patent; quæ tunc clausæ ad missam aperiuntur, post quam usque ad vesperas obserantur, quibus finitis usque ad nocturnos omnino clauduntur. In Quadragesima privatis diebus post missam matutinalem clauduntur, et post sextam mox ut scilla sonaverit reserantur, nec clauduntur usque dum vesperæ finiantur. In XII vero lectionibus, tam in hieme quam in æstate, ad scillam, quæ post capitulum sonatur, aperiuntur; studiose tamen agit ut, si quis eas tam in die quam in nocte percusserit, paratissimus sit ad aperiendum. Ac per hoc conventus ad S. Mariam procedit, ille semper in ecclesia manet, ne eo absente aliqua intercidat negligentia. Cæteri suas septimanas in qualibet ad nocturnos Dominica incipientes, vicissim faciunt eo modo quo eis est præfinitum, et unusquisque opus habet ut quid facturus sit diligenter attendat.

Primo namque, ut dixi, ad nocturnos postquam horologium cecinerit, pulsat scillam, et tandiu usque dum pueros viderit venire; factis tribus orationibus pulsat unum de majoribus signis usque ad psalmum *Lætatus sum*. Secundo signum, quod minus est, aliquantulum ad *Kyrie, eleison*, usque dum sit finita Oratio Dominica cum collecta. Tertio similiter. Quarto pulsantur omnia signa, vel si est privata dies, duo ad ultimam incisionem canticorum graduum; ad penultimum psalmum hebdomadarius accendit duos cereos candelabris affixos ante altare, tertium post illum qui prius ardebat in concha, exstinguit. Item ad lectiones observet ut candelam, cum qua legendum est, semper ad ultimum nocturnorum accendat. Ergo ad nonam lectionem, quæ est de Evangelio, est adhuc et tertius ante altare cereus, et post altare alterum accendit; altarisque tabulam detegit auream huc usque panno coopertam, accipit textum de altari et portat ad vestiarium, lectoque Evangelio, dum sacerdos revertitur, accipit de manu ejus, et unde prius accepit, reponit. Cum ad hoc ventum fuerit ut sacerdos matutinalis dicturus sit collectam, huic etiam candelam providens apportat, mox etiam, exstinctis omnibus illis cereis in circuitu altaris, eum, qui prius ardebat in concha, reaccendit, tam in die quam in nocte arsurum, nisi propter alios accensos exstinguatur. Accendit et alium cereum et affigit candelabro, ut portetur ad processionem quæ fieri solet ad S. Crucem et ad S. Mariam. Ad S. Crucem prævenit conventum, ut ad singulas columnas candelulas affigat ardentes usque dum abscesserit conventus. Ad S. Mariam accendit cereum in concha, et alterum ante fores ecclesiæ. Aurora

apparente sacerdotes privatas missas incipiunt cantare, ad quas singula quæ necessaria sunt hebdomadarius providebit, ut, cum primum sacerdotes accesserint, omnia inveniant parata. Armarium reserat quod non minori diligentia est constructum quam et illud quod est ante majoris faciem altaris, cujus in alio loco nonnihil memini; et in isto ad privatas missas reconduntur calices cum corporalibus, plus minus septem hostiæ, et candelæ, sine quibus nulla missa est cantanda; ampullæ majores et minores: majores ad vinum, minores ad aquam; et amphora stannea, cum qua vinum apportatur forinsecus; duæ aliæ cum aqua, ut de una manus abluantur, et de altera calices. Nec de alia funditur quantum ad sacrificium de aqua est miscendum, de qua et illæ minores ampullæ sunt implendæ; vinum autem de quo sumendum est ad sacrificium, non alio quam in cellario servatur, sed in tali cuppa quæ est serata, et de qua nihil trahi potest nisi clave reseretur. Ad hanc quoties hebdomadarius accesserit, diligenter lavat non modo manus, sed etiam spinam et fundum cuppæ in circuitu spinæ, priusquam quid accipiat de vino; et, sicut dixi, in sua est providentia ne aliquando vel aqua vel vinum in ecclesia desit, et propter hoc in nocte ut, si cui opus fuerit infirmo, in promptu sit, ut possit communicare. Si est eo tempore eaque die qua prima cum ipsa die incipiente vel ante diem cantatur, tunc se rite ad VII psalmos diurnalibus calceat, ut coci manus faciemque lavat, et reversus ad litaniam cum amphora majore plena aquæ, antequam ipsa tota finiatur, levat se et accelerat vinum et aquam apportare. Altaris tabulam tali die non discooperit, usque dum pulsaverit scillam, qua signum datur fratribus ad calceandum; in æstate, vel etiam in hieme, si bis comeditur, differt usque ad primam.

Signa quæ pulsanda sunt ad singulas horas, sollicitus est ut pulset tempestive, ita tamen ut nihil præsumat nisi jussus a majore, et secundum quod per usum est constitutum. Quando fuerit hora ut fratres ante tertiam vel nonam laverint manus, stat ipse juxta introitum ecclesiæ, et cum pueros jam se viderit lavasse, pulsare signum amplius non tardat. Eodem modo quoties post missam et ante sextam accepto jam misto audierit eos legentes. De cæteris horis significandis non se intromittit, nisi in quantum ei, ut præmissum est, imperatur. Ad utramque missam singula, quibus opus fuerit, providebit et apportabit; et primo quidem calicem aureum, cum quo sacerdos est oblaturus, lavat, cujus in alio loco jam memini. In die Dominica, vel in alia qualibet festivitate, quia ad ambas missas non affertur nisi ab uno, ad hoc etiam non amplius quam unam patenam, et unam cum vino apportat ampullam, quam, lecto Evangelio, levat, et priori dat in manus ut offerat accedenti. Verum ad majorem missam prior innuit his qui sunt albati, ut pro se offerant, et propter eos quibus libuerit communicare, mittuntur in die Dominica hostiæ quinque; in aliis sive sint privati, sive solemnes, non nisi tres, excepto quod in illis majoribus festis, ut est festivitas S. Joannis Baptistæ, providetur a priore ut tantæ mittantur ex quibus omnes possint communicare. In privatis diebus ad missam matutinalem, quia cuncti offerunt, curat hebdomarius ut inter calices mediocres ad hoc solum factos, et inter ampullas cum vino habeat quinque, et totidem patenas cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus prope chorum super tabulam desuper coopertam, et panno intrinsecus amictam, ut inde fratres eas accipiant; cum offertoriis oblaturi. Ad majorem missam, quia non offertur nisi ab uno choro, tantum tres calices seu ampullæ præparantur, et hebdomadarius stat in choro sinistro tenens in manu auream patenam, et ampliorem hostiis refertam, quas cum aureo cochleari offerentibus distribuit sigillatim. Cum sacerdos et diaconus cæterique ministri in vestiario conveniunt ut cantetur missa vel major vel minor, ipse semper præparat textum Evangelii, quem subdiaconus portat inter procedendum. Cum venerit hora refectionis, ut non amplius ulla missa cantetur in illo die, recenset calices si habeat omnes; recenset etiam missales libros, et sacerdotalia vestimenta quæ econtra in armario jacent. Portat pyxidem cum hostiis non consecratis in refectorium, de quibus singulis, ut superius dixi, prælibant qui noluerunt aut non potuerunt communicare. Refectione transacta, cum ipsa pyxide in primis de refectorio exit, ut scillam pulset in choro. Ad vesperas accendit candelas sicut ad nocturnos; quibus finitis cum primum fratres exierint, uno de sodalibus suis assumpto, auream altaris tabulam cum panno contegit. Si quando collatio tam sera fuerit ut opus sit ignis, portat ad eam tres cereos accensos, et mittit in conchas propter hoc ibi suspensas; et ad Mandatum nunquam omittit ut non unum cereum apportet ardentem. Post completorium, cum circuit, omnium signorum, quæ ad nocturnos tantum pulsanda sunt, circulos ordinate in imum dentem colligit, ut ad nocturnos non possit errare aliud pro alio arripiendo. In IV feria et Sabbato omnes ampullas majores et minores portat ad aquæductum, et diligentissime lavat, uno etiam tali ferramento ad hoc proviso, cum quo possit eas in ipso fundo fricare.

Tunc, ut de ipso apocrisiario aliquid dicam, de hoc quod a populo offertur ad altaria, decimum denarium et panem totum eleemosynario dat, caseos et ova cellerario. Est etiam ei commissum ut aliquos anniversarios faciat ut, verbi gratia, Henrici imperatoris. Talique die providet ut fratres in refectorio bonum generalem habeant, maxime, si potuerit invenire, piscibus bene piperatis, et pigmentum. De cætero quæcunque ad manus ejus venerint, expendit præcipue ad sarta tecta ecclesiæ instauranda, ne aliquo modo dilabantur, et ad luminaria, et ad reliqua, si quæ sunt ecclesiæ necessaria et utilia. Ad refectorium dat candelas, et ad infirmariam, quantum fuerit opus, et camerario et custodi hospitum,

domino quoque abbati, et priori, quantum opus fuerit, qui nunquam sine lumine dormiunt. Ad hæc omnia ne aliquando facultas deficiat, habet etiam idem apocrisiarius unam villam satis bonam, cum decimis, vineis et agris.

CAPUT XIII.

De hostiis quomodo fiant.

Quod pertinet ad eucharistiam et ad corpus Domini, quia dignum est ut cum summa reverentia et diligentia geratur, expedit ut ipse modus gerendi non taceatur. Primo (9) quotiescunque fieri hostias necesse fuerit, præcipue tamen ante Domini Natalem, vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent. Cum enim brumali in tempore prolixiores sint noctes, licet ante prandium fratribus operari amplius; nam post prandium hujusmodi opus gerere non licet. Frumentum, de quo faciendæ sunt hostiæ, quantumlibet bonum sit naturaliter et purum, tamen granatim eligitur et lavatur studiose, nec per alias personas quam per ipsos fratres. Colligitur deinde in saccum non qualemcunque, sed qui ad hoc solum de bono panno consutus est et reservatus; in quo colligatum commendatur uni famulo non lascivo; qui portans illud ad molendinum, molam lavat utramque, operitque sursum et deorsum cortinis, se ipsum induit alba, et super caput mittit, et alligat superhumerale, id est amictum, ut nihil de facie præter oculos possit apparere. Ita ergo molit, ita farinam cribrat, primo cribro quoque diligenter abluto. Major ecclesiæ custos, si non est sacerdos vel diaconus, vicarium sibi quærit ad hoc opus perficiendum. Duos etiam alios de his ordinibus hujus rei gnaros perquirit, accepta licentia a priore, et unum conversum. Hi quatuor finitis nocturnis, se calceant, facies manusque lavant, et capita pexunt. Secedunt deinde ad altare S. Benedicti, et ibi cantant matutinas laudes; primam quoque simul, et septem psalmos cum litania, reliqua psalmodia interim dilata. Deinde illi tres qui sunt alicujus ordinis, induunt se albis et humeralibus, ut supra dictum est de famulo (sunt enim albæ et amictus quidam huic solo negotio deputati), quorum unus farinam conspergit et vehementissime compinguit (*sic*) super tabulam nitidissimam habentem limbum in circuitu, aliquantulum in circuitu superficiem altiorem, ne aqua effluere possit. Conspergunt cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores. A duobus vero reliquis hostiæ formantur; aqua vero non in alio vase defertur quam in quo solet ad missas deferri. Ferramentum, in quo sunt coquendæ, characteratum tenet conversus, manusque induit chirothecis. In ferramento possunt simul hostiæ VI poni; unde inter bajulum ferramenti et formatores hostiarum ponitur tabula, et super hanc duo sunt pali infixi super quos lignum habetur transversum, super quos ponitur ferramentum ad hostias imponendas. Quæ non fuerunt coctæ, cultello abraduntur, et cadunt in disco deorsum in tabula imposito, et linteo jugiter cooperto, nisi quando hostiæ abraduntur.

Canunt psalmodiam quæ remansit, et si voluerint, horas de S. Maria. Ad alias omnino horas tenent silentium, et summopere cavent ut non modo saliva. sed nec flatus eorum aliquo modo ad hostias pertingere possit. Solus conversus, si quid opus fuerit, breviter famulis innotescit, qui faciunt focum non nisi de aridis lignis, et ad hoc de industria præparatis. Ipsi autem hostiarum operarii eo die non cum fratribus, sed potius cum servitoribus reficiunt; et pro tanti laboris levamine habent de apocrisiaria ad prandium pitantiam et pigmentum.

CAPUT XIV.

Ce corporalibus abluendis.

Corporalia sacrosancti ministerii quotiescunque abluenda sunt eo studio eademque diligentia qua superius definitum est oblationes fieri debere, per sacerdotum vel Levitarum ministeria maximo cum honore lavantur. Ad hujus etiam rei officium rite explendum vernale tempus sive autumnale eligitur, eo quod vernali tempore remota hiemali asperitate, aer jam purior habeatur. Autumnali vero, id est post Idus Septembris, quia jam muscarum tanta non est insolentia, ut in tempore æstatis, quarum maculæ difficilius abluuntur. Ad hoc sane ministerium habentur vasa ænea altissima, nullis aliis usibus dedita, in quibus post vesperas in ecclesia bis corporalia intinguntur aquæ frigidæ, et teruntur in manibus; iterum aqua tertio infunditur, ita per noctem mansura; mane vero infunditur sicut et prius in piscinam super quam calices lavantur. Portantur deinde foris ad officinam secretarii, in qua sunt abluenda; ibi namque famuli lexiviam (*sic*) temperant limpidissimam et diligentissime colant, et tamen nequaquam effunditur, nisi prius in superficie panno sint involuta ne si quid tale in lexivia remansit, ad sacra pertingat velamina. Quæ postquam bene lota fuerint, et aliquantulum siccata, rursus intinguuntur aspersioni quæ fit clara et liquida de optima farina, et ita siccantur ad perfectum. Interim vero minime carent custode, maxime qui muscas et vermiculos insidentes ab eis abigat. Chorda, in qua extenduntur ad siccandum, non negligitur ut sit lota, quæ etiam in marsupio ad hoc solummodo opus jugiter servatur. Quando vero levigantur eadem corporalia cum vitreo hemisphærio, unus eis substernitur pannus, nec ponuntur unquam super lignum nudum.

CAPUT XV.

De reliquiis sanctorum; quomodo prosequantur sive recipiantur.

Quoties aliqua urgente necessitate reliquiæ sanctorum extra monasterium alicubi sint ferendæ, hujusmodi officiis sunt prosequendæ. Primum denique sacrista in ornato eas feretro componit. De-

(9) *Primo.* Quæ sequuntur et duo proxima capita ex alio cod. ms. descripta sunt.

inde fratri ad cujus obedientiam sunt portandæ, alii etiam seniori, cui a priore earumdem custodia reliquiarum specialiter committitur, omnia necessaria, id est, candelabra duo, crucem, thuribulum, urceolum aquæ benedictæ, vexilla tria, cortinam quoque, et tintinnabulum quod a duobus fertur hominibus, vestimentum, et reliqua ecclesiasticis usibus accommoda præbet. Cum ad ecclesia fuerint producendæ, omnes albis induuntur; deinde sanctum corpus a priore incensatum duobus albatis cantoribus committitur usque ad portas castelli ferendum. Omnia signa pulsantur; responsorium competens a cantore incipitur. Præcedente processione sequuntur bajuli pignoris sacri, deinde infantes, postremo cantores, ad ultimum conversi. Cum ventum fuerit ad portas, laici suscipiunt commendatum; finitoque responsorio; et incipiente priore psalmum *Ad dominum, cum tribularer*, processio eodem revertitur ordine. Item quando reducitur, primum cuncti fratres albis induuntur, et duo signa majora pulsantur, ac deinde præcedente processione, id est, aqua benedicta, thuribulo, cruce et candelabris, simili per omnia modo usque ad portas castelli cum omni silentio progrediuntur. Ibi denique prior accepto thuribulo sanctas incensat reliquias, impositoque a cantore responsorio, cunctisque resonantibus signis, eodem quo exierat suscipitur modo. Imago autem beati Petri quando suscipitur, antiphona primum, id est, *Tu es Pastor ovium*, a cantore incipitur, ad cujus initium omnis conventus, submissis usque ad terram manibus, altius inclinat, deinde ab abbate vel priore versiculus, *Exaltent eum in Ecclesia plebis* pronuntiatur, et subsequenter collecta *Deus, qui apostolo tuo Petro* dicitur; qua completa, incipiente cantore responsorium, eo quo supradictum est ordine defertur ad ecclesiam.

CAPUT XVI.

De rasura fratrum.

Inter cætera quæ camerarius habet curare, est operæ pretium ut non obliviscatur quoque providendorum rasoriorum, quibus se fratres radant. Ergo ad hæc servanda specialiter unus frater ordinatur, qui servat ea in scrinio modico et serato, positoque secus introitum dormitorii sursum; quod cum voluerit, et opus esse viderit, portat in claustrum, et tamen in una parte sedet extra conventum ipsa rasoria acuendo et propriando. Et ad hoc, præter alias horas quibus conventus sedet in claustro ad missas et ad officium, licet ei vacare. Cum ad hoc ventum fuerit ut rasura generalis sit gerenda, faciunt fratres quasi duas lineas sedendi, scilicet in cancellis claustri et prope murum. In una linea rasoria, in altera per eleemosynarium scutellæ singulis dantur, a loco se movere nequaquam audentibus, sed cum disciplina præstolantibus usque dum ad se veniat qui scutellas et rasoria portat. Quisquis radit alterum, frocum exuit, et in cuculla

A radit; qui raditur in froco suo, cucullam exuit, et prope se ponit. Quod si forte pro aqua calida apportanda perrexerit, ipsam cucullam decenter complicatam secum in brachio portat. Inter radendum cantatur psalmodia, *Verba mea*, præmissa eodem modo quo in coquina, et insuper in fine, psalmi familiares usque ad vesperas; qui sunt de vesperis, hi non cantantur. Cæterum usque dum psalmodia sit consummata, alias summum silentium est nisi qui radit in primis dicit *Benedicite* Prius quoque capillos nemo cum forcipe tondere præsumit, nec sine cuculla reinduta. Priusquam ex toto sit rasus, si ad aliquam horam signum fuerit pulsatum, cucullam induit super frocum, indutoque capello pergit ad ecclesiam, non tamen ingre-

B ditur chorum, sed stat seorsum. Si quis post horam radendi supervenerit, non raditur nisi cum licentia prioris, vel post nonam quando loquuntur in claustro, et non nisi in calefactorio, ubi tamen, sicut in claustro, infirmi prius uno die raduntur quam conventus. Vices radendi hæ sunt per annum: 1, ante vigiliam Natalis Domini, inter quem et Septuagesimam, quia diverso modo septimanæ sunt nunc plures, nunc pauciores, ibi nullus terminus est præfixus, nisi prior viderit quomodo convenientius fieri possit; veniente Septuagesima, de vice ad vicem tres septimanæ semper intermittuntur; ante Pascha, in illa tertia feria est radendum, maxime quia eo die in claustro licentiam habent loquendi; post Pascha, ad illam Dominicam, *Misericordias Domini*; ante Rogationes, in illa feria quinta, si tamen nulla festivitate interveniente impeditur; ante Pentecosten, de quo die, quia rursus diversæ sunt septimanæ usque ad solemni-

C tatem SS. Petri et Pauli, rursus quoque rasura permittitur in deliberatione prioris. Postea non erratur de ulla vice quia ita est consuetudinaliter ordinatum ut semper se radant ad Translationem sancti Benedicti, ad Vincula sancti Petri, ad Assumptionem S. Mariæ, ad ejus Nativitatem, ad festivitates S. Michaelis, S. Lucæ evangelistæ, S. Martini, ad Adventum Domini.

CAPUT XVII.

De balneis.

Hoc omnibus est familiare, postquam se raserint continuo etiam balneare. Sed de nostris balneis non est multum quod loquamur. Duabus enim tantum vicibus in anno balneamus: 1, ante Natalem Domini, et ante Pascha. Ad quod decanus villæ per totam illam præcedentem septimanam famulos et ligna subministrat, ut unusquisque lavet in cuppa,

D vel sine cuppa cum aqua calida. Ad alterutrum quod maluerit facultas datur. Ad sonum signi si balneum jam intravit, et propter hoc unam horam regularem omiserit, non imputatur.

CAPUT XVIII.

De cellerario.

Cellerarius eadem benedictione qua prior ordinatur et absolvitur. Ordinatus scire debet quanta

diversitate in refectorio sit fratribus serviendum. A De quo, ut non taceam quantum a me sciri potuit, omitto quid referre de fabis quotidie dandis, et non sine adipe, si non est dies jejunii, seu de oleribus comminutis et coctis quæ, secundum quod haberi potuerint, dantur. Præter hæc in septimana tres dies, II, IV et VI feria, non nisi pitantiam habemus, alios quatuor generale, et hoc quod die Dominica et V feria est de piscibus, si tamen æquo pretio inveniri possint. Et si non sunt olera, continuabitur generale. Item quotiescunque fiunt XII lectiones, generale. In talibus festivitatibus, ut est, verbi gratia, Translatio sancti Benedicti, utrumque et generale, et pitantiam, et adhuc etiam in illis principalibus V festis fabæ sepiis aut fladonibus mutantur. In quibus et præter panem solitum, dari B solent una tortula de ovis farinaque conspersa. Sunt et plerique anniversarii, qui si in tali die evenerint quo ex more datur pitancia, propter eos quoque mutatur cum generali. Tales dies habet cellerarius apud se imbreviatos, omnique Sabbato collationem facit cum priore et camerario, vel cum eorum vicariis, de singulis diebus venientis septimanæ, ut quidquid in illo et in illo die dari debuerit, tempestive provideatur. Item in brevi notat summam porcorum et arietum qui debentur de obedientiis nostris, ut confestim de his quæstionem moveat si quid de summa per incuriam cujusque obedientiarii decedat; ad ipsam quoque cellerarii obedientiam pendent aliquæ villulæ in vicino appositæ. De his pascit cellerarius caballos suos; ibi moratur pisces C comparaturus, vel ingenia structurus quibus pisces capiuntur. Si quis fratrum adeo est infirmus ut de lecto surgere non possit, ad hunc quotidie summo diluculo simul cum infirmario venit, et de omnibus quæ habere potest sciscitatur ab eo quid sit quod sibi videatur, ut præparet ad ejus recreationem. Quoties generale piscium datur, statim post sextam, vel si tandiu jejunatur, post nonam, totum esse debet dispositum et ordinatum in scutellis super tabula quæ est in vestibulo cellarii, ut prior veniens antequam consideat ad scillam, videre possit quod est in singulis scutellis, si est æquale et ita divisum ut prioribus non veniant majores et meliores partes, multumque in hoc genere personarum acceptio cavetur. Eo die quo sententia cellerarii le- D gitur in capitulo, habent de illo fratres bonum generale, aut pitantiam et pigmentum, ubi dum legitur, semper præsto esse debet. In sequente rursus capitulo veniam petit, seque reum de multis negligentiis per occasionem obedientiæ confitetur. Adsolvit eum prior, et imperat ut psalmus L cum collecta pro eo ad sanctam Mariam communiter ab omnibus cantetur. Si forte contigerit quod ad horam refectionis ut panis vel aliud quid non sit coctum, pertinet quoque ad cellerarium ut auferat malleum ne cymbalum percuti possit, et interim fratres sedent in choro ad lectionem. Hi sunt autem quos cellerarius suffraganeos habet. Primus qui per omnia vices agit ejus absentis, et de omnibus respondet de quibus solet et ipse respondere. Secundus est qui annonam recipit, quem et granatarium vocamus. Huic, quando messis est tota collecta, prior innotescit quanti modii de illa et de illa obedientia sunt venturi, et quod semel audit, usque dum sit redditum, in computo suo tenebit. Pistores sunt sub ejus manu; qui, cum frumentum acceperint, duas species panis sunt reddituri, ut quidquid sit de alio conductu, panis tamen qui dandus est fratribus possit optimus esse. Ergo de modio panis hujusmodi fiunt CXX libræ, sequentis L. Si quam negligentiam ipsi pistores commiserint, vel consuetum numerum librarum non reddendo, vel ipsum panem non tam bonum quam oportet faciendo, præfatus magister eorum adducit eos in præsentiam prioris et cellerarii; cujus imperio nudati verberibus emendantur, eodemque momento pane et vino reficiuntur. Quodque alio dixi loco de decano, semper tenetur ab omnibus, ut nunquam disciplina fiat super quemquam famulorum nisi ante prandium. Sed eodem modo granatarius præest et fullonibus pannos fratrum lavaturis; quos omni tertia feria lecto missæ matutinæ Evangelio ducit in claustrum ad arcam in quam, foramine desuper aperto, panni desuper ingeruntur. Occurrit ei et alius frater, cui commissum est ut videat et in memoria teneat quid illi fullones accipiant, vel quid iterum venientes Sabbato post nonam reddant, vel in Quadragesima post cœnam. Ibidemque rursus sedet ut intueatur ne quis fratrum, et maxime aliquis idiota, ita sit negligens ut accipiat alios pannos quam quibus nomen suum inscriptum est; nam et hoc est edictum Patrum nostrorum, ut nullus omittat stamineo suo suum nomen cum incausto inscribi, et femoralibus cum filo. Adhuc autem sub manu granatarii sunt et lignarii, qui cum asinis afferunt ligna de silvis, non solum ad furnum, sed etiam ad coquinam. Quotidie quoque post capitulum sonatur scilla, vel, si non nisi semel comeditur, post sextam, et tunc quicunque de familia panem sunt accepturi, omnes ad granatarium occurrunt. Ille quoque curat ne deficiant fabæ. Non in dormitorio, sed in infirmaria jacet, quia frequenter ei contingit ut necessario tardius se collocet quam alii. Item, solet ibi dormire frater ille qui cum asinis vadit per obedientias, ut colligat et adducat annonam.

CAPUT XIX.

De custode vini.

Tertius est suffraganeus ejusdem cellerarii, qui vinum recipit et custodit. Vindemia consummata, sicut granatario de annona, ei quoque indicatur a priore quantas vini carratas de illo et de illo debeat exspectare. Quando pigmentum fratres habere debent, ipse quæ ad hoc necessaria sunt, a camerario quærit et recipit, speciesque singulas ipse conteri et commisceri facit. In cellario dormit cum cellerario, et nunquam sine lucerna, ad quam ca-

merarius dat adipem, sicut etiam in dormitorio et in domo infirmorum.

CAPUT XX.

De hortulano.

Et hortulanus debet cellerario esse subjectus, ut si quid fuerit in horto quod ipse voluerit, et expedire noverit ad servitium fratrum, obedienter habeat ab illo, et sine mora. Cui etiam nullo modo est concessum utcunque meridianam unquam horam regularem audeat supersedere, nisi aliquando in uno die ei talis necessitas remanendi; tunc a priore licentiam quærit.

CAPUT XXI.

De refectorario.

Ad refectorium sunt duæ claves, quarum unam semper habet cellerarius, ut, si forte contigerit ut aliquis frater ad meridianam vel post completorium superveniat, possit ei humanitatem exhibere. Item postquam prior et omnes se collocaverint, si quis pro aliqua causa completorium nondum cantavit, talemque sitim perpessus fuerit, cum licentia cellerarii bibere potest; at si erat infra septa monasterii, ad vesperas bibat, ut dictum est, si opus habuerit; sed ut quid comedat post completorium nulla unquam ratione cuiquam fratri permittitur incolumi.

Refectorarius vero habet sub se tres alios fratres, qui primum omni die post capitulum statim mensalia ponunt. Ponunt cochlearia et panes, qui, si sint aliquantulum ambusti, ad hoc habent cultellos quibus eos radant, et ad hoc mappulas quas prius ad collum suspendunt, ut radendo ipsos panes possint honeste contra pectus reclinare. Lecto missæ majoris Evangelio apportant vinum ut per justitias (10) partiantur; verum quidquid apportaverint, quidquid tale fecerint, semper tamen id cavent ut nullus famulus pro illorum invitatione in refectorio compareat. Quod si duabus vicibus comeditur, post vesperas qui libram suam totam manducavit et vinum compotavit, ei tunc apponitur dimidia libra; sed de justitia nihil minuitur, quæ et ea vice semper est danda. Quod si aliquando denuo non reficiunt, tamen denuo bibere nunquam omittunt. Hoc est autem quod specialiter pertinet ad refectorarium majorem. Quoties pigmentum datur, ipse modiolis infundit, ipse scillam pulsat, quæ ad hoc solum in extremitate refectorii pendet, quæ etiamsi pulsatur ad benedictionem pigmenti in qualibet festivitate et in quolibet anniversario, tunc tamen non pulsatur, si pigmentum datur, vel pro domno abbate de via veniente, vel de domo infirmorum in conventum redeunte, vel pro adventu prioris, vel pro sententia cellerarii, vel si quis alius familiaris impendit eis charitatem. Item ad eum pertinet ut omni die Dominica, et omni v feria, mutet illa tria manutergia, quæ in claustro jugiter pendent ad tergendas manus. Item ut sciat in quibus diebus mensæ omnes refectorii ex toto sunt cum mensalibus cooperiendæ, et hoc est quoties universi fratres ad majorem missam albis induuntur, et in quinque Dominicis (exceptis quas jam in alio loco nominavi) et in vigiliis quinque principalium festivitatum, in quibus et semper generale datur. In aliis vero diebus non nisi dimidiæ præter mensam principalem cooperiuntur, et ita ut nec scutellæ nec justitiæ super mensalia ponantur.

CAPUT XXII.

De custode hospitii.

Hospites qui sunt peregrini, vel qui non pro alia causa quam animarum suarum adveniunt, custos hospitii cum omni recipit benignitate. Quidquid eis opus fuerit a cellerario quærit, et si cellerarius forte non habuerit, quærit a camerario ut absque omni excusatione comparetur. Sed, ut primum dicam de personis hujus vitæ habitusque nostri, si aliquis abbas vel etiam privatus monachus de longinquo loco advenerit, et non bene novit ordinem nostrum, hunc inducit in claustrum; sed prius ei humiliter ostendit de consuetudine nostra, scilicet ut, si ei placet, intraturus ecclesiam ad limen veniam petat, et prosternat se ad orationem, etiam si dies est festus. Adhæret ei jugiter, et monstrat in quibus locis debeat orare; primo ad Sanctam Crucem, in choro ad altare principale, ad Sanctam Mariam; aut, si ecclesia non est clausa, et intus sunt aliqui populares, tantum ad altare S. Joannis, quod est in membro dextro ecclesiæ, et ad S. Mariam. Cum ventum fuerit ad horam reficiendi, abbas sedet ad mensam principalem, non tamen ad scillam, pro eo quod, ut supra memini, non est eruditus nostri ordinis. In ecclesia vero defertur ei ut det lecturis benedictionem, et ponat incensum in thuribulo. At si ea supervenerit hora qua servitores jam ad reficiendum consederunt, tunc non sedet ad mensam principalem, nec tamen petit licentiam comedenti ad gradum ab eo qui sedet ad scillam, sicut alii, sed tantum dicit versum ante tabulam ad quam est sessurus. Et quia tardius venit, servitoribus recedentibus ipse remanet, et secundum versum finit ibidem. Si societatem nostram quæsierit, postquam disputatum fuerit in capitulo de ordine nostro quantum priori nostro videtur, mittetur pro eo. Venienti assurgit conventus, petit veniam pro ipsa societate, et recipit cum libro, rogatur ut sedeat, nec permittitur ut amplius veniam petat. Socii vero ejus ternas petunt venias, super manus et genua contra priorem, ad dexteram, et ad sinistram fratribus e contra inclinantibus. At si est talis homo qui cum processione recipiatur, sive sit professionis nostræ, sive de alia, postquam receptus fuerit, legitur ante illum aliquid de pagina divina. Quod si est ordinis clericalis, et si videtur ut comedat in refectorio, habitum quoque clericalem induitur. Adductus ad ostium claustri, exspectat, usque

(10) *Per justitias* justitia hic sumitur pro vasculo sive poculo continente mensuram unicuique præscriptam, inde ejusmodi poculum justitiæ nomen sortitum est.

dum invitetur, ut domnus abbas, vel, si ille non affuerit, priori ei aquam præbeat ad manus, qui et procedit ut scillam pulset, qua audita inducit hospitem custos hospitii, et sedet ad mensam principalem. Si est episcopus, dat lectori benedictionem. Qualiscunque sit fratrum victus, tamen hospiti simul cum priore liberaliter est serviendum. Cum autem de mensa fratres surrexerint, custos hospitii novissimus de refectorio exit cum ipso; cum quo etiam incedens pedetentim, et psalmum L cantans extra ostium claustri, finit eodem modo quo conventus cum versu et inclinatione.

Si laicis vel clericis societas datur in capitulo, hi veniam non petunt. Si videre gestiunt officinas claustri, quæsita a priore licentia ad alterutram missam, cum fuerit conventus in ecclesia, inducit eos custos hospitii, primum in domum eleemosynariam, in cellarium, in coquinam, in refectorium, in cellam novitiorum, in dormitorium, in domum infirmorum, ubi fratres non loquuntur, nec ipse verbum facit. Cavet autem omni modo ne quis aliquando intret vel calcaria portans, vel osis de corio factis indutus. Ut autem deesse non possint qui hospitibus honeste obsequuntur, constitutum est ut famuli domni abbatis et famuli prioris et camerarii, qui cum eis solent equitare, omnes accipiant libram suam, et justitiam de manu custodis hospitii, et quotidie veniant ad ejus præsentiam, ut quod ipse jusserit observent. Et si quis illorum quoque abierit absque ejus licentia, illo die justitia carebit. Præterea ad ipsum hospitium duo asini sunt deputati, qui ligna quotidie apportent, ut, cum hospites supervenerint, in promptu sit copia lignorum, et, cum tales affuerint, cereus in hospitio arsurus per totam noctem solet non deesse. Quod si tanti sunt hospites, de reliquiis ciborum custos hospitii famulis suis qui servierunt aliquam exhibet charitatem, et quod superfuerit, eleemosynarius totum accipere debet. Ostium claustri unaquaque nocte post completorium per ipsum est claudendum, et porta vestibuli ecclesiæ, sicut etiam per famulum suum exterior porta murorum. Et claustrum quidem nequaquam ante diem aperitur, et quando fratres in meridie pausant, similiter obfirmatur.

CAPUT XXIII.

De stabulario

Est frater cui commissa est obedientia ut de solis curam habeat caballis et mulis, quem et stabularium appellant. Qui cum viderit hospites in hospitio esse receptos, statim cogitat de caballis eorum quid eis sit tribuendum, et, si forte defuerit, accedit ad camerarium, ut faciat comparari. Prius quoque quam ipsi hospites abeant quotquot bestias habent non ferratas, ad omnes dat nova ferramenta, et ut malleus sit semper ad manum, cum ferrea catena est connexus ad portam.

CAPUT XXIV.

De eleemosynario

Quemadmodum a custode hospitii recipiuntur omnes peregrini qui faciunt iter equitando, eodem modo quotquot pedites vadunt, ab eleemosynario sunt recipiendi, excepto si legatus est et litteras apportat, hunc colligit custos hospitii. Receptis autem singulis, quærit eleemosynarius a granatario unam libram panis, et sequenti die abituris ad prandium dimidiam. Mensuraque simili venientibus et abeuntibus dat vinum, scilicet justitiam dimidiam. Ergo in adventu Domini, exceptis his diebus quibus bis comeditur, et in Quadragesima, exceptis Dominicis, et per totum annum quoties pro canonicis institutis ab adipe abstinetur, ut in Rogationibus, in vigiliis apostolorum, et aliorum sanctorum, et in quatuor Temporibus, quidquid de vino superfuerit fratribus in refectorio, totum accipit eleemosynarius, sicut etiam de pane, et per totum annum de pigmento; hoc vinum colligit et reservat, ut peregrini supervenientes semper de hoc habere possint. Illo quoque die quo ita panem recipit de refectorio, non tantum quærit a granatario, sed de ipso pane dat quantis potuerit peregrinis; et quod sibi viderit deesse, hoc a granatario quærit. Item accipit quotquot defunctorum fratrum est anniversarius, præbendas etiam totidem integras, in pane in vino, in fabis et generalibus. Pro quolibet nuper defuncto fratre, qui professus est nostræ congregationis, ubicunque obierit, præbendam per XXX dies. Et si fabas de regulari coquina habere non potest, rursus a granatorio quærit. Et pro generali cellerarius aliquando dat carnem. Et ipse quoque eleemosynarius comparat cum denariis qui sibi pro decima de ecclesia dantur; sicque providet ut et carnem dare possit frequentius peregrinis, et recedentibus singulis dat unum denarium, si tamen advertere potest quod amplius in loco nostro non fuerint, aut infra unum non venerint annum. Sunt et XVIII pauperes præbendarii, pro quibus quotidie famulus eleemosynarii accipit de cellerario totidem quoque justitias vini, et a granatario totidem libras panis, et fabas ad quatuor dies septimanæ, reliquos tres non habent nisi olera de horto ad eleemosynam deputato. Sed in majoribus festis habet etiam carnem pro fabis, et per annum erunt XXV dies in quibus habebunt carnem. Igitur ad vestitum annuatim in Pascha novem cubitos lanei panni, et in Nativitate Domini par calceorum. Qui et in ea sunt disciplina ut simul in una dormiant officina, nec audeant omittere omnibus nocturnis interesse, nisi quis eorum adeo sit infirmus ut de lecto non possit surgere, alias qui non venerit, eo die justitiam non habebit. Quod ille frater explorat qui facit circam ad nocturnos per altaria in secundo nocturno, cum absconsa exit ad eos in navim ecclesiæ, et diligenter notans si quis eorum defuerit, eleemosynario innotescit.

Sed et ipse qui novit quod aliquando talis est eorum præbenda, solet eis per vices pitantiam exhibere. Habet enim adhuc quotidie de refectorio quidquid fratribus supererit, et de generali, et de pitantia medietatem, altera parte cocis popularibus

deputata; et de hac quæ sibi contingit, solet et famulis suis similiter dare, quibus et dimidiam libram panis addit, excepto eorum majore, ei dat integram; sed et singuli habent integram de granatario. Sunt autem sex, unus, ut dixi major, qui servit præbendariis, et aliis pauperibus et peregrinis; alter est ostiarius eleemosynariæ domus; duo vadunt quotidie cum duobus asinis pro lignis ad silvam; duo sunt provisores quorum, furnorum de quibus per vices aliquid subsidii venit ad eleemosynam, juxta morem gentis et patriæ. Præterea trium fratrum præbendæ dantur ad eleemosynam, scilicet pro beatissimo Patre dom. Odilone, pro Henrico primo imperatore, pro Fredelando et ejus uxore, et regibus Hispaniarum. Mandatum et si non per totum annum geratur a fratribus, tamen eleemosyna non remanet unquam; famulus enim eleemosynarii in hieme cum aqua calida pedes trium pauperum lavat, datque libram et justitiam singulis de tali pane qualem habent in refectorio fratres. Super hæc omnia quotidie dantur et XII tortæ, quarum unaquæque tres libras appendit. Hæ vero pupillis et viduis, claudis et cæcis, seniculis et aniculis, cunctisque supervenientibus egenis sunt erogandæ.

Hoc etiam pertinet ad officium eleemosynarii ut semel in septimana totam villam perlustret, quærens sic ubi pauper aliquis jaceat ægrotus, et si masculus est, ipse visitaturus intrat; si femina, stat ad ostium et famulum suum mittit ad eam cum pane et vino, et cum aliis speciebus quas meliores potuerit habere. Juncus qui spargitur in ecclesia et in claustro, per eleemosynarium est providendus. Sex enim vicibus per annum scopari facit utraque totumque cum junco recens acquisito contegi pavimentum, id est ad Natalem Domini, ad Pascha, ad Pentecosten, ad Nat. S. Joannis, ad Assumpt. S. Mariæ, ad festum Omnium Sanctorum. Propter quod etiam singulariter priusquam ipsa veniant festa, dantur ei sex tortæ in hieme per tres septimanas, in æstate per duas, eo quod juncus tunc facilius valet acquiri. Sed et in cunctis festivitatibus in quibus duo et duo cantamus responsoria, sicut in supradictis sex, totam ecclesiam et claustrum recenti conspergit junco; in cæteris vero solemnitatibus, ut est Translatio S. Benedicti, quas in cappis agimus, sed et in his quas in albis, seu per omnes Dominicas Quadragesimæ per ecclesiam, et ubi schola sedet, et in claustro, et in medio capitulo non negligit juncum conspergere.

CAPUT XXV

De infirmario.

Infirmarius ad obsequium infirmorum separatim habet cocum et coquinam; et ipse quoque non ab alio quam a cellerario quærit quod habuerit opus, eaque nunquam caret opera ut quod infirmis ad refectionem est præparandum, tempestive præparetur. Nam si conventus duabus vicibus comedit, tunc qui in lecto non jacuerint, non omittunt ad majorem missam interesse usque dum Evangelium sit lectum; recedunt ad S. Mariam ut cantent sextam, nec ulterius ex more prandere morantur. At si conventus usque ad nonam jejunaverit, ipsi post capitulum, vel si capitulum est ante tertiam, ut ab Idibus Septembris usque ad Kal. Octobris, post tertiam statim cantant sextam, et reficiunt. Ergo quicunque carnem comederint, ad prandium tria habent fercula, ad cœnam unum, et ad cœnam quidem accedere omni tempore sic accelerant ut non sit necesse ulla vice supersedere collationem; qui absque comestione carnis tamen morantur in domo infirmorum, nec sunt hujus valetudinis ut cum aliis in refectorio comedere possint, eisdem quoque reficiunt momentis. In Quadragesima vero omnes infirmi post nonam statim cantant vesperas et cætera quæ sequuntur, et sine mora accedunt ad mensam. Extra Quadragesimam si evenerit generale jejunium ut in Quatuor Temporibus, iterum post missæ majoris Evangelium cantant nonam et reficiunt. Tales sunt aliquando infirmi qui per annum integrum vel amplius non exeunt de infirmaria; et his, si tantum valuerint, conceditur ut mane sedeant in conventu, et ad matutinas missam offerant veniant in capitulum, et ad collationem, et tamen comedant cum aliis infirmis. Si vero manifeste talis est alicujus fratris infirmitas quæ non multum impedit virtutem jejunandi, ut est, verbi gratia, luminis amissio, et orbitas oculorum, conventu semel comedente, ipse quoque semel comedere non prohibetur.

Sed, ut adhuc redierim ad ipsum infirmarium, ad nocturnos factis orationibus accipit absconsam, et circuit lecta omnium infirmorum, ut cognoscat, si quis eorum nondum surrexit, propter quid remanserit. Ad eum quoque pertinet ut, si quis de lecto surgere non potest, summo diluculo cum cellerario veniat (sicut et in alio loco jam præmisi), ut cum eo concordet quod præparetur ad ejus recreationem Ad horam competentem accurrit ad coquinam officii sui, ut cocum faciat quæ præparanda sunt preparare. Ad horam competentem invitat infirmos ad reficiendum, fercula quæ apponenda sunt ipse apponit: quidquid non comederint, si est hujusmodi quantitatis, ipse non reponit; habet enim armariolum in quo talia recondit, et adhuc candelas, et poma; raroque aut nunquam defuerint in eo piper cinnamomum, gingibrum, aliæque radices quæ sunt salubres, ut sit semper in promptu quod valeat infirmo, fortassis ut aliquando contigerit subita passione percusso, vel, si expedit, ut pigmentum ei conficiatur. Camerarius enim non invitus præbet infirmario hujusmodi facultatem. Famulis autem qui infirmis obsequuntur, de reliquiis ciborum pitantiam impendit, de reliquo reddit granatario panem, et cellerario carnem; aut si quid est tale quod infirmis honeste possit redhiberi, eis servat. Nunquam horam omittit regularem absque licentia, nisi forte domnus abbas vel prior sint in infirmaria; si propter eos omiserit, hoc non notatur. Post com-

pletorium apportat aquam benedictam, et aspergit per omnia lecta infirmorum. Et cum hora fuerit ut omnes jam se debeant collocasse, cum absconsa diligenter necessarias perlustrat.

CAPUT XXVI

De famulis ad domum infirmorum pertinentibus.

Famulorum qui ad domum infirmorum pertinent, quia superius memini, ut de his quoque magis aliquantulum dicam, tres sunt ex more; duo qui coram eis dormiant et ad mensam serviant. Qui et hujus sunt disciplinæ ut, quandiu comedunt infirmi, nunquam coram eis sedeant aut consistant, ne forte audiant si quis eorum tale quid dixerit, ut sunt homines inter comedendum, quod non expediat a famulis sciri vel per eos propalari. Quisquis illorum foris stat procul, aut sedet, et, cum opus fuerit, a quolibet infirmo cum sonitu vocatur. Cum fecerit propter quod vocatus est, rursus celeriter exit. Tertius famulus ad hoc est maxime deputatus, ut lavet pannos ad cocturas omnium, ut aiunt, fratrum coctorum necessarias, focum faciat, et aquam calefaciat qua scutellæ sunt lavandæ. Omnes autem aliquando pariter, aliquando vicissim pergunt ad silvam, incidunt ligna; cum uno asino afferuntur, ut infirmi, cum voluerint, focum habere possint, et ad hoc solum asinus optimus semper est a granatario pascendus, nec alius famulus minat eum quam unus de supradictis.

CAPUT XXVII

De infirmis.

Frater qui incœperit ita infirmari ut conventum tenere non possit, petit veniam in capitulo, et monstrat quod sit infirmus. Jubetur foris chorum stare ut pro voto suo possit sedere, et cellerarius curat ut in refectorio non absque pitantia eum dimittat. Cum ita biduum vel triduum transierit, si non erit melior ejus valetudo, invitat eum prior ad domum infirmorum. Secundo die vel tertio si necdum etiam aliquantulum convaluit, rursus prior ad horam prandii eum invisit, carnem facit apportari, præcipit ut comedat. Ab ea vice nusquam absque baculo incedit, et nisi caput capello coopertum. Ad utramque missam matutinalem et majorem venit ad ecclesiam, quanquam ad majorem non nisi usque post Evangelium intersit. Si in capitulum non intrat, tamen quod in capitulo legitur auscultat, scilicet sententiam regulæ, vel de Evangelio, et ad collationem. Si conventum fuerit ut agatur de negligentiis fratrum ad hoc audiendum non debet esse curiosus. Mox enim de ostio recedit ubi accubans auscultatur; silet tamen ex more usque dum capitulum sit peractum. Priusquam sedeat ad mensam, lavat manus ad lavatorium infirmorum. Inter comedendum, si non est indictum sibi silentium ex toto, ut in refectorio, tamen nec licentiam multiloquii habet. Post prandium quoque non licet ei vacare loquacitati; sed continuo se ponit in lectum, aut si est eo tempore quo fratres non meridiantur, tunc, si

A maluerit, vadit ad capellam S. Mariæ : ubi rursus post cœnam sedet aut jacet, quando Fratres in claustro sederint ad lectionem. Circatores autem frequenter visitant domum infirmorum, et diligenter explorant quomodo ipsi se habeant infirmi. Et iterum infirmarius si quam viderit negligentiam, maxime in loquacitate, reclamat in capitulo. Prior autem de capitulo mittit ad eos, et ipse postmodum venit semel ad eos, et secundo castigans; talisque infirmus esse potest ut, si non emendaverit, aliquando etiam virgam experiatur. Verum qui ita convaluerit ut redire possit ad conventum, redeundi licentiam quærit a priore. Unguntur calcei ejus diurnales, et sequenti die induit eos rediturus. Cum primo signum pulsatur ad primam, vel si est eo tem-B pore eaque die qua tertia cantatur ante capitulum, stat prope ostium ad S. Mariam, et pueros præstolatur : quos cum viderit transeuntes, sequitur eos in ecclesiam, et ita se coadunat conventui. Cum venerit in capitulum, et post lectionem prior jusserit ut de ordine loquantur, statim surgit, et veniam petens, ita persequitur : *In domo eram infirmorum, ordinem nostrum, ut debui, non ita custodivi.* Et prior respondet : *Deus indulgeat vobis.* Inclinat altissime contra priorem, contra dextram et sinistram, et ei similiter a singulis partibus inclinatur; tunc in loco pænitentiæ injungit illi ut cantet septem psalmos, vel si nescit, septies Orationem Dominicam. Si quis est adeo infirmus, in ipso Adventu Domini, seu in Septuagesima, non C permittitur a carne abstinere. Et quandocunque convaluerit, etiamsi sit in media Quadragesima, vel in Ramis palmarum, petit veniam in capitulo, sicut fieri solet pro comestione carnis.

CAPUT XXVIII.

De unctione cujusque fratris.

Frater qui se infirmitate ingravescente senserit in proximo ab hoc sæculo migraturum, de omni conscientia sua domno abbati, vel priori confitetur, et rogat ut oleo infirmorum ungatur, Adducunt eum prius in capitulum duo fratres inter manus, si est adeo infirmus, et petit veniam, reumque se de multis negligentiis contra Deum, et contra illos confitetur. Imprecatur ei prior absolutionem, cunctis D respondentibus, *Amen*, et ipse eis similiter. Reducitur, et collocatur in lecto tali submisso, ubi fratres possint undique circumstare. Post capitulum sacerdos hebdomadarius indutus alba et stola, procedit cum oleo infirmorum, cum aqua benedicta, cum cruce et cum duobus cereis in candelabris, et conventus sequitur; L psalmo imposito, dicenda est primo hæc collecta a sacerdote : *Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. apostolum tuum dixisti : Infirmatur quis in vobis*, etc. Imponuntur VII psalmi cum istis antiphonis, *Sana me Domine, quoniam*, etc. Psal. *Domine, ne in furore tuo.* Antiphona, *Erat quidam regulus*; psal. *Beati quorum*; antiph. *Domine, puer meus*; psal. *Domine, ne in furore*; antiph. *Cor con-*

tritum; psal. *Miserere*; antiph. *Domine, descende*; psal. *Domine, exaudi*; antiph. *Domine non sum dignus*; psal. *De profundis*; ant. *Cum sol autem occidisset*; psal. *Domine, exaudi*. Interim sacerdos hoc modo facit unctionem, pollicem oleo illinit, et cum pollice signum crucis imprimit super utrumque oculum ita dicendo : *Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum*. Item, super utramque aurem, *Per auditum*; super utraque labia, *Per gustum*; super nasum, *Per odoratum*; super manus, *Per tactum* (et sacerdotes extrinsecus); super pedes, *Per incessum*; de subtus super inguines, *Per ardorem libidinis*. Lavat manus; et lavatio non nisi in loco mundo et abdito solet effundi. Tunc si infirmus non communicatur, sacerdos ipse subjungit has omnes collectas, his versibus præmissis : *Salvum fac*, etc. *Mitte ei*, etc. *Nihil proficiat* etc. *Esto ei*, etc. Orat. *Deus, qui famulo tuo Ezechiæ*, etc. *Respice, Domine, famulum tuum in*, etc. Alia, *Deus, qui facturæ tuæ*, etc. *Deus, qui humano generi* etc. *Virtutum cœlestium Deus*, etc. *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem*, etc. *Exaudi, Domine, preces nostras*, etc. *Præveniat hunc famulum*, etc. *Domine Deus noster, qui offensionem nostram*. etc. *Adesto, Domine, supplicationibus*, etc. *Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo*, etc. *Deus humani generis*, etc. Si autem communionem sacram percepturus est, tunc ab alio dicuntur præfatæ collectæ; et ipse interim sacerdos, cruce et aqua benedicta remanentibus, redit cum geminis candelabris ad ecclesiam, ut corpus Domini apportet; quod accepturus prius veniam petit, et prius incensat, frangit, et partem quam allaturus est, super calicem tenet, et tam ipse calix, quam manus sacerdotis, linteolo candidissimo cooperitur. Quicunque illi obviaverint, veniam petunt. Interea curatur ut infirmi bucca lavetur, recepturi ipsum corpus Domini, quod recipit vino intinctum; quo epotato, ebibit quoque ablutionem calicis, et secundo ablutionem digitorum sacerdotis, et adhuc tertio calicis. Adhibetur illi crux ut eam osculetur; osculatur etiam, quasi ultimum vale facturus, primo sacerdotem, deinde omnes fratres, ipsos quoque pueros. Redit conventus rursus imposito L. Psalmo.

CAPUT XXIX.

Quid agendum est in fine exitus.

Postquam autem frater ad hujusmodi venerit infirmitatem, providetur ei unus famulus, qui non habet aliud facere, nisi ut obsequatur infirmo. Sed et in nocte famuli qui sunt in domo infirmorum, omnes diligenter excubant ne obitus ejus improvisus possit evenire. Crux est contra faciem ejus affixa, et lumen cerei usque ad clarum diem non defuerit. Si quis frater est ita religiosus cui hoc pro singulari libuerit affectu ut ipse quoque remaneat excubans cum infirmo, libenter ei acquiescitur a priore maxime si est hujusmodi qui infirmo horas cantet regulares,

Et venienti ad extrema legat passiones. Famuli autem qui sunt in talibus multum exercitati, multumque periti, cum viderint jam ejus exitus horam imminere, cilicium expandunt, cinerem desuper aspergunt, et infirmum de lecto levatum in cilicium submittunt; ab uno eorum percutitur tabula contra ostium claustri crebra et quasi continua percussione. Quod cum signum sit obituri, illico ut auditum fuerit, fratres omnes accurrunt; nam quamvis homini nostri ordinis omnino sit prohibitum ut ullius rei gratia gravem et temperatum incessum aliquando excedat, tamen ad morientem et ad incendium etiam præceptum ut currat. Sed si hæc tabulæ percussio evenerit vel quando alterutra missa, vel quando regularis hora cantatur, quotquot stant foris chorum

B accurrunt, qui in choro, minime, nisi quibus prior innuerit, et obedientiarii qui ad exsequias aliquid sunt facturi. Quod si in refectorio adhuc sedent, et lectio necdum est finita, iidem quoque prosiliunt, quanquam, defuncti corpore lavato, et in ecclesiam deportato, denuo sit illuc redeundum, ut lectio finiatur, et psalmus consuetus cantetur. Accurrentes autem cantant et recantant majorem Symbolum fidei, ut fraterna fides suffragium conferat migraturo. Sed si exitus ejus tardior aliquantulum fuerit, agenda est ipso domno abbate vel priore pronuntiante litania; et unicuique nomini sanctorum subjungendum est, *Ora pro eo*. Est autem prolonganda, prout permiserit temporis ratio, et secundum quod in causa migraturi prospici potuerit vel æstimari.

C Finitis vero sanctorum nominibus confestim subinfertur: *Propitius esto*, *Parce ei, Domine*, *Propitius*, etc. *Libera*, etc. *De gladio maligno*, *Libera eum, Domine*. *A morte perpetua*, *Libera*. etc. *A pondere peccatorum*, *Libera*, etc. *A tetra caligine*, *Libera*, etc, *Per crucem tuam*, *Libera*, etc. *Per intercessionem omnium sanctorum*, *Libera*, etc. *Peccatores*, *Te rogamus, audi nos*. *Ut iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas*. *Te rog*. *Ut spiritum ejus a loco angustiæ liberes*, *Te rog*. *Ut eum fiducia diem judicii exspectet* *Te rog*. *Ut eum in numero placentium tibi recenseri facias*, *Te rog* *Ut eum a numero discerni facias malorum*, *Te rog*. *Ut eum in regione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas* *Te rog*. *Ut eum prœmia æternæ vitæ adipisci facias*, *Te rog*. *Ut eum a mortifero vastatore defendere digneris*, *Te rog*. *Agnus*, etc. *Parce*.

D *Agnus*. *Dona ei requiem* *Agnus*. *Miserere ejus*. Quod si necdum finivit, conventus recedit, et aliquanti qui remanent Psalterium incipiunt. Cum autem jam eum non dubitaverint obiisse, dicuntur a sacerdote hæ collectæ: *Piæ recordationis affectu, fratres* Alia. *Deus cui omnia vivunt*. *Suscipe, Domine, animam servi tui*. Conventus exiens ut consideat ante capellam S. Mariæ, cantat vesperas pro defunctis, officium et matut. non alia collecta quam ea sola, semper sequente : *Omnipotens sempiterne Deus*. Et si frater obierit interim dum conventus est ad regularem horam, vel ad missam, postea non ita currendo

venit, sed moderato incessu, et cantando vesp. defunctorum.

Mox autem ut obierit, ultro procurrent conversi ut pulsent omnia signa, et prolixe, ut apportent adhuc aliam crucem, et rursus aquam benedictam, candelabra et thuribulum; quæ cum fuerint apportata, incenso super defunctum facto aspergitur etiam aqua benedicta. Post modicum, simul cum ipsis quæ apportata sunt offertur in atriolum ubi lavetur. Sed cum nec portant, nec lavant, nec in sepulcrum ponunt alii fratres quam qui ejus sunt similes vel in ordine vel sine ordine. Ad infirmarium pertinet aquam calidam providere; ad camerarium ea quibus est induendus. Ponitur super tabulam ad hoc solum destinatam, nudatur, lavatur a vertice usque ad plantam pedis. Sola verenda veteri stamineo sunt cooperta. Vestitur stamineo, cuculla, caligis nocturnalibus, et sudario quod est de eodem panno de quo est stamineum, sicut et caligæ, quæ et longiores sunt quam aliæ caligæ, nec in extremitate patulæ sunt consutæ. Capellum cucullæ desuper faciem ex utraque parte consuitur contra pectus, super quod etiam manus supra cucullam complicantur, ipsaque cuculla per loca consuendo ita constringitur, ut in nulla parte sit laxa. Item nocturnalia consuuntur ad invicem. Inter lavandum lavatores quotquot sciunt psalmos, non cessant a psalmodia, et sacerdos dicit hanc collectam : *Suscipe, Domine, animam servi tui.* Postquam vestitus fuerit, incensum, quod interim semper erat continuum, mittitur super eum, et aspersus aqua benedicta ponitur in feretrum, et desuper opertorium levatur, portatur usque ad ostium contra conventum ; qui cum venerit ad finem alicujus psalmi, hoc prior observat, et percutit tabulam semel tantum. Dimissa psalmodia, ab omnibus inclinatis dicitur Oratio Dominica, et prior, *Et ne nos inducas*, etc. *A porta inferi.* Orat. *Deus vitæ dator*, etc. Alia, *Deus, qui humanarum animarum æternus amator es.* Imponitur respons. *Subvenite.* Item, *Heu mihi*, etc. In processione crucem sequuntur pueri, postea priores, postea conversi, et defuncti portitores novissimi, ipseque defunctus ante altare S. Mariæ collocatur, usque dum pro eo hæc collecta dicatur, *Deus, veniæ, largitor.* Rursus imposito resp. *Ne recorderis*, et postea, *Peccantem me quotidie*, et pulsatione omnium signorum jam incœpta, portatur in ecclesiam majorem, ponitur super formas. Crux cum candelabris ad caput ejus affigitur. Ab illa hora, quousque portetur ad sepulcrum, non omittitur absque psalmodia, nisi missa generalis aut hora regularis cantetur ; ad quam cum primum pulsatur signum, cessat psalmodia, præter ad solos nocturnos, tunc tenetur usque ad introitum puerorum. Quando conventus est in capitulo, vel in refectorio, prior præcipit aliquantis fratribus remanere. Si est tempus quo fratres circa medium diem dormire solent, illo die non dormiunt. Et defunctus si aliquantulum prius obiit quam sonitus in dormitorio fieret, ipso die sepelitur ; alias minime. Et nox alia in tres vigilias est divisa, quarum primam chorus agit dexter, secundam sinister, novissimam post matutinas pueri cum magistris. Si est nox hiemalis, ut a Kalendis Octob. usque ad Cœnam Domini, ad unamquamque vigiliam Psalterium ex toto est dicendum, vesperi off. et mat. laudes pro defunctis, addito semper *Verba mea.* At si est æstiva, tunc de Psalterio non nisi centum psal. sunt dicendi. Et si post completorium obitus fratris contigerit, Psalterium non est incipiendum, nisi prius ex toto sint expleta, postea quam frater obiit, et vesp. pro defunctis, et off. et matut. laud. et *Verba mea.* Missa matut. cantatur pro eo, ad quam omnes ut offerant debent interesse. Diaconus postquam incensaverit altaria, incensat et defunctum. Sepulcrum cum factum fuerit, dicenda est hæc collecta super illud : *Deus, qui fundasti.* Majore missa finita, vel si est Quadragesim, scilla ad vesp. pulsata, et oratione vesp. præmissa, prior unum de majoribus signis aliquantulum pulsat per tres vices. Conveniunt fratres, et cerei per custodes ecclesiæ distribuuntur. Sacerdos defunctum sepulturus, indutus est alba et stola. Armarius adscito alio fratre incipit, *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie*, etc. Ad quod cum omnes simul responderint, submittunt se inclines, et sacerdos absque salutatione dicit has collectas : *Non intres. Fac, quæsumus, Domine. Inclina, Domine.* Quibus interponitur resp. 1 *Induta est.* 2 *Scio, Domine.* 3 *Libera me, Domine.* Versus, etc. Toties quoque sacerdos incensat altare principale et corpus defuncti, imponitur antiph. *In Paradisum*, cum psal. CXVII. Hoc mutatur in processione, quod pueros sequantur novitii et conversi, et postea priores. Stant etiam in ecclesia S. Mariæ com cereis infirmi. Conventus autem præveniens in cœmeterium, expandit se in modum coronæ' et inter sepeliendum ea psalmodia cum antiph. cantatur ab eo. antiph. *Aperite;* psal. *Confitemini;* antiph. *Ingrediar*; psal. *Quemadmodum*; ant. *Hæc requies*; ant. *Memento*; ant. *De terræ*; psal. *Domine, probasti me*; ant. *Non intres*; psal. *Domine, exaudi*; ant. *Omnis spiritus*; psal. *Laudate*; ant. *Absolve, Domine*; cant. *Benedictus.* Sacerdos cum primum venerit ad sepulcrum, has dicit collectas: *Obsecramus misericordiam.* Alia, *Deus apud quem.* Sepulcrum et prius et posteaquam defunctum receperit, incensatur, et aqua benedicta aspergitur. Collocatur operculum ligneum super defunctum, et sacerdos primum pala mittens aliquantulum terræ super illum, subjungit has collectas : *Oremus* : *Fratres charissimi. Deus, qui justis supplicia. Debitum humani corporis. Temeritatis quidem.* Quibus factis recedit a sepulcro simul cum cruce, et procedit in medium cœmeterium, in quo stant pueri, qui versis ad orientem vultibus cantaverunt psalmos, sicut et totus conventus. Ibi sub silentio præmissa Oratione Dominica, subinfert : *Et ne nos inducas.* Vers. *Non intres.* Collect. *Tibi, Domine, commendamus.* Cereis exstinctis sequitur psal. L. Rursus

A cum Oratione Dominica vers. *A porta inferi*; collecta, *Deus, cujus miseratione*, facta inclinatione consueta, et VII psalmis impositis, redditur ita ut post pueros priores ea vice sint anteriores; eo denique ordine cum pervenerint in chorum, prosternent se cum ipsis psalmis, quos sacerdos jam albam et stolam exutus cladit hac collecta, *Absolve Domine, animam famuli tui*. Signa, quæ defunctum efferendo statim pulsari sunt inchoata, non prius omittunt quam sacerdos recesserit a sepulcro.

Ipso die quo defunctus sepelitur, omnes sacerdotes cantant missam pro eo. In sequente autem die quidquid ad cœnam panis aut vini remanserit, ad eleemosynam pro eo datur. Inchoatur et septenarius ejus et tricenarius. Septenarius ita, ut per septem dies officium et missa cantetur a conventu pro eo generaliter. Tricenarius vero ita ut per triginta dies detur ad eleemosynam ejus præbenba plena cum fabis et generali; et psalmodia quæ dici solet post matut., et psalmus *Voce mea*, qui solet dici ad omnes horas; tunc pro eo dicatur et *Verba mea*, et XXX missas pro eo cantandas a sex sacerdotibus, priore incipiente, quorum unusquisque cum suas finierit in capitulo pronuntiat, ut alius incipiat in crastino, quod nunquam intermittitur pro qualibet festivitate, exceptis per annum quinque diebus, id est in Nativitate Domini, in ejus Resurrectione, et illis tribus diebus qui eamdem Dominicam resurrectionem antecedunt. Sua quoque vestimenta cum primum abluta esse potuerunt, omnia excepto coopertorio portantur in capitulum, ut fratribus, si opus habuerint, dividantur; et qui de eis quid acceperit, præcipitur a priore ut defuncti recordetur cum hujusmodi psalmodia, vel cum tot missis si est sacerdos, secundum quod tunc præcipienti videbitur. Coopertorium ideo non apportatur, nec ibi datur, quia id magis habent fratres pro misericordia, quam pro illa regulari constitutione, cujus nec meminit S. Benedictus. Finitis omnibus, rursus ei prior imprecatur absolutionem. Et de cætero, quoties venerit anniversarius ejus, iterum præbenda sua dabitur ad eleemosynam. Missam vero quæ tunc cantanda est pro illo, aliquando aliqua impeditur festivitate. Quæcunque tamen proxime cantantur pro defunctis, non minus pro illo, quam pro aliis cantantur, sed ea psalmodia, *Verba mea* non differtur.

CAPUT XXX.

Si quis obierit in aliqua cella.

Frater qui ad aliquam cellam propriam missus, ibi obierit, ibi quoque habebit XXX missas, quarum supra memini. Et cum ad nos venerit brevis ejus depositionis, agitur pro eo officium, et missa signis omnibus pulsatis; et de reliquo utrinque, et ibi ubi sepultus est et apud nos agendus est eodem modo ejus septenarius, ejus tricenarius, et anniversarius ejus.

CAPUT XXXI

Quid agatur pro quolibet fratre in singulis obedientiis

Ut autem fatear quod verum est, quid fiat in cellis nostris pro quolibet fratre qui apud nos vel alibi obierit, non facile dixerim, nisi quando brevis evenerit, agitur officium, et quicunque sacerdos est cantat missam pro eo, et qui non est sacerdos, quinquaginta psalmos, aut toties Orationem Dominicam. Tamen rara sunt loca illa in quibus præbenda non detur pro eo; nam et in quibusdam datur VII diebus, in quibusdam etiam XXX et semper in anniversario ejus; hoc totum dispositum est et ordinatum per domnum abbatem, secundum quod ipse cognovit possibilitatem et facultatem cujusque loci.

B

CAPUT XXXII.

De obitu domni abbatis.

Super hæc omnia domno abbati ab hac vita decedenti isti sunt addenda. Deponendus in tumulum, vestitur omnibus sacerdotalibus vestimentis. Quatuor fratres qui cantant versus illorum trium responsoriorum, vestiti sunt cappis, et quatuor qui portabunt eum ad tumulum, albis. Per annum integrum addatur ad eleemosynam ejus præbenda, non solum apud nos, sed etiam in omnibus monasteriis et cellis nostris, et XXX missæ cantantur pro eo, si tanti sunt sacerdotes qui possint hoc explere. Ejus quoque anniversarius hoc modo agitur: Primo omnia signa pulsantur prolixius ad vesperas pro defunctis, qui ea vice cantantur in choro priusquam C processio fiat ad S. Mariam. Item ad officium et ad missam, quæ et festive nec absque tractu a duobus cantando celebratur; ipso die habebunt fratres in refectorio generale piscium, si valet acquiri, et pigmentum, et duodecim pauperes in hospitali reficiuntur, non solum pane et vino, sed etiam carne, si tamen est ea dies carnem comedendi; alia providetur quod tantumdem valet.

CAPUT XXXIII.

De eo qui in Quadragesima obierit, et sepeliendus est in XII lectionibus.

Si quis fratrum in Quadragesima obierit, et in tali die est sepeliendus qui cum VII lectionibus fuerit solemnis, pro illo post primam cantatur missa defunctorum, et cum tribus tantum collectis: *Om-*
D *nipotens sempiterne Deus. Deus, veniæ largitor. Fidelium, Deus.* Propterquod tamen nec illa missa de festivitate post tertiam, nec illa de jejunio post nonam remanebit; sed si in die Dominica sepultura evenerit, additur et quarta collecta, id est, *Sanctorum tuorum*. Item si quis sepeliendus est in quolibet die trium, qui proxime Pascha antecedunt, sepelitur absque missa pro defunctis in præsenti. Item qui sepeliendus est in Rogationibus, pro illo cantatur post primam missa defunctorum, et illa de Rogationibus post tertiam; ad quam etiam non offertur, nec pax recipitur, nisi ab uno. Item qui sepeliendus est eo die, quo non bene mutare possu-

mus rasuram, post capitulum statim percussa tabula sepelitur, quia quandiu est insepultus, non licet in claustro vel loqui vel aliud quid facere, nisi tantum psalmis ad exsequias vacare. Solus armarius tantum facit de scriptura, quod defuncti nomen scribit in Memoriali fratrum, et breves qui mittendi sunt pro eo per cellas.

Nonullæ sunt congregationes non solum monachorum sed etiam clericorum, quæ habent societatem nostram et fraternitatem, ut cum Brevis eorum venerit ad nos de defuncto, vel ad illos noster, officium et missa geratur, et postea septenarius cum officiis et missis. Item sunt plerique fideles Christi, tam pauperes quam divites, qui, cum adducti in capitulum nostrum venerint, petunt ut ipsi quoque mereantur habere fraternitatem nostram. Annuitur, et cum libro eis datur, ut partem et communionem habeant de omnibus bonis quæ ullo modo fiunt vel in orationibus vel in eleemosynis, non solum apud nos, sed etiam in cunctis locis quæ nostri juris esse videntur. Pro his omnibus, quandiu sunt in hac temporali vita, specialiter cantatur per singulas horas psal. LXVIII et ea collecta *Prætende, Domine, famulis*, etc. quoties ad majorem vel ad matutinalem missam dicitur, pro eis apponitur. Postquam autem obierint, ad missam et officium defunctorum ea collecta *Omnipotens sempiterne Deus, cui*, quando non est in ordine collectarum prima, illis proprie deputata est. Et similiter illæ matut. laudes pro defunctis, quæ post quamlibet diem XII lectionum solemnem in sequente nocte absque officio cantantur. Præterea quatuor vices in anno, id est, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Natal. SS. apostolorum Petri et Pauli, post festivitatem Omnium Sanctorum, in quibus specialem eorum commemorationem facimus cum officio, cum missa, cum septenario, et tricenario, et præbendæ eodem modo quo solet agi pro quolibet absente fratre qui obierit in aliqua cellarum nostrarum. Quod cum satis manifeste relatum sit in superioribus, non est opus secundo referre. Et hoc est quod superadditur, quod duodecim pauperes reficiuntur; hoc minus agitur, quod non a singulis sacerdotibus missa cantatur.

ANNO DOMINI MLXXXVII.

WILLELMUS CALCULUS

GEMMETICENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC., *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, tom. III, pag. 147.)

Willemus Calculus, Northmannus, cœnobita sive monachus Gemmeticensis ord. S. Bened., scripsit *Historiæ Northmannorum libros octo* (1), quorum primis quatuor Dudonis Historiam De moribus et actis primorum Northmanniæ ducum misit in compendium; libro quinto, sexto, septimoque a Richardi I obitu, sive ab anno 996, eamdem continuavit usque ad Angliam a Willelmo I Conquæstore an. 1066 subactam, atque hos septem libros, eidem dedicavit Willelmo, quem *orthodoxum summi Regis nutu Anglorum regem* appellat. Deinde aliquot annis interjectis, præter clausulam libri VII, de Willelmi I obitu, qui in an. 1087 incidit, adjunxit librum octavum de actibus fratrum Willelmi II regis Anglorum, Roberti ducis Northmannorum, et Henrici I regis Anglorum Northmannorumque ducis, atque de initio regni Stephani, qui an. 1135 Henrico successit. (2) Prodierunt in Wil. Cambdeni Anglicar. Northmannicar. et Cambricarum rerum Scriptoribus, Francof. 1602, fol., pag. 604, 691, atque ex duobus codicibus mss. castigatiores in Northmannicis Andreæ Du Chesne, Paris, 1619, fol., pag. 215, 317. Codex ms. qui fuit in biblioth. Hohendorfiana, III, pag. 246, jam perlatus est cum aliis illius thesauri librarii cimeliis in bibliothecam Cæsaream.

(1) Ita in Andreæ Du Chesne editione, quæ octo libris distinguitur. Nam in Cambdeniana septem libri sunt, duobus, nempe tertio et quarto, bis pro tertio numeratis. Itaque et septem computant Vossius, pag. 405; Ondinus tom II, pag. 1112, aliique.

(2) Sed de Gestis Henrici I Anglorum regis e. Willelmi, utrum ab illo quoque post obitum Willelmi I, adjecta sint, an ab alio potius conscripta monacho qui libri septimi auctor sit, dubium movet epistola quam operi suo Willelmus præfixit ad Willelmum I, et multo magis Ordericus Vitalis. Hic enim ipsum post Senlaceium certamen narrationem suam terminasse scribit omnino his verbis: *Willelmus quoque cognomento Calculus, Gemmeticensis monachus, Dudonis materiam subtiliter replicavit, facete abbreviavit et successorum actus usque ad subjectionem Angliæ adjecit. Post certamen Senlaceium, narrationem suam consummavit, Willelmoque regi subtilissimo suæ gentis obtulit.* OUDIN,

WILLELMI CALCULI

GEMMETICENSIS MONACHI

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBRI OCTO.

(Andreas Duchesnius, *Historiæ Northmannorum Scriptores antiqui, res ab illis per Galliam, Angliam Apuliam, Capuæ principatum, Siciliam et Orientem gestas explicantes.* — Lutetiæ Parisiorum, 1619, fol.)

EPISTOLA

AD WILLELMUM ORTHODOXUM ANGLORUM REGEM

De Northmannorum ducum gestis.

Pio, victorioso atque orthodoxo, summi Regis nutu Anglorum regi, Willelmo, Gemmeticensis cœnobita omnium cœnobitarum indignissimus Willelmus, ad conterendos hostes Samsonis fortitudinem et ad discernendum judicium Salomonis abyssum.

Opus hoc, prudentissime rex et serenissime, in Northmannorum ducum gestis, de diversis excerptum codicibus, juxta meæ exiguitatem industriæ contexui; vestræque dicans idem celsitudini, ob recolenda priscorum patrum, inter præcipuas laicarum dignitatum administrationes, piissimorum actuum exempla, chronicorum bibliothecæ delegandum decrevi. Quod non rhetorum venusta exornatum gravitate, non politi sermonis venali lepore seu nitore; sed inclimato stylo, tenui oratione per plana deductum cuilibet lectori ad liquidum elaboravi. Vestræque quidem Majestatis latera ambiunt præclari viri, litterarum peritia admodum eruditi, qui strictis gladiis civitatem circumeuntes, eliminatis pravorum insidiis, tectum Salomonis divinæ legis pervigili munimine satagunt tueri. Subtilissimi quoque ingenii vigorem cœlici dispensatoris prærogativa vobis collati, qualiter in armorum regimine, sic in cunctis, quibus intendere, quæ perpendere proponitis, mira valere efficacia, multi multimode probaverunt. Munusculum igitur tantilli nostri laboris placida manu sumite, nobilissima gesta celebri memoria dignissima, vestra et antiqua perhas paginas recolite. Principium namque narrationis usque ad Richardum II e Dudonis periti viri historia collegi, qui quod posteris propagandum chartæ commendavit, a Rudolpho comite, primi Richardi fratre diligenter exquisivit. Reliqua vero, quæ partim relatu A plurimorum ad corroborandum fidem æque idoneorum annis et rerum experimentis, partim certissimo judice proprio visu didici; privatim mea dono. Verum, qui sacris mancipatum scholis forte præsumptionis aut alia qualibet culpa tali pro studio notaverit, hanc hujus opusculi noverit causam, quam non supervacaneam arbitror; ut virtutes optimorum virorum tum in sæcularibus tum in divinis excellentissimæ quæ feliciter in oculis Dei vivunt, utiliter et in hominum notitia vivant. Non enim populari aura leni sed pernicioso arrisu blandiente delectari, atque illecebra mundo implicari condecet, quem angustiæ maceriarum, pro superna Jerusalem amplitudine devotissimo corde amplectendæ, includunt; quem tam habitus reve- B rentia quam vitæ professio a mundo secludunt. En habetis vestram, sapientissime regnorum dominator, et pacem, et bella simul, piissimi genitoris vestri gloriossimi ducis Roberti, superiorumque parentum; terrenæ militiæ nominatissimi principes, sincerisissima tamen fide, alacerrima spe, ferventissima charitate ad cœlestia tendentes, Christi maxime strenui milites ac studiosissimi cultores exstiterunt. Imperator æterno præsidens imperio, in quo confidens plurima sævissimorum periculorum obstacula admirandis proventibus ovantissime triumphando protrivistis: ipse potentissimus tutor in cunctis gerendis vos tuetur; prudentiæ vestræ, quam contulit, gubernando patrocinetur: quoadusque felicissimo cursu sub mundano diademate consummato, in C aulam veræ summæque beatitudinis patriam assumamini, perennis gloriæ annulo ac stola adornatus, pie rex, victoriose atque orthodoxe.

HISTORIÆ NORTMANNORUM

LIBER PRIMUS.

Quomodo Hastingus oppressit Neustriam ante adventum Rollonis.

CAPUT PRIMUM

Quomodo fortitudo Francorum, quæ diu viguerat, immutata sit, unde et ipsi feritati paganorum minus resistere valuerunt.

Ex quo Francorum gens resumptis viribus Romanæ feritatis jugum a cervice propria depulit, ferinaque colla sub regum dominio flexit, Christi Ecclesia vehementer adulta, odoriferos fructus ferens, ad usque occiduos limites floruit. Qua denique tempestate ipsi reges rebus bellicis strenui, ac christianæ fidei vigore fulti, circumquaque de inimicis validissimos semper reportabant triumphos. Sub quorum moderamine Christi vinea succrescens innumeros fidelium protulit ramos. Ex hac quippe quamplurima monachorum proruperunt ovilia, quæ velut apes ex suis alveariis multimodis, ex diversis mundi violis in cælestibus sedibus intulerunt favos. De his etenim perennis Jerusalem fabrica erecta, coram regis æterni obtutibus ut stellæ lucidæ fulgent in perpetuas æternitates. Quæ videlicet ecclesia multis Francorum temporibus sub diversis regibus valida virtute pollens viguit, donec a pace quatuor Ludovici imperatoris filiis dissidentibus ex magna gloria regnum Francorum quati cœpit : in tantum ut, collectis undequaque viribus, in territorio Autisiodorensi apud Fontaneticum vicum duo adversus duos diabolo instigante confligentes, cruentissima christianorum inter se cæde infelicissimo satisfacerent odio. Qui patriam pene omni munimine militum frequentia præliorum destituentes, invalidam et barbarorum seu cujuslibet hostis invasioni opportunam eam reliquerunt. Quo tempore pagani, cum Lothroci regis filio, nomine Bier, costæ quidem ferreæ, procurante ejus expeditionem Hastingo omnium paganorum nequissimo, a Noricis seu Danicis finibus eructantes, maritima littora incolentes continuis cladibus vexaverunt, civitates diruentes, atque abbatias concremantes. Quis vero iste Lothrocus, vel ex cujus stirpe oriundus exstiterit, infra dicemus. Sed modo prius de situ Daciæ pauca dicamus.

CAPUT II.

De tribus partibus orbis terræ, et in qua earum sit Dacia et de situ ipsius.

Totius namque molis orbe descripto, ambituque et superficie terræ sagaciter permenso, omnem terram perpetuo Oceani limbo undique secus circumseptam, æthereo quadripartiti cœli cardine intellectu cosmographi dimensi in tres partes diviserunt, Asiam, Europam, Africamque reputantes. Sed quia A hic mentionem de partibus terræ fecimus, non inutile videtur si breviter commemoremus quid de illis beatus Augustinus in XVI libro De civitate Dei dicat : « Asia, inquit, a meridie per orientem usque ad septentrionem pervenit : Europa vero a septentrione usque ad occidentem, atque inde Africa ab Occidente usque ad meridiem. Unde videntur orbem dimidium duæ tenere, Europa et Africa, aliud vero dimidium sola Asia. Sed ideo illæ duæ partes factæ sunt, quia inter utramque intrat ab Oceano quidquid aquarum terras interluit et hoc mare magnum nobis facit. Quapropter si in duas partes orbem dividas, Orientis et Occidentis, Asia erit in una, in altera vero Europa et Africa. » His succincte intimatis, ad propositum redeamus. Europa quam- B plurimis fluminum alveis interrivata, variisque provinciis denominata, termino diremptionis limitatur patriis. Harum quædam spatiosissima multiplici innumerabilium hominum frequentia cæterarum copiosissima, nuncupatur Germania. In qua Hister fluvius de cacumine montis Athnoe ortus, in sexaginta amnibus augmentatus profusius et a meridie ad orientem means procellosus, Germaniam et Scythiam usque eo, quo ponto Scythico recipitur discriminatus, vocitatur Danubius. In copiosa igitur intercapedine a Danubio ad Scythici ponti usque confinium diffusæ commorantur feræ gentes et barbaræ, quæ ex Scanza insula Oceanos, hinc inde circumsepta, velut examen apum ex canistro, seu gladius e vagina, diversitate multimoda dicuntur C prosiluisse consuetudine barbarica. Est namque ibi tractus quamplurimus Alaniæ, situsque nimium copiosus Daciæ, atque meatus multum protensus Getiæ. Quarum Dacia exstat medioxima, in modum coronæ, instarque civitatis præmagnis Alpibus emunita. Quos protentæ anfractus amplitudinis furentes incolunt populi, præmonente marte bellicosi; scilicet Getæ, qui et Gothi, Sarmatæ et Amaxobii, Tragoditæ et Alani, quamplurimæque gentes Meotidibus paludibus excolendo commorantes.

CAPUT III.

De origine Gothorum, et ubi primum habitaverunt.

Tres etenim Noe filios habuisse, sacræ ad liquidum testantur paginæ. Quarum junior nomine Japhet filium genuit, quem proprio vocabulo Magog nominavit. Cujus Gothica soboles de similitudine ultimæ syllabæ paterni nominis vocabulum trahens adeo pullulavit, ut per diversa terrarum interstitia multimode se dilataret, prædictamque insulam Scanzam

intra maris fretum sibi vindicaret. In qua per succedentia temporum curricula admodum multiplicata, duos ex se in armis robustissimos produxit Gothorum populos. Ex quibus unus cum rege suo Thanause de vagina sua egressus, ulteriorem Scythiam invasit, sibique usurpavit : multum post adversum Vesosem Ægyptiorum regem contra se bella attentantem, diutissime se armis et præliis extendens. Quorum uxores postmodum vocatæ Amazones, diuturnam eorum moram moleste ferentes, repudiata virorum copula arma capessunt : duas reginas Lampeto scilicet atque Marpessam cæteris audaciores principatui subrogantes. Quæ dextris mamillis ob telorum jactus adustis, totam Asiam aggressæ, per centum fere annorum volumina gravissimæ dominationis jugo eam domuerunt. Sed de his hucusque. Qui vero scire cuncta desiderat, Gothorum gesta percurrat, et noster stylus vertatur ad proposita.

CAPUT IV.

Quod Dani de Gothorum progenie descendant, et quare dicantur Dani vel Northmanni, et cur eadem gens sic multiplicetur.

Igitur alter Gothorum cuneus ex Scanza insula, quæ erat quasi officina gentium, aut velut vagina nationum, cum rege suo nomine Berig egressus, mox ut e navibus exeuntes terras attigerunt, nomen loco dederunt, Scanzamque ob illius memoriam, de quo eruperant, illum vocaverunt. Inde denique prolixius tendentes intra Germanicos sinus, Meotidas occupaverunt paludes, plurimas regiones diffuse metantes. Quarum in secunda sede Dacia, quæ et Danamarcha, sistens, reges habuit multos, miræ philosophiæ eruditione vehementer imbutos, Zeutan scilicet, atque Dicineum, necnon Zalmoxem, aliosque plures. Unde et pene omnibus barbaris Gothi semper exstiterunt sapientiores, Græcisque ferme consimiles. Nam Martem deum apud se autumant fuisse exortum, quem humani placabant effusione sanguinis. Jactant enim Trojanos ex sua stirpe processisse, Antenoremque ab urbis exterminio cum duobus millibus militum et quingentis viris, ob proditionem illius ab eo perpetratam, evasisse ; ac per multimodos ponti anfractus Germaniam appulisse, atque postmodum in Dacia regnasse, eamque a quodam Danao suæ stirpis rege Danamarcham nuncupasse. Hac igitur de causa Daci nuncupantur a suis Danai vel Dani. Northmanni autem dicuntur, quia lingua eorum Boreas North vocatur, homo vero Man : inde Northmanni, id est, homines boreales, per denominationem nuncupatur. Sed sive hoc sive illud exstiterit, originem tamen a Gothis noscuntur ducere Dani. Qui tantis post hoc adoleverunt incrementis, ut, dum repletæ essent hominibus insulæ, quamplures sancita a regibus lege cogerentur de propriis sedibus migrare. Quæ igitur idcirco sic multiplicabatur, quoniam nimio dedita luxui mulieribus jungebatur multis. Nam pater adultos filios cunctos a se pellebat, præter unum, quem hæredem sui juris relinquebat.

CAPUT V.

Quomodo Bier, filius Lothroci regis Daciæ expulsus est de patria more solito, cum Hastinao pædagogo suo.

Quæ denique lex per multorum tempora regum inconvulsa mansit, quoad usque Lothrocus rex, de quo supra prælibavimus, patri in regno successit. Is etiam rex patrum legibus excitus, cum ingenti juvenum agmine sorte cogente filium, nomine Bier Costæ Ferreæ, a suo abdicat regno, cum ejus pædagogo Hastingo per omnia fraudulentissimo ; ut, peregrina regna petens, exteras sibi armis acquireret sedes. Qui ideo Costa Ferrea vocabatur, quia non ei clypeus objiceretur, sed inermis in acie stans, armorum vim quamcunque sperneret illæsus; vehementissimis matris ejus venenis infectus. Hastingus vero a patria cum suo adolescente exsul proscriptus, missa legatione milites de finitimis provinciis animo leves, bellique cupidos, ad hanc expeditionem invitans, innumerabilem pugnantium tironum congregavit exercitum. Quid plura? fabricantur naves, innovantur scuta, resarciuntur thoraces, poliuntur loricæ et galeæ, acuuntur enses et lanceæ, omnique telorum apparatu accurate munitur exercitus. Inde vero statuto die pelago impelluntur naves, ad eas propere festinant milites, elevantur vexilla, librant ventis carbasa ; vehuntur lupi pernices ad lacerandas dominicas oves. deo suo Thur humanum sanguinem libantes.

CAPUT VI.

Quomodo venerunt in regnum Francorum et Vermandensem pagum prius depopulati sunt.

Cujus cruore libaminis unanimiter potati, vento flante secundo, Vermandensem aggrediuntur portum, anno ab incarnatione Domini 851. Exsilientesque e navibus, totum illico Vulcano tradunt comitatum. Sancti quoque Quintini monasterium ferali rabie comburunt, de christiano populo nefarium exercentes ludibrium. Noviomensis quoque Emmo episcopus cum suis diaconibus eorum gladio obtruncatur ; fitque cædes in plebe proprio orbata pastore. Dehinc Sequanica ora aggrediuntur et apud Gemmeticum classica statione obsidionem componunt. Qui locus jure Gemmeticus vocatur, quia pro suis offensis illuc gemunt, qui in flammis ultricibus gemituri non erunt. Quidam vero a gemma illum vocatum arbitrantur, quia, ut gemma in annulo, rutilat situ et ubertate fructuum. Hic nemque Clodovei Francorum regis tempore, a beato Philiberto, opitulante regina Baltilde constructus, in tanto incremento adolevit, ut in nongentorum monachorum numero ejus quantitas suppleretur. In quo quamplurima multitudo episcoporum, seu clericorum, vel nobilium laicorum, spretis sæcularibus pompis, collecta, Christo regi militatura, propria colla saluberrimo jugo subegit. Cujus loci monachi sive incolæ, paganorum adventum comperientes fuga

lapsi, quædam suarum rerum sub terra occulentes, A quædam secum asportantes, Deo juvante, evaserunt. Pagani, locum vacuum reperientes, monasterium Sanctæ Mariæ Sanctique Petri et cuncta ædificia igne injecto adurunt, in solitudinem omnia redigentes. Hac itaque patrata eversione, locus qui tanto honoris splendore diu viguerat, exturbatis omnibus ac subversis domibus, cœpit esse cubile ferarum et volucrum: maceriis in sua soliditate in sublime porrectis, arbustisque densissimis, et arborum virgultis per triginta ferme annorum curricula ubique e terra productis.

CAPUT VII.

De excidio Neustriæ, quæ ab Aurelianensi urbe per transversum Lutetiam usque Parisiorum pertingit.

Abhinc denique Sequanæ sulcantes alveum, Rothomagum adeunt, igneque comburunt; horrendum B de Christiano populo exercentes ludibrium. Enim vero Franciæ interiora petentes, prolixius omnem fere Neustriam, quæ a Genabensi urbe per transversum Lutetiam usque Parisiorum pertingit, Northmannica feritate invadunt. Irruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primo quidem pedites, eo quod equitandi peritia deesset: deinde equis vecti more nostratum per omnia vagantur. Interea stationem navium suarum, ac si asylum omnium periculorum, in insula quadam cœnobio Sancti Florentii supposita componentes, magalia instar exædificavere burgi, quo captivorum greges catenis astrictos asservarent, ipsique pro tempore corpora a labore reficerent expeditioni illico servitura. Ex qua inopinatos discursus agitan- C tes modo navibus, modo equis delati, totam circumcirca delevere provinciam. Et primo quidem adventu urbem Nanneticam incendio cremavere. Dein Andegavensem percurrentes regionem, ipsam quidem civitatem concremant. Pictavorum vero castella atque vicos, omnemque patriam a mari usque ad eamdem Pictavensem urbem populantur vastant, cædibus replentes omnia. Sequenti namque tempore, navigio Turonum adeunt civitatem, eamque de more stragibus opplentes, ad postremum ignibus tradunt, populata omnicircumquaque regione. Haud longo post, superiora Ligeris amnis navibus expetentes, Aurelianis perveniunt, captamque urbem auro distrahunt, sicque ad tempus recedentes secundo adventu eamdem combustione dissipant. Quid denique solius Neustriæ clades memorando, stylum protraham? aut solæ quinque supra memoratæ urbes excidii damna sensere?

CAPUT VIII.

Quomodo destructa sit urbs Parisius et Belvacus, nec non Pictavis et alia contiguæ urbes ab ipso Oceani littore, orientem versus, usque Arvernum.

Quid Lutetia Parisiorum nobile caput, resplendens quondam gloria, abundans opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam non immerito emporium dixero populorum? Porro, quid Belvagus, quid Noviomagum, et ipsæ quondam Galliarum præstantissimæ urbes? Num et ipsæ eorumdem barbarorum irruptionibus atque hostili gladio concidere? Piget referre nobilissimorum cœnobiorum, tam virorum quam feminarum Deo devote servientium excidia, stragesque non ignobilium plebium, captivitates matronarum, virginum ludibria, ac cuncta quæ victis victores inferre valent infanda tormentorum genera. Quid Aquitanicæ gentis ingentem referam afflictionem, quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præferebat dextram? Etenim ipsa optimos quosque genitalis soli in seso elidens, tunc patuit præda gentibus alienis. Ab ipso quippe, ut ita loquar, Oceani littore versus orientem usque Arvernum clarissimam veteri tempore Aquitaniæ urbem, nullam libertatem retinere valuit regio, non oppidum aut vicus, non denique civitas, quæ non strage ferali conciderit horum paganorum. Testatur id Pictavis fecundissima urbs Aquitaniæ, hoc Sanctonum, hoc Engolisma, hoc Petragoricum, hoc Lemovicas, hoc certe Arvernus, ipsumque Avaricum caput regni Aquitanici.

CAPUT IX.

Quod postquam Francia paganorum oppresione afflicta est fere xxx *annis; Hastingus navigans Romam ut eam subderet Bier domino suo, tempestate compulsus, appulit Lunis urbem Italiæ.*

His atque hujuscemodi calamitatum malis, ut prælibavimus, Galliis non absque piaculo quorumlibet per xxx fere annorum spatium lugubre detritis, Hastingus dominum suum ad altiora cupiens provehere de imperiali diademate cum agmine complicum cœpit attentius tractare. Postremo, inito consilo velivolum permeantes mare, Romam deliberant clandestina irruptione obtinere. Sed nimia exorta tempestate, ad urbem Lunis dovolvontur, vento impellente, quæ pro sui decore hoc vocabatur nomine. Porro cives tanta attoniti classe, civitatis repagula portis inducunt, propugnacula et jaculis muniunt, atque semetipsos hortantur ad resistendum. Quorum audaciam Hastingus ut comperit, ratur hanc Romam fore, omni conatu cœpit attentare quo pacto possit eam dolo invadere. Denique episcopo et comiti suæ perfidiæ ministros dirigit, mandans non sua sponte illuc appulisse, sed suam repetere patriam voluisse: pacificos se esse, pacem deinceps quærere, et se lethali pressum langore, ab eis Christianum fieri supplici prece deposcere. His episcopus et comes auditis, gaudio exhilarati, pacem cum nefandissimo pacis inimico firmant fitque communis utrique populo urbis ingressus.

CAPUT X.

Quomodo Hastingus reputans Lunis esse Romam, quia vi non poterat, dolo cepit eam, et destruxit

Tandem scelestus ad Ecclesiam fertur Hastingus, sacro baptismo mergitur homo versutus et exit rapacissimus lupus. Quem ad sui perniciem a fonte excipiunt episcopus et comes, hincque bajulorum manibus refertur ad navim chrismate delibutus. Post hoc, intempesto noctis medio, loricatus locatur in

feretro: innuens cæteris ut suas induerent loricas sub tunicis. Proinde fit intolerabilis luctus per exercitum, Hastingum obisse neophitum. Resonat maris litus tanti ducis excessu. Dehinc navi effertur, ad Ecclesiam bajulatus. Sacra vestitur antistes indumenta, sacrosanctam pro defuncto mactaturus hostiam. Fit commendatio animæ, ut corpus scelerum et perditionis in barathro jam sepultum tradatur sepulturæ. Sed ecce prosilit de feretro, episcopusque et comitem obtruncat gladio. Dehinc lupina rabie cum suis grassatur in plebe. His a funesto perpetratis, theatrum efficitur Dei domus, jugulantur juvenes, trucidantur senes, depopulatur civitas, diruuntur a fundamentis mœnia.

CAPUT XI.

Quod pagani, comperientes illam urbem non esse Romam, divisi sunt, et Bier volens redire Danamarcham apud Frisiam obiit: Hastingus vero pacificatus cum Carolo rege, accepit ab eo loco stipendii urbem Cartis, in qua et habitavit.

Hujus itaque peracta urbis subversione, comperientes pagani se Romam nullatenus cepisse, veriti ne ulterius [haud] quidquam proficerent, quippe cum Romanas aures fama volante, eorum profana opera jam occupassent inito consilio de regressu disponunt. Nam Bier totius excidii signifer, exercituumque rex dum nativum solum repeteret, naufragium passus, vix apud Anglos portum obtinuit, quampluribus de suis navibus submersis. Indeque Frisiam repetens, ibidem obiit mortem. Hastingus vero Carolum Francorum regem adiens, pacem petiit, quam adipiscensi urbem Carnotensem stipendii munere ab ipso accepit. Et sic Francia a tumultuum fragoribus aliquandiu respiravit: sententia ultionis ob enormitatem scelerum debitæ suspensa, propitiata piissimi Christi clementia, cum Patre et Spiritu sancto mundum ineffabilliter regentis per sæcula.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBER SECUNDUS.

Continens gesta Rollonis, primi ducis Northmanniæ.

CAPUT PRIMUM.

De nobilitate et virtute patris Rollonis, et quomodo juvenes Daciæ, qui descripti erant jussu regis ut expellerentur, venerunt ad Rollonem et Gurim fratrem suum, ut ferrent illis auxilium contra regem.

Post emensis plurimorum annorum interstitiis, Francia ab his tumultuum fragoribus paulisper sopita, iterum Danamarcha flammivomos exterminii jure titiones spargens, plurimos tirones a se juvenili flore vernantes, priscorum patrum lege, a genitali solo eliminandos decernit. Illis vero in diebus senex quidam erat in partibus Daciæ omnium rerum affluentia locupletissimus, innumerabiliumque militum frequentia uudiquesecus constipatus, qui nunquam colla suæ cervicis cuipiam regi subegit, nec cujuslibet manibus gratia servitii manus suas commendando commisit. Qui Daciæ, regnum pene universum possidens, affines Daciæ et Alaniæ terras sibi vindicavit, populosque sibi præliis quampluri-mis vi et postestate subjugavit. Erat enim omnium Orientalium præstantiore virtute præstantissimus, cunctorumque exaggerato omnium virtutum cumulo præcellentissimus. Defuncto vero illo, superstiterunt duo filii ejus armis strenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animositate robustissimi. Quorum major natu Rollo alter vero junior Gurim nuncupabatur. Quos regali jussione descripti juvenes ad exterminationem aggredientes, genuque flexo, vultuque submisso, atque humili voce obnixe poscentes inquiunt unanimes: « Ferte nobis auxilium, subvenite nobis in adjutorium. Sub tutela vestræ protectionis morabimur vestrumque servitium incessanter faciemus. Rex autem noster vult nos a Dacia exterminare, fundisque nostris atque beneficiis nos per omnia privare. » Tunc duo illi fratres suppliciter precantibus responderunt, dicentes: « Auxiliabimur optime vobis, vosque regalium minarum securos morari in Dacia, atque res vestræ proprietatis faciemus quiete tenere. » Illi autem hæc audientes, Rollonis et Gurim osculo expetiverunt pedes, atque illico super dictis principum remearunt gratulantes. Interea veridicæ opinionis promulgatur fama, regis Daciæ aures pulsans, quod dux præpotentissimus, pater scilicet Rollonis et Gurim sorte frueretur suprema. Tunc rex ante malorum, quæ sibi ille dux intulit, reminiscens, cunctis sui imperii accersitis principibus inquit: « Vos non latet patrem Rollonis et Gurim esse defunctum. Aggrediar ergo fines illorum, et capiam urbes et castra atque munitissima loca, ulciscarque facta patris in filios, eosque conterendo satiabor super malis illorum. Vos vestrosque precor, præparate ad talia negotia adimplenda. Denominativo igitur termino profectionis, undecunque venerant repedarunt cum suis. Mox effera Daciæ juventus nimio curarum inhians æstui, quæ commoda sunt præparat in illo profectu. Hi leves clypeos lucidaque spicula fabrili adjuti arte componunt. Hi tela ensesque atque secures cote exacuunt. Hujus rei inopinata fama Rollonis et Gurim aures perlabitur et talis relationis sermone perturbantur. Qui

convocata copiosa manu, congruentique pubertate florentium, congregataque multitudine mediæ ætatis, senum, atque ad exterminandum descriptorum, elatis dextris, mandant silentium.

CAPUT II.

Quomodo Rollone rebellante contra regem per quinquennium, rex ab eo pacem expetit dolose.

Tumultuantes populi, murmure penitus sedato, sedisque decentis suggestu subliminter Rollone suffecto, infit ore mellifluo: « Vos, quibus incalescit juvenilis ardor, quique flore præstantiores estis virtutis alloquor. Solerti proposito reverendos patres avosque et proavos imitaminor. Convalescite viriliter et confortaminor, et ne æquiperis vicibus illis valeatis congruenter convenire dedignaminor. Rex siquidem hujus regni molitur nos supergredi, nostræque B monarchiam ditionis invadere, nosque et vos omnes perdere, et, antequam hæreditariam nostræ dominationis terram mancipet, sui regiminis terram anticipando præoccupemus, hostiliter resistendo adventui ejus. » Illico omnes his dictis exhilarati regiam terram conglobatis exercitibus invaserunt, totamque sæviente Vulcano depopularunt. Hæc autem rex audiens, contra Rollonem et fratrem ejus Gurim pergit ad prælium, diuque dimicando terga vertit, fugiens ad præsidia urbium. Tunc Rollo sui exercitus mortuos sepelivit, regis autem inhumatos reliquit. Unius vero lustri spatio perseverante inter regem et Rollonem duello, misit rex pacificis verbis ad eum hujusmodi in dolo. « Nihil mihi et tibi, nisi gratia propinquitatis. Ut requiescat respublica, precor, per- C mitte, ut quod mei juris est, meusque pater tenuit liceat me sapienter possidere; tibi autem quod tui juris est, quodque tuus. Sitque inter me et te pax et concordia inextricabili fœdere compacta [pacificata]» Tunc Rollo et Gurim, illorumque milites, atque descripti ad exterminandum, pacem collaudaverunt. Determinato igitur conjurandæ amicitiæ tempore, uterque venit ad placitum, mutuisque muneribus ditati fœderati sunt.

CAPUT III.

Quomodo rex aggressus est noctu civitates Rollonis et de morte Gurim fratris ejus et de adventu Rollonis in Scanzam insulam cum sex navibus.

Denique perfidus rex dolositatem conceptæ fraudis infesto corde ruminans convocato quondam exercitu suo, et nocte pergens contra illos, invadensque D fines illorum, abscondens insidias prope mœnia civitatis, oppugnare cœpit. Tunc Rollo et Gurim frater ejus et qui cum eo erant, exilientes de civitate, persequebantur regem terga vertentem, fugamque simulantem. Transgresso igitur locum insidiarum Rollone, pars quædam illarum de latibulis egressa petit urbem. Quam armigeris vacuam inveniens, incendit, omniumque supellectilium spolia sibi detulit. Quædam vero sequebatur Rollonem, regem hostili immanitate fugantem. Cernens autem rex incensam urbem, insidiasque prævalere, retrogressus præliabatur contra illum. Cæsis vero ex parte A Rollonis quampluribus, cecidit Gurim frater ejus in prælio. Videns autem Rollo se inter utrumque exercitum, unum fugam simulantem, alterum latebris egressum, fratremque mortuum; vix livoribus plurimis laceratus, cum paucis divertit ab eis. Tunc rex obsidens et capiens urbes, populum contra se objurgantem sibi subjugavit. Rollo vero morari non valens in Dacia propter regem, diffidens sui Scanzam insulam cum sex navibus aggressus est. Tunc Dacia pio duce, patricioque atque robustissimo advocato privata, magno ejulatu concussa cœpit nimium flere.

CAPUT IV.

De admonitione facta in somnis Rolloni ut Angliam peteret, et de victoria ejus de Anglis

Cumque diu Scanza insula mœstus moraretur, sollicitaque contorquentis animositatis cogitatione æstuans, moliretur ut vindicaret se de inimicis suis, plurimique quos fugarat de Dacia regalis immanitas, ad eum reverterentur, fessis labore artubus, sopore oppressus, vox divina illi sonuit, dicens; « Rollo, velociter surge, pontum festinanter navigio transmeans ad Anglos perge : ibi audies quod ad patriam sospes reverteris, perpetuaque pace in ea sine detrimento frueris. » Hoc somnium cum cuidam sapienti viro et Christicolæ retulisset, hujusmodi sermone interpretatus est : « Tu vergente venturi temporis cursu, sacrosancto baptismate purificaberis, prædignusque Christicola efficieris, et ab errore fluctuantis sæculi ad Anglos, Angelos scilicet, usque olim pervenies, pacemque perennis gloriæ cum illis habebis. » Illico vela navibus aptans, remisque eas exornans, atque frumento, vino, tergisque suum eas onerans, velivolum mare celeriter permeans, Anglos aggreditur, ibique morari quiete diu suspicatur. Audientes autem illius territorii pagenses quod Rollo Dacus adveniret, aciem magnam contra illum construxerunt, eumque ab illis finibus fugare conati sunt. Qui more solito indubitanter pergens ad prælium, illis occurrit, plurimosque illorum prostravit, atque cæterorum fuga vertentium dorsa hasta fatigavit. Denique pagenses prioribus plures coacervantes, contra Rollonem iterum aciem dirigunt, eumque occiderea, ut fuga labi [*f. supplendum facere*] conantur. Ille vero studiis belli edoctus, certaminisque necessitate asperrimus, galea auro mirifice compta, triplicique [trilici] lorica indutus, contra objurgantium et proficiscentium in se turmas armigeras velociter atque indubitanter perrexit, milliaque illorum immaniter prostravit victrice manu, celerique cursu profugos persequens, multosque principum capiens. Inde ad locum prælii revertens, occisorum corpora terra condit, cæterosque plagis infectos deportavit, captosque navibus connexuit. Tunc trimodo errore æstuans, si Daciam repeteret, an Franciam pergeret, aut Anglicam terram præliis affligeret et sibi vindicaret, cœpit anxiari, nimium que tristari.

CAPUT V.

De somnio ejus et de expositione ipsius somnii a quodam Christiano facta.

Cum autem hujuscemodi perturbationibus sollicitus hæreret, hominesque regionis illius ditioni suæ fidelitatis gratia vinculoque sese subjugarent, quadam nocte soporifera, letheæ molis quiete per membra leviter serpente, videre videbatur præcellentissimus quodam præcelsiore Franciæ habitationis monte se positum, ejusque montis in cacumine fontem liquidum et odoriferum, seque in eo ablui et ab eo expiari contagione lepræ et prurigine contaminatum. Denique illius montis cacumine adhuc superstes, circa basim illius hinc inde et altrinsecus multa millia avium diversorum gener um varii coloris, sinistras alas quinetiam rubicundas habentium, quarum diffusæ longe lateque multitudinis inexhaustam extremitatem perspicaci et angustato obtutu non poterat comprehendere. Cæterum, congruenti incessu atque volatu eas sibi alternis vicibus invicem cedentes fontem montis petere, easque se convenienti natatione, sicuti solent tempore futuræ pluviæ abluere. Omnibusque mira infusione delibutis, congrua eas statione sine discretione generum et specierum, sine ullo contentionis jurgio, mutuo vicissim pastu quasi amicabiliter comedere, easque deportatis ramusculis festinanti labore nidificare ; quin etiam suæ jussionis imperio voluntarie succumbere. Mox exspergefactus et visionis quam viderat reminiscens, accersitis majoribus principum captisque prælio principibus simul ascitis, omnem hujus visionis seriem incunctanter disseruit, et quid hujus visionis mysticum sentirent ab eis inquirit. Tunc cunctis conticentibus, captorum unus Christianæ religiositatis fide imbutus, præsagio divinæ inspirationis aspersus mysticum illius visionis intellectum explanavit, dicens : « Mons Franciæ, quo stare videbaris, Ecclesia illius designatur. Fons, qui in summitate montis erat, baptismus regenerationis interpretatur. Per lepram pruriginem, quo infectus eras commissionis tuæ scelera et peccata animadvertes. Te in eo ablui et ab eo lepræ pruriginisque morbo expurgari, te lavacro sacri baptismatis regenerari et ab omnibus peccatis emundari. Per volucres diversorum generum lævas alas habentes puniceas et quarum infinitissimam extremitatem exhaurire visu non poteras, homine diversarum provinciarum scutulata brachia habentes, tuique effecti fideles, quorum innumeram multitudinem coadunatam videbis, animo deprehendas. Per alites fonte infusas et in eo alternatim ablutas, communique comestione edentes, populum antiquæ fraudis contagio pollutum, typico baptismate abluendum sacrosancti corporis et sanguinis Christi alimonia saginandum. Per nidos quos circa fontem faciebant, vastatarum urbium mœnia reædificanda intellige. Tibi aves diversarum specierum obtemperabunt, tibi homines diversorum regnorum serviendo accubitati obedient. » His igitur mirabilium interpretationum sermonibus Rollo exhilaratus, visionis suæ interpretem cæterosque quos bello ceperat, vinculis solvit, variis muneribus et donis diversis ditatos ad sua lætos remisit.

CAPUT VI.

De Alstemo rege Anglorum Christianissimo, cum quo iniit Rollo fœdus indissolubilis amicitiæ.

Eo namque tempore, rex Anglorum christianissimus, nomine Alstemus, omnium bonorum titulis exornatus, sacrosanctæ Ecclesiæ prædignus advocatus, habenas regni Anglorum moderabat piissimus. Cui continuo Rollo legatos suos misit et quid dicerent auribus illorum intimavit. Qui venientes ad eum, pio vocis affectu submissis vultibus dixerunt : « Omnium præpotentissimus patricius, duxque Dacorum præcellentissimus Rollo, noster senior et advocatus, tibi fidele servitium, tuisque amicitiæ munus inconvulsum. Magnum, domine rex, Daciæ regno infortunium perpessos et ab eo, heu dolor! fraudulenter exterminatos, Eurus obnoxius nobis penitus intumescentiumque procellarum elationibus afflictos vestris finibus appulit omni spei et salutis præsidio privatos. Cum autem conaremur Daciam repetere et nos de inimicis nostris vindicare, obstitit et interclusit nos glacialis hiems, geluque crustante terram et affligente flexiles herbarum et arborum, comas, densa glaciali :m mole refrenata crustarum, struxerunt nobis murum flumina, nec præbuit nobis prosperum iter unda. Audientes quidam milites in confinio nostri adventus commorantes præmaximam aciem contra nos struxerunt, nosque lacessentes invaserunt. Nos vero, nec sub glacie nec supra navigare valentes, illorum audaciæ restitimus, multosque illorum prælio exarmatos cepimus. Non autem regnum tuum depopulabimus, nec prædas usquam raptas ad naves vertemus. Vendendi atque emendi sequestram pacem petimus, quia imminentis veris tempore ad Franciam proficiscemur. » Rex autem hilarem vultum summissus his auditis profatur : « Nulla tellus effert viros magis quam Dacia præcipuos, armisque strenue edoctos ; parentelam diffusæ generositatis vestri senioris, casusque et labores vestros, quinetiam fraudulentam perfidiam Daciæ regis nobis retulerunt plurimi. Nemo seniore in factis justior vestro, nemo major in armis. Hujus negotii curas secludite, armorum securi, præliorum impatientes, atque omnium malorum immunes estote. Liceat vobis ubicunque terrarum nostræ ditionis vendere et emere. Vestrum seniorem, precamur, cogite ut nostræ fidei integritate dignetur ad nos venire ; quia eum desidero intueri, superque malis suis solari. » Abeuntes autem missi, quæcunque audierant renuntiaverunt Rolloni. Extemplo Rollo audaciter et incunctanter perrexit ad regem contra se venientem. Qui mutuo amplexati et oscula libati, cedentibus utriusque exercitus turmis sederunt sepositi. Tunc rex Alstemus prior est allocutus :

Prosapia pollens, gestorum lumine fulgens,
Moribus et meritis præcelsior omnibus, atque,

Fœdere complacito fidei nectamur in uno.
Sis, peto, pars animæ semperque meæ comes, atque
Finibus in nostris temet deposco morari,
Sicque salutifero baptismate sorde piari.
En quid gestis habe nostræ ditionis in orbe.
Sis memor ipse mei, fuero ceu semper in omni.
Et si velle alias est nunc proficiscier oras,
Si gens torva, ferox, jamjam feritaverit, in me,
Improba non servans fidei retinensque tenorem
Ut potis es fer opem stabili conamine salvans
Et tibi succurram simili ratione juvando.
Te teget atque meum mutuo certamine scutum.

CAPUT VII

De tempestate quam passus est Rollo, cum in regnum Francorum de Anglia navigaret, et quomodo littoribus Walgrorum appulit.

Tunc Rollo super dictis regis lætus, dixisse fertur : « Grates tibi, omnium regum præstantissime, super voluntariis beneficiis rependo, et quidquid inter me et te agenda retulisti, fac ut opto. Diutissime in regno tuo non morabor, sed celerius quam potero Franciam adibo. Ubicunque terrarum fuero, tuus amicus indissolubili dilectionis conjunctus fœdere permanebo. » His dictis, admodum inextricabiliter fœderati, alternarumque rerum competentiis mirabiliter ditati, rediit quisque cum suis ad sua. Toto namque hiemantis anni tempore, naves sumptusque qui necessarii erant itineri, præparare Rollo dux solertis curæ fecit. Anglosque florentis juventutis milites qui erant sui effecti et secum ituri erant, ascivit. Cum autem primæ æstatis tempore rutilantium molliter florum arrideret copia, purpureisque blattis lactea et odorifera alberent lilia, memor semper visionis monentis ad Franciam proficisci, classibus velis datis navigium conscendit. Cum vero lenibus ventis congressus navigii factus esset usque ad medium æquoris, nihilque viderent nisi cœlum complexum super faciem maris, invidi spiritus scientes illos baptismate Christi nomine abluendos, gloriamque quam perdiderunt adepturos, ingemiscentes occurrerunt excitantes pericula illis. Venti quin etiam a sedibus suis ruunt et, hiante ponto, a sedibus imis in præcipitium fluctus nimios et ad sidera tollunt. Cælum crebrescentibus fulguribus intonuit, densarumque tenebrarum nox atra illis incubuit. Remis confractis, ventorum rabiem vela ferre non possunt. Itaque viribus exhausti, omnia ventis permittunt. Huc illucque naves quasi per montes et valles fluctuant, mortemque repentinam omnibus intentant. Tunc Rollo protensis manibus prostratus incubuit navi, humilique voce talia profudit.

O Deus omnipotens, cœlestia lumine complens,
Qui cœlum terramque tenes, per sæcula cujus
Numen, et æterno complectens omnia gyro ;
Infectum vitiis peccati et fæce repletum,
Qui me Christicolam fieri vis munere visi,
Temporis exiguo cursu volvente futuri,
Suscipe vota libens, precibusque faveto benignus,
Sedatisque feros fluctus compesce ruinis,
Casibus eripiens istis nos atque labore,
Comprime demulcens, mitescens, atque serena
Undantem nimium violenta turbine pontum.

Harum vero orationum precibus finitis, mox mare quiescit serenatis procellis, immensosque æquoris tractus optato flamine breviter explicuerunt [venti], navesque tempestate diruptas littoribus Walgrorum applicuerunt.

CAPUT VIII.

Quomodo Rollo devicit Walgrenses rebellantes et Rainerium Hainaucensem ducem et Radeboldum principem Frisiæ; et de XII *navibus onustis victu et todidem armato milite plenis, quas Alstemus rex Anglorum sibi misit, dum inibi moraretur.*

Audientes autem Walgrenses quod gens barbara tempestate maris velociter quassata suis littoribus esset advecta, congregata multitudine pagensium, Rollonem ducem tempestuoso mari vix ereptum assilierunt. Qui solito more concitus, contra illos debellando perrexit, atque plures illorum nece prostratos orco transmisit; residuosque illorum aut fugavit, aut cepit. Cumque diutissime morulans Walgras [*forte* Walcherem, *inter Zelandiæ insulas, in qua Flushinga*] depopularet, reminiscens Alstemus rex Anglorum christianissimus, omnium regum probitate præcellentissimus, amicitiæ qua se et Rollonem colligarat in fœdera sempiterna, XII naves frumento, vino atque lardo oneratas, quin etiam totidem armato milite repletas, duci præcelso transmisit in Walgras. His Rollo donis lætus, legatos muneribus præmaximis ditatos cum gratiarum actione ad regem remisit, seque per eos femulaturum regi mandavit. Æstimantes autem Walgrenses propter deportati frumenti copiam omni tempore Rollonem Walgris moraturum, convocarunt Rainerium Longi Colli Hasbacensem et Hainaucensem ducem, et Radeboldum Frisiæ regionis principem, et conglobato exercitu aliorum pagorum, invaserunt Rollonem. Qui sic sæpius ad bellum indubitanter perrexit, et multa millia illorum occidit, atque Rainerium Longi Colli et Radebodum Frisonem ad sua castra fugavit. Deinde totam terram Walgrorum devastavit atque incendio concremavit. Post hinc hujusrei causa indignatos Frisones celeriter expetivit, terramque illorum devastare cœpit. Tunc Frisones multorum congeriem populorum concite coacervantes, sibique multitudinem plebium in confinio Frisiæ commorantium accumulantes, fluvio Almeræ commorantem, agminibus multis præparatis, accelerata incursione conantur invadere Rollonem. Rollo vero et qui cum eo erant, genu flexo armorumque ingruente horrore, scutorum tegmine cooperti, strictæque aciei mucronibus coruscis complicati, expectabant initium certaminis. Frisones ergo parvissimam esse putantes multitudinem illorum, inierunt bellum sibi non profuturum. Daci vero exsilientes et in illos irruentes, usque ad internecionem prostraverunt, pluresque principes ceperunt, innumerabilemque manum ad naves duxerunt. Frisones igitur residui diffidentes sui, exhinc tributarii effecti sunt, Rollonis

præceptis per omnia obedientes. Congesto et exaggerato atque dato Frisiæ tributo, illico librat in altum carbasa navibus data, vertitque proras ad Rainerii Prolixi Juguli terras; ulcisci se cupiens de ipso, qui adfuit Walgris cum Frisonibus jam prostratis in prælio: Pererrato ponto, intrat Scaldi alveum et cis citraque terram depopulans super Longi Colli Rainerium, venit ad quamdam abbatiam dictam nomine Condatum. Rainerius vero multa prælia contra eum fecit, sed ex omnibus Rollo victor potens exstitit. Devastabatur terra utriusque exercitus mala perpessa. Prævalida fames exoritur, quia terra aratro non scinditur. Vulgus penuria affligitur, fame bellisque atteritur. Diffidunt vivere cuncti, salute victus privati. Quadam igitur die Rainerio loco insidiarum commorante, clam super Dacos cupiente irruere, Daci eum hinc inde congesti vallaverunt, cumque nimium debellantem manciparunt, vinctumque ad Rollonem duxerunt. Ipsa namque die Raineridæ, Dacorum ut caperent aliquos latebris commorantes, invaserunt XII milites præcipuos Rollonis et constanti virtute ceperunt. Tunc uxor Raineri flens et ejulans super eo, convocatis principibus suis misit ad Rollonem, ut pro XII comitibus captis redderet sibi suum seniorem. Illico Rollo, suscepta legatione, remisit ad eam dicens: « Non reddetur Rainerius tibi, sed decollabitur, nisi reddideris prius meos comites; mihi insuper dederis quidquid auri et argenti sui ducaminis, cum juramento Christianæ religionis, quinetiam tributum istius regionis. » Mox conjux Rainerii lugubri legatione afflicta, comites captos Rolloni remisit, aurumque et argentum quod usquam invenire potuit. Quin etiam illud quod erat sacris altaribus concessum, pariterque vectigal illius ducaminis, cum jurejurando quod plus metalli non haberet nec exigere posset, supplicibus verbis et deprecativis misit ad Rollonem, ut redderet sibi suum virum. Ipse vero motus pietate, vocibusque suppliciter petentium, ad se fecit venire Longi Colli Rainerium, verbisque pacificis affatur eum: « Rainere dux, milesque asperrime, regumque et ducum atque comitum superbo satus sanguine; quid tibi feceram olim injuriæ, propter quod præliatus es cum Walgris et Frisonibus contra me? Si sævire modo voles, armorum spicula desunt, et satellites. Si velis a nobis fuga labi, compedibus intricatus nunc captus non potes evadere. Talionem, sicut Frisonibus, tibi reddidi pro malis quæ mihi sine re intulisti. Uxor tua et principes tui, quidquid auri et argenti recuperare potuerunt pro te miserunt mihi. Dimidium exaggerati muneris reddam tibi, teque tuæ uxori remittam. Hinc mansuescens requiesce, et nullatenus sit discordia, sed sempiterna inter me et te pax et amicitia. » His dictis, Rainerii crura solvuntur compedibus. Statimque Rollo sibi fœderatum, muneribusque et donis præmaximis ditatum, quin etiam reddita medietate legatorum munerum, ad uxorem suam remisit Rainerium.

CAPUT IX.

Quomodo anno incarnati Verbi 876. Gemmetias venit, deinde Rothomagum; et de pace quam Franco archiepiscopus petivit ab eo et accepit.

His itaque sedatis, Dani cum suo duce Rollone vela ventis librant, Scaldi alveum deserentes, atque permenso ponto, octingentesimo septuagesimo sexto ab incarnatione Domini anno Sequanica penetrantes ora, flante ad votum vento, Gemmeticum veniunt, corpus sacræ virginis Ameltrudæ, quod a Britannia asportaverant, in capella sancti Vedasti quæ trans flumen est, super altare ponentes. Quæ capella hactenus illius virginis nomen retinet. Quorum adventum Franco Rothomagensis archiepiscopus agnoscens et urbis muros solo tenus hostica immanitate dirutos perspiciens ac de juvamine ad resistendum omnino diffidens, adjudicavit salubrius ab iis pacem quærere, quam in aliquo illo ad sui perniciem provocare. Qui festinus illos adiens, pacem petit et consequitur optatam, pacto inter se fœdere firmo. Post hoc vero. Daci festinantes; ad urbis mœnia quantocius propellunt naves, portæque cui innexa est ecclesia Sancti Martini, plurimo milite plenas adjungunt. Cujus urbis præsidium sagaci mente terra marique considerantes, compendiorum lucris munitum, totius comitatus caput illud fore concorditer deputant.

CAPUT X.

Quomodo Rollo cum suis per alveum Sequanæ veniens Archas quæ Hasdans dicitur, ibi composuit quoddam castrum ubi pugnavit contra Francos; et plurimis occisis, Rainaldum ducem illorum in fugam vertit; et de subversione Mellenti castri.

Rollo igitur Rothomo potitus, de Parisiaca emersione corde versuto cum suis tractans, Christianorum sanguinem paganico instincto lupino more sitiebat. Qui classem solventes, Sequanæ fluvium sulcant, stationemque navium apud Hasdans, quæ Archas dicitur, componunt. Tunc Rainaldus totius Franciæ dux, agnito paganorum repentino adventu, cum valida exercituum virtute super Authuræ fluvium eis obvius processit; Hastingum qui adhuc in Carnotena urbe morabatur, ob peritiam linguæ cum aliis legatis præmittens. Veniens itaque Hastingus juxta aquæ decursum, talibus illos adorsus est verbis: « Heu! inquit, robustissimi milites, quibus ab oris huc advecti estis, vel quid in hac regione quæritis, aut quo vester senior censetur nomine? edicito nobis. Francorum sane regis sumus legati vobis directi. » Cui interroganti sic Rollo: « Dani, ait, sumus, æquali dominio fungimur. Terræ hujus colonos exturbare venimus, nostræ ditioni patriam subdere cupientes. Tu vero quis es, qui tam facete nobis loqueris? » Ad hæc ille. « Audistis, inquit, aliquando de quodam Hastingo, qui a vestris partibus exsul cum multitudine navium huc adveniens, hoc Francorum regnum magna ex parte pessumdedit et in solitudinem redegit? » Cui Rollo: « Audivimus, inquit, Hastingus enim bono homine cœpit et cuncta malo fine complevit. » Hastingus ad hæc: « Vultis,

inquit, Carolo regi subdi? — Nequaquam, ait Rollo, alicui subjicimur; sed quæcunque armis acquiremus, nostro juri vindicabimus. Regi cujus te legatum gloriaris, audita si vis renuntia. » Hæc Hastingus cuncta expedite suo refert duci. Interim Rollo et qui cum eo erant, fecerunt sibi munimen et obstaculum in modum castri, munientes se per gyrum avulsæ terræ aggere, locoque portæ relinquentes spatium prolixæ amplitudinis, quod apparet ad tempus usque istius diei. Franci vero diliculo venerunt ad ecclesiam sancti Germani, ibique missam audientes, participantur corpore et sanguine Christi. Abhinc equitantes, in ripa fluminis naves Dacosque in munimine avulsæ terræ videntes, amplum portæ aditum solum invaserunt. Daci vero intrinsecus hinc et inde per planitiem castri accubitarunt, atque scutis se cooperuerunt, ut parvissima putaretur summa eorum. Rotlandus signifer Rainaldi, cum acie quæ præibat exercitum, violenter per aditum miræ prolixitatis amplum super eos irruit et debellare eos cœpit. Daci vero exsurgentes, Rotlandum in momento interemerunt et ejus sequaces. Rainaldus et Hastingus, cæterique comites, illic cunctos mortuos considerantes, terga vertentes fugam expetiverunt hilares. Quibus peractis, Rollo navibus festine Mellenti municipium occupat. Quo subverso, omnes incolas gladio necat.

CAPUT XI.

Qua fallacia Tetboldus comes Carnotenam urbem ab Hastingo emit, et quomodo ipse Hastingus omnibus distractis peregre profectus disparuit.

Considerans ergo Tetboldus comes se reperisse tempus opportunum ad decipiendum Hastingum, talibus verbis falso appetit illum: « Cur, inquit, insignissime vir, ignavia torpes? Ignoras regem Carolum te velle morte appetere, ob Christianorum sanguinem a te olim fusum injuste? Reminiscitur enim malorum quæ illi tunc improbe intorsisti, et ideo de terra te exterminare decernit. Manus etiam tua, ut ipse ait, cum Rollone pagano ad delendos Francos sentit. Qua de re in proximo pessime deleberis ab eis. Consule autem tibi, ne inconsultus puniaris. » Quibus verbis Hastingus territus, confestim Carnotenam urbem Tetboldi vendidit, et distractis omnibus peregre profectus disparuit.

CAPUT XII.

Bellum iterum Rageunoldi principis Franciæ cum Rollone, et de morte ipsius, et de annua obsidione urbis Parisius, et de destructione urbis Bajocas, in qua cepit quamdam virginem nomine Popam, ex qua genuit Willelmum et Gerloc sororem ejus, et quomodo exercitus ejus trucidavit cives Ebroicæ civitatis, ipso tamen cum quibusdam Parisius obsidente.

Rainaldus ergo fugæ dedecus non ferens, iterum congregato exercitu majore Rollonem aggreditur repente. Cujus conatus ipse præveniens, quosdam suorum gladiis obtruncat, alios indecenter fugientes fugat. Ipsum autem Rainaldum quidam piscator Sequanæ Rolloni attributus, jaculo transfixum mortuum sternit. Dehinc Rollo anchoris subductis, celeri remigio Parisium petit, obsidioneque cingit, præda undequaque illico adducta. Quo illic moranti exploratores superveniunt, nuntiantes Bajocacensem urbem a defensoribus vacuam esse et absque detrimento cujuslibet victoris facillime capi. Illico avulsis ab obsidione navibus, Bajocasium velivoto venit cursu. Quam captam aliquatenus subvertit, habitatoribus ejus interfectis. In qua quamdam nobilissimam puellam nomine Popam, filiam scilicet Berengarii illustris viri, capiens, non multo post more Danico sibi copulavit, ex qua Willelmum genuit, filiamque nomine Gerloc valde decoram. Ea sic urbe demolita, Rollo concite Lutetiam regreditur, Cumque in expugnatione ejus arietibus et balistis intenderet, misit exercitum militum ad Ebroicam civitatem, ut eam exterminarent, episcopum nomine Sibor cum suo populo trucidarent. Quo cum venissent, episcopum fuga lapsum non reperientes, omnes cives perimunt et cum maxima præda ducem suum repetunt. Talibus itaque exterritæ plurimæ gentes Franciæ, tributa solvebant Rolloni, plurimæ vero resistebant ei.

CAPUT XIII.

De Elstanno [Alstemo] rege Anglorum, qui per legatos petiit auxilium ejus contra rebelles et accepit. Et quod Rollo inde rediens, subjugatis Anglis, ad votum regis, maximis ditatus donis et auxiliis, dividens comites exercitus sui, alios alveo Sequanæ, alios Ligeris, alios Gerundæ, interjacentes provincias prædaturos celeri navigatione direxit.

Dum hæc geruntur, regis Anglorum Elstanni legati adveniunt, deprecatoria verba Rolloni deferentes, ut illi quantocius auxilium ferat. Conspiraverant enim adversus eum quidam rebelles, arma moventes. Cujus anxietati compatiens, de urbis Parisiacæ expugnatione diffidens, ob videlicet aditus difficultatem et nimiam alimoniæ intra eam copiam, dimissa obsidione, Anglos aggreditur. Quo cum venisset, rebelles expugnans, cum austeritate coercuit, acceptisque obsidibus regi suo pronos effecit. Exhinc iterato electa juvenum multitudine, cum magnis muneribus a rege sibi collatis, in Franciam remeat, statim comites exercitus sui dividens, alios alveo Sequanæ, alios Ligeris fluento, alios amne Gerundæ interjacentes provincias prædaturos celeri navigatione misit. Ipse autem Parisius iterum veniens, cœpit urbem oppugnare et terram super inimicos suos devastare.

CAPUT XIV.

Quod Carolus audiens reditum Rollonis, pacem ab eo trium mensium petens accepit; quo termino finito, Rollo suos usque Burgundiam prædaturos circumquaque misit.

Audiens autem Carolus rex, ab Anglorum partibus rebus prospere gestis, Rollonem rediisse, misit ad eum Francorum, Rothomagensem archiepiscopum, mandans ut a vexatione Franconem cederet, et ei inducias trium mensium daret. Quibus impetratis, paulisper quievit terra a paganorum rapinis. Expletis autem tribus mensibus, illico Rollo putans se

propter securitatem quam dedit, a Francis vilem æstimatum, ferociter et crudeliter devastando provincias, cœpit laniare et affligere atque delere populum. Sui autem in Burgundiam pergentes, perque Yonam in Sigonam navigantes, terrasque amnibus affines usque Clarum-Montem undiquesecus devastantes, Senonis provinciam invaserunt, atque cuncta depopulantes ad Sanctum Benedictum contra Rollonem revenerunt. Videns autem Rollo monasterium Sancti Benedicti, illud contaminare noluit, nec prædari illam provinciam propter sanctum Benedictum permisit. Stampas equidem adiens, totam terram adjacentem perdidit, quamplurimos captivavit. Inde ad Vilemelt veniens, finitimas terras prædavit, hincque Parisius remeare acceleravit.

CAPUT XV.

Quomodo, dum obsideret urbem Cartis, Richardus, dux Burgundionum, cum suo et Francorum exercitu in eum irruit: quo fortiter resistente, Anselmus episcopus ex urbe cum armatis inopinate prosiliens, sanctæ Dei Genitricis tunicam ferens, eum a tergo invasit. Cessit itaque Rollo non Burgundionibus, sed divinæ virtuti.

Postremo, Carnotenam urbem obsidione circumdat; quam cum machinis et tormentis impugnaret, Richardus Burgundionum dux cum suo Francorumque exercitu adveniens, super eum irruit. Cum quo congressus, cum suis atrociter resistebat, quousque Antelmus episcopus ex civitate cum armis inopinato prosiliens, sanctæque Dei genitricis Mariæ supparum præferens, a tergo eum invasit cædendo. Hic tandem videns Rollo se suosque in extremo mortis, decrevit ad horam hostibus cedere, quam cum suorum detrimento pugnare; et provido consilio, non tamen ignavia declinavit a certamine.

CAPUT XVI.

De parte exercitus, quæ in quemdam montem subiit; et de Ebulo Pictavensi comite: qualiter in domo fullonis latuit propter Northmannos.

Quædam autem exercitus sui pars Francis persequentibus recedens. Leugas venit, ac in cujusdam montis subiit cacumen. Ebulus vero Pictavensis comes, tarde ad prælium veniens, comperit paganos montis excelsa occupasse. Quos illico persequens, ejus ardua militibus, ne effugerent, cinxit. Sed noctis medio Northmanni per Francorum castra violenter erumpentes, vitæ dispendium evaserunt. Enim vero Ebulus Rollonem super eos irruisse suspicatus, domum cujusdam fullonis subintravit, ibique tota nocte tremebundus delituit. Porro Franci, facto diluculo, paganos evasisse agnoscentes, citatis equis calcaribus, eos insequi cœperunt. Quos repertos expugnare non audentes, eo quod animalium cadaveribus sanguine cruentatis in modum castri se munissent, nulla re prospere acta citius refugerunt; Northmannis ita se liberantibus, ducemque suum gaudenter repetentibus.

A

CAPUT XVII.

Quod Rollone furiis succenso et acriori oppressione Franciam demoliente, Carolus rex filiam suam dedit ei, et maritimam terram ab Eptæ flumine usque ad Britannicos limites et ipsam Britanniam unde viveret, quia prædata terra erat et deserta [prædicta terra erat deserta], ea tamen conditione ut Christianus fieret, et quod rex et Robertus dux Franciæ et cæteri proceres et episcopi juraverunt eamdem terram Rolloni et hæredibus ejus in perpetuum possidendam; et quod Rollo nolens osculari pedem regis, jussit cuidam militi suo ut eum oscularetur.

His itaque Rollo infortuniis, militumque suorum morte furibunde succensus, ad Francorum infestationem reliquos exaggerat et ad demoliendam sive
B exterminandam patriam ob sociorum perniciem eos totis conatibus incitat. Quid plura? Ut lupi vespertini vehuntur pagani ad caulas Christi, succenduntur ecclesiæ, mulieres ducuntur captivæ, trucidatur populus, fit omnibus in commune luctus. His denique Franci calamitatibus oppressi, querulis clamoribus Carolum regem appetunt, unanimiter conclamantes Christianum populum ob ejus inertiam paganorum incursibus deperire. Quorum querimoniis rex vehementer permotus; ascitum Franconem archiepiscopum Rolloni festinanter dirigit; mandans, si Christianus efficeretur, terram maritimam ab Eptæ flumine usque ad Britannicos limites, cum sua filia nomine Gisla, se ei daturum fore. Qua legatione
C Franco suscepta, peracto itinere, pagano duci cuncta per ordinem pandit. Cujus verba consulto suorum gratanter suscipiens, a vastatione paganica inducias trium mensium regi indulget; ut in hoc dierum spatium pax inter eos stabiliretur fœdere firmo. Statuto sane tempore veniunt ad denominativum locum, qui dicitur ad Sanctum Clerum, rex cum Roberto Francorum duce trans Eptæ fluvium; Rollo vero citra, vallatus cuneis militum. Discurrentibus alternatim nuntiis, pax, favente Christo, stabilitur inter eos, Rollone regi fidelitatem sacramentis jurante et rege illi filiam cum terra prætitulata donante, superaddita etiam ad sumptuum supplementa tota Britannia, ipsius provinciæ prin-
D cipibus, Berengerio atque Alanno, sacramenta jurantibus Rolloni. Nam terra maritima quæ nunc vocatur Northmannica, ob diurnos paganorum excursus, silvis undique adultis, a cultro et vomere torpebat inculta. Flandrensem vero provinciam, ut ex ea viveret, voluit rex ei primum dare, sed ille noluit præ paludum impeditione recipere. Rolloni autem pedem regis, cum ab eo ducatum Northmanniæ susciperet, nolenti osculari, dixerunt episcopi: « Qui tale donum recipit, osculo debet expetere pedem regis. » Et ille: « Nanquam curvabo genua mea alicujus genibus, nec osculabor cujuspiam pedem. » Francorum igitur precibus compulsus, jussit cuidam militi pedem regis osculari. Qui statim pedem regis arripiens, deportavit ad os suum, standoque defixit osculum, regemque fecit supinum. Itaque magnus excitatus risus, magnusque in plebe

tumultus. Cæterum, Carolus rex, duxque Francorum Robertus, comitesque et proceres, præsules et abbates, juraverunt sacramento catholicæ fidei patricio Rolloni vitam suam et membra et honorem totius regni; super terram denominatam, quatenus ipsam teneret et possideret, hæredibusque traderet et per curricula cunctorum annorum successio nepotum haberet et excoleret in progenies progenierum. Quibus nobiliter expletis, rex lætus ad sua regreditur, et Rollo cum Roberto duce ad Rothomagensis urbis mœnia proficiscitur.

CAPUT XVIII.

Quod anno incarnati Verbi 912 baptizatus est Rollo et exercitus ejus et quod venerabilioribus ecclesiis suæ provinciæ dedit partem terræ, antequam suis eam divideret satrapis; et de Brenneval, quam dedit Sancto Dionysio Areopagitæ.

Anno igitur incarnationis Dominicæ 912 benedicto fonte nomine Sanctæ Trinitatis, Rollo a Francone archiepiscopo baptizatur; quem Robertus dux a fonte accipiens, ei suum nomen imposuit. Rollo autem postquam baptizatus est, per septem dies, quibus in albis mansit, Deum et sanctam ecclesiam devote datis muneribus honoravit. Nam primo die dedit terram præmaximam Sanctæ Mariæ Rothomagensi ecclesiæ; secundo Sanctæ Mariæ Bajocensi ecclesiæ; tertio, Santæ Mariæ Ebroicensi ecclesiæ; quarto, Sancti Michaelis archangeli ecclesiæ in periculo maris supra montem positæ; quinto, Sancti Petri et Sancti Audoeni in suburbio Rothomagensi ecclesiæ; sexto, Sancti Petri et Sancti Aichadri Gemmeticensi ecclesiæ; septimo, Brenneval cum omnibus appendiciis Sancto Dionysio dedit.

CAPUT XIX.

Quomodo divisit terram suis hominibus et ecclesias destructas et muros civitatum reædificavit; et de Britonibus quos sibi rebellantes subjugavit.

Octavo die expiationis ejus, vestimentis chrismalibus exutus, verbis cœpit acquisitam terram metiri comitibusque suis et cæteris fidelibus suis largiri. Videntes autem pagani ducem suum Christianum esse, relictis idolis Christi nomem suscipiunt, ac unanimes ad baptismum convolant. Dehinc Robertus Francorum dux, rebus, pro quibus venerat, competenter gestis, Franciam repetit hilaris. Porro Robertus Northmannorum dux, præparato nuptialium rerum magno apparatu, supra nominatam tanti regis filiam in consortium sui tori Christiano more duxit. Securitatem omnibus gentibus in sua terra manere cupientibus fecit. Illam terram sui fidelibus funiculo divisit, universamque diu desertam reædificavit; atque de suis militibus advenisque gentibus refertam restruxit. Jura et leges sempiternas voluntate principum sancitas et decretas plebi indixit, atque pacifica conversatione morari coegit simul. Ecclesias funditus fusas statut, templa frequentia paganorum destructa restauravit. Muros civitatum et propugnacula refecit et augmentavit. Britannos rebelles sibi subjugavit, atque de cibariis Britonum totum regnum sibi concessum sufficienter pavit.

CAPUT XX.

De lege quam statuit, ut nullus assensum præberet furi, et de rustico et uxore ejus quos affigi patibulo propter cultrum et vomerem furatum præcepit.

Post hæc intra Northmannicos limites legem statuit, ut nullus assensum furi præberet. Quod si deprehenderetur, ambo patibulis appenderentur. Contigit autem non multo post in Longapetentis villa quemdam agricolam reficiendi causa, labore suspenso, domum redire, dimissis loris in campo cum cultro et vomere. Quæ tam infelix quam vesana uxor ipsius clam cuncta sustulit, experiri volens edictum ducis. Rusticus vero ad campum regressus, rebus non inventis, uxorem an eas haberet inquirit. Qua negante, ducem aggreditur petens ut sua sibi ustensilia reddantur. Qui motus illico pietatte, damnum viri datis quinque solidis relevare et populum per circuitum ad examen calibis cunctum jussit compellere. Quo Deo judicante liberato, uxor rustici a ministris arctatur. Quæ coacta verberibus reatum profitetur. Dux autem rustico ait: « Noveras antea hanc furem esse? » Et rusticus ait: « Noveram. » Ad hæc dux intulit: « Tuum os te condemnat, serve nequam. » Et continuo ambos jubet suspendi patibulo. Dicuntur etiam alia multa digna relatu vulgo de eo, quorum unum breviter hic intimabo. Dum post venationem in silvam, quæ imminet alveo Sequanæ juxta Rothomagum stipatus obsequentium turbis comederet, sedens super lacum quem usu quotidiano loquendi Maram vocamus, armillas aureas in quercu pependit. Quæ per tres annos ob timorem ipsius intactæ ibidem fuerunt. Et quia juxta Maram illud factum memorabile fecit, ideo ipsa silva usque in hobiernum diem Rollonis Mara vocatur. His et hujusmodi Rollo dux terroribus populum frenans, tum ob amorem justitiæ, quem divinis debuit legibus, tum pro subditorum concordi et quieta vita, tum pro sui honoris tranquillo statu, ducatum sibi a Deo attributum tempore longævo pacifice gubernabat.

CAPUT XXI.

De duobus militibus Caroli regis quos fecit puniri.

Carolus Simplex, filius Ludovici cognomento *Nihil-fecit* erat socer Rollonis; quodam tempore misit duos milites Gislæ filiæ suæ. Quos illa apud se occulte diu morari fecit, nolens eos manifestare Rolloni. Quod cum ille cognovisset, iratus et reputans eos exploratores, jussit illos educi, et eductos in foro rerum venalium jugulari. Audiens autem Robertus dux Francorum, patrinus Rollonis, quod pro nece duorum militum, colligatæ pacis inter regem et Robertum ducem Northmannorum vincula soluta diruptaque essent, contra eum rebellavit, et regnum Franciæ invadens, in regem III Kalendas Julii unctus est. Carolus vero antequam annus compleretur, contra regni invasorem Suessionis pugnavit, ipsumque Deo adjuvante vincens peremit. Sed ei, dum a bello victor reverteretur, nequissimus comes Herbertus occurrit, et sub ficta pacis simu-

latione ad Parronam castrum hospitandi gratia divertere compulit, et ibi cum dolo captum usque ad mortem retinuit. Robertus enim dux sororem Herberti in conjugio habuit, ex qua Hugonem magnum genuit. Carolus autem ubi captus est, Rodulphum filium nobilem Richardi Burgundionum ducis, quem de sacro fonte susceperat, consilio procerum Francorum in regnum sublimavit. Ogiva vero conjux Caroli, filia Elstanni regis Anglorum, infortuniis mariti sui territa, ad patrem suum cum Ludovico filio suo in Angliam fugit, animositatem Herberti et Hugonis magni nimium metuens.

CAPUT XXII.

Quod, mortua uxore ejus absque liberis, iterum Popam, quam ante baptismum habuerat, sibi copulavit, et de fidelitate quam fecit Northmannos et Britones jurare Willelmo filio suo, et de morte ejus.

Rollo autem dux, qui et Robertus, postquam uxor

A ejus morte præventa absque liberis mortua est, repudiatam Popam, ex qua filium nomine Willelmum jam adultum genuerat, iterum repetens sibi copulavit. Verum fractus jam viribus, laboribus et præliis, in quibus omne juventutis robur consumpserat, de ducatus sui dispositione apud se toto conamine, cui vel qualiter illum relinqueret, deliberabat. Convocatisque totius Northmanniæ proceribus, cum Alanno et Berengerio Britonibus, Willelmum filium suum pulcherrimæ juventutis flore vernantem illis exponit, jubens ut eum sibi dominum eligerent, suæque militiæ principem præficerent. De cætero cunctos suasibilibus demulcens verbis, sub sacramento fidei filio illos subegit. Post hæc uno vivens lustro, consumptus senio hominem exuit in Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

B

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBER TERTIUS

De secundo duce Willelmo filio Rollonis.

CAPUT PRIMUM

De honestate morum Willelmi ducis, et quod Franci invidebant ei, quod in circuitu dilataret terminos ducatus sui; et quomodo Berengerium et Alannum Britonum comites, sibi rebellantes devicit.

Igitur duce Roberto carnis ab onere jam liberato, Willelmus filius ejus totius monarchiam Northmannici ducatus sagaci moderamine regens inconvulsam Christo regi fidem servare corde ultroneo satagebat. Erat quippe statura procerus, vultu decorus, micantibus oculis, mansuetus benevolis, quasi leo inimicis terribilis, et ut gigas fortis in præliis, terminos sui ducatus per circuitum dilatare non desistens. Quæ res invasionis et audaciæ Francorum proceribus, odii et invidiæ fomitem ministravit. Sub eadem sane tempestate Berengerius et Alannus Britones, a tenore fidei quam cum eopepigerant dissidentes, ab ejus dominio præsumptivo ausu conati sunt recedere, regi Francorum ulterius disponentes militare. Quorum temeritatem dux festinato impetu comprimens, Britanniam tandiu hostili expeditione vastavit, plurimaque eorum municipia subvertit, quoadusque Alannum totius nequitiæ incentorem a regno exturbaret et Anglos adire compelleret, Berengerio sibi clementer reconciliato.

CAPUT II.

Quomodo quidam Northmannorum duce Riulfo quodam perfido, volentes eum funditus a regno extrudere, dum obsiderent suburbana Rothomagensis urbis, ab eo cum parva manu militum sunt devicti in loco qui hactenus dicitur Pratum belli; et quod, dum a bello victor rediret, cognovit sibi ex Sprota nobilissima puella filium natum apud Fiscannum, quem Richardum jussit in baptismate vocari.

C His ita devictis, diabolo agitante iniquorum quamplures, iterum intestina adversus eum insurgunt molimina. Nam quidam Riulfus perfidiæ succensus furiis, plurimis veneno discordia infectis, arma arripiens, a regno adorsus est eum funditus extrudere adeo ut undequaque collecta virorum multitudine, circa Rothomagensis civitatis suburbana transmeato Sequanæ alveo obsidionem componeret, quatenus ducem ab ea propelleret, aut captum nequiter perimeret, Northmannia sibi vindicata. Videns itaque dux se a suis sic obsessum, multimode meditari cœpit, qua via suæ consuleret saluti atque honori, et milites suos a tam audaci conspirationis metu cohiberet. Ad extremum, a quodam Bothone procuratore suo indecenter lacessitus conviciis, arma sumit et cum trecentis loricatis militibus temeraria castra irrumpens, maximam eorum multitudinem gladiis prostratam orco transmisit, aliosque per diversa silvarum lustra se occultantes in fugam vertit. Riulfus autem commilitonum fiducia destitutus, inter profugos delitescens fugæ subsidio evasit. Dux

D ergo, profligatis inimicis, suorum recensens numerum, reperit ex eis interiisse nullum. Locus in quo fuit hic conflictus, hactenus Pratum-belli nuncupatur. Regresso eo igitur de prælio, a præfecto Fiscannensis castri legatus dirigitur, deferens ex quadam nobilissima puella Danico more sibi juncta, nomine Sprota, filium esse natum. Qui lætus valde effectus, sub festinatione Bajocas illum episcopo Henrico

mandavit dirigere, ut per ipsius manus sacro lotum fonte, proprio nomine vocaret eum Richardum. Cujus jussa præsul gratanter complens, puerum chrismate delibutum Fiscannum remittit nutriendum.

CAPUT III,

Quod multi comites et duces exterarum regionum exciti fama bonitatis et virtutis ejus, frequentabant curiam ejus et maxime Hugo magnus dux Francorum, et Willelmus comes Pictavorum, et Herbertus Viromendorum; quorum Willelmus sororem ejus Gelroc sibi conjugem petiit et accepit, Herbertus vero filiam suam hortatu Hugonis Magni ipsi per conjugium sociavit.

Triumpho de rebellibus potitus dux conspicuo atque viribus convalescens per exteras nationes multimode cæpit præclaram suarum virtutum spargere famam, in tantum ut ex diversis mundi partibus comites et proceres regnorum ilius curiam frequentantes, multis munerati donis, sedes suas ovanter repeterent. Quibus summæ ingenuitatis rumoribus Hugo dux Francorum et Willelmus comes Pictavensis ac Herbertus excitati, cum apud Leonis silvam petulantium cervorum in venatu exercitiorum ludis insudaret, ad eum veniunt ejus commodis congratulantes. Quos ille cum magno sumptuum apparatu suscipiens, de compluribus sæcularium rerum dispositionibus frequenter cum eis disputabat. Inter quos secretorum tractatus, Willelmus Pictavensis comes sororem ejus, nomine Gelroc, petiit, quatenus maritali lege illius connubio jungeretur. Cujus perorantis gratanter favens votis, consultu Hugonis Magni descripti sponsalibus et celebratis nuptiis, cum multis xeniis gaudentem illum ad propria remisit. Oblectatus denique Herbertus super hac nuptiarum festina et magnificia hilaritate, cupiens et ipse magni ac liberalis viri affinitate suum et nomen et posteritatem propagare, adhortante Hugone Magno filiam suam ei donavit. Quam a paterna domo sublatam, cum innumera militum manu idem Northmannorum dux Rothomagensibus intulit arcibus.

CAPUT. IV.

Quomodo rogatu Elstanni regis Anglorum, restituit paterno regno Ludovicum, eumque, favente Hugone Magno cum episcopis et cæteris Francorum primoribus, sancto inunctum oleo diademate regio insignivit; et quod Franci, post quinquennium iterum in ipsum conspirantes, moliti sunt eum a regno expellere.

Audiens autem Elstannus, rex Anglorum, tam magnificam inclyti ducis famam, cum donariis multis legatos illi mittit, orans ut Ludovicum, suum videlicet nepotem, Caroli regis filium, paterno restituere regno satageret, atque Alanno Britoni sibi infenso commissa pro suo amore ignosceret. Cujus precibus dux libenti animo annuens, Alanno debita indulsit atque ad sua redire jussu concessit; et Ludovicum transmarinis partibus revocatum, Hugone magno favente, cum episcopis, cæterisque Francorum primoribus sancto inunctum oleo regno sublimavit. Quod cum lustro uno sub quiete disponeret, iterum Franci adversus eum conspirant, molientes a regnis illum pellere.

CAPUT V.

Quomodo Ludovicus necessitate compulsus, volens inire fœdus amicitiæ cum Henrico Trans-Rhenano rege, noluit eidem rex acquiescere; nisi mediante Willelmo Northmannorum marchione. Unde Ludovicus ducem suppliciter expetens, per ipsum quod quærebat fædus et auxilium apud Henricum regem obtinuit.

Qui coactus eorum improbitate, Henrico Transrhenano regis nuntios mittit, mandans in colloquio cum eo quædam conferre velle, pactumque amicitiarum stabile firmare. Quibus rex respondit se nullo modo ad hoc fœdus incundam acquiescere, nisi Willelmi ducis a stipulatione. His Ludovicus per internuntios auditis, illico ducem aggreditur, adversum Francorum conatus auxilium petiturus. Quem dux honorifice ut regem decet, excipiens, spopondit se per omnia juvamen ei præbiturum fore. Insuper, in regalibus epulis aliquandiu jucundum tempus pariter exegerunt. Præmisso quoque Tedgerio milite ad regem Henricum, illi ambo cum magno exercitu e vestigio expedite post eum proficiscuntur ad colloquium, additis etiam pro eodem negotio Hugone Magno et Herberto principibus Francorum. Itaque accelerato itinere super Mosæ fluvium, in loco qui Veusedus vocatur, ambo reges convenerunt; Henrici ex una fluminis parte, Ludovici vero ex altera e regione exercitu tabernacula figente. Inter quos Willelmus tam fidelissimus quam prudentissimus, consilia et utilia et honesta dictans, amicitiarum tenorem prout disposuit, ambo reges inter se sacramentis confirmarunt. Abhinc Ludovicus cum suis iter convertens Franciam repetit, et maximas de rebus strenue gestis duci gratias egit.

CAPTT VI.

Quomodo dux Willelmus, dum a colloquio regum rediret, rogatu Ludovici filium ejus ex sacro fonte apud Laudunum suscepit, cui nomen impositum est Lotharius.

Regredienti igitur a colloquio regi legatus supervenit, et ex Gerberga conjuge illi natum esse filium nuntiavit. Qui nimio exhilaratus gaudio, Willelmum ducem exorat continuo ut ex sacro fonte suscipiens illum proprio nomine vocaret Lotharium. Quibus verbis dux congratulanter affectu obtemperans, Laudunum proficiscitur, postulata factis expleturus. Quibus regaliter patratis festinato regressu cum suis Northmannicos limites appetit, Cujus adventum cunctus prænoscens clerus Rothomagensis, ad portas urbis cum laudibus processit obviam illi, civibus utriusque sexus acclamantibus in propugnaculis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Sic inter consonas clericorum seu populorum voces, intra Dei genitricis Mariæ ecclesiam a cunctis inducitur, fusisque Deo precibus, ad domum propriam epulaturus properat, multo comitatu stipatus.

CAPUT VII.

Qua occasione dux Willelmus restauravit cœnobium Gemmeticense, a paganis antea destructum

Sub eodem tempore, duos a Cameracensi territorio, ex villa quæ Hespera vocatur, monachos, Balduinum videlicet atque Gunduinum contigit Gemmeticum repetere. Qui vastam loci eremum ingressi, cum maixmo labore terram, prout posse erat, exstirpatis arboribus, cœperunt complanare, ac suarum laboribus manuum inibi insudare. Dux vero Willelmus, dum venatus gratia superveniens illic eos reperisset, percunctari cœpit ab eis quibus ab oris illuc advenissent, vel quæ tam præcipua ædificia forent. Mox servi Dei seriem rei per ordinem ei detexerunt, et charitatem panis hordeacei et aquæ obtulerunt. Quam cum pro vilitate panis et aquæ sumere contempsisset, saltum ingressus, immanem aprum reperit quem festine insequi cœpit. Porro, aper molossis post eum admissis cursum retorquens, hasta venabuli fracta præpeti impetu in ducem irruit, eumque prostratum vehementer attrivit. Qui post paululum, sensu recepto ac sana mente, monachos repetit, et charitatem, quam incaute spreverat, ab eis recepit et locum se restauraturum spopondit. Immissis ergo auctionariis, cum a ramis et sentibus purgavit; Sanctique Petri, quod aliquantisper deciderat, monasterium resarciens, competenter texit. Claustrum vero et omnia receptacula munivit, ac a sui magnitudine breviata habitabilia reddidit.

CAPUT VIII.

De duodecim monachis cum suo abbate Martino a cænobio Sancti Cypriani sumptis, quos comitissa Pictavensis soror ipsius ducis ei misit secundum petitionem suam, ut eos supradicto loco subrogaret; et quomodo dux monachus fieri volens prohibitus est ab ipso abbate; et de fidelitate quam fecit jurare Northmannos et Britones Richardo filio suo.

Interea legatos Pictavis sorori suæ quam Willelmus comes sibi in matrimonio junxerat, dirigit, mandans ut monachos illi mitteret, quos præfato loco subrogaret. Soror autem ejus petitioni gratanti animo favens, itineris sumptus ordinavit, et XII monachos cum abbate suo, nomine Martino, a sancti Cypriani cœnobio sublatos, fratri destinavit. Dux vero, adventu eorum nimis exhilaratus, eos Rothomagi cum maximo gaudio recepit et cum omni honore, militum cuneis septus, Gemmeticum duxit, abbatique locum cum tota villa tradidit, quam ab alodariis auro redemit, et se inibi monachum fieri voto obligavit. Votis quoque satisfecisset, nisi idem abbas ejus animositati obstitisset, eo quod filius ejus Richardus adhuc puerulus esset, verens ne, propter illius imbecillitatem, quorumdam iniquorum molimine patria turbaretur. Verumtamen cucullam et stamineam ab eo extorquens, secum asportavit; quæ in scrinio reposuit, et clavim ejus argenteam cingulo suo appendit. Inde denique digressus, Rothomagum repetit, abbatis prohibitum moleste ferens. Cunctos quoque Northmannicos et Britannicos principes ascivit, animique sui consultum enucleatim pandit. Cujus verbis vehementer stupefacti, hærebant quid responderent, præ nimio stupore elingues effecti. Nam spiritu vix tandem resumpto, in hanc vocem queruli prorumpunt: « Cur nos, serenissime domine, tam repentine dimittis? vel cui dominium ducatus tui committis? » Quibus dux ait: « Est mihi filius, nomine Richardus. Vos autem rogo ut, si quando amoris affectum erga me habuistis, mihi nunc æquo animo ostendatis, quatenus illum vice mei vobis præficiatis; quia quod Deo vovi inevitabiliter a me complebitur factis. » Cujus voluntati obsistere non valentes, ei quamvis mœsti assensum præbuerunt, in eis concordes. Missis quoque nuntiis, puerum Richardum a Fiscanno reductum illis exponit. Cui fidelitatem sacramentis prono animo cunctis firmantibus, dux totius Northmannici seu Britannici ducatus est prælatus. Quem confestim pater Bajocas mittens, Bothoni militiæ suæ principi nutriendum tradidit; ut ibi lingua eruditus Danica, suis exterisque hominibus sciret aperte dare responsa. Hæc de Gemmeticensis loci prætitulavimus relatu, ostendere volentes quantam devotionem, quam pium animi propositum dux Willelmus habuerit circa eum.

CAPUT IX.

Quomodo Heroldus [Aigroldus] rex Danorum, a filio suo Sueno de regno pulsus, cum 60 navibus Northmanniam petens, a duce Willelmo cum honore congruo susceptus est, Constantiensi comitatu ad præsidium ei ab ipso duce concesso.

Interea tanti principis fortitudinem et pietatem fama promulgante, Heroldus, rex Danorum, a filio suo Sueno regno pulsus, cum 60 navibus armato milite plenis Northmanniam supplex adiit. Quem potens et liberalis dux cum honore congruo recipiens, Constantiensem comitatum ei ad præsidium concessit, donec fabricatis navibus exercitum multiplicaret, et amissum cum validiore militum manu repeteret, regnum.

CAPUT X.

Quomodo dux Willelmus, compassus calamitati Herluini comitis, castrum monasterioli ab Arnulfo Flandrensi sibi ablatum obsidione cingens cœpit, illudque Herluino reddidit,

Ea tempestate Arnulfus Flandrensis comes, homo versutus, intra sui juris terminos cupiditate illectus non se valens cohibere, plurimos in vicino positos fastu dominandi studuit conturbare. Unde inter cætera suæ nequitiæ molimina, cuidam comiti nomine Herluino gravissimum inferens detrimentum, castrum quod Monasteriolum vocatur, fraude abstulit. Qui ab Hugone Magno, suo videlicet domino, subventu penitus destitutus, petendi auxilii causa Northmanniæ dominum lugubris aggreditur. Cujus calamitati princeps tam bonitate quam amplitudine præditus, benevolo animo compassus, congregato exercitu, ad expugnandum municipium festinato proficiscitur. Quod mox obsidione occupavit et concitatis militibus per vim cepit iterumque alimoniarum sumptibus vallatum Herluino reddidit. A quo

regressus, Rothomagum rebus strenue gestis ovans redit. Quo tempore Franco Rothomagensis, archiepiscopus moritur, cui domnus Gunardus [Gimardus) successsit.

CAPUT XI.

Quomodo Arnulphus, de ablato municipio tristis, mandavit verbis pacificis in dolo Willelmo duci ut Pinchiniacum veniret, cum ipso de fœdere amicitiæ tractaturus

Interea Arnulphus Flandrensis, dirum perfido sub pectore virus efflans et de ablato municipio efferatis animis condolens, cum multis Francorum principibus de ducis morte corde tenus cœpit tractare. Qui inhumani hominis et nefandi homicidæ cavillatione subdola infecti, unanimiter conspirant in mortem optimi principis, tantum ad nefas sacramento sese constringentes. Porro Arnulphus quod fraudulento animo conceperat opere explere cupiens, missis legatis duci Willelmo mandat se amicitiam cum eo velle habere, pacemque indelebilem firmare, et Herluino comiti pro ejus amore infensa indulgere, et, nisi podagrico chiragricoque detineretur languore, ob hoc ad ejus curiam desideranter ire; denique toto annisu rogat ut locum denominare satagat quo ei occurrere ad mutuum colloquium valeat. Cupiens quoque dux suum ducatum reddere pacatum, eo quod monasticum toto conatu sitiret habitum, determinato loco apud Pinchiniacum cum innumera manu electissimorum militum super Somnæ fluvium tanti ob negotii spem proficiscitur, tubi Arnulphi ex una parte fluminis, Willelmi vero ex altera regione sedit exercitus,

CAPUT XII.

Quomodo quatuor traditores, scilicet Henricus, Balzo, Robertus et Riulfus, in quadam insula Somnæ fluvii ipsum ducem jussu Arnulfi interemerunt; et de clave argentea inventa in strophio ejus, sub qua servabat in scrimio cucullam et stamineam monachilem; et quomodo corpus ejus relatum est Rothomagum.

Erat quippe insula in medio alvei, in qua libatis osculis ambo duces consederunt, de rebus pro quibus venerant tractaturi. Arnulpho etenim proditoris

A Judæ morem imitato, næniis et ambagibus diutius telam araneæ texente, novissime post jurata amicitiarum sacramenta et plurima pacis oscula, sole ruente ad occasum ab invicem dirimuntur. Sed ecce meante Willelmo fluvium, Henricus, necnon Balzo, Robertus quoque atque Ridulphus (Riulphus), quatuor diaboli filii, clamoribus illum revocantes, referunt dominum suum melioris consilii omisisse secretum. Quem navim ad ripam retorquentem, mox ut terram tetigit, extractis gladiis, proh dolor! interimunt innocentem, nullum juvamen de suis habere valentem, ob decurrentis aquæ profunditatem. Inde protinus petentes subsidium fugæ, corpus piissimi viri reliquerunt exanime. Berengerius atque Alannus Britones, necnon Northmannorum
B principes, dominum suum cernentes perimi, clamore et ululatu littora implentes, nullo juvamine valuerunt illi subvenire. Cujus corpus post paululum ad se relatum cum devestirent, argenteam clavim in ejus strophio reperiunt dependentem. satis ditissimum thesaurum sub se habentem, stamineam scilicet et cucullam monachilem. Quæ, si comes ei vita fuisset, ab hoc conventu rediens, apud Gemmeticum factus monachus procul dubio sumpsisset. Imponentes autem illum feretro, quantocius cum multiplici luctu retulerunt Rothomagum. Cui obviam procedens clerus et populus utriusque sexus ad portam urbis, cum mœstis singultibus intulerunt eum in ecclesiam Sanctæ Mariæ perpetuæ virginis. Mittentes itaque ad Bajocasinam urbem, puerum
C Richardum asciscunt ad patris tumulationem. Ibique ei iterato renovantes unanimiter tenorem fidei, tradiderunt illum sub tutela Bernardi Dani, ut sub ejus tam provida quam fideli cura tutius custodiretur intra muros civitatis. Complevit autem sacratissimus dux Willelmus vitæ suæ cursum XVI Kal. Januarii, rege Ludovico regnum Francorum tenente, anno Dominicæ incarnationis 943, regnante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM.

LIBER QUARTUS.

De primo Richardo, filio Willelmi ducis.

CAPUT PRIMUM.

Quod Richardus adhuc puer Willelmo patri suo successit.

Piissimo atque beatissimo duce Willelmo inter electos Dei, ut credimus, translato; filius ejus Richardus summæ ingenuitatis titulo, velut surculus ex dulciflua abscissus arbore, in primævo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ
D flosculos emittere, et liberales sub pædagogi disciplinis animos innornare. Ab illicitis vero teneri pectoris motus nobili reprimens continentia, spretis imbecillis ætatulæ discursibus, sapientum tractatibus ultraneo corde inhærebat. Si quid probitatis vel prudentiæ aure captabat, prout tempus dictabat, sagaci memoriæ protinus committebat. Audientes quoque Francorum optimates

tam nefariam Flandrensis Arnulphi proditionem et lugubrem Willelmi ducis necem, plurimi condoluerunt.

CAPUT II.

Quod Ludovicus rex Francorum Rothomagum veniens et Richardum puerum secum fraudulenter in Franciam ducens, ducatum Northmanniæ juri proprio, quasi tutor pueri, subdidit.

Aliquanti tamen complices ipsius homicidæ, qui se amicissimos ficte antea fatebantur, detectis arcanorum intimis, virus diu absconsum in propatulo denudarunt. Ludovicus etenim rex æstimans sibi magni honoris januam patuisse, immemor beneficiorum et fidei a duce semper illi impensæ, quasi consulturus apud Northmannos super illius morte, accelerato itinere Rothomagum venit concite. Quem Rodulphus et Bernardus atque Anslech totius Northmannici ducatus tutores, cum regali honore suscipientes, ut tanto regi congruit, ejus se subegerunt famulatui, pro fidelitate scilicet sui tantilli domini. Videns autem rex terræ ubertatem et aquarum salubritatem ac silvarum plenitudinem, cupiditate irretitus, fraudulenter cœpit eis promittere quod aliter disponebat sibi retorquere. Mittens enim, Richardum puerum suis jussit aspectibus præsentari; quem egregia forma perspiciens decoratum, cum coætaneis pueris in suo palatio decrevit educandum. Interea durus rumor totam urbem concussit: Richardum suæ spei depositum sub captura regis indecenter detineri. Qua de re cives misti cum militaribus turmis, strictis gladiis per civitatem discurrentes, curiam regis irrumpunt, ferinis conatibus illum interimere festinantes. Quorum tumultus ut comperit, vehementer territus, consilio Bernardi Dacigenæ puerum in ulnis arripuit, cumque furentium conspectibus exhibuit, et sic efferos eorum motus compressit. Volens ergo rex tumultuantes Northmannorum animos omnino sedare, consultu suorum puero Richardo paternam hæreditatem, pacta sibi inde fidelitate, concessit. Quem in sua fide suscipiens spopondit se eis, licet subdole, eum redditurum, palatinis disciplinis decenter imbutum.

CAPUT III.

Quod Ludovicus muneribus Arnulphi cæcatus, Richardo puero duci Northmannorum adurere poplites minatus est.

His ita sedatis, rex dedecus quod a Northmannis perceperat sub occulto pectoris ira fervente ægre ferens, cum Richardo puero, quasi patris ejus mortem de Arnulfo Flandrensi hostiliter ulturus, Franciam repetit. Arnulphus itaque metuens ne rex Ludovicus cum hostica manu super eum irrueret, et a crimine traditoris se expiare cupiens, missis legatis cum decem libris auri, a Willelmi, nece se coram rege fatetur immunem esse. Peremptores vero illius, si jubeat procul dubio a patria se exterminaturum pollicetur. Attamen reminisci debere contumeliarum et opprobriorum quæ tam longævo tempore a Northmannis ipse et pater ejus perpessi fuissent. Et, ne diuturna ægrimonia langueret, optimum fore consilium, ut Richardum puerum adustis poplitibus gravi custodia arctaret, et gentem Northmannicam gravissimis vectigalibus tam diu affligeret quoadusque Danamarcham, ex qua cruperat, coacta repeteret. Rex igitur, muneribus versutisque proditoris decipulis cæcatus, ipsum suspendio dignum a scelere absolvit, et iram in innocentem puerum reflexit; exemplum Pilati imitatus, qui virum homicidam dimisit et Christum crucis supplicio damnavit. Unde, cum apud Laudunum Clavatum moraretur, puerum ab aucupio regredientem, acerbissimis confutatus conviciis, meretricis filium ultro virum alienum rapientis eum vocavit, et, nisi a talibus resipisceret, cauteriatis genibus omni illum honore privari minatus est. Deputatis autem aliis custodibus, ne elabatur, sub magna cautela servari jubetur.

CAPUT IV.

Qua cautela Osmundus procurator ipsius pueri eum ab arcta custodia liberavit, et a Lauduno Clavato exemptum, Silvanectis usque ad Bernardum comitem avunculum ipsius perduxit.

Audiens denique Osmundus procurator ejus severissimam regis sententiam, et intelligens futuros rei casus; animo consternatus Northmannis legatum mittit, mandans dominum suum Richardum sub lugubri captivitatis jugo a rege mancipari. Quibus compertis, confestim per totam patriam Northmannorum indicitur triduanum jejunium et fit continua oratio ab ecclesia pro eo ad Dominum. Enim vero Osmundus, inito consilio cum Yvone patre Willelmi de Belismo, puerum hortabatur ut, simulata ægritudine, lecto decumberet, et ita ægre ut ab omnibus desperaretur. Cujus monitis puer haud segniter obtemperans, quasi in extremo mortis positus, continuo stratu prosternitur. Quod custodes videntes, neglecta ejus custodia, de suis procurandis rebus huc illucque divertuntur. Forte in area domus jacebat herbæ fasciculus, in quo Osmundus puerum colligatum humeris imponens, velut pabulum equo laturus, cœnante rege, nudatisque plateis a civibus, mœnia urbis transgreditur. Veniens autem in domum sui hospitis, super equum festinus insilit, et, arrepto puero, fugiens quantocius Codiciacum appulit. In quo castellanis puerum commendavit, et ipse nocte equitans diluculo Silvanectis venit. Bernardus vero comes eum intuens, tam mature venisse stupet, et qualiter erga nepotem suum Richardum se res habeant, diligenter inquirit. Cui cum rei ordinem detexisset, et solito lætiorem eum fecisset, Hugonem Magnum statim celeri equitatu petunt. A quo, detecto causæ consilio, sacræ fidei ad juvandum puerum sumentes sacramentum, cum maximo exercitu festinanter veniunt Codiciacum, eumque inde sublatum ad Silvanectensem urbem gaudentes deducunt.

CAPUT V.

Quomodo Bernardus Danus consilium Hugonis Magni, quod Ludovico contra Northmannos dederat, sapienter adnihilavit.

Considerans autem Ludovicus rex votum suum irritum fore, ab Hugone Magno per legatos suos tenore fidei cœpit eum exigere. Cui cum renuntiassent, nequaquam sub manu quam suspicatus est eum teneri, sed sub Bernardi Silvanectensis comitis præsidio; de redditione ejus diffidens, misit ad Arnulphum Flandrensem, mandans quod sibi occurreret festinus, de his consulturus apud vicum qui dicitur Restibulus. Ubi dum ambo pariter diverse disceptarent super hujus rei casu, novissime subintulit Arnulphus: « Novimus, ait, Hugonem Magnum cum Northmannis diu sentire, et ideo expedit tibi muneribus illum excæcare. Concede ergo ei a Sequana usque ad mare Northmannicum ducatum, tibi reservans urbem Rothomagensem; quatenus, ejus privata juvamine, penitus cogatur hæc gens perfida a patria exire. » Quibus verbis rex persuasus continuo per suum legatum convocat Hugonem Magnum ad colloquium, ad villam quæ dicitur Crux, juxta Compendium. Quo cum venisset, et de urbium seu comitatuum distributione audisset regem disputare, maluit perjurus honore ampliari, cæcatus cupiditate, quam suo amico Richardo fidem inconvulsam conservare. Quapropter a loco recedentes, jurata adversum Northmannos expeditione et ab utrisque partibus congregatis exercitibus, rex Calcina, Hugo Bajocasina cœperunt rapinis et incendiis oppugnare territoria. Quæ cum Bernardus Danus didicisset, Bernardi Silvanectensis usus consilio, confestim legatos dirigit regi Ludovico, hujusmodi verbis eruditus: « Quare, inquiunt, præpotentissime rex, tuam demoliris patriam; præsertim cum sit tibi nullo obsistente pacifica et quieta? Desiste ergo a tuorum rapinis et utere Northmannorum militum militiis. Cur enim eos vexaris incendiis, cum tibi patula sit urbs Rothomagensis? suscipe igitur benevolo animo eorum servitia, ut queas illorum subsidio vitare inimicorum molimina. »

CAPUT VI.

Quod Ludovicus Rothomagum veniens susceptus est a Bernardo Dano et cæteris civibus, et quod ejus jussione Hugo Magnus cessavit a devastatione Northmanniæ.

Hac itaque legatione oppido exhilaratus, prohibitis a præda militibus, festinat ire ad urbem quantocius. Cui venienti cum multimodis laudibus cunctus civitatis clerus ad portam processit obvius; clamans cum populorum turmis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Inde rex ad regales accedens dapes cœpit epulari splendide, Bernardo Dano ministrante. Cui inter prandendum vino jam æstuanti sic Bernardus ait: « Hodie, serenissime rex, lætissimus illuxit nobis dies, quoniam cœpimus esse regales. Hactenus militavimus duci, ulterius serviemus invictissimo regi. Teneat sibi Bernardus

A Silvanectensis Richardum suum nepotem; nos utinam tempore longo habeamus te dominum et regem! Revera exitiabile tibi consilium dedit, qui totius Northmannici exercitus robur amittere suasit. Quem vero inimicorum non valuisses terrere, robustissima illorum virtute? Sunt enim, ut nos, tuo dominio subjecti, tibi militare cupientes corde volenti. Quare ergo viginti millibus bellatorum in nos armasti Hugonem tuum inimicum? Nonne tibi semper ipse infensus exstitit, et contra te assidue rixatur? » His et hujusmodi rex placatus verbis, cum festinatione Hugoni Magno legatos mittit, qui eum compellant exire a Northmannorum terminis, ei dirigens et hæc: stolidum quidem fore tanta in alius potestatem donare, quibus ad sui supplemen-
B tum quieto jure nullo adversante posset potiri. Quo relato, Hugo Magnus valde exacerbatus celerrime recessit, omissa expeditione, milites cohibens a Northmannica vastatione. Rex etenim aliquandiu apud Rothomagum morans præfectum comitatui præfecit Rodulphum agnomento Tortam, qui vectigalia annuatim a subditis exigeret, et tota hac in provincia jura ac quælibet negocia decerneret. Quo paganis deterior, cuncta monasteria ab ipsis exusta, quæ circa Sequanæ littora erant, diruens a fundamentis, ad reparandam Rothomagensem civitatem petram asportavit. Ad Gemmeticum vero cum accessisset, Sanctæ Mariæ monasterium invasit, illudque evertit. Quod a fundamentis funditus diruisset nisi quidam clericus nomine Clemens ab operariis duas turres pretio redemisset; quæ usque ad tempus
C Roberti archiepiscopi, qui illam restauravit ecclesiam, permanserunt stabiles. Igitur rex, ad libitum expletis rebus, gaudens regreditur Laudunum.

CAPUT VII.

Quomodo industria Bernardi Dani, agente Heroldo rege Danorum, Ludovicus rex Francorum captus Rothomagensi urbe sub arcta custodia retentus est.

Interea Bernardus Danus metuens ne in regressu Ludovicus rex cum Hugone duce Northmannos pressuris gravioribus opprimeret, Heroldo Danorum regi adhuc apud Chierisburch degenti legatos mittit clam; mandans ut, sociatis sibi Constantiniensibus atque Bajocasinis militibus expeditione terrestri, ipse cum hostica classe direptionibus Northmanniam concu-
D teret a partibus marinis: quatenus, hujus rei gratia Ludovico rege ad colloquium contra eum veniente, de inimicis satageret Willelmi amici sui sanguinem vindicare. Cujus monitis rex celerrime favens, propulsis ad mare navibus, subductisque in altum velis, circio flante Corbonis salinæ littora appulit, qua rapido meatu se procelloso mari Diva infundit. Enimvero fama solito more volans Francorum aures illico perculit, paganos maritima littora occupasse cum navium multitudine gravi. Bernardus etiam Danus et Rodulphus Torta regi Ludovico legatum miserunt et hujus infortunii eventum intimarunt. Qui, validum congregans exercitum, quan-

tocius venit Rothomagum. Hinc Heroldo regi Danorum mandat ut apud Vadum qui Herluini vocatur sibi occurrat, insinuaturus scire cupienti cur infestet terminos regni sui. Quæ res regi Heroldo vehementer complacuit, mortem ducis decernenti toto annisu ulcisci. Ubi cum ambo reges præfinito die convenissent, et de Willelmi ducis injusta nece diutius inter se disceptarent, quidam Danus Herluinum Monasterioli castri comitem, pro quo idem dux occubuerat, inter alios prospiciens, zelo amici succensus, confestim illum lancea perfodit, mortuumque sub momento sternit. Cujus mortem Lambertus, fratrer ejus, cæterique Franci amaro ferentes, concitatis animis ad dimicandum super Danos repentino impetu proruunt. Quos pagani viriliter excipientes, serviente Marte, satrapas decem et octo, cum innumeris aliis, gladiis truncatos, ignivomo transmittunt orco. Alii vero, se occulere festinantes, per diversa latibula hac illacque nutabundi vitæ quærebant suffugia. Rex quoque Ludovicus pernicis equi cursu a regis Heroldi captione lapsus, in cujusdam militis incidit manus. Cui cum multa promitteret, ne ejus proditione hosti traderetur, tandem miles victus regis lacrymis, in quamdam Sequanæ insulam clanculum eum subduxit. Quod ut Bernardus Danus a relatoribus agnovit, exactoribus directis militem statim in vincula conjecit. Qui, coactus suimet necessitate, invitus coram protulit quem disponebat eruere pro obventu muneris. Rex vero ab insula sublatus Bernardi jussu apud Rothomagum sub vehementi custodia artatur.

CAPUT VIII.

Quod Gerberga regina, auxilium petens ab Henrico patre suo Transrhenano rege contra Northmannos, non impetravit; quapropter filium suum et duos episcopos obsides pro Ludovico rege conjuge suo dedit.

Gerberga denique regina virum suum a Northmannis audiens esse captum diriguit, et consternata animo Henricum Transrhenanum regem, suum equidem patrem, celeriter aggreditur; orans ut, plurimo ordinato exercitu, Rothomagum obsideret, virumque suum violenter inde abstraheret. Cujus infortunium cum rex Henricus audisset, juste illi hoc contigisse respondit, quia fidem quam Willelmo duci olim juraverat, filium ejus capiendo, nefarie corruperat. « Per tuos, inquit, o filia, stude illum juvare, quoniam de propriis oportet me ad præsens tractare. » His regina a patre auditis, concite revertitur ad Franciam, rebus nequaquam prospere actis. Dehinc supplex appetens Hugonem Magnum postulat ut a Northmannis extorqueret dominum suum. Hugo vero dux, misso Bernardo Silvanectensi, Northmannos convocat ad colloquium festinato ad Sanctum Clerum. Cumque illuc congregati fuissent et de regis exhibitione diutius altercarentur, Hugo Magnus novissime subintulit : « Reddite nobis regem nostrum, et pro eo reciproce suscipite ejus filium, eo tenore ut, opportuno huc revertentes tempore, firmemus pacem inter nos stabili fœdere. » Hoc cum Northmannis placuisset, pro eo susceperunt obsides, ejus siquidem filium et duos præsules, Hildierium Belvacensem atque Widonem Suessionensem. His itaque strenue peractis, rex de evasione sua lætus, regreditur Laudunum, et Northmanni repetunt Rothomagum.

CAPUT IX.

Quomodo Northmanni reduxerunt dominum suum Richardum de Francia, et quod obsides redditi sunt; et de reditu Heroldi in Danamarcham.

Post hoc autem Northmanni mittentes ad Silvanectensem Bernardum revocaverunt inde cum exercitu magno Richardum seniorem suum. Tempore vero præfinito, ascita militari manu, cum præsulibus Franciæ venit rex super fluvium Eptæ cum Magno Hugone, Northmannis occurrentibus in altera parte fluminis cum puero Richardo. Discurrentibus autem ab utraque parte internuntiis, Christo favente, pax inter eos stabilitur fœderibus firmis, juratisque sacramentis obsides redduntur; mortuo filio regis apud Rothomagum. His autem rite expletis, rex Ludovicus regreditur Laudunum, et puer Richardus Rothomagum. Quem Rodulphus Torta urbis præfectus male illico cœpit tractare, et domesticos ejus penuria famis affligere, nolens ad quotidianum victum illis præter XII nummos præbere. Quamobrem dux vehementer furore succensus ab urbe illum festinanter pepulit, Parisiumque ad filium suum civitatis præsulem ire coegit. Quibus ita peractis, Northmannica tellus siluit a facie ducis. Heroldus vero rex non multo post regreditur in Danamarcham, et Sueno filio suo reconciliatur.

CAPUT X.

Quod Hugo Magnus filiam suam Emmam Richardo duci despondit, unde Ludovicus rex et Arnulphus comes Flandrensis perterriti auxilium Othonis regis petierunt contra Hugonem Magnum et Richardum ducem, et quod Otho, depopulata terra Hugonis Magni, Rothomagum aggressus est expugnare.

Post hæc Hugo dux considerans puerum Richardum viribus convalescere, consensu Bernardi Silvanectensis, sacramentis ab utraque parte juratis, filiam suam nomine Emma illi despondit, ut pubescens flore juventutis jungeret eam sibi lege conjugali. Quæ res Ludovicum regem plurimosque Francorum proceres valde perterruit, sed maxime Arnulphum Flandrensem totius fraudis incentorem. Ludovicus siquidem ut hos magnarum virium duces amoris vinculo connexos esse didicit, timens ne eorum conatu deponeretur a culmine regni, misit Arnulphum Flandrensem consultu ejusdem ad Othonem Transrhenanum regem, mandans quoniam, si Hugonem Magnum omnino contereret, et Northmannicam terram suo dominio subigeret, procul dubio Lothariense regnum illi contraderet, quod patri suo Henrico regi videlicet Transrhenano fuerat promissum, propter prælium Suessico [Suessonico] campo ipsius adjutorio a Carolo patre ipsius Ludovici contra Robertum prospere gestum. Qui gavisus, audito quod diu optaverat, præparatis omnibus quæ tantum ad negotium congrua erant ac necessaria, velut

tempestas valida a regno suo egressus, adjunctis sibi Ludovici regis et Arnulphi Flandrensis exercitibus, cum legionibus militum multis super Hugonem Magnum irruit. Consumptisque omnibus quæ illius erant extra oppida, omne robur belli super Northmannos a patria exturbandos immisit; præmittens cum milite multo quemdam suum nepotem ad terrendam Rothomagensem urbem. Quam cum aggressus fuisset, Northmannos intra muros reperiens delitescentes, suspicatus est omnes fore imbelles. Itaque militibus concitatis vehementer portas expugnare cœpit. Northmanni vero, portis repentino impetu patefactis, proruentes animis efferatis, tanto adversarios turbine depopulati sunt, ut, prostrato super pontem nepote regis, vix elaberentur ex certamine perpauci.

CAPUT XI.

Quam turpiter Otho imperator et Ludovicus rex et Arnulphus Flandrensis ab obsidione Rothomagi fugerunt; et de morte ipsius Ludovici cui successit Lotharius filius ejus.

Porro rex Otho cum rege Ludovico atque Flandrensi Arnulpho lento gradu subsecutus, dispositis militum legionibus, cum accessisset ad obsidendam urbem, eamque perspexisset inexpugnabilem, audita morte sui nepotis, de distrahendo Arnulpho Northmannis cum suis clam cœpit consultare intra ecclesiam Sancti Petri almique Audoeni, quæ in suburbio sita est civitatis. De regressu quoque in crastino pavido inibi disponit consilio. Verum Arnulphus eo traditionis laqueo deprehenso, papilionibus tentoriisque complicitis et sagmariis oneratis, in conticinio noctis cum suo exercitu festinus aufugit, in maximo tremore persistentibus aliis, equorum strepitu abeuntium territis. Otho vero atque Ludovicus diluculo consurgentes, ut didicerunt Arnulphum fugisse, illico quo venerant itinere gressus retorquent, dimissa obsidione. Quos maturius discedentes Northmanni adeo sunt persecuti, gladiis perimentes, ut per diversa itinera reperirentur prostrati quasi bidentes. Plurimi autem illorum, dum per devia silvarum divortia oberrarent capti, per Northmannorum patriam sunt distracti. Hic Ludovici regis finis, non multo post hominem, post multos mœrores exeuntis. Quo tempore, defuncto Gunardo, Pothomagensi archiepiscopo, successit Hugo.

CAPUT XII.

Quod Hugo Magnus ad extrema veniens filium suum Hugonem patrocinio ducis Richardi commendavit; et quod idem dux filiam prædicti Hugonis Emmam post mortem patris uxorem accepit.

Hugo denique dux senio fessus, cum novissimum sui exitus diem cerneret imminere, ascitis principibus sui ducatus, eorum consulto flore juventutis vernanti Richardo duci filium suum nomine Hugonem commendare studuit, ut, ejus patrocinio tutus, inimicorum fraudibus non caperetur. Post cujus obitum, filiam ejus nomine Emmam a paterna domo

A sublatam, idem dux, ut olim desponderat, cum maximo tripudio et honore Rothomagensibus intulit mœnibus, sibi eam jungens jure conjugali.

CAPUT XIII.

Quod consilium Thebaldus comes Carnotensis dedit Gerbergæ reginæ contra Richardum ducem, et quomodo eadem fraus a duobus militibus ipsius Thebaldi duci detecta est.

Interea Thebaldus Carnotensis comes, quibusdam simultatibus exortis, duci Richardo cœpit adversari ejus terras demoliendo rapinis. Cujus temerarios ausus ut comperit, fortitudine tanto digna viro strenue compressit. Thebaldus autem suum inceptum spe minus valere considerans, Gerbergæ reginæ de Richardo duce malivola verba cœpit suggerere,

B suadens eo vivente Lotharium regem, filium equidem suum, Francorum regnum nunquam pacatum tenere. Qua de re, summe necessarium fore toto annisu eam satagere qualiter tantum hostem de terra exterminet. Quibus verbis regina credula, confestim Brunoni archipræsuli Coloniensi et duci, suo videlicet fratri, legatum mittit, mandans quatenus nepoti suo subveniat, Richardum infestissimum regni ejus adversarium capere, si qua via succedat annitens. Continuo a Brunone quidam episcopus duci destinatur, qui ei suadeat quod apud Ambianensem pagum sibi ad colloquium occurrat, regem reconciliare illi, Francorumque regnum suæ ditioni subdere cupienti. Quibus verbis dux subdole deceptus, quo lætissima spes vocavit, iter instituit festinus. Cui eunti obvii fuerunt duo milites The-

C baldi. Quorum unus ait; « Quorsum, illustrissime virorum, gressum tendis? Visne esse dux Northmannorum, an extra tuam patriam custos ovium? » His dictis, conticuit. Cui dux ait: « Cujus milites estis? » Ad hæc alter infit: « Quid tibi, cujus? nonne tui? » Animadvertens illico dux verba delatorum sibi ad consulendum ac necessario providendum dirigi, illts quidem honorifice vale dixit, et uni ensem ex auro quatuor librarum in capulo fulgidum dedit, alterum vero armilla totidem librarum purissimi auri remuneravit. Deinde suum cellerrime gressum retorsit, salvusque Rothomagum venit. Hoc modo Bruno delusus regressus est, detectis nequitiæ suæ fraudibus.

CAPUT XIV.

D *Quomodo rex Lotharius, congregatis inimicis Richardi ducis, videlicet Balduino comite Flandrensi, Gaufrido Andegavensi, Thebaldo Carnotensi, illum voluit decipere, sed non potuit.*

Exinanito itaque tanto dolo, Lotharius rex ad aliud palliatæ proditionis argumentum hortante Thebaldo iterato devolvitur, ducique legatum hujusmodi verbis instructum destinat: « Quousque, inquit dux, servitii debitum mihi detrectas exhibere? An ignoras me Francorum regem esse, cui te militiam oportet impendere, cujus edictis atque consultis te nequaquam oportet contraire? Nonne de nostra dissensione mei tuique gratulantur inimici? Resipisce

ergo jamjamque ab his obstinati animi altercationibus, et accelerato itinere festina mihi occurrere, ut, indissolubilibus pacis fœderati vinculis deinceps per mutuam concordiam fruamur competentibus commodis; gaudeatque rex de tanto suo duce, et dux de suo charissimo rege. » Quibus simulatæ legationis ambagibus dux illectus, illico regi mandat se ultroneo libitu affuturum. Super his vehementer rex gavisus, ascitis ducis inimicis, Balduino scilicet Flandrensi atque Goiffredo Andegavensi, nec non Thebaldo Carnotensi, super Helnæ fluvium ad detestandum placitum concitus venit. E contra quoque dux ex altera aquæ parte sedit cum militari manu. Cupiens autem scire quæ apud regem gererentur, misit de suis renuntiaturos, qui agerent cum eo de ejus contubernalibus amicis. Legati prænominatis illic repertis comitibus super ducem irruere disponentibus, confestim pernici cursu regressi ducem hortantur ut a loco recedat; ne, dum regia præoccupatur proditione, inimici ejus adversum se congredientes gaudeant de illus morte. Continuo dux, compellentibus suis fluvium Deppæ transiens aliquandiu substitit, et a vado aquæ insequentes hostes prohibuit, donec regiam vim declinans, Rothomagum repeteret celeriter cum suis. Sic detecta in propatulo fraude regis, animositatem ejus circa se agnovit.

CAPUT XV

Quod rex Lotharius urbem Ebroicam capiens Thebaldo tradidit; et quomodo dux Richardus Carnotensem comitatum et Dunensem vastavit; et quod Thebaldus ad Ermentrudis villam cum exercitu veniens, ignominiose inde, agente duce, cum magno damno aufugit.

Perspiciens ergo rex propositum sui voti flocci pensum fore, Laudunum regreditur furibundus; non multo post, Thebaldo suggerente, Northmanniam hostiliter petiturus. Vix enim ad consilium contrahendum respirans, congregatis Burgundionum Francorumque militum copiis; civitatem Ebroicam aggressus, civibus incautis eam obsidione cingit, dolisque Gisleberti agnomento Machel capit, ac ad expugnandam patriam Thebaldo comiti statim tradit. Rege vero ab urbe recedente, Richardus dux e vestigio eum prosequitur, et cunctum Dunensem seu Carnotensem comitatum præliis et incendiis depopulatur. Consumptis omnibus quæ Thebaldi erant, cum innumera præda revertitur ad propria. Haud mora, Thebaldus reciproca vicissitudine clam exercituum agmen collegit, ac ad dedecus ducis apud Hermentrudis villam papiliones et magalia fixit, stationemque infestissimorum hostium composuit. Verum providissimus ac fortissimus dux intempestæ noctis silentio alveum Sequanæ transmeavit, et diluculo super eos irruens tanta illos strage profligavit ut ex eis sexcenti quadraginta perirent, et reliqui per diversa silvarum lustra vulnerati diffugerent. Ipse vero Thebaldus turpiter fugiens cum paucis, latitando per devia saltus, Carnotum venit confusus. Ad ejus fugæ suffragium, Christo illi reddente vicem,
A filius ejus ipsa die moritur, totaque Carnotena urbs incendio consumitur. Dux autem Northmanniæ ad campum belli regressus mortuos reperit, et misoricordia motus sepeliri eos jussit. Vulneratos vero imperat Rothomagum leviter deferri, ibique a medicis curari, sanatos quoque Thebaldo remitti.

CAPUT XVI.

Quod Richardus dux auxilium Heraldi regis Danorum contra Francos petiit et efficaciter impetravit.

Videns itaque dux tantarum fraudium regis molimina super se imminere, comitesque Francorum contra se unanimiter sævire, Heraldo Danorum regi legatos dirigit, et mandat ut ocius illi succurrat, et paganorum multitudine Francorum rabiem solo tenus comprimat. Cujus legatos rex non modo gau-
B denter recepit, verum etiam maximis muneribus ditatos duci remisit, seque missurum celerrime illi juvamen spopondit. Quid plura ? Jussu regio naves ad mare propelluntur. Ad tantæ expeditionis negotium paganica juventus, pæparatur clypeis et loricis ac galeis omnique armorum apparatu innumerabilis exercitus munitur. Inde statuto die elevantur vexilla, ventis salubriter spirantibus librant vela, celerique navium cursu permenso mari ad Sequanica devolvuntur ora. Quorum adventu dux cognito vehementer gavisus, illis obviam processit, atque eo præeunte sulcantes remigio alveum Sequanæ, ad Givoldi fossam devehuntur expedite, ibique fixis anchoris, de subversione consulunt Franciæ. Et ecce repentino tumultu e navibus proruunt, totamque in cir-
C cuitu patriam exitialiter comburunt. Dehinc viri cum mulieribus concatenati distrahuntur, vici deprædantur, urbes desolantur, castella subvertuntur et terra in solitudinem redigitur. Fit luctus omnium in commune, nullo cane per comitatum Thebaldi latrante. Ubi vero illa deficiunt, regalia jura continuo invadunt. Quæ autem Francis subtrahunt, Northmannis possidenda vili pretio conducunt. Libera manet a paganorum rapinis tellus Northmannica, Francia vero nullo obsistente distrahitur captiva.

CAPUT XVII.

Quod necessitate compulsi rex Lotharius et Thebaldus, omnia quæ duci Richardo diripuerant integre restituerunt et de conversione paganorum ipsius hortatu. D

Dum hæc geruntur, synodalis episcoporum conventus apud Laudunum congregatur, investigaturus cur Christianus populus his cladibus affigatur. Mittentes denique Carnotensem præsulem duci sciscitantur ab eo cujus rei causa tam exsecranda a christianissimo piissimoque viro processerit severitas. A quo cum regis fraudes et Thebaldi urbis Ebroicæ surreptionem pontifex didicisset, confestim a paganicis irruptionibus inducias petit, ac adipiscitur, in quibus præsules adducant loco opportuno regem Lotharium, de omnibus benevolo animo illi satisfacturum. Igitur audiens Thebaldus regem absque suo consilio pacem quærere, formidans ne

totum seditionis pondus super eum incubat, quemdam monachum duci cum festinatione mittit, mandans se in quibus illum offenderat, toto conamine pœnitere, ac ad curiam ejus ire, Ebroicamque urbem illi reddere velle. Dux autem, his auditis, lætus efficitur, et, concessa securitate, copiam illi indulget ad se veniendi. Qui cum familiaribus ad eum veniens, non solum urbem illi reddidit; verum etiam firmatis amicitiis, cum multis denariis ab eo gaudens discessit. Imminente vero die præfiniti colloquii, dux apud Givoldi fossam in paganorum castris scenam miræ magnitudinis construi jussit, in qua Lotharius cum suis optimatibus divertens illi satisfecit, fædoribus pactis, juratisque sacramentis. His itaque salubriter dux expletis, paganorum plurimos ad finem Christi sacris monitis convertit, alios in paganismo permanere disponentes ad Hispanias transmisit. Ubi, plurima bella perpetrantes, decem et octo diruerunt urbes.

CAPUT XVIII.

Quod, mortua uxore sua Emma absque liberis, idem dux duxit Gunnorem, et de progenie ipsius ducis.

Qua tempestate Emma uxor ejus, filia Hugonis Magni, absque liberis moritur. Ipse vero non multo post quamdam virginem nomine Gunnor, ex nobilissima Danorum prosapia ortam sibi in matrimonium christiano more desponsavit. Ex qua filios genuit, Richardum videlicet et Robertum atque Malgerium, aliosque duos atque filias tres. Quarum una nomine Emma, Edelrodo regi Anglorum nupsit, de qua idem rex Edwardum et Aluredum. Godwini longo post dolis interemptum procreavit. Secunda vero Hadvis vocata Goiffredo Brittannorum comiti juncta, Alanum et Eudonem duces progenuit. Tertia quidem Mathildis Odoni comiti, de qua sermo in posteris orietur. Genuit etiam duos filios et totidem filias ex concubinis. Quorum unus Godefridus, alter vero dicebatur Willelmus. Horum prior comes fuit Aucensis. Quo defuncto, accepit frater ejus eumdem comitatum quem adhuc hæredes ejus jure successionis possident; licet comes Gislebertus filius Godefredi comitis ipsum comitatum parumper tenuerit, antequam occideretur. Hic Gislebertus genuit Richardum strenuissimum militem, qui tam ipse quam filii ejus, Gislebertus, Rogerius, Walterius, Robertus, ecclesiam Beccensem magno affectu dilexerunt et magnis possessionibus ditaverunt; imitantes comitem Gislebertum avum suum, qui in fundanda prædicta ecclesia venerabilem Herluinum primum abbatem et constructorem ipsius et consilio et rebus juvit. De qua ecclesia et prædicto ejus abbate, pracedenti tractatu, loco competenti prout decet, mentionem faciemus. Hic vero ista per anticipationem breviter dixisse sufficiat.

CAPUT XIX.

Quomodo dux Richardus apud Fiscannum ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis construens, diversis ornamentis decoravit et de abbatiis S. Michælis de Monte et S. Audoeni, quas restauravit, et quod, mortuo Lothario, Hugo Capet rex elevatur, cui etiam post aliquantum temporis defuncto successit Robertus filius ejus.

A Cum igitur dux Richardus multorum operum bonorum [illegible] et incrementis, inter plurima commercia summæ opinionis, apud Fiscannum miræ magnitudinis et pulchritudinis in honore Deificæ Trinitatis templum construxit, mirificisque ornatibus multimode adornavit. Abbatias quoque quasdam restauravit. Unam siquidem in suburbio Rothomagensi in honore sancti Petri sanctique Audoeni, aliam in Monte qui dicitur Tumba, in veneratione archangeli Michælis, gregibusque monachorum insignivit. Tempore sub eodem diem obiit Hugo Rothomagensis archiepiscopus, cui successit Robertus ejusdem ducis filius. Porro mortuo Francorum rege Lothario, in illius loco ab omnibus subrogatur Hugonis Magni ducis filius Hugo Capet, adminiculante ei duce
B Richardo. Hic adversum Flandrensem Arnulphum sibi militare renuentem arma movens, cum valida manu hostica Atrabatum illi abstulit, et cuncta municipia quæ citra flumen quod vocatur Lis tenebat. Hujus infortunii dolore mœstus Arnulphus petiit Richardum ducem supplex et devotus, ut pacificaret eum cum rege et Francorum principibus. Hoc itaque pro negotio dux contra regem Hugonem ad placitum pergens, non modo eum pacificavit, sed et cuncta illi ablata suis precibus restituit. Quo tempore moritur isdem rex Hugo, succedente ejus filio Roberto rege piissimo. Hujus igitur beatitudinis
C prærogativis iste dux profusius floruit, quia quos audiebat discordes, aut per se aut per suos legatos reddebat concordes, Scriptura dicente: *Beati pedes pacem portantes*. Erat autem statura procerus, vultu decorus, integer corpore, barba prolixa, cano decoratus capite, pissimus monachorum altor, providus clericorum suffragator, superborum contemptor, humilium amator, pauperum sustentator, orphanorum tutor, viduarum pius defensor et captivorum liberalis redemptor.

CAPUT XX.

Quod dux Richardus ad extrema veniens Richardum filium suum Northmannis præfecit, et de morte ejus apud Fiscannum.

His et hujusmodi boni odoris flosculis in laicali habitu redolens gemma Christi, ægritudine corporis cœpit vehementer aggravari. Convocatoque Rodulfo comite, suo equidem uterino fratre, consilium exi-
D git de patriæ dispositione. Qui nimio turbatus dolore, ac aliquantisper factus elinguis, novissime resumpto spiritu hæc duci responsa dedit: « Quamvis, dulcissime frater, atque serenissime senior, viribus corporis videaris destitui, tamen, dum in hac vita te gaudemus amplecti, tuum est de totius patriæ statu disponere. » Quo audito dux, suis undique optimatibus ascitis, Richardum filium suum coram exponit, hoc eum eloquio commendans et præficiens: « Hactenus, commilitones optimi, vestræ militiæ præfui; nunc vocante Deo, morbo cru-

descente ingredientem viam universæ carnis ulterius habere non potestis, deposito onere vitæ corruptibilis » His ab eo lugubre prolatis, protinus tota domus concutitur gemitibus et lacrymis. Tandem fletibus sopitis, assensum præbent voluntati ducis, Richardum adolescentem, pacta ei fidelitate, æquanimiter collaudantes principem. Dehinc languore ingravescente, lecto prosternitur, et, libratis sursum oculis, inter verba orationis plenus dierum spiritum efflavit.

A Hucusque digesta, prout a Rodulpho comite hujus ducis fratre, magno et honesto viro, narrata sunt collegi; quæ scholasti dictamine scripta relinquo posteris. Obiit autem apud Fiscannum Richardus dux primus, flentibus populis, gaudentibus angelis, nongentesimo monagesimo sexto anno ab incarnatione Domini. Regnante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBER QUINTUS.

De secundo Richardo duce, filio Richardi superioris.

CAPUT PRIMUM.

De honesta conversatione secundi Richardi, tam in sæcularibus quam in divinis negotiis.

Quoniam quidem dignis præconiorum titulis in præcedentibus pretiosissam Christi gemmam, Richardum scilicet Northmannorum ducem extulimus et æterni regis annulo decenter inseruimus; operæ pretium videtur ut carbunculus ab ipso exoriens secundam, sicuti in nomine, ita in præclarissimæ ingenuitatis eulogio absidam teneat Richardus ejus siquidem filius, militaribus triumphis oppido conspicuus, et non minori laudum tripudio excolendus. Qui sui fulgoris radios per diversos orbis cardines glorioso nomine spargens, intra sui ducatus limites plurimis bonorum operum incrementis Northmannicam pene patriam unam Christi insignivit Ecclesiam. Hic in armis admodum strenuus, ubique armatas militum legiones nobiliter rexit de inimicis victoriam semper capere assuetus. Et quamvis sæculari actui foret deditus, totus tamen fuit fide catholicus et erga Dei cultores benevolus ac devotus. Sub cujus moderamine plurima monachorum adolevere ovilia, qui velut apes ex multis sanctorum actuum canistris erumpentes, lucidissima in cœlestes thesauros intulerunt mella.

CAPUT II.

Quam sapienter repressit unanimem conjurationem rusticorum, quam contra pacem patriæ moliebantur.

Dum igitur tantæ probitatis exuberaret copiis, in initio suæ juventutis intra Northmannicum ducatum contigit quoddam pestiferi oriri seminarium dissidii. Nam rustici unanimes per diversos totius Northmannicæ patriæ comitatus plurima agentes conventicula, juxta suos libitus vivere decernebant quatenus tam in silvarum compendiis quam in aquarum commerciis, nullo obsistente ante statuti juris obice legibus uterentur suis. Quæ ut rata manerent, ab unoquoque cœtu furentis vulgi duo eliguntur legati qui decreta ad mediterraneum roborando ferrent conventum. Quod ut dux agnovit, protinus Rodul-B phum comitem cum militum multitudine illis destinavit, qui agrestem ferocitatem et rusticam dirimeret concionem. Qui, non morans jussa, cunctos confestim legatos cum nonnullis aliis cepit, truncatisque manibus ac pedibus inutiles suis remisit, qui eos a talibus compescerent, et ne deteriora paterentur suis eventibus cautos redderent. His rustici expertis, festinato concionibus omissis, ad sua aratra sunt reversi.

CAPUT III.

De rebellione Willelmi naturalis fratris ipsius ducis, cui dederat Oximensem comitatum, et quomodo idem Willelmus captus et fratri postea reconciliatus, Occensem comitatum ab ipso duce dono accepit, cum Lezscenina et de filiis ejusdem Willelmi.

C Eadem tempestate quemdam ducis uno ex patre fratrem primogenitum, nomine Willelmum, quorumdam protervia improborum fecit tumidum et rebellem. Is enim fraterno contuberno Oximensem ab ipso accipiens munere comitatum, ut inde exhiberet ei militiæ statuta, pravorum illectus calliditate, dominium ejus sprevit, et ab illius fidelitatis obsequio se cohibuit. Qui dum per legatos a duce sæpius objurgaretur, et ab ausu resipiscere nollet, consultu et auxilio Rodulphi comitis captus, in Rothomagensis urbis turre detruditur, temeritatis pænitudinem ibi per quinquennium luens. Nonnullos D quoque suorum satellitum in seditionis proposito persistentium crebris certaminum tumultibus devincens, vita privavit, alios exules de suis finibus exturbavit. Willelmus tandem post quinquennium, cujusdam sui militis factione, longissimo fune per eminentiorem fenestram a turre lapsus fugam iniit, Qui diebus, ne a perquirentibus reperiretur, delitescens, et noctibus iter carpens, novissime deliberavit apud se, æquius illi fore cum vitæ discrimine clementiam fratris attentare, quam cujuspiam regis aut comitis suffragium nil sibi quandoque profuturum expetere. Sub hac quippe deliberatione animi callem conficiens, quadam die ducem reperit, se in saltu Vernensi exercentem venatuum ludis. Mox

ejus vestigiis solo tenus provolutus, veniam commissi ab eo expetebat lugubris. Protinus cum dux, misericordia motus, favente Rodulpho comite a terra erexit, ac ut evasionis suæ, ipso narrante, casum agnovit, non solum errata illi indulsit, verum etiam benevolo animo ut fratrem chrissimum deinceps dilexit. Cui non multo post Oeensem comitatum tradidit, eique quamdam puellam valde speciosam, nomine Lezsceninam dedit, filiam siquidem cujusdam nobilissimi viri nomine Turchetilli. Ex ea tres genuit filios, Robertum scilicet post ejus mortem comitatus illius hæredem, et Willelmum Suessionensem comitem atque Hugonem Luxoviensem præsulem. Quibus, ita sopitis, Northmannica tellus siluit a facie ducis.

CAPUT IV.

Quod Eldredus [Edelredus] rex Angliæ, qui Emmam sororem ducis duxerat, misit exercitum ad subjugandum sibi Northmanniam; et quomodo Nigellus Constantiniensis eos usque ad internecionem devicit.

Circa hæc tempora Eldredus rex Anglorum Emmam ducis sororem in conjugio habens, quibusdam exortis dissensionum incentivis, duci nocere et dedecora ingerere sitiens, maximam navium multitudinem in mare jussit impelli, ac militibus ex omni regno mandavit ut constituto ab eo die ad eas convenirent, loricis et galeis decenter armati. Cujus jussis gratanter Angli obtemperantes, unanimes adsunt ad naves. Rex igitur prospecta multa et optime instructa exercitus copia, ascitis militiæ suæ satrapis, animi sui propositum exponens, valida austeritate regio more præcepit ut euntes totam Northmanniam rapinis et incendiis exterminarent, solummodo archangeli Michaelis monti parcerent, ne tantæ sanctitatis et religionis locum igne concremarent. Jussit etiam ut Richardum ducem caperent, post tergum manus vincirent, et vivum patria sibi subjugata conspectibus suis adducerent. His vero edictis, eos ire cum festinatione imperavit. Qui subductis in altum navibus, velivolo sulcantes æquora vento, ad littora Saræ devolvuntur permenso maris limbo. Hinc prorumpentes e navibus continuo maritima confinia exitiali Vulcano tradunt. Quod ut Nigellus a speculatoribus comperit, milites Constantinienses cum multitudine vulgi congregavit, impetuque repentino super eos irruit, tantaque illos strage delevit, ut nullus penitus remaneret, qui facta posteris nuntiaret. Nam unus illorum cursu nimio fatigatus a longe resederat, qui videns sociorum infortunia, timore territus, corporisque imbecillitatem oblitus, ad naves cucurrit quantocius, cæterorum exitia nuntians custodibus. Qui pariter ex omnibus ad res tutiores se conferentes, intra sinum maris remigio se contulerunt, de vita diffidentes. Pansisque velis in sublime, cursu citissimo regem suum expetierunt, vento ad votum spirante. Quos ut vidit, protinus ducem ab eis exigere cœpit. At illi respondent: « Nos, serenissime dux, ducem minime vidimus, sed cum unius comitatus gente

A ferocissima nostro cum interitu dimicavimus. Ubi non modo sunt viri fortissimi bellatores, sed et feminæ pugnatrices, robustissimos quosque hostium vectibus hydriarum suarum excerebrantes: a quibus omnes scito tuos extinctos esse milites. » Quibus rex auditis insipientiam suam agnoscens, tristis erubuit.

CAPUT V.

Quod Gaufridus Britannorum comes sororem ducis Richardi nomine Haduis petiit uxorem et accepit, de qua genuit Alannum et Eudonem.

Considerans etiam Gaufridus Britannorum comes ducem Richardum in omnibus prosperari, viribus et divitiis quotidie ampliari, arbitratus est sua tutius vallari, seque amplius roborari, si ejus frueretur B amicitia et auxilio. Quamobrem consultu suorum fultus, Britannicos limites penetrans, cum maxima militum ambitione illius expetiit curiam. Quem dux, ut tantum decebat virum, honorifice suscipiens, aliquantisper cum copioso affluentium opum apparatu eum secum detinuit, et potentiæ suæ magnitudinem prout libuit illi ostendit. Gaufridus autem ut se a duce tam excellenter tractari vidit, intra se deliberare cœpit, quia si ejus jungeretur connubio sororis nomine Haduis, fortior inter eos necteretur nodus amoris. Erat enim hæc puella corpore valde decora, morum honestate gratissima. Unde post pactas amicitias eam sibi dari toto annisu poposcit. Cujus voluntati dux gratanti animo favens, assentientibus Northmannorum principibus, petitam Christiano more tradidit. Celebratis vero cum inæstima-C bili honore nuptiis, non multo post eum immensis muneribus eos ovantes abire permisit. Gaufridus ex ea postmodum duos filios genuit, Alannum videlicet et Eudonem, qui post ejus excessum Britannicam patriam robustissimo vigore diutius rexerunt.

CAPUT VI.

De crudelitate Eldredi regis Anglorum in Danos, qui pacifice secum in Anglia commanebant; et de quibusdam juvenibus ejusdem gentis, qui evadentes regi Danamarchæ Sueno mortem propinquorum nuntiaverunt.

Dum in statu supra intellecto sub tam præclaro rectore Northmanniæ felicitas polleret, Eldredus Anglorum rex regnum quod sub magna potentissi-D morum regum gloria diu floruerat, tanto nefariæ proditionis scelere regiminis sui tempore polluit, ut et pagani tam exsecrabile nefas horrendum judicarent. Nam Danos per omne regnum unanimi concordia suum cohabitantes, mortis periculum minime suspicantes, subito furore sub una die perimi, mulieres quoque alvo tenus terræ esse defossas, et ferocissimis canibus concitatis mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri, lactentes vero pueros ad domorum postes allisos excerebrari, jussit, nullis criminum existentibus culpis. Dum igitur apud Lundoniam sub hujus decretis die hæc congeries peremptorum lictorum sævitia in immensum cumularetur, quidam juvenes agilitate pernices ad

quamdam navim se contulerunt, et fugæ præsidium per Thamisæ alveum celeri remigio maris sinum petierunt. Permenso autem prolixi ponti spatio, novissime cupitum Danamarchæ portum applicant, regique Sueno cruenta gentis suæ exitia nuntiant. Tunc rex nimio dolore tactus intrinsecus, totius regni sui ascitis principibus, cunctam ei seriem illis deponit, quidque agendum consulerent, diligenter inquirit. Qui amicorum et propinquorum ærumnis et luctu moti, quasi ex uno ore omnes eorum sanguinem decreverunt debere totis viribus ulcisci.

CAPUT VII.

Quod Suenus rex congregato exercitu ad Eboracum comitatum appellens, inde dimisso exercitu ad Richardum ducem Northmanniæ petendæ pacis gratia cum nonnullis navibus Rothomagum venit; et de pacto quod inter Northmannos et Danos firmatum est. Et quod Eboracenses et Cantuarii et Lundonienses eidem regi se tradiderunt; et de fuga Eldredi regis cum uxore et filiis ad Richardum ducem Northmannorum.

His autem rex auditis, cum festinatione cunctos sub suo regimine degentes præparari jussit. Hac illacque veredarios misit, diemque præfixit quando milites lucri cupidos de exteris regnis ad hanc expeditionem venire mandavit. Porro, termino adveniente statuto, ad naves immensus illico cucurrit exercitus. De hinc regalia in sublime elevantur vexilla, et librantes ventis vela, velificato protensi maris intervallo ad Eboraca devehuntur territoria. Ibi quippe rex dimisso exercitu cum nonnullis navibus petendæ pacis gratia apud Rothomagum ducem Richardum aggreditur. Quem cum dux aliquanta mora regaliter tractaret, dum et ipse et milites post tantum navigii laborem recrearentur, pacem continuam inter se firmaverunt; ea videlicet lege ut per succedentia Danorum regum Nothmannorumque ducum ac eorum hæredum tempora, firma perpetualiter inter eos maneret, et quæ Dani abstulissent inimicis, emenda conferrent Northmannis. Si quis vero Danorum invalidus aut vulneratus amicorum indigeret juvamine, apud Northmannos quasi in domo propria sub securitate sanaretur. Quæ lex ut rata maneret, ab utraque parte sacramentorum tenore principes eorum illam sanxerunt. Quibus rex ad votum expletis, condignis a duce muneribus muneratus, quantocius ad suos regreditur lætus. Qui ut suo junctus est exercitui, continuo Anglorum regnum tradit ultricibus flammis. Videntes itaque Eboraci a nullo juvari, datis obsidibus se subigunt illius dominatui. Inde vero egressus ad Thamisæ ora provehitur. Ubi venientes Cantuarii simili modo ejus se subdunt potestati. Deinde avulsis navium anchoris, alveum sulcans fluminis, apud Lundoniam obsidionem componit. Cujus impetum Lundonii non valentes ferre, illius servitutis jugo colla ferina inviti supposuere. Eldredus vero rex apud Winfoniam degens, ut ab Anglis se vidit funditus destitui, sublatis a terra thesauris, cum uxore et filiis Edwardo scilicet et Aluredo, in Northmannia ducem Richardum expetiit. A quo decenter acceptus, cum magnis opum apparatibus omne sui incolatus Rethomagi cum eo exegit tempus.

CATUT VIII.

De morte Sueni regis apud Lundoniam, et quod Chunutus filius ejus patri succedens, iterum exercitum contra Anglos movit; et de reditu Eldredi in Angliam et de victoria Danorum apud Auxendunum.

Igitur Suenus, dum apud Lundoniam de regni tractaret dispositione, mortem obiit interceptus ægritudine. Cujus corpus Dani aromatibus condierunt et in navi disposuerunt, et cum festinatione apud Danamarcham tumulandum devexerunt. Quo tumulato, filius ejus, nomine Chunutus, arma illius sumens exercitum viriliter roborat, et ne ab iterata expeditione resipiscant, totis nisibus exaggerat. Denique, missis legatis, duos reges ad suum evocat suffragium: Lacman equidem Suavorum et Olavum, Noricorum. Hi ad ejus auxilium advenientes cum suis copiis militum, totius robur militiæ suæ corroboraverunt virtute. Interea, dum hæc geruntur, Eldredus rex mortem Sueni audiens, præparatis ad navigandum omnibus, cum uxore lætus ad regnum suum regreditur; sed filios suos Edwardum et Aluredum cum avunculo dimittit, Rex autem Chunutus, collectis undequaque militum legionibus, velut turbo validus a regno suo egressus, procellosum mare intentat intrepidus. Subductis autem in altum navibus, velivolo cursu ad Anglos devehitur. Inde petens Thamisæ fluvium, celeriter appulit Lundoniæ comitatum. Cui cum suis egredienti de navibus occurrentes Angli ex omni regno apud Auxendunum congregati, ad suam perniciem cruentissimum illi bellum intulerunt. Cum quibus rex, efferatis legionum suarum animis, atrociter confligens, tanta eos internecione delevit, ut nullus hominum queat supputare quot millia in die illa corruerint Anglicæ gentis.

CAPUT IX.

Quod mortuo Eldredo rege Anglorum, Chunutus rex Danorum Emmam uxorem ejus duxit et ex ea genuit Hardechunutum, qui postmodum ei successit.

Rex vero victor effectus, ad naves suas cum suis est reversus. Hinc celeri se movens fiducia, Lundoniam circumdat obsidione. Quam intra urbem Eldredus rex graviter ægrotavit, et, crudescente morbo corporis, non multo post hominem exivit. Rex igitur Chunutus, audita morte regis, consultu fidelium suorum præcavens in futurum, Emmam reginam abstractam ab urbe post aliquot dies sibi junxit christiano more, dans pro illa cuncto exercitui in auro et argento pensum illius corporis. Ex ea, succedente tempore, genuit filium nomine Hardechunutum, postmodum regem Danorum, et filiam vocabulo Gunnidem, quæ nupsit Henrico Romanorum imperatori. Diffidentes quoque Lundonii de sua salute, quippe cum diuturna laborarent fame, patefacta urbe se suaque omnia regi sponte dedere Quibus peractis, omne robur Anglici regni incubuit

sub dominio regis Chnuti. Hæc in hujus operis serie intexuimus, ut Edwardi regis ortum ignorantibus monstraremus. Nunc vero ad propositum retorqueatur stylus, a quo paulisper digressi sumus.

CAPUT X.

De discordia inter Richardum ducem et Odonem comitem Carnotensem propter castrum Dorcasinum; et quod idem dux castrum Tegularias super Arvæ fluvium firmavit; et quomodo Northmanni Odonem et duos comites adjutores ejus vicerunt.

Temporibus denique sub eisdem, Odo Carnotensis comes quamdam ducis sororem nomine Mathildem cum multimodis muneribus a fraterna domo auferens, sibi in matrimonio legitime copulavit. Cui dux medietatem Dorcasini castri dedit dotis nomine cum terra super Arvæ fluvium adjacente. Nonnulis hinc elabentibus annis, hæc eadem Mathildis, judicio disponente Dei, moritur absque liberis. Post cujus obitum duci terram prætitulatam repetenti, comes Odo nimiis versutiis cœpit contraire, nolens illi quietam dimittere Dorcasini castri tuitionem. Quapropter dux, ascitis Britonibus cum Northmannorum legionibus, super Arvæ fluvium hostiliter veniens castrum condidit, quod Tegulense vocavit. Sumptis autem ex Odonis comitatu alimoniis, eamdem munitionem abundantissime replevit. Nigellum Constantinensem, atque Rodulfum Toennensem, et Rogerium filium ejusdem, cum eorum militum custodes in ea reliquit. Quibus patratis prospere, recessit inde unumquemque jubens ad sua redire. Odo vero comes, convocatis clam ad sui suffragium comitibus, Hugone siquidem Cenomanensi ac Waleranno Mellendensi, cum eorum militum copiis tota nocte equitans, diluculo ad Tegulense castrum venit, præeuntibus signiferis. Quos ut viderunt proceres prætitulati, custodibus intra municipium dimissis, repentino impetu foras erumpentes cum suis, commiserunt prælium cum illis. Illico partes ducis, Deo juvante, ita eos prostraverunt ut, multis peremptis, plurimis vulneratis, per devia reliqui fugerent et nutabundi opaca silvarum latibula quærerent. Odo vero atque Walerannus, quærentes suffragium vitæ, occuluerunt se Dorcasini castri munitione. Hugo nempe, equo cui insederat extincto, pede fugiens ad caulas ovium divertit, et loricam quam indutus erat sub telluris sulco texit. Deinde chlamyde opilionis se amiciens, septaque gregum infatigabiliter humeris de loco ad locum ferens, Northmannos hortabatur ut quantocius persequerentur hostes, non longe ante illos turpiter abeuntes. Illis itaque recedentibus, prævio pastore silvarum lustra carpens, tandem post triduum Cinnomannis venit, vepribus et sentibus miserabiliter pedes ac tibias cruentatus.

CAPUT XI.

Quod duo reges pagani ex transmarinis partibus venerunt ad auxilium Richardi ducis contra Francos.

Videns igitur dux comitem Odonem ad tantam devolutum esse vecordiam, missis legatis, duos reges cum paganica multitudine ex transmarinis partibus, sui evocat in auxilium; Olavum scilicet Noricorum et Lacman Suavorum. Cujus legatos reges competenter susceperunt, cum multis donariis ei remiserunt, et non multo post se venturos esse nuntiaverunt. Deinde cum suis exercitibus pariter congregati, paucisque navium velis spumea sulcantes æquora ponti, cursu celeri ad Britannorum finitima littora sunt devoluti. Britones autem eorum repentinum agnoscentes accessum, a cunctis regni partibus congregati, eos ad prædam inhiantes [in] cautos præoccupare sunt arbitati. Pagani vero eorum dolos comperientes, quadam usi versutia, per campi planitiem, quo illos naverant venturos fore, profundissimos foderunt cuniculos in superficie angustos, ut supervenientes equites, cruribus equorum confractis, indecenter humo præcipitarentur, sicque gladiis facilius perimerentur. Britones autem veniunt et continuo super hostes atrociter irruunt. Sed paganorum decipulis prostrati, tantam sævitiam illico sunt perpessi, ut vix e prælio elaberentur perpauci. Inde barbari prolixius progredientes castrum Doli obsident, et captum igne comburunt, ac incolas ejus cum Salomone advocato loci interficiunt. Deinde sublatis anchoris repetunt mare, et velificante classe ad ora devehuntur Sequanæ. Carpentes vero fluminis alveum, pernici remigio applicant Rothomagum, eosque Richardus dux valde gavisus competenti honore regaliter excepit.

CAPUT XII.

Quod Robertus rex Francorum timore prædictorum regum concordiam fecit inter ducem Richardum et Odonem.

Robertus autem dux Francorum, audiens paganos tanta Britannis probra intulisse, ducemque Richardum ad confutandam Odonis comitis contumaciam eos accersisse, verens ne ab eis Francia demoliretur, satrapas regiminis sui convocavit, ambosque discordes ad se apud Coldras convenire mandavit Ubi dum causas dissensionum utraque in parte audisset, sopitis eorum animis, protinus illos concordes reddidit, eo quidem tenore ut Odo Dorcasinum castrum teneret, et dux præreptam terram reciperet; reciproce Tegulensi castro in statu suo perpetualiter consistente, in ejus scilicet hæredumque suorum potestate. Quibus dux ad votum peractis, ad reges suos regreditur lætus. Muneratos autem congruis donis regaliter, ad propria ovanter redire permisit, quandoque ad ejus juvamen paratos reverti. Rex autem Slavus super Christiana religione oblectatus, spreto idolorum cultu, cum nonnullis suorum, hortante Roberto archiepiscopo, ad Christi fidem conversus est, atque, ab eo baptismate lotus et sacro chrismate delibutus, de percepta gratia gaudens ad regnum suum regressus est. Postea vero a suis proditus et a perfidis injuste peremptus, cœlestem regiam intravit rex et martyr gloriosus, et nunc apud gentem illam coruscat prodigiis et virtutibus.

CAPUT XIII.

Quod Richardus dux uxorem duxit Judith sororem Goiffredi comitis Britannorum, et de prole quam ex ea genuit.

Porro dux Richardus de successione prolis sollicitus, Goiffredum Britannorum comitem quamdam habere sororem nomine Judith audiens, corpore admodum elegantem, omnique morum honestate pollentem, hanc per legatos petiit in connubium. Goiffredus autem proposito ejus ultroneo animo satagens accelerare, omnibus quæ ad tantum negotium erant congrua præparatis, eam illi deduxit usque ad limina archangeli Michaelis. Ibi dux illam competenti honore suscepit, sibique legitimo jure junxit. De qua, profluentibus annis, tres filios genuit, Richardum siquidem, atque Robertum, et Willelmum apud Fiscannum monachili vellere in adolescentia functum : Totidemque filias, quarum una nomine Adeliz Rainaldo Burgundionum comiti nupsit, ex qua Willelmum et Widonem procreavit; altera Balduino Flandrensi; tertia jam adulta obiit virgo. Porro Goiffredus comes longo post orationis pro obtentu Romam proficiscens, totam Britanniam cum duobus filiis, Alanno videlicet ac Eudone, reliquit sub ducis advocatu. Qui peragratis sanctorum locis, in repatriando præventus morte diem obiit.

CAPUT XIV.

Quomodo Robertus rex Francorum auxilio Richardi ducis reddidit Burchardo castrum Milidunum.

Tempore illo, cum Burchardus Milidunensis castri comes apud regis Francorum curiam moraretur, quidam ejus miles nomine Walterius muneribus cæcatus, illud ei dolo subipuit et Odoni comiti clandestina proditione tradidit. Rex autem, ut hoc comperit, Odoni festinato mandavit quatenus castrum desereret sponte, quod sibi usurparet injuste. Sed ille loci fisus munimine, ob decurrentis in gyro alveum Sequanæ referentibus legatis regi respondit, illud vita comite se nulli unquam reddere. His rex oppido exacerbatus verbis, Richardum Nortmannorum ducem ad colloquium accersivit, eique ruboris sui dedecus deposuit, orans gratissimam ejus fidelitatem subventuram sibi, ne tanto præsumptionum ludibrio premeretur a suis. Dux autem opprobrium pii regis non ferens, congregato miræ multitudinis exercitu quantocius Milidunum venit, et illud ex una fluminis parte obsedit, et rex in altera parte constitit. Sib acte utrisque partibus castrum die noctuque cum turbine gravi tormentis et machinis quatiunt. Videntes itaque Milidunenses tantam vim hostium se non posse tolerare, distracto duci tumido rebellatore portas repente aperiunt, eumque cum suis introducunt. Dux vero parcens multitudini, traditorem protinus regi destinavit, mandans ut milites dirigeret; qui castrum reddidit Burchardo, et proditorem cum uxore propria patibulo jussit suspendi, debitam illis talionem reddens suæ factionis. Post hæc Richardus dux, rebus decenter expletis, cum, benedictione regali ad propria remeavit. Cujus ætatis tempore semper assueti fuerunt hostes fugare Northmanni, sed terga vertere nulli.

CAPUT XV.

Quod auxilio Richardi ducis Robertus rex Francorum ducatum Burgundiæ, quem Henricus dux ejusdem sibi moriens reliquerat, invitis Burgundionibus adeptus est.

Annis adhinc tribus emensis, Henricus Burgundionum dux moritur absque liberis. Robertum Francorum regem sui ducatus relinquens hæredem. Burgundiones cum fastu supercilii suscipere refutaverunt; sed Landricum Nivernensem comitem intra Autisiodorum ad rebellandum summiserunt. Quorum tumidos præsumptivæ temeritatis conatus Robertus rex comprimere festinans, accersito duce Richardo cum exercitu Northmannorum copioso, Autisiodorum tandiu obsedit, donec Landricum cum urbe, obsidibus sumptis, suo subjugaret dominatui. Inde vero profectus apud Avalonum castrum ad obsidionem, est castra metatus. Quod cum tribus mensibus expugnaret robore vehementi, tandem Burgundia vastata oppidani coacti penuria stipendiorum, consilio et auxilio ducis illud reddiderunt regi Francorum. His ad votum rite peractis, rex per cuncta castella custodes deputavit et Robertum filium suum ducatui subrogavit, sicque arrogantia repugnantium cassata quievit. Deinde rex in Franciam et dux cum suis redit in Northmanniam.

CAPUT XVI.

Quod Rainaldus trans Saonæ fluvium comes Burgundionum duxit filiam Richardi ducis Adeliz.

Cognita quoque mirandorum operum ducis opinione Rainaldus trans Saonæ fluvium Burgundionum comes, missis legatis, filiam ejus nomine Adheliz in conjugium sibi expetivit. Quam impetratam a paterna domo auferens, in Burgundiam cum magno honore induxit, suoque toro christiana lege sociavit. Sed longe post obortis litium fomentis, ipse a quodam Cabilonensi comite nomine Hugone dolo capitur et sub diræ custodiæ ergastulo detruditur, compedibusque gravissimis artatur. Cujus incompetentem anxietatem dux ut agnovit, illico Hugoni expedite legatos direxit, mandans ut absque difficultate dilationis generum suum pro amore suo sineret liberum abire. Legationem vero ducis Hugo parvipendit, nec modo Rainaldum reddere contempsit, verum etiam custodibus abhibitis vehementius custodire tumide jussit. Quod cum relatum duci fuisset, protinus Richardo filio suo imperavit ut, coacto in unum Northmannorum exercitu, Burgundiam adiret, suamque injuriam de funesto totis nisibus vindicaret. Adolescens jussa patris libenter exequitur, et omnia quæ ad tanti itineris expeditionem opportuna erant præparat. Denique velut tempestas procellosa coram se cuncta proturbans a patria egreditur, confecto calle cum innumerabili Northmannorum multitudine Burgundiam invadit, et Milinandum [Milbiandum] castrum obsidione cin-

git. Incolæ vero loci tuto fidentes munimine, telis ac sagittis hostes cœperunt confestim ad sui perniciem provocare. Northmanni sævissimo furore concitati, castrum cum magno impetu per gyrum oppugnant, repente capiunt, et cum viris ac mulieribus atque parvulis igne terra tenus comburunt. Inde ad Cabilonensem urbem iter dirigunt, ejusque patriam igne consumunt. Considerans igitur Hugo contra tantum exercitus robur se nullo pacto posse resistere equestrem sellam ferens humeris, provolutus genibus Richardi adolescentis, prece supplici veniam precatur commissæ temeritatis. Qua indulta Rainaldum reddidit, et, obsidionibus datis, apud Rothomagum ex hoc se fore satisfacturum jurejurando duci Richardo spopondit. Quibus ad votum peractis, Richardus juvenis ad patrem rediit cum suis.

CAPUT XVII.

Quod dux Richardus ad extrema veniens Richardum filium seniorem præfecit suo ducatui.

Richardus dux, quamvis præcellentissimorum actuum prærogativis longo lateque claruerat perspicuus, tamen Christi cultor extitit assiduus, adeo ut monachorum atque clericorum jure vocetur pater A piissimus et pauperum sustentator indefessus. His et hujusmodi probitatum vigens titulis, cœpit vehementer aggravari ægritudine corporis. Robertum ergo archiepiscopum et cunctos Northmannorum principes apud Fiscannum convocat, eisque se jam omnino resolvi indicat. Illico per cuncta triclinia domus fit omnibus intolerabilis luctus. Lugubre quippe lamentabantur monachi et clerici, pro tanta orbitate patris charissimi. Heroum ora undabant lacrymis pro amissione invictissimi ducis. Lugebant quoque catervæ egenorum per compita oppidi, pro destitutione sui consolatoris et patroni. Novissime autem ascitum Richardum filium suum consultu sapientum præfecit suo ducatui, et Robertum fratrem ejus comitatui Oximensi, ut inde illi persolveret debitum obsequii. Denique omnibus quæ ad Dei cultum pertinere videbantur, strenue dispositis, B millesimo vicesimo sexto anno ab incarnatione Domini hominem exivit, viam ingrediens universæ carnis, regnante eodem Jesu Christo in Deitate paternæ Majestatis et in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBER SEXTUS.

De tertio Richardo et Roberto fratre ejus, filiis videlicet secundi Richardi.

CAPUT PRIMUM.

Quod Richardus tertius, licet paulisper in regimine ducatus fuerit, bonitatem tamen patris imitatus est.

Hactenus clarissimis præcedentium Northmannorum ducum gestis inelimato styli nitore in propatulum expressis, consequens videtur ut qui floruerunt ætate nostri temporis, in hujus stadio gymnasii opportunum obtineant locum stationis. Quorum actus partim intuitu, partim veracium comperimus relatu, quos plurimorum notitiæ, prout tenuitas dictaminis suppeditaverit, propalare decrevimus. Igitur Richardus juvenis in ducatu superstes genitoris, licet paulisper supervixerit, sicut in vocabulo nominis, ita hæres exstitit censura summæ ingenuitatis. Hic in armis bellicis valde idoneus, totus tamen fide fuit catholicus et circa Dei cultores benignus ac mansuetus, æquo libramine militares turmas moderans, pace gaudens frui continua.

CAPUT II.

De discordia inter ipsum et Robertum fratrem suum, et de morte ipsius Richardi post factam concordiam.

Verum, hujus optandæ pacis incremento perfidus hostis non diutius passus est illum lætari, quorumdam versutia malevolorum fratrem suum Ro- C bertum adversus eum concitans ad rebellandum. Is enim post biennium, contempto ejus dominio, intra Falesiæ castrum cum suis satellitibus se contulit ad resistendum. Richardus autem dux furentis fratris temerarios conatus festine cupiens refrenare, ac ad obtemperandum debitæ subjectioni revocare, cum hostium multitudine infra castri ambitum vallavit eum obsidione. Quod cum crebris ictibus arietum et balistarum aliquandiu expugnaret, tandem a perfidia resipiscente Roberto, datis dextris in pristinam concordiam redierunt, et firmiter pace composita ab invicem secesserunt. Porro dux Richardus dimisso exercitu Rothomagum rediit, et cum suorum nonnullis, ut plurimi retulerunt, veneno mortem obiit. Hoc millesimo vicesimo octavo ab incarnatione Domini anno contigit. Parvulus Richardo filius Nicolaus extitit, qui terrenæ hæreditatis sorte, ut D ipse Deus hic et in ævum sua pars esset, caruit. Nam ab infantia litteris traditus et in cœnobio sancti Audoeni in suburbio Rothomagensi nutritus, monachile jugum diutissime portavit. Defuncto autem abbate Herfasto, in regimine præfati monasterii successit, quod fere quinquaginta annis, tempore Willelmi ducis Nortmanniæ et magni regis Angliæ tenuit. Denique anno 1092 ab incarnatione Domini, mense Februario, obiit tempore Roberti II ducis et

Willelmi Rothomagensis archiepiscopi. Nunc vero ad propositum revertamur.

CAPUT III.

Quod Robertus fratri suo Richardo successit, et de moribus ejus, et de discordia inter ipsum et Robertum archiepiscopum.

Descendente igitur duce Richardo a mundani principatus culmine, et regna, ut credimus, uranica scandente, Robertus frater ejus totius monarchiæ comitatus ab omnibus subrogatur. Qui quamvis circa rebelles fuerit ferocior moribus, benevolis tamen exstitit lenis et benignus, et erga Dei cultum pius ac devotus. Quamobrem diutinæ pacis oblectamento semper meruit frui, præter id quod pravorum consultu sponte sibi delegit. Unde in primordiis suorum actuum suspectum habens Robertum archipræsulem, hostili obsidione Ebroicam gyravit urbem. Ejus igitur efferos impetus archipræsul cupiens declinare, intra urbis mœnia cum militari manu obstruxit se. Novissime vero datis dextris ab ea secedendi, Robertum regem Francorum cum suis exul adiit, et Northmanniam pontificali anathemate percussit. Robertus ergo dux, recompensata improborum astutia, et perpendens se inconsulte egisse omnia, archiepiscopum a Francia revocavit et in pristinum honorem restituit. Postea mali pœnitens facti, suis, ut tantum virum decebat, ascivit consiliis, in reliquum illi persistens fidelis.

CAPUT IV.

Quod idem dux Robertus Willelmum de Belismo obsedit intra Alentium castrum, et ad deditionem coegit.

Eliminatis denique a se totius litis incentoribus et subactis paci animis liberalibus, sapientum cœpit tractatibus uti et solerti industria ad summi honoris incrementa pollentissime provehi. Jam probos ejus mores et pacificos actus laudum favoribus bonorum plurimi cœperunt efferre, improborum vero nonnulli ignaviæ ascribere. Ex quorum contubernio Willelmus Belismensis, Yvonis filius, animositatem ejus audens attentare, ex castro Alentio, quod beneficii tenebat jure, a serviminis jugo pertinacem cervicem temere sumpta rebellione nisus est extorquere. Ad cujus atrocem insolentiam propere conterendam adveniens dux cum militaribus turmis, tandiu eum intra munitionem tantæ præsumptionis adjutricem conclusit, donec ejus clementiam expeteret et nudis vestigiis equestrem sellam ad satisfaciendum humeris ferret. Dux autem ei, licet ficte, satisfacienti non modo cuncta indulsit, verum etiam reddito ei oppido festinus a loco secessit. Willelmus enim dirum angusto sub pectore virus efflans, paulisper a manifesto perfidiæ motu se suspendit; sed non multo post ad idem perjurii scelus palam rediit. Multum quippe crudelis et cupidus erat, et quatuor filios, Warinum et Fulconem, Robertum et Willelmum, sui similes habebat. Warinus igitur, postquam Gunherium de Belismo militem bonum ac amabilem, qui nihil mali

A suspicabatur, sed potius ei ridens ut amico congratulabatur, sine causa capite crudeliter privaverat, mox a dæmonio arreptus est, et videntibus sociis qui aderant strangulatus est. Iterum Willelmus ad tantam controversiam contra ducem perjuratus incanduit, ut intrepida cum audacia filios suos Fulconem atque Robertum cum militum copia dirigeret, qui direptionibus Northmanniam vexarent. Verum plurimi ex domo ducis expediti vernaculi audacter eis occurrerunt, et intra saltum Blavonis cruentum cum eis prælium commiserunt, ac suffragante Deo graviter illos protriverunt. Ibi Fulco prævaricatoris filius jugulatus est, et omnes pene milites abrasi sunt. Robertus autem frater ejus

B vulneratus vix e certamine cum paucis elapsus est. Willelmus vero pater eorum jam graviter ægrotans, ut eos sic interiisse comperit, intrinsecus dolore cordis tactus, continuo animam efflavit. Sic ducis hostibus profligatis, seditio pressa in partibus illis ultra disparuit.

CAPUT V.

Quod Hugo Bajocensis episcopus, filius Rodulphi comitis, castrum Ibrilicum tenere voluit, sed non potuit.

Interea dum hæc geruntur, Hugo Rodulfi comitis filius, Bajocasinæ urbis præsul, perspexit quod Robertus dux vellet prudentium consilia sectari et sua destituere, quadam usus doli versutia, Ibrilicum castrum clam armis et alimoniis sufficienter muni-

C vit. Deinde custodes posuit, et Franciam ocius adiit, ut inde milites conduceret qui viriliter illum ad repugnandum juvarent. Dux vero fraudis ejus molimina accelerans anticipare, contractis Northmannorum copiis idem castellum præoccupavit obsidione, clausa egrediendi ab eo sive ingrediendi omnibus facultate. A cujus ingressu cum se Hugo videret extrusum, sollicitus de suis intra illud conclusis, libertatem abeundi per legatos a duce petiit et eos inde protinus abegit. Ipse quoque cum suis, quos expetierat, diutius extorris permansit. Dux vero custodibus a castello amotis, idem in deditione munitum suscepit.

CAPUT VI.

D *Quod Balduinus comes Flandrensis filio suo Balduino filiam Roberti regis Francorum quæsivit et accepit, malo suo, nisi Robertus dux Northmanniæ sibi ferret auxilium; et de morte Roberti regis Francorum, cui successit Henricus filius ejus.*

Sub eodem tempore Balduinus satrapa Frandrensis sobolem suam cupiens innormare prosapia regali Robertum regem Francorum expetiit, et filiam ejus Balduino filio suo dari poposcit. A Palatinis vero tricliniis adeptam tulit, ac ad domum propriam in cunis asportavit, eamque usque ad annos nubiles diligenti cura nutrivit. Filius autem ipsius mox ut nobilis puellæ amplexibus cœpit frui, affinitate fretus regali, patrem a proprio solo pepulit, Flandrensibus ab ejus fidelitate avulsis. Qui indecenter a suis destitutus, Northmannorum ducem festinanter aggreditur, suffragium adversus filium postulaturus.

Dux ergo nobilis viri calamitatem miseratus, contractis militum viribus velut horridus turbo a patria egressus, Flandoniam est aggressus, illam exterminans flammis exitialibus. Progrediens itaque ad castrum quod Cioca vocabatur, confestim illud subvertit, et omnia quæ in eo consistebant combussit. Videntes autem reliqui proceres, et similia pati formidantes, relicto filio ad patrem reversi obsides dirigunt duci. Adolescens vero Balduinus intuens se non posse ullo modo subsistere ante ducis intolerabiles excursus, legatos illi cum precibus humillimis dirigit, patri se cupere eo mediatore reconciliari. Desiderio ejus ac petitioni vir summæ benevolentiæ congratulanti affectu favit, et utrosque libato pacis osculo in pristinam concordiam continuo redire persuasit. Sic litibus compressis, ulterius in pace et amore quo decuit persliterunt. Ipse vero dux, demolitis rebellium rebus, cum incolumi exercitu in Northmanniam regreditur. Qua tempestate Robertus rex Francorum moritur, cui successit Henricus filius ejus.

CAPUT VII.

Quomodo item dux juvit Henricum regem Francorum contra Constantiam matrem suam.

Rex enim Henricus patre Roberto vivente Francorum regno potitus, tanto postmodum a matre Constantia novercali odio est affectus, ut, conspirantibus adversus eum comitibus, a regali fastigio eum deponere satageret, et Robertum fratrem ejus Burgundionum ducem illius loco subrogare disponeret. Consultu itaque suorum ad Robertum Northmannorum ducem cum duodecim clientulis confugium fecit, ac apud Fiscannum per fidei debitum sibi ab eo subveniri petiit. Dux eum honorifice recepit, multis donis honoravit, et non multo post decenter equis et armis instructum, patruo suo Malgerio comiti Corbuliensi destinavit, mandans ut suis in partibus omnes incendiis ac tormentis affligeret, quos ab ejus fidelitate deficere videret. Ipse vero per cuncta suæ ditionis castella Franciæ contermina militum validissimum manum posuit, et conflictibus crebris tandiu rebelles violenter oppugnavit, donec cervicibus plexis et suis omnibus consumptis, coacti suo regi reconciliarentur et infelissimæ matris conatus omnino exinanirentur. Tunc Robertus Willelmi Belismensis potestatis hæres et crudelitatis, per aliquot annos infestus erat vicinis sibi Cenomanensibus et Northmannis. Expeditionem itaque ultra Sartam agens, a Cenomanensibus capitur, ac apud Balaum castrum duobus annis in carcere custoditur. Post biennium vero Willelmus Geroii filius, aliique Roberti proceres exercitum congregant, et Cenomannis comitem ad pugnam revocant et viriliter præliantes e bello effugant. Ibi Walterium de Sordenia egregium militem, cum duobus filiis militibus eximiis, comprehendunt, inter quos, comtradicente Willelmo, nequiter eum in patibulo suspendunt. Alii vero tres filii Walterio apud Balaum erant. Qui ut atrocem patris et fratrum mortem cognoverunt, vehementer irati carcerem violenter irrumpunt et Robertum de Belismo, securibus capite ejus ibidem contrito miserabiliter occidunt. Quo defuncto, Willelmus Talvacius frater ejus successit in honore fraterno. Ipse cunctis fratribus suis in omnibus flagitiis deterior fuit, et in ejus seminis hæredibus immoderata nequitia usque hodie viguit.

CAPUT VIII.

Quod dux Robertus contra Alannum comitem Britannorum pergens, non longe a flumine Coisnon castrum Carnicas [Carrucas] condidit.

Britannorum quoque comes Alannus proterviæ fastu elatus, a Roberti ducis servitio se subripere pertinaciter est agressus. Dux igitur adversus eum innumerabilem exercitum movit, et non longe a fluvio Coisnon castrum, quod vocavit Carrucas, stabilivit; ad munimem videlicet Northmannici limitis, ac domandum tumidi arrogantiam præsumptoris. Inde Britanniam invasit, totumque Doli comitatum voracibus flammis tradidit. Quibus luculenter peractis, cum præda ingenti Northmanniam repetiit. Alannus autem post ejus abscessum cupiens ulcisci illatum sibi improperium, ad demoliendum Abrincatensem comitatum cum magna exercitu eo e vestigio persequitur illum. Nigellus vero et Aluredus cognomento Gigas, prætitulati castelli custodes, cum suis ei occurrunt, et cum eo certantes illico tanta strage Britones depopulati sunt, ut per camporum plana sive prædicti flumiuis littora prostrati viderentur quasi bibentes. Alannus itaque sua tristia repetens, cum dedecore Redonis venit.

CAPUT IX.

De abbatia Becci et primo abbate et fundatore ipsius venerabili Herluino et de successore ejus Anselmo.

Circa hæc tempora, anno videlicet ab incarnatione Domini 1034 domnus abbas Herluinus, quadragesimo ætatis suæ anno deserens sæcularem vitam, sacræ religionis habitum suscepit ab episcopo Luxoviensi Herberto ; et postea ab eodem præsule sacerdos ordinatus, atque abbas constitutus est. Inde Beccense cænobium cœpit habere initium. Sed quia tanti Patris fecimus mentionem, libet ad memoriam posteritatis his annalium paginis aliqua de eo et ecclesia ab eo constructa paulo latius inserere. A Danis igitur qui Northmanniam primi obtinuere pater ejus originem duxit, mater proximam ducum Morinorum, quos moderni Flandros cognominant consanguinitatem attigit. Ansgotus ille, ista Helois nomen habebat. Gislebertus Brionensis comes, primi Richardi Northmanniæ ducis nepos ex filio consule Godefrido, illum enutritum penes se inter omnes curiæ suæ primates habuit acceptissime. Habilis ille ad arma plurimum erat, nec minori ea animositate gestabat. Omnes omnium totius Northmanniæ majorum familiæ in electis illum habebant in armis, omnique rei militaris usu et cultu corporis sui attollebant. Ab inhonestis avertebat animum, honestis quæ curiæ magnifaciunt, impendebat omne studium. Domi ac

militiæ commilitonum suorum præstantissimus non esse, impatiens erat. Quibus de rebus non solum singularem domini sui obtinuerat favorem, verum et apud Robertum totius patriæ ducem, et apud exterarum dominos regionum, pepererat sibi nomen plurimum, accessumque familiarem.

Vitæ hujus jucundissimo statu annos ille jam excesserat triginta septem, cum tandem divino metu succendi amore mens illius cœpit, et ab amore mundi tepescere, sensimque in dies frigescere. Ab exterioribus oculum cordis convertens ad seipsum, ibat frequentius ad ecclesiam, orabat devote, ac sæpe prorumpebatur in lacrymas. Ludicra re omni omissa, jam minus frequens erat in curia Qua hoc solo detinebatur, quod prædia sua Deo secum lucrari satagebat. Quod et obtinuit, extorquens ea sibi a domino suo multa instantia servitii; ditioni illius ac servitio ipso domino tradente quidquid paterni juris habebant fratres sui, qui eadem dignitate geniti exstiterant sibi. Quia dignior et vera nobilitate generosior germanis efficiebatur, jure ab eis illi subjici, nec indignum aut injuriosum æstimabatur.

Protinus in villa quæ dicitur Burnenvilla, extruendum servitio Dei opus arripuit non parvum, brevi peractum. Ipse non solum operi præsidebat, sed opus ipsum efficiebat, terram fodiens, fossam efferens, lapides, sabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem ipsemet componens. Quibus, alii horis aberant, ipse congerebat quæ ad opus exigebantur, excluens otium ab omni parte diei. Quanto vanitate tumida olim delicatior, tanto vera humilitate nunc ad omnem laboris tolerantiam propter Deum patientior. Cibum præter quibus non licet diebus, semel accipiebat, nec exquisitum et parce satis, expleto cum die opere suo.

Prima litterarum elementa didicit, cum jam existeret annorum prope quadraginta, et divina opitulante gratia eo usque processit, ut etiam ipsis apprime eruditis grammatica in exponendis ac intelligendis divinarum Scripturarum sententiis merito haberetur admirabilis. Quod ut solius divinæ gratiæ, efficacia actum credatur, nocturnis tantum horis huic studio vacabat, quia propter lectionem nunquam diurni operis intermisit exsecutionem. Avulsit illico paternas domos, unde servorum Dei habitacula construxit.

Sacrata vero quam construxit ecclesia ab episcopo Luxoviensi Herberto, comam totundit, ac sæcularem habitum deponens ab eodem pontifice sacræ habitum religionis accepit, miles Christi per tot pericula fortis ante expertus. Ejusdem ordinis cum eo jugum subierunt duo sui. Postmodum a præfato præsule sacerdos consecratus, pluribus ducatui illius jam additis fratribus abbas præficitur. Quos ergo regendos acceperat, actissime, sed more patrum præcedentium, regebat. Videres, peracto in ecclesia officio, abbatem collo sementem, manu rastrum vel sarculum gestantem ad agriculturam præire, monachos omnes ruris operi sub diei terminum insistere. Sentibus et spinis alii agrum emundabant, alii fimum scapulis comportantes spargebant. Hi sarriebant, illi serebant, nemo panem absumebat in otio. Ad horam agendi officii in ecclesia, omnes ad unamquamque conveniebant. Victus quotidianus, panis siligineus, et herbæ cum aqua et sale. Aqua non nisi lutulenta, quia fons nusquam ad duo milliaria habebatur.

Simili se inibi propter Deum servituti nobilis mater ejus addixit, et concessis Deo prædiis quæ habebat, ancillæ fungebatur officio; servorum Dei pannos abluens et quidquid injungebatur extremi operis accuratissime agens.

Dein, post aliquantum temporis, per visum commonitus est ut, dimissa solitudine campestri, quæ competenti opportunitate omnino carebat, cum ad locum sui juris mansionem transferret, qui a rivo illic mananti Beccus appellatur, ad milliarium a castro quod vocatur Brionnium. Est hic locus in ipso saltu Brionnensi, valle ima montibus saltuosis hinc inde conclusa, omni opportunitate humano usui commodus. Propter densitatem ac rivi recreationem, ferarum illic multus erat accursus. Trium tantum molendinorum tres domus illic erant, et solum habitabile permodicum.

Consecrata paucis extructa annis non parva ecclesia, columnis ex ligneis claustrum construxit, in quo ad morem patriæ fratres jam nusquam progressuros considere instituit. Variis ergo simultatibus, quæ sæpe introrsus oriebantur, cœpit dolere multum et anxiari. Ad ea enim componenda, qui in claustro præsideret, minime erat, sumptuum congerendorum necessitas illum immorari extra compellebat. Hac de re, cum jam Deum multoties exorasset, divina sibi miseratio accommodavit auxilium, sufficiens ad universa quæ agenda forent (erant) suffragium.

Ortus Italia quidam vir erat, quem Latinitas, in antiquum ab eo restituta scientiæ statum, toto supremum debito cum amore et honore agnoscit, nomine Lanfrancus. Ipsa quoque in liberalibus studiis gentium magistra Græcia discipulos illius libenter audiebat et admirabatur. Is patria egressus, quamplures multi nominis scholares secum habens, in Northmanniam devenit. Beccum itaque adiit, quo nullum usquam pauperius æstimabatur vel abjectius cœnobium. Forte tunc abbas exstruendæ fornaci occupatus, ipse operabatur manibus suis. Cujus humilitatem animi, sermonisque dignitatem ille plurimum veneratus et amans, monachus ibi efficitur.

Sic per tres annos vixit solitarius infrequentia hominum, gaudens quo ibi nesciebatur, præter paucissimos quibus aliquando loquebatur omnibus ignotus. Rumor, ut hoc factum prodiit, longe lateque protulit, et fama viri præclarissima Beccum et abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Occurrunt clerici, ducum filii, nominatissimi scholarum Latinitatis magistri, laici potentes, alta no-

bilitate viri. Multi pro ipsius amore multas eidem ecclesiæ terras contulere. Ditatur illico Beccensis locus ornamentis, possessionibus, personis nobilibus et honestis. Interius religio atque eruditio multum accrescere exterius rerum omnium necessariarum subministratio cœpit ad plenum abundare. Qui ergo in ipsius monasterii inchoatione domibus necessariis solum sufficiens non habuit, ejus paucos infra annos ad milliaria protenditur dominium.

Non multo post, propter inhabitantium multitudinem, contigit in ea illud a Domino per Isaiam prophetam: *Angustus mihi est locus, fac spatium mihi ut inhabitem.* Adunatam etenim illic fratrum multitudinem quia domorum spaciositas jam capere non valebat et quia situs loci degentium incolumitati contrarius existebat, venerabilis Lanfrancus abbatem Herluinum de majoris monasterii et officinarum ædificatione compellare cœpit. Tanti operis solam commonitionem ille extimuit, ætatis jam deficientis viribus plurimum diffidens. Nolente illo aliquatenus acquiescere, divino nutu monasterii presbyterium corruit. Tandem victus, spem in Deo certissimam gerens et plurimum in consiliarii sui ope confidens, cujus opera sibi bona omnia proveniebant, in salubriori multum situ nova inchoavit; monasterium et officinas, opus pergrande, dignum, cujus dignitati ditiores multæ non accedunt abbatiæ. Ad initiandum opus hoc tantum, non res suæ, quæ permodicæ erant, sed maxima in Deum fides animum firmavit. Quæ universa conferendo sic accumulavit, quod a die qua primo fundamenta posita sunt, usque ad extremi lapidis impositionem nec materia defuit, nec sumptus.

Post trienni vero completionem sola needum completa basilica, venerabilis Lanfrancus cœpti operis institutor, tam Domini, quam Northmanniæ primatum supplicatione coactus, ecclesiæ Cadomensi abbas præficitur. Interea Nortmannorum dux Willelmus hæreditarium sibi Angliæ regnum pervadens imperium rebelle armis ad quæ voluit jura composuit. Dein ad meliorandos ecclesiarum status animum intendit. Totius igitur christianitatis summi pontificis Alexandri, viri vita et scientia excellentissimi, consultu et rogatu, omnium quoque Anglici regni et Nortmanni imperii magnatum libentissimo assensu rex Willelmus quod potissimum solumque acceptabat consilium, doctorem supra meroratum ad hoc elegit negotium. Victus multiplici ratione in Angliam conducitur et quæ insularum transmarinarum primatum obtinet, Cantuariensis ecclesiæ suscepit præsulatum. Qui multarum ditatus amplitudine terrarum, auro argentoque locupletatus, exsecutus mandatum quod in Exodo mandatur: *Honora patrem tuum et matrem ut sis longævus super terram* omnibus modis benignus exstitit circa patrem suum spiritualem et matrem Ecclesiam. Cujus in Anglia quantus postea exstiterit fructus, latissime attestatur renovatus usquequaque institutionis ecclesiasticæ status. Cœnobialis ordo qui omnino ad laicalem prolapsus fuerat dissolutionem, ad probatissimam reformatur disciplinam monasteriorum. Clerici sub canonicali coercentur regula; populus, rituum barbarorum interdicta vanitate, ad recta credendi atque vivendi formam eruditur. Nobilissimorum atque optimorum, tam clericorum quam laicorum, ex multis partibus orbis illic adunatus numerus ad centenariam protendebatur (pertingebat) summam.

Nova necdum sacrata erat ecclesia, quoniam ab ipso cujus eam consilium inchoavit et auxilium consummavit, expectabat consecrari, instanter hoc a Deo exposcens. Cujus petitioni, qui ad cætera sibi benignus exstiterat optatum Deus concessit effectum adimplens per omnia super hac re illius affectum. Multo enim ampliori quam præsumere poterat, honorificentia consecrata est a quo exoptabat.

Igitur x kal. Novembris, anno ad incarnatione Domini 1077, sanctæ omnis Ecclesiæ reverendus gentium transmarinarum summus pontifex Lanfrancus advenit, consecrando consummaturus ecclesiam, quam inspirante Deo inchoavit, et in cujus exstruendis fundamentis lapidem secundum ipse manu sua imposuit. Convenerunt universi Northmanniæ episcopi, abbates et alii quique religiosi viri. Affuerunt proceres regni. Rex aliis intentus negotiis adesse non potuit. Regina Mathildis libens affuisset, nisi regiis detenta occupationibus fuisset. Affuit tamen per condecentem beneficentiæ suæ largitionem. Noluit rex supernus operi gratiæ suæ regem terrenum supremam manum imponere, sibi totum reservans consummati gaudium, quod infra sedecim annos solis pauperum expensis complevit monasterium cum omnibus officinis, opus pulchrum et maximum. Affuerunt et regni Franciæ clarissimi consules et ex aliis regni ejusdem primatibus complures, clerici, monachi, ex universis adjacentibus provinciis.

Aliquando vero temporis post dedicationem exacto venerandus Pater Herluinus omni membrorum officio destitui penitus cœpit, et longe ante diei ipsius annuam revolutionem quod optaverat, obtinuit. Nam proximo subsecuto mense Augusto, xiii Kal. septembris, die Dominica, ex toto lecto decubuit. Vespertina a fratribus peracta sinaxi, cum diei ac diurni officii fine, vitæ humanæ stadium felici cursu peregit, nocte jam proxima, quæ in Dominicam illucescebat, vii Kal. Septembris. Actum est in capitulo illi monumentum, bonorum actuum æternum filiis monimentum. Jure quo de spiritualibus locuturi studiis conveniunt, illius præsentatur memoria, qui ex tyranno religiosus, ex multum sæculari omnino spiritualis, loci illius atque ordinis primus exstitit fundator et abbas.

EPITAPHIUM.

Hac tegitur petra, qui, quas circumspicis ædes,
Cunctas ediderat, monachus ex laico.
Ter post undenos ac tres et quattuor annos
Grammata nescierat, postque peritus obit.

Quatuor undecies transegit cœnobialis
Annos, rite suos dimidiando dies,
Cum Phœbeus nonum sub Virgine protulit ortum,
Commigrando diem clausit et hebdomadem.
Herluinus erat, si quis de nomine quærat,
Cui cum sanctis det quidquid eis Deus est.

ITEM ALIUD.

Hunc spectans tumulum titulo cognosce sepultum.
Est via virtutis nosse quis ipse fuit.
Dum quater hic denos ævi venisset ad annos,
Quæ fuerant sæcli sprevit amore Dei.
Mutans ergo vices, de mundi milite miles
Fit Christi subito, monachus ex laico.
Hinc sibi more patrum socians collegia fratrum,
Cura qua docuit, rexit eos, aluit.
Quot quantasque vides, hic solus condidit ædes,
Non tam divitiis quam fidei meritis.
Quas puer haud didicit Scripturas postea scivit,
Doctus ut indoctum vix sequeretur eum.
Flentibus hunc nobis tulit inclementia mortis,
Sextilis quina bisque die decima.
Herluine Pater, sic cœlica scandis ovanter,
Credere namque tuis hoc licet ex meritis.

Decessit autem idem venerabilis Pater VII Kal. Septembris, ætatis suæ anno 84, monachatus vero 44; paucisque interpositis diebus, electus est abbas Anselmus pro eo, qui tunc erat prior ejusdem loci. Qui quantæ fuerit religionis, quantæve sapientiæ, in libro qui de vita ipsius scribitur, facile qui eumdem librum legerit reperiet. Scripsit vero idem vir reverendus nonnulla digna memoriæ quæ subter annectere curavimus. Dum adhuc prior esset in Beccensi cœnobio scripsit tractatus tres, primum De veritate, secundum De libertate arbitrii, tertium De casu diaboli. Scripsit et quartum, quem titulavit De grammatico; in quo discipulo, quem secum disceptantem introducit, respondet et multas dialecticas quæstiones proponit et solvit. Fecit quoque libellum quintum, quem Monologium apellavit. Solus enim in eo et secum loquitur, ac tacita omni ratione quærit et invenit, et quod vera fides de Deo sentit invincibili ratione sic, nec aliter esse posse probat et astruit. Composuit etiam librum sextum licet parvulum, sed sententiarum ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quem Proslogion nominavit. Alloquitur enim in eo opere aut seipsum aut Deum, Scripsit et septimum librum epistolarum ad diversos, diversis eorum negotiis respondens, vel ea quæ sua intererant procurare mandans. Fecit et octavum De incarnatione Verbi. Quod opus epistolari stylo conscriptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici Urbano dicavit, destinavit. Nonum librum edidit, quem Cur deus homo appellavit; decimum De conceptu virginali, undecimum de orationibus ad diversos sanctos, quos plurimi Meditationes vocant. In quibus legentibus facile apparet quanta dulcedo supernorum mentem ejus repleverat. Duodecimus, qui et ultimus, illi tractatus fuit De processione Spiritus sancti. Confutaverat enim Græcos A in Barensi concilio, negantes Spiritum sanctum a Filio procedere. Unde sumpta materia rogatu Ildeberti Cenomannorum episcopi hunc librum composuit. Et quia de hoc venerabili viro aliqua diximus, libet compendiose spatium vitæ ejus comprehendere.

Ortus igitur ex generosis parentibus in civitate Augusta, quæ contigua est Burgundiæ et Italiæ, per diversa loca studiis litterarum operam dando pervenit Northmanniam, et in monasterio Becci, ubi tunc temporis magnus ille supradictus Lanfrancus prioris fungebatur officio, cum aliis conscholasticis ab eodem tam divinis quam sæcularibus litteris instructis, ipsius hortatu et consilio factus est monachus Becci anno ætatis suæ 27, ubi vixit claustralis B sine prælatione tribus annis, 15 prior post bonæ memoriæ prædictum Lanfrancum. Cantuariensem archiepiscopum. Deinde 15 annis abbas exstitit post piæ recordationis venerabilem Herluinum, primum abbatem ipsius loci. Inde assumptus est ad archiepiscopatum Cantuariensem post venerandum Lanfrancum, quem rexit 16 annis. Septimo decimo autem archiepiscopatus anno, monachatus vero 49, porro ætatis 76, transiit e mundo XI Kal. Maii, feria quarta ante Cœnam Domini. Ipso anno fuit ultimum Pascha hoc est VII Kal. Maii.

His per anticipationem dictis de fundatore Beccensis cœnobii, cum reverentia nominando venerabili Herluino et successore ejus viro clarissimo in divinis rebus Anselmo, ad ordinem gestorum ducum Northmanniæ a quibus paululum digressi fueramus, C revertamur.

CAPUT X.

De classe quam dux Robertus disposuit mittere in Angliam in adjutorium cognatorum suorum Edwardi et Aluredi, filiorum regis Edelredi.

Tempore quo Edelredus, rex Anglorum, ut supra recitavimus, a Sueno, Danorum rege, regno pulsus, et Northmanniam profugus venit, duos filios, Edwardum et Aluredum, non longe post patriam repetens, Richardo eorum avunculo nutriendos reliquit. Hi enim intra Northmannorum ducum aulam educati, tanto honore a duce sunt habiti, ut summi nexus amoris tanquam fratres eos adoptaret sibi. Quorum diuturno compassus exsulatui, missis legatis mandavit Chunuto regi ut jam jamque satiatus eorum exD terminio illis parceret, et sua eis vel sero pro sui amoris obtentu redderet. At ille salubribus monitis ejus non acquievit, sed legatos, infectis rebus, nihil lætum portantes remisit. Tunc dux vehementissimi furoris rubore succensus, convocatis ducatus sui principibus jussit magnam navium classem festinato fabricari. Quam ex omnibus Northmannici maris partibus coactam, et infra exigui temporis spatium in anchoris, armis hominibusque robustissimis diligenter instructam, stare apud Fiscanum in littore poni fecit. Inde quoque signo dato, et velis in sublime pansis, nimia tempestate acti ad insulam quæ Gersus vocatur, cum magno periculo pelagi domum

sunt devoluti. Quod puto ita factum esse, Deo auctore, pro Edwardo rege, quem disponebat in futuro regnare sine sanguinis effusione. Ubi dum longo detinerentur tempore, vento adverso diutius flante, dux efferatis animis incredibili cruciabatur mœrore. Novissime autem videns se nullo modo posse transfretare, gyratis navium proris, apud Sancti Michaelis montem remeato limbo maris quantocius sunt appulsi.

CAPUT XI.

Quod partem ejusdem classis misit ad affigendam Britanniam, et de pace redintegrata inter ipsum et Alannum comitem Britanniæ.

Dux autem Robertus quamdam partem classis Rabello fortissimo militi tradidit, ac ad affligendam incendiis et prædiis Britanniam direxit. Ipse vero, contracto exercitu equestri, parabat ex altera parte B eam aggredi. Alannus itaque considerans grave sibi ab utrisque partibus discrimen imminere, missa legatione, Robertum utriusque avunculum, Northmannorum videlicet archipræsulem, ad se mandavit festinanter venire. Cui cum exitialem Britanniæ exterminationem, et concitati ducis atrocem super se enarrasset expeditionem, præsul sua interposita fide, eum sumpsit, ac ad montem Tumbam sancti Michaelis domum adduxit et clementiam siquidem ducis illum invadere disponentis. Mox nimium rigida eorum præcordia, propitiante Christo, eam ad quietem composuit, ut omni dissensionum motu sedato serena concordia eos uniret, et Alannum in servitio ducis pacta fidelitate supplicem omnino complicaret. Post hæc legatos dux misit, et nautas C a Britannica vexatione recedere jussit.

CAPUT XII.

Quod Chunutus, rex Anglorum, obtulit per legatos suos Edwardo et Aluredo medietatem Anglici regni pro timore Roberti, ducis Northmannorum; et quod idem dux pergens Jerusalem, Willelmum filium suum quinquennem ducatui Northmanniæ præfecit.

Quibus ad liquidum sopitis, en adsunt legati Roberto duci a Chunuto rege directi, nuntiantes illum medietatem Anglici regni velle reddere filiis Edelredi regis, pace rata in diebus suis, eo quod valida gravaretur incommoditate corporali, Idcirco dux, intermissa navali expeditione, distulit incœptum, prius cupiens ab Hierosolymis redire quod diu optaverat devotissimo animo. Nam perpendens hanc D vitam prodigam fore et labilem, verbaque Dominica pio atque felici corde volutans, divitibus loquentia: *Væ vobis, qui habetis vestram consolationem*, elegit magis pauper Christi fieri quam gehennalibus ignibus aduri. Robertum ergo archiepiscopum cum optimatibus sui ducatus accersivit, et illis velle se A appetere Hierosolymitanam peregrinationem manifestavit. Quibus verbis omnes vehementer attoniti propter ejus absentiam formidabant patriam multi mode perturbari. Exponens autem eis Willelmum filium suum, quem unicum apud Falesiam genuerat, ab eis attentissime exigebat, ut hunc sibi loco sui dominum eligerent, et militiæ suæ principem præficerent. Qui licet sub tenerrima detineretur ætate puerili, tamen de ejus consolatione omnes oppido exhilarati, juxta decretum ducis protinus cum prompta vivacitate suum collaudavere principem ac dominum, pangentes illi fidelitatem non violandis sacramentis. Dux itaque Robertus postquam hæc ad votum explevit, filium suum fidelibus et sensatis tutoribus et auctoribus usque ad legitiman ætatem subegit, et dispositis competenter rebus ad patriæ moderamina congruentibus, pium vale dicens omnibus, cum suo nobilissimo comitatu illam sanctissimam peregrinationem est aggressus. Quæ vero lingua vel sermo explicabit eleemosynarum exhibitiones egenis ab eo quotidie distributas? Aut quæ vidua, vel orphanus, egenusque exstitit, qui non ejus expensis sublevaretur? Tandem confecto itinere ad illud venerabile sepulcrum pervenit, in quo Regis cœlestis sanctissimum corpus jacuit. Quis ergo hominum enarrabit quot per octonos dies lacrymarum rivulis illud eluerit, vel quot auri muneribus accumulaverit?

CAPUT XIII.

Quod idem dux Robertus rediens ab Hierosolymis apud urbem Nicœnam obiit in Christo.

Porro, invitus dux, pius et Deo amabilis, adorato Christo cum internorum singultuum suspiriis, et peragratis Sanctorum locis, felicissimum convertens iter, ad Nicænam regressus est urbem. In qua correptus ægrimonia corporis, millesimo tricesimo quinto ab Incarnatione Domini anno, viam petens universi generis humani, gaudentibus angelis, divinæ vocationis jussu in fine occubuit VI Nonas Julii. Non enim indignum æstimo credere et pennæ officio signare, quod æterno cælestis Hierusalem Moderatori, cujus et sepulturæ locum in terra veneratus est, in hujus vitæ medio labore ad perennis gloriæ consortium eum assumere placuerit; ne beata anima plurimo jam optimorum operum splendore candidata, post mundanis actibus implicata maculas colligeret. Sepultus est etiam in basilica sanctæ Mariæ a suis, intra mœnia Nicænæ civitatis; regnante Domino nostro Jesu Christo in paternæ majestatis deitate, cum coæqualitate Spiritus sancti per omnia sæcula. Amen.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM

LIBER SEPTIMUS.

De Willelmo duce qui Angliam armis subegit.

CAPUT PRIMUM

Quos labores Willelmus puer perpessus est in initio sui principatus, perversitate quorumdam.

Recensitis seriatim Roberti magni ducis actibus et multorum solerti indagine intimatis auribus, competens videtur, ut ad Willelmum filium ejus articulus vertatur; subscribendo futuris, quo sudore laboris inimicorum laqueos evaserit, et suis eorum ferina colla vestigiis viriliter substraverit. Plerisque etenim Scripturæ reperitur in paginis, nequitia patris iniqui domum filii subverti; e diverso vero, merito boni solidius roborari. Denique Christus Roberto duci, spretis ab eo sæcularibus pompis, domum stabilivit, dum perenni eum palma remuneravit, et Willelmum filium ejus, profligatis inimicis, throno regali postmodum provexit. Verumtamen, quibus victoriarum triumphis in ducatu claruerit, prout ordo rerum veracissime compertarum dictaverit, libet venturis notificare, ne tegantur inani segnitie, quæ gloriosæ micuerunt ætatis nostræ tempore. Is itaque dux in puerilibus annis patre orbatus, sagaci tutorum providentia liberalium morum instituebatur ad incrementa. Sub ejus ineunte ætate, Northmannorum plurimi aberrantes ab ejus fidelitate plura per loca aggeres erexerunt, et tutissimas sibi munitiones construxerunt. Quarum dum auderent fisi munimine, protinus inter eos diversi motus exoriuntur, seditiones concitantur, ac sæva patriæ incendia ubique perpetrantur. In tanto quippe dissensionum turbine Mars atrociter grassatur, et non modicus bellatorum cuneus frustra consumitur.

CAPUT II.

De bello inter Tustinum de Bastembore et Walchelinum de Ferrariis, et de morte Osberni, filii Herfasti.

Nam Hugo de Monteforti filius Tustini cum Walchelino de Ferrariis certavit, et in eo conflictu uterque occisus occubuit. Porro immanis quorumdam rabies eructat, ac ad patriæ detrimentum nimis regnat. Siquidem Gislebertus comes Ocensis, filius Godefridi comitis, callidus et fortis, tutor Willelmi pueri, sed domini, quodam mane dum equitans loqueretur cum compatre suo Wascelino de Ponte Erchenfredi, nihil mali suspicans occiditur cum Fulcoio filio Geroii. Hoc vero malum dolosis hortatibus Rodulphi de Waccio, filii Roberti archiepiscopi factum est, per manus crudeles Odonis Grossi, et audacis Roberti filii Geroii. Deinde Turoldus, teneri ducis pædagogus perimitur a perfidis patriæ deser- A toribus. Osbernus quoque procurator principalis domus, Herfasti Gunnoris comitissæ fratris filius quadam nocte, dum in cubiculo ducis cum ipso in valle Rodoili securus soporatur, repente in stratu suo a Willelmo Rogerii de Monte Gumeri filio jugulatur. Rogerius enim pro perfidia sua tunc exsulabat apud Parisios et quinque filii ejus Hugo et Robertus Rogerius et Willelmus atque Gislebertus, in Northmannia summopere inserviebant diris facinoribus Sed Willelmus pro scelere præscripto, quod operatus est, non multo post condignam mercedem retribuente Deo nactus est. Barno quippe de Glotis præpositus Osberni injustam necem domini sui cupiens ulcisci, nocte quadam expeditos pugiles congregavit, et domum, ubi Willelmus et complices sui B dormiebant, adiit, ac omnes simul sicut meruerant, statim trucidavit.

CAPUT III.

Quomodo Rogerius de Bellomonte, filius Hunfridi de Vetulis, patris jussione Rogerium de Toenceio superavit.

Rogerius Toenites de stirpe Malahulcii, qui Rollonis ducis patruus fuerat et cum eo Francos atterens Northmanniam fortiter acquisierat, vir potens et superbus, ac totius Northmanniæ signifer erat. Hic vero, dum Robertus dux peregre perrexerat in Hispaniam, ubi per eum multæ probitates super paganos factæ sunt, profectus fuerat. Sed post aliquantum temporis in sua regressus est. Comperiens C autem quod Willelmus puer in ducatu patri successerit, vehementer indignatus est, et tumide despexit illi servire, dicens, quod nothus non deberet sibi aliisque Northmannis imperare. Willelmus enim ex concubina Roberti ducis, nomine Herleva (Herlotta), Fulberti cubicularii ducis filia natus, nobilibus indigenis et maxime ex Richardorum prosapia natis despectui erat, utpote nothus. Verum, postquam Hierosolymitanus dux obiit, Herluinus quidam probus miles Herlevam uxorem duxit, ex qua duos filios Odonem et Robertum, qui postmodum præclaræ sublimitatis fuerunt, procreavit. Rogerius itaque fretus auxiliatorum multitudine, contra tenerum ducem ausus est rebellare. Omnes vicinos suos palam despiciebat et terras eorum, D maxime Hunfridi de Vetulis, rapinis et incendiis devastabat. At ille diutius hoc ferre nolens, Rogerium de Bellomonte filium suum cum familia sua contra eum misit. Quem Rogerius Toeniensis temere sprevit, et nil metuens cum eo audacter con-

A flixit; sed ibidem cum duobus filiis suis Helberto et Elinantio peremptus, victoriam hostibus reliquit. Ibi Robertus de Grentemaisnil lethale vulnus accepit, quo post tres hebdomadas, IV Kal. Julii, obiit. Porro, ante mortem suam duobus filiis suis Hugoni et Roberto terram suam æqualiter distribuit, eisque Ernaldum minimum filium suum, ut ipsum, dum ad ætatem veniret, sicut fratrem bene tractarent, commendavit.

CAPUT IV.

Quod idem Rogerius abbatiam Pratellis ædificavit, et Adelinam filiam Waleranni comitis Mellenti duxit.

Rogerius vero de Bellomonte, superatis adversariis, victori Deo gratiam retulit, et in omni vita sua bonis operibus insudare studuit. Inter quæ, monachile cœnobium in fundo suo Pratellis construxit, et Willelmo duci contra omnes fidelis semper exstitit. Quapropter omnibus avis proavisque suis sublimior effectus est. Nam Adelinam, Waleranni comitis Mellenti filiam, uxorem duxit; ex quâ duos filios, Robertum et Henricum, magnæ potentiæ postea comites procreavit. Robertus quippe post Hugonem avunculum suum comes Mellentis plus quam viginti septem annis viguit; et Henricus Willelmi regis in Anglia commitatum Warwik promeruit. Post præfatam cædem in qua Rogerius et Robertus de Grentemaisnil et alii quamplures ceciderunt, Richardus Ebroicensis comes, filius Roberti archiepiscopi, uxorem Rogerii de Toenia sibi in matrimonio assumpsit, ex qua Willelmum, qui nunc Ebroicensibus principatur, genuit. Willelmus vero frater ejus Hadevisam filiam Geroii relictam Roberti de Grentemaisnil sibi junxit. Interea Willelmus dux, favente Deo, crescit ætate et viribus, ac sensu morumque valentia proficit. Animadvertens itaque, quanta suorum rabies Northmanniam proculcaverit, in pueri pectore virile robur colligit, proceresque patris sui ascitos ad amorem sui trahere satagit, et ne quid indisciplinate agant, precibus et jussis erudit. Rodulphum de Waccejo ex consultu majorum, sibi tutorem eligit, et principem militiæ Northmannorum constituit. Quidam optimatum, qui Deum et justitiam amant, libenter duci ut domino obtemperant, fidemque servant et rebelles ei subdere fideliter anhelant. Porro filii discordiæ, qui dissensionibus gaudent et innocenter vivere volentes affligere student, dum per se tantum nocere simplicibus, quantum vellent, se non posse vident, commentantur qualiter improba fronte subversionem patriæ procurent. Henricum igitur regem Francorum adeunt et titiones ejus per Northmannicos limites hac illacque spargunt. Quos nominatim litteris exprimerem, si inexorabilia eorum odia declinare nollem. Attamen non alii exstiterunt, vobis in aure loquar circumstantibus, quam hi qui fideliores se profitentur et quos nunc majoribus dux cumulavit honoribus.

CAPUT V.

Quod Henricus rex Francorum castrum Tegularias Northmannis pro pace sibi traditum combussit, nec non et Argentomum.

Vesana igitur proditorum provocatione rex Henricus vehementer permotus, et beneficii a Roberto duce sibi quondam impensi immemor effectus, duxit se placabilem ei nullo modo fore, quamdiu Tegulense castrum videret in pristino statu persistere. Cujus fraudes animi ob salutem pueri vitare cupientes in fide stantes Northmanni, decreverunt fieri quod egisse postmodum pœnituit. Gislebertus autem cognomento Crispinus, cui illud commiserat olim dux Robertus, mox ut molestissimum agnovit decretum, conatus eorum sprevit et cum valida B manu armatorum ad resistendum illico se intra ipsum conclusit. Rex quoque munitionis aditum sibi denegari considerans, exercitibus, tam Francorum quam Northmannorum contractis, festinus eam obsidione cinxit. Quid plura? Gislebertus tandem precibus ducis victus, mœrens castrum reddidit, quod sub oculis omnium cum maximo dolore cordis confestim igne concremari perspexit. Quibus rex ad votum peractis, a loco secessit. Sed non multo post Oximensem comitem adivit, et Argentomum, ducis vicum, flammis voracibus combussit; sicque onustus præda, partes illas deseruit. Deinde itinere quo venerat regressus, ad castellum Tegulense venit atque sacramenta quæ duci juraverat, ne a quoquam suo in quatuor annis reficerentur, irrita fecit. Nam C illud cum festinatione restauravit, militibus et alimoniis abundantissime munivit, et hinc, quia votis suis jam satisfecerat, lætus recessit.

CAPUT VI.

Quod Turstenus Guz castrum Falesiæ contra Willelmum ducem tenere voluit, sed non potuit; et de Richardo filio ejusdem.

Turstenus cognomento Guz, Ausfridi Dani filius, qui tunc præses Oximensis erat, perspiciens ducem puerum regi aliquantum cessisse, et quasi victum regiæ manus oppressionem jam aliquantum utcumque perpeti, zelo succensus infidelitatis, regales milites stipendiis conduxit, quos complices ad muniendum Falesiæ castellum, ne inde duci serviret, sibi ascivit. Cujus malivoli animi conatus dux D ut comperit, legionibus Northmannorum undequaque coactis, festinanter illud obsedit. Tunc Rodulfus Waccejensis magister militum erat, ducemque suum totis nisibus adjuvabat. Concitatis autem militibus, tanta illico magnanimitate pugnatum est, ut partem muri sub momento dejicerent. Et nisi nox prælium diremisset, procul dubio rem quam summe volebant, totam confecissent. Perpendens Turstenus se tantas hostium copias non posse diutius tolerare, locum secedendi a duce petiit, et sic profugus a patria extorris aufugit. Post hæc Richardus Tursteni filius optime duci servivit, et sic patrem suum duci reconciliavit; et ipse multo majora quam pater perdiderat, acquisivit.

CAPUT VII.

Quod Roberto archiepiscopo successit Malgerius filius secundi Richardi ex secunda conjuge Popia (Papia); et de Willelmo Archacensi.

Mortuo Roberto Rothomagensi archiepiscopo successit Malgerius frater Roberti ducis. Nam Richardus Gunnorides, mortua Judith, aliam uxorem nomine Papiam duxit, ex qua duos filios genuit, Malgerium scilicet archipræsulem et Willelmum Archacensem. Hic enim Willelmus a duce jam in adolescentia pollente comitatum Talogi percepit, obtentu beneficii, ut inde illi existeret fidelis. Nobilitate vero generis elatus, castrum Archarum in cacumine ipsius montis condidit. Deinde assumpta tyrannide, regioque fultus juvamine, contra ducem B ausus est calcaneum extollere. Quem dux a sua vesania nitens avellere, ad exhibendum sibi obsequium per legatos jussit eum venire. Sed ille hujusmodi legationem habens contemptui, magna cum fiducia ad resistendum se munivit et armavit. Dux vero, viribus Northmannorum ascitis, ejus supercilium domiturus, quantocius super eum venit, et erectis aggeribus ad radicem montis castrum stabilivit, quod fortium virorum robore inexpugnabile reddidit, et sic inde abiens, vallatum alimoniis reliquit. Quod factum protinus Henricum regem minime latuit. Rex ergo Francorum copias sumpsit et superioris oppidi causa muniendi properantissime advenit, et exercitum castra metari apud sanctum Albinum jussit. Cujus adventum milites ducis comperientes, de suis miserunt, si quos forte hostium a C regio cœtu abstraherent, quos illi in latibulis degentes incautos exciperent. Quo dum venissent, non minimam exercitus partem inde protraxerunt, et fugientes in insidias induxerunt. Statim vero qui videbantur fugere, versa facie cœperunt eos acriter cædere; adeo ut in hoc conflictu cum pluribus Ingelrannus Abbatisvillæ comes confossus perimeretur, ac Hugo cognomento Bardulfus cum multis aliis caperetur. Quod ut rex agnovit, alimoniam castello pro quo venerat, intromisit, et mœstus propter milites amissos cum dedecore recessit. Willelmus quoque non longo post inedia affectus cum suis invitus castellum reddidit et ipse a nativo solo in exsilium discessit. Denique cum uxore sua, sorore scilicet Widonis comitis Pontivi, Eustachium Boloniæ comitem expetiit, et in ejus familia victum et D vestitum percipiens, usque ad mortem suam extorris remansit.

CAPUT VIII.

Quod mortuo Chunuto rege Anglorum successit Heraldus filius ejus, et de Edwardo adhuc exsule.

Eadem tempestate Anglorum rex Chunutus obiit, cui successit Heraldus filius ejus, ex concubina nomine Elfgiva natus. Cujus diu cupitam mortem Edwardus audiens, adhuc cum duce degens, quantocius cum 40 navibus milite plenis superato mari Hantunam appulit; ubi innumerabilem Anglorum multitudinem ad sui perniciem se opperientem of- A fendit. Qui protinus congressus cum eis, non minimam partem ex illis ocius Orco transmisit. Ipse vero victor existens, ad naves regressus est cum suis. Videns autem non absque plurimo militum numero se posse regnum obtinere Anglorum, regyratis navium proris Northmanniam cum maxima præda repetiit

CAPUT IX.

De traditione Aluredi fratris Edwardi per Goduinum comitem; et quod Hardechunutus filius Emmæ matris Edwardi successit Heraldo fratri suo, et Hardechunuto Edwardus qui duxit Editham filiam Goduini.

Interea frater ejus Aluredus milites non parvi numeri assumpsit, portumque Wisanti petiit et hac transfretans Doroberniam venit. Inde siquidem interiora penetrans regni, Goduinum comitem obvium habuit. Quem idem comes in sua fide suscepit, sed in illo sub eadem nocte traditoris Judæ vicem implevit. Nam libato pacis osculo et cum eo percepto cibo, medio intempestæ noctis, manibus post tergum ligatis illum Heraldo regi apud Lundoniam cum suorum nonnullis destinavit. Milites autem suos partim per Anglorum regionem distraxit, partim cum dedecore peremit. Heraldus ut Aluredum vidit, statim ejus socios truncari capitibus jussit, et ipsum ad Hely duci, ibique oculis privari. Sic nobilissimus et optimus vir Aluredus occubuit, injuste peremptus. Heraldus vero non multo post superstes obiit mortem, cui successit frater ejus Hardechunutus a Dacia egressus, ex Emma Edwardi matre natus. Qui post paululum confirmatus in culmine regni, fratrem suum Edwardum a Northmannia revocavit, ac secum cohabitare fecit. Ipse autem non plenis duobus annis existens, exivit hominem, et Edwardum totius regni reliquit hæredem.

Ferox doloque commentor Goduinus eo tempore comes in Anglia potentissimus erat, et magnam regni Anglorum partem fortiter tenebat, quam ex parentum nobilitate, seu vi vel fraudulentia vindicaverat. Edwardus itaque metuens tanti viri potentia lædi, dolove solito, Northmannorum consultu, quorum fido vigebat solatio, indignam Aluredi fratris sui perniciem ei benigniter indulsit. Ac ut inter eos firmus amor jugiter maneret, Editham filiam ejus uxorem nomine tenus duxit. Nam revera, ut dicunt, ambo perpetuam virginitatem conservaverunt. Edwardus nempe vir bonus erat, mitis et humilis, jucundus et longanimis, clemens, pauperum tutor et Anglicarum legum legitimus restituor. Multoties divina mysteria vidit et vaticinia quæ rerum eventu postmodum comprobata sunt, deprompsit, regnumque Anglorum fere 23 annis feliciter rexit.

CAPUT X.

De crudelitate Willelmi Talavatii et de Willelmo filio Geroii, qui monachus Becci factus est.

Willelmus, cognomento Talavatius, postquam Roberti fratris sui caput carcere securibus comminutum est, auxilio suorum et maxime Willelmi filii

Geroii, omnem patris sui fundum adeptus est. Hic vero a parentum suorum perfidia nequaquam sua retorsit vestigia, Hildeburgem quippe filiam Arnulfi cujusdam nobilissimi viri in conjugio habuit, ex qua Arnulfum et Mabiliam crudelissimæ sobolis postea matrem genuit. Sed quoniam mulier prædicta bene morigerata erat et Deum ferventer amabat, diris mariti factionibus non consentiebat. Qua propter ipse eam abominatus est vehementer. Denique quodam mane, dum ipsa ecclesiam adiret Deum deprecari, a duobus parasitis suis in via fecit eam subito strangulari. Deinde filiam Rodulphi vicecomitis de Bellomonte sibi desponsavit et plures optimates sibi vicinos ad nuptias invitavit, inter quos Willelmum, Geroii filium, eximiæ strenuitatis virum accersivit. Rodulphus autem frater ejus cognomento Clericus, quia copiose litteratus erat, et Mala-corona, quia militaribus exercitiis inserviens clericatus gravitatem male servabat, ex augurio grave infortunium sibi imminere prænoscens, fratri suo prohibet ne fœdas feralis bigami nuptias ullatenus adiret. Willelmus autem, spretis Rodulfi dissuasionibus, inermis Alencium venit cum duodecim militibus. Porro Talavatius eum illic nil mali suspicantem, sed potius, ut moris est, ad nuptias amici sui gaudentem, sine reatu, quasi nequam proditorem, mox comprehendit, et caute custodiri suis clientibus præcepit. Postea cum convivis suis venatum perrexit. Satellites vero ejus, quibus clam jusserat hoc Willelmum foras eduxerunt, et cunctis qui hoc videbant, lugentibus, heu proh dolor! oculis privarunt; nariumque summitatibus et aurium abscissis deturparunt. Hoc audito scelere multi doluerunt et contra Talavatium in ira exarserunt et tale nefas ulcisci conati sunt. Geroianus autem Willelmus post tres annos venerabilem Herluinum abbatem adiit et in Beccensi cænobio quod in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ tunc a præfato patre construebatur, monachus factus est.

CAPUT XI

Quod dux Richardus dedit duo municipia, Monasteriolum et Escalfoum, Geroio qui duxit Gistani filiam Tursteni de Monteforti.

Geroius iste, de cujus prole loquimur, ex nobili Francorum et Britonum prosapia originem traxisse dicitur. Hic autem cum Belesmensi Willelmo ad curiam Richardi ducis venit. Cujus dono in Northmannia duo municipia, Monasteriolum et Escalfoum obtinuit. Hospitium vero, dum ducem expeteret, in domo Tursteni de Monteforti habuit, cujus filiam, nomine Gislam, ad prandium forte videns, adamavit et a præclaris parentibus eam requirens impetravit. Quæ succedenti tempore septem filios et quatuor filias ei peperit, quorum nomina hæc sunt: Ernaldus et Fulcoius, qui cum Gisleberto comite periit, Willelmus et Rodulfus (Mala-corona), Robertus, Hugo et Geroius, Herembugis, Emma, Adelais et Hadvisa. Ex his filiorum et nepotum militaris turma propagata est, quæ Barbaris in Anglia, vel Apulia, seu Trachia, vel Syria nimio terrori visa est. Igitur postquam Willelmus Talavatius Willelmum, qui ætate et sensu in Geroiana progenie sublimior erat, ex invidia, ut supra diximus, tam truculenter dehonestaverat, Robertus et Rodulphus, egregii milites, cum fratribus et cognatis viriliter insurgunt et damnosam fratris sui injuriam vindicare moliti sunt. Omnem itaque terram Talavatii prædiis et incendiis devastabant, usque ad portas munitionum ejus nullo resistente armati veniebant, ipsumque ut exiret et cominus certaret, audacter provocabant. At ille, quia timidus et in militia nullarum virium erat, cum lacessentibus inimicis in campo contligere non audebat. Sic a Geroicis sæpe deludebatur.

CAPUT XII.

De Arnulfo filio Willelmi Talavatii et Olivaro, fratre ejus, monacho Beccensi.

Arnulfus tandem filius ejus ut hæc animadvertit, optimatum suorum consensu contra patrem, qui omnibus odibilis erat, rebellavit; et eum de munitionibus suis turpiter ejecit, et usque ad mortem miserabiliter exsulare compulit. Paternam quidem possessionem invasit, sed nequitiam non devitavit. Unde tristi fine perire meruit. Nam quadam die cum clientibus suis prædari perrexit et inter reliqua porcum cujusdam sanctimonialis rapuit. At illa gemens eum insecuta est, ac ut porcellus quem nutrierat, sibi pro Deo redderetur, obnixe deprecata est. Arnulfus autem preces ejus sprevit, porcum mactari et ad esum præparari coquo jussit, ventrique suo frusta serviens, inde sero nimis comedit. Sed non impune. Nam in eadem nocte in lecto suo strangulatus est. Porro quorumdam relatio asserit quod ab Olivaro germano suo peremptus sit. Nos vero de tali viro tantum nefas non solum non astruimus, verum etiam credere penitus recusamus. Præfatus siquidem Olivarus longo post tempore in militia honorifice deguit, senexque factus Dei nuiu sæculum dereliquit. Deinde sub domno Anselmo tunc abbate, nunc vero Cantuariorum archiepiscopo monachile schema in Beccensi cœnobio pius suscepit, quod ibidem sub domno Willelmo abbate multis annis laudabiliter portavit.

CAPUT XIII.

Quod mortuo Arnulfo, Ivo patruus ejus, episcopus Sagiensis, terram ejus hæreditario jure possedit.

Denique Arnulfo nequiter perempto, sicut supra retulimus, venerabilis Ivo patruus ejus Sagiensis episcopus Belesmiæ castrum, et quæque ad ipsum jure pertinebant, accepit et legitime quandiu vixit, pace cum Geroianis aliisque vicinis facta, tenuit. Sagax enim idem erat, ac decorus et affabilis, multumque jocosus, ac serenæ pacis cupidus. Sed perfidia malorum non cessat perturbare quietem bonorum. Itaque temporibus Ivonis episcopi, Richardus atque Robertus et Avesgotus, filii Willelmi cognomine Sorengi, cuneum sceleratorum sibi asciverunt et omnem circa Sagium patriam sine reverentia depopulati sunt. Postremo ecclesiam Sancti Gervasii in-

vaserunt, ibique turbam prædonum posuerunt. Sic de domo orationis speluncam latronum, stabulumque fecerunt equorum. Religiosus Azo vetulus præsul ejusdem urbis muros destruxerat et ex lapidibus dejecti muri ecclesiam sancto Gervasio martyri construxerat, ubi sedes episcopalis longo post tempore fuerat. Venerandus autem Ivo dum vidit Sorengos in diebus suis ita insanire, ut, in templo Dei non dubitarent foveam furum et lupanar meretricum facere, nobili tactus ira vehementer doluit, ac ad liberationem ecclesiæ Dei toto nisu animum convertit. Quondam igitur, dum de curia Willelmi ducis rediret, ac per Oximensem pagum transiret, Hugonem de Grantemaisnil, aliosque barones cum turmis suis secum adduxit et Sorengos in turre monasterii fortiter expugnari fecit. At illi audacter restiterunt, et pro se pugnantes projectis telis plures læserunt. Quod pontifex dum perspexit, vicinis domibus ignem imponi jussit. Mox parochiani jussis parent episcopi. Ignis vero immissus flante vento ad ecclesiam currit, ipsamque invadens consumit et impios in ea furentes acriter angit. Sorengi tendem, dum se vident flamma sævitiem pati non posse, arreptis armis inde fugiunt cum dedecore.

CAPUT XIX.

De filiis Willelmi, Sorengi Richardo Roberto et Avesgoto; quomodo digna morte interierunt

Justus et misericors Deus ægre tulit ecclesiæ suæ profanationem, debitamque violatoribus non distulit inferre mulctationem. Nam tres germani, qui principes exstiterant prædictæ invasionis, non multo post, dum latrociniis summopere vacarent et rapinis, justo Dei judicio perempti sunt, sine confessione et viatico salutis. Richardus nempe qui primogenitus erat, noctu in vili casa juxta quoddam stagnum securus dormiebat. Protinus quidam miles potens, nomine Richardus de sancta Scholastica, cujus terram devastaverat, domunculam circumdedit cum sua familia. Sorengus vero expergefactus de bordello exiit et fugiens in rivarium exilire voluit. Verum, quidam rusticus quem ipse pridem in vinculis cruciaverat, eum prævenit et securi caput ejus conterens, mox eum exanimavit ibidem. Deinde Robertus frater ejus cum suis quadam die circa Senceum prædam rapuit, et dum rediret, a persequentibus villanis vulneratus statim interiit. Ad ultimum Avesgotus Cambeiam super Albertum Girardi Fleitelli filium intravit, ibique militari rabie debacchari cœpit, sed pilo desuper emisso, in capite ictus mox periit. Ecce in his vere completum vidimus, quod audivimus: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Raptores ergo, et fractores ecclesiarum sui similium interitu comperto caveant, ne, dum similia perpetrant, simili punitione tandem pereant. Et si munda prosperitas paululum eos comitatur, non inde securi glorientur. Illis nimirum scire convenit, quod mundi gaudium quasi fumus ad modicum transit, ac permansurum mœro-

A rem acquirit, seu quidam egregius in poemate suo impios arguens versificator ait:

Vos mala gaudetis, quia tandem suscipietis
Nequitiæ fructum, tenebras, incendia, luctum.
Nam pius indultor, justusque tamen Deus ultor,
Quæ sua sunt munit, quæ sunt hostilia punit.

Prostratis, ut supra dictum est, filiis discordiæ, simplicibus in pace circa Sagium licuit aliquantulum respirare. Nobilis Ivo præsul ecclesiam cooperire sategit et IV Nonas Januarii iterum dedicavit. Sed quia maceriæ virtute flammarum læsæ fuerant, ipso anno ante Quadragesimam corruerunt.

CAPUT XV.

De concilio quod Remis tenuit Leo papa et de increpatione ipsius in Ivonem episcopum Sagiensem, propter ecclesiam Sancti Gervasii combustam.

B In illo tempore sanctus Leo papa Gallias expetiit, ecclesiam Sancti Remigii Remensis archiepiscopi consecravit, ejusque corpus in ecclesiam nuper dedicatam transtulit. Tunc Remis idem papa grande concilium tenuit et desides episcopos vel abbates acriter redarguit; inter quos, ut dicunt, propter combustionem ecclesiæ Ivoni dixit: « Quid fecisti, perfide? qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare ausus es? Eloquens Ivo palam confessus est se quidem malum fecisse, sed ad hoc scelus agendum se graviter coactum fuisse, ne deteriora fierent a scelerosis super filios Ecclesiæ. Deinde pœnitentiam secundum sagacis papæ jussum accepit, ac de restituenda Sancti Gervasii ecclesia operam
C adhibuit. Igitur Apuliam et inde Constantinopolim perrexit et a divitibus cognatis et amicis suis simul multum pecuniæ congessit, donoque imperatoris, de ligno Dominicæ Crucis carum munus deportavit. Reversus autem Sagium, ecclesiam cœpit tam magnam ædificare, ut successores ejus Robertus, Girardus ac Serlo, nequiverint eam per 40 annos consummare.

CAPUT XVI.

Quod Willelmus Talvatius frater Ivonis episcopi filiam suam Mabiliam Rogerio de Monte Gummeri cum terra sua dedit.

Interea Willelmus Talavatius, postquam a filio suo, ut supra retulimus, de terra sua expulsus est, miser et despicabilis omnibus per aliorum domos diu pervagatus est. Ad extremum, Rogerium de
D Monte Gummeri expetiit, eique filiam suam nomine Mabiliam sponte obtulit, et omnem quem ipse pro nequitia segnitieque sua perdiderat, honorem concessit. At illi, qui fortis erat et probus, consilioque maturus, hoc placitum sibi profuturum cernens ei acquievit in omnibus. Ipsum namque errabundum in domo sua suscepit, ejusque natam sibi legitime copulavit. Præfata vero mulier erat corpore parva, multumque loquax, ad malum satis prompta et sagax atque faceta nimiumque crudelis et audax. Quæ succedenti tempore quinque filios et quatuor filias peperit quorum nomina hæc sunt: Robertus et Hugo, Rogerius Pictavinus, Philippus et Arnulfus;

Emma, Mathildis, Mabilia et Sybilla. Hæ siquidem A fratres suos moribus præcesserunt. Nam dapsiles et honestæ, ac affabiles pauperibus et monachis, aliisque servis Dei fuerunt. Illi vero ferales et cupidi, ac inopum rabidi oppressores exstiterunt. Quam callidi, vel militares, seu perfidi fuerint, aut quantum super vicinos paresque suos excreverint, iterumque sub eis pro facinoribus suis deciderint, non est nostrum in hoc loco enararre, qui decrivimus Willelmi ducis magni gesta propalare. Quapropter, illis relictis, nunc stylus figatur in præfixa serie narrationis.

CAPUT XVII.

Quod mortuo Hugone episcopo Bajocensi, dux Willelmus Odonem fratrem suum uterinum subrogavit; et de bello apud Valedunas.

Igitur dux jam flore vernans gratissimæ juventutis, cultum Dei cœpit ultroneo corde amplecti, imperitorum quoque contubernia a se eliminare et sapientum consiliis uti, bellicis rebus pollere, et prudentia sæculari vigere. Circa hæc tempora Hugo filius Rodulphi comitis, Bajocensis episcopus, obiit, et dux prædictum episcopatum Odoni fratri suo commendavit. Præfatus autem Odo ut præsul consecratus fuit, pontificalem ecclesiam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ novam auxit, auctoque clericorum numero peritorum et multis ornamentis mirabiliter ditavit. Ipse vero fere quinquaginta annis in episcopatu vixit. Dux autem dum multis probitatum commodis quotidie augmentatur, quemdam crudelem convivam expertus est, Widonem scilicet filium Rainaldi Burgundionum comitis, qui cum eo C a puerilibus annis educatus fuerat, et cui olim contulerat castrum Brioci quasi munere firmius astringendæ fidelitatis. Is etenim fastu innectus superbiæ, plurimos proceres velut Absalon ab ejus fidelitate cœpit avertere et in suæ perfidiæ voragine complicare; in tantun ut Nigellum Constantiniensem præsidem in hac conspiratione annecteret, et a servitio quod electissimo principi sacramentorum obligatione debebat, cum multis aliis funditus exturbaret. Considerans itaque prudentissimus dux se tantopere a suis destitui, et eos suorum mancipiorum præsidiis jugiter robustius vallari, verens ne a comitatus fastigio abigeretur, locoque suo æmulus ejus subrogaretur, necessitate coactus Henricum Francorum regem expetiit pro subveniendi obtentu. D Tunc tandem rex memor beneficii quod a patre ejus sibi quondam impensum fuerat, vires Francorum simul coegit, et Oximensem comitatum aggressus, Valedunas venit, ubi innumerabilium infectissimo armatorum animo exercitum strictis gladiis prælium sibi intentantem offendit. Quorum efferos impetus rex cum duce minime perhorrescens, facto alternatim militum concursu bellum commisit, tantaque eos illico strage delevit, ut quos gladius non exstinxit, Deo formidinem inferente, fugientes fluvius Olnæ absorberet. Felix namque pugna, in qua die sub una corruerunt protervorum castella et facinorosorum domicilia. Wido autem e prælio lapsus Briocum expetiit, in quo obseratis portarum repagulis, cupiens liberari, se aliquandiu obstruxit. Quem dux, rege Franciam repetente, prospere insecutus, intra ambitum sepsit obsidione, stabilitatis munitionibus in utraque parte fluminis vocabulo Rifle. Videns profecto Wido se nullo pacto a loco effugere posse, astrictus famis calamitate, per amicos compulsus est supplex, et commissi pœnitens, ejus clementiam expetere. Cujus dux, suorum consultu, miseriæ misertus, clementer illi pepercit et recepto castello Brioci cum suis domesticis eum manere in domo sua jussit. Conspicientes itaque cuncti optimates, qui deviarant a ducis fidelitate, illum omne præsidium fugæ partim destruxisse, partim interclusisse, datis obsidibus rigida colla ei ut B domino suo subdidere. Sic castellis ubique eversis, nullus ultra ausus est contra eum rebellem animum detegere. Prædictum itaque bellum anno ab incarnatione Domini 1047 factum est.

CAPUT XVIII.

Quomodo dux Willelmus castella Alencium et Damfrontem quæ Goiffredus comes Andegavensis invaserat, recepit.

Andegavorum quoque comes Goiffredus agnomine Martellus, vir per omnia versutus, quosdam cladibus diversis et intolerabilibus pressuris in vicino degentes frequenter afflixit. Ex quibus comitem Tetbaldum a se fraudulenter captum tamdiu custodiæ mancipavit, donec urbem Turonicam ab illo violenter extorqueret, cum nonnullis castellis. Hic ergo, obortis litium quibusdam fomentis, contra Willelmum ducem cœpit atrociter moveri, Northmanniamque rapinis vehementer demoliri, intra Damfrontis castrum seditiosis custodibus immissis. Quod dux, militare vallatus manu, visendi obtentu aggressus, ut ipsum vidit scopulis asperrimis et eminentibus in gyro circumdatum et inaccessibile ad oppugnandum, vires Northmannorum accivit et firmissimis castellis illud strinxit, ac aditus egrediendi obstruxit. In cujus procinctu dum aliquandiu moraretur, ecce adsunt exploratores, Alencium castrum absque suorum detrimento eum capere posse nuntiantes. Qui confestim custodes intra castra disposuit et cum exercitu tota nocte equitans diluculo Alencium venit, ubi in quodam municipio trans flumen posito quosdam se convitiis subsannantes reperit. Quod acerrime concitatis militum animis, expugnans festinanter cœpit igneque injecto exitialibus flammis cremavit. Illusores vero coram omnibus infra Alencium consistentibus, manibus privari jussit et pedibus. Nec mora, sicut jusserat, triginta duo debilitati sunt. Pelles enim et renones ad injuriam ducis verberaverant, ipsumque pelliciarium despective vocitaverant, eo quod parentes matris ejus pelliciarii [pollinctores] exstiterant.

Custodes autem castelli tam severam austeritatem ducis cognoscentes timuerunt, et ne similia paterentur, illico portas aperuerunt, ducique castellum reddiderunt, malentes illud reddere quam cum

suorum periculo membrorum tam gravia tormenta tolerare. Dux autem viriliter his peractis, militibusque suis intromissis, celerrime Damfrontem repetiit. Audientes autem Damfrontani qualia dux suis commilitonibus intulerit et considerantes se a nullo posse juvari, se et castellum ejus tradiderunt dominatui. Inde vero custodibus positis egrediens et prolixius tendens ad confutandum comitem Goiffredum, Ambreras [Amberras] venit, ibique super ora fluminis castellum condidit, quod alimoniis et militibus sufficienter munivit. Quibus decenter expletis rebus, Rothomagum metropolim Nortmanniæ regressus est.

CAPUT XIX.

Quod deposito Willelmo Werlenco comitatu Moritolii, Robertum uterinum fratrem suum subrogavit.

Eadem tempestate Willelmus cognomento Werlencus de stirpe Richardi magni, comes erat Moritolii. Ad eum aliquando quidam tiro de familia sua, nomine Robertus Bigot accedens, ait : « Pauperpate premor, domine mi, et in hac patria nequeo quæstum mihi necessarium lucrari. Quapropter ibo nunc in Apuliam, ut ibidem honorabilius vivam. » Cui Willelmus ait : « Quis tibi hoc persuasit? » At ille respondit : « Penuria quam patior. » Comes vero dixit :« Si mihi credere vis, hic nobiscum remanebis. Nam tale tempus ante octoginta dies in Northmannia habebis, ut quæque tibi necessaria oculis videris, impune manibus rapere poteris. » Ille vero domini monitis acquiescens, remoratus est, et non multo post per Richardum Abrincatensem cognatum suum familiaritatem ducis consecutus est. Qui, dum quadam die privatim loqueretur cum duce, inter alia præscriptum Willelmi comitis verbum ei retulit. Dux autem Willelmum ad se vocavit et cur ejusmodi sermonem protulisset, interrogavit. At ille nec negare potuit, neque intentionem dicti declarare præsumpsit. Ob hoc iratus dux ait : « Seditiosis tumultibus Northmanniam pertubare decrevisti et contra me rebellans me nequiter exhæredare disposuisti ; ideoque rapacitati tempus egeno militi promisisti. Sed nobiscum dono Creatoris, ut indigemus, maneat pax perennis. Tu autem e Northmannia discede quantocius et huc dum vixero ne redeas ulterius. » Willelmo itaque expulso et Apuliam miserabiliter petente cum uno tantum armigero, dux confestim Robertum fratrem suum sublimavit eique Moritoliensem comitatum tribuit. Sic tumidos sui patris parentes aspere prostravit, humilesque matris suæ propinquos honorabiliter exaltavit. Cæterum, sicut in vulgari proverbio dicitur, Stultus non verbis, non exemplis, sed plagis vix corrigitur, nec pertimescit, donec diros ictus accipit : quod in subsequenti luce clarius apparebit exemplo.

CAPUT XX.

De rebellione Willelmi Bucacii comitis Aucensis; et quod idem exsul ab Henrico rege Francorum comitatum Suessionicum dono accepit.

Siquidem, ut in superioribus manifestavimus, dux Northmannorum Richardus filius primi Richardi, cuidam fratri uterino nomine Willelmo dedit comitatum Aucensem. Hic ex Lescelina comitissa habuit tres filios, Robertum, Willelmum, Hugonem postea, episcopum Luxoviensem. Horum medius Willelmus cognomento Busacius, ducatum sibi volens vindicare, cœpit contra ducem minis et infestationibus cervicem erigere. Verum fortis princeps nolens ei cedere, exercitum congregavit et castrum Oncis, donec illud caperet, obsedit, atque Willelmum rebellem cognatum suum exsulare cœgit. At ille Henricum regem Francorum expetiit, cui quid sibi contigisset, flebiliter retexit. Rex vero ipsum utpote nobilem genere et forma militem, benigne suscepit et infortunio ejus condolens comitatum Suessionis ei cum quadam nobili conjuge tribuit. Ex qua postmodum egregiam prolem jam felix exsul suscepit quæ patris honorem usque hodie nobiliter regit. Tandem ejectis vel prostratis dissensionum famulis, omnis Northmannia quievit sub alis commodæ pacis.

CAPUT XXI.

Quod dux Willelmus duxit Mathildem, filiam Balduini Flandrensis, neptem Henrici regis.

Jam duce juvenili robore vigente, transcensis annis adolescentiæ, cœperunt optimates ejus de successione prolis cum eo attentius tractare. Audiens autem Balduinum Flandriæ comitem habere filiam regali ex genere descendentem, nomine Mathildem, corpore valde elegantem, animoque liberalem, hanc, suorum consultu missis legatis, a patre petiit uxorem. Ex ejus proposito animi Balduinus satrapa admodum gavisus, non modo petitam dari decrevit, verum etiam cum muneribus innumeris eam ad usque Oncense castrum adduxit. Ubi dux militum stipatus catervis advenit, illamque sibi jure conjugali despondit et cum maximo tripudio ac honore Rothomagi mœnibus intulit. Genuit autem ex ea procedenti tempore filios quatuor : Robertum qui post eum ducatum Northmanniæ aliquandiu tenuit, et Willelmum, qui regno Angliæ tredecim annis præfuit, et Richardum, qui juvenis decessit, et Henricum, qui fratribus, tam regi quam duci, successit ; et filias quatuor. De quibus omnibus, tam viris quam feminis, liber subsequens, qui de gestis nobilissimi regis Henrici inscribetur, pro modulo nostro, Deo adjuvante, pertractabit.

CAPUT XXII.

De monasteriis quæ ædificata sunt in Northmannia tempore Willelmi ducis.

In diebus illis maxima pacis tranquillitas fovebat habitantes in Northmannia et servi Dei a cunctis habebantur in summa reverentia. Unusquisque optimatum certabat in prædio suo ecclesias fabricare et monachos qui pro se Deum rogarent rebus suis locupletare. Et quia diximus nobiles quosque Northmannorum tunc temporis in fundis suis in ædificatione monasteriorum promptissimos, libet nominatim exprimere eos, qui eo tempore monasteria in eadem provincia construxerunt. Primum igitur ponam

ipsum ducem Willelmum patrem patriæ, qui monasterium Sancti Victoris Ceracii a duce Roberto patre suo, antequam Hierusalem pergeret inceptum cœpit et propagavit; usquequo ipse monasterium sancti Stephani et uxor ejus Mathildis monasterium Sanctæ Trinitatis, ædificaverunt Cadoni. Willelmus vero filius Osberni, propinquus ducis Willelmi, vir potens et virtute tam animi quam corporis laudabilis, duo monasteria in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ, unum apud Liram in quo Adelinam filiam Rogerii de Toenio uxorem suam postmodum sepelivit; alterum apud Cormelias, in quo ipse mortuus conditus est, fecit. Rogerius etiam de Bellomonte, filius Humfridi de Vetulis, in fundo suo Pratellis duo cœnobia ædificavit, unum monachorum, alterum sanctimonialium.

Rogerius de Monte Gumeri pater Roberti de Belesmo, indignans videri in aliquo inferior suis comparibus, in honorem sancti Martini ecclesias duas, unam in Sagiensis urbis suburbio, alteram in vico suo Troardo nobiliter construens, greges monachorum ibidem Deo militaturos posuit; tertiam etiam fecit apud Almanochias ad opus sanctimonialium. Lescelina vero comitissa Aucensis, adjuta a filiis suis Roberto, comite Auci, et Hugone episcopo Luxoviensi, cœnobium monachorum Sancti Petri super Divam et monasterium sanctimonialium ante urbem Luxoviensem virili animo construxit. Filius vero illius, prædictus comes Aucensis, monasterium sancti Michaelis Ulteris portus ædificavit. At Rogerius de Mortuo-Mari filius (3) primi Willelmi de Warenna, monasterium Sancti Victoris in proprio solo fundavit. Richardus vero comes Ebroicensis in eadem urbe monasterium Sancti Salvatoris ad opus sanctimonialium fabricavit. Idem vicecomes apud Rothomagum in monte urbi imminenti cœnobium summæ Trinitati ex sumptu proprio consummans, monachos ibidem Deo servituros constituit. Monasterium Gresteni Robertus comes Moritolii fecit: Hugo vero, postea comes Cestrensis, abbatiam sancti Severi. At ecclesiam Sanctæ Trinitatis Exaquei Eudo cum capello fecit: Balduinus etiam de Revers aliam apud Montisburgum: Nigellus vicecomes Constantiniensis cœnobinm Sancti Salvatoris. Monasterium vero Sanctæ Mariæ Lonleii Willelmus Talavacius primus, qui exciso nemore, in monte quodam castrum nomine Damfrontem construxerat a fundamentis ædificavit. Ecclesiam Sancti Stephani Fontanenti Rodulfus Taisson et Erneisus frater ejus construxerunt: Monasterium autem Sancti Petri Castellionis Rodulfus de Toenio.

Quædam vero cœnobia ejusdem provinciæ antiquiora, quæ a Northmannis adhuc paganis fuerant destructa, studio bonorum principum reædificata sunt. Rollo siquidem primus, Northmannorum dux, in primordio suæ conversionis plurimas possessiones dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ Rothomagensis, et Sanctæ Mariæ Bajocensis et Sanctæ Mariæ Ebroicensis et cœnobiis Sancti Petri, Sanctique Audoeni et Gemmeticensi et Sancti Michaelis de periculo maris. Willelmus vero filius ejus ex integro monasterium Gemmeticense restauravit. Richardus autem, filius ejus et successor, Fiscanni cœnobium et Sancti Michaelis de Monte et Sancti Audoeni Rothomagi. Richardus vero secundus monasterium Sancti Wandregisili et alia monasteria ab antecessoribus ejus reædificata mirabiliter auxit. Judith vero uxor ejus ecclesiam Sanctæ Mariæ Bernai fundavit. Richardus vero tertius, morte immatura præventus, nullum monasterium vel instituit, vel renovavit. At Robertus frater ejus, antequam Hierusalem pergeret, monasterium Sancti Vigoris Ceratii ædificare cœpit. Eodem etiam tempore venerabilis abbas Herluinus monasterium Beccense in honorem sanctæ Mariæ cœpit ædificare, de quo in libro superiori pauca perstrinximus. Si quis vero conversionem et conversationem ipsius plenius nosse desiderat, librum qui de vita ejusdem patris venerandi eleganti sermone conscriptus est a viro religioso, Gisleberto Crispino, postea abbate Westemonasterii et tam nobilitate generis quam scientia sæculari et divina pollenti, perquirens relegat, in quo sufficienter reperiet unde suo desiderio satisfaciat. Monasterium vero Sancti Taurini et Sancti Leufredi et Willare monasterium et cœnobium Sancti Amandi intra urbem Rothomagensen inter antiquiora computanda sunt. Unde constat illa prius fuisse destructa et iterum reædificata.

CAPUT XXIII.

De restanratione monasterii Sancti Ebrulfi apud Uticum per Willelmum Geroianum et Robertum et Hugonem de Grentemaisnilio nepotes suos.

In illo tempore Robertus de Grentemaisnilio cernens mundi felicitatem in momento perire, cum fratre suo Hugone disposuit abbatiam monachorum construere. Hic vero in infantia litterarum scientiam perceperat, sed postea litteris aliquantum intermissis, quinque annis armiger ducis fuerat; a quo postmodum militari ense accinctus ingentia dona receperat. Sed non multo post, ut dictum est instinctu Dei omnia sprevit, cœnobium facere, monachusque fieri firmiter decrevit. Quod audiens Willelmus Geroii filius, valde lætatus est, ac ad Robertum et Hugonem accedens, sic locutus est: « Audio vos, o charissimi mei nepotes, erga Dei cultum fervere, quin etiam monachile monasterium velle construere. Unde vehementer gaudeo et me vos in hoc opere adjuturum gratanter spondeo. Sed tamen ad hanc fabricam quem locum elegistis et quid ibidem Christo militantibus collaturi estis? » At illi responderunt: « Apud Nuceretum, juvante Deo, castrum ei stabilire cupimus et ecclesias decimasque nostras et alia quæ poterimus pro posse paupertatis nostræ, dabimus » Willelmus dixit: « Sanctus Benedictus

(3) Filius Walteri de Sancto Martino, frater primi Willelmi de Warenna.

A monachorum magister jubet monasterium ita constitui, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, pistrinum, hortus, vel artes diversæ infra monasterium exerceantur, ne sit monachis necessitas vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Nuceretì vero rura quidem satis fertilia sunt, sed copia silvæ, ac habilis lympha, quibus monachi maxime indigent, procul absunt. » Cumque ipsum rogarent ut quid sibi visum fuerit super hac re proferret, dixit : « Tempore Clotarii regis Francorum, filii Clodovei, qui primus in regibus Gallorum baptizatus est a beato Remigio archiepiscopo Remorum, sanctus Ebrulfus Bajocis natus inter proceres regio fulsit stemmate nobilitatis et census. Hic pro amore Dei sæculi pompam contemnens, monachus factus est, et post aliquantum temporis cum tribus monachis in eremum profectus est. Ibi quippe putabat se posse homines latere et cum diabolo per auxilium Dei fortius pugnare. Qui dum flexis genibus Deum devote obsecraret, ut aptum mansionis locum sibi monstraret, angelus a Deo missus ei adfuit, eumque Uticum perduxit. Præfatus autem servus Dei, regnantibus Chilperico et Sigiberto Clotarii filiis, illic cœnobium condidit et latrones, qui silvam incolebant, utilibus minis et exhortationibus terruit eosque relictis latrociniis aut monachos, aut agricolas fecit. Ibi pro amore Dei magnam paupertatem patienter toleravit et insignem fidelium monachorum multitudinem aggregavit. Ibi duos mortuos in nomine Domini resuscitavit, et multa alia quæ enumerare perlongum est, miracula perpetravit. Denique anno ab Incarnatione Domini 596, ætatis vero suæ 80, residente in sede apostolica Gregorio summo doctore et Anglorum apostolo, beatus Ebrulfus IV Kal. Januarii ex hoc mundo migravit et mercedem laborum suorum in cœlestibus a Domino recepit. Deinde post annos fere trecentos, tempore Caroli Simplicis filii Ludovici, cognomine Nihil-fecit, Conditor noster, multiplicata plebis suæ in his partibus consistentis crimina punire voluit. Ejus igitur permissu Hastingus, perditionis filius, in Neustriam venit, et Rothomagum (*al.*, Belvacum) aliasque civitates igne combussit. Plura quoque destruxit cœnobia sanctorum Patrum, scilicet Philiberti apud Gemmeticum, Wandregesili apud Fontinellam, Ebrulfi apud Uticum et sancti Martini Turonis, quod dicitur Majus Monasterium et alia multa monachorum, clericorum atque sanctimonialium. Quædam eorum a bonis principibus postmodum restaurata sunt, nonnulla vero adhuc in solitudine degunt. Fortasse vobis fastidio est hæc nostra tam prolixa locutio, quam si suscipitis benigno animo, commodam vobis fore, o chari nepotes, æstimo. Nunc autem quod mente revolvo, exspectationi vestræ breviter propalabo. Apud Uticum Sancti Ebrulfi cœnobium, juvante Deo, restauremus et fideles monachos contra zabulum dimicaturos illic aggregemus omnes ecclesías decimasque nostras illis tradamus et nos cum fratribus et filiis et nepotibus nostris usque ad mortem illis serviamus. Non enim debemus illis dominari, sed famulari; ut eorum precibus mereamur adjuvari, et in amœnitate paradisi quandoque beari. » Cumque Robertus et Hugo gratanter hæc suscepissent et qualitatem loci solerter inquirerent, magnanimus heros Willelmus adjecit : « Uticensis locus ad quem Deus venerabilem Ebrulfum per angelum suum direxit, pauperibus spiritu quibus regnum cœlorum promittitur, satis congruit. Nam vetusta Sancti Petri basilica ibidem adhuc permanet et amplus ager, ubi hortus et viridaria fieri possunt, circumjacet. Terra quippe inculta et sterilis est, sed Dominus servis suis parare mensam in deserto potens est. Piscosa quidem flumina et uberes vineæ desunt. Sed densum nemus et habiles ad bibendum B fontes præsto sunt. Multorum quoque sanctorum corpora ibidem requiescunt, quæ cum ingenti gloria in extremo die resurrectura sunt. Jam quod summopere cupio audistis, nunc considerate quid agere velitis. » Illis autem consilium ejus approbantibus et se in omnibus ipsi obsecundare pollicentibus, iterum sagax Willelmus : « Si placet, monachi cito requirantur et Utico tam libere constituantur ut exinde a nobis vel hæredibus nostris nulli redditus exigantur, nisi unus solummodo ; scilicet, ut servi Dei nobis orationibus suis suffragentur. Et ne aliquando instinctu dæmonis eos aliquo modo infestare possimus, præfatum cœnobium totius Northmanniæ duci ad tutandum contra nos et posteros nostros, omnesque mortales, ultro commendemus : ut videlicet, si præ- C ter spirituale beneficium aliquid servitii seu muneris violenter exegerimus, principali severitate salubriter coerciti, tirones Dei molestare vel inviti cessemus. » Post hæc, pariter ducem adierunt, eique suum velle luculenter insinuaverunt. At ille votis eorum benigniter favit et inde chirographum auctoritatis suæ in Saltu Leonis sanxit et episcopis ac baronibus Northmannicis ad confirmandum tradidit. Malgerius itaque archiepiscopus Rothomagensis primus subscripsit. Deinde præsules subscripserunt, Hugo Luxoviensis et Odo Bajocensis ; Willelmus Ebroicensis atque Gislebertus abbas Castellionis. Tunc domnus Theodoricus Gemmeticensis monachus electus est, eique Uticensis abbatiæ cura commissa est.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo, indictione IV, Leone papa in sede D apostolica residente, necnon Henrico II Christianissimo Augusto, Cononis Saxonum ducis filio imperante, monasterium Sancti Ebrulfi a sæpe dictis optimatibus, Willelmo Geroiano et nepotibus suis Roberto et Hugone de Grentemaisnilio, apud Uticum restauratum est. Ibi venerabilis Theodoricus magnæ religionis monachus Non. Octobris, die Dominico, a domino Hugone Luxovii pontifice ante altare Sancti Petri solemniter consecratus est. Sequenti quoque anno nobilis Robertus cœnobii fundator ibidem monachus factus est, multosque labores postea in procuratione servorum Dei perpessus est. Non multo post Geroianus Willelmus pro

quibusdam rationabilibus causis in Apuliam missus est, ibique dum redire cœperat, apud Cajetam Nonis Februarii defunctus est. Willelmus de Monasteriolo filius ejus in Apulia magnæ sublimitatis eques erat, Græcos et Langobardos armis premebat et vicario sancti Petri apostoli subdebat.

CAPUT XXIV.

Quod Malgerius archiepiscopus archiepiscopatum duci reddidit et ille Maurilium monachorum subrogavit.

Eo tempore Malgerius archipræsul Rothomagensis desipere cœpit, et insipientia ductus archipræsulatum duci reddidit. Dux autem Malgerium in insula quæ dicitur Ghernervia (Gernsey) retrusit et synodi decreto metropolitanam sedem Maurilio Fiscannensi monacho multis virtutibus excellenti tradidit Tunc etiam Northmannos discordia turbavit, eosque vicinorum qui bella paci præponebant, cruores effundere compulit. Enimvero, ex quo Northmanni arva Neustriæ cœperunt incolere, mos fuit Francis semper eis invidere. Concitabant ergo reges adversus illos insurgere, asserentes terras quas possident suis majoribus violenter eos subripuisse. Quibus rex Henricus vehementer irritatus, ambagibus, imo malignissimis æmulorum suggestionibus, ob ducis imperium, duobus hostium agminibus Northmanniam est agressus. Unum quidem electæ nobilitatis virorum fortium, ad Calcinum subvertendum territorium direxit; cui fratrem suum nomine Odonem præfecit. Alter vero cum Goiffredo Martello, ad demoliendum comitatum Ebroicensem, ipse præfuit. Dux ergo, ut se suosque taliter opprimi vidit, magno et nobili tactus dolore milites protinus elegit, quos ad comprimendos Calceii subversores celerrime direxit. Ipse autem cum suorum nonnullis circa regem se contulit, quatenus pœnas lueret, si quem satellitum a regis latere abstrahere aliquatenus valeret. Venientes vero Northmanni ad Francos, repererunt eos apud Mortuum mare in incendiis et mulierum ludibriis occupatos. Cum quibus illico mane commissum bellum in continua cæde occumbentium ad usque nonam ab utrisque est protractum. Novissime autem Francigenæ victi fugerunt et Northmanni eventum duci mox per nuntios intimaverunt. At ille nimis lætus super hanc rem, Henricum regem volens effugare, terruit eum ejus legatione. Nuntius ducis regalibus castris appropiavit, et in quodam proximo monte noctu stans fortiter clamare cœpit. Cumque regii vigiles sciscitarentur quis esset, vel quare tali hora sic vociferaretur, respondisse fertur: « Rodulfus de Tœnia nominatus sum vobisque defero lugubre nuntium. Ad Mortuum mare currus vestros cum carris ducite et inde cadavera charorum vestrorum reportate. Franci quippe Northmannorum militiam experiri super nos venerunt, eamque multo majorem quam voluissent, invenerunt. Odo signifer eorum turpiter fugatus est, et Wido Pontivi comes captus est. Reliqui omnes capti aut perempti sunt, aut obnixe A fugientes vix evaserunt. Hoc ex parte ducis Northmannorum confestim renuntiate regi Francorum.» Rex igitur ut infortunium suorum agnovit, a Northmannica infestatione concito gradu, quantocius valuit, mœstus de interitu Gallorum retro pedem retraxit. Hæc pugna anno Dominicæ Incarnationis 1054 facta est.

CAPUT XXV.

Quod dux Willelmus castrum Bretolium construens, Willelmo filio Osberni commisit; et de uxore ejusdem.

Postea dux contra Tegulense castrum, quod rex illi dudum abstulerat, aliud oppidum non deterius, quod Bretolium usque hodie vocatur, instaurat, et B Willelmo Osberni filio ad custodiendum contra cunctos sibi adversantes commendat. Hic legitimus et liberalis vir Adelisam Rogerii Toenitæ filiam in conjugio habuit, ex qua duos filios, Willelmum et Rogerium Contumacem procreavit et unam filiam, quæ postea Rodulfo comiti genere Britoni nupsit, atque cum eodem in diebus Urbani papæ Hierusalem perrexit. Præfatus heros duo cœnobia monachorum Sanctæ Mariæ cœli reginæ condidit. Unum apud Liram, ubi Adelisam conjugem suam sepelivit; et alterum apud Cormelias, ubi ipse quiescit et Rodulphus filius ejus a pueritia monachus Deo diu militavit. Ipse quoque cum Willelmo duce Anglos maxime perdomuit et comitatum Herfordiæ C cum magna parte regni sensu et viribus obtinuit. Denique anno ab Incarnatione Domini 1070 cum Philippo rege Francorum Flandriam perrexit, volens Balduino Mathildis reginæ nepoti subvenire. Robertus autem Frisio cum exercitu Henrici imperatoris sociato cuneis suis, x Kal. Martii, Dominico Septuagesimæ imparatos mane præoccupavit et Philippo cum Francis fugiente, Balduinum nepotem suum, et Willelmum comitem telis suorum occidit. Postea Flandriæ ducatum diu tenuit, moriensque filiis suis, Roberto Hierosolymitano et Philippo dereliquit. Nunc ad ordinem historiæ redeamus.

CAPUT XXVI.

D *Quæ fuit causa ut duo cœnobia Cadomi construerentur.*

Willelmus dux, dum a quibusdam religiosis sæpius redargueretur, eo quod cognatam suam sibi in matrimonio copulasset, missis legatis Romanum papam super hac re consuluit. At ille sagaciter considerans, quod si divortium fieri juberet, forte inter Flandrenses et Northmannos grave bellum exsurgeret, maritum et conjugem a reatu absolvit, eisque pœnitentiam injunxit. Mandavit enim, ut ab eis duo cœnobia conderentur, in quibus pro ipsis ab utroque sexu Deo sedulo preces offerrentur. Quod illi gratanter opere compleverunt. Nam apud Cadomum una constructa est abbatia in honore sanctæ Trinitatis, altera vero in honore sancti Stephani protomartyris. In cœnobio quippe Sanctæ Trinitatis sanctimonialium chorus Deo laudes quotidie

concinit, quibus ancilla Dei Mathildis abbatissa fere 48 annis præfuit. Ibi Mathildis regina 1081 Dominicæ Incarnationis anno, III Non. Novembris, epulta est. Ibi quoque Cecilia virgo filia ejus Deo consecrata est et in servitio Dei diu commorata est. Porro, in cœnobio Sancti Stephani monachorum exercitus dæmonicæ phalangi resistit, quorum primus abbas domnus Lanfrancus Beccensis monachus extitit. Hic vero fuit genere Langobardus, moribus mitis et religiosus et tam sæcularis quam spiritualis scientiæ peritissimus. Qui post aliquot annos, annitente Alexandro papa, Cantuarium archiepiscopatum suscepit, et post multum temporis, anno ab Incarnatione Domini 1100, VI Kal. Junii obiit. Post ipsum Willelmus monachus, Radbodi Sagiensis episcopi filius, Cadomensis Ecclesiæ regimen tenuit, qui et ipse post Joannem metropolitanum Rothomagensem archiepiscopatum suscepit. Deinde Gilebertus Constantiniensis Callidus Cadomi rector factus est. Cujus tempore Willelmus dux Northmannorum et rex Anglorum anno 1087 Rothomagi V Idus Septembris mortuus est, in ecclesia Sancti Stephani honorifice Cadomi sepultus est. Hæc per anticipationem dicta sufficiant. Venerabilis autem Theodoricus, postquam cœnobium Sancti Ebrulfi fere 8 annis rexit, pro quibusdam tumultibus sibi excitatis a domno Roberto de Grentemaisnilio, qui tunc prior erat, Mauritio archiepiscopo et Hugoni episcopo curam animarum reddidit. Absolutus itaque ab eis, utpote filius pacis, ire Hierusalem decrevit. Qui dum in Cyprum insulam cum quodam venerabilis vitæ peregrino episcopo ad quamdam ecclesiam sancti Nicolai venisset, humi prostratus coram altari diutius oravit, ibique in oratione Kal. Augusti beatum Deo spiritum reddidit. Insulani vero, comperta sanctitate talis peregrini, corpus ejus in ecclesia sepelierunt. Cujus meritis in ægrotis multa sanitatum miracula divinitus ostensa sunt.

CAPUT XXVII.

Quod dux Willelmus urbem Cenomannicam et castrum Meduanum expugnavit et cepit.

Magnificus dux Willelmus, Francorum catervis competenter devictis, memor opprobrii a Goiffredo comite sibi illati, ad urbem Cenomannicam per aliquot annos arma convertit. Quin igitur explicare poterit quot militum incursibus, quot legionum expeditionibus illam afflixerit? Ad postremum victi Cenomanni, jam castellis per cunctum comitatum subactis, dextras duci dederunt, fidem pangentes illi arctissimis sacramentis. In quorum medio ad domandam eorum insolentiam, duo municipia in Ponte-Barbato, seu Barbello, stabilivit, suisque militibus custodienda commisit, Meduanum vero castellum cujusdam opulenti militis nomine Goiffredi adhuc restiterat, quod dux exercitibus applicitis aliquandiu oppugnans cepit igneque injecto per duos pueros, qui clam ad ludendum cum oppidanis infantibus intraverant, combussit. Quod iterum restauravit et custodibus suis mancipavit.

CAPUT XXVIII.

Quomodo Henricus rex Francorum apud vadum Divæ exercitum amisit et postea duci reconciliatus eidem castrum Tegularias reddidit.

Rex autem Henricus injuriam sibi a duce illatam toto annisu cupiens ulcisci, sumpto Goiffredo comite Andegavensi, copiosissimo cum exercitu iterata expéditione Northmanniam aggreditur. Qui comitatum pertransiens Oximensem et penetrans Bajoacensem, tandem reflexo calle redeundi vadum Divæ appetiit. Quod rege transeunte, media exercitus pars substitit, mari eructuante, ob redundationem fluminis non valens transmeare. Cum quibus dux acriter superveniens sub regis oculis illico congressus, tanta illo cæde prostravit, ut quos gladius non exstinxit, hos per Northmannica compita dispergeret violentia diræ captivitatis. Videns autem rex suorum interitum, quantocius valuit a Northmannis recessit et ad eos ultra venire non apposuit. Amicitiam quoque ducis, considerata ejus probitate, requisivit, et Tegulense castrum, quod dudum abstulerat, illi tradidit. Sæpedictus rex valde fuit militaris, magnæque fortitudinis et pietatis. Mathildem (4) Juliusclodii regis Rugorum filiam in matrimonio habuit, ex qua duos filios, Philippum et Hugonem, unamque filiam genuit. Qui postquam regnum Galliæ fere 25 annis rexit, causa corporeæ salutis a Joanne medicorum peritissimo potionem accepit. Sed veneno nimiam sitim inferente jussum Archiatri sprevit et a cubiculario potum accipiens, dum medicus abesset, ante purgationem bibit. Unde nimis infirmatus, eodem die post perceptionem sacræ Eucharistiæ obiit. Philippum vero filium suum in regimine Francorum hæredem constituit et tutelæ Balduini Flandrensis strapæ commendavit.

CAPUT XXIX.

Quod delationibus quorumdam dux Willelmus aliquos de baronibus suis ejecit de Northmannia.

Tunc quibusdam maledicis vicinos comparesque suos accusantibus ex invidia, dux Willelmus exasperatus ingenti furia barones suos, scilicet Rodulfum de tœnia, Hugonem de Grentemaisnillio et Ernaldum Willelmi Geroiani filium, ejecit de Northmannia. Abbatem quoque Robertum, qui jam tribus annis cænobium Sancti Ebrulfi rexerat, quia de audaci Geroicorum prosapia prodierat, sine reatu et judicio synodi de Northmannia expulit et quemdam monachum nomine Osbernum ei subrogavit. Robertus Romam petiit et Nicolao papæ causam suam intimavit. Sed quoniam prædictus præsul paulo post defunctus est, nil rectitudinis per eum consecutus est. Denique venerabilis Robertus cum 11 monachis Alexandrum papam adiit et ejus jussu Robertum Calabriæ ducem compatriotam suum ex-

(4) Alii *Annam* vocant; fuitque secunda uxor, Mathildis vero prima.

petiit. A quo honorifice susceptus est, eique locus ad construendam abbatiam in urbe Brixa nomine datus est. Britones, ut fertur, antiquitus jussu Romanorum qui tunc per totum orbem imperabant, de finibus suis egressi sunt. Deinde, Romanis jubentibus, supra littus Calabrici maris Brixam urbem condiderunt; sed eam post plures annos diversi bellorum tumultus destruxerunt. Singulis enim annis Agareni navigio in Italiam veniebant et Græcis ac Langobardis qui terram incolebant, ignavia torpentibus, crudelitatem suam minis exercebant. Nam urbes et oppida concremabant, ecclesias destruebant, virosque cum mulieribus captivabant. Hoc per multa sæcula frequenter fecerunt.

CAPUT XXX.

Quo tempore primum Northmanni in Apuliam perrexerunt et de principibus Northmannis quorum ducatu Apuli subacti sunt.

Deinde temporibus Henrici imperatoris filii Cononis et Roberti Northmannorum ducis, Osmundus Drengotus audax miles Apuliam adiit, cum quibusdam aliis Northmannis. Nam Willelmum cognomento Repostellum, militem clarissimum, in venatione in præsentia Roberti ducis occiderat, metuensque animositatem ducis et insignis equitis nobilium parentum iras, in Apuliam secessit, et propter magnam probitatem ejus a Beneventanis honorifice detentus est. Deinde præfati Drengoti exemplo, agiles Northmannorum seu Britonum tirones incitati, Italiam diversis temporibus expetierunt et primo juvare Langobardos contra Saracenos, sive Græcos, viriliter cœperunt, Barbaros bello sæpius protriverunt. Unde cunctis eorum vires expertis formidabiles facti sunt. Langobardi vero, adepta securitate, cœperunt Northmannos despicere, eisque debita stipendia subtrahere. At illi, ut hoc animadverterunt, quemdam ex suis super se principem constituerunt et contra Langobardos arma verterunt. Deinde munitiones ceperunt et incolas terræ sibi fortiter subegerunt. Primus Apuliensibus Northmannis, dum adhuc ut advenæ Waimalchi ducis Salernii stipendiarii erant, præfuit Turstinus cognomento Scitellus, vir in multis probitatibus admodum expertus. Qui inter reliqua virtutis suæ indicia capram leoni ex ore rapuit, ipsumque leonem pro ablata sibi capra furentem nudis manibus arripuit et ultra murum palatii præfati ducis velut catellum quemlibet projecit. Langobardi vero ex invidia commoti contra ipsum, mortem ejus optantes, duxerunt eum in quemdam locum ubi morabatur immanis draco cum magna multitudine serpentium. Deinde ut draconem venire senserunt, confestim fugerunt. Turstinus autem ignarus doli, dum socios suos fugere ab armigero suo inquireret, en repente flammivomus draco illi occurrit et caput sonipedis ejus hianti ore invadit. At ille abstracto ense viriliter feriens feram mox peremit; quin etiam ipse venenoso flatu infectus tertio die obiit. Nam clypeum ejus, quod mirum dictu est flamma ex ore draconis erumpens momento totum combussit. Defuncto autem Turstino, Northmanni principes sibi Ranulfum et Richardum elegerunt, quibus ductoribus mortem Turstini ulciscentes, contra Longobardos aspere rebellaverunt. Post aliquot tempus, Constantiniensis Drogo filius Tancredi de Altavilla princeps Northmannorum in Apulia factus est. Hic Christiana religione et militari probitate laudabilis exstitit. Quem Wazo Neapolitanus comes compater ejus dum vigilias in ecclesia Beati Laurentii IV Idus Augusti agerent, coram altari Deum et sanctum Laurentium invocantem trucidavit. Porro Unfridus frater ejus in principatu ei successit, totamque Apuliam Northmannis subegit. Qui postquam finem vitæ sibi adesse perspexit, Abailardum filium suum Roberto fratri suo, quem pro versutiis Wischardum cognominaverat, cum ducatu Apuliæ commendavit. Robertus autem fratres suos, qui omnes duces vel comites fuerunt, virtute et sensu ac sublimitate transcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, ac Siciliam sibi subjugavit et transmeato mari maximam partem Græciæ invasit et Alexium imperatorem, qui contra dominum suum Michaelem Augustum nequiter rebellaverat, bello turpiter cum immenso exercitu victum fugavit. Hic vero multa bona fecit, episcopatus et abbatias plures restauravit. Hic, sicut supra diximus, domnum Robertum abbatem Sancti Ebrulfi benigniter suscepit et quamdam parvam ecclesiam supra littus Calabrici maris sitam quæ in honore sanctæ Euphemiæ virginis et martyris dedicata erat ei tribuit. At ille, ut erat magnanimus, ingens cœnobium ibi condidit et magnam multitudinem monachorum ad militandum Deo ibidem congregavit. Episcopi et nobiles viri prædictum Patrem Robertum diligebant, venerabantur, totisque nisibus adjuvabant. Curam quippe corporis sui parvipendebat, sed sibi subjecto victu et vestitu sufficienter alebat et mentes eorum regulari disciplina cœrcens componebat. Præfatum itaque cœnobium fere 17 annis rexit, Idibusque decembris feliciter ad Dominum migravit.

CAPUT XXXI.

Quod Heraldus duci Willelmo fidelitatem fecit, quam mortuo Edwardo rege perjurus infregit.

Edwardus Anglorum rex, disponente Deo, successione prolis carens, olim miserat Willelmo duci Robertum Cantuariorum archipræsulem, ex regno a Deo sibi attributo illum statuens hæredem. Deinde Heraldum cunctorum suæ dominationis comitem divitiis et honore ac potentia maximum duci destinavit, ut ei de corona sua fidelitatem faceret, ac Christiano more sacramentis firmaret. Qui dum ob hoc negotium venire contenderet, velificato freto ponti Pontivum appuli; ubi in manus Widonis abbatisvillæ comitis incidit. Quem idem comes captum cum suis confestim in custodia trusit. Dux autem ut hoc comperit, missis legatis violenter

illum extorsit. Quem aliquandiu secum demorari fecit et in expeditione contra Britones adduxit. Deinde dux, postquam Heraldus fidelitatem sibi de regno pluribus sacramentis firmavit, Adelizam filiam suam cum medietate Anglici regni se daturum ei spopondit. Postremo ipsum cum multis muneribus regi remisit et pulchrum adolescentem Vulnotum fratrem ejus obsidem retinuit. Denique Edwardux rex, completo felicis vitæ termino, sub anno 1065 Dominicæ Incarnationis migravit e sæculo. Cujus regnum Heraldus continuo invasit, ex fidelitate pejeratus quam juraverat duci. Ad quem dux protinus legatos direxit, hortans ut ab hac insania resipisceret et fidem quam juramento spoponderat, condigna subjectione servaret. At ille non solum hoc audire contempsit, verum omnem Anglorum gentem ab illo infideliter avertit, Grithfridi quoque regis Wallorum, postquam hostilis eum gladius peremit, pulchram conjugem Aldith, præclari comitis Algari filiam, sibi uxorem junxit. In diebus illis, in parte Circii cometes apparuit, quæ tribus radiis longius protensis, maximam partem Austri per spatium quindecim noctium illustravit et mutationem, ut plurimi asseruerunt, alicujus regni designavit.

CAPUT XXXII.

Quod dux Willelmus Tustinum [Tosticum] comitem in Angliam misit, qui ad regem Nortwegæ timore Heraldi confugit.

Porro dux Tustinum comitem in Angliam misit, sed militia Heraldi mare servans eum armis abegit. At ille non valens salubriter Angliam introire, neque Northmanniam, quia ventus obstabat redire, Heraldum Herfagam Northwegæ regem adiit, ipsumque supplex ut se juvaret rogavit. Ipse vero precanti Tustino libenter acquievit. Eodem anno domnus Osbernus abbas, postquam cœnobio Sancti Ebrulfi quinque, annis et duobus mensibus præfuit, vir bonus et de subjectis sibi sollicitus, VI. Kal. Junii obiit. Cui sagax Mainnerius ejusdem cœnobii monachus successit et novam ecclesiam, omnesque domos monachis congruas, Deo juvante, et temporis felicitate favente construxit. Qui postquam 22 annis monasterium rexit tempore Roberti ignavi ducis et Gisleberti Maminoti Luxoviensis epiocepi, XI Non. Martii obiit. Uticensis vero abbatiæ regimen elegantissimo Serloni, peritia Scripturarum et eloquentia pollenti, reliquit; qui post duos annos et tres menses præsulatum Sagiorum Dei gratia suscepit.

CAPUT XXXIII.

De morte Chunani comitis Britannorum.

Tempore quo Willemus dux disponebat Angliam adire et armis eam sibi vindicare, audax Chunanus comes Britanniæ nisus est eum, missa legatione hujusmodi, terrere; «Audio te, inquit, nunc velle trans mare proficisci et Angliæ tibi regnum nancisci. Inde multum gaudeo, sed ut mihi Northmanniam reddas óbsecro. Robertus autem dux Northmannorum, quem te fingis esse patrem tuum, iturus in Hierusalem, Alanno patri meo, consobrino scilicet suo commendavit omnem suam hæreditatem. Tu autem, cum complicibus tuis Alannum patrem meum apud Winmusterium in Northmannia veneno peremisti et terram ejus, quam ego quia puer eram possidere nequibam, invasisti et contra fas, cum sis nothus, hucusque tenuisti. Nunc igitur aut mihi debitam redde Northmanniam, aut ego tibi totis viribus bellum inferam. » His auditis, Willelmus dux aliquantulum territus est. Sed mox eum Deus, frustratis inimici minis, eripere dignatus est. Unus enim ex proceribus Britonum, qui utrique comiti juraverat fidelitatem et hujusmodi legationem inter eos ferebat, lituum Chunani et habenas, atque chirotecas intrinsectus livit veneno. Erat quippe cubicularius Chunani. Tunc idem comes Britonum in Andegavensi comitatu castellum Guntherii obsederat et oppidanis militibus sese illi dedentibus suos intromittebat. Interea Chunanus chirotecas suas incaute induit, tactisque habenis, manum ad os levavit. Cujus tactu veneno infectus est et paulo post omnibus suis lugentibus defunctus est. Hic multum sagax fuit et probus, ac amator justitiæ. Qui si diu vixisset, multa bona, ut fertur, fecisset, ac ad regendum honorem utilis fuisset. Proditor autem, conscius sui reatus, mox de expeditione aufugit, et mortem Chunani Willelmo duci mandavit.

CAPUT XXXIV.

De numero navium quem dux Willelmus duxit in Angliam.

Willelmus igitur, securus effectus, in Anglos omnem vim furoris convertit. Considerans autem Heraldum quotidie viribus roborari, classem ad tria milia navium festinanter et bene construi jussit, et in Pontivo apud Sanctum Walericum in anchoris congrue stare fecit. Ingentem quoque exercitum ex Northmannis et Flandrensibus ac Francis et Britonibus aggregavit; atque præparatam classem tam valentibus equis quam robustissimis hominibus cum loricis et galeis replevit. Omnibus itaque paratis, vento flante secundo, velis in sublime pansis, trans mare Penuesellum appulit, ubi statim firmissimo vallo castrum condidit, probisque militibus commisit. Deinde festinus Hastingas venit, ibique cito opere aliud firmavit. Heraldus autem, dum Northmanni intraverunt regnum quod ipse usurpaverat, contra Tosticum fratrem suum bello occupatus erat. In quo conflictu prædictum fratrem suum peremit, ac Heraldum regem Northwegæ, qui Tosticum juvare venerat. Hæc pugna Nonis Octobris, in die Sabbati facta est, in qua pene totus Northwigenarum exercitus ab Anglis cæsus est. Inde victor Heraldus Lundoniam rediit, sed de fratricidio diu gaudere, vel securus esse non potuit; quia legatus ei Northmannos adesse mox nuntiavit.

CAPUT XXXV.

Quod Heraldus tyrannus consilium matris suæ et fratris, bellum contra Northmannos dissuadentium, sprevit.

Ipse vero audiens acriores adversarios ex alia parte surrexisse, iterum ad agonem viriliter præparavit se. Erat enim multum audax et probus, toto corpore pulcherrimus, eloquentia lepidus et affabilis omnibus. Porro matre sua aliisque amicis fidelibus bellum ei dissuadentibus, dixit ei Worth comes frater suus : « Oportet, charissime frater et domine, ut probitas tua temperetur discretionis moderamine. Nunc ex prælio Northwigenarum fessus venisti, iterumque nunc festinas contra Northmannos præliari. Quiesce, quæso; prudenter tractare tecum velis, quid cum sacramentis consuli Northmanniæ promiseris. Cave ne perjurium incurras et pro tanto scelere tu cum viribus nostræ gentis corruas, nostræque progeniei permansurum dedecus exinde fias. Ego liber ad omni sacramento, Willelmo comiti nihil debeo. Audacter igitur contra illum pro natali solo certare paratus sum. Tu autem, frater mi, quo vis in pace quiesce et eventum belli præstolare, ne clara libertas Anglorum pereat in tua perditione. » His itaque auditis sermonibus, Heraldus vehementer est indignatus. Consilium istud quod amicis ejus salubre videbatur, sprevit, et germanum suum qui fideliter ei consiliabatur, conviciis irritavit, matremque suam, quæ nimis ipsum retinere secum satagebat, pede procaciter percussit. Deinde per sex dies innumeram multitudinem Anglorum contraxit, ducem incautum accelerans præoccupare, tota nocte equitans in campo belli apparuit mane.

CAPUT XXXVI.

Quomodo dux Northmannorum Willelmus Anglos sibi rebelles devicit.

Dux vero, nocturnos præcavens excursus hostis, inchoantibus tenebris ad gratissimam usque lucem exercitum jussit esse in armis. Facto autem diluculo Sabbati, legiones militum in tribus ordinibus disposuit, et horrendo hoste intrepidus obviam processit. Cum quo sub hora diei tertia bellum commisit et in cædibus ab utraque parte morientium usque ad noctem protraxit. Heraldus etiam ipse in primo militum progressu vulneribus lethaliter confossus occubuit. Angli vero postquam tota die fortiter in conflictu perstiterunt, regemque suum morte oppressum comperemnt, jam de salute sua diffidere cœperunt, et nocte imminente, versa facie, subsidium fugæ appetierunt. Itaque Northmanni, dum Anglos fugere viderunt, tota nocte Dominica eos ad detrimentum sui obnixe persecuti sunt. Nam crescentes herbæ antiquum aggerem tegebant, ubi summopere currentes Northmanni cum equis et armis ruebant, ac sese, dum unus repente super alterum cadebat, vicissim exstinguebant. Ibi nimirum, ut ferunt, ferme 15 millia perierunt. Sic omnipotens Deus pridie Idus Octobris innumeros peccatores utriusque phalangis puniit diversis modis. Nam vesania sæ-

A viente Northmannorum in die Sabbati multavit multa millia Anglorum, qui longe ante innocentem Aluredum injuste necaverunt, ac præcedenti Sabbato Heraldum regem et Tosticum comitem aliosque multos absque pietate trucidaverunt. Idem quoque judex sequenti nocte Anglos vindicavit et furentes Northmannos in cæcam voraginem præcipitavit. Ipsi enim contra præceptum legis rem alienam immoderate concupierunt ac veloces, ut Psalmographus dicit, pedes eorum ad effundendum sanguinem fuerunt. Ideoque contritionem et infelicitatem in viis suis offenderunt.

CAPUT XXXVII.

Quod Lundonienses se ei dederunt, et quod sequenti Natali Domini Lundoniæ rex Anglorum effectus est et de abbatia de Bello.

B Post hæc fortis dux Willelmus ab inimicorum strage reversus, nocte media ad campum belli est regressus. Mane vero Dominicæ diei illucescente, spoliis hostium distractis et corporibus charorum suorum sepultis, iter arripuit quod Lundoniam tendit. Deinde ad urbem Warengefort gressum divertit, transmeatoque vado fluvii, legiones ibi castra metari jussit. Inde vero profectus, Lundoniam est aggressus; ubi præcursores milites venientes, in platea urbis plurimos invenerunt rebelles, resistere toto conamine decertantes. Cum quibus statim congressi, non minimum luctum intulerunt urbi, ob filiorum ac civium suorum plurima funera. Videntes demum Lundonii se diutius contra stare non posse, datis obsidibus, se suaque omnia nobilissimo victori
C supposuere. Anno itaque ab Incarnatione Domini 1066 Willelmus, Northmannorum dux, quem stylus noster extollere non sufficit, nobile tropæum, ut supra dictum est, ex Anglis confecit. Deinde, in die Natalis Domini ab omnibus tam Northmannorum quam Anglorum proceribus rex est electus et sacro oleo ab episcopis regni delibutus, atque regali diademate coronatus. Locus vero ubi, sicut supra diximus, pugnatum est, exinde Bellum usque hodie vocatur. Porro, Willelmus rex ibi cœnobium in honore sanctæ Trinitatis construxit et monachos ac ordinem Majoris Monasterii Sancti Martini Turonensis statuit atque necessariis opibus pro interfectis utriusque partis affatim ditavit.

CAPUT XXXVIII.

D *De reditu ejus in Northmanniam et de morte Maurilii archiepiscopi cui successit Joannes.*

Dehinc vero paulo post in Northmanniam regressus, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Gemmetico cum honore magno dedicari jussit. Ubi, cum sacrosanctum hoc mysterium summa cum reverentia tam religiosissime quam festivissime celebraretur, ipse harum nuptiarum sponsi semper studiosus cultor devotissimo animo interfuit. Quam dedicationem hi episcopi cum spirituali jucunditate, 1067 Dominicæ Incarnationis anno, Kal. Julii compleverunt; Maurilius scilicet archiepiscopus Rothomagensis et Balduinus Ebroicencis. Maurilius archipræsul mense

illo vivens, v Idus Augusti, carnis onere deposito, cum suo rege Christo jam victurus, liber et gaudens decessit. Cui successit Joannes Abrincatinæ urbis præsul, vir ingenuitate plurimum conspicuus sapientia spirituali feliciter imbutus, prudentia sæculari summe præditus, secundum quippe nobilitatem generis, comitis Rudolphi filius. Et quia hujus Rudolphi fecimus mentionem, libet superiora paulisper repetere. Richardus I Willelmi Longæspatæ, cum adhuc puer, mortuo patre, a rege Francorum quasi exsul in Francia detineretur, mater ejus Sprota, necessitate urgente, contubernio cujusdam prædivitis nomine Asperlengi adhæsit. Hic licet in rebus locuples, tamen molendina vallis Ruelii ad firmam solitus erat tenere. Genuit itaque ex Sprota filium Rodulfum, de quo loquimur, et filias plures quæ postea per Northmanniam nobilium matrimonio sunt copulatæ. Cum autem prædictus Richardus ducatum Northmanniæ esset adeptus, quem rex Francorum sibi fraudulenter subripuerat, contigit quadam die ut homines ipsius in silvam Weuram nominatam irent venatum. Adfuit forte inter eos idem Rodolphus uterinus frater ducis. Cumque venando devia quæque et abdita silvæ lustrarent, in quadam valle ursum immanissimum reperiunt. Venatores igitur in fugam versi, prædictum juvenem solum relinquentes, occasionem suæ probitatis manifestandæ ei dederunt. Hic namque plus timens opprobrium inertis fugæ quam ferocitatem bestiæ, substitit; et licet annis tener, ingenita tamen magnanimitate fortis, furentem in se belluam prostravit. Revertentes vero socii ipsius post fugam et eventum rei comperientes, pudibundi duci Richardo probitatem juvenis retulerunt. Unde dux hilaratus ipsam silvam Weuram cum appendiciis suis illi dedit. Vocatur autem usque hodie vallis in qua occidit ursum, Vallis Ursonis. Dedit præterea illi castrum Ivreium [*in cod. uno*, Vireium], unde vocatus est comes. Accepit autem mulierem quamdam vocabulo Erembergam, speciosam valde, natam in quadam villa Calcini (Calcivi) territorii, quæ dicitur Cavilla (Cachevilla). Genuit vero ex ea duos filios, Hugonem postea episcopum Bajocensem, et Joannem Abrincatensem qui ad ultimum fuit Rothomagensis archiepiscopus. Filias etiam totidem habuit, quarum una nupsit Osberno de Crepon, de qua natus est Willelmus filius Osberni. Alteram duxit Richardus de Bellofago, de qua genuit Robertum qui ei successit, et filias plures, quarum una juncta est Hugoni de Monteforti matrimonio. Et quia de hoc Hugone incidenter fecimus mentionem, utile duximus de ejus antecessoribus breviter aliquid dicere. Turstinus igitur de Bastenburc habuit duos filios, Willelmum Bertrannum et Ugonem cum barba de Monteforti. Hic Hugo occisus est, necnon et Henricus de Ferrariis in quodam conflictu quem inter se cœperant. Filius autem hujus Hugonis fuit secundus Hugo, qui postea fuit monachus Beccensis. Idem vero Hugo de filia Richardi de Bellofago habuit unam filiam quam Gislebertus de Ganz duxit. Ex qua genuit quartum Hugonem, qui duxit Adelinam filiam Roberti comitis Mellenti, ex qua genuit filium suum primogenitum Robertum et alios. Ideo autem Hugonem diximus quartum, quia secundus Hugo, mortua prima uxore, duxit aliam ex qua genuit Hugonem tertium et Robertum fratrem ejus; sed absque liberis et peregre defuncti sunt. Robertus autem de Bellofago circa finem suum factus est monachus Becci, ubi filii ejus Richardus et Willelmus religiose conservantur. Successit vero ei Robertus Baviel ex filia nepos. His per anticipationem dictis, ad ordinem historiæ redeamus.

CAPUT XXXIX.

Quomodo Eustachius comes Boloniæ repulsus est a castro Dovera quod obsederat, cum rex Willelmus esset in Northmannia.

Cum igitur victoriosus rex in Northmannia, bonorum operum studiis probo more suo immorando, pietatis titulos adaugeret, patriamque sibi gratissimam præsentia sua illustraret, Eustachius Boloniensis comes quorumdam Anglorum intra Cantuariensem comitatum consistentium versutiis depravatus, Dorobernia castellum involare est nisus. Qui in noctis conticinio mare transfretans, diluculo cum copioso exercitu eorum illud obsedit, totisque viribus expugnare cœpit. Porro milites Odonis Bajocasini præsulis, atque Hugonis de Monteforti, quibus custodia Doroberniæ credita erat, perspicientes adsentibus dominis sic se inopinato obsessos, liberalibus animis accensi mox portas patefaciunt, unanimiter foras proruunt, consertoque certamine cunctos cum dedecore ab obsidione abigunt. Eustachius autem ad mare devertens, cum paucis indecenter navigio aufugit. Cæteri vero ad devexum montis qui rupibus et scopulis asperrimus mari imminet fugientes omnes sese, Deo terrorem ingerente, inde dejecere deorsum præcipites, justas sceleris sui pœnas luentes. Sicque factum est ut, quos gladius non prostravit, hos discerperet horribilis asperitas prærupti montis, vindice superni judicis sententia temerarios conterente.

CAPUT XL.

Quod latrunculi Angliæ rebellionem parantes condiderunt castrum Dunelmum, et de excidio eorum.

Rex vero Willelmus, jam ad votum dispositis omnibus, pro quibus venerat, Roberto filio suo juvenili fervore vernanti Northmannici ducatus dominium tradidit. Ipse vero in regnum remeans Anglicum, iterato plurimos ejusdem gentis reperit, quorum levia corda ab ejus fidelitate prævaricatrix conspiratio averterat. Conjuraverant enim latrunculi per totam patriam quatenus milites, quos ad tuendum regnum reliquerat, in capite jejunii nudis vestigiis, quo solet usu pœnitens Christianorum religio, ad ecclesiam festinantes incautos ubique perimerent et sic ipsum a Northmannia regredientem levius e regno proturbarent. Verum, detectis Deo contrariis eorum perfidiæ machinis, repentinum magni debel-

latoris formidantes adventum, furtim ut festinum magni terroris consilium suasit, fuga lapsi in quamdam partem Cumberlondæ comitatus, aquis pariter et silvis inaccessibilem, se contulerunt; et firmissimo vallo castrum erexerunt, quod propria lingua Dunelmum nuncuparunt. Inde diversos excursus crebro agitantes, aliquandiu inibi delituerunt, Sveni Danorum regis præstolantes adventum, quem veredariis ad sui convocarant auxilium. Inde vero legatos mittentes ad exerenda suæ nequitiæ infausta commenta, sibi asciverunt, Eboracenses. Quibus juncti, armorum simul et stipendiorum copia urbem munierunt et semetipsos ad resistendum corroboraverunt, sibique puerum quemdam nomine Eadgarum ex Edwardi regis nobilitate genus ducentem, regem præfecerunt. Quorum temerarios actus vel conatus Willelmus rex ut agnovit, Northmannorum catervas produxit et quantocius ad confutandum contumaciam eorum perrexit. Seditiosi autem audacia et viribus fisi ex civitate prosiluerunt et contra regalem exercitum illico aciem direxerunt. A quo protinus ita profligati sunt, ut quamplurimi perimerentur ut reliqui intra mœnia oppidi refugere compellerentur. Northmanni vero e vestigio eos consecuti sunt et muri ambitum, quo confugerant, cum ipsis irruperunt, atque tam ferro quam igne a puero usque ad senem totam pene urbem deleverunt. Incentores autem totius doli per Humbre fluvium navibus dispendium mortis effugerunt.

CAPUT XLI.

Quomodo Briennus filius Eudonis comitis minoris Britanniæ, devicit duos filios Heraldi, cum exercitu regis Hiberniæ.

Porro, dum filii Heraldi regis ab eorum contubernio se subduxerunt, et cum multis vernaculis patris Dirmetum Hiberniæ regem pro obtinendo juvamine agressi sunt. De cujus regno, eodem suffragante, parva temporis intercapedine non minimam manum militum sibi contraxerunt. Deinde, cum sexaginta sex navibus, qua in regione maxime opportunum æstimaverunt, ocius Anglos repetierunt et more sævissimorum piratarum, rapinis et incendiis terræ populum exterminare conati sunt. Briennus autem, Eudonis ducis Britanniæ minoris filius, eis armatus cum suis occurrit et mox cum eis sub die una duobus præliis manum conseruit. Cæsis vero mille et septingentis bellatorum, cum nonnullis regni proceribus, reliqui e certamine fugientes, navium præsidio necis excidium utcumque evaserunt et ex charorum amissione permaximum Hibernensibus luctum reportaverunt. Qui profecto, nisi nox prælium diremisset, omnes mortis novacula abrasi fuissent,

CAPUT XLII.

Quod rex Willelmus circuiens Angliam, castella plurima ad defensionem regni construxit.

Sicarii denique intra Dunelmum latitantes, compertis tot in perniciosis conspirationibus eadem vesania coadunatorum infortuniis, cum adhuc in suas

A ærumnas armis atque fuga auderent, regiam expeditionem super se metuentes deliberata sententia tam inconsultæ temeritati congrua in maritimorum præsidiorum remotiora sese receperunt, inhonestas opes piratico latrocinio sibi contrahentes. Rex autem monitus quidem prudentia qua consulere in cunctis regi novit, innumita regni providissima dispositione perlustravit, ac ad arcendos hostium excursus tutissima castella per opportuna loca stabilivit; quæ militum electissimo robore et uberrima stipendiorum copia munivit. Tandem bellorum ac seditionum tempestate parumper conquiescente, jam totius Anglicæ monarchiæ et habenas potentius temperat et gloria prosperius potitur.

CAPUT XLIII.

B *De morte Roberti Wiscardi ducis Apuliæ et de probitate ejus et posteritatis et qua occasione Rogerius nepos ejus factus est rex.*

Hac tempestate mortuus est Robertus Wiscardus, Northmannigena, dux Apuliæ. Hic, relicta priore uxore propter consanguinitatem, de qua susceperat filium nomine Boamundum, duxit primogenitam filiam Gaumarii principis Salerni, nomine Sichelgaitam, favente Gisulfo, fratre prædictæ puellæ, qui Gaumario patri successerat. Gatteclima [Gatteclinia] vero soror ejus minor nupsit Jordani principi Capuæ, filio Richardi senioris, patri vero Richardi junioris. Hujus condidit urbem nomine Aversam. Genuit autem Robertus Wiscardus ex Sichelgaita filios tres et filias quinque. Filiæ vero adeo excellentissime maritatæ sunt, ut una earum matrimonio copulata sit C imperatori Constantinopolitano. Hic Robertus duos imperatores in uno vicit prælio, Alexium, Græcorum in Græcia, Henricum, Romanorum in Italia. Satis enim victus est Henricus; qui, audita fama ducis Roberti, nec viribus Saxonum et Allemannorum, nec etiam mœnibus urbis, quæ caput est orbis, confisus, vel tutus, concitus aufugit. Boamundus autem, licet haberet magnam terram, in Apulia tandem cum cæteris Northmannis et Francis perrexit dimicare adversus Sarracenos, qui tunc temporis omnes fere civitates Romaniæ tenebant. Debellatis tandem paganis et subjugatis urbibus Antiochia et Hierusalem et cæteris multis, Boamundus adeptus est principatum Antiochiæ et hæredes ejus post ipsum, scilicet filius ejus Boamundus, natus ex Constancia D filia Philippi regis Francorum; et post istum Raimundus filius Willelmi comitis Pictavorum, qui filiam secundi Boamundi duxerat uxorem. Roberto itaque duce abeunte, successit ei filius suus, de secunda conjuge primogenitus, nomine Rogerius, cognomento Bursa. Hoc etiam Rogerio deficiente et filius suis post ipsum, Rogerius patruelis ipsius, filiis Rogerii comitis Siciliæ fratris Roberti Wiscardi, solus tam Apuliam quam Siciliam optinuit. Hic autem procedente tempore de duce factus est rex, causa altercationis duorum Apostolicorum qui simul fuerunt Romæ ordinati. Innocentius videlicet II et Petrus Leonis. Quorum ultimus concessit duci

Rogerio ut regio diademate uteretur, ideo quod idem dux parti ipsius favebat. Accidit hoc circa annum ab Incarnatione Domini 1130. Vixerunt vero ambo fere octo annis simul.

CAPUT XLIV.

De morte Willelmi regis Anglorum et ducis Northmannorum, et de sepultura ejus apud Cadomum.

His per anticipationem breviter intimatis, ad finem gestorum Willelmi regis anglorum et ducis Northmannorum, de quibus fastidio lectorum compendiose consulentes, quædam perstrinximus, veniamus. Si quis vero plenius illa nosse desiderat, librum Willelmi Pictavensis, Luxoviorum archidiaconi, eadem gesta sicut copiose, ita eloquenti sermone affatim continentem, legat. Edidit præterea de eadem materia opus non contemnendum Guido episcopus Ambianensis, heroico metro exaratum. Sed ut jam finem dicendi faciamus, causam mortis secundum existinationem quorumdam pandamus.

Cum ergo idem rex victoriosus post plurima bella, post multiplices expeditiones tam in Northmannia quam in Anglia et in minore Britannia, seu etiam in Cenomannia prospero exitu consummatas, oppidum quoddam Medanta nomine proprium Philippi regis Francorum, qui tunc temporis partes Roberti ducis bellum patri inferentis juvabat (causa autem hujusmodi discordiæ erat, quod eidem filio suo rex Willelmus non permittebat facere voluntatem suam de ducatu Northmanniæ, licet eum ipse post se fecisset hæredem: cum igitur Willelmus rex oppidum Medanta assiliens flammis ultricibus tradidisset, pondere armarum et labore clamoris, quo suos exhortabatur, ut fertur, arvina intestinorum ejus liquefacta, infirmari non modice cœpit. Et licet aliquandiu postea vixerit, non tamen solita valetudine usus est. Dispositis tandem rebus suis et regno Angliæ concesso Willelmo filio suo, vitam præsentem finivit in Northmannia apud Rothomagum 4 Idus septembris. Translatum est corpus ejus sicut ordinaverat, Cadomum et in ecclesia Sancti Stephani, quam ipse a fundamentis ædificaverat, ante majus altare regaliter tumulatum. Solus autem filiorum suorum Henricus exsequias patris persecutus est, dignus qui paternam hæreditatem aliquando solus obtineret, quam fratres sui particulatim post mortem patris sui possederunt. Decessit autem idem rex fere sexagenarius, anno ducatus, in Northmannia 52, porro regni sui in Anglia 20, Incarnationis autem Domini 1087. Regnante eodem Domino nostro Jesu Christo cum æterno Patre in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HISTORIÆ NORTHMANNORUM.

LIBER OCTAVUS

De Henrico I rege Anglorum et duce Northmannorum.

CAPUT PRIMUM.

Prologus in gesta Henrici regis, in quo breviter fratribus suis melior ostenditur.

Quoniam in libro superiori de actibus Willelmi regis Anglorum et ducis Northmannorum tractatum est, non indecens videbitur ut hic liber, qui septimus (5) cuditur in Northmanuorum ducum gesta, vitam et conservationem et ex parte non modica res gestas Henrici nobilissimi regis filii prædicti Willelmi edisserens, sæculo futuro et maxime posteris imitandas proponat. Nec immerito hic numerus illi viro congruit, qui non solum honestate animi, verum etiam corporis probitate, vero videlicet ternario et quaternario plurimum emicuit. Ad hoc accidit quod idem rex quem describendum suscepimus, in septimo gradu genealogiæ Northmannorum ducum reperitur, si incipias computare a Rollone duce, qui fuit hujus prosapiæ principium. Ut autem ordo historiæ non interruptus servetur, de fratribus ejus Willelmo rege Anglorum et Roberto duce Northmannorum, quibus ipse solus successit, aliqua vel breviter dicenda sunt; maxime cum hoc ad commendationem susceptæ materiæ proficiat. Sicut enim pictores ferrugineum colorem substernere solent, ut rubeus superpositus magis elucescat; ita forsitan, si supradicti fratres conferantur cum isto, ex eorum comparatione altius resplendebit. Quod paucis animadverti potest. In altero eorum, Willelmum loquor, dapsilitas erga sæculares prædicabatur, sed contempta ab eo religiositas plurimum conquerebatur. Robertum in rebus bellicis fama non immerito extollebat, sed hæc eadem in maturitate consilii et in regimine ducatus ipsum minus utilem non mendaciter asserebat. At Henricus et illa complectens solus, quæ in singulis eorum honesta videbantur et ea pariter quibus ipsos carere jam diximus, non solum illis sed et omnibus sui temporis principibus nobilior habebatur. Sed quia hæc suis in locis plenius exponentur, ne digressionem in ipso exordio facere videamur, amodo rerum propositarum ordinem prosequamur,

(5) Octavus vero Historiæ Narthmannorum, ut habet inscriptio codicis ms. quem secuti sumus.

CAPUT II.

Quod Willelmus frater Henrici, mortuo Willelmo rege patre eorum, transiens in Angliam rex factus est et Robertus ducatum Northmanniæ adeptus est; et quod idem Robertus comitatum Constantiniensem dedit Henrico et postea abstulit.

Igitur rege Anglorum Willelmo rebus humanis subtracto, Willelmus filius ejus, quam citius potuit apud Tolcam mari transito, susceptus est ab Anglis et Francis, unctusque est in regem a Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi, ejusque suffraganeis, Lundoniæ apud Westmonasterium. Robertus namque frater ejus ante mortem patris sui discesserat de Northmannia indigne ferens, quod ipse non permitteret ei pro sua voluntate disponere tam comitatum Northmanniæ quam Cenomanniæ. Alterius enim dudum hæres designatus fuerat, alterius vero hac de causa vivente patre regimen quærebat, quod Margareta filia Herberti quondam Cenomannensis comitis ipsi fuerat desponsata; licet, antequam ad nuptias ejus pertingeret, apud Fiscannum virgo eadem Christo devota obierit. Cum igitur in Pontivo apud Abbatisvillam, cum suis similibus juvenibus filiis scilicet satraparum Northmanniæ, qui ei quasi domino futuro specie tenus obsequebantur, re autem vera novarum rerum cupiditate illecti, moraretur et ducatum Northmanniæ, maxime in margine, excursionibus et rapinis demoliretur; audito nuntio excessus patris, confestim veniens Rothomagum, ipsam civitatem et totum ducatum sine ulla contradictione suscepit. Cumque sui fideles eum exhortarentur, ut regnum Angliæ sibi a fratre præreptum velocius armis sibimet restitueret, simplicitate solita, et, ut ita dicam, imprudentiæ proxima, respondisse fertur : « Per angelos Dei, si ego essem in Alexandria, exspectarent me Angli, nec ante adventum meum regem sibi facere auderent. Ipse etiam Willelmus frater meus, quod cum præsumpsisse dici is, pro capite suo sine mea permissione minime attentaret. » Hæc primo dicebat. sed postquam rei gestæ ordinem rescivit, non minima discordia inter se et fratrem suum Willelmum emersit. Interim autem Henricus frater eorum remansit in Northmannia cum duce Roberto. Dederat autem ei Henrico pater suus moriens quinque mille libras Angliæ monetæ. Robertus etiam frater suus dedit illi comitatum Constantiniensem, vel, ut alii volunt, invadiavit. Sed non diutius inde gavisus est. Nam inventis quibusdam vilibus occasionibus, per malorum tamen hominum suggestiones, ipsum nihil tale meditantem apud Rothomagum capiens, quod dederat indecenter extorsit.

CAPUT III.

De concordia quæ facta est inter Willelmum regem Anglorum et Robertum ducem Northmanniæ fratrem ejus, et quomodo obsederunt Henricum fratrem suum in Monte Sancti Michaelis.

Post hæc, aliquanto temporis emenso, concordiam fecerunt ad invicem Willelmus rex Anglorum A et Robertus dux Northmanniæ, licet regnum Angliæ ipse Robertus facillime paulo ante potuisset habere, nisi minus cautus esset. Siquidem Eustachius comes Boloniæ et episcopus Bajocensis et comes Mo[illegible]ii patrui ipsius et alii principes Northmanniæ, cum magno apparatu militum mare transeuntes, Rovecestriam et alia nonnulla castella in comitatu Cantuariensi occupantes et tenentes ad opus illius ; dum ipsum Robertum ducem exspectant, qui tunc temporis ultra quam virum deceat in Northmannia deliciabatur, obsessi diu a rege Willelmo, dum ille cujus causa tantum discrimen subierant, non subvenit, cum dedecore ipsas quas tenebant munitiones exeuntes, ad propria sunt reversi. Facta est itaque tandem inter eos apud Cadomum, B ut diximus, adminiculante Philippo rege Francorum, qui in auxilium ducis contra Willelmum regem apud oppidum Auci ingenti Anglorum et Northmannorum exercitu tunc morantem venerat, qualiscunque concordia et quantum ad ducem Robertum spectat probrosa atque damnosa Nam quidquid rex Willelmus in Northmannia occupaverat, per infidelitatem hominum ducis, qui eidem regi suas munitiones tradiderant, quas suis militibus ipse commiserat, ut inde fratrem suum infestarent, impune permissus est habere. Munitiones illæ quas hoc modo tenebat, fuerunt Fiscannum, oppidum Auci, quod Willelmus comes Aucensis cum reliquis suis firmatibus illi tradiderat. Similiter Stephanus comes de Albamarla, filius Odonis comitis de Campania, C Willelmi autem regis Anglorum senioris ex sorore nepos fecerat; et alii plures ultra Sequanam habitantes. Cum igitur fratrem suum Henricum debuissent adjuvare eique providere, ut sicut frater eorum et filius regis honorabiliter posset vivere, de tota terra patris sui eum expellere conati sunt. Unde accidit ut quadam vice ipsum obsidione cingerent in monte Sancti Michaelis. Sed illis ibidem incassum diu laborantibus et ad ultimum inter se dissidentibus, comes Henricus inde libere exiens oppidum munitissimum nomine Damfrontem sagacitate cujusdam indigenæ suscepit. Indignabatur enim prædictus indigena, utpote vir nobilis et dives, oppressiones amplius perpeti, quas Robertus de Belismo, homo ferox et mentis inhumanæ, sibi et aliis convicaneis inferebat, qui tunc D temporis illud castrum possidebat. Quod tanta diligentia Henricus exinde custodivit, et usque ad terminum vitæ illius in suo dominio habuerit. Circa hæc tempora, obeunte Joanne archiepiscopo Rothomagensi, successit Willelmus abbas Sancti Stephani Cadomi.

CAPUT IV.

Quod redeunte Willelmo rege in Angliam Henricus comitatum Constantiniensem in ditionem suam revocavit.

Redeunte autem Willelmo rege in Angliam, Henricus haud segniter comitatum Constantiniensem qui sibi fraudulentia ante præreptus fuerat, con-

sensu Willelmi regis et auxilio Richardi de Revers et Rogerii de Magna Villa, ex majori parte in ditionem suam revocavit. Et quia in hoc negotio et in aliis plerisque suis necessitatibus, Hugo comes Cestrensis ei fidelis exstiterat, concessit ei ex integro castellum, quod Sancti Jacobi appellatum est, in quo idem comes tunc temporis nihil aliud habebat, præter custodiam munitionis ipsius oppidi. Willelmus siquidem rex Anglorum senior illud condiderat in confinio Northmanniæ et Britanniæ minoris; cum ante bellum Anglicum contra Conanum comitem Britanniæ filium Alanni consobrini sui, sibi non obtemperantem, exercitum duceret. Ne igitur amplius famelici prædones Britonum ecclesiis inermibus, aut ultimo terræ suæ vulgo excursionibus latrocinantibus nocerent: illud ad eos arcendos institutum tradidit Richardo Abrincatensi præsidi, patri videlicet prædicti comitis Hugonis.

CAPUT V.

Quod Cenomannenses advertentes ducem Robertum occupatum plerimis perturbationibus in Northmannia, fecerunt sibi comitem Heliam filium Joannis de Fleca.

Interea Cenomannenses advertentes ducem Robertum tot perturbationibus in Northmannia occupatum, consilium ineunt cum Helia Joannis de Fleca, viro forti et industrio et in illa provincia potentissimo, ut filiam cujusdam comitis Langobardiæ, neptem videlicet Herberti quondam Cenomannensis comitis ex primogenita filia in matrimonium ducat; existimantes hac occasione se posse excutere a sua cervice jugum dominationis ducum Northmanniæ. In quo persuadendo diutius immorari illis necesse non fuit, cum jam nominatus vir illorum admonitionem dudum suo voto præveniens, voluntatem eorum super hoc negotio, prætermissa omni dilatione, ad effectum perduxit. Nec ipsum nec consiliarios suos, ab hac rebellionis præsumptione revocavit deterrendo quod antiquitus sub Northmannorum ducum ditione regio Cenomannica egit, vel quod nostra memoria nobilissimus dux Northmannorum Willelmus, postea vero felicissimus Anglorum expugnator, eosdem Cenomannenses de oppressione Gaufridi Martelli senioris liberans, alii suæ protectionis munitos, quoad vixit illos ut proprios rexit, ac suis successoribus regendos moriens dimisit. Unde factum est ut paulo post mortem ipsius regis idem dux Robertus, de quo nunc sermo est, in principio sui ducatus jam tunc rebellionis contumaciam attentantes in ipsis suis finibus, ducto exercitu Northmannorum eos compescuit.

CAPUT VI.

Quod assumpto Anselmo abbate Becci ad archiepiscopatum Cantuariæ, Willelmus ejusdem loci monachus claustralis successit.

Per idem tempus, assumpto Anselmo abbate Beccensi ad archiepiscopatum Cantuariæ, successit ei in regimine ejusdem loci Willelmus de Bellomonte vir non contemnendæ religionis et ejusdem cœnobii monachus claustralis. Anno deinde secundo, Urbanus papa in Gallias veniens, civitate Arvernis, quæ alio nomine Clarus Mons dicitur, de ecclesiasticis negotiis tractaturus, concilium congregavit. Inter alia vero, quæ ibi salubriter disposuit, hortatus est fideles tam præsentes quam absentes, ut ad liberanda sancta loca de potestate paganorum, a quibus tunc possessa contaminabantur, Hierusalem pro remissione excessuum suorum irent.

CAPUT VII.

Quod Robertus dux Northmanniæ, invadiato ducatu suo Willelmo regi Anglorum fratri suo, Hierusalem perrexit.

Igitur anno sequenti hac divina exhortatione permoti omnes fere famosæ probitatis milites Occiduæ regionis, tam illustres quam cæteri privati, iter sanctæ peregrinationis ineunt. Quo desiderio succensus Robertus dux Northmannorum, Willelmo fratri suo regi Anglorum per nuntium mandavit, ut in Northmanniam festinanter veniat, ducatum suum usque ad reditum ipsius habiturus, de thesauris Anglorum opimis suam et suorum indigentiam obiter suppleat. Hujus autem legationis nuntio exhilaratus rex Willelmus in Northmanniam transfretans, decies mille marcas argenti ea conditione Roberto duci commodavit ut, quandiu idem dux in prædicta peregrinatione moraretur, ipse ducatum Northmanniæ pro eis vadens haberet, illum duci restituturus, cum ipse sibi prætaxatam pecuniam rediens reconsignasset.
C His itaque gestis, comes Henricus contulit se ad regem Willelmum, atque omnino cum eo remansit, cui idem rex comitatum Constantiniensem et Bajocensem, præter civitatem Bajocas et oppidum Cadomi, ex integro concessit. Hoc tempore prædictus rex Willelmus fecit quoddam castellum nomine Gisorz in confinio Northmanniæ et Franciæ, quod sæpe nominatus frater ejus Henricus, qui ei divina dispositione successit, mœnibus ambitum et turribus excelsis inexpugnabile reddidit.

CAPUT VIII.

De probitate ipsius Willelmi in negotiis regni et quod Ecclesiam Dei et servos ejus persecutus est.

De ipso autem Willelmo his Annalium paginis possemus inserere, quod semel et iterum Wallenses
D ducto exercitu in ipsorum finem sibi rebelles subjugavit; quodque regi Scotorum Malcomo, qui in Angliam exercitum adduxerat, cum suo exercitu obvians, eum ad quæ voluit pacta inclinavit. Illud etiam nihilominus, quod cum audisset Heliam comitem Cenomannorum in ipsa urbe Cenomannica homines suos, auxilium ei ferente Fulcone comite Andegavorum, obsedisse; abstulerat enim illam urbem primum Helias hominibus regis, sed cives iterum regi reddiderant, unde eos iterum Helias obsederat; hoc, inquam, audito, cum esset in Anglia, accersitis quos tunc forte secum habebat militibus imperans ut reliqui qui aberant se sequerentur, ab

mare veniens, cum ventus esset contrarius in Northmanniam transfretaturo contra ventum intravit pelagus, dicens se nunquam audisse de aliquo rege quod naufragio perisset. Transitoque mari, velut contra vim elementorum, prædictos comites solo auditu sui adventus ab obsidione fugavit. Hæc, inquam, et alia his similia, de illo veraciter possemus referre, nisi facta ejus, quia plurimos servorum Dei et sanctam Ecclesiam non minimum persecutus est, unde sero, et infructuosam ut pluribus sapientibus videtur, egit pœnitentiam, dignum judicaremus propter ordinem historiæ solummodo breviter attingere et ad actus Henrici divæ memoriæ fratris et successoris sui, qui viros religiosos et Ecclesiam Dei protegendo et auxilium ferendo, admodum veneratus est, prolixius explicandus vellemus accedere. Eodem Willelmo regnum Angliæ procurante, Morellus nepos Roberti de Moubraio comitis Northumbrelandiæ prædictum Malcomum regem Scotiæ irruptiones in Anglia facientem et filium ejus primogenitum, cum maxima parte sui exercitus in finibus Anglorum trucidavit. Hic autem Robertus, cum quasdam munitiones regias suo comitatui collimitantes contra voluntatem domini sui attentasset occupare, captus a militibus Willelmi regis, ipsoque jubente in ipsis vinculis diutius perseverans regnante jam Henrico rege, tandem in ipso ergastulo deficiens mortuus est. Dictum est a pluribus hunc talionem sibi redditum fuisse, quia regem Scotiæ, patrem videlicet nobilissimæ Mathildis postea reginæ Anglorum, dolose peremerat. Illius autem terram quam habebat in Northmannia et maximam partem prædicti sui comitatus, Henricus jam rex factus dedit Nigello de Albinneio, vero illustri et probo. Duxit postea idem Nigellus Gundredam filiam Giraldi de Gornaco, ex qua genuit filium nomine Rogerium de Moubraio, qui tandem adhuc parvulus patri suo facto monacho Beccensi et eidem loco magnam possessionem in Anglia conferenti, successit. Ipse etiam Giraldus, rogatu Hugonis de Gornaco patris sui monachi vero Beccensis, plura dedit eidem ecclesiæ, et tandem Hierusalem petens cum uxore sua Edithua sorore Willelmi comitis de Warenna, in ipso itinere mortuus est. Uxor vero inde rediens nupsit Drogoni de Monceio, ex qua idem Drogo suscepit unum filium nomine Drogonem. Successit prædicto Giraldo filius ejus nomine Hugo, qui ex sorore Rodulfi de Parrona comitis Viromandorum genuit unum filium nomine Augonem. Hæc per anticipationem de amicis ac benefactoribus Beccensis monasterii hic breviter commemoravimus, nunc ad ordinem historiæ redeamus.

CAPUT IX.

De morte ejusdem regis in Novaforesta et quod Richardus frater ejus antea ibidem mortuus fuerat et de causa mortis eorum secundum existimationem vulgi.

Igitur, sicut supra diximus, cum Robertus dux Northmannorum anno ab Incarnatione Domini 1096, Hierusalem perrexisset et ducatum Northmanniæ Willelmo fratri suo regi Anglorum invadiasset, contigit, post aliquantum temporis, ut idem rex quadam die venatum iret in Novamforestam, ubi IV Nonas Augusti missa sagitta incaute a quodam suo familiari in corde percussus, mortuus est anno ab Incarnatione Domini 1100, regni autem sui 13. In eadem etiam silva Richardus frater ipsius Willelmi dudum, adhuc vivente patre eorum, dum simili modo venaretur ictu arboris male evitatæ ægrotans, post paululum hominem exivit. Dixerunt autem multi, quod ideo hi duo filii Willelmi regis in illa silva judicio Dei perierunt, quoniam multas villas et ecclesias propter eamdem forestam amplificandam in circuitu ipsius destruxerat.

CAPUT X.

Quod Henricus frater ipsius ei successit, qui Mathildem filiam regis Scotiæ duxit in uxorem.

Occiso itaque Willelmo rege, ut præmisimus, statim frater suus Henricus corpus ejus Wintoniam deferri fecit, ibique in ecclesia sancti Petri ante majus altare sepulturæ tradidit. Quo sepulto, Lundoniam venit, atque apud Westmonasterium, annuentibus cunctis Francis et Anglis, quarto die post mortem fratris regale diadema suscepit. Unde plurimi sunt lætati quod modo regem natum de rege et regina, natum et nutritum in Anglia habere meruissent. Ut autem idem rex legaliter viveret, duxit eodem anno venerabilem Mathildem filiam Malcomi regis Scotiæ et Margaretæ. Quantæ autem sanctitatis et scientiæ tam sæcularis quam spiritualis utraque regina, Margareta scilicet et Mathildis, fuerint ; liber qui de Vita ipsarum scriptus est, plano sermone describit. Nec illud prætermittendum quod a sanctæ recordationis Anselmo Cantuariensi archiepiscopo eadem Mathildis in festivitate sancti Martini apud Westmonasterium Henrico regi nobilissimo desponsata et eodem die regali diademate insignita est. Fuit autem rex Henricus vir pluribus virtutibus præditus, justitiæ ac pacis sectator, religionis amator, iniquorum et furum ferventissimus punitor, inimicorum suorum non solum excellentium principum et comitum, verum et nominatissimorum regum felicissimus triumphator.

CAPUT XI.

Quod ex ea genuit filium nomine Willelmum et filiam quæ procedenti tempore nupsit Henricoi imperatori Romanorum.

Genuit autem ex secunda Mathilde regina Anglorum uxore sua filium unum nomine Willelmum et filiam unam matrem sicut nomine ita honestate repræsentantem. Hanc autem virginem vix quinquennem, Henricus quintus rex et quartus imperator Romanorum et Alemannorum Augustus in conjugem requisivit et acquisitam per claros viros episcopos et comites internuntios, cum ineffabili munificentia [lætitia] utriusque parentis in suum regnum suscepit et receptam solemniter in proximo Pascha apud Ulterius Trajectum desponsavit. Desponsatam

vero archiepiscopus Coloniensis in festivitate sancti Jacobi Maguneiæ in reginam consecravit, cæteris coepiscopis assistentibus et præcipue archiepiscopo Treverensi, qui eam, dum consecraretur, inter sua brachia reverenter tenuit. Deinde consecratam reginam usque ad tempestivum tempus nuptiarum studiose nutriri præcepit, in quo nutrimento et linguam addisceret et se secundum Teutonicos mores componeret. De qua nobilissima imperatrice in sequentibus plenius disseremus. Prædictus autem Willelmus, filius Henrici regis, qui post sororem Mathildem imperatricem natus est, licet eum causa masculini sexus illi præposuimus, cum jam ad juvenilem ætatem venisset, morte immatura obiit. Cum enim transfretaret de Normannia in Angliam, inter Barbefluvium et Hantoniam, in quodam maris loco periculoso, qui ab incolis Cataras dicitur, illisa navi scopulo, ipsi et multi optimates patris ejus naufragio perierunt. Quo solo eventu felicitatem excellentissimi regis fortuna aliquantisper obnubilavit, licet in aliis omnibus sibi arrideret jucundissima. His anticipando commemoratis, ad ordinem rei gestæ revertamur.

CAPUT XII.

Quod Robertus dux Northmannorum rediens ab Hierosolymis transiit in Angliam, volens auferre regnum fratri suo, et quomodo concordati sunt.

Non longum autem tempus transiit, postquam Henricus rex regnum Angliæ regendum suscepit, quod frater suus Robertus de Hierusalem rediit, atque ducatum Northmanniæ, quem fratri suo Willelmo invadiaverat, absque ullius pecuniæ exhibitione recepit, licet ipsam summam quam ab eodem fratre suo acceperat, secum haberet, ut si necesse esset redderetur, et si esset qui eam exigeret, in promptu haberet. Audiens itaque, quod Henricus frater suus rex Anglorum esset constitutus, cœpit indignari adversus illum, multumque ei minari, quod regnum Angliæ suscipere ausus fuisset. Hac igitur de causa cœpit navigium præparare quale potuit. Quo completo, in Angliam transivit. Henricus autem rex, cujus fiducia tota erat in Deo, magnam Anglorum militiam velociter congregans, adversus eum venit, paratus cum et omnes qui cum eo venerant, de terra Anglorum expellere. Quod profecto, annuente Deo, in brevi egisset, nisi frater suus cum eo hoc pacto concordaret, ut ipse rex illi quotannis millia marchas argenti perpetuo daret. Hanc summam tamen idem comes Mathildi reginæ fratris sui conjugi condonavit. Facta itaque inter eos concordia, aliquanto tempore demoratus est comes Robertus in Anglia. In qua postquam tandiu fuit, quantum ei placuit, in Northmanniam remeavit.

CAPUT XIII.

Quod eadem pactione rupta, Henricus apud Tenerchebrai in bello eum cepit et postea usque ad mortem cum regno Angliæ ducatum Northmanniæ sapienter disposuit.

Non diu autem duravit inter eos prædicta concordia. Robertus enim comes plus justo credens illis qui magis volebant inter eos esse discordiam quam pacem, cœpit occasiones quærere, fratremque suum ad discordiam commovere. Rex autem Henricus non diutius hoc ferens, maximeque indigne ferens, quod frater suus ita paternam hæreditatem, ducatum scilicet Northmanniæ, dissipaverat; quod præter civitatem Rothomagensem nihil pene in dominio haberet, quam etiam forsam alicui ut cætera dedisset, si hoc sibi licitum propter cives ipsius fuisset; his, inquam, indignatus, mare quam citius potuit transiens, atque non multo post non parvum exercitum congregans, obsedit civitatem Bajocas; eamque citius capiens, fere omnem destruxit. Deinde cepit Cadomum. Post aliquantulum vero temporis, cum obsideret quoddam castrum comitis Moritolii, quod vocatur Tenerchebrai, atque in obsidendo laboraret ut illud caperet, frater ejus comes Robertus et comes Moritolii, cum magna multitudine militum, putantes se de rege Henrico vindicare, eumque omnino de terra delere, cum magno impetu irruerunt in eum. Sed judicio Dei super eos veniente, capti sunt ambo et multi alii cum eis ab hominibus Henrici regis atque ante eum adducti. Concessit hoc modo Deus regi se timenti victoriam incruentam, sicut quondam Theodosio imperatori servo suo fecerat. In hoc enim conflictu ex suis nullus, ex adversa parte vix sexaginta corruerunt. Finito itaque hoc conflictu et pace reddita miseræ provinciæ, quæ pene per imprudentiam comitis prædicti destructa erat rex Henricus totam Northmanniam et omnia castella comitis Moritolii in suum dominium suscepit. Atque ita omni terra sedata, rediens in Angliam, Robertum comitem fratrem suum et comitem Moritolii et quosdam alios quos ei placuit, secum adduxit, eosque in libera custodia usque ad terminum vitæ eorum tenuit. Factum est autem hoc bellum apud Tenerchebrai inter Henricum regem Anglorum et Robertum fratrem suum ducem Northmannorum, anno ab Incarnatione Domini 1106, V Kal. Octobris. Eodem autem anno, mense Februario, cometes apparuerat, regibus et ducibus mutatione regnorum terribilis. Rexit autem Robertus comes ducatum Northmanniæ 19 annis, excepto spatio, quo in itinere Hierusalem demoratus est. Fuit hic Robertus miles fortissimus et multa nobiliter gessit; maxime quando a christianis Antiochia et Hierusalem super Sarracenos captæ sunt. Ad regimen tamen ducatus minus utilius propter simplicitatem suam et propter consilia levia, quibus nimium aurem accommodabat.

CAPUT XIV.

De Sibylla uxore ducis Roberti et Willelmo filio ejus et quomodo idem Willelmus factus est comes Frandrensium,

Cum autem rediret de via Hierusalem accepit Sibyllam in uxorem, sororem Willelmi comitis Conversanæ, de qua genuit unum filium, nomine Willelmum. Fuit autem prædicta comitissa pulchra facie, honesta moribus, sapientia prædita et aliquando absente duce ipsa melius per se negotia provinciæ tam pri-

vata quam publica disponebat, quam ipse faceret si adesset. Vixit autem in Northmannia parvo tempore, invidia et factione quarumdam nobilium feminarum decepta. Prædictus vero Willelmus filius Roberti ducis procedenti tempore comes fuit Flandrensis. Quod quomodo acciderit, paucis aperiamus. Cum igitur ille jam juvenis multæ probitatis in Francia exularetur, patre suo, ut jam diximus, in vinculis Henrici regis posito, accidit ut Carolum comitem Flandrensem quidam traditores in ecclesia, dum sacris mysteriis interesset, occiderent. Quo audito, regina Francorum uxor Ludovici regis dedit prædicto Willelmo sororem suam uxorem; efficiens per maritum suum ut idem comes Flandrensium consitueretur. Decesserat enim Carolus absque filio. Nec tamen idem Willelmus longe aberat a cognatione comitum Flandriæ. Nam Mathildis regina Anglorum avia ipsius fuit filia Baldumi cum Barba comitis Flandrensium. Hic vero Balduinus duos filios habuit, Balduindum et Robertum. Quorum uterque uxorem accepit, vivente patre eorum. Nam Balduinus primogenitus habuit in uxorem comitissam Hainaucensem, ex qua genuit duos filios, Ernulfum et Balduinum. Robertus autem accepit conjugem relictam Florentii comitis Frisiæ, quæ unicam ex prædicto Florentio habebat filiam. Quæ Robertus longe facere volens a paterna hæreditate, dedit eam Philippo regi Francorum. Et ita comitatus Frisiæ remansit ei cum matre prædictæ puellæ, unde cognominatus est Frisio. Decessit autem ante mortem patris sui Balduini Balduinus comes Hainaucensis et successit Ernulfus filius ejus primogenitus. Tandem obeunte Balduino comite Flandriæ, cum Ernulfus comes Hainaucensis deberet ei succedere, utpote nepos ex primogenito filio ejus et ad hoc etiam niteretur, Philippus rex Francorum veniens in auxilium ejus, et Mathildis regina Anglorum amita ejus mittens ei Willelmum filium Osberni cum armata militum manu, Robertus Frisio patruus ejus, adjuncto exercitu Henrici Northmannorum et Alemannorum imperatoris cuncis suis, ex improviso super eos irruens, die dominica Septuagesimæ, fugato Philippo rege Francorum, Ernulfum nepotem suum et Willelmum filium Osberni comitem Herefordi peremit, et hac de causa Flandriam usque ad suum obitum possedit.

CAPUT XV.

De Willelmo comite Herefordi et successione ejus

Prædictus autem Willelmus comes Herefordi fuit vir honestus et probus, et cognationem ducum Northmanniæ non solum ex parte patris, verum etiam ex parte matris attingens. Osbernus namque pater ejus fuit filius Herfasti fratris Gunnoris comitissæ primi Richardi ducis Northmanniæ uxoris. Mater vero fuit filia Rodulfi comitis Jureicensis. Qui Rodulfus frater fuit uterinus Richardi ducis superius nominati. Duxit autem idem Willelmus Adelizam filiam Rogerii de Tœnnio, ex qua genuit duos filios, Willelmum de Britolio qui post decessum ejus terA ram, quam habebat in Northmannia habuit; et Rogerium, cui comitatus Herefordi funiculo distributionis evenit. Habuit etiam duas filias quarum una nomine Emma juncta est Rodulfo de Waiet, genere Britoni, qui fuit comes Norwicensis; sed qui contra fidelitatem Willelmi regis senioris munitionem Norwich aliquando tenere attentavit, expulsus et extorris de regno Angliæ cum uxore sua Hierusalem perrexit, relinquens unam filiam nomine Ittam, quæ procedenti tempore nupsit Roberto comiti Legrecestriæ, filio Roberti comitis Mellenti. Unde factum est ut Lire, Glot, Britolium, et plurimam partem terræ quam Willelmus filius Osberni avus uxoris suæ habuerat in Northmannia, post mortem Willelmi de Britolio avunculi uxoris suæ idem comes haB beret. Genuit autem ex ea unum filium et plures filias.

Occiso itaque, ut diximus, Willelmo filio Osberni, Willelmus de Britolio filius suus, qui ei successerat, cœpit calumniari oppidum Jureii, quia fuerat Rodulfi comitis, patris videlicet aviæ suæ. Habebat autem tunc temporis idem castrum Robertus dux Northmanniæ in suo dominio, sicut pater suus Willelmus rex per omne tempus vitæ suæ habuerat. Comitissa enim Albereda uxor comitis Roberti in supercilio montis eidem castro imminentis turrim munitissimam, quæ usque nunc superest, ædificare cœperat. Robertus comes Mellenti turrim illam custodiens, vicecomitis officio in prædicto oppido fungebatur. Egit itaque calliditate solita, ut idem castellum Willelmo de Britolio redderetur, hac tamen conditione, quatenus ipse pro eo quod in ipso C oppido nunc habebat, Britonium suæ terræ vicinum largitione ducis Roberti perpetuo possideret. Erat enim ab antiquis temporibus idem municipium una ex propriis sedibus ducum Northmanniæ. Unde semper illud in suo dominio hactenus habuerunt, excepto quod secundus Richardus ipsum comiti Godefrido fratri suo naturali dederat, et comes Gislebertus filius ejus post ipsum idem habuerat, sed eodem occiso, ad dominium ducum Northmanniæ redierat. Et quoniam Rogerius filius Richardi idem castrum repetebat, quia avus suus comes Gislebertus idipsam, sicut dictum est, antea possederat, Robertus comes Mellenti omni inquietudine carere gestiens, egit apud ducem Robertum, ut quoddam municipium nuncupatum Humetum situm in Constanti- D niensi comitatu, daretur Rogerio filio Richardi, non solum pro illa calumnia sopienda, verum etiam pro minima pecuniæ summa quam Rogerius hac de causa duci contulerat. Sunt antiquorum plurimi qui dicant quod Richardus pater Rogerii pro repetitione ejusdem castri dudum in Anglia acceperat oppidum Toneburge, asserentes leucam Brionii cum funiculo circum circa fuisse mensuratam et eodem fune in Anglia delato, leucam Toneburge tantumdem spatii in metiendo recepisse, quantum hactenus Brionense milliarum probatur retinere.

Accidit, post aliquantum temporis, ut Goellus de Breherii-Valle dominum suum Willelmum de Bri-

tolio dolose caperet et in ipsa captione eum tandiu retineret, quousque idem Willelmus quamdam filiam suam notham cum ipso castello Jurei (6) coactus illi concederet. Ex qua ille vir Belial suscepit filios, Willelmum Luvellum et Rogerium Balbum et alios in quibus nequitia patris eorum et fraudulentia, velut in malo germine, ad perniciem innoxiorum adhuc perseverat. Willelmus autem de Britolio a nexibus liber, memor injuriæ a perfido sibi illatæ, quamdam rem dignam memoria ausus est incipere. Nam regem Francorum Philippum cum plurimo exercitu et Robertum ducem Northmanniæ ad se immensis muneribus evocans et ipsis et hominibus eorum omnibus, qui suam procurationem voluerunt accipere, sufficienter necessaria de suo proprio subministrans, castrum Breherii-Vallis et totam terram Goelli fere destruxit et Jureium tandiu obsidens afflixit, usquequo ille perfidus suis rebus diffidens illud sibi redderet. Et sic tandem Willelmus illud castrum sicut proprium quoad vixit securus possedit. Cum autem ad extrema veniens idem Willelmus juvenem quemdam Rodulfum de Waiet, ex sorore Emma nepotem, hæredem sui casamenti fecisset; Eustachius filius ejus naturalis, dum exsequiæ patris agerentur, omnes munitiones ejus occupans et muniens, omnem terram sui patris diutius hac invasione quiete tenuit, donec uxor ejus Juliana, filia regis Henrici notha, nimis arroganter et fulta contra voluntatem et fidelitatem regis custodes suos de munitione Britolii ejecit. Qua de causa rex exacerbatus, omnem illam hæreditatem quam non hæreditario jure, sed sua pervasione, imo regis clementia hactenus ille possederat, non immeritio illi abstulit. Castrum siquidem Jureicense (Ibreicense) redditum et Goello et filiis suis. Cæteram terram, sicut jam diximus, Robertus comes Legrecestriæ cum uxore sua postmodum accepit. Eustachio proinde Paceii oppidum solummodo remansit. Et quia hæc causa Willelmi filii Osberni, cujus supra mentionem fecimus latius exsecuti sumus; nunc ad ea quæ de comitibus Flandriæ proposueramus, revertamur.

CAPUT XVI.

De morte Willelmi comitis Flandriæ.

Igitur prædicto Roberto comiti Flandriæ Henricus rex Saxonum et imperator Romanorum, dedit comitatum Cameracensem et ipse fecit ei inde fidelitatem. Genuit autem idem Robertus duos filios, Robertum et Philippum. Robertus vero Hierosolymitanus cognominatus, quia interfuit, dum Hierusalem a Christianis caperetur, genuit Balduinum qui ei successit. Eodem vero Balduino mortuo ex vulnere, quod in conflicta quodam apud Aucum castrum quoddam Northmanniæ acceperat, Carolus cognatus ipsius ei successit Quo per traditionem occiso, sicut jam dictum est, eumdem comitatum Flandriæ, sicut superius diximus, Willelmus filius Roberti ducis

A Northmanniæ habuit. Sed parvo tempore supervixit, in cujusdam oppidi assultu appetitus lethali vulnere. Decessit vero 6 Kal. Aug. anno ab incarnatione Domini 1188. Sepultus est autem in ecclesia Sancti Bertini confessoris et successit ei Terricus de Avseis, cognatus præcedentium comitum. Huic Henricus rex Anglorum copulavit sororem Gaufridi Martelli comitis Andegavorum. Robertus autem dux Northmanniæ, pater prædicti Willelmi mortuus est in Anglia apud Bristoldum castellum Roberti comitis Glocestriæ nepotis sui, cui Henricus rex eum ad custodiendum tradiderat. Decessit autem IV Idus Februarii, sepultusque est in ecclesia Sancti Petri Glocestriæ, anno ab incarnatione Domini 1134. His per anticipationem intimatis, nunc ad ordinem

B historiæ revertamur.

CAPUT XVII.

Quod mortuo Philippo rege Francorum successit Ludovicus filius ejus, et de origine comitum Ebroicensium et eorum posteritate.

Circa hæc tempora rebus humanis excessit Philippus rex Francorum et successit Ludovicus filius ejus. Mortuo autem Willelmo Rothomagensi archiepiscopo, eamdem pontificatus sedem adeptus est Gaufridus decanus Cenomannensis. Parvo exinde tempore exacto, moritur Willelmus comes Ebroicensis. Et quoniam de hac civitate fecimus mentionem, libet paulo superius originem comitum ejus repetere. Robertus igitur filius primi Richardi ducis Northmanniæ, archiepiscopus Rothomagensis

C et comes Ebroicæ civitatis, contra morem ecclesiasticum uxoratus, quasi quilibet laicus, genuit duos filios, Richardum qui ei successit in comitatum et Rodulfum de Waceio. Richardus autem comes ex relicta Rogerii de Toenio, qui peremptus fuerat in quodam conflictu, genuit prædictum Willelmum qui ei successit; et unam filiam quæ nupsit Simoni de Monteforti, ex qua natus est Almaricus et Bertha soror ejus. Sed ante eam idem Simon habuerat duas uxores. Ex quarum prima filius ejus primogenitus, alter videlicet Almaricus natus est, et Elisabeth soror ejus. Occiso autem illo Almarico, Rodulfus de Toennio (7)...

CAPUT XVIII.

De discordia inter Henricum regem et Almaricum comitem Ebroicæ civitatis.

D

CAPUT XIX

De bello inter Ludovicum regem Francorum et Henricum regem Anglorum.

CAPUT XX.

Quomodo, facta concordia cum Ludovico rege, rex Henricus rediit in Angliam, et de morte Willelmi filii sui.

CAPUT XXI.

De dissensione inter eumdem regem et Gualerannum comitem Mellenti et quo fine terminata sit.

. . . . Denique catervis more pugnantium, nec-

(6) Cod. unus ms. *Vireii*, et sic ubique.

(7) Reliqua hujus capitis et sequentia XVIII, XIX, XX, integra, cum initio XXI, desunt etiam in Gemmeticensi codice.

non et equitibus sagittariis, quorum inibi exercitus A regius maximam multitudinem habebat, in dextra parte hostium præmissis, clamor ut in initio bellorum solet fieri, utrinque attollitur. Sed antequam militum cunei jungerentur, pars comitis instantia sagittariorum, qui eam in dextris, ubi carebant protectione clypeorum, absque intervallo sagittabant, pene defecerat. Spaciosum esset ire per singula, sed nos ad cætera festinantes rei eventum succincte enodamus.

Inito itaque certamine, postmodum captus est comes Walerannus; capti sunt etiam omnes illi famosi et divites milites qui ejus signa sequebantur licet aliqui, postquam in manus hostium venerunt, consentientibus quibusdam suorum necessariorum, quos in exercitu regio habebant fuga elaberentur. B De quorum numero fuit Almaricus comes Ebroicensis et Willelmus Lovellus de Jurei. Gestum est autem hoc bellum a ducibus Henrici regis Anglorum, contra Walerannum comitem Mellenti, anno ab Incarnatione Domini 1124, VII Kal. Aprilis, haud procul a villa quam vocant Burgum Turoldi.

CAPUT XXII.

Qua sagacitate idem rex terram suam pacifice regebat.

Comite itaque Waleranno in vinculis cum sociis suis posito, rex Henricus turrem Watevillæ funditus fecit everti. Oppido præterea Brionnii vi potius quam voluntaria redditione sibi subjugato, eum qui idem post captionem comitis diu tenuerat, orbitate oculorum multavit. Unde perterriti, qui castrum Belli- C montis servabant, ne similia paterentur, illud regi reddiderunt. Taliter igitur omni illa perturbatione sopita, rex tam terram comitis quam cæterorum, qui cum eo capti fuerant, in suo dominio habuit. Sed tamen post aliquot annos comiti Waleranno data venia, et a vinculis liberato, redditus suæ terræ habere permisit, munitiones tantum ipsius in suæ manu retinens. Quidam vero concaptivorum, quandiu idem rex humanis rebus interfuit, in vinculis suis permanserunt. Ex quo autem comes Mellenti in supradicto conflictu captus est, tam in ducatu Northmanniæ quam in regno Angliæ per totum decennium quo rex Henricus supervixit, summa pax viguit; licet nepos ejus Willelmus parvo tempore quo comitatum Flandriarum tenuit, eam perturbare pro D suo posse satageret. Sed cum sapiens rex misericordia et divitiis fere omnibus sui temporis principibus excelleret, altero eorum scilicet misericordia, ecclesiis et monasteriis pauperibus hominibus suæ terræ condescendebat; altero vero, id est opulentia thesaurorum infinita, plurimas centurias militum in diversis locis hostibus propinquis opponebat qui eos a rapina ecclesiarum, vel pauperum, acie ferri repellerent. Unde factum est ut raro etiam illa terra inclyti Augusti Henrici, quæ in confinio cæterarum provinciarum erat, aliqua hostili læsione læderetur, ne dum illa, quæ ab eis longe aberat; quia, ut dictum est, multitudo militum, quos excellentissimus princeps suis stipendiis sufficienter alebat et donativis muneratos honorabat, illis obsistebant.

CAPUT XXIII.

Quid de trapazetis per omnem fere Angliam depravatis ob amorem justitiæ fecit.

Referam quiddam quod accidit, dum prædicta discordia adhuc perseveraret inter regem et comitem Mellenti, in quo apparebit et severitas justitiæ ipsius in impios et contemptus pecuniæ in comparatione rectitudinis. Cum igitur in Northmannia rebus bellicis intendens ageret, accidit ut nescio qua perversitate depravati omnes fere trapazetæ Anglici regni monetam stanneam, in qua vix tertia pars esset argentea, cum eadem moneta tota ex argento soleret fieri, fabricarent. Cum vero de eadem falsa moneta in Northmanniam deleta regii milites forte stipendium accepissent, nec de ea, utpote non legitima aliquid emere valerent, falsitate ejus conquesti sunt apud regem. Iratus ergo rex, et propter militum suorum, injuriam, magis autem ob justitiam temeratam, sententiam dictavit; mandans et præcipiens illis quos in suo loco in Anglia dimiserat, ut omnes nummularios qui hujus impietatis juste argui valerent, abscisione dextrarum manuum, necnon et genitalium membrorum multarentur. O virum defensorem justitiæ et iniquitatis acerrimum punitorem! O si vellet redemptionem accipere pro tot hominum impiorum membris, quanta millia talentorum posset inde lucrari! Sed, ut diximus, sprevit pecuniam amore justitiæ.

CAPUT XXIV.

De obitu Willelmi abbatis Beccensis et de bonitate venerabilis Bosonis successoris sui.

Hoc tempore moritur Willelmus abbas Beccensis et succedit domnus Boso, de quo venit in litem, plusne sit meritus hominum reverentiam atque gloriam, sæcularium ac spiritualium rerum singulari peritia, an ordinis monastici singulari observantia. Hunc plurimi potentes, tam sæculari quam ecclesiastica dignitate fulgentes, intima familiaritate colebant, ut patrem venerantes, verentes ut præceptorem, diligentes ut germanum, ac prolem. Illi consulta animarum suarum, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis prospiceretur, committebant. Potuit namque viri talis vigilans cura, cui maxima auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit securitatem non parvam optimæ sollicitudini eorum promittere. Hunc, ut diximus, rex Henricus, imo generalis totius conventus consensus monasterii Beccensis abbatem statuit, non minus reluctantem subjectionis amore, quam altioris gradus timore. Venerantur eum reverentes abbates, monasteria, synodi, curiæ, ut prudentem, itaque eloquentem; ut justum, ita discretum. Gustat hic imperio naturæ, non epulatur; qui nec pecuniæ umquam favebat vel gratiæ, sive in judicio, sive in concilio sententiam dicens. Exhibet se blandum ac severum, decentissima in alterutrum permutatione nullius hominis, omnis vitii clemens persecutor,

pius inimicus. Sed ne a gestis incliti regis longius digredi videamur, ad ea quæ de filia ejus Mathilde Augusta imperatrice promisimus, narranda redeamus.

CAPUT XXV.

Quod obeunte Henrico imperatore, rex Henricus filiam suam Mathildem imperatricem reductam in Angliam matrimonio copulavit Gafrido duci Andegavensium; ex qua suscepit tres filios, Henricum, Gaufridum et Willelmum.

Cum igitur Henricus IV Romanorum imperator augustus citra senium obiisset, anno videlicet ab Incarnatione Domini 1125, potentissimus rex Anglorum Henricus filiam suam imperatricem, missis proceribus, cum magno honore fecit reduci in Angliam; licet excellentissimi principes curiæ Romanæ, experti prudentiam ipsius, et morum venustatem B vivente imperatore conjuge suo, eam omnimodis sibi imperare optarent, et hac de causa ipsam prosecuti sint usque ad curiam sui patris, id ipsum rogaturi. Quorum petitioni cum rex minime acquiesceret (volebat enim illam post suam mortem in regnum Angliæ hæreditario jure succedere), fecit episcopos et archiepiscopos et abbatum potentiores, nec non comites et satrapas totius Anglici regni, sub arctissimo illi fidelitatem hoc pacto promittere quatenus ipsi pro suis viribus obniterentur, ut eadem Augusta post decessum patris monarchiam majoris Britanniæ, quam nunc Angliam vocant, obtineret. Quod utrum fecerint, nihil mea interest dicere. Procedenti autem tempore, pater suus cupiens carere inimicitiis et importunitate Fulconia, comitis videlicet C Andegavorum, Turonorum atque Cenomannorum (namque inter eos quibusdam ex causis longa simultas duraverat), licet invitam dedit eamdem imperatricem in uxorem Gaufrido Martello filio prædicti Fulconis. qui ei in comitatum successit, cum idem Fulco rex Hierosolymorum efficeretur. De qua idem marchio genuit tres filios, Henricum, Gaufridum Martellum, Willelmum, hæredes legitimos Anglici principatus, non solum ex parte Henrici regis avi sui verum etiam ex parte Mathildis reginæ aviæ ipsorum. Uterque enim conjux consanguinitatem veterum regum Angliæ, licet diverso modo, proxime attingebat; sicut in libro qui de Vita ipsius reginæ scriptus est continetur. Quem propter notitiam rerum gestarum et ad honorem et memoriam utriusque matris, de qua editus est; et filiæ, ad quam editus est huic operi forsitan adjungeremus. D

CAPUT XXVI.

Quomodo reges Francorum descendant de origine comitum Andegavensium.

Nec alicui, vel ipsi imperatrici Augustæ omnino indignum videatur, quod post thorum imperatoris conjugium sortita est comitis Andegavorum. Licet enim multo minoris dignitatis sit comes Andegavensis, quam imperator Romanus; tamen si quis consulat gesta regum Franciæ, inveniet de qua generosa stirpe descendant comites Andegavensium. Ibidem enim reperit quod reges Francorum, qui nostris A temporibus idem regnum administrant, de prædictorum comitum propagine deriventur. Sic enim postquam de morte Caroli Calvi in eisdem gestis tractatum est si non eisdem verbis, eadem tamen sententia reperitur. « Obeunte Ludovico filio Caroli Calvi, cum Carolus Simplex filius ejus adhuc puer habenas regni minime moderari valeret, et duo filii Roberti comitis Andegavorum, qui fuit vir Saxonici generis, superessent, Odo scilicet princeps, sub cujus custodia Ludovicus reliquerat filium suum Carolum, et Robertus frater ejus; Burgundiones et Aquitanenses elegerunt sibi in regem prædictum Odonem, qui 13 annis regnum Francorum optime rexit et contra Danos, qui tunc temporis Gallias demoliebantur, nobiliter protexit. Decedente vero Odone, Carolus Simplex recepit regnum suum et Robertus frater Odonis factus est sub eodem Carolo princeps Francorum. Sed quia non ei reddebatur pars principatus, quam frater suus Odo, antequam in regem eligeretur, habebat; rebellavit idem Robertus contra Carolum regem, unctusque ipse in regem, uno anno regnavit, sed postea occisus est in bello Suessonico ab exercitu Caroli Simplicis. Factus est tamen post ipsam princeps Francorum filius ejus Hugo magnus, natus ex filia Hereberti comitis Parronæ. Hic Herebertus per traditionem cepit Carolum Simplicem revertentem cum victoria a prædicto prælio, et in vinculis ipsius mortuus est idem Carolus. Supradictus vero Hugo magnus genuit ex filia Othonis regis Saxonum, postmodum vero imperatoris Romanorum, Hugonem Capet et fratres ejus. Qui Hugo, annullato genere Caroli Magni, unctus est in regem super Francos. Ipso etiam superstite, primo regni sui anno adjunctus est in regnum Robertus filius ejus, rex piissimus, vir in litterarum scientia plurimum a Gerberto monacho philosopho, postea vero papa Romano, instructus. » Hæc de gestis Francorum huic opusculo inserui, volens nescientibus intimare nobilitatem comitum Andegavensium, et quod tertia familia regum Franciæ (siquidem de tot familiis ab initio illius regni usque nunc seriatim creati sunt reges) de eorum propagine modo, quem diximus, veniant. Non igitur usquequaque indignum, si filia regis Anglorum matrimonio copulata est viro cognatione propinquo regibus Francorum. Nunc ad ordinem rerum propositarum revertamur.

CAPUT XXVII.

Quam devote prædicta imperatrix thesauros suos diversis eclesiis inopibus, dum ægrotaret, erogavit.

Sæpe nominata denique Mathildis imperatrix, dum quadam vice apud Rothomagum infirmaretur, sufficiens argumentum suæ prudentiæ et religionis tam præsentibus quam futuris ostendit, Gazas enim non solum imperatorias, quas secum de Italia incomparabiles attulerat, verum etiam quas regalis, imo paterna munificentia de inexaustis Anglorum thesauris sibi contulerat, tam devota manu ecclesiis

diversarum provinciarum et utriusque sexus reli- A giosis, pauperibus, viduis, orphanis distribuit; ut nec a culcitra serica, super quam in ipsa infirmitate jacebat, abstineret, quin ipsa distracta pretium ejus leprosis erogari juberet. Verumtamen promptiorem se Beccensi ecclesiæ, quam multis cœnobiis Neustriæ, ne dicam omnibus in hac erogatione exhibuit; dans ei tam diversa donaria, materia artificioque preciosissima, quæ Bizantium percara haberet et quæ ad sæculi terminum honora permanere valeant, semper ipsius imperatricis Augustæ studium et amorem erga illam ecclesiam repræsentantia, vicissimque cordibus inibi habitantium memoriam insignis dominæ arcciius im rimentia. Singula descriptionibus aut nominibus designare, spaciosum foret. Voluptuosum est spectare hospitibus maxi- B mis et qui sæpe nobilium ecclesiarum thesauros viderunt. Transiret illac hospes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eadem. Credimus autem et credere fas est, æquissimum judicem omnium non solum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo illi centuplum redditurum, quod servis suis manu sicut larga, ita devota gratanter impendit. Ad remunerationem vero instantis temporis pertinere non dubium est, quod miserante Deo sopita adversa valetudine, sanctitatem refovit et monachos suos, monachos Beccenses, qui præ omnibus et super omnes pro ipsius sospitate, jugi labore supplicandi decertando pene defecerant, aura prosperæ valetudinis ejus afflatos omnino redintegravit.

CAPUT XXVIII.

Quod dum desperaret poposcit regem ut Becci sepeliretur; et de affectu ejus circa eamdem ecclesiam, et quod sospitati reddita sit.

C Nec supprimendum illud est silentio, imo, ut ita dicatur, uncialibus litteris exaratum sæculo venturo transmittendum, quod, antequam convalesceret, postulaverat patrem suum, ut permitteret eam in cœnobio Beccensi humari. Quod rex primo abnuerat, dicens non esse dignum ut filia sua imperatrix Augusta, quæ semel et iterum in urbe Romulea, quæ caput est mundi, per manus summi pontificis imperiali diademate processerat insignita, in aliquo mo- D nasterio, licet perceleberi et religione et fama, sepeliretur; sed ad civitatem Rothomagensium, quæ metropolis est Northmannorum, saltem delata, in ecclesia principali, in qua et majores ejus, Rollonem loquor et Willelmum Longamspatam filium ejus qui Neustriam armis subegerunt, positi sunt, ipsa et poneretur. Qua deliberatione regis percepta, illi per nuntium remandavit, animam suam nunquam fore lætam, nisi compos voluntatis suæ in hac duntaxat parte efficeretur. O femina macte virtutis et consilii sanioris, parvipendens pompam sæcularem in corporis dispositione! Noverat enim salubrius esse animabus defunctorum ibi corpora sua tumulari, ubi frequentius et devotius supplicationes pro ipsis Deo offeruntur. Victus itaque pater ipsius Augustæ pietate et prudentia filiæ, qui cæteros et virtute et pietate vincere solitus erat, cessit, et voluntatem et petitionem ipsius de se sepelienda Becci fieri concessit. Sed, volente Deo, ut præfixum est, sanitati integerrimæ restituta convaluit. His igitur de imperatrice Augusta suo loco, prout dignum est, commemoratis, de cæteris liberis Henrici regis, licet minus idoneo modo procreatis, propter rerum tamen notitiam, aliqua vel breviter dicamus.

CAPUT XXIX.

Quod Henricus rex duxit Adelizam, mortua Mathilde uxore sua et de liberis quos aliunde procreavit, quorum primogenitus fuit Robertus comes Glocestriæ, qui hæreditatem Roberti filii Haimonis cum filia ipsius accepit.

Mortua itaque secunda Malthilde regina Anglorum matre hujus imperatricis Augustæ, sicut in superioribus dictum est, Henricus rex duxit Adelizam filiam Godefridi ducis Lovaniæ, comitis Eustachii Boloniensis consobrinam, de qua nihil posteritatis accepit. Habuit tamen idem rex filios sex et septem filias licet minus honesto, ut prædiximus, modo progenitos. Illorum autem primogenito Roberto pater suus quamdam nobilissimam puellam nomine Sibyllam, filiam Roberti filii Haimonis, neptem, scilicet ex familia, Mabilia, Rogerii de Monte Gummerici patris, videlicet Roberti de Belismo, matrimonio copulavit; concedens ei maximam hæreditatem, tam in Northmannia quam in Anglia, quæ præfatæ virgini hæreditario jure competebat. Ex ipsa autem genuit filios quinque, scilicet Willelmum suum primogenitum et fratres ejus et unam filiam. Hæreditatis autem quam cum præfata virgine idem Robertus adeptus est, caput est oppidum Torinneium nuncupatum, in confinio comitatuum Bajocensis et Constantiniensis situm, distans a fluvio nomine Vira, qui prædictos comitatus dirimit in citeriori parte millibus fere duobus. Quod municipium a prædicto regis filio Roberto, postquam in juris ejus potestatem redactum est, turribus excelsis, mœnibus robustissimus, necnon et fossatis præruptis et in ipso saxeo monte incisis, contra omnium inimicorum conatum munitus est et ex magna parte aquis in piscinas collectis vallatum et inaccessum. Et licet terra circumjacens minus in fertilitate frugum reddenda sit habilis, est tamen idem oppidum populosum, negociatoribus diversarum mercium refertum, ædificiis tam publicis quam privatis ornatum, copia auri et argenti non egenum. Dedit etiam illi rex terram Haimonis Dapiferi, patrui videlicet uxoris suæ. Præterea, quia parum erat filium regis ingentia prædia possidere absque nomine et honore alicujus publicæ dignitatis, dedit illi pater pius comitatum Glocestriæ. Richardus autem hujus comitis uno de patre fra'er, cum fratre suo Willelmo, in sæpedicto naufragio periit. Alii vero tres, id est Rainaldus, Robertus, Gislebertus, adhuc juvenes sine casamento sunt. Quartus, scilicet Willelmus de Traccio, paululum post mortem patris rebus humanis exemptus est. Filiarum vero una nomine Mathildis nupsit comiti Perticensi Rotroco, de qua genuit unam filiam. Ipsa vero Mathildis comitissa

postmodum in supradicto naufragio cum fratribus suis submersa est. Alia item Mathildis nuncupata data est Conano comiti minoris Britanniæ, genuitque ex ea filiam nomine Hoellum et filias duas. Tertia, scilicet Juliana, Eustachio de Paceio, qui habuit ex ea duos filios, Willelmum et Rogerium. Quarta Willelmo Goieto. Quinta, vicecomiti de Bellomonte, quod castrum situm est in Cenomannensi pago. Sexta, Mattheo filio Bulchardi de Montemorenceio. Septima, quæ ex Elisabeth, sorore Waleranni comitis Mellenti, adhuc innupta permanet.

CAPUT XXX.

Quod decedente Gaufrido Rothomagensi archiepiscopo, qui Willelmo dudum successerat, eamdem sedem adeptus est Hugo abbas Radingarum.

Circa hæc tempora, decedente Gaufrido archiepiscopo Rothomagensi, Hugo primus abbas Radingensis successit. Parvo exinde tempore exacto, Innocentius papa II Rothomagum veniens causa regis Henrici, ingentibus obsequiis, ut virum Apostolicum decebat, ab eodem rege susceptus et prosecutus est. Sic etiam Calixtum papam longe antea se adeuntem pro causis ecclesiasticis apud castrum suum Gisorz nomine, in margine sui ducatus situm, regaliter procuratum, muneribus onustum regiis remiserat.

CAPUT XXXI.

De castellis quæ rex Henricus ædificavit in ducatu Northmanniæ et quod pacem non solum in terra sua, verum etiam in longinquis regionibus sua sapientia faciebat.

Fecit autem rex Henricus plurima castella tam in regno quam in ducatu suo. Cætera vero ab antecessoribus suis constructa, non solum municipia, sed etiam antiquissimas urbes pene omnes melioravit. Illorum autem quæ in Northmannia construxit, in margine sui ducatus et confinium provinciarum, ista sunt nomina: Driemcurtis, Novum castrum situm super ripam Eptæ fluminis, Vernoilum, Nonanti crutis, Bonum molendinum, Colmiæ mons, Pons Ursonis et alia quæ ex industria prætereo, ne moram faciam. Pacem non solum in terra sua, verum etiam in longe positis regnis concessa sibi a Deo sapientia et bonitate tenebat. Wallenses semper Anglis rebelles ita subditos habebat, ut per omnem terram eorum vel ipse, vel satrapæ sui, illis invitis, munitiones ædificarent; nec aliquam in suo jure munitionem haberent ipsi illo vivente, præter montem qui lingua Anglorum Sneudune (Snowdowne), id est mons nivosus, quia ibi rugiter nix perdurat, appellatur. Unum in ipso quidam non immerito, ut pluribus videtur, reprehendendum ducebant. Cum enim haberet in manu sua nonnullorum baronum suorum, et etiam vicinorum aliquorum collimitantium suo ducatui munitiones, ne illi confidentes in eis aliquid contra pacem sui imperii agerent, illas velut proprias ambitu murorum et turribus nonnunquam muniebat. Qua autem intentione illud faceret, a multis nesciebatur, unde idipsum reprehendebant.

CAPUT XXXII.

De ecclesiis, vel de monasteriis quæ ædificavit et de largitate ejus in servos Christi et de cæteris piis ejus actibus.

Fuit autem inclytus rex Henricus, de cujus actibus loquimur, liberalissimus non solum potentibus hujus mundi, verum etiam, quod majus est et utilius, hominibus religiosis. Testantur hoc episcopi abbates, monachi pauperes, sanctimonialium greges non solum Franciæ et Aquitaniæ, verum etiam Burgundiæ et Italiæ, qui ab ipso annuatim plurimum emolumenti accipiebant. Ædificavit autem in Anglia a fundamentis abbatiam Sanctæ Mariæ Radingis super fluvium Thamisiæ et ornamentis et possessionibus locupletans, monachos et ordinem Cluniaci ibi esse fecit. Ædificavit et aliam ecclesiam apud Circestram in honorem sancti Joannis, et canonicos regulares ibidem statuens, illis sufficienter necessaria procuravit. Nihilominus etiam in Northmannia apud Rothomagum ecclesiam Sanctæ Mariæ de Prato a matre sua dudum incœptam pene consummavit, claustro et officiis monachis congruentibus et ambitu murorum ipsum locum decorans, nonnulla prædia tam in Northmannia quam in Anglia, ad opus ibidem Deo servientium, cum ornamentis pretiosis contradidit; majora tamen si aliquantum vita comes foret, secundum suam promissionem largiturus. Et quia idem locus ad ecclesiam Beccensem pertinebat, utpote patrimonium domni Herluini primi abbatis et fundatoris Beccensis monasterii, monachos Beccenses illic Deo servituros instituit. Illius enim ecclesiæ abbates et monachos miro semper coluit, plurimum veneratus est; maxime autem domnum Bosonem abbatem. Quod nos in nostra memoria experti sumus, cum idem rex daret annuatim eidem venerabili viro non minimam summam pecuniæ ad subsidium victualium suæ congregationis et susceptionem hospitum, quos ille plus amplitudine charitatis quam rerum suarum, mirifice, ne dicam ultra vires suas, procuratos honorabat. Et quamvis munificentia regis eadem largiretur non solum propter abbatem, verum etiam propter bonam existimationem monachorum, quorum orationibus se commendari aut per se, aut per aliquem nuntium frequentius satagebat, illud tamen indicio est, quod illum plus antecessoribus suis in hac duntaxat parte veneratus sit, quod aliquando centenas libras argenteorum, sæpissime centum marcas ejusdem metalli, tempore regiminis prædicti abbatis, ecclesiæ Becci devote contulit; cum antea vix ad quartam partem prætaxatæ summæ in dando eidem aliquid ecclesiæ pervenerit. Illum etiam sanctitate et consilio tam spirituali quam sæculari, cæteris personis sui regni excellere, non solum verbo, sed opere prædicabat; præsertim cum in illo biennio, quo eumdem sanctum virum continue ante suam mortem gravi infirmitate fatigatum, nun-

quam per vicina loca iter faciens præteriret, quin gratia visitandi ad eum diverteret et quæ ipse pro necessitate sui monasterii vel alieni ab eo peteret, gratanter impetraret. Ædificata sunt autem tam in regno hujus inclyti regis quam in remotis ab eo provinciis, ipsius consilio et liberali munificentia nonnulla servorum Dei habitacula. Ecclesiam quippe Cluniacensem, ut de minoribus taceam, suis impensis ex majori parte ædificans, ingentes possessiones in Anglia pro redemptione animæ suæ delegavit. Hoc idem fecit et ecclesiæ Sancti Martini de Campis. Officinis quoque monachorum Tironis construendis nonnulla adjumenta prævidit, excepto dormitorio, quod ex integro ipse fieri ob memoriam sui ex suis solummodo impensis voluit. Necnon etiam xenodochium elephantiasorum Carnoti manentium, opus videlicet pergrande ac mirificum, ipsius munificentia complevit. Egit præterea inexhausta ipsius largitas Alpes, hactenus pene invias, petentibus limina apostolorum, vel reliqua Sanctorum loca, pervias. Quid referam, quod militibus templi Hierosolymorum, qui assidue pro defensione Christianæ religionis contra Agarenos decertant plurima subsidia tam in armis quam et in cæteris necessariis, devota manu annuatim transmittebat? Hospitali etiam Hierusalem quamdam terram in pago Abrincatensi dedit, in qua illi servi Christi vicum quemdam, quem vocant Villam Dei, magnis privilegiis regia munificentia munitum ædicaverunt. Præterea, quod ecclesia Beatæ Mariæ Ebroicæ civitatis, ipsius quadam pia, ut ita dicatur, crudelitate destructa, et iterum reædificata, omnes fere ecclesias Neustriæ sua pulchritudine superat, Nam cum ut sæpius dictum est, eadem urbs causa discordiæ Almarici incensa a rege fuisset et ecclesia episcopalis sedis minime ab ipso incendio liberari valeret, rex eidem ecclesiæ postmodum tanta in redditibus concessit, unde ipsa in melius renovata et summa redditium ipsius episcopatus hac de causa in perpetuum plurimum esset augmentata.

CAPUT XXXIII.

De obitu ejus, et quod corpus ejus in Angliam delatum Radingis sepultum est.

Longum esset singula pietatis, vel quantum ad regimen publicæ rei attinet, scientiæ et probitatis, ipsius gesta enumerando, perscrutari. Alterius horum ecclesia cum pauperibus suis, alterius vero curia non solum Anglorum, sed et remotarum provinciarum quam proceribus suis, testis indeficiens perseverat. Nos igitur non immemores beneficiorum tam a se, quam a filia sua Mathilde imperatrice Augusta nobis liberaliter collatorum, ne ingrati judicemur, licet ei in spiritualibus vicem pro nostro modulo reddere assidue non negligamus, sategimus, ut ex paucis gestorum ejus quæ commemoravimus plurimorum quæ non nescientes prætermisimus, præsentibus et futuris, si imitari non dedignentur, profuturam recordationem suggereremus. Decessit

A autem post longam regni administrationem sæpe nominatus Henricus rex Anglorum et dux Northmannorum, IV Nonas Decembris, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1135, in Northmannia, apud Villamregiam sitam in silva Leonis, quam per metonomiam Sanctum Dionysium vocant. Regnavit autem annis 34 et 4 mensibus in Anglia. Ducatui vero Northmanniæ præfuit annis 29 et mensibus quatuor. Corpus autem ipsius delatum in Angliam, honorifice sepultum est in ecclesia Sanctæ Mariæ Radingis, quam ipse a fundamentis suis sumptibus ædificaverat. Cui rex sæculorum Christus precibus suæ genitricis indulgentiam suorum excessuum conferens, beatorum gaudia misericorditer tribuat. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B EPITAPHIUM IPSIUS

Quod modicum præstent, quod opes magnum nihil exstent,
Rex probat Henricus, rex vivens pacis amicus.
Exstiterat siquidem præ cunctis ditior idem,
Occiduæ genti quos prætulit ordo regendi.
At necis ad pestes, quid gemmæ, pallia, vestes,
Æs varium terræ, quid castra sibi valuere?
Vilibus hinc æquam dans sortem, pallida, nequam,
Protendendo pedem, mors ejus pulsat ad ædem.
Quo dum dira febris prima sub nocte Decembris
Mundum nudavit, mundo mala multiplicavit.
Quippe quippe populi, pax et tutela pusilli.
Dum pius ipse ruit, furit impius, opprimit, urit:
C *Anglica lugeat hinc Northmannica gens fleat illinc.*
Occidis, Henrice, tunc pax, nunc luctus utrique.

ITEM EJUSDEM

Sensu, divitiis, aditu feritate decenti
Mire, plus dictu, vim perpessis, scelerosis,
Excellens, locuples, haud difficilis, reverendus,
Hic jacet Henricus rex quondam, pax, decus orbis.

ITEM EJUSDEM

Victor, sectator, vindex, tutatem amator,
Bellorum, pacis, scelerum, regni, bonitatis,
Continet hunc loculum rex notus ubique locorum,
Henricus pridem, tunc terror, nunc cinis idem,

CAPUT XXXIV.

D *De quatuor sororibus prædicti regis, quarum Adela nupsit Stephano comiti Blesensi et de filiis ipsius Adelæ,*

De filiabus primi Willelmi regis Anglorum, sororibus inclyti regis Henrici, de cujus gestis jam aliqua recensuimus, libet huic opusculo causa et amore ipsius fratris earum, in calce libri inserere. Primogenita igitur earum, Cecilia nomine virgo Dei sacrata, in monasterio sanctæ Trinitatis Cadomensis oppidi, post Mathildem ipsius loci primam abbatissam, illi cœnobio pluribus annis præfuit. Secunda vero Constantia Alanno Fergant comiti minoris Britanniæ, filio scilicet Hoelli, qui Conano successerat, matrimonio juncta, absque liberis mortua est. Unde factum est ut idem comes post illam

duceret filiam Fulconis Rechin comitis Andegavorum, ex qua genuit Conanum juniorem, qui ei successit, sicut in superioribus commemoratum est. Occiso autem per traditionem Gaufrido Martello, viro magnæ probitatis, primogenito filio prædicti Fulconis comitis Andegavorum, successit alter filius suus Fulco nomine, natus ex alia conjuge nomine Bertha sorore videlicet Amalrici, comitis Ebroicensis. Hic, postquam accepit filiam comitis Heliæ Cenomannorum, cum ipsius comitatu, et genuit ex ea duos filios, Gaufridum scilicet Martellum, de quo jam pauca superius diximus, et Heliam et totidem filias, quarum una nupsit Willelmo filio Henrici regis Anglorum, quo mortuo apud Fontem Ebraudi sumpsit habitum religionis; altera Terrico comiti Flandrensium; mortua uxore sua perrexit Hierusalem et accepta filia secundi Balduini regis noviter defuncti, factus est tertius rex Hierosolymitanorum. Siquidem capta urbe Hierosolima a Christianis, primus præfuit illi dux Godefridus frater Eustachii comitis Boloniæ. Hic tamen ad reverentiam nostri Redemptoris, qui in illa urbe Coronam spineam pro nobis peccatoribus gesserat, nunquam voluit regio diademate insigniri. Quo mortuo, Balduinus frater ejus factus est ibi primus rex, cui successit alter Balduinus nepos prioris. Et illi, ut diximus, accepta ejus, filia Fulco comes Andegavorum. Tertia vero filiarum Willelmi regis Adelidis Heraldo proditori ante bellum Anglicum sponsata, sed illo digna morte multato nulli nupta, virgo jam nubilis obiit. Quarta Adela vocata nupsit Stephano comiti Blesensi, ex qua suscepit quatuor filios, Willelmum, Theobaldum, Henricum, Stephanum et unam filiam. Willelmus autem primogenitus honorem Soreii (Soleii) regendum a patre suscepit. Hujus filiam duxit Henricus comes Aucensis, filius Willelmi, comitis licet proxima consanguinitate necterentur, natique sunt illi ex ea tres filii et una filia. Theobaldus vir per omnia laudabilis, utpote laicus, ac viros religiosos nimio affectu venerans, ac fovens, successit patri in comitatu Blesensi; comitatum etiam Trecarum emens ab Hugone patruo suo, simul cum Carnotensi possedit. Accepit autem uxorem filiam cujusdam comitis Bohemiæ (Behaniæ), ex qua plures filios habuit et filias. Henricus autem frater ejus a puero monachus Cluniacensis, postmodum ab Henrico avunculo suo rege Anglorum accepit prius dono abbatiam Glastoniæ et postea episcopatum Wintoniensem. Sthephanus etiam ab eodem rege factus comes Moritolii, ipso suffragante, duxit uxorem Mathildem filiam Estachii comitis Boloniæ neptem videlicet secundæ Mathildis reginæ Anglorum ex sorore Maria, Et quia idem Eustachius nullum habebat filium, causa uxoris suæ ipse Stephanus tam comitatus Boloniæ quam etiam magnarum possessionum quas socer ejus haburat in Anglia, hæres factus est. Genuit autem ex ea plures filios et filias. Hic autem Stephanus factus est rex Anglorum post excessum avunculi sui Henrici regis. Nam cum decederet idem rex in Northmannia, Mathildis filia ipsius quondam imperatrix, quam dudum constituerat hæredem sui regni, in Andegavensi pago cum conjuge suo Gaufrido duce ipsius comitatus et filiis morabatur. Recesserat enim a Northmannia paulo ante mortem sui patris, erga ipsum aliquantulum commota; quia idem rex reconciliari nolebat impune Willelmo Talavatio, quamvis ipsa inde ei plurimum supplicaret. Quod non ad contemptum dilecta filia faciebat, sed ne minus timeretur ab ipso Willelmo, vel cæteris principibus suis, si prospere ac leviter injuriam illi remitteret,

CAPUT XXXV.

Quod Rogerius de Monte Gummerici natus est ex una neptium Gunnoris comitissæ et de antecessoribus ipsius Rogerii.

Fuit autem hic Willelmus filius Roberti de Bellismo, natus ex filia Widonis comitis Pontivi. Qui Robertus ob nimiam crudelitatem ipsi regi et cæteris multis sapientibus viris exosus habebatur. Ipso denique in vinculis posito, in quibus et defecit, rex Henricus nobilissimus oppidum ejusdem nomine Bellismum cepit et illud Rotroco comiti Perticenci genere suo dedit. Licet pagus Bellismensis non ad ducatum Northmanniæ pertineret, sed ad regnum Francorum, dederat tamen dominium ejusdem pagi, vel, ut quidam dicunt, vendiderat dudum Philippus rex Francorum cognato suo Willelmo seniori regi Anglorum et duci Northmannorum. Ivo autem de Bellismo antecessor hujus Roberti fuit vir potens et sapiens, cujus consilio primus Richardus, dum adhuc puer teneretur in custodia regis Francorum, ereptus est, agente Osmundo armigero ipsius pueri. Hujus autem Ivonis fuit filius Willelmus de Bellismo, qui genuit alium Willelmum cognomento Talavatium patrem Mabiliæ. Hanc Mabiliam Rogerius comes filius Hugonis de monte Gummerici accepit in uxorem, cum tota hæreditate patris ipsius, quam habebat sive in Bellismensi pago, sive Sennensi ultra fluvium Sartæ, Ipse autem Rogerius natus est ex quadam neptium Gunnoris comitissæ (8), unde et ipse ingentes possessiones habuit in diversis regionibus Northmanniæ, Genuit autem ex ipsa Mabilia quinque filios et quatuor filias. Successit vero eidem Robertus de Bellismo filius ejur, vir per omnia nefarius; qui ex filia Widonis comitis Pontivi, sicut jam diximus, genuit Willelmum Talavatium successorem suum. Hic Talavotium habuit ex Ala uxore sua quæ fuerat antea uxor (9) ducis Burgundiæ, duos filios et totidem filias. Filiorum vero primogenitus Wido patre vivente factus est comes Pontivi. Filiarum autem una Ivhello filio Walterii de Meduana nupsit, ex qua habuit plures filios. Altera vero tertio Willelmo

(8) Ex Jocellina filia Wevivæ, ut liber habet ms.

(9) Imo filia, ut notat Ordericus Vitalis.

de Warenna, comiti videlicet Surreiæ. Prædictus A autem Rogerius de Monte Gummerici bello Anglico interfuit, et a Willelmo rege Anglorum comitatus Arundelli et Salopesberiæ dono accepit.

CAPUT XXXVI.

Relatio quomodo ipsa Gonnor primo Richardi duci Northmanniæ copulata fuerit matrimonio.

Et quia de Gunnore comitissa fecimus mentionem, causa matris Rogerii de Monte Gummerici, quæ fuit neptis ejusdem comitissæ, libet litterarum memoriæ commendare, sicut ab antiquis didici, qualiter ad conjugium comitis Richardi eadem Gunnor accesserit. Igitur Richardus comes, audita fama pulchritudinis conjugis cujusdam forestarii, manentis haud procul ab oppido Arcarum, villa quæ dicitur Schechevilla, ex industria ivit venatum illuc, volens probare si verum esset quod relatione quorumdam perceperat. Hospitatus igitur in domo forestarii, B illectusque venustate vultus uxoris ipsius, præcepit hospiti suo quod ipsa nocte adduceret ad cubiculum suum uxorem suam Sainfriam; sic enim vocabatur. Quod cum ille eidem tristior retulisset, illa, ut sapiens mulier, consolata est eum, dicens se suppositaram in loco suo Gunnorem sororem suam, virginem quamplurimum seipsa pulchriorem. Quod et factum est. Cognita denique tali fraude, delectatus est dux, quod non incurrisset peccando in alienam uxorem. Genuit itaque ex Gunnore filios tres et totidem filias, ut in libro qui de gestis ejusdem ducis scriptus est, superius invenitur. Cum vero idem comes quemdam filium suum nomine Robertum vellet fieri archiepiscopum Rothomagensem, responsum est ei a quibusdam, hoc nullatenus secundum scita canonum posse, ideo quod mater ejus non fuisset desponsata. Hac itaque causa comes Richardus Gunnorem comitissam more christiano C sibi copulavit, filiique qui jam ex ea nati erant, interim dum sponsalia agerentur, cum patre et matre pallio cooperti sunt, et sic postea Robertus factus est archiepiscopus Rothomagensis.

CAPUT XXXVII.

Quomodo eadem comitissa sorores suas et neptes nobilioribus Northmannorum in conjugium tradidit, et de posteritate earumdem.

Ipsa autem Gunnor, excepta Sainfria, habuit duos sorores, Wewam et Awelinam. Altera quarum, adminiculante ipsa comitissa, quæ fuit femina magnæ prudentiæ, nupsit Turulfo de Ponte Audomari, qui fuerat filius cujusdam nomine Torf, a quo etiam usque nunc quædam villæ cognominatæ sunt Torfvillæ. Hujus Turulfi frater fuit Turchetillus, pater Anschetilli de Harecurt. Genuit autem ex eadem idem Turulfus Humfridum de Vetulis, patrem Rogerii de Bellomonte. Tertia autem sororum Gunnoris comi- D tissæ nupsit Osberno de Bolebec, ex qua genuit Galterium Giffardum primum et Godefridum patrem Willelmi de Archis. Hic autem Willelmus frater fuit Mathildis, quam Willelmus Camerarius de Tancarvilla habuit uxorem, ex qua genuit filium nomine Rabellum qui ei successit. Prædictus autem Galterius duxit unam filiarum Girardi Flatelli; alteram vero, scilicet Basiliam, relictam Rodulfi de Waceio, habuit Hugo de Gornaco, de cujus successione et posteritate superius dictum est. Genuit autem idem Galterius secundum Galterium Giffardum et filias plures, quarum una nomine Rohais nupsit Richardo filio comitis Gisleberti; qui Gislebertus fuerat filius Godefridi comitis Aucensis, naturalis videlicet filii primi Richardi ducis Northmannorum. Hic Gislebertus habuit duos filios: prædictum Richardum et Balduinum. Balduinus etiam genuit tres filios, Richardum, Robertum et Willelmum et totidem filias. Richardus autem frater Balduini genuit ex Rohai quatuor filios, Gislebertum, Rogerium, Walterium, Robertum et duas filias; altera quarum matrimonio copulata est Rodulfo de Telegeriis, nati sunt ex ea Fransvalo, Henricus et Robertus Giffardus. Gislebertus autem illam terram quam pater eorum habuerat in Anglia, post ipsum adeptus est. Rogerius enim frater ejus terram de Northmannia obtinuit. Hic, inquam, Gislebertus, ex filia comitis de Claromonte habuit tres filios; Richardum qui ei successit, et Gislebertum, et Walterium, et unam filiam nomine Rohais. Richardus autem duxit sororem comitis Ronulfi junioris comitis Cestriæ, et habuit ex ea tres filios, Gislebertum qui ei successit, et fratres ejus. Ipse autem Richardus immatura morte obiit, peremptus a Wallensibus, qui immaniter, audita morte Henrici regis contra Anglos rebellaverunt. Mortuis autem absque liberis Rogerio et Walterio patruis suis, Gislebertus filius Gisleberti, hæreditario jure, ipsis etiam concedentibus, terras eorum adeptus est. Idem vero sororem Waleranni comitis Mellenti, nomine Elisabeth, duxit, ex qua genuit filium primogenitum nomine Richardum (6). Roberto autem filio Richardi successit filius suus primogenitus, natus ex quadam filiarum Waldevi, comitis Huntedoniæ. Habuit autem idem Waldevus tres filias ex uxore sua, filia comitissæ de Albamarla, quæ comitissa fuit soror uterina Willelmi, regis Anglorum senioris. Harum autem filiarum comitis Waldevi primogenitam accepit Simon Silvanectensis, cum comitatu Huntedoniæ, et genuit ex ea unum filium vocatum Simonem. Mortuo autem Simone comite, David, frater secundæ Mathildis reginæ Anglorum, duxit uxorem ejus, ex qua suscepit unum filium, scilicet Henricum. Sublatis autem de medio fratribus ejus Dudecano et Alexandro, regibus Scotorum, ipse idem regnum suscepit. Aliam vero; scilicet Judith, Rodulphus de Toeneio, sicut jam dictum est, duxit uxorem. Tertiam Robertus filius Richardi, sicut modo commemoravimus.

(10) Hic ille Richardus est qui, comes Pembrochiæ et cognomento *Strongbowe*, Hiberniam primus Anglis aperuit.

Et quoniam de sororibus Gunnoris comitissæ fecimus mentionem, libet etiam de illis qui secundo gradu consanguinitatis affines eidem fuere, prout ab antiquis accepimus, aliqua dicere. Habuit ergo ex fratre suo Herfasto eadem comitissa nepotem Osbernum de Crepon, patrem videlicet Willelmi comitis Herefordiæ, viri per omnia laudabilis. Neptes vero plures prædicta Gunnor habuit, sed solummodo de quinque, quibus maritis nupserint audivi. Una itaque earum matrimonio copulata est patri primi Willelmi de Warenna, ex qua natus est idem Willelmus postea comes Surreiæ, et Rogerius de Mortuo mari frater ipsius. Altera Nicolao de Bascheritvilla (vulgo *Bacqueville*), ex cujus posteritate natus est Willelmus Martellus, et Walterus de sancto Martino. Tertia Richardo vicecomiti Rothomagensi, patri videlicet Lamberti de sancto Sidonio. Quarta Osmundo de Centumvillis vicecomiti Vernonii, ex qua natus est primus Fulco de Ancio, plures filiæ, quarum una mater fuit primi Balduini de Revers. Quintam Hugo de Monte Gummerici duxit, ex qua natus est Rogerius pater Roberti de Belhimo.

CAPUT XXXVIII.

Qua occasione Stephanus comes Moritoli nepos Henrici regis ei in regnum successit.

Sed ut redeamus ad ea unde digressi sumus causa harum genealogiarum, obeunte Henrico rege Anglorum, successit ipso mense decessionis ejus Stephanus nepos ejus. Nam cum degeret idem comes in Boloniensi comitatu, audita morte avunculi sui velociter transfretans, auxilio Henrici fratris sui Wintoniensis episcopi coronam regni adeptus est. Erat enim, ut prædictum est, tunc temporis Mathildis hæres ipsius regis in Andegavensi pago. Obtinuit tamen ipsa Damfrontem, et Argentomagum, et Oximum, castella sui patris, et alia tria, scilicet Colmiæ montem, et Gorram, et Ambreras [Amberras]; quæ interim concessit Juhello de Medvana, hac conditione, ut ipse eam fideliter juvaret in acquirendo suam hæreditatem. Dicebat enim idem Juhellus illa tria oppida, videlicet quæ ultimo nominavimus, in sua terra esse.

Filia autem Adelæ filiæ Willelmi regis Anglorum, de qua superius fecimus mentionem, nupsit Richardo comiti Cestrensi, filio Hugonis comitis; qui Hugo fuit filius Richardi vicecomitis Abrincatensis pagi. Cum vero Richardus et uxor ejus in sæpe dicto naufragio cum Willelmo filio regis Henrici mortui fuissent, Ranulfus vicecomes Bajocasini, consobrinus ipsius Richardi, adeptus est comitatum ejus. Mortuo autem eodem Ranulfo, successit ei item Ranulfus filius ejus, vir in rebus bellicis strenuus. Hujus autem Ranulfi sororem duxit Richardus filius Gisleberti, ex qua suscepit tres filios. Ipse denique Richardus peremtus est a Walensibus, ut præfixum est. Prædictus autem Ranulfus comus accepit uxorem Mathildem [*ms.* Sibyllam] filiam Roberti comitis Glocestriæ; ex qua genuit duos filios, Hugonem et Richardum.

A

CAPUT XXXIX.

Quomodo Adela comitissa Blesensis habitum sanctimonialis et conversationem Marciniaci, tempore domni Petri abbatis Cluniacensis, accepit; et quod secundo anno post mortem Henrici regis Anglorum fratris sui mortua est.

Mortuo autem Stephano comite Blesensi, marito Adelæ filiæ Willelmi regis Anglorum, ipsa aliquandiu nobiliter rexit comitatum, quia filii sui adhuc minus habiles ad procurandum regimen erant. Quibus adultis, ipsa sanctimonialis habitum et conversationem, tempore domni Petri Cluniacensis abbatis, Marciniaci assumens, laudabiliter ibidem in Dei servitio usque ad finem perseveravit. Decessit vero secundo anno post mortem Henrici fratris sui regis Anglorum.

B

CAPUT XL.

De vento vehementi qui accidit ante mortem Henrici regis; et quod plurimi principum Anglici regni defuncti sunt ipso anno, vel sequenti, quo rex Henricus mortuus est.

Eo anno quo idem rex Henricus humanis rebus subtractus est, factus ventus vehemens in Northmannia et in aliis pluribus regionibus paulo ante mortem ipsius, scilicet vigilia Apostolorum Simonis et Judæ. Non multo vero post mortem ejus tempore transacto, id est, ipso anno, vel sequenti, mortui sunt plures ex principibus Anglici regni, judicio Dei: videlicet Willelmus Cantuariensis archiepiscopus, episcopus Roveccestriæ, episcopus Exoniensis, Richardus filius Gisleberti, ut jam dictum est, Robertus filius Richardi patruus ejus, Richardus filius (C) Balduini consobrinus horum duorum ultimo nominatorum, nec non et secundus Willelmus de Warenna comes Surreiæ. Cui successit tertius Willelmus filius ejus, natus ex Elisabeth filia Hugonis magni comitis Viromandorum. Fuit autem primo juncta prædicta comitissa Roberto comiti Mellenti, et ex ea habuit tres filios et totidem filias.

CAPUT XLI

De filiis Roberti comitis Mellenti et filiis Henrici fratris ejus comitis Warwic.

Filiorum vero duo, scilicet Walerannus et Robertus, qui gemelli fuerunt, successerunt ei. Walerannus siquidem primogenitus suscepit comitatum Mellenti et terram quam pater eorum habebat in Northmannia (D). Robertus vero comitatum Legrecestriæ (*al.*, Legiecestriæ) in Anglia. Nupsit autem mater eorum, mortuo priore marito, secundo Willelmo de Warenna comiti Surreiæ, ex qua suscepit unum filium, scilicet Willelmum tertium et duas filias. Filiarum vero primogenitam accepit uxorem comes Rogerus de Warwic. Fuit autem idem Rogerus filius Henrici comitis fratris Roberti comitis Mellenti, natus ex Margareta sorore Rotroci comitis de Pertico. Genuit autem ex ea Henricum et plures alios et duas filias. Prædictus denique Rogerus successit patri in comitatum Warwic. Quidam vero fratrum suorum natus post ipsum, scilicet Robertus de Novoburgo, habuit

terram quam pater eorum habuerat in Northmannia. Hic Robertus fuit amator intimus et benefactor Beccensis ecclesiæ. Hic accepit uxorem sororem Rogerii de Toenio, filiam secundi Rodulfi, Godechildem nomine, ex qua habuit plures filios, scilicet Henricum et fratres ejus.

CAPUT XLII.

De obitu domni Bosonis abbatis Beccensis, et de successore ejus.

Circa hæc tempora domnus Boso, quartus abbas Becci, vir per omnia laudabilis vitæ decessit, et successit Tetbaldus prior ejusdem loci. Willelmus etiam dux Aquitanorum non multo post mortuus est. Hujus filiam unicam cum ipsius ducatu Ludovicus filius regis Francorum accepit in uxorem; mortuoque Ludovico patre suo ipso anno Kal. augusti successit eidem Ludovicus juvenis, factus rex Francorum et dux Aquitanorum, anno ab Incarnatione Domini 1137, quo anno fuit maxima siccitas. Eodem anno mortuus est Lotharius imperator Romanorum et Alemannorum; cui successit Conradus nepos Henrici IV, qui ante Lotharium imperaverat.

ADDITAMENTA AD HISTORIAM NORTHMANNORUM

Paucis de pluribus de memorato illustri rege Henrico tactis succincte potius quam prosecutis, miraculum quoddam, dignum non minus fructuoso relatu quam admirabili, subnectendum censuimus; quod etiam quasi ad caput historiæ compulit non reverti.

Quantæ humilitatis Rollo fuit postquam fidem Christi suscepit; ex una re quam fecit, patenter cunctis innotuit. Quodem tempore, postquam pacificatus est cum rege Franciæ, venientes ad eum homines Rothomagi, cœperunt eum rogare ut de Francia faceret corpus sancti Audoeni redire, quod propter timorem ejus illuc olim fuerat translatum antiquam cepisset Northmanniam. « Tristes, inquiunt, et multum dolentes sumus, quod sic archiepiscopum nostrum perdidimus. » Hoc audiens comes mandavit regi Franciæ ut ei presbyterum suum redderet; quod si non faceret, procul dubio sciret quod nullo modo cum illo pacem habere posset. Rex autem Franciæ nolens ei de hac re facere molestiam, reddidit ei sicut petebat, suum presbyterum. Dux vero præcepit ut inde reduceretur corpus sancti Audoeni, suæque redderetur ecclesiæ, unde fuerat asportatum. Monachi ergo qui custodes ejus fuerunt, dum in Francia fuit, reportaverunt illud usque ad quamdam villam ad unam leugam ab urbe Rothomagensi. Quod cum pervinissent, non parum de via lassati manserunt ibidem illa nocte, ut mane surgentes, si possent, sanctum Audoenum ad suum locum reportarent. Cum itaque mane surgerent, eumque ad civitatem portare vellent, nullo modo potuerunt. Tunc tristes monachi nimiumque dolentes de hoc quod illis acciderat mandaverunt civibus quod sancti Audoeni corpus nullo modo poterant movere de loco illo ubi jacuerat illa nocte. Quod cum comiti, qui tunc apud Rothomagum erat, fuisset nuntiatum, respondit quia merito hæc tribulatio de corpore sancti Audoeni eis accidisset, quia, si recte cogitassent, sensumque rectum habuissent, cum processione et cum magna devotione lili obviare debuissent. Post hæc præcepit comes archiepiscopo omnique populo Rothomagensi ut in laneis vestibus et nudis pedibus cum eo ad sanctum Audoenum pergerant, ejusque pietatem quam devotius possent exorarent quatenus ad stultitias eorum vel negligentias non respiceret, sed propitius illis esset, seque de illo loco ad civitatem, ubi archiepiscopus fuerat, transferri permitteret. Tunc ipse dux primus, sicut cæteris præceperat, in laneis vestibus et nudis pedibus usque ad villam in qua sanctus Audoenus erat pervenit. Quo cum pervenisset, protinus cum omni po pulo qui cum eo erat, coram feretro ejus prostratus hæc orando dixit: Sancte Audeone, bone archiepiscope et advocate noster, permittite (*al.*, permitte) corpus vestrum ad civitatem transferri, ubi præsulis officio functus fuistis et sacras benedictiones sæpius fecistis. Et ego do ecclesiæ vestræ et vobis terram totam quæ adjacet ab isto loco usque ad mœnia civitatis. Tunc continuo comes et populos submissis humeris feretrum in quo sanctum corpus erat, facillime deportare cœperunt, et sic usque ad ecclesiam suam gaudentes et exultantes deportaverunt. Ex hujus rei eventu dixerunt quidam illam villulam Longum Peanum, eo quod comes illuc tam longum iter nudibus pedibus fecisset. Si quis hoc factum non esse signum magnæ humilitatis asserit, de eo dici veraciter potest quod quid sit magna humilitas nescit.

Quiddam vero aliud dicitur eidem comiti accidisse eo tempore quo primum pacificatus est cum rege Franciæ. Quadam die dum esset idem dux apud Rothomagum ad vesperam ipsius diei stabant plurimi homines ante domos suas, quæ erant juxta ripam Sequanæ Illic vero cum essent, eamdemque aquam aspicerent, viderunt unum equitum trans transeuntem super aquam et usque ad eos pervenientem. Hac ergo de re non parum obstupefacti, cum ad eum pervenisset, cœperunt inquirere ab eo quis esset, vel unde veniret. Ille vero respondens: « Videtis inquit quod ego unus homo sum. Et hodie multum mane discessi de Retnis in Britannia, Abrincis vero ad sextam horam comedi, ad vesperam autem huc

usque, sicut videtis, perveni. Et si mihi non creditis ite, et in domo in qua pransus sum, cultellum meum quem ibi ignoranter dimisi, invenietis. » Tunc mandaverunt comiti, qui, sicut dixi, tunc erat in civitate, de illo homine qui sic transierat super aquas sine ulla læsione. Comes vero rem audiens insuetam, mandavit ei ut sibi loqueretur antequam recederet. Tunc ille remandavit comiti quia in crastino eum usque ad primam exspectaret. Verum in crastino mane surgens viam suam tenuit et nihil locutus est comiti. Comes vero ut audivit illum ita recessisse, dixit eum mentitum esse, et ideo putare eum aliquod fantasma esse, quod sic eos voluisset deludere. Tunc dixerunt quidam qui affuerunt, quia, sicut eis videbatur, non ei mentitus esset; quia non de prima comitis, sed de sua prima ei mandasset. Prima enim ejus multo citius fuerat quam prima comitis, et ideo verum fuit quod dixit. Dum tamen in illa nocte ad focum hospitis sui sederet, et ille de multis eum interrogaret, et maxime de illo comite, si generatio illa diu maneret; respondit illam diutius manere, illorumque ducatum usque ad septimam generationem viriliter durare. Cum itaque hospes inquisisset quid post septimam generationem futurum esset, nihil voluit respondere; sed de uno lignulo quod manu tenebat, cœpit per cineres foci quasi sulcos facere. Et cum hospes suus vehementer ab illo exigeret quid post septimam generationem veniret, de illo lignulo quod manu tenebat, commiscuit sulcos quos in cineribus fecerat. Ex quo arbitrati sunt quod post septimam generationem ille ducatus vel deficeret, vel magnas pateretur dissensiones et tribulationes. Quod nos jam ex magna parte impletum videmus, qui Henrico regi, qui hujus prosapiæ loco septimus fuisse demonstratur, superviximus. Rollo enim hujus genealogiæ primus fuit. Willelmus Longaspata filius ejus, secundus. Richardus vero hujus Willelmi filius, tertius. Richardus vero Richardi filius, quartus. Robertus filius Richardi, quontus. Willelmus filius Roberti, qui non solum Northmanniam, sed etiam Angliam possedit, in sexto successit. Post illum in septimo gradu fuerunt filii ejus, ex quibus solus Henricus ad ultimum Northmanniam et Angliam possedit usque ad mortem

In concordia quæ facta est inter Francos et Northmannos tempore primi Richardi, cum redditus est Ludovicus rex Franciæ qui captus fuerat a Northmannis, auxerunt Dani Northmanniam ab aqua quæ vocatur Andella, usque ad aliam aquam quæ vocatur Epta. Alii tamen dicunt ab Epta usque ad Ysaram. Constitutum est etiam in illa concordia, quod comes Northmanniæ, nullum faciet servitium regi Franciæ de terra Northmanniæ, neque ei aliter serviret, nisi rex Franciæ daret ei fædum in Francia, unde ei servire deberet. Quapropter comes Northmanniæ de Northmannia tantummodo facit hominium et fidelitatem regi Franciæ de vita sua et de suo térreno honore. Similiter rex Franciæ facit fidelitatem et de vita sua et de suarum rerum honore comiti Northmanniæ. Et nihil aliud differt (distat) inter eos, nisi quod homagium non facit rex Franciæ comiti Northmanniæ, sicut comes Northmanniæ regi Franciæ facit. Hanc libertatem acquisiverunt tunc Dani parentibus suis comitibus Northmanniæ.

De Richardo filio primi Richardi dicitur quod fuerat pater patriæ et maxime monachorum. Toto enim tempore ejus abundavit Northmannia omnibus bonis, et tanta pax fuit in Northmannia ejus tempore, ut neque etiam carrucarii de campis suis auderent ferramenta curræ ad suas domos reportare. Et si alicui furata fuissent, præceperat comes ut ad eum veniret, et quidquid furto perdidisset, ipse ex integro totum redderet. Accidit ergo quoddam simile in illius tempore facto cuidam atavi sui Rollonis. Cum enim audisset cujusdam carrucarii uxor interdictum ducis, quadam die furata est cultrum et vomerem aratri; probare volens quid ex hoc comes ageret. Rusticus vero in crastino veniens ad carrucam suam, et utensilia sua non inveniens, venit ad comitem, eique retulit quod sibi accidisset. Cui dux jussit dari denarios unde posset damnum reparare. Ille itaque rediens domum, retulit uxori suæ quod ei comes fecisset cui illa: « Modo bonum est, quia et ipse denarios et quod perdiderat ipsa haberet. » Quo audito, ne infideliter ageret, reportavit comiti deinarios quos ei dederat, eique retulit quid sua uxor fecisset. Comes vero retinens illum aliquanto tempore, misit et præcepit ut uxori ejus eruerentur oculi propter furtum quod fecerat. Cum itaque rusticus domum rediret, inveniens uxorem suam merita pœna mulctatam, cum indignatione dixit ei: « Noli amplius furari, et amodo disce observare præcepta comitis. »

Hic comes multum ampliavit terris et ornamentis ecclesiam Fiscanni, quam pater suus primus Richrdus ædificaverat. Ibi etiam erat solitus fere omni tempore suam curiam in Paschali solemnitate tenere. Et aliquando in ipsa solemnitate solebat unam tinam plenam textis, et thuribulis, et candelabris, et quibusdam aliis ornamentis, et coopertam quodam optimo pallio, ipse et uxor sua ante altare sanctæ Trinitatis portare, ipsamque pro suis peccatis Deo ibi offerre. Ipsa vero die post missas, antequam ad curiam suam iret, atque cum baronibus suis comederet, veniebat cum duobus filiis suis Richardo et Roberto in refectorium monachorum, et prædicti pueri afferentes de fenestra coquinæ scutellas, sicut solebant monachi facere, porrigebant patri suo, et ipse per se ipsum prima fercula ante abbatem et postea ante monachos ponebat. Quod cum egisset cum magna humilitate, veniebat ante abbatem, et sic ab eo accepta licentia, lætus et gaudens ibat ad curiam suam. Aliquando vero mittebat de sua mensa abbati scutellam argenteam plenam piscibus, ei mandabat ei ut eam retineret, atque inde suam voluntatem faceret.

Hic autem Richardus non solum ecclesiæ Fiscan-

nensi multa dedit, sed etiam aliis ecclesiis. Quadam A enim die cum venisset Gimegias, ibidem eadem nocte quievit. Mane vero surgens, sicut sua consuetudo semper erat, perrexit orare ad monasterium, et post orationem super altare unum lignulum posuit. Recedente vero illo, venerunt secretarii ad altare, putantes se ibi esse inventuros vel marcam auri, vel unciam, vel aliquid hujusmodi. Itaque invenerunt lignulum illud, atque quid significaret, non parum mirari cœperunt. Ad ultimum inquirunt ab eo quid hoc esset, quod super altare illud posuisset. Tunc respondit, quod esset Vinmonasterium, scilicet quoddam manerium, quod ipse illis pro anima sua dabat.

ANNO DOMINI MLXXXVII.

VICTOR PAPA III

NOTITIA HISTORICA.

(Ciacconi, *De vitis Romanorum pontificum,* II, 342.)

Victor III papa, qui ante pontificatum Desiderius, B in sæculo vero Dauferius vocabatur, Beneventi in Samnio, patre ejus civitatis principe, natus est. Cujus studio, adhuc puer, integre educatus, miræ spectatæque probitatis adolescens evasit. Qui solitariæ vitæ castitatisque servandæ desiderio ductus, sponsam adhuc virginem, summo loco natam relinquens, parentis insciis, clam eremum petiit, et a quodam sancto monacho, nomine Hyacintho, haud procul a Benevento, monasticam vitam assumpsit. Diu in monasteriis S. Trinitatis Cavensi, S. Sophiæ prope Beneventum, Tremitensi in insula maris Adriatici, et demum in vasta Majollæ eremo, sanctissimis viris referta, vitam castissime egit. Litteris Leonis IX papæ ad priorem eremi Hyacinthum datis, Desiderius solum Majollæ vertere coactus, ad monasterium Beneventanum rediit. Cujus probitatem, virtutem et religionem Leo papa, qui tunc Beneventi commorabatur, cognoscens, agentibus Humberto, cardinali Silvæ Candidæ et Friderico cancellario, eum diaconum cardinalem Romanæ Ecclesiæ constituit. Quo mortuo, venia a Victore II impetrata, ad Casinate monasterium sub abbate Petro se contulit, ubi cum cæteris monachis divinæ philosophiæ vacare constituerat. Capuani monasterii præpositus factus, maximum dexteritatis, prudentiæ et integritatis specimen edidit, ut ab Stephano IX, olim abbato Cassinate, ea abbatia dignus existimatus sit. Quo agente a monachis designatus, ab eodem Constantinopolim, cum Stephano cardinali et Maynardo, postea episcopo cardinali Silvæ Candidæ, monachis Casinatibus, pro apostolica sede legatus est. Qui Barum Apuliæ cum accessissent, pontificis obitu audito, Casinum redierunt. Ibi Desiderius, præsidentibus Humberto Silvæ Candidæ et Petro Tusculano episcopis, qui Romæ Benedicti X ordinationem fugerant, omnium monachorum suffragiis, in abbatis sede XXVII a S. Benedicto locatus est, anno salutis 1058. Nicolaum II Senis creatum, in Picenum euntem, comitatus, ab eo Auximi, pridie Nonas Martii, Sabbato Quatuor Temporum, presbyter cardinalis S. Cæciliæ et postridie Dominico, abbas Casinas consecratus. Casinum rediens, monasterium, et ecclesiam, vetustate deformem a fundamentis renovatam, eamque ab Alexandro II solemni ritu dedicari, innumera hominum multitudine ad eam festivitatem confluente, fecit. Multa ornamenta addidit; libros plurimos scribendos curavit, oppida aliquot et castella ad monasterii tutelam condidit. Multa a diversis principibus ablata acquisivit, et ipsius monasterii reditus, majestatem et decus mirum in modum auxit. Ejus rogatu multi C ex congregatione monachi, cardinales, archiepiscopi, et episcopi a Romanis pontificibus sui temporis constituti sunt. Catholicæ partis, dum vixit, studiosissimus fuit; Nicolao II contra Joannem Mincium; Alexandro II contra Cadaloum; et novissime Gregorio VII contra Gibertum constantissime favit. Quare a Gregorio ipso VII, paulo ante obitum suum, adstantibus cardinalibus, ipse qui designari deberet pontifex potissimus propropositus fuit, cujus virtute, collapsa fere teterrimo schismate Romana sedes restitui posset, et ad pristinum decus revocari.

D Gregorio VII rite sepulto, episcopi et cardinales, cæterique qui catholicam partem tuebantur, una mente ad eam fulciendam pro viribus incumbentes, quam plurimos potuerunt ad comitia pontificia ex omnibus partibus evocarunt. Ubi plerique venerunt. Desiderius ipso die Pentecostes, omnes, quid Gregorius de ordinanda Ecclesia præcepisset, edocuit; pariter cum eis principes adiit, atque ad opem Ecclesiæ necessario maxime tempore afferendam exhortatus est. Ea re cognita, cardinales atque episcopi omnes in unum Desiderium consenserunt.

Quorum ille repudiato judicio, ad monasterium se retulit, et Romanos ac Lombardos quoscunque potuit litteris ac nuntiis ad complectendam Ecclesiam concitavit. Ubi vero calores æstatis deferbuerunt, Jordanes princeps Desiderium Romam perducere conatus est, eo animo ut ipsum etiam reluctantem pontificem declararet; quod persuadere non potuit, atque ita res pontificia illo anno prorsus refrixit. Pridie autem Pentecostes, comitiis advocatis, omnes clerici et laici catholicæ patris fautores ipsum orarunt ut Romanum pontificatum suscipere vellet, neque Ecclesiam Dei ab adulterino teneri pontifice pateretur. Ille vero, eadem qua ante constantia, preces eorum repudiavit; seque omnia passurum potius quam tantum onus accipere respondit. Qua voce audita, quia serum erat diei, omnes domos suas abierunt. Postridie vero, obsecratus ut quem idoneum maxime indicaret, exprimeret, ille, re cum Cincio Romano consule communicata, Ostiensem episcopum nominavit; plerisque in Ostiensem inclinantibus. Tunc vero cardinalis quidam: Ne Deus siverit, inquit, quin Desiderium pontificem habeamus! Qua voce erecti cæteri Desiderium uno consensu prehenderunt, et ad ædem S. Luciæ perduxerunt, et rite electum, ac Victoris III nomine affectum, chlamyde coccinea exornarunt: albam enim non potuerunt renitenti imponere. Post quatriduum Victor, Roma egressus, Ardeam et Terracinam adiit, ibique pontificem esse nolle professus, crucem, chlamydem et cætera pontificia ornamenta deposuit, et Casinum reversus, neque a Jordane, neque ab episcopis aut cardinalibus ulla ratione Romam reduci potuit. Conventus Capuæ actus est per quadragesimam anno 1087. Eo peracto, repente clerici et laici omnes novis illum sollicitare precibus institerunt, ut pontificiam dignitatem resumeret. Quos cum per biduum sprevisset, demum duce, principe, episcopis et cardinalibus ad pedes ejus obsecrandi causa procumbentibus cessit, ac XII Kalendas Aprilis in festo Palmarum, superiora comitia, cruce et chlamyde resumpta, confirmavit. Paschate deinde Casini celebrato, cum Capuano et Salernitano principibus ad urbem pregressus extra porticum sancti Petri consedit, atque ædem quam Clemens antipapa tenebat, egregia suorum opera usus, recepit, VII vero Idus Maii, id est ipsa post Ascensionem Dominica, Romanis in Vaticanum egressis, ab Ostiense, Tusculano, Portuensi, et Albanensi episcopis rite consecratus, in diaconiam S. Luciæ ad Septisolium atque sacra in sede locatus est. Post octo dies Casinum reversus, et inde ad preces Mathildis urbem repetiit, ubi officiosissime exceptus, per octo dies in Vaticano mansit, atque in festo S. Barnabæ, rem divinam in æde S. Petri fecit, atque eodem die auxilio Mathildæ Urbem intravit, et apud insulam quæ juris sui erat insedit. Pridie vero Natilitia apostolarum, Clemens antipapa cupiens in æde S. Petri sacra ex more conficere, Romanos quosdam induxit ut Tiberim armati trajicerent, templumque occuparent. Qui cum cætera loca cepissent, templum tamen quod a Victorianis tenebatur, ingredi nequiverunt; itaque Clemens meridie in æde S. Mariæ in turribus celebravit.

His rebus actis, Victor, ut Sarracenorum qui in Africa erant, insolentiam frangeret, consilio cum episcopis et cardinalibus habito, ingentem ex omnibus Italiæ partibus exercitum convocavit, ac vexillo B. Petri tradito, et plenaria indulgentia concessa, in Africam misit, ac per eos centum millia hostium cecidit, et urbem eorum maximam cœpit. Neque victoria ulla per hæc tempora fuit insignior; quippe eodem die in Italia nuntiata quo est in Africa comparata. Henricus in Germania, sinistro marte cum Saxonibus dimicans, quatuor millia militum amisit, Deo volente: ut tandem desisteret Ecclesiam suam persequi et calamitatibus vexare. Sunt qui hoc tempore multa prodigia apparuisse scribant, et aves domesticæ, ut puta gallinæ, anseres columbi, pavones, ad loca montana confugerint, silvestresque sint factæ, et pisces tum fluviales, tum marini, ex parte perierint. Terræ motu etiam quædam urbes adeo concussæ sunt, ut Syracusis magna basilica corruens, dum vesperæ celebrarentur, omnes qui in templo aderant contriverit, duobus tantum divinitus superstitibus, diacono scilicet et subdiacono. Sunt qui dicant hoc tempore corpus S. Nicolai ex Myrea Lyciæ civitate, Barum Italiæ urbem translatum, postquam ibidem 745 annos quieverit, maximoque cultu et honore habitum, ut Marianus Scotus, vir magnæ doctrinæ singularisque vitæ, in sua Historia conscribit.

Inde Victor adversus Clementem pseudopapam et factionem ejus conversus, Augusto mense anno 1087 conventum Beneventum indixit, omnibus Apuliæ et Calabriæ episcopis advocatis.

Dum synodus Beneventana adhuc peragеretur, pontifex gravi dysenteriæ morbo laborare incipiens triduo post festinus ad Casinense cum episcopis et cardinalibus rediit; quibus, mortem sibi imminere sentiens, petiit ut juxta Gregorii papæ voluntatem Othonem episcopum cardinalem Ostiensem, se mortuo, papam constituerent; quem astantibus cardinalibus et episcopis manu offerens ait: Accipite eum, et in Romana sede locate, meamque vicem in omnibus, quibusque id facere possitis, habete. Quibus dispositis, triduo post feliciter in eodem cœnobio migravit ad Christum XVI Kalend. Octobris, anno 1087.

Sunt qui scribent eum veneno, sibi in calice dato, dum sacra faceret, imperatoris et pseudopapæ insidiis mortuum, quod ipsum non est a dysenteriæ morbo alienum. Unde in dysenteriam veneno petiti vertuntur interdum, corruptis et labefactatis intestimis. Vacavit tum sedes, propter temporis difficultatem, menses quinque, et dies 22.

Corpus ejus in capitulo Casinate, cujus monaste-

rii ante pontificatum abbas fuerat in sepulcro marmoreo, hoc elogio addito, sepultum est.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantusque doceri,
Si quis forte velit, aurea scripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneventus patria, nomen
Est Desiderius, tuque, Casine, decus:
Intactam sponsam, matrem, patriamque, propinquos
Spernens [MANSI, *sternens*] *huc propero, monachus* [*efficior*].
Abbas dein factus, studui pro tempore totum
Ut nunc aspicitur, hunc renovare locum.
Interea fuerum Romana clarus in urbe
Presbyter Ecclesiæ, Petre beate, tuæ,
Hoc senis lustris minus anno functus honore,
Victor apostolicum scando dehinc solium,
Quatuor et semis vix mensibus inde peractis
Bis sex lustra gerens,, mortuus hic tumulor.
Dolis virgineo stabat lux ultima signo,
Cum me sol verus hinc tulit, ipse Deus.

NOTITIA ALTERA.

(MANSI, *Concil.* tom XX, pag. 630.)

Victor, patria Beneventanus, nobili stemmate prognatus, cui nomen, ante Desiderii fuerat, consilio Gregorii septimi jam morituri, post interregnum unius ferre anni, ex monacho, Cassinensi et episcopo Ostiensi electus est pontifex ejus nominis tertius, anno Christi Redemptoris 1086. Consecratus septimo Idus Maii anni sequentis, adversus improbos Saracenos Italiæ littora jugiter infestantes, Christianosque captivos abripientes, militarem expeditionem convertit. Qua fortuna, quave prosperitate, Leo Ostiensis his verbis enarrat: Consilio itaque cum episcopis et cardinalibus habito ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illisque vexillum beatri Petri apostoli tradens, sub remissione peccatorum omnium contra infideles impiosque in Africam dirigit. Christo itaque duce ingressi Africam centum millia pugnatorum occiderunt, urbe illorum præcipua capta et occisa. Porro ne quis ambigat hoc Dei nutu contigisse, suo die Christiani victores evasere, eo etiam Italiæ nuntiata victoria est. Post Guibertum aliosque schismaticos synodali sententia condemnatos et excommunicatos, feliciter, inquit idem Leo Ostiensis, migravit ad Dominum XVII Calendas Octobris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo septimo. Sepultus est in ipsa capituli abside, ubi triduo ante obitum sibi sepulcrum præparari mandaverat. Epitaphium, quod sepulcro ejus inscriptum erat, apud Leonem Ostiensem invenitur his versibus contentum. (*Vide supra in notitia priori*).

NOTITIA DIPLOMATICA.

(JAFFE, *Regesta Romanorum pontificum*, 447).

Una quæ superest Victoris III bulla, data est *per manus.... Signiensis episcopi, Romanæ vero Ecclesiæ bibliothecarii.*

DE GESTIS DESIDERII

ABBATIS MONTIS CASSINI, POSTMODUM VICTORIS III PAPÆ

(MABILL. *Acta Bened*, IX, 585).

Desiderius Stephani abbatis Casinensis morte plenum abbatiæ regimen adeptus est. Quartus monasterii fundator a Leone Marsicano appellatur, cujus vitam et præclare gesta cum suo continuatore fuse prosequitur in libro Chronici Casinensis, qui totus est de abbate Desiderio. Vitam exinde mutuabimur, omisis iis quæ ad rem nostram minime pertinebunt, sic itaque Leo prologum exorditur:

« *Gesta Desiderii ex Chronico Casin. — Auctoris fides.* Desiderius, abbas ujus monasterii tricesimus septimus, et quartus hujus loci restaurator ac renovator, sedit annis viginti novem, mensibus quinque. Primus siquidem monasterii hujus fundator atque constructor fuit Pater sanctissimus Benedictus, Petronax secundus, tertius Aligernus; Desiderius hic noster exstitit quartus; in quo vide-

licet omnipotens Deus nostro hoc tempore etiam corporaliter evangelicam illam pollicitationem visus est adimplere, qua dicitur: « Amen dico vobis, quod omnis qui reliquit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth* XIX) » Hujus plane admirabilis et singularis vere sui ordinis viri tam dives, tam multiplex, tam denique copiosa est gestorum materia, ut ipsi Hieronymo, si adesset, vel Sulpicio non posset videri ad scribendum indigna. Ego tamen, quamvis omnium imperitissimus, et tanto sim operi nequaquam sufficiens, tum pro imperio sanctissimi Oderisii, *is est ipse qui Desiderio in monasterii regimine successit*, minime contemnendo, tum pro maxima quam idem Pater Desiderius in me ab ipsa fere infantia habere dignatus est dilectione; cum me vixdum quatuor et decem annos egressum in hoc sancto loco quam libenter suscepit, instruxit, enutriit ac provexit. Cernens insuper et dolens cum tanti utilitate operis memoriam quoque tanti viri scriptorum negligentia paulatim in oblivionem, ac per hoc in contemptum fore venturam; licet non decenter, licet non eleganter, licet denique non sufficienter valeam ejus opera ex toto complecti, aggrediar tamen, confisus de auxilio Dei, quoque modo illa perstringere, et ad gloriam Dei tantique viri sanctam memoriam, necnon ad solatium filiorum ejus, fratrum nostrorum, litteris utcunque mandare; æquius utique judicans cum obedientia et devotione inscitiæ notam subire, quam de tam pretiosa materia ex toto silere, et indignum prorsus esse decernens ut, etsi omnia nequeo, vel aliquanta non studeam de tot tantisque operibus ejus referre, prudentissimo utique more venantium insectantium feras, qui etsi omnes capere nequeunt, nequaquam tamen quotquot possunt capere negligunt. Et quoniam plurima prorsus et fere innumera tanti viri sunt opera, multa me ex ipsis etiam quæ scio prætermissurum confiteor, quoniam scribere si omnia voluissem, prolixam certe et enormem Historiam condidissem; quamvis ob hoc a multis nostrorum, qui mecum, pariter illa recolunt, me redarguendum fore non dubitem. Sed ego lectorum fastidio utuliter consulens, si ea tantum quæ relatu essent dignissima scriberentur sufficere judicavi. Nam qua minus nostris litteris reperiuntur, in ejus operibus luce clarius conspiciuntur. Hujus sane viri primordia, quoniam, opitulante Christo, hinc exordium sumere gestio, ab his qui ejus ab incunabulis exstitere sodales, addidici. Multa præterea ex ejusdem ore veridico, cum me frequenter sibi nimia bonitate faceret adhærere, percepi; nonnulla etiam a prioribus quibusdam audivi; cætera postremo illius et oculis propriis plurima vidi, et universis fere usque ad obitum ejus interfui. Unde lectorem meum reddere certissimum volo nulla me in hoc opusculo extrinsecus additamenta facturum, nulla prorsus de illo, nisi veraciter comperta, scripturum, utpote qui me simplici intellectu legisse meminerim: « Perdes, Domine, omnes qui loquuntur mendacium (*Psal.* V, 7) » salvo utique intellectu alio quo dictum id de hæreticis affirmatur. Quod si forte aliquis, invidentia seu malitia ductus, fidem his accommodare noluerit, et favoris potius gratia huic rei me operam dedisse putaverit; huc, si placuerit, properans aperiat visus et videat; ac per ea quæ videntur, illa quoque quæ videri non possunt, semoto livore considerans admiretur et credat; credensque, bonorum omnium Largitori laudes super hoc et gratias referat, sicque tandem me de multis illius pauca, deque maximis minima prorsus scripsisse cognoscat.

Desiderii genus. Adhuc pueri pietas.—Desiderius igitur, ex nobilissima Beneventanorum principum origine sanguinis lineam ducens; spiritu potius quam carne nobilis esse ab ipsis rudimentis infantiæ cœpit, et Dei magis servitio quam sæculi vanitatibus operam dare ab ipsis, ut ita dicam, uberibus matris elegit. Studebat namque puerulus adhuc frequentare ecclesiam, divinas lectiones et audire libenter et legere, cum quibusdam etiam religiosis sæpe de his sermones innectere, et quæque ab eis de bonis moribus addiscere poterat, in semetipso satagebat exprimere. At pater illius sæcularibus cum negotiis cupiens implicare, et, utpote unicum, unice diligens, per posteritatis illius lineam suæ nobilitatis nomen disponeret propagare, puellam ei adæque nobilem, cum jam inciperet adolescere, studuit desponsare, utque parentela eadem adinvicem firmaretur modis omnibus maturare. Sed quoniam Dei Spiritus suo igne cor Desiderii ad mundi contemptum accenderat, e contrario longe aliter quam pater disposuerat agere puer egregius destinabat, seque potius eremum quam nuptias appetere secretis quibus poterat gestibus indicabat, et fecisset suis desideris satis, nisi quod diligens parentum custodia et singularis amor ac sollicitudo ingens impediebat.

Fugit in eremum. Veste monastica induitur. — Non post multos dies, Dei judicio patre a Normannis perempto, Desiderius, aliquomodo nactus occasionem quam dudum optaverat, omnibus cœpit modis, clam licet, satagere ut desiderium, quod cogitatu conceperat, opere parturiret. Cuidam igitur monacho bene sibi noto, prudenti satis in sæcularibus viro, nomine Jaquinto, cujus hoc ego relatione percepi, consilium totum communicat, pandit votum, voluntatem ostendit, et ut ei super hoc fidenter auxiliaretur, fideli prece deposcit. Erat tunc circiter annorum viginti: Nosti, inquiens, mi pater, qualiter me sæculo huic misero propinqui innexuerint; sed quoniam, ut vere tibi fateor, jamdudum Deo vacare, decrevi, per ipsum te obtestor et obsecro ut, juxta quod scis et potes, his me vinculis exsolutum, Deo liberius serviturum clam omnibus ad aliquam remotissimam solitudinem transferas. Quid

multa? pollicetur in omnibus Jaquintus auxilium, sed cavere imperat ne forte sit hæc suggestio dæmonum. Verum cum ejus per omnia firmum in Christo pectus agnovit, et iterum iterumque illum frequentando pertentans idem semper quod pridem invenit, quadam die, jam circa vesperam, pariter ascensis equis, quasi spatiandi gratia civitatem egressi, consequentibus aliquot famulis, ecclesiam Beati Petri, cognomento Majoris, quæ juxta eamdem civitatem est sita, perveniunt; ibique quasi causa orationis ingressi, equos et gladium, quo idem Desiderius tunc erat accinctus, prædictis famulis pro foribus veluti servanda relinquunt. Inde jam sero per quamdam illius ecclesiæ posterulam vadentes, iter aggrediuntur, et cum non plus octo milliariis ab inde locus ille distaret ad quem pergere disposuerant, noctis errore simul ac pavore confusi, vix illuc alterius diei mane perveniunt. Quos cum vir Dei, qui solitariam inibi vitam ducebat, Santari nomine, conspexisset, valde miratus atque lætatus est; moxque inducens illos in cellam suam, ac Desiderium frequenter exosculans, cœpit solertor exquirere cur ita venissent. Cognita itaque Desiderii voluntate, vehementer obstupuit quod puer tam nobilis, tam delicatus, tam dives, et præcipue parentibus singularis, tam ferventer universis sæculi pompis ac vanitatibus spretis, sub tam districto proposito serviturus Domino accessisset. Sed quoniam nihil Deo difficile aut impossibile esse sciebat, laudes illi et gratias maximas referens, veterem hominem cum actibus ejus Desiderium, ipso vel maxime insistente, protinus exuit, et novum, qui renovatur in Dei cognitionem, illum consequenter vestivit, et, Jaquinto in sua maturius redeunte, solus Desiderius cum Santari solo remansit.

Vestis monastica ei vi aufertur.— Famuli igitur ejus, ut supra dictum est cum equis et armis ipsius frustra illum pro foribus ecclesiæ præstolantes, cum discessum illius tandem aliquando cognovissent vicina jam nocte ad civitatem maturius revertuntur matrique ac propinquis quid accidisset pavitantibus animis referunt. Noctem illam mater continuavit in lacrymis, propinqui vero et affines ipsius mane facto, equis ascensis, per diversas vicinias requirendi illum gratia disperguntur, ac tandem quod erat in re suspicantes probitatum ejus indicio ad Santari cellam deveniunt. Quam statim violenter ingressi veste illum monastica vestitum reperiunt, ac vehementer irati præfatum Dei servum contumeliis magnis et conviciis multis adoriuntur, et inhoneste satis sacram vestem Desiderium exuentes, manibus eam propriis scindunt, eumque priori veste revestiunt, invitum licet ac repugnantem; ac postremo illum equo impositum, ipsis lora tenentibus, quasi maximam ante se prædam agentes, ad urbem more triumphantium revertuntur. Hic jam matris lacrymas et querelas, simul ac suadelas frustra in Desiderium jactas, propinquorum, imo totius urbis tripudium quis referre contendat? Annum fere integrum sub ingenti custodia in domo matris, habitu tantummodo sæcularis, cæterum mente cælebs exegit; nullusque illi neque de nuptiis, neque de aliquo actu sæculari persuadere aliquatenus potuit. Ita quem fidelem ac strenuum domui suæ dispensatorem constituere Dominus disponebat, ab omni eum carnalis contagii macula purum immunemque servavit; unde non immerito a cunctis civibus mirabilis ac desiderabilis habebatur.

Fugit iterum. — Sed cum jam nulla fugæ ipsius suspicio matrem teneret, cumque, quoniam conjugatum non poterat retinere secum, vel clericum niteretur, ad episcopium, quod domui suæ satis erat contiguum, primo quidem non sine custodia, dehinc securitate crescente solum sæpius ire sinebat. Erat tunc in monasterio Sanctæ Sophiæ præpositus, nomine Siconolfus, qui Desiderii desiderium pleniter noscens, quoniam per diem, ne suspicio reviviscerct, non præsumebat, nocte cum eo apud episcopium sæpissime loquebatur. Post non multos dies noctu, sicuti consueverat, ad eum cum equis veniens, cuculla indutum clam Salernum perduxit, ac Beneventum perniciter rediit. Mox Desiderius ad principem Guaimarium, consanguinitate sibi propinquum, accedit, adventus causam ostendit, orat ut, quoniam in patria vivere monachus parentum pertinacia non auderet, quiete apud illum Deo sibi servire liceret. Si hoc mereretur impetrare, nusquam inde procederet; si vero aliquando illum reddere propinquis deberet, modo potius sibi licentiam daret alio properandi. Hujus igitur adventu nimis exhilaratus Guaimarius et vehementer admiratus tantum in tanto adolescente fervorem, annuit postulatis; cumque secum per dies aliquot retinens, nullique se contra votum reddendum fidissime pollicens, demum ad monasterium sanctæ Trinitatis, quod ad Cavam nuncupatur, non longe a Salerno situm, eodem petente transmisit. Quod propinqui persequentes (*al.*, præsentientes), magnis ac frequentibus precibus Desiderium sibi reddi Guaimarium interpellant; sed, principe in promissione quam Desiderio fecerat, permanente, per semetipsum Landulfus Beneventanus princeps, matris ac propinquorum rationibus fatigatus, Salernum venit, et Desiderium affinibus reddi deposcit. *Porro monasterium Sanctæ Sophiæ erat haud procul a muris Beneventanæ urbis situm, ab Arichi Beneventano duce pro sanctimonialibus conditum, ut fusius exponit ipse Leo in Chronici libro 1, cap. 9; postea ad viros transiit, monasterioque Cassinensi diu fuit subditum, ut habet idem auctor. Ejus monasterii Chonicum edidit Ughellus ad calcem, tom.* VIII *Italiæ sacræ, quod tandem post varias fortunas unitum est a Clemente* VIII, *anno 1590, congregationi canonicorum regulariumsancti Salvatoris Bononiensis, ut monet Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ. De monasterio Cavensi inferius memorato passim agitur in hoc et superiori tomo.*

Redire cogitur. In monast. S. Sophiæ suscipitur.

— Tali igitur tandem aliquando conditione ad Beneventum redeat impetratur, ut sine alicujus impedimento vel contradictione apud monasterium Sanctæ Sophiæ sub monastica professione sibi manere liceret. Postquam ventum est Beneventum, universis affinibus sibi obviam simul cum civitate ruentibus, cum omni pariter comitatu princeps illum ad monasterium est prosecutus. Gregorius, tunc vir valde prudens et strenuus, eidem monasterio præerat in abbatem, qui Desiderium multa hilaritate recipiens, pro eo quod universis desiderabilis erat, tunc primum, mutato ejus nomine, Desiderium appellari præcipit; nam usque ad id tempus Danferius vocabatur.

Transit in monasterium Tremittense. Tum in eremum. Cogitur redire. — Ibi ergo illo per annos aliquot sub vita religiosissima commorante, et sæpe secum reputante monachum in sua patria perfectum esse non posse, pervenit interim ad notitiam illius fama monasterii Tremittensis, quod videlicet in Adriatico mari apud insulam, Diomedis quondam nomine vocitatam, triginta circiter milibus a terra distans, situm esse dignoscitur. Et quoniam jam dudum apud Beneventum familiaritatem abbatis prædicti loci adeptus fuerat, vix, licet impetrata licentia, illuc perrexit; ibique satis austeræ conversationi se tradens, non parvum tempus exegit. Sed cum ab eodem abbate adeo diligeretur ut eamdem ei abbatiam, se quoque vivente, contradere cuperet, ille vero subjectioni potius quam prælationi mentem accommodaret, ac propterea cedendum loco illi decerneret, quodam tempore idem abbas ad res monasterii disquirendas egrediens, eumdem Desiderium secum ire rogavit. Quam ille egressionis opportunitatem libenter amplexus, minime differendam putavit. Cumque pariter ad Transmundi comitis, quoniam res ita poscebat, curiam perrexissent, uxor ejusdem comitis super adventu Desiderii, propter quod ejus affinis esset, valde exhilarata, a viro suo ut secum illum aliquandiu retineret, etiam invito abbate, obtinuit; cujus videlicet retentionis auctor ipsemet, ut dicit, exstitit. Audiens autem celebre tunc nomen eremitarum Majellæ degentium, illuc properare ac Deo secretius servire desiderans, prædictum comitem ut ibidem transmitteretur oravit; quod et factum est. Ubi cum tribus circiter mensibus, a principio videlicet Februarii usque in tertiam post Pascha Dominicam, sub ingenti continentia remoratus fuisset, transmissus est illuc supra nominatus Jaquintus cum litteris ex parte apostolici ad eremi ipsius Priorem, quarum tenore priori sub interminatione jubebat ne illum amplius retinere præsumeret; et illi nihilominus mandat ne vel aliquantas inibi moras innectere auderet. Ita regressus ad Sanctæ Sophiæ monasterium est.

Leoni Papæ fit notus. Alfano junctus. — Non post multos dies, dominus Leo papa sanctissimus a partibus ultramontanis regressus Beneventum intravit, et, quoniam Desiderius jamdudum Humberto Silvæ Candidæ episcopo cognitus et nimis charus exstiterat, tam per illum quam et per Fridericum tunc cancellarium, eidem papæ notus et valde familiaris efficitur, adeo ut illi frequenter in altaris officio adhæreret et Evangelium ad ejus missas sæpius legeret. Per idem tempus præfatus pontifex descendit in Apuliam cum Normannis dimicaturus; sed Dei judicio ab his superatus, ac Beneventum regressus, ordinato Vodelrico archiepiscopo quem secum adduxerat, post novem circiter menses Romam reversus atque defunctus est. Interea Desiderius, ob nimiam abstinentiam multasque vigilias in languorem non modicum decidens, medendi gratia Salernum perrexit. Ibi itaque illo aliquandiu remorante, Alfanus, qui postmodum ejusdem civitatis archiepiscopatum adeptus est, prudentissimus et nobilissimus clericus, maxima illi est familiaritate conjunctus, cujus animam frequentibus monitis ad mundi contemptum exhortans, sic tandem ab illo exegit ut monachus fieret, si prius, ut jamdudum mente conceperat, Jerosolymam ire permissus fuisset. Hac inter illos sponsione firmata, Beneventum reversus Desiderius est, atque post non multos dies mandat eidem Alfano ut ad se veniat. Renuente illo ac potius pavitante Salernum egredi, iterum Desiderius ad illum abiit, eumque, propter quorumdam inimicantium illi timorem, cuculla sua indutum noctu de civitate educens, secum Beneventum adduxit. Cum vero cœpissent Alfanum nobiles quique viri ac clerici frequentare, eumque ob maximam ejus prudentiam decenter excolere, propositum autem Jerosolymitanæ viæ paulatim cœpisset et in ejus mente tepescere, seque a Desiderii latere nullo unquam modo, nullo unquam tempore assereret velle dividere, tempus ab his aliquantum apud monasterium Sanctæ Sophiæ exactum est.

Victorem papam invisit, et Cassinum secedit. — Cum ecce fama percrebruit Victorem papam ab ultramontanis partibus Romam venisse, eumque ad partes istas in proximo venturum fore. Territus Alfanus hujusmodi nuntio, quod fratres suos super Guaimarii principis occisione insimulandos procul dubio nosset, præoccupare statuit apostolicum, secumque ire orat suppliciter Desiderium. Et quoniam miram cantandi peritiam et medicinæ artis scientiam non parvam habebat,, ejusdemque artis codices nonnullos secum a domo detulerat, magni aliquid se habendum in summi pontificis curia omnimodis confidebat. Confectis igitur atque aptatis quotquot potuit medicaminibus, una cum civitatis ipsius archiepiscopo ad Romanum pontificem in Tusciam proficiscuntur, eumque apud Florentiam remorantem reperiunt. In brevi itaque maximam apud illum familiaritatem adepti, et satis honorifice habiti sunt. Sec cum ibi per tempus aliquantum remorati, pro certo Desiderius comperisset papam minime ad partes istas venturum, insuper etiam ultra montes proxime profecturum, simulque valde inutilem esse proposito suo considerans in ejusdem

pontificis curia conversationem, cœpit omnimodis instare Alfano ut jam jamque peteret ab eo licentiam revertendi. Petrus ante non multos dies huic monasterio electus fuerat a fratribus in abbatem, qui pro sua ipsa ordinatione insinuanda duos hujus loci ad papam tunc fratres transmiserat. Igitur Desiderius optata jamdudum opportunitate reperta, accedit pariter cum Alfano ad Romanum pontificem, simulque pedibus illius prosternentes, orant recedendi licentiam, adduntque petentes ut gratia religiosius vivendi, per monachos qui ad eum a Cassinensis monasterio venerant, illuc eos transmittere suisque litteris illos abbati dignaretur ac fratribus commendare. Annuit apostolicus, atque ita, sicut poposcerant, cum fratribus illis ad hoc cœnobium transmissi sunt. Receptique decenter ab abbate, et fratribus sociati, honeste nimis atque humiliter inter illos aliquandiu conversati sunt, et ab universis in dilectione plurima habiti, necnon et monasticam ab eodem abbate consecrationem adepti, Friderico super eorum adventu plusquam satis est gratulante.

Visio. Monasterio Capuæ præponitur. Alfanus. — Viderat per hos dies Desiderius visionem non contemnendam, quam satis proxime rei commendavit effectus. Cernebat siquidem se una cum Alfano in quadam excelsa ac valde pulcherrima turre, quæ juxta capitulum fratrum sita esset, consistere, in qua nimirum Pater Benedictus videbatur sede decentissima residere. Cumque ad illius visionem stupefacti paverent, et accedere propius nequequam præsumerent, beatus Benedictus Desiderio hilariter innuebat, eumque juxta se sedere manu porrecta jubebat. Alfanus vero, quoniam vocatus ab eo non fuerat, quasi indigne ferens, de domo illa exibat; quæ nimirum visio manifestissime portendere visa est et Alfanum in loco hoc non diu remoraturum et Desiderium Benedicti patris vicem in hoc monasterio suscepturum. Non multo post igitur a Gisulfo principe Alfanus expostulatus, primo apud Salernum in monasterio Sancti Benedicti abbas effectus, dehinc ejusdem civitatis archiepiscopatum indeptus est; Desiderius vero ad Capuanum monasterium est transmissus præpositus. Richardus tunc Versanus [Aversanus] comes Capuam expugnabat; sed, cum Pandulfus, ipsius civitatis princeps, indigna quædam et superflua, juxta priorum temporum consuetudinem, Desiderio vellet injungere, ille constanti, ut erat, pectore nequaquam in his ei congruum duceret assentiri, Capuam egressus ad Richardum accessit, et omnium quæ extra civitatem erant monasterio pertinentium ab eo securitate accepta, et maxima insuper illi ex tunc fœderatus amicitia, in obedientiis ejusdem monasterii aliquandiu remoratus est, paucissimis in monasterio relictis fratribus, et cæteris ad se accersitis. *Alfanus hic memoratus celebris est inter auctores ecclesiasticos, ob varia opuscula, quæ Petrus diaconus recenset in libro De viris illustribus Casinensibus, cap. 19. Plura de eo et ejus scriptis observavit Marus in notis ad hunc Petri diaconi locum. Eumdem laudant Trithemius, Baronius, Vossius, et alii passim. Ejus vero nonnulla opuscula edidere Martinengius, Ughellus, Surius,* etc. *Ab Arnoldo Wione dicitur inter sanctos relatus sed ejus nomen in ullis fastis sacris reperire non licuit. Cæterum Desiderius ecclesiam Sancti Benedicti intra Capuam renovavit, ut dicitur in libro* IV *Chronici, cap.* 33, *quam sub Oderisio abbate Paschalis* II *papa consecravit. Hæc abbatia sub Leone X in collegium canonicorum mutata est, cui aliquandiu præfuit abbas sæcularis. Postea Clemens VIII eam cardinali Bellarmino archiepiscopo Capuano commendavit. Quo tandem agente, et annuente Paulo V, ad Jesuitas transiit, ut narrat Michael monachus in Sanctuario Capuano, qui ait eam ecclesiam, antequam ad Patres Societatis perveniret, picturis antiquis et musivis ornatam fuisse; in cujus abside hi tres versus legebantur.*

Hoc Desiderius, qui et Victor, præsul et abbas,
Cœpit opus, quod Oderesius optimus abbas
Complevit, Benedicte, tuum decorans ad honorem.

Stephanus X papa. Desiderius abbas Cassini eligitur. A papa mittitur CP. *Moritur papa.*—Dehinc, cum prædictus Fridericus, in abbatem hujus loci electus, demum vero in Romanum pontificem ordinatus fuisset, Romam ad illum mense Augusto cum duodecim aliis loci hujus fratribus, nominatim ab ipso vocatus, perrexit, ibique Romana febre perculsus, post paucos dies huc rediit. Cum autem idem apostolicus ad monasterium hoc post quatuor circiter menses venisset, non multo post gravi languore detentus, atque ad extrema fere perductus est. Accersitis itaque cœnobii hujus prioribus, dat optionem illis in abbatem eligendi quem vellent. Qui cum habito ad invicem consilio, nunc, illum, nunc alium, ut in talibus consuetudo est, eligendum censerent, communis tandem universorum consensus in Desiderium expetendum aspirat, et ut ipse illis in Patrem concederetur communibus votis papam exorant. Cumque satis sibi placere eamdem electionem apostolicus asseruisset, nam et olim a tempore Leonis papæ optime illi apud Beneventum notus exstiterat, et ex quo Petrus abbas eumdem Desiderium ante non plenum biennium receperat, multa se illi familiaritate devinxerat, ita quidem ut in camera erat, fratrum electionem confirmavit, dicens quod, quamvis plures eo tempore religiosos ac spirituales viros, multaque honestate et prudentia præditos, monasterium hoc haberet, neminem tamen magis idoneum eligere ad id officium de suo collegio potuissent. Et quoniam, dum ipse adviveret, nulli se mortalium eamdem abbatiam traditurum decreverat, Desiderium vero ad Constantinopolitanum imperatorem jamdudum Romanæ sedis apocrisiarium facere disposuerat; constituit ut, si idem Desiderius se superstite reverteretur, ipse illi vellet abbatiam contradere; si vero ante illius reversionem defunctus fuisset, redeuntem illum absque ali-

qua contradictione in abbatem congregatio universa reciperet. Stephanum itaque cardinalem, et Mainardum, postmodum Silvæ Candidæ episcopum, illi socios itineris donans, et in epistolis quas imperatori mandabat Cassinensis abbati electum commemorans, emisit a se, præcipiens ut expleta legatione reverti quam posset citius festinaret. Desiderius igitur, injunctum sibi officium perficere satagens, assumptis quæque essent tanto itineri necessariis, simul cum sibi traditis sociis iter aggressus, ad monasterium sancti Joannis, quod appellatur in Veneris, ut ibi mare ingrederetur, profectus est. Cum autem per dies aliquot ibi frustra remoratus fuisset, et propter aeris inclementiam mare ingredi nequaquam præsumeret, Sipontum inde contendit; ibi navem, qua Barim navigaret, ingressus, per quemdam episcopum, qui orationis gratia montem Garganum adierat, fratribus se commendari seque mare ingressum illis significari rogavit; sed cum apud Barim quoque causa tempestatis aliquandiu restitisset, alium item nuntium huc dirigere studuit, per quem videlicet significando mandabat, ob temporis intemperiem usque ad illam diem apud Barim morari. Contigit autem dispositione divina quæ illum ad loci hujus recipiendum honorem hactenus retardaverat, ut eo die quo idem nuntius huc applicuit, eo quoque die fratres nostri, qui cum papa profecti fuerant, illo apud Florentiam defuncto atque sepulto, rediissent. Mox itaque nostri consilio habito, duos fratres, qui Desiderium revocare nuntiata apostolici morte deberent, festinanter transmittunt.

Mortuo papa, infecto itinere Cassinum redit. Abbas constituitur. — Jam tandem Desiderius sufficienter necessaria quæque itineri cœpto paraverat, jamjamque simul cum Argiro Barensium magistro navigare disponebat, cum ecce ipso Palmarum Dominico circa vesperam eosdem nuntios a nostris directos accepit, defunctum apostolicum, et se ad revocandum illum festinanter transmissos ab universis fratribus asserentes; rediret ergo quantocius, et regimen monasterii, prout Dominus ordinaverat, cunctis se desiderabiliter præstolantibus, sumeret. Obriguit Desiderius tam subita apostolici morte perculsus moxque sociis advocatis, aperuit quid nuntii detulissent; cœperuntque pariter cum Argiro satagere qualiter, antequam mors papæ divulgaretur, reverti valerent. Non enim dubitabant se, cognito ejus obitu, a Normannis vel capiendos vel disturbandos. Redemptis igitur protinus, seu acquisitis pro se ac sociis aliquot quibus veherentur jumentis, secunda feria post Palmas iter aggredientes, venerunt ad Robertum Viscardum, tunc quidem Normannorum tantum Apuliæ comitem, postmodum vero totius Apuliæ et Calabriæ atque Siciliæ ducem, rogantes ut secure illis per terram ipsius transire liceret. Qui, ut fuit vir maximæ bonitatis, licet jam papæ transitum compertum haberet, et securitatem illis concessit,

A et tres Desiderio equos, quibus adhuc indigebat, largitus est. Ita Deo in omnibus prosperante, sine aliquo impedimento reversi, ipso paschali Sabbato jam tardiuscule ad civitatem Sancti Germani applicuerunt. Dominica vero sancti Paschæ valde diluculo huc ascendentes, de more monasterii capitulum fratrum ingressi sunt, præsidentibus Humberto Sanctæ Rufinæ, et Petro Tusculanensi episcopis, et Stephano cardinali, ac Mainardo Desiderii sociis. Nam prædicti episcopi, Humbertus et Petrus, ut longe jam supra retulimus (*lib.* II, *cap.* 101), a Roma tunc Mincii ordinationem fugientes, Beneventum Pascha celebraturi pergebant; sed, Deo ordinante, gratia tantæ festivitatis a nostris prioribus invitati atque retenti fuerant. Post solemnem itaque diei tanti sermonem, mox Humbertus totius illius ordi-
B nationis optime conscius, Desiderium advocat, eique, quemadmodum olim fuerat a papa dispositum, obedientiam abbatiæ recipere ex parte fratrum omnium imperat. Nulla in medium mora, nulla exspectatio responsionis, protinus universi surgentes eumdem Desiderium acceperunt, atque cum maximis laudibus ad ecclesiam deportantes, in sede illum abbatis honorifice locaverunt, universis, tum pro solemnitate paschali, tum pro ipsius ordinatione, immensa lætitia et jocunditate repletis. Anno scilicet Dominicæ Incarnationis 1058.

Monasterii ædificia reparat. — Igitur abbatia suscepta Desiderius cœpit modis omnibus studere atque satagere ut quod dicebatur, dici veraciter posset. Cernens itaque totius monasterii officinas et
C angustas ambitu et forma deformes, et cum vetustate tum inertia ruinosas, adeo ut et contiguo viderentur omnes domate coopertæ, et egressus unius ingressui connexus esset alterius, incitabatur quidem animo illas aggredi ad renovandum; sed angebatur iterum, quia, ut tam arduum inciperet opus, nihil fere pensi habebat. Primo itaque quasi experiri cupiens, si quid valeret, palatium, quod dudum Richerius abbas ab orientali parte monasterii inchoatum ad solarium usque perduxerat, opere satis decente perfecit, justaque ipsum versus ecclesiam, parvulam quidem, sed competentem plane, in qua libri reconderentur, ædiculam fabricavit. Quod cum sibi prospero eventu cerneret obvenisse, domum etiam in qua abbates manere consueverant, quæ videli-
D cet a septentrionali parte adhærens ecclesiæ, et vilissimis ligni furculis ab inferiori parte sustentata et viminibus ex parte maxima videbatur constructa, a fundamentis ædificare instituit, adjuncto illi palatio cum absida, quod veteres Todericum appellare solebant. Dehinc, inspirante ac prosperante Deo, mansionem etiam illam quæ fratres quiescentes diversis præ sui exiguitate solariis continebat nihilo segnius renovare aggressus est, in latere scilicet prioris a meridiano, quam funditus evertere ob claustri spatium disponebat. Nam propter ipsius montis verticem cui nulla fere constabat planities,

vix in hoc loco parvissimi claustri speciem juxta absidam ecclesiæ priores effecerant. Perfecta est igitur eadem domus in longitudine cubitorum sexaginta et centum, in latitudine vero cubitorum viginti et quatuor, in altitudine autem, propter ipsius montis inæqualitatem, quantitatis diversæ, maximæ tamen; eamque abietinis trabibus satis pulchre contignans, lateribus cooperuit, diversisque coloribus decoravit. Nihilque moratus, pari tenore vetus capitulum funditus diruens, renovavit, illudque gypsea urna in gyro, vitreisque fenestris, ac pulchro variorum marmorum pavimento decorans, tegulis nihilominus cooperuit, et nimis venusta colorum varietate depinxit.

Castellum novum fundat. — Hoc in capite Desiderius dicitur castellum novum, Adenulfi Cajetani B ducis *ope construxisse adversus* oppidanos Frattenses, *qui* Minturnensibus *et vicinis oppidis Cassinensis ditionis infesti erant, cum frustra* eos rationibus ac beneficiis sedare *tentasset.*

Fit cardinalis presbyter; vicarius sedis apost. Concil. Melfitanum.—De Nicolai papæ, qui Stephano successerat, ordinatione agit. Ille autem pontifex mandat ad hoc monasterium, *uti prosequitur Leo* quatenus domus abbas sibi in marchiam proficiscenti quam citius potest occurrat, videlicet ut proximo Martii mensis jejunio, et presbyteri gradum et cardinalatus pariter officium recipere debeat. Dominica igitur prima Quadragesimæ, paratis omnibus necessariis, iter arripiens, apud Farfense monasterium apostolico se conjunxit, ubi nimis ab eo amicabiliter honorificeque receptus, Auximum simul cum ipso profectus est. Ibidem itaque secundo Quadragesimæ Sabbato, quod tunc pridie Nonas Martii evenit, cardinalis presbyter ab eodem apostolico ordinatus, et sequenti Dominica abbatiæ consecrationem adeptus, privilegium ab eo satis honorificum, juxta consuetudinem prædecessorum suorum recepit. Quo insuper, ad cardinalatus videlicet ejus dignitatem et honorificentiam Patris sanctissimi Benedicti, per totam Campaniam et Principatum, Apuliam quoque atque Calabriam, ab ipso fluvio Piscaria, sicut fluit in mare, vicem suam idem apostolicus illi concessit. Post hæc, accepta licentia remeandi, Romam veniens, proxima Dominica mediantis Quadragesimæ apud ecclesiam beati Petri missam solemniter celebravit, atque Romanorum turba innumera comitatus ad titulum Sanctæ Cæciliæ trans Tiberim maxima cum laude deductus est; sicque ad hoc monasterium in beati Benedicti est festivitate reversus. Et quoniam ab eodem pontifice paschalis festivitatis gratia invitatus fuerat, Romam reversus, post festum Urbem egrediens, Melfiam Apuliæ urbem perrexit, ubi tunc idem apostolicus concilium celebrare disposuerat; in qua etiam synodo, dum Richardus Capuanus princeps cum aliis quampluribus interfuisset, a supradicto papa Nicolao admonitus, præceptum fecit beato Benedicto de monaste- A rio Sanctæ Mariæ in Calena cum pertinentiis suis. *Præceptum hic laudatum exhibet Angelus de Nuce in notis,* datum x. Kal. Septembris, anno principatus Richardi secundo. *Illud porro monasterium juxta Vestiam civitatem situm Eugenius IV, anno 1446, Lateranensi canonicorum regularium congregationi univit, ut observat Lubinus in notitia abbatiarum Italiæ.*

Monasteria Salerni. — Tunc temporis Gisulfus Salernitatus princeps, Desiderio super hoc conquerenti, reddidit, huic sancto loco cellam Sancti Benedicti de Salerno, quod a jure nostri cœnobii Salernitanorum eatenus violentia subtraxerat. Sed cum exinde subducto abbate, præpositum ibi juxta morem cellarum nostrarum constituisset, salernitani, nimis hæc indigne ferentes, eidem principi instare cœperunt ut monasterium illud ordinatum sicut antea fuerat esse permitteret. Coactus itaque princeps illorum rogatu, monasterium Sancti Laurentii, intra civitatem Salernitanam constructum, sibi hæreditario jure pertinentem, in hoc monasterio ex integro obtulit, nec tamen restitutionem, quam antea de supradicta cella fecerat, irritam fecit, etc. *Multa prosequitur de chartis monasterii Salernitani ad Cassinenses pertinentibus, quæ primum absconditæ ac tandem discissæ fuerant. Monasterium Sancti Benedicti, post varias fortunas, datum tandem fuit a Clemente VIII, anno* 1591, *monachis Olivetanis.*

Monachi ad dignitates evecti. Robertus et Richardus principes amici. — Sequenti tempore supradictus pontifex iterum ad has partes deveniens, C domnum Oderisium, Oderisii, Marsorum comitis, filium, et loci hujus a puero monachum, diaconum in Lateranensi ecclesia apud Acerras positus ordinavit. Postmodum autem in Aquinensi civitate, deposito episcopo, nomine Angelo, eo quod neophytus et rerum ecclesiasticarum male prodigus erat necnon et quibusdam nequitiis suis a sanctæ memoriæ papa Leone jamdudum excommunicatus exstiterat, domnum Martinum, Florentinum genere, religiosum plane atque prudentem de hujus loci prioribus monachum, episcopum consecravit. Petrus etiam Benefranæ et Hiserniensis sedis episcopus, Ravennas natione, noster monachus, tempore ipso sacratus est. Iisdem quoque diebus et Richardo principatum Capuanum, et Roberto ducatum Apuliæ et Calabriæ atque Siciliæ confirmavit, cum sacramento, fidelitate Romanæ Ecclesiæ ab eis primo recepta, necnon investitione census per singulos annos.... Sed quoniam horum duorum magnatium, Roberti scilicet atque Richardi, qui præ ceteris sui temporis mortalibus locum hunc dilexerunt, ditaverunt ac protexerunt, quique huic nostro Desiderio nimium devoti, fideles et amicissimi in omni vita exstiterunt, decurrens historia attulit mentionem; dignum videtur qualiter sit uterque ad suæ dignitatis honorem provectus, vel breviter opusculo isti inserere et Richardus venit ad hoc monasterium, recipitur honorifice nimis cum processione solemni; placent

omnia valde; rogatus a senioribus de loci tutela, devotissime promittit se totius monasterii contra omnes quos posset, fidelissimum de cætero defensorem etc. In omnibus autem his prosperitatibus Deo et Patri Benedicto semper gratias referebat, ejusse meritis adjuvari, ejus orationibus attolli certissime profitens. Jam vero domnum abbatem, licet dudum apud Capuam præsidentem, ut supra diximus, sibi amicissimum fecerit, ex eo tamen illum ac si patrem, modis omnibus venerari, ejus consiliis se committere, ipsi, quasi domino libenter obtemperare.

Præceptum, acta et donationes monasterio Cassinensi, hic solummodo indicantur. Primo igitur anno quo princeps simul cum Jordane filio factus est, juxta morem priorum principum, generale præceptum fecit huic monasterio, etc, *narrat, sicut et capite sequenti, multa quæ in favorem monasterii Cassinensis Richardus egit. In capite autem* 19, *varias donationes a* Gregorio, consule Romano, Baldoino, comite de Valle Sorana, Pandulfo, Venafrano comite, Landulfo comite Minianensi, ad conversionem veniente, *et aliis viris piis et illustribus factas, quas hic singillatim recensere nihil juvat.*

Ecclesiæ ornamenta confert. — Æstuabat interea ingenti desiderio Desiderius ecclesiastica etiam ornamenta, de quibus usque ad id temporis pauperes admodum videbamur, undecunque conquirere; sed bonum desiderium, donante Deo, non potuit in tanto homine inefficax esse, sicut in sequentibus pervidebitur. Partim itaque de propriis deferens, partim vero a Romanis amicissimis mutuans, centum et octoginta librarum pretio congesto, omnia fere ornamenta papæ Victoris, quæ hac illacque per Urbem fuerant pignorata redemit, quæ videlicet sunt hæc: Pluviale diarodanum magnum, totum undique auro contextum, cum fimbriis nihilominus aureis; planetam diacitrinam magnam, aureis listis undique decenter ornatam; aliam quoque exametam, friso nihilominus in gyro circumdatam; dalmaticam similiter exametam, auro et alb. a capite et pedibus ac manibus insignitam: tunicam diapystin cum urna amplissima, a pedibus et manibus ac scapulis aurea; stolas auro textas cum manipulis, et semicinctiis numero novem: pannum diarodanum cum listis aureis pro faldistorio. Libet præterea hoc in loco designare singula quæ, ex eo quo ordinatus est tempore usque ad renovationem basilicæ majoris, in ecclesiæ ustensilibus sive fecerit sive acquisierit; nam cætera deinceps plenius exsequemur. Pastoralem virgam argento vestivit et deauravit; fecit ante faciem altaris tabulam auream cum gemmis librarum circiter decem, necnon et thuribulum de auro cum gemmis et smaldis librarum duarum. Librum quoque Epistolarum ad missam describi faciens, tabulis aurea una, altera vero argentea, decoravit. Codicem etiam regulæ beati Benedicti pulchro nimis opere deintus comptum, a foris argento vestivit; similiter fecit et de Sacramentariis altariis uno et altero, et duobus nihilominus Evangeliis, et Epistolario uno. Nam usque ad illud tempus in plenario Missali tam Evangelia quam Epistolæ legebantur; quod quam esset tunc inhonestum, modo satis advertitur. Idipsum fecit et de alio libello in quo sunt orationes processionales. Fecit et libellum ad cantandum ante altare, sive in gradu, eumque tabulis eburneis mirifice sculptis et argento ornatis annexuit. Codicem quoque de vita sancti Benedicti et sancti Mauri, et sanctæ Scholasticæ describi studiosissime fecit. Fecit et portellas argenteas ad ingressum chori librarum circiter triginta. Fecit et sedilia lignea in circuitu chori cum dossalibus eorum, sculptura simul et pictura præstantes; sed et gradum nihilominus ligneum ejusdem operis extra chorum, in ammonis [ambonis] modum, satis pulchrum constituit, in quo videlicet tam lectiones in nocte quam etiam Epistolæ et Evangelia ad missas præcipuarum festivitatum legerentur. Per eos etiam dies, cum rumor increbuisset regem ad Italiam venturum nequaquam senix [*al.*, segnis] perrexit Amalfim; ibique viginti pannos sericos, quos triblatos vocant, coemit, ut, si forte necessarium esset, haberet certe quod regi donaret. pro tutela videlicet et honore monasterii hujus. Hydriam quoque argenteam librarum septem ibidem tunc acquisivit, quam ad ministerium aquæ sanctificatæ in processione dierum Dominicarum, cum alia ejusdem metalli et quantitatis hydria postmodum illi donata, esse constituit. De triblatis vero omnibus, quoniam rex de via reversus fuerat, pluviales protinus fieri jussit. Videns autem tunc portas æreas episcopii Amalfitani, cum satis placuissent oculis ejus, mox mensuram portarum veteris ecclesiæ Constantinopolim, misit, ibique illas valde pulchras fieri fecit. Nam nondum disposuerat ecclesiam renovare, et ob hanc causam portæ ipsæ sic breves effectæ sunt, sicut hactenus permanent.

Electio et schisma Cadaloi tantum indicantur. — Interea defuncto apud Florentiam apostolico, *etc. agit de Alexandri II electione et schismate Cadaloi.*

Sacer mons fulmine ictus. — Quintum jam fere ordinationis suæ complebat Desiderius annum, cum terribilius solito, permissione divina, fulmine monasterium istud attactum est. Cum enim fratres in ecclesia die quodam de more primæ horæ solemnia agerent, subito cœlitus fulmen elapsum ipsum hebdomadarium sacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honestæ famæ virum, in choro stantem feriens exstinxit; cæteros vero circumstantes velut exanimes ad terram prostravit; novitium etiam quemdam extra chorum stantem, ante ipsam majorem crucem, percutiens occidit; in capitulo tabulas officiales excidit, ipsumque tabularium ac si mortuum reddidit; vultum imaginis abbatis Richerii in eodem capitulo in tabella depictum scidit pariter ac porro dejecit, et in plerisque monasterii locis percussit. Fuit autem dies hæc quinto decimo Kalendæ Februarii. Quamobrem consilio cum fratribus Pater

venerabilis habito, ad iram Dei placandam, statuit A tunc per omnes menses primam sextam feriam communiter ab omnibus in abstinentia peragi, ac discalceatis pedibus procedendo missam proinde specialiter celebrari, necnon et omnibus per annum quotidianis diebus orationem pro fulgure ad missam publicam et ad psalmos speciales edici. Porro autem dominus Petrus Damiani ad hoc monasterium veniens, cum verbo pariter et exemplo ad Dei servitium ferventi zelo quoscunque posset accenderet, tandem permissione domini abbatis, a cuncta congregatione voluntaria oblatione in remissionem omnium peccatorum obtinuit ut per totius anni sextas ferias pane tantum et aqua contenti essent, ac per singulas singuli disciplinas B data confessione reciperent; insuper et triduanum jejunium in caput Quadragesimæ per annos singulos agerent. Multoties vero Desiderio, cogitanti et revelari sibi oranti quidnam esse vellet quod sic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret, quadam nocte per visum Benedictus Pater apparuit, eique inter alia de hoc sollicite percontanti nihil aliud quam diabolicas insidias et antiquam pro loco invidiam esse perdocuit. Egometipse, cum adhuc in schola monasterii degerem, reminiscor una nocte ad secundum duntaxat nocturnum sexies in ecclesia et campanario fulmen percussisse, etc.

Missio in Sardiniam impedita. — Per idem tem- C pus legati ex parte Baresonis regis Sardiniæ ad hoc venere cœnobium, per quos beato Benedicto duo magna et optima pallia rex idem transmittens, orat sibi aliquot ex nostra congregatione fratres ad monasterium constituendum transmitti, spondens et pollicens maximum in regno suo nostris utilitatibus honorem et commodum proventurum, si monasticæ religionis studium, hactenus partibus illis incognitum, qualiter apud nos tunc vigere perceperat, apud eos deinceps nobis studentibus assuesceret. Mox venerabilis Pater, deliberato consilio, duodecim de melioribus hujus cœnobii fratribus elegit, eisque tam divinarum Scripturarum codices, cum diversis ecclesiastici ministerii apparatibus ac sanctorum D patrociniis plurimis, quam et diversarum rerum supellectilem abundanter præbens, necnon et abbatem, qui illis præesse deberet, instituens, nimis eos honorifice illuc cum Cajetanorum nave direxit. Verumtamen Deo permittente, et Satana impediente, res eadem eodem tempore ad effectum pervenire non potuit. Pisani siquidem maxima Sardorum invidia ducti, cum jam nostri ad insulam quæ Lilium vocatur prospero satis eventu transissent, et scaphis egressi opportunum navigationis tempus attenderent, ex improviso super illos cum armatis navigiis veniunt, et, tam nostros quam cæteros omnes indiscrete simul et nimis injuriose tractantes, universa diripiunt; insuper etiam prædictæ legationis principem patibulo jam parabant crudeles affigere, nisi monasticum habitum, quodam ex nostris illi porrigente, protinus induisset. Post hæc incensa navi, et vestimenta solummodo nostris restituentes, cæteris omnibus onusti et hilares ad propria remearunt. Nostros autem per diversa ab eis loca dispersos fratres nostri de monasterio Lucensi pio studio disquirentes reperiunt, omnesque, præter quatuor, qui jam Christum migraverunt, ad monasterium suum conductis vehiculis revehunt, quique postmodum, licet diversis temporibus, eodem tamen anno, ad nos universi fere reversi sunt, etc. Piratæ igitur illi cetera omnia inter se dividentes scrinium reliquiarum cuidam eorum contradunt... *qui aliquando, in cubiculum in quo erant* ingressus, subito corruit et expiravit. Quod ubi innotuit, magnus horror protinus universos invasit, et die altera discalceatis pedibus venientes, cum ingenti reverentia et honore præfatas reliquias exinde abstulerunt, atque ad episcopium cum magnis Dei laudibus transferentes, ibidem illas debita tractandas honorificentia posuere.

Monasteria in Sardinia erecta.— Sardorum interea rex, digna pro tantis injuriis satisfactione a Pisanis recepta, cum rursus ad hoc monasterium mandasset se quidem multo ardentius in priori devotione persistere, nos vero propter id quod evenerat nequaquam debere negligere, duos tandem illuc fratres, jam post biennium fere transmissos, rex idem alacriter nimis recepit, eisque ecclesiam Beatæ Mariæ in loco qui dicitur Bubalis, necnon et Sanctum Eliam de Monte Sancto cum integro ipso monte ad monasterium constituendum per præceptum concessit cum colonis et servis quamplurimis et cum substantiis ac possessionibus magnis. Hunc æmulatus ab bonum alter rex ejudem Sardiniæ, nomine Torchytorius, fecit et ipse chartulam oblationis suæ, et transmisit ad hoc monasterium, de Sancto scilicet Vincentio de Taberna, etc. ad monasterium ex eis constituendum... Ad Pisanos præterea legatus ab Alexandro papa simul cum monacho nostro directus est, ut, nisi anathema vellent apostolicum protinus experiri, causam beati Benedicti, quam nequiter abripuerant, ex integro redderent... qui satisfacientes... *in Desiderii gratiam redierunt.*

Viri illustres Cassinenses.— Sed cum prædictus apostolicus magnæ admodum circa hoc monasterium devotionis existeret suggerente pariter et instigante Hildebrando archidiacono, si quos ex hac domo fratres a domno abbate acquirere poterat, vel suo lateri ad ecclesiasticum ministerium sociabat, vel certe in episcopos sive abbates honorifice promovebat. Todinum igitur Berardi Marsorum comitis filium Romam ad se accersitum, in Lateranensi patriarchio levitam constituit; Aldemarium quoque felicis memoriæ, Capuanæ civitatis prudentissimum ac nobilem clericum, et Richardi principis olim notarium, qui meus in conversione magister exstiterat, quique in abbatem fratribus in Sardiniam missis dudum fuerat ordinatus, postquam reversus ad monasterium est, in ecclesia Sancti Laurentii, quæ

omnia valde; rogatus a senioribus de loci tutela, devotissime promittit se totius monasterii contra omnes quos posset, fidelissimum de cætero defensorem etc. In omnibus autem his prosperitatibus Deo et Patri Benedicto semper gratias referebat, ejus se meritis adjuvari, ejus orationibus attolli certissime profitens. Jam vero domnum abbatem, licet dudum apud Capuam præsidentem, ut supra diximus, sibi amicissimum fecerit, ex eo tamen illum ac si patrem, modis omnibus venerari, ejus consiliis se committere, ipsi, quasi domino libenter obtemperare.

Præceptum, acta et donationes monasterio Cassinensi, hic solummodo indicantur. Primo igitur anno quo princeps simul cum Jordane filio factus est, juxta morem priorum principum, generale præceptum fecit huic monasterio, etc, *narrat, sicut et capite sequenti, multa quæ in favorem monasterii Cassinensis Richardus egit. In capite autem* 19, *varias donationes a* Gregorio, consule Romano, Baldoino, comite de Valle Sorana, Pandulfo, Venafrano comite, Landulfo comite Minianensi, ad conversionem veniente, *et aliis viris piis et illustribus factas, quas hic singillatim recensere nihil juvat.*

Ecclesiæ ornamenta confert. — Æstuabat interea ingenti desiderio Desiderius ecclesiastica etiam ornamenta, de quibus usque ad id temporis pauperes admodum videbamur, undecunque conquirere; sed bonum desiderium, donante Deo, non potuit in tanto homine inefficax esse, sicut in sequentibus pervidebitur. Partim itaque de propriis deferens, partim vero a Romanis amicissimis mutuans, centum et octoginta librarum pretio congesto, omnia fere ornamenta papæ Victoris, quæ hac illacque per Urbem fuerant pignorata redemit, quæ videlicet sunt hæc: Pluviale diarodanum magnum, totum undique auro contextum, cum fimbriis nihilominus aureis; planetam diacitrinam magnam, aureis listis undique decenter ornatam; aliam quoque exametam, friso nihilominus in gyro circumdatam; dalmaticam similiter exametam, auro et alb. a capite et pedibus ac manibus insignitam: tunicam diapystin cum urna amplissima, a pedibus et manibus ac scapulis aurea; stolas auro textas cum manipulis, et semicinctiis numero novem: pannum diarodanum cum listis aureis pro faldistorio. Libet præterea hoc in loco designare singula quæ, ex eo quo ordinatus est tempore usque ad renovationem basilicæ majoris, in ecclesiæ ustensilibus sive fecerit sive acquisierit; nam cætera deinceps plenius exsequemur. Pastoralem virgam argento vestivit et deauravit; fecit ante faciem altaris tabulam auream cum gemmis librarum circiter decem, necnon et thuribulum de auro cum gemmis et smaldis librarum duarum. Librum quoque Epistolarum ad missam describi faciens, tabulis aurea una, altera vero argentea, decoravit. Codicem etiam regulæ beati Benedicti pulchro nimis opere deintus comptum, a foris argento vestivit; similiter fecit et de Sacramentariis altaris uno et altero, et duobus nihilominus Evangeliis, et Epistolario uno. Nam usque ad illud tempus in plenario Missali tam Evangelia quam Epistolæ legebantur; quod quam esset tunc inhonestum, modo satis advertitur. Idipsum fecit et de alio libello in quo sunt orationes processionales. Fecit et libellum ad cantandum ante altare, sive in gradu, cumque tabulis eburneis mirifice sculptis et argento ornatis annexuit. Codicem quoque de vita sancti Benedicti et sancti Mauri, et sanctæ Scholasticæ describi studiosissime fecit. Fecit et portellas argenteas ad ingressum chori librarum circiter triginta. Fecit et sedilia lignea in circuitu chori cum dossalibus eorum, sculptura simul et pictura præstantes; sed et gradum nihilominus ligneum ejusdem operis extra chorum, in ammonis [ambonis] modum, satis pulchrum constituit, in quo videlicet tam lectiones in nocte quam etiam Epistolæ et Evangelia ad missas præcipuarum festivitatum legerentur. Per eos etiam dies, cum rumor increbuisset regem ad Italiam venturum nequaquam senix [*al.*, segnis] perrexit Amalfim; ibique viginti pannos sericos, quos triblatos vocant, coemit, ut, si forte necessarium esset, haberet certe quod regi donaret. pro tutela videlicet et honore monasterii hujus. Hydriam quoque argenteam librarum septem ibidem tunc acquisivit, quam ad ministerium aquæ sanctificatæ in processione dierum Dominicarum, cum alia ejusdem metalli et quantitatis hydria postmodum illi donata, esse constituit. De triblatis vero omnibus, quoniam rex de via reversus fuerat, pluviales protinus fieri jussit. Videns autem tunc portas æreas episcopii Amalfitani, cum satis placuissent oculis ejus, mox mensuram portarum veteris ecclesiæ Constantinopolim, misit, ibique illas valde pulchras fieri fecit. Nam nondum disposuerat ecclesiam renovare, et ob hanc causam portæ ipsæ sic breves effectæ sunt, sicut hactenus permanent.

Electio et schisma Cadaloi tantum indicantur.— Interea defuncto apud Florentiam apostolico, *etc. agit de Alexandri II electione et schismate Cadaloi.*

Sacer mons fulmine ictus. — Quintum jam fere ordinationis suæ complebat Desiderius annum, cum terribilius solito, permissione divina, fulmine monasterium istud attactum est. Cum enim fratres in ecclesia die quodam de more primæ horæ solemnia agerent, subito cœlitus fulmen elapsum ipsum hebdomadarium sacerdótem, cui Manno erat vocabulum, honestæ famæ virum, in choro stantem feriens exstinxit; cæteros vero circumstantes velut exanimes ad terram prostravit; novitium etiam quemdam extra chorum stantem, ante ipsam majorem crucem, percutiens occidit; in capitulo tabulas officiales excidit, ipsumque tabularium ac si mortuum reddidit; vultum imaginis abbatis Richerii in eodem capitulo in tabella depictum scidit pariter ac porro dejecit, et in plerisque monasterii locis percussit. Fuit autem dies hæc quinto decimo Kalendæ Februarii. Quamobrem consilio cum fratribus Pater

venerabilis habito, ad iram Dei placandam, statuit A tunc per omnes menses primam sextam feriam communiter ab omnibus in abstinentia peragi, ac discalceatis pedibus procedendo missam proinde specialiter celebrari, necnon et omnibus per annum quotidianis diebus orationem pro fulgure ad missam publicam et ad psalmos speciales edici. Porro autem dominus Petrus Damiani ad hoc monasterium veniens, cum verbo pariter et exemplo ad Dei servitium ferventi zelo quoscunque posset accenderet, tandem permissione domini abbatis, a cuncta congregatione voluntaria oblatione in remissionem omnium peccatorum obtinuit ut per totius anni sextas ferias pane tantum et aqua contenti essent, ac per singulas singuli disciplinas B data confessione reciperent; insuper et triduanum jejunium in caput Quadragesimæ per annos singulos agerent. Multoties vero Desiderio, cogitanti et revelari sibi oranti quidnam esse vellet quod sic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret, quadam nocte per visum Benedictus Pater apparuit, eique inter alia de hoc sollicite percontanti nihil aliud quam diabolicas insidias et antiquam pro loco invidiam esse perdocuit. Egometipse, cum adhuc in schola monasterii degerem, reminiscor una nocte ad secundum duntaxat nocturnum sexies in ecclesia et campanario fulmen percussisse, etc.

Missio in Sardiniam impedita. — Per idem tempus C legati ex parte Baresonis regis Sardiniæ ad hoc venere cœnobium, per quos beato Benedicto duo magna et optima pallia rex idem transmittens, orat sibi aliquot ex nostra congregatione fratres ad monasterium constituendum transmitti, spondens et pollicens maximum in regno suo nostris utilitatibus honorem et commodum proventurum, si monasticæ religionis studium, hactenus partibus illis incognitum, qualiter apud nos tunc vigere perceperat, apud eos deinceps nobis studentibus assuesceret. Mox venerabilis Pater, deliberato consilio, duodecim de melioribus hujus cœnobii fratribus elegit, eisque tam divinarum Scripturarum codices, cum diversis ecclesiastici ministerii apparatibus ac sanctorum D patrociniis plurimis, quam et diversarum rerum supellectilem abundanter præbens, necnon et abbatem, qui illis præesse deberet, instituens, nimis eos honorifice illuc cum Cajetanorum nave direxit. Verumtamen Deo permittente, et Satana impediente, res eadem eodem tempore ad effectum pervenire non potuit. Pisani siquidem maxima Sardorum invidia ducti, cum jam nostri ad insulam quæ Lilium vocatur prospero satis eventu transissent, et scaphis egressi opportunum navigationis tempus attenderent, ex improviso super illos cum armatis navigiis veniunt, et, tam nostros quam cæteros omnes indiscrete simul et nimis injuriose tractantes, universa diripiunt; insuper etiam prædictæ legationis principem patibulo jam parabant crudeles affigere, nisi monasticum habitum, quodam ex nostris illi porrigente, protinus induisset. Post hæc incensa navi, et vestimenta solummodo nostris restituentes, cæteris omnibus onusti et hilares ad propria remearunt. Nostros autem per diversa ab eis loca dispersos fratres nostri de monasterio Lucensi pio studio disquirentes reperiunt, omnesque, præter quatuor, qui jam Christum migraverunt, ad monasterium suum conductis vehiculis revehunt, quique postmodum, licet diversis temporibus, eodem tamen anno, ad nos universi fere reversi sunt, etc. Piratæ igitur illi cetera omnia inter se dividentes scrinium reliquiarum cuidam eorum contradunt... *qui aliquando, in cubiculum in quo erant* ingressus, subito corruit et expiravit. Quod ubi innotuit, magnus horror protinus universos invasit, et die altera discalceatis pedibus venientes, cum ingenti reverentia et honore præfatas reliquias exinde abstulerunt, atque ad episcopium cum magnis Dei laudibus transferentes, ibidem illas debita tractandas honorificentia posuere.

Monasteria in Sardinia erecta.— Sardorum interea rex, digna pro tantis injuriis satisfactione a Pisanis recepta, cum rursus ad hoc monasterium mandasset se quidem multo ardentius in priori devotione persistere, nos vero propter id quod evenerat nequaquam debere negligere, duos tandem illuc fratres, jam post biennium fere transmissos, rex idem alacriter nimis recepit, eisque ecclesiam Beatæ Mariæ in loco qui dicitur Bubalis, necnon et Sanctum Eliam de Monte Sancto cum integro ipso monte ad monasterium constituendum per præceptum concessit cum colonis et servis quamplurimis et cum substantiis ac possessionibus magnis. Hunc æmulatus ab bonum alter rex ejusdem Sardiniæ, nomine Torchytorius, fecit et ipse chartulam oblationis suæ, et transmisit ad hoc monasterium, de Sancto scilicet Vincentio de Taberna, etc. ad monasterium ex eis constituendum... Ad Pisanos præterea legatus ab Alexandro papa simul cum monacho nostro directus est, ut, nisi anathema vellent apostolicum protinus experiri, causam beati Benedicti, quam nequiter abripuerant, ex integro redderent... qui satisfacientes... *in Desiderii gratiam redierunt.*

Viri illustres Cassinenses.— Sed cum prædictus apostolicus magnæ admodum circa hoc monasterium devotionis existeret suggerente pariter et instigante Hildebrando archidiacono, si quos ex hac domo fratres a domno abbate acquirere poterat, vel suo lateri ad ecclesiasticum ministerium sociabat, vel certe in episcopos sive abbates honorifice promovebat. Todinum igitur Berardi Marsorum comitis filium Romam ad se accersitum, in Lateranensi patriarchio levitam constituit; Aldemarium quoque felicis memoriæ, Capuanæ civitatis prudentissimum ac nobilem clericum, et Richardi principis olim notarium, qui meus in conversione magister exstiterat, quique in abbatem fratribus in Sardiniam missis dudum fuerat ordinatus, postquam reversus ad monasterium est, in ecclesia Sancti Laurentii, quæ

appellatur Forismuros, cardinalem simul et abbatem sacravit; sed et Ambrosium Mediolanensem, prudentem nihilominus et eruditum non mediocriter hominem, in Terracinensi Ecclesia episcopum ordinavit. Geraldum etiam doctissimum per omnia clericum, Teutonicum genere, in archiepiscopum Ecclesiæ Sipontinæ præfecit. Per idem quoque tempus et Milo, Capuani monasterii præpositus, in Suessana Ecclesia episcopus factus est; et Petrus, qui dicebatur Athenulfi, patris agnomine, de nobilibus Capuanis, qui postmodum Romæ factus est cardinalis, ad abbatiam Sancti Benedicti de Salerno, cujus jam supra fecimus mentionem, rogatu Salernitani principis est transmissus. Eodem tempore solemne Desiderio privilegium idem apostolicus, præter cætera, super omnimoda hujus cœnobii libertate concessit, ne videlicet aliquis alicujus Ecclesiæ episcopus, præter Romanum pontificem, non solum in nostra ac principali ecclesia, verum etiam in omnibus ubique locorum nobis pertinentibus cellis quamlibet ditionem usurpare quolibet modo præsumeret, auctoritate apostolica interdicens. Quo etiam tempore cum Hildebrandus Capuanus archiepiscopus, elatione quadam turgidus, contra hanc auctoritatem fuisset submurmurare conatus, publice in Romana synodo, nobis super hoc proclamantibus, privilegiis sedis apostolicæ convictus, se peccasse confessus est, etc.

Monast. Tremittense.— Præterea cum de rectoribus Tremittensis cœnobii, quod nobis antiquitus pertinuisse Romanorum quoque pontificum privilegia pleraque testantur, multa eo tempore inhonesta et nefanda divulgarentur, eidem Desiderio ad disquirendum et disponendum illud, prout sibi optimum videretur, data ab apostolico auctoritas est. Qui cum abbatem ejusdem loci Adam, multorum facinorum reum convictum, exinde subduxisset, Roberto de Laurotello et Petrone de Lesina comitibus, et episcopis Trojano Draconariensi ac Civitatensi, necnon et abbate Terræ Majoris se comitantibus, insulam præfatam ingressus, Transmundum inibi, filium Oderisii Marsorum comitis, nimis honorifice ordinat in abbatem, egregiæ sane tunc indolis adolescentem, prudentia et litteris non parum valentem, honestis quoque moribus hoc in loco a puero institutum, nisi demum pessimorum loci ipsius fratrum consiliis assensus fuisset, sed illorum plane, quos illi etiam noster abbas injunxerat auscultandos. Nam, redeuntibus nostris, paucos post dies tribus de prioribus ejusdem loci monachis oculos eruit, uni vero linguam abscidit; fuerant enim apud eum de rebellatione insulæ a sociis insimulati. Quod ubi Desiderio nostro relatum est, indigne nimis et graviter excepit, et maximo est super ista mœrore confectus, tum pro passorum miseria, tum projubentis sævitia, tum denique, quod erat præcipuum, et quod magis cor ejus angebat, pro loci hujus infamia. Et quoniam eodem anno dedicationi ecclesiæ nostræ fieri præstolabatur solemnitas, ad

A eam sustinet ur venturus, ac juxta culpæ modum sententiam excepturus: quem cum venisset, in totius monasterii conventu aspera nimis et digna castigatione correptum graviori pœnitentiæ subdidit, eumque illuc remeare ulterius non permisit. Hildebrandus autem archidiaconus ea quæ Transmundus egerat omnimodis approbans, et nequaquam illum hoc crudeliter, sed strenue ac digne in malignos homines fecisse confirmans, nondum anno completo, cum a domno abbate aliquando difficulter extorsit, atque abbatiam Sancti Clementis de Insula Balvensis [*al.*, Pennensis] comitatus primo illi committens, paulo post eidem Balvensis episcopatus addidit dignitatem, etc.

Novam basilicam ædificat. Ejus descriptio. — In
B omni igitur abbas venerabilis prosperitate atque quiete meritis beatissimi Patris nostri Benedicti divinitus constitutus, ei in tanta ab universis in circuitu honorificentia habitus, ut non modo mediocres quique, verum etiam ipsi eorum principes ac duces libenter ei obedire ejusque voluntati non aliter quam sui patris ac domini in omnibus parere studerent, ad veterem diruendam ecclesiam, et novam pulchrius atque augustius ædificandam, non sine divino instinctu, animum appulit; quamvis plerisque tunc de nostris prioribus grave nimium id et intentabile videretur, plurimumque ab hac intentione mentem illius avertere tum precibus, tum rationibus, modisque omnibus sint conati, quippe a quibus omni vitæ suæ tempore tantum opus non posse perfici æstimaretur, cum ille, Deo fidens, ad omnia
C quæ pro Deo fiunt Dei sibi solius polliceretur ac præstolaretur auxilium. Anno itaque ordinationis suæ nono, divinæ autem Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, mense Martio, indictione quarta, constructa prius juxta infirmantium domum non satis magna Beati Petri basilica, in qua videlicet fratres ad divina officia interim convenirent, supradictam Beati Benedicti ecclesiam, tam parvitate quam deformitate thesauro tanto tantæque fratrum congregationi incongruam, evertere a fundamentis aggressus est. Et quoniam, in ipso montis vertice constructa, et ventorum vehementibus flabris quaquaversum patuerat, et igneis frequenter fuerat attacta fulminibus, statuit, de solo Dei auxilio fidens, ejusdem montis saxeam cristam igne ferroque excindere, et,
D quantum spatio fundandæ basilicæ posset sufficere, locum in imo defossum, quo fundamenta jaceret, complanare. Ordinatis igitur qui hæc toto nisu et instantia summa perficerent, ipse interea Romam profectus est, et amicissimos quosque conveniens, simulque larga manu pecunias opportune dispensans, columnas, bases ac lilia, necnon et diversorum colorum marmora abundanter coemit, illaque omnia ab Urbe ad Portum, a Portu autem Romano per mare usque ad turrem Gariliani, indeque ad Suium navigiis conductis ingenti fiducia detulit; abinde vero usque in hunc locum plaustrorum vehiculis, non sine labore maximo comportavit. Et ut magis fervorem fide-

lium obsequentium admireris, primam hic columnam ab ipso montis initio sola civium numerositas colli brachiique virtute imposuit. Namque ad augmentum fastigii, montis hujus ascensus nimis tunc erat clivosus, arctus et horridus; necdum enim in cor ejus ascenderat eamdem viam complanare ac spatiare, quemadmodum postea fecit. Tandem igitur totius basilicæ, præter adytum, cum difficultate non parva spatio complanato, et necessariis omnibus abundantissime apparatis, conductis protinus peritissimis artificibus, tam Amalfitanis quam et Lombardis, et jactis in Christi nomine fundamentis, cœpit ejusdem basilicæ fabricam in longitudine cubitorum centum et quinque, in latitudine vero cubitorum quadraginta et tres, in altitudine autem cubitorum viginti et octo, basibusque suppositis, columnas desuper decem a latere uno totidemque ex altero in cubitis novem erexit; fenestras quoque in superioribus satis amplas in navi quidem viginti et unam, in titulo vero sex longas, et rotundas quatuor, ac duas in absida mediana instituit. Porticus etiam utriusque parietes in altitudine cubitorum quindecim subrigens, fenestris hinc decem, totidemque inde distinxit. Aditum interea cum planitiei basilicæ, quæ cubitorum ferme sex putabatur, consequenter disponeret coæquare, tres non integras ulnas fodiens, subito Benedicti Patris venerabilem tumulum reperit; moxque, cum religiosis viris communicato consilio, ne illum aliquatenus mutare præsumeret, confestim, ne quis aliquid de tanto posset thesauro subripere eumdem tumulum, eodem quo situs fuerat loco, pretiosis lapidibus reoperuit, ac desuper arcam de Pario marmore in transversum basilicæ, id est a septentrione in meridiem, quinque per longum cubitis opere nimis pulchro construxit. Hoc itaque modo adytus in eminentia priori permansit, ita ut a pavimento ipsius usque ad pavimentum basilicæ octo gradibus descendatur, sub fornice scilicet maximo, qui eidem adyto imminet, præter illum utique gradum, qua undique ad altare subitur. Porro in absida majori ad orientalem plagam statuit altarium Beati Baptistæ Joannis, in eo videlicet loco ubi ejusdem olim oratorium Benedictus Pater extruxerat; a parte vero meridiana altarium Beatæ Dei Genitricis, a septentrionali autem altarium Beati papæ Gregorii, juxta cujus absidam bicameratam domum ad thesaurum ecclesiastici ministerii recondendum exstruxit, quæ videlicet domus secretarium consuetudinaliter appellatur, eique ejusdem nihilominus operis alteram, in qua ministri altaris præparari debeant, copulavit. Sane quoniam spatiandæ ecclesiæ gratia partem non modicam cameræ suæ substraxerat, consequenter etiam prædicto secretario conjunctam eamdem cameram ampliorem priori potius ac pulchriorem effecit; secus ipsam vero, juxta porticum scilicet principalis ecclesiæ Beati Nicolai, curvato pariete, brevem quidem, sed pulchram admodum fundavit ædiculam; ab ipsa autem usque ad extimam basilicæ frontem

A venerabile satis Beati Bartholomæi apostoli oratorium opere pari porrexit. In ejus etiam fronte prope valvas majoris ecclesiæ de quadratis et maximis saxis mirificam arcem, quæ vulgo campanarium nuncupatur, erexit. Fecit et atrium ante ecclesiam, quod nos Romana consuetudine Paradisum vocitamus, longitudine cubitorum septuaginta septem ac semis, latitudine quinquaginta septem et semis, altitudine vero quindecim et semis; quatuor et totidem in geminis frontibus, octo autem et octo per latera singula superquadrifidas bases habens columnas. In cujus etiam meridiano latere cisternam maximam, tantumdem longitudinis habentem, arcuato opere sub ejusdem pavimento atrii fabricavit. Ante ingressum vero basilicæ, nec non et ante introitum B atrii quinque desuper fornices, quos Spiculos dicimus, voluit. In occidentali porro atrii parte, in singulis cornibus singulas basilicas, modo turrium, valde pulchras erexit, in dextro quidem, Sancti archangeli Michaelis, in lævo autem, Beati apostolorum principis Petri; ad quas videlicet interius ab atrio quinque gradibus, est ascensus. Jam vero extra atrii vestibulum easdemque basilicas, quoniam clivosus valde ad ecclesiam erat ascensus, montem ipsum sexaginta et sex per longum, totidemque per latum, septem vero cubitis in altum excavavit, adeo ut ab imo usque ad ipsum vestibulum atrii quatuor et viginti marmoreis gradibus, quos ibi constituit, ascendatur, habentibus in spatio latitudinis cubitos sex et triginta.

C *Ornamenta.* — Legatos interea Constantinopolim ad locandos artifices destinat, peritos utique in arte musiaria et quadrataria, ex quibus videlicet alii absidam, et arcum atque vestibulum majoris basilicæ musivo comerent; alii vero totius ecclesiæ pavimentum diversorum lapidum varietate consternerent. Quarum artium tunc ei destinati magistri, cujus perfectionis exstiterint, in eorum est operibus æstimari, cum et in musivo animatas fere autumet se quisque figuras et quæque virentia cernere, et in marmoribus omnigenum colorum flores pulchra putet diversitate vernare. Et quoniam artium istarum ingenium a quingentis et ultra jam annis magistra Latinitas intermiserat et studio hujus, inspirante et cooperante Deo, nostro hoc tempore recuperare promeruit, ne sane id ultra Italiæ deperiret, studuit D vir todius prudentiæ plerosque de monasterii pueris diligenter eisdem artibus erudiri. Non autem de his tantum, sed et de omnibus artificiis quæcunque ex auro vel argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, gypso, vel lapide patrari possunt, studiosissimos prorsus artifices de suis sibi paravit; sed hæc alias. Nunc vero constructam basilicam qualiter ex parte decoraverit, demumque sacraverit, prout possumus, designemus. Plumbeis igitur domatibus illam totam cum titulo et utroque porticu ac vestibulo decenter operiens, absidam et arcum majorem musivo vestivit, in cujus videlicet circuitus amplitudine aureis litteris hos versus describi præcepit:

Ut, duce te, patria justis potiatur adepta,
Hinc Desiderius, Pater, hanc tibi condidit aulam.
In absida vero hinc inde sub pedibus sanctorum Baptistæ et evangelistæ Joannis versus istos :
Hæc domus est similis Sinai sacra jura ferentis,
Ut Lex demonstrat hic quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exivit, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata sæcli.

Fenestras omnes, tam navis quam tituli, plumbo simul ac vitro compactis tabulis ferroque connexis inclusit. Has vero quæ in lateribus utriusque porticus sitæ sunt, gypseas quidem, sed similis fere decoris, exstruxit. Dehinc supposito trabibus laqueari, coloribus figurisque diversis mirabiliter insignito, parietes quoque omnes pulchra satis colorum omnium varietate depinxit, pavimentum etiam universum totius ecclesiæ cum adhærentibus oratoriis Beati Bartholomæi et Beati Nicolai, simul etiam et cameræ suæ, mira prorsus et hactenus partibus istis incognita, cæsorum lapidum multiplicitate consstravit ; sed illud præcipue quod secus altarium est et in choro, gradibus illis quibus ad idem altare conceuditur crustis pretiosorum marmorum decenti diversitate distinctis. Frontem quoque chori, quem fere in medio basilicæ statuit, quatuor magnis marmorum tabulis sepsit, e quibus porphyretica una, viridis altera, reliquæ duæ ac cæteræ omnes in chori circuitu simplices. Vestibulum autem ecclesiæ, desuper quidem musivo fecit pulcherrimo cum superlimineis arcubus decorari ; abinde vero usque ad imum pavimenti, totam basilicæ faciem gypso vestiri , arcus etiam ejusdem vestibuli de foris musivo nihilominus vestiens, versus Marci poetæ inibi aureis litteris scripsit. Reliquas vero tres atrii partes diversis, tam Veteris quam Novi Testamenti, historiis ab intus ac deforis depingi præcipiens, marmoreo totum pavimento constravit ; desuper autem laquearibus ac tegulis adoperuit ; vestibulo quoque ejusdem atrii cum geminis turribus pari modo depicto, operto ac marmorato.

Dedicatur a papa. — His igitur omnibus intra quinquennii spatium, Deo prosperante et auxiliante, peractis, dedicare basilicam solemnitate maxima et ingenti tripudio ad sempiternam memoriam Desiderius statuit, adiensque summæ sedis pontificem Alexandrum, ad eamdem illum dedicationem venire devotissime invitavit. Quo libentius annuente, Hildebrandum quoque archidiaconum ejus, cæterosque cardinales ac Romanos episcopos, deque urbanis clericis ac nobilibus plurimos affectu familiarissimo convocavit. Die tantæ solemnitatis, ex consultu apostolici et cardinalium, in ipsis Kalendis Octobris constituta, ac litteris invitatoriis ejusdem apostolici ad universos episcopos Campaniæ, Principatus, Apuliæ, atque Calabriæ datis. Fama itaque hujus rei longe lateque vulgata, tanta totius fere Italiæ episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, magnatum, nobilium, mediocrium, diversæque conditionis virorum pariter ac mulierum, ad diem condictam multitudo confluxit, ut stellarum fere cœli, quam illorum omnium numerositatem cuilibet fuerit æstimare facilius. Ita universæ monasterii officinæ, et ipsa quoque officinarum omnium tecta, ita totius ab imo usque ad summum montis itinera, et, quid dicam? domus civitatis omnes, omnesque plateæ, omnia etiam longe lateque camporum adjacentium spatia congregatorum ad tanta solemnia cunctis stipata erant atque conferta. Apparatus interea, per tres illos continuos dies præcedentes ac subsequentes eamdem solemnitatem, in pane videlicet ac vino, carniumque diversarum ac piscium multiplicitate adeo est copiosus exhibitus, ut nullus fere aliquis in tam innumera multitudine, qui non se sufficienter hæc accepisse dixerit, potuerit reperiri. Interfuere itaque tantæ tunc celebritati archiepiscopi decem, id est, *Hildebrandus* Capuanus, *Alphanus* Salernitanus, *Joannes* Neapolitanus, *Joannes* Surrentinus, Amalfitanus, *Girardus* Sipontinus, *Bisantius*, Trandisis (Tranensis), *Arnaldus* Acerentinus (Acheruntinus), *Ugo* Ydruntinus, Oiretanus (*f.*, Oristagni in Sardinia). Episcopi autem quadraginta et tres, id est, *Joannes* Portuensis, *Joannes* Tusculanensis, *Ubaldus* Savinensis, *Erasmus* Segninus, *Petrus* Anagninus, *Ilonesius* Berulanus, *Ambrosius* Terracinensis, *Leo* Cajetanus, *Martinus* Aquinensis, *Palumbus* Soranus, *Pandulfus* Marsicanus, Balvensis Pennensis, *Guillelmus* Teanensis, *Joannes* Casenus, Rossellanus, *Goffridus* Aversanus, Nolanus, Avellinensis, *Maraldus* Pestanus, *Stephanus* Trojanus, *Robertus* Florentinensis, Melfitanus, Luccerinus, *Campo* Draconariensis, *Rogerius* Civitatensis, *Nicolaus* Termulensis, *Petrus* Guardiensis, *Guillelmus* Larinensis, *Maynardus* Arianensis, Serniensis, *Albertus* Bovianensis, Salpitanus, *Joannes* Cannensis, *Guillelmus seu Guibertus* Rubessanus, *Constans* Venusinus, *Innacius* Monorbinensis, *Joannes* Vigiliensis, *Balduinus* Millitensis, *Joannes* Juvenazensis, *Petrus* Monopolitanus, *Datto Ostunensis* Stunensis, *Drogo* Tarentinus, *Goffridus* Perusinus, et *Theobaldus* Castellanus electus, qui videlicet in episcopum altero post dedicationem die sacratus est. *Horum episcoporum nomina propria, quæ apud Leonem non habentur, alio charactere inseruimus ex libello de hac Dedicatione ms. quem ex bibliotheca Cassinensi Antonius Caracciolus publici juris fecit Neapoli, anno 1626, cum Eremperti epitome et aliis antiquis monimentis. Sed Leo multo plures recenset quam hujus libelli auctor, archiepiscopos scilicet Amalfitanum et Oiretanum, et episcopos Balvensem, Pennensem, Rosellanum, Nolanum, Avellinicnsem, Luccrinum, Serniensem, Salpitanum et Melfitanum. Libellus autem habet Petrum Venafranum et Joannem Piccnum, qui apud Leonem desiderantur. In Bulla autem Alexandri II, quam ex autographo idem Caracciolus laudat, loco Joannis episcopi Caleni, nominatur* Joannes episcopus Claudiopolitanus. *Subscribunt item* Ildebrandus archidiaconus S. R. E., Petrus Damiani Ostiensis episcopus, Firminus, card. S. R. E., Leo card..., Stephanus card. presbyter,

Landulfus card. presbyter, Leo card. presbyter, pro omnibus presbyteris cardinalibus, diaconibus et clericis S. R. E. De magnatibus autem, *ut Leo prosequitur,* Richardus princeps Capuanus, cum Jordane filio et fratre Rainulfo, Gisulfus princeps Salernitanus cum fratribus suis, Landulfus quoque princeps Beneventanus, et Sergius dux Neapolitanus, Sergiusque dux Surrentinus; nam dux Robertus Panormum eo tempore oppugnabat, ideoque tantæ solemnitati tunc interesse non potuit. Sed et Marsorum comitum ac Balvensium, filiorumque Borelli ingens frequentia. Cæterorum vero potentium seu nobilium, tam nostratium quam Normannorum, omnium circumquaque terrarum vel nomina, vel numerum innumerum nulla fuit prorsus possibilitas vel consilium recensendi. Horum igitur omnium summa devotione et ingenti lætitia, maximo honore ac præcipua gloria dedicata est eadem Beati Benedicti basilica cum quinque altaribus suis ipsa die Kalendarum Octobrium, anno Incarnationis divinæ millesimo septuagesimo primo, indictione nona, die Sabbati; et altaria quidem mediana, beati videlicet Benedicti, et sancti Joannis vocabulis insignita, manu propria prædictus apostolicus benedixit; altare vero, quod in australi parte ad honorem sanctæ Dei genitricis est situm, Joannes episcopus Tusculanensis; quod autem in parte aquilonari ad nomen beati Gregorii Hubaldus episcopus Savinensis; Sancti vero Nicolai Erasmus episcopus Segninus solemniter dedicarunt. Quorum sane sanctorum reliquiæ tunc in singulis altaribus sunt reconditæ; opportunum hoc in loco inserere duximus. In altare itaque Beati Benedicti habentur reliquiæ sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, etc. In altare Sancti Johannis. . . . . . ex oleo de candela sancti sepulcri, quæ videlicet per singulos annos, modo valde mirabili, cœlitus die sancti Sabbati paschalis videntibus cunctis accenditur, etc. Super omnia vero hæc, quod tacendum non duximus, in singularum columnarum ejusdem basilicæ capitellis, tempore constructionis, reverenter satis in æreis pyxidulis reliquiæ sanctorum Philippi,... de capillis sancti Remigii episcopi, etc. In quatuor angulis campanarii, hæ reliquiæ sunt, lignum Domini, etc. In cruce campanarii lignum Domini, de capite sancti Johannis Baptistæ, etc. In frontispicio ecclesiæ in cruce ærea, lignum Domini, de lapide, etc.

Indulgentiæ concessæ. — Peracta igitur solemniter celebritate missarum, et apostolicæ potestatis auctoritate, tam iis quos tunc præsentes esse contigerat, quam omnibus qui per octo continuos dies ob devotionem tantæ solemnitatis ibidem accurrere possent, confessorum peccatorum absolutione concessa, cum maxima et ingenti lætitia singuli redierunt in sua. Verum præfatæ absolutionis gratia, tanta indique huc diversi sexus atque ætatis per eosdem octo dies hominum se continuavit frequentia, ut neminem fere illorum qui ad primum diem confluxerant, domum remeasse putares.

Nec modus est populis coeuntibus agmine denso,
Nec requies, properant in lucem a nocte, diemque
Exspectare piget.
Lucani coeunt populi, coit Apula pubes,
Ac Calabri, et cuncti quos abluit æstus uterque,
Qui læva et dextra, Latium circumstrepit omne;
Ipsaque cœlestum sacris procerum monumentis
Roma, Petro Pauloque potens, rarescere gaudet,
Millia profundens ad mœnia celsa Casini.
Vincit iter durum pietas, amor et Benedicti;
Vincit et alma fides: præsens Deus [*al.*, de] omnibus isthic
Creditur, et summi Benedictus gloria Christi.

Infidelem certe quisque se credere, miserum penitus æstimare, si tantæ solemnitatis vel fini tandem non satageret interesse. Ex eo jam per totum Christianum orbem cœpit celebritatis tantæ gloria divulgari: extunc iste locus licet ab olim Benedicti Patris meritis famosus ac nobilis fuerit, nobilior multo ac gloriosior cœpit haberi, Patrisque Desiderii nomen, apud plerosque jamdudum magnum et celebre, celebrius deinceps ac nobilius per Occidentem totum diffundi; prudentiæ simul ac religionis maximæ ab omnibus prædicari, omnibusque ipsius temporis abbatibus ubique locorum, non solum in occidentalibus et orientalibus, partibus, sed et per orbem terrarum ab omnibus censebatur jure præferri. Partim igitur desiderio Desiderium videndi, partim vero templi tam vulgati et tam celebris contuendi, partim denique in hoc sacrosancto cœnobio conversandi, et Deo quoad viverent serviendi multi ex multis et eximiis terrarum partibus huc cœpere confluere: et, hilariter Desiderio recipiente, factum est ut intra ipsum ferme biennium, ad secundum circiter centenarium congregationis loci hujus se numerus porrexisset. Jam vero diversorum regnum atque potentium utriusque sexus, quanta circa eumdem venerabilem Patrem cœperit haberi devotio, supplices ad eum litteræ et munera decentia testabantur, quibus se suosque omnes tam suis quam fratrum sub eo degentium precibus attentius commendabant. *Hanc dedicationis solemnitatem memorant fasti Benedictini, et Ferrarius in Catalogo generali, die* 1 *Octobris.*

Agnetis imperatricis dona. — Nec imperatricis quoque Agnetis dignum videtur religiosam tacere devotionem, quæ, velut altera regina Saba, Salomonis alterius et alterius templi magno videndi desiderio ducta, ex ultimis huc Germaniæ finibus adventavit, ac, per medium ferme istic anni spatium commorans, multo majora se de his quæ super hoc loco auditu perceperat, tam secundum Deum quam secundum sæculum videre gaudebat, et asserebat, merito censens et locum, et Patrem, et fratres per totum orbem sui ordinis hominibus celebriores habendos. Obtulit autem beato Benedicto, prout dignitatem Augustalem decebat, dona magnifica, id est planetam diasperam, totam undique auro contextam; albam quoque a scapulis et capite ac

manibus friso decentissime adornatam, a pedibus vero frisa nihilominus lista, mensuram ferme cubiti in latitudine habens, circumdatam, simulque et amictum cum brusto; pluviales duos purpureos, pretiosis aureis listis ornatos; pannum diarodinum trisacum cum auro ante faciem majoris altaris, nec non et pallium magnum cum elephantis, quod dossale cognominant; Eu lium (Evan elium) cum tabula fusili de argento, opere anaglypio et pulcherrime deaurato; duo quoque candelabra argentea, æque fusilia, pondere librarum duodecim.

Basilicæ ornatus. — Libet nunc, post ecclesiæ dedicationem, residua exornationis ipsius describere, ut licentius deinceps valeamus Desiderii gestis, tam in ædificiis, quam et in aliis quibuslibet magnificentiis, operam dare. Ad supradictam igitur regiam urbem quemdam de fratribus cum litteris ad imperatorem, et auro triginta et sex librarum pondere transmittens, auream ibi in altaris facie tabulam, cum gemmis ac smaltis valde speciosis patrari mandavit: quibus videlicet smaltis nonnullas quidem ex Evangelio, fere autem omnes beati Benedicti miraculorum insigniri fecit historias. Quem certe nos cum confratrem imperator Romanus nimis honorifice suscepit, et, quandiu ibi mansit, honeste eum suis omnibus reverenterque tractavit, et quidquid ornamentorum inibi vellet efficere, imperialem ei licentiam tribuit. Fecit itaque et cancellos quatuor, fusiles ex ære, ante altare scilicet hinc inde inter chorum et adytum statuendos; trabem quoque nihilominus fusilem ex ære, cum candelabris numero quinquaginta, in quibus utique totidem cerei per festivitates præcipuas ponerentur lampadibus subter in æreis uncis ex eadem trabe triginta et sex dependentibus; quæ videlicet ærea trabes, æreis æque brachiis ac manibus sustentata, trabi ligneæ, quam pulcherrime sculpi et auro colorumque fucis interim fecerat Desiderius exornari, commissa est, et supra sex columnas argenteas, quatuor et semis in altitudine cubitos habentes, et octo libras per singulas in ipsa chori fronte constituit, sub qua nimirum trabe quinque numero teretes iconas suspendit, tredecim vero quadratas paris mensuræ ac ponderis desuper statuit. E quibus videlicet decem ex quadratis prædictus frater apud Constantinopolim crosso argento sculpsit ac deauravit, habentes per singulas aliæ libras quatuordecim, aliæ duodecim: rotundas vero omnes argentea solum urna quatuor librarum circumdans, cætera coloribus ac figuris depingi græca peritia fecit; tres vero alias de quadratis ejusdem metalli atque mensuræ patrari, suorum artificum opere nequaquam dissimili, Desiderius jussit. Alteram quoque iconam rotundam, ex utraque parte argento mirifice sculpto ac deaurato vestitam, argenteis etiam bullis extrinsecus in gyro circumdatam, quidam nobilis tunc beato Benedicto a regia urbe transmisit: cui postmodum similis altera fieri jussa, utraque est in ciburio altaris hinc inde suspensa.

A Ceraptata etiam ærea fusilia, valde pulchra, duo m. na et parva septem, supra dictus frater secum a Constantinopoli detulit. Fecit præterea Desiderius et alteram trabem de argento, librarum circiter sexaginta, sculptam nihilominus ac deauratam, quam in fornice majori ante altare super quatuor argenteas columnas ex parte inau atas decima libras, et quinque cubitos altitudinis habentes locavit. Fecit et duas cruces magnas argenteas librarum per singulas triginta, quarum imagines cælatura satis mirifica prominerent, easque sub prædicta trabe inter easdem columnas hinc inde super marmoreos stipites statuit. Tres porro residuas majoris altaris facies argento librarum octoginta et sex bene sculpto ac deaurato vestivit. Nam reliquorum trium B altarium facies veteribus t bulis a tribus partibus adornatæ sunt; quatuor etiam trabes propter ciburium altaris simili modo sculpto ac deaurato argento extrinsecus induit; ab intus vero petalis (*f.*, laminis) et coloribus decoravit, e quibus duæ habent cubitos in longitudine sex libras viginti et viginti, duæ vero aliæ cubitos quatuor ac semis, libras viginti et viginti; sex etiam candelabra magna tres cubitos altitudinis habentia de productis ac sulptis argento laminis fecit, una (*f.*, æque) sex vel quinque librarum, quæ videlicet in festis præcipuis ante C altare in directa linea posita accendi cum maximis facculis debeant. Pulpitum quoque ligneum ad legendum sive cantandum, longe priori præstantius et eminentius fecit in ascensu graduum sex; idque diversis colorum fuci et auri petalis de pulcho pulcherrimum reddidit: ante quod columnam argenteam viginti et quinque librarum, partim deauratam ad modum magni candelabri, sex cubitorum in altitudine habens, supra basim porphyreticam statuit, super quam videlicet cereus magnus, qui Sabbato paschali benedicendus est, solemniter debeat exaltari. Fecit et pharum, id est coronam maximam, de argento librarum circiter centum, habens in circuitu cubitos viginti cum duodecim turribus extrinsecus prominentibus, sex et triginta ex ea lampadibus dependentibus, eamque extra chorum ante crucem majorem satis firma ferrea catena, septem deauratis malis distincta, suspendit. D His tantisper de constructione, consecratione, partimque decoratione novæ basilicæ quomodo libet exaratis, ad cætera monasterii ædificia percomplenda simul cum nostro Desiderio reditum faciamus.

Camera monasterii ædificia. — Post transactam igitur solemnem basilicæ dedicationem, cernens Desiderius, divina cooperante potentia, simulque Patris Benedicti meritis, omnia quæ cœperat ad perfectum, prout optaverat, pervenisse, audentior jam, imo valentior factus, totius cœnobii ambitum decrevit ingenti animo spatiare; et, ut jam de aliquibus fecerat, reliquas officinas, cum his etiam quæ ipsemet ante ecclesiæ constructionem construxerat, renovare. Et primo quidem claustrum, quod tantæ congregationi adhuc permodicum esse constat,

ampliare desiderans, everso mox vetere refectorio, A quod satis enormiter a latere templo, a fronte vero capitulo inhærebat, quodque etiam ipse dudum bis tempore diverso adauxerat, in ulteriore illud parte futuri claustri, juxta meridianum scilicet atrii ecclesiæ latus, decorum valde satisque magnum exstruxit, diversisque totum coloribus pictorum artificio compsit, et laqueari apposito trabibus, tegulis desuper operuit. Legivum quoque perpulchrum et eminens in eo constituit, quod, valde decenter gypso vestitum, cunctis spectabile reddidit. Cujus videlicet domus longitudinis in cubitis quinque et nonaginta extenditur, latitudo in tribus et viginti porrigitur, in quintodecimum vero altitudo sustollitur; ab orientali parte habens ingressum, ab occidentali vero absidam, ante quam profecto ampla valde abbatis mensa ex transverso cernitur constituta. Habet autem a latere meridiano fenestras quatuordecim, B circa pulpitum tres, a septentrionali vero duas tantum, duas quoque rotundas in frontibus singulis, omnes vitro tam gypso quam plumbo insigniter laboratas. Juxta eamdem quoque domum ab australi parte coquinam fratrum, amplam satis et pulchram, in duobus invicem connexis fornicibus, quos una tantum columna sustentet, erexit; interque ipsam et refectorium, gradus et januam, unde quæque necessaria in idem refectorium sive conferantur sive referantur, constituit. Ex altera vero ipsius coquinæ parte cellarium statuit, ex quo videlicet, tam refectorio quam coquinæ quælibet debeant C necessaria tribui. Post hæc cum needum sufficiens sibi ad tantam fratrum multitudinem claustri spatium videretur, vir certe magnanimis et nimis magnæ fiduciæ, dormitorium atque capitulum, quæ dudum ipsemet magno valde sumptu ac studio fabricaverat, nec non et veterem infirmantium domum, ex integro est aggressus evertere, et, claustri ampliandi occasione, easdem quoque domos ampliores efficere. Quoniam igitur exteriorem dormitorii murum porro longe ab altero in magno montis præcipitio statuebat erigere, quinque crossam cubitis maceriam in fundamento maximæ firmitatis gratia jaciens, eam in ducentorum spatio cubitorum per longum extendit, in altitudine autem cubitorum triginta erexit, quatuor et viginti cubitis in latitudine a muro interiori distantem; habens a meridiano tantum fenestras amplas viginti, e quibus tres maximæ tribus columnellis marmoreis fulciuntur: D quæ videlicet domus longe priore amplior, firmior ac pulchrior, studiose nimis est et fabrorum peritia lateribus tecta, et pictorum artificio coloribus decorata; juxta quam etiam, in ulteriori capite ipsius vestiarium fratrum construxit, parvum quidem, sed satis competens pulchrumque.

Religio erga defunctorum corpora.— His triennio circiter consummatis, montem e vestigio, qui intra jacebat, suffodere aggressus est, per longum scilicet cubitis centum et quinque, per latum autem quadraginta et novem, per altum vero circiter septem; sicque capituli ædem ab orientali parte per transversum constituit, ut interior ejus frontispicii angulus angulo exteriori tituli basilicæ sit connexus, absidia vero ipsius appropriare dormitorio videatur. Cujus videlicet domus longitudo cubitorum quinquaginta et trium, latitudo viginti, altitudo autem octo et decem habetur; habet autem a latere uno fenestras vitreas speciosissimas novem, ab altero totidem, a frontispicio aquilonali tres rotundas, ab australi vero duas æque rotundas, laqueari et pavimento seu picturis pretiosissimis sufficientissime decorata. Tantam autem tunc, cum ista suffoderentur, terræ motuum experti sumus frequentiam, ut uno quidem die vicibus decem et septem, per alios vero aliquot dies nunc quatuor, nunc duobus, modo etiam sex vel quinque vicibus, id per dies singulos sentiremus: quod certe propter innumeras ejusdem loci sepulturas tunc necessario violatas, quæ sanctorum forte hominum fuerant, non abs re contigisse multi putavimus. Alias sane satis raro hoc in loco solet fieri terræ motus. Verum quoniam ingens præcipitium ab interiori dormitorii parte remanserat, erectis secus eamdem domum cameris, et terra saxisque cætera replens injectis, itemque ante refectorium in fronte videlicet claustri, cueva nihilominus camera cisternam maximam fabricans, ita demum totius claustri superficiem coæquavit; mox itaque areas per gyrum deambulatorios super centum et decem marmoreas columnellas instituens, claustrum omne in longitudinem cubitorum centum et quinque, in latitudinem vero quinque et septuaginta diffudit. Cujus quia ea pars, quæ majoris basilicæ erat contigua, si cæteris coæquaretur non aptus in eamdem basilicam esset ingressus, subtus item et super deambulatorios fornices fecit, et in ejus utriusque angularis marmoreos gradus, quibus in cætera descenderetur, instituit: ad capitulum quidem quintodecimum, a refectorio vero tertio decimum, totumque in circuitu et lapideis pavimentis bisantei artificii stravit, et picturis pulcherrimis compsit. Nihil hoc moratus expleto, solarium palatii illius, quod a Richerio cœptum ipse perfecerat, ab eminentia priori ad claustri planitiem deposuit, atque inibi infirmorum fratrum quietem constituit. Porro ab occidentali parte claustri, juxta cisternam videlicet quam prædiximus, cellam novitiorum ordine satis aptavit, in qua videlicet iidem, juxta regulare institutum, et meditari et quiescere atque comedere novitii ipsi deberent; sicque jam tandem fratres, qui eatenus super tot operibus inquietati ac molestati plusquam satis exstiterant, opportuna simul et amœna quietis statione locatos, ordini de cætero regulari, quanto ordinatius tanto districtius operam dare perdocuit.

His igitur omnibus ex voto perfectis, et interioribus fratrum officinis decentissime, ut optaverat, consummatis, ad exteriora se nihilominus ædificia monasterii perficienda impiger ac fortis accinxit. Ab occidentali igitur parte primum maceriam firmissi-

mam erigens, portam pene cubitos triginta extra A veterem de quadratis ac sectis lapidibus statuit, supra quam turrem fortissimam in quatuor magnis columnis erectam ingenti camera confirmavit. Verum, cum exterius præcipitium pateret immensum, tumulus vero interius magnus existeret, eo defosso, præcipitium illud saxis ejus et terra, clivoso licet tramite, pervium fecit; ibique juxta, extra portam scilicet, xenodochium maximum fabricavit. Itaque demum hinc inde muro contiguo ac civitatum more munito universum monasterium circumsepsit. Dehinc aquilonali parte palatium quantitatis non modicæ ad hospitum quorumque receptionem ædificavit; pristinum quoque tanto decore construxit, ut multi peregrinorum huc venientium, ignorantes, quasi ad ecclesiam sæpius illuc oraturi convenerint. B Non cessabat, dum ista agerentur, Desiderius conquirendis ecclesiæ ornamentis insudare, et undecunque posset, quibuscunque posset ingeniis, quæ ejus apta essent pulchritudini comparare.

Ecclesia S. Martini construitur. Dedicatur. — Christo igitur duce, omnia sibi, prout optaverat, evenisse cognoscens hinc ad ecclesiam Beati Martini, quæ sola fere jam intra monasterii ambitum de veteribus ædificiis remanserat, renovandam totum cor Desiderius vertit. Diruta namque priori ejusdem Beati Martini basilica, jactisque in Christi nomine fundamentis, cœpit ejusdem ecclesiæ fabricam in longitudine cubitorum trium et quadraginta, latitudine viginti et octo, altitudine viginti et quatuor; fenestras vero ab uno latere novem, ab altero totidem; C porticus etiam utriusque parietes in sexdecim cubitorum altitudine erigens, fenestris quatuor, et quatuor totidemque ab altero distinxit, et illas quidem quæ in navi sunt, plumbo simul et vitro compactis tabulis ferro ligatis inclusit. In frontispicio porro ejusdem ecclesiæ fenestras tres, ac unam in absida distinguens, similis decoris patrari mandavit. Illas autem quæ in porticibus sunt, gypseas quidem, pari vero decore construxit. Columnas vero novem ab uno latere, totidemque ab altero erexit. Secus ipsam quoque ecclesiam curvato pariete, brevem quidem sed perpulchram domum, ad ejusdem ecclesiæ ministerium construxit. Cancellos vero lapideos ante Beati Martini altarium mirificos patrari fecit; absidam autem musivo decenter vestivit, in qua etiam aureis litteris hos versus des- D cribi fecit:

Cultibus exstiterat quondam locus iste dicatus
Dœmonicis, inque hoc templo veneratus Apollo.
Quod Pater huc properans Benedictus in omni- [potentis

Vertit honore Dei, Martini et nomine sancti.
Hoc Desiderius post centum lustra vetustum.
Parvumque evertit, renovavit, compsit et auxit.

Jam vero ipsius ecclesiæ pavimentum quam sit conspicuum, quam speciosum ac diversorum marmorum multiplicitate constratum, oculis omnium patet. Legivum quoque pulcherrimum, auro atque coloribus pictorum ingenio decoratum, ibidem exstrui jussit. Ante ipsius namque Beati Martini altarium tabulam argenteam ac deauratam, et pulcherrime sculptam, quatuor et quadraginta libras habentem Desiderius patrari mandavit, in qua omnes fere beati evangelistæ Matthæi et sancti confessoris Christi Martini desculpsit historias. Fecit et portas æreas in ingressu ejusdem ecclesiæ. Juxta eamdem vero basilicam mansiunculam in qua ipse maneret construens, trabibus appositis tegulis desuper operuit. Hæc ubi, cooperante Domino, prout optaverat consummavit, Beati Bartholomæi basilicam cum fratrum universo conventu tertio Nonas Januarias a Joanne, hujus ante cœnobii monacho, post Sorano episcopo fecit solemniter dedicari; in cujus altari apostolici corporis partem non exiguam in argentea recondidit capsa, in qua etiam has reliquias posuit, de lapide sancti Sepulcri, et sanctorum Joannis et Pauli, Viti, Januarii, Hermetis et Quadraginta martyrum. Enimvero tantæ apud Romanum pontificem Desiderius auctoritatis habebatur et gratiæ, ut, in quibuscunque vellet proprio pastore viduatis ecclesiis vel cœnobiis, juris ei esset suis ex fratribus episcopos substituere vel abbates. Non multo post hæc temporis evoluto, ædiculas quoque illas, quas instar turrium in atrii diximus angulis constitutas, alteram ab eodem Joanne, alteram a Leone fecit Aquinensi episcopo magna cum lætitia dedicari, quarto Idus Septembris. Sane in altari Beati archangeli Michaelis reliquias condidit sanctorum Nicandri et Marciani, Joannis et Pauli, Viti, Mercurii et Catharinæ, et vocabula sanctorum Apollinaris episcopi, Prothi et Hiacinthi; altare vero principis apostolorum Leo Aquinensis episcopus divino nomini, ipso domno abbate omniumque fratrum præsente conventu, cum magna lætitia et devotione sacravit. In eodem vero altario reconditæ sunt reliquiæ istæ: de quinque panibus hordeaceis, et sanctorum apostolorum Petri, Matthæi, Jacobi, Nazarii et Celsi, Januarii, Felicissimi et Agapiti, Sergii et Bacchi, Nicandri et Marciani, Aurelii, Protasii, Fortunati et sociorum ejus, et de vestimentis trium puerorum.

Varia ab auctoris scopo aliena omittuntur.— Huc usque Leo Marsicanus Cassinense Chronicum perduxit. Quæ vero sequuntur, a Petro Diacono addita sunt, ut ipsemet attestatur in Prologo libri IV, *quem Raynaldo abbati nuncupavit*; *sed cum ille multa interseruerit quæ ad illustrandam Desiderii Vitam non attinent, ea solummodo deinceps huc proferemus quæ ad rem nostram facient, cæteris omissis. In capite 35 agit de Alberico, Alfano, Amato et Constantino Afro, monachis Cassinensibus, quorum opuscula recenset; quæ item in ejusdem auctoris libello De viris illustribus Cassinensibus videri possunt.*

Alexander papa sanum reddit dœmoniacum, et monasterio privilegia concedit. — Sequenti tempore supradictus papa Alexander, Urbem egrediens, venit ad hoc monasterium. Qui a Desiderio honorifice

susceptus, dum abbatis cameram, quæ juxta ecclesiam Sancti Nicolai constructa est, ingressus fuisset, dæmoniacus quidam *ab eo liberatus est*, etc. Fecit præterea idem sanctissimus pontifex Patri Desiderio privilegium de monasterio Sanctæ Mariæ in Palladio, etc.

Monast. S. Angeli de Formis. — Peridem tempus Richardus princeps per præceptum obtulit beato Benedicto ecclesiam Sancti Angeli, quæ nuncupatur ad Formas, de qua superius, tempore scilicet Balduini abbatis, qualiter nobis a Marino papa concessa sit plenius scripsimus. Sed, quia Capuanus archiepiscopus illam eo tempore retinebat, præfatus princeps cupiens ibi facere monasterium ante septem circiter annos cum eo concambiavit, data pro ipsa alia ecclesia..... et Cassinensi cœnobio prædictam ecclesiam obtulit. Et, quoniam locus idem valde amœnus et satis aptus monasterio erat rogavit humiliter Desiderium ut pro amore suo specialiter inde studeret ; quod et fecit de monasterio Albanetæ, integram omnium mobilium medietatem accipiens, et cum medietate etiam ejusdem loci monachorum illuc transmittens ; cœpitque Desiderius illud ædificare ex integro tam speciose, tam spatiose, quemadmodum hodie cernitur, ubi etiam intra breve tempus quadraginta et eo amplius monachos regulariter victuros aggregavit.

Imp. CP. dona. — Circa hos dies Michael Constantinopolitanus imperator, Patri Desiderio per nuntios, quos ad eum direxit, dona quamplurima transmisit, poscens ut pro se ac liberis, et pro statu imperii sui Dei omnipotentis clementiam assidue supplicarent. Insuper etiam ob Patris Benedicti reverentiam, pro salute animæ suæ, per præceptum aurea bulla bullatum constituit ut per unum quemque annum hoc monasterium accipiat de palatio Constantinopolitani imperii auri libras viginti quatuor, et pallia quatuor ad nostræ congregationis sustentationem.

Monasteria Cassino tributa. — Borellus autem comes Borelli majoris filius, cum ob nonnulla sua in hoc loco servitia Desiderii familiaritatem fuisset non immerito adeptus, monasterium Sancti Petri, quod vocatur de Avellana, quod videlicet pater ipsius beato Dominico ante quatuor et quadraginta annos ad construendum tradiderat, quodque idem Borellus satis ampla terrarum concessione ditaverat, cum ecclesiis et colonis et cum omnibus omnino pertinentiis ac possessionibus suis, quod est terra quinque millium circiter modiorum, Beato Benedicto devotissimus obtulit, etc. Theodinus quoque et Oderisius atque Bernardus Balvenses comites, non multo post et ipsi quoque monasterium Sancti Petri, quod situm est in valle de Lacu, et aliud monasterium eremitarum in loco qui dicitur Pratum Cardesum, quæ nimirum et ipsa nihilominus a beato Dominico ante non plures annos fundata exstiterant, pari modo in hoc monasterio obtulerunt. etc. *De his monasteriis actum est in hujus Sæculi parte superiori, in Vita sancti Dominici abbatis Sorani ad*

A *annum* 1031. Eodem etiam anno Leo et Girardus Fundani consules..... una cum Richardo, cognomento de Aquila, obtulerunt huic loco ecclesiam Sancti Onufrii cum pertinentiis suis. Et quoniam locus idem habilis ad construendum monasterium erat, Desiderius cupiens ibidem facere monasterium, per Girardum præpositum Sancti Nicolai in Pica, qui quintus post eum hujus cœnobii abbas factus est in statum quo nunc cernitur erexit.

Pontifex in bonorum invasores decernit. — Eodem tempore Rosellanensis Ecclesiæ pontifex, ad hoc cœnobium veniens, non parvæ pecuniæ summam in hoc loco deposuit. Quod ubi Jordano principi relatum est, missis militibus, eamdem pecuniam de ecclesiæ secretario abstractam ad se deferri man-
B davit. Fratres autem ad hæc : Pecuniam, quæ Patri Benedicto credita est, nos alicui viventium minime damus ; sed illam in secretario ponentes, exinde qui præsumpserit auferat. Milites vero hæc audientes, et diabolico stimulo debriati (*sic*), pecuniam de secretario ecclesiæ abstrahentes ad principem deferunt. Tantum vero et tam immane et inauditum flagitium Gregorii papæ dum pervenisset ad aures, hujus temeritatis noxam inultam esse non ferens, et verens ne, exemplo hujus facinoris, iterum nostra ecclesia violaretur, divinum officium in Patris Benedicti ecclesia interdixit altariaque omnia denudari fecit, asserens quod in tanto scelere nimiæ negligentiæ et acriter ulciscendæ timiditatis et Desiderium ac fratres arguere posset, et gravius (se) adversus congregationem nostram commoveri debere, nisi ea
C qua locum istum semper dilexerat, charitate detineretur ; siquidem tolerabilius sibi videretur villas et castella nobis pertinentia in prædam et direptionem dari, quam ut sanctus locus, et per totam Christianitatem famosus et venerabilis, tantæ ignominiæ periculo subjaceret. Sed non in longum, postquam officium de ecclesia nostra interdictum est, vindictam distulit dextera Dei. Nam princeps tanti auctor sceleris, postquam pecuniam accepit, lumen amisit. Idem vero papa Gregorius in concilio residens constituit ut, si quis Normannorum, vel quorumlibet hominum, prædia, monasteria, villas seu possessiones hujus cœnobii Cassinensis invaserit, et bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat et Eccle-
D siæ satisfaciat.

Diversa de quibusdam omittuntur. — Capite 48. Petrus de Guinizone et Gebizone piis monachis agit, de quibus infra dicemus. In duobus autem capitibus quæ sequuntur fusius disserit de dissidiis inter Gregorium papam et Henricum augustum, tum de colloquio inter eumdem imperatorem et Desiderium, quæ hic fusius persequi non vacat.

Adunatio cum fratribus Cluniacensibus. — Circa hæc tempora Hugo venerabilis abbas Cluniacensis, vir celeberrimæ vitæ ac famæ, ad Patris Benedicti limina valde devotus advenit ; quem venerabilis Desiderius honorifice, ut tantum decebat virum, susci-

pieus, et societatem Cluniacensium fratrum nostræ congregationis adjungens, memoriam illorum apud nos, nostræque congregationis apud illos, in morte et in vita iidem viri venerabiles in perpetuum habendam sanxerunt. *Nonnulla subjungit de Gregorio et Raimfrido piis, monachis, de quibus egimus in prima hujus Sæculi parte*, pag. 103, etc., *ubi hoc ipsum Chronici Cassinensis caput, et alia nonnulla ex Petri continuatione, sub Leonis nomine, ut vulgo fit, laudavimus. Porro Angelus de Nuce, in notis ad hunc locum, profert Desiderii epistolam ad Petrum Damiani, qua ipsi tam viventi quam defuncto suas et totius congregationis Cassinensis ac successorum suorum preces pollicetur.*

Gregorius papa et alii benigne accipiuntur. — *Robertus Guiscardus Gregorium papam, quem Henricus imperator in arce Sancti Angeli obsessum tenebat, liberavit, eumque* ad hoc, *inquit Petrus*, monasterium usque deduxit. Quem apostolicum noster abbas usque ad ipsius exitum, cum episcopis et cardinalibus qui eum secuti fuerant, sustentavit.

Donum S. crucis. — His porro temporibus quidam Amalfitanæ civitatis nobilis, mundo mundanisque omnibus abrenuntians, ad hunc locum pervenit, et a Desiderio gratanter susceptus et monachus factus, partem non exiguam ligni salutiferæ et vivificæ crucis auro et lapidibus pretiosis ornatam et in aurea icona locatam, quam ipse de palatio Constantinopolitano abstulerat in conjuratione quæ contra Michaelem imperatorem facta est, beato Benedicto devotissimus obtulit. Desiderius autem, post ista Capuam pergens, et officinas monasterii Capuani in ruinis jam positas cernens, ad renovationem illius animum dedit. Dirupta namque priori ecclesia, jussit conduci artifices alios ad capitella columnarum miro opere facienda. Evocansque ad se Benedictum ejusdem loci præpositum, præcepit ut in ejusdem ecclesiæ renovatione omnibus rebus postpositis, specialiter invigilare studeret. Cujus ille imperio parens Patris Benedicti basilicam sicut nunc cernitur, pulcherrimam satis construxit, etc.

Obitus Roberti, eximii benefactoris. — Hoc anno, *scilicet, ut monet Angelus de Nuce*, 1085, *mense Julio, die festo sancti Alexii*, Robertus *Guiscardus Apuliæ* dux obiit, etc. Non autem videtur indignum hic ex parte aliqua summam oblationum istius ducis, ejusque conjugis Sicelgaitæ, ad scientiam posterorum adnectere, qui supra omnes fere sui temporis mortales locum istum, patrem Desiderium et nostram congregationem diligere, exaltare et honorare studuerunt. *Capite* 58, *recenset Petrus donationes illas singillatim, et capitibus sequentibus alias ab aliis viris nobilibus factas, capite* 62, *agit de Guaiferio, quem etiam laudavit in libro De viris illustribus, cap.* 29. *ubi* Benedictus qui et Guaiferius *dicitur.*

Desiderius nonnullos codices describi curat; qui indicantur. — Non solum autem in ædificiis, verum etiam in libris describendis operam Desiderius dare permaximam studuit. Codices namque nonnullos in hoc loco describi præcepit, quorum nomina hæc sunt: Augustinum contra Faustum, De opere monachorum, De sermone Domini in monte, Homilias quinquaginta super Epistolam ad Romanos, Sermones in Epistolas Pauli, De Genesi ad litteram, Epistolas ejus, Pastorale ejus, De baptismo parvulorum; Ambrosium De rebus gestis in ecclesia Mediolanensi De patriarchis, De fide ad Gratianum imperatorem; Sermones ejus; Registrum Leonis papæ, Registrum Felicis papæ; Regulam Basilii; Hieronymum super Ezechielem, super Epistolas Pauli, super duodecim prophetas; Eugesipium; Sermones Severiani; Historiam Anastasii; Historiam Langobardorum, Gotthorum et Vandalorum; Historiam Jordanis episcopi de Romanis et Gothis; Historiam Gregorii Turonensis; Josephum de bello Judaico; Historiam Cornelii, cum Homero; Historiam Erchemperti; Bedam super Tobiam; De locis sanctis; Evangelium majorem auro et lapidibus pretiosis ornatum, in quo has reliquias posuit, de ligno Domini et de vestimentis sancti Joannis evangelistæ; Sermones Leonis papæ; Sermones Gregorii Nazianzeni; Doctrinam Patrum; Sacramentorium cum Martyrologio; Sacramentorium aliud; Ordo Episcopalis; Gualfridum De officiis; Super regulam; Passionaria totius anni, libros quatuor; Antiphonaria de die duo, in choro semper habenda; Antiphonarium de nocte; Vitas Patrum; Instituta Patrum; Actus apostolorum cum Epistolis canonicis et Apocalypsin; Epistolas Pauli; Paralipomenon; super Cantica canticorum Origenis, Gregorii et Berengarii; Joannem Chrysostomum de reparatione lapsi; Dialogum quem ipse cum Alberico diacono edidit de miraculis monachorum loci istius; Dialogum aliud; Dialogum de vita sancti Benedicti, Hilarius mysteriorum et Hymnorum; Sedulium de Evangeliis; Juvencum de Evangeliis; Medicinalis; Psalterium; Cresconium de bellis Libicis; Versus Arichis, Pauli et Caroli; Versus Paulini; Ciceronem De natura deorum; Instituta Justiniani; Novellam ejus; Terentium; Horatium cum geometria; Ovidium Fastorum; Senecam; Virgilium cum egloga Theodorii; Donatum.

Fames. — Hoc præterea tempore latrones noctu hujus nostri monasterii ingressi cellarium, carnes, caseum, lardumque subripientes, suos his mercibus sacculos impleverunt; foras autem egressi, sacculos quos impleverant levare conati, minime potuerunt. Dein relicta sarcina tentantes fugam, per totius excursum noctis monasterii claustra circumeuntes, nullam egrediendi facultatem penitus consequi valuerunt, etc. Hoc præterea tempore fames maxima per totam fere Italiam facta est. Tunc Desiderius cum fratribus communicato consilio, cibos indigentibus abundanter conferebat.

Defuncto pontifice, papatum suscipere renuit. — Anno autem Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo quinto, indictione octava, cum venerabilis ac semper recolendæ memoriæ domnus Gregorius septimus papa apud Salernum infirmitate magna detineretur

interrogatus ante diem tertium obitus sui ab episcopis et cardinalibus, qui tunc una cum Desiderio præsentes erant, quid post suum obitum de Romanæ sedis ordinatione juberet, respondit: ut si unquam aliquo modo possent, eumdem Desiderium ad hoc officium promoverent. Is enim præter id quod primus presbyter cardinalis Romanæ tunc Ecclesiæ esset, et prudentia maxima, et religione singulari, et principum circummanentium amicitia multa polleret. Si vero hunc nullatenus flectere ad ista valerent, aut archiepiscopum Lugdunensem Ugonem aut Ottonem Ostiensem, aut Lucensem episcopum; quem prius ex his habere possent, in papam eligere post suum obitum quantocius festinarent. Hoc statuto defunctus est, octavo scilicet Kalendas Junii, die Dominica, et honorabiliter intra ecclesiam beati Matthæi apostoli et evangelistæ sepultus, cum sedisset in pontificatu annis duodecim, mense uno, diebus tribus. Et quoniam Romana Ecclesia pastore destituta remanserat, et hæretici atque schismatici more luporum illam nitebantur invadere, Desiderius una cum episcopis et cardinalibus, nec non et laicis religiosis, qui hactenus in catholica unitate, et obedientia papæ Gregorii fideliter perstiterant, cœpit unanimiter agere qualiter eam posset decentissime ordinare. Miserunt ergo et convenire fecerunt undique aptas huic officio personas, quatenus ex eis unanimi consensu eam personam cum gratia et auxilio Dei eligerent, quæ idonea et apta tanto ordini esset. Convenientes post hæc ad prædictum abbatem episcopi et cardinales, cœperunt eum super præfati pontificis judicio appellare utque in tanta temporis necessitate periclitanti subveniret Eclesiæ papatum suscipiendo, instantissime flagitare. Ad hæc ille papatum quidem se suscipere obstinatissima responsione recusavit; aliis vero quibus sciret et posset modis, ad Romanæ Ecclesiæ servitium se paratum esse spopondit. Die Pentecostes Savinensi episcopo et Gratiano Roma venientibus occurrit, eisque verba quæ cum papa Gregorio de Ecclesiæ ordinatione habuerat retulit; pariterque cum eis Jordanum principem et Raynulfum comitem adiit, atque ad servitium et adjutorium Romanæ Ecclesiæ adhortatus, libentissime ad omnia paratos invenit. Cœpit deinde cardinalibus vehementer insistere ut de pontificis eligendi persona quantocius deliberarent, et ut ad comitissam Mathildam literas mitterent, quatenus studeret ut et ii quos prædiximus episcopi, et quotquot idoneæ tanto officio personæ judicarentur, Romam sine tarditate venirent. Quod illi facere negligentes, cum Jordano principe clam machinabantur eidem abbati pastoralem curam injungere, et suasionibus multis nitebantur eum quoquo modo Romam perducere, putantes violenter se id ei posse imponere: quod ipse persentiens, omnimodo renuere et contradicere cœpit; sicque ad hoc monasterium reversus, iterum Normannos et Langobardos, et omnes quotquot potuit, hortari ad Romanæ Ecclesiæ servitium cœpit, et multos ex eis promptos et paratos ad rem ipsam invenit. Sed quia fervor æstatis nimius erat, propterea tunc Romam ire distulerunt, quousque se et calor æstatis imminueret, et tempora infirma transirent. Postquam vero princeps conducto exercitu hujus rei gratia Romam eundi Campaniam venit, comitantibus etiam se una cum Desiderio nonnullis partium istarum episcopis, ipse suspectus prædictorum consiliorum amplius procedere noluit, dicens quod, nisi Jordanus princeps et comes Raynulfus, et episcopi Romani fidem suam sibi præsenti darent, nullam super hac re vim illi illaturos, neque alios inferre passuros, ipse cum eis nullatenus pergeret. Renuentibus facere, hac de causa res tunc infecta remansit.

Eligitur. — Jam fere annus in tali fluctuatione transierat, quo in sede apostolica nullus pastor erat, nullus Dominici gregis curam gerebat, et Guibertus hæresiarcha oves Christi sanguine redemptas suis cum sequacibus laniabat, cum circa Paschalem festivitatem episcopi et cardinales Romanæ Ecclesiæ de diversis partibus Romam convenientes, mandaverunt prædicto abbati ut una cum episcopis et cardinalibus Romanis, qui secum tunc morabantur, et cum Gisulfo Salernitano principe, qui tunc a Cisalpinis partibus venerat, ad eos quantocius pergerent, quatenus de Romanæ Ecclesiæ ordinatione simul tractarent. Ille nihil suspicans de se jam illos aliquid cogitare, cum jam nulla de eo mentio ab aliquo fieret, assumptis præfatis omnibus, Romanam pervenit ad urbem. Eo die quo applicuit, in vigiliis Pentecostes, instante Desiderio ut pontificatus apex personarum earum injungeretur alicui quæ vel ipsis vel ei videbantur idoneæ, renuerunt prorsus omnis Romanus et clerus et populus consentire. Per totam autem ipsam diem multa frequentia, quotquot catholicæ parti favebant, tam clerici quam laici, ad eum convenientes, jam circa vesperam congregati sunt pariter omnes, tam episcopi et cardinales quam et cæteri Romani, qui in fidelitate beati Petri apostolorum principis perseverabant, in diaconiam sanctæ Luciæ, quæ est juxta Septe solis (f., Septizonium), cœperuntque omnes unanimiter Desiderium multis precibus obsecrare ut Romanum pontificatum suscipere non recusaret; cumque obtestare per divina, per humana omnia, ut subveniret periclitanti Ecclesiæ in naufragio constitutæ, multoties ad genua ejus, nonnullis lacrymantibus, omnes pariter ruentes. Desiderius vero, qui jamdudum decreverat vitam suam in quiete transigere, et qui magis optabat in divina peregrinatione suum tempus finire cœpit omnimodis refutare, et hoc se nunquam consensurum firmiter repromittere. Instare illi vehementer, perseveranter insistere; ipse vehementius reniti, resistere perseverantius, dicens: « Pro certo sciatis quia, si aliquam mihi violentiam super hoc intuleritis, ego quidem, prout citius potuero, Cassinum redibo, et nullo modo unquam inde me intromitto; vos autem, propter hoc, ridiculum magnum et vobis et Romanæ Ecclesiæ facitis : »

quia tardior jam hora processerat, imminente jam nocte, ad sua quique reversi sunt. Summo mane, Dominica Pentecostes, omnes unanimiter ad eum iterum convenientes, eadem cœperunt repetere; et ipse nihilominus in semel fixa sententia perdurare. Videntes se omnino jam nihil proficere, dixerunt Desiderio presbyteri et cardinales episcopi quoniam quemcunque ipse illis consuluisset, ipsum illi parati essent eligere. Unde, cum Cencio Romanorum consule consilio habito, tandem ut Ostiensis episcopus papa eligeretur, decrevit. Post hæc quæsierunt ab eo ut ipsum pontificem, quem eligerent, in Cassinensi monasterio reciperet; cumque donec Ecclesia tranquillaretur, cum suis omnibus sustentaret, sicut et de supradicto papa Gregorio fecerat: quod Desiderius libentissime facere repromisit, et per ferulam quam manu gestabat, eos in fide sua de hoc investivit. Cum autem jam jamque de Ostiensi episcopo decernerent, repente iterum quidam de cardinalibus contra canones hanc esse electionem affirmans, nequaquam se consensurum clamavit. Illis pro tempore, pro necessitate hoc ferre oportere astruentibus, nequaquam eum ad suam sententiam flectere valuerunt. Verum, ut sapientum Salomon sapiens attestatur non est prudentia, non est consilium contra Deum (*Pro.* xxi, 30). Mox enim episcopi et cardinales una cum clero et populo in Desiderii duritiam stomachantes, et videntes se nil posse cum eo precibus agere, statuerunt violenter causam perficere. Tandem itaque universi pariter uno consensu et animo illum capientes, invitum et renitentem attrahunt, et ad ecclesiam prædictam Christi martyris Luciæ perducunt, ibique eum juxta morem Ecclesiæ eligentes, Victoris ei nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum et voluntatem fecerunt, cappam quidem rubeam induebat, albam vero nunquam ei potuerunt induere.

Roma discedit. Cassini moratur.— Eo igitur tempore præfectus imperatoris a duce et ejus matre dimissus, propter illud videlicet odium, quod episcopi et cardinales, faciente tamen Salernitano principe Salernitanum archiepiscopum sacrare noluerunt, die noctuque cum aliquantis ære iniquo conductis in capitolium contra eumdem electum conveniens, persecutiones ei maximas intulit. Post quatuor dies idem electus Romam egressus, venit Ardeam ibique per triduum remoratus, abiit Terracinam, ab inde crucem et chlamydem et cætera pontificatus insignia ita dimisit, ut eis ulterius uti nullo unquam modo persuaderi potuerit, decernens potius omni vitæ suæ tempore in divina peregrinatione vitam finire, quam tanti ordinis fascibus gravissimis colla submittere. Insistebatur ei quotidie precibus, lacrymisque creberrimis, objiciebantur Ecclesiarum magna discrimina; ingerebatur plurimarum perditio animarum, quibus ei manifestissime divina indignatio intendebatur; sicque Cassinum reversus est. Cæterum per anni totius curriculum adeo mentis ejus propositum immobile perstitit, ut

A nullis omnino argumentis ad eorum potuerit hortamenta precationesque deflecti. Non tamen ob hoc cardinales et episcopi, qui cum eo erant, aliquatenus quiescentes, Jordano principi instare cœperunt ut quantocius properaret, et propter consecrationem ejusdem electi Romam cum eis pergeret. Qui cum magno exercitu ad hoc monasterium veniens, partim dehortatione ipsius electi, partim timore æstatis ulterius progredi nolens, reversus est.

Concilium Capuæ. Romæ Consecratur. Cassinum redit. — Sequenti anno, mediante Quadragesima, apud Capuam concilio episcoporum congregato, cum prædictus electus una cum episcopis et cardinalibus Romanis eidem concilio præfuisset, Cencius etiam Romanorum consul cum aliis nobilibus Romanis, et Jordanus princeps, et Rogerius dux cum B omnibus fere suis optimatibus interfuisset, post finem concilii rursus insperate, et nihil eo de his suspicante, cum multis precibus lacrymisque a clericis et laicis perurgeretur, biduo immobilis perstitit. Tandem cum dux et princeps, una cum episcopis cæterisque catholicis viris, fluentes ejus pedibus adjacerent, multis rationibus et orationibus coactus vix tandem succubuit, et præteritam electionem crucis et purpuræ resumptione firmavit, duodecimo scilicet Kalendas Aprilis, Dominica in Ramis palmarum. Inde Cassinum reversus, ibidem Pascha celebravit. Peracta festivitate, cum Capuano ac Salernitano principe Romam perrexit, ac juxta civitatem Ostiensem Tiberim cum omnibus transiens, cum gravi infirmitate detineretur, extra C porticum Sancti Petri tentoria fixit: et quoniam Ravennas hæresiarcha (*Guibertus*), qui vivente papa Gregorio papatum invaserat, ecclesiam Sancti Petri armata manu tenebat, non integro die a militibus principis, Dei auxilio expugnata et recepta est. Dominico vero die post Dominicam Ascensionem, multis Romanis et omnibus fere Transtiberinis solemniter cum maxima frequentia occurrentibus, præfatus electus a Romanis episcopis, Ostiensi videlicet, Tusculanensi, Portuensi atque Albanensi, cardinalibus quoque et episcopis atque abbatibus quamplurimis assistentibus, more ecclesiastico consecratus et in apostolicam sedem locatus est septima Idus Maii: quo etiam die corpus sancti confessoris Christi Nicolai a civitate Mirensi. D in qua per annos septingentos septuaginta quinque quieverat, Barim delatum est. Prædictus autem pontifex per octo circiter dies Romæ remoratus, una cum prædictis principibus ad hoc monasterium rediit.

Romam adiit. Ubi turbæ. — Post exiguum vero temporis spatium comitissa Mathildis urbem adiens, magnis eumdem pontificem supplicationibus per legatos interpellavit, quatenus ejus frui aspectibus, ejus potiri colloquiis mereretur. Eam quippe causam sibi Romam veniendi fuisse permaximam suggerebat. Cogebat corporis languor loco non abscedere; sed quia pro sanctæ utilitate Ecclesiæ omnibus se disposuerat vel extremis periculis objectare

iter per mare aggressus est. Cumque ad Urbem pervenisset, a comitissa et ejus exercitu ac cæteris beati Petri fidelibus devotissime officiosissimeque susceptus est, atque apud ecclesiam beati Petri octo diebus permansit. Deinde in festivitate sancti Barnabæ super altare Sancti Petri missam solemniter celebrans, eadem die, auxilio et ope præfatæ comitissæ, per transtiberim Romam intravit. Transtiberim tunc totam, Romanorumque permaximam partem, et nobilium, pene omnem populum, castellum quoque sancti Angeli, basilicam Beati Petri, civitatem Ostiensem ac Portuensem in sui jurisdictione tenebat; morabatur vero apud Insulam Romæ, quæ et ipsa juris exstabat. Die igitur qui apostolorum natalitia præcedebat, nuntius quidam, quasi ex imperatoris parte adveniens, omnes consules, senatores ac populum Romanum de corona submovit imperii cum subito Romani pervenientes, præter beati Petri ecclesiam, universa ceperunt; ecclesiam vero ipsam, quam supradicti pontificis homines desuper tenebant, ingredi nullo modo potuerunt. Sed quia Guiberti hæresiarchæ multitudo per maxima erat, hi qui ex parte papæ Victoris erant, contra tantam hostium manum obsistere non valentes, in Transtiberim, sive in castellum Sancti Angeli discesserunt. Jam die mediante in ecclesia Sanctæ Mariæ in turribus Ravennas hæresiarcha missam cantavit. Nam utrumque capanile, igne et fumo supposito, ceperat; sole autem jam ad occasum vergente, hi qui in ecclesia steterant palam cum armis suis descendentes, reversi sunt. Ita, heu, proh dolor! apostolica et universalis beati Petri ecclesia, eo die quo ejus præcipue festivitas exstitit, omni tam nocturno quam diurno officio caruit. Sic Guiberti hæresiarchæ spes frustrata est, qui in apostolorum solemnitate missas illic celebrare affectabat. Altera die ab hæreticis apostolicum altare lotum, et missa est ibi peracta. Die vero sequenti omnes ad propria sunt reversi, et eadem ecclesia in ditionem papæ Victoris rediit. Eo itidem tempore, dum quidam peregrini orationis gratia ad Beatum Benedictum venirent, obvius illis quidam vir canonicus factus est quem quis esset interrogantes, Petrum apostolum se esse respondit. Et illi: Quo tendis? Et sanctus Apostolus: Vado ad fratrem Benedictum, ut cum illo passionis meæ diem celebrem; nam Romæ consistere non valeo. Variis enim procellis Ecclesia mea deprimitur. Quod dum fratribus viri illi postmodum reserassent, ad succedentium memoriam constituerunt, ita tanti apostoli festivitatem sicut et Patris Benedicti, cum maxima devotione solemniter celebrare. *Capite sequenti agit de variis tumultibus a Guiberto ac ejus sequacibus excitatis, et de coronatione Henrici.*

Expeditio in Africam.— Æstuabat interea ingenti desiderio idem Victor apostolicus, qualiter Saracenorum in Africa commorantium confunderet, conculcaret atque contereret infidelitatem. Unde, cum episcopis et cardinalibus consilio habito, de omnibus fere Italiæ populis Christianorum exercitum congregans, atque vexillum beati Petri apostoli illis contradens, sub remissione omnium peccatorum, contra Saracenos in Africa commorantes direxit. Christo igitur duce, Africanam devoluti dum essent ad urbem, omni nisu illam expugnantes, Deo adjuvante, ceperunt, interfectis de Saracenorum exercitu centum millibus pugnatorum. Quod ne quis ambigat hoc absque voluntate accedisse divina, illo die quo Christiani de Seracenis victoriam adepti sunt, eo etiam Italiæ divinitus patefactum est.

Synodus Beneventi.—Præfatus autem Victor papa tertius Urbem egrediens venit ad hoc monasterium, sociatisque sibi episcopis et cardinalibus ecclesiam Sancti Nicolai in Pica solemniter dedicavit. Mense autem Augusto synodum celebrare cum episcopis Apuliæ et Calabriæ, nec non Principatuum statuens, Beneventum perrexit, in qua videlicet idem apostolicus præsidens, ait: Novit dilectio vestra, etc. *Multa oratione complectitur adversus Guibertum, quem anathematizat: tum conqueritur adversus Hugonem Lugdunensem et Richardum abbatem Massiliensem desertores. Declarat excommunicatorum consortium ita fugiendum esse, ut debeant fideles potius absque sacramentis vivere et mori, quam eorum communione polluí. Exstat in tomo II Spicilegii Acheriani pag. 405 Hugonis Lugdunensis epistola ad Mathildem comitissam, in qua diluere conatur ea quæ sibi hac in re imposita fuerant. Multum invehit in Desiderium in epistola altera ad eamdem Mathildem, quam Hugo Flaviniacensis abbas integram inseruit in Chronico Virdunensi, apud Labbeum tomo I Bibliothecæ novæ pag. 233. Sed has calumnias expungit unanimis scriptorum hujus ævi graviorum consensus qui multis laudibus Victorem celebrarunt. Sic de eo habet chronographus noster ms. Saxonicus ad annum* 1085. Hildebrandus papa, qui et Gregorius VII, apud Salernam exulatus moritur, et ibidem in ecclesia sepelitur, cui, Northmannorum ex Apulia et Mathildis potentissimæ per Italiam feminæ cunctorumque ejusmodi sectam æmulantium assensu, Desiderius cardinalis Romanus et abbas Cassinensis, verus Christi famulus, licet multum corde simul et corpore renitens substituitur, Victor nominatus. Etenim cum infirmitate gravi laborans ad summum hunc apicem invitus, imo captivus proveheretur, precibus obtinuit ut infra non multos dies ab hac vita tolleretur. *Eadem ferme habet Trithemius ad laudatum annum* 1085 *in editione Saugallensi Chronici Hirsaugiensis, qui et eumdem pontificem aliis quoque locis passim celebrat. Quæ vero post Capuanam synodum gesta fuerint, ex Petro Chronicum prosequente discamus.*

Oderisius abbas. — In eodem vero concilio idem pontifex graviter infirmatus, post actum per tres dies concilium, festinanter Cassinum rediit, atque cum episcopis et cardinalibus ad hoc monasterium ascendens, in capitulum fratrum se ferri præcepit, et sub districtissimo anathemate interdixit ne quis

successorum suorum auderet vendere vel aliena e terraticum, ecclesias, villas, vel quascunque possessiones huic Cassinensi cœnobio pertinentes. Simili modo interdixit ne quis monachorum auderet facere chartam, vel libellum absque scientia abbatis sui: quod si fecisset, irritum esset. Constituit etiam tunc ut omnia monasteria, quæ sub ditione hujus nostri Cassinensis, cœnobii sunt, prandium per unumquemque annum huic nostræ congregationi faciant. Hoc statuto omnium monachorum unanimi consensu, præfatis episcopis in eodem capitulo residentibus atque confirmantibus, domnum Oderisium, religiosum valde virum, et Romanum diaconum, qui tunc in hoc nostro monasterio præpositurae fungebatur officio, abbatem constituit. Post hæc convocatis eisdem episcopis atque cardinalibus monuit atque præcepit ut, juxta quod prædecessor suus papa Gregorius jamdudum decreverat, Ottonem Ostiensem episcopum in papam eligere, quanto possent citius, persuaderent; eumque, quia præsens erat, manu apprehendens cæteris episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, et in Romanam Ecclesiam ordinate, meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habete. His ita dispositis atque decretis, sepulcrum sibi construi in absida ipsius capituli jussit, atque post diem tertiam feliciter migravit ad Dominum, sexto decimo Kalendas Octobris, anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo septimo, a Patris autem Benedicti transitu anno quingentesimo septuagesimo nono, cum præfuisset in hujus monasterii regimine annis viginti novem, mensibus quatuor, dies sexdecim; in sede vero apostolica ab ipso suæ electionis exordio anno uno, sacrationis mensibus quatuor, dies septem. *Eum* dysenteria dissolutum *obiisse scribit Sigibertus in Chronico ad annum* 1086. *Alii veneno illum periisse aiunt; unde nonnulli martyris ei titulum dedere, quod hoc pacto ob Ecclesæ defensionem ab ejus inimicis veneno necatus possit dici.*

Multa relinquit ornamenta. — Ista præterea ornamenta idem papa Victor ad mortem suam in hoc monasterio dereliquit: quæ omnia fere post dedicationem ecclesiæ partim ipse cum fratribus hujus cœnobii acquisivit, partim ab aliis in pignore posita recollegit. Planetæ diaspræ deauratæ quinque, et tres sine auro; diarodanæ tres deauratæ, diapisti duæ, et alia cetrina: purpureæ deauratæ septem, et aliæ quinque purpureæ, et duæ exametæ; planeta Joannis medici; planetæ quotidianæ sex, quadragesimales quatuor; dalmaticæ paratæ octo, et aliæ undecim; tunicæ paratæ quinque, et aliæ decem et novem, propter incensum quinque. Pluviales auro ornatos triginta octo, et alios octoginta septem; albas lineas centum nonaginta tres, de serico decem; stolæ deauratæ cum manipulis suis decem et novem; de argento cum manipulis suis tres; stolæ aliæ decem et octo: semicinctia septem; fanones aurei pro subdiaconibus tres, et alii quatuordecim; camisi magni deaurati cum amictis suis duo, et alii de serico septem, panni de altari Sancti Benedicti facies una cum margaritis, et altera facies deaurata; coopertoria cum auro tria, et duo sine auro: circitoria magna et optima undecim. Panni de altare Sancti Joannis, circitoria quinque et coopertoria quinque; panni de altare Sanctæ Mariæ facies una purpurea cum auro, coopertorium cum smaltis, circitoria quatuor, opertoria quatuor; panni de altare Sancti Gregorii, circitorium aureum et alios quatuor sine auro, opertoria quatuor, dossales magni decem et novem, dossales minores triginta; ostiaria (*f.* hostiaria) septem: calices aurei duodecim cum patenis suis; septem majores, et quinque minores; fistula aurea cum angulo; calices argentei Sacronici duo, et alii argentei septem; fistulas argenteas duas: thuribula de auro duo, de argento deaurata duo; alia argentea maxima duo; et alia argentea octo: candelabra de crystallo parium unum, et aliud parium argenteum cum onychino, et aliud parium argenteum cum malis crystallinis, et alia candelabra quinque: duæ laternæ argenteæ magnæ, et una quotidiana: Evangelium ipsius, Evangelium imperatoris, Evangelium papæ Stephani, Evangelium imperatricis; duo Evangelia fratris Firmi; Evangelium abbatis Aligerni; duo Sacramentoria cum argento; Epistolaria duo, unum cum tabula aurea, aliud cum tabulis argenteis; Regulam Sancti Benedicti cum tabulis argenteis; capsa magna argentea cum gemmis et smaltis; scrinia argentea duo; duas cruces aureas magnas cum gemmis, et duæ aliæ aureæ minores, et tres argenteæ ad processionem; candelabrum; urceum cum aquamanili suo; fumigatorium græcum aliud cum nigello; urceum cum smaltis. Omnia hæc argentea Pyxis aurea cum smaltis pro corpore Domini, et alia major argentea cum nigello; coppetellæ de pernis tres; calices onychinos duos; bacilia argentea paria duo; centum libras auri non laborati, stolæ aureæ duæ; fanonem imperialem totum aureum; scaramangæ imperatorum duodecim; coronam de argento super altare Sancti Joannis cum crucibus quinque, et aliam crucem græcam; coronam argenteam deauratam, et lapidibus pretiosis ornatam, ferens sex cruces; aliam coronam super altare Sancti Benedicti, ferens tres cruces lapidibus pretiosis ornatas; in Sancto Nicolao coronam argenteam, et crucem argenteam fusam; coronæ argenteæ, quas in veteri ecclesia invenit, undecim. Hæc de reverendissimi Victoris tertii papæ vita et moribus, ac loci istius renovatione seu adornatione breviter dicta sufficiant. Cæterum quandiu mundi istius orbita volvitur, ejus laudabile meritum semper accipit incrementum per Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. *Hic subjicimus epitaphium, quod hodieque visitur inscriptum ejus sepulcro in capella Sancti Bertharii.*

EPITAPHIUM VICTORIS PAPÆ III

(*Jam supra dedimus.*)

Victoris memoria et reliquiæ. Opuscula. — *His*

quæ de Desiderio, seu Victore, diximus ex Leone et Petro ejus continuatore, nihil fere adjiciendum occurrit, cum animus non sit ea quæ in vulgatis auctoribus de eo habentur huc referre. Ejus memoriam ipsa Septembris 16 *die, quæ ei ultima fuit, celebrant fasti Benedictini et Ferrarius in Catalogo generali sanctorum. Sacra ejus ossa ex antiquo sepulcro in sacellum beati Berthari translata sunt anno* 1515 *cum vero idem sacellum, jam ab annis multis inchoatum, anno tandem* 1666 *plane consummatum fuisset, beati pontificis reliquiæ solemni pompa ibidem ad altaris dexteram partem locatæ sunt ab illustrissimo præsule Angelo de Nuce, tunc temporis* A *Sacri Montis abbate, postea Rossanensium archiepiscopo, ut ipse narrat in notis ad caput* 73, *libri* III *chronici Cassinensis. Porro locum inter ecclesiasticos scriptores meruit Victor, cujus opuscula recenset Petrus Diaconus, in libro De viris illustribus monasterii Cassinensis, capite* 18. De miraculis, *inquit,* quæ a beato Benedicto et a monachis Cassinensibus gesta sunt, una cum Theophilo diacono libros edidit quatuor. Cantum etiam Beati Mauri composuit, etc. Factus pontifex scripsit ad Philippum regem Francorum, ad Ugonem Cluniacensem abbatem quamplures epistolas. *Ex his dialogorum libri tres editi sunt, quarto nondum reperto.*

VICTORIS III PAPÆ.

EPISTOLÆ.

I.

Ad imperatricem (1) *pro relevando tributo S. Sepulcri.*

(Anno 1086.)

(MABILL. *Annal. Bened.*, Append. ad t. V. p. 647.)

VICTOR episcopus, servus servorum Dei, gloriosæ et dilectæ filiæ A. imperatrici Augustæ.

Apostolicæ sedis debito compellimur, charissima nobis in Christo filia, majoribus et minoribus non subtrahere salutaria monita. In qua utique causa tanto magis insistere sublimioribus debemus, quanto eos temporaliter plus prodesse aut nocere posse Christi pauperibus scimus. Unde, cupiens tuam dignitatem in futuro non condemnari pro temporali oppressione peregrinorum et pauperum, sed glorificari pro relevatione eorum, denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu ut ab oratoribus et visitatoribus sancti et gloriosi Sepulcri ejus facias cessare gravissimum et importabile tributum quod eis imponitur a tuis officialibus. Ut enim alia quæ ubivis locorum imperii tui patiuntur taceamus, in duobus tantum locis adeo angariantur, ut pro singulis equis tres aurei, et ex binis peditibus totidem tollantur. Insuper equos eorumdem oratorum vi omni venerabili tos quandiu volunt angariant et vexant. Cujus quidem periculi malum nisi quantocius imperiali edicto a regno tuo propellas, in animam tuam, quod absit! redundaturum scias; quia ad majores respicit quidquid a minoribus delinquitur, et facientes et con- B sentientes pari pœna plectentur. Nos tamen, ut decet, semper in bono memores tui et tuæ venerabilis genealogiæ, optamus te præ multis sic temet atque tuos regere, quatenus sic nomen bonum, quod melius est quam divitiæ multæ, acquiras, et in futuro gaudium Domini tui feliciter introeas. Valere perpetuo tuam excellentiam et optamus et oremus: atque ut Romanæ Ecclesiæ, scilicet primæ et propriæ matris tuæ, sicut te decet, recorderis, eamque semper venereris admonemus. Equidem ipsa jugiter tui in bono recordatur, et avitam prosapiam tuam veneratur,

II.

Victor III episcopatus Ravellensis, nuper constituti possessiones, petente Ursone episcopo, confirmat.

(Anno 1087.)

C [UGHELLI, *Italia sacra*, I, 1182.]

VICTOR episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio URSO Ravellensi episcopo in perpetuum.

Quandoquidem, superna disponente clementia, B. Petri apostolorum principi, ejusque successoribus ubique gentium ordinandi, disponendi, regendi et gubernandi Ecclesias a Deo est concessa potestas nos quoque pro modulo nostro omnium Ecclesiarum sollicitudinem habentes, hoc quod nostræ mentis arcano Dei miseratio inspiravit, jure disponere, regere et gubernare satagimus. Quocirca piis votis justisque postulationibus annuentes, concedimus tibi,

(1) Fallor, si error in hujus epistolæ titulum non irrepsit; nec dubito quin hæ litteræ Alexio tunc temporis Constantinopolitano imperatori, non vero cuivis Orientis aut Occidentis imperatrici scriptæ fuerint. Certe nemo nescit Alexium non modo exercitibus ad sacras expeditiones properantibus, verum etiam ipsis peregrinis ex Occidente adventantibus insidias tetendisse. Ejus autem avaritiam probat D hæc ipsa bulla aureis litteris exarata qua fatetur se in angustiis redactum donaria sacra e templis abstulisse. Vetat quidem ibi ne id in posterum fiat; sed si ab ecclesiis spoliandis postea abstinuit, non tamen eum a vexandis peregrinis moderatiorem fuisse probant ea quæ illorum temporum historici passim referunt.

partibus vel audisse, vel vidisse me contigerit aliis duobus libellis concludere, conde vita, studebo. Et ut omnem dubitationis scrupulum legentibus auferam, per singula quæque personas a quibus mihi hæc sunt relata subnectam: melius esse reputans ex toto silere, quam aliquid falsum mendosumve narrare.

Theophilus. Cum Scriptura dicat : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11), quare beatus Paulus, una cum Sila carceris custodiæ mancipatus, Romanum se esse asserait, cum non Romanum, sed Judæum fuisse luce clarius constet?

Desiderius : Absit hoc a fidelium cordibus, ut veritatis prædicator, doctorque gentium, mendacium in aliquo incurrisse credatur! Beatissimus enim Paulus et Romanus erat, et Romanus non erat; Romanus non erat, quia ex Romana urbe oriundus nonfuerat (2). Romanus vero erat, quia omnis Judaica plebs, ut universus pene orbis, sub Romani tunc temporis imperii ditione degebat. Vel etiam propterea quia Romanus *excelsus* interpretatur, congruentissime justissimeque se Romanum potuit appellare, quia se excelsum esse nullatenus hæsitabat, sicut ipse dicit: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III).

Theophilus. Fateor, valde mihi sunt grata quæ dicis, sed ea, quæso, quæ promiseras narrare jam incipe.

Desiderius. Res valde est nova quam narro, et seniorum nostrorum assertione roborata de reverendissimo viro: (3) Appollinare abbate scilicet nostri monasterii, cui, Deo fautore, licet indignus deservio : cujus sanctitas, benignitas, largitas, omnibus pene in hac provincia commorantibus lucidissime patuit. Qui dum quadam die, necessitate cogente, prædia requireret monasterii, venit ad fluvium (4) Lirim; cumque navis deesset qua fluvium transire posset, plenus fide, signaculo sanctæ crucis se muniens, accessit ad oram fluminis, atque, ut erat, indutus vestibus, calceatus pedibus, fluvium est ingressus; et ita (5) sicco vestigio ad alteram ripam pervenit, ut nec calceamenta quidem ipsius made-

A facta viderentur. Animadverte, precor, quantæ sanctitatis, quantæque religionis ac meriti apud omnipotentem Deum iste vir exstitit, cui adhuc pondere gravato corporis concessum est elementum super liquidum ac si super aridam ambulare; ut videlicet apostolorum principi similis hoc in facto habeatur, cum desuper undas, jubente Domino, sicco vestigio gradiebatur.

Theophilus. Animadverto utique et vehementer admiror, cum in nostris temporibus (in quibus juxta Prophetæ vaticinium : *Defecit sanctus, diminutæ sunt veritates a filiis hominum; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* [*Psal.* XIII] omnipotens Deus talia dignatus est operari.

Desiderius. Si illud, charissime frater, attendas, quod Dominus discipulis suis promittere est dignatus : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII), lætari potius quam mirari poteris.

B

Theophilus (6). Et lætor quidem, et vehementer exsulto; sed, prorsus precor, inchoata prosequere.

Desiderius. Eo quoque tempore quo gens Agarenorum, devecta classe, late devastavere Italiam, qualiter omnipotens Deus hoc de manibus illorum liberaverit monasterium, non duxi dignum silentio præterire. Cum igitur omnia circumcirca igne, ferroque consumpsissent, ecclesias etiam sanctissimorum Petri et Pauli adeuntes deprædati sunt. Dein Appiæ carpentes iter, Fundanam aggressi urbem, igne eam cremarunt., cunctique in ea commorantes ab eis vel occisi vel capti sunt. Indeque digressi, C in vicinia nostri monasterii trans Lirim fluvium applicantes, quia nox jam imminebat terris, castra posuerunt, ut facto mane omne monasterium funditus diruerent, vel quidquid ibi invenire possent, in prædam abducerent : et ut sunt nimis sitientes sanguinem, omnes quos illic reperissent fratres, gladio jugularent. Cumque hoc tam horrendum, tam immane, tamque formidandum periculum esset in monasterio nuntiatum, omnes fratres nimio pavore perculsi, terræ consternati sunt, divinam majesta-

(2) Fuit hæreditario jure S. Paulus civis Romanus; et hoc modo natus, non quia in ipsa Urbe, sed quia patre cive Romano : natus enim erat Tarsi, quæ Ciliciæ metropolis erat, et jus municipale a Romanis fuerat consecuta, ita ut Tarsenses censerentur cives Romani, et civium Romanorum privilegiis fruerentur. Vide Lorin. in Acta apost., cap. 22, vers. 28.

(3) Creatur Apollinaris abbas Casinen., anno Domini 817, et in Martyrol. Benedictino titulo sanctitatis decoratur sub die V Kal. Decembris, cujus gesta luculenter descripsit Petrus Diac., lib. ms. De ortu et vita Justorum Casin., cap. 26. Vide etiam Leonem Ost. in Chron., l. I, cap. 18.

(4) Liris, qui et Carilianus, fluvius Campaniæ præcipuus, eam a Latio distinguens, cujus fontes in Apennino monte supra Soram civitatem monstrantur.

(5) Sic etiam super aquas fluminis, quod Yla dicitur, gradiuntur præcisa capita gestantes sanctus Frontosius et socii mart. Ll S. Hyacinthus, ord. præd., expanso super undas pallio sicco vestigio ambulavit, sociosque secum traducens. Nazarium et Celsum super undas etiam ambulasse, cum in mare projecti essent, refert Marulus, lib. III, cap. 3. Gloriosa Charitine, anno 308, lapide collo ejus alligato demersa in profundum maris, et per aquas tanquam per terram solidam incedens ad littus pervenit, Sur. 5 Octobris. Quirinus martyr. Prudentio, et D Eusebio in Chron. auctoribus, anno 314, alligatus ad saxum, demersusque in flumen enatavit; et placide super aquas ambulavit, sustinentibus saxum ferentibusque undis. Sub pedibus Bessarionis abbatis aqua solidata legitur. in Vit. Patr., lib. VI, libel. 2, n. 2. Et B. quoque Oringa, sive Christiana virgo, in Etruria fugit per fluvium siccis pedibus ne nubere cogatur.

(6) Anno Dom. 846. Agareni seu Saraceni, utpote gens populosa, magna Italiæ damna intulerunt, omnesque fere Romanas provincias incendiis et direptionibus vastarunt, Ost. in Chron. lib. I, c. 26. Baron. hoc eodem anno.

tem obnixe precantes, ut illorum animas benigne recipere dignaretur, quarum corpora tam subitæ, tam formidandæ morti, peccatis exigentibus, tradere decrevisset : non enim amplius in hoc mundo se victuros credebant, qui tam proxime mortis gladium sibi imminere cernebant. Igitur cum per totam noctem aspersi capita cinere, vigiliis et orationibus essent intenti reverentissimus vir Appollinaris abbas, cujus superius mentionem feci (7), Bassatium abbatem, religiosum scilicet virum, per visionem allocutus est, dicens : Nolite timere, ne mœstum geratis animum ; non enim in hoc tempore ab Agarenis capiemini, nec aliquid damni divina protegente dextera vobis inferre poterunt ; sed quantocius revertentes suos adire tentabunt fines; vos autem deinceps securi ac illæsi manebitis, quia sanctissimus Pater Benedictus vestram ab omnipotente Domino salutem obtinuit ; ipse enim venit ad adjuvandum vos, nosque omnes cum eo simul. Igitur venerabilis vir Bassatius abbas expergefactus somno, convocatis in unum fratribus, retulit quæ vidisset, quæque sibi revelata fuissent ; et ut instanter omnipotentem Dominum deprecarentur admonuit. At illi certi de divina misericordia alacres effecti, laudantes ac benedicentes Dominum, quod reliquum erat noctis, precibus orationibusque consummant. Tanta vero erat serenitas aeris, ut nulla in eo vel tenuis quidem nubecula videretur, cum subito cœlum densatur nubibus, tonitrua concrepant, coruscationes ac fulgura crebra micant, tantusque imber effusus est terris, ut Liris fluvius, late redundans, quasi mare videretur. Igitur illucescente diluculo, surgentes a castris barbari accesserunt ad oram fluminis diligentius perscrutantes si quam forte navim vadumque reperire possent, ut fluvium transmeare valerent : sed cum omnis transeundi spes eis esset ablata, dira incitati barbarie, manus sibi digitosque corrodentes, quod spe frustrati prædæ, vacui remanserant, cellas nostri monasterii trans Lirim positas igne cremantes, verso exercitu quantocius abire cœperunt. Cumque ad eum locum pervenissent, quo prædictus Liris fluvius patenti ostio mari influit, omnes quos habebant equos, debilitatis cruribus, præcisis nervis, quia secum ferre nequibant, reliquerunt. Ipsi vero, ascensis navibus, dantesque carbasa ventis, recto cursu sulcantes æquora, Siciliam devenissent, et se celeriter aridam contingere sperarent : repente parvam cernunt naviculam huc illucque inter suas naves liquidas super undas celeriter discurrentem, in qua clericus veneranda canitie et alter monachus sedere videbantur. Et cum ab eis sollicite interrogarentur unde tam læti, tam alacres, vel tam onusti repedarent ? ab Italia se venire professi sunt, ibique omnia igni ferroque tradidisse : domos

A etiam Petri ac Pauli, nec non Benedicti se exspoliasse gloriati sunt. Et vos, inquiunt, qui estis, qui tam sollicite, tam diligenter, tamque curiose nos interrogare nitimini ? Nos, inquiunt, unus Petrus, alter Benedictus vocamur, quorum domos vos invasisse jactatis; sed cujus virtutis, cujusve potentiæ simus, quam citissime experiemini. Et his dictis ab oculis eorum ablati sunt. Mox igitur undique furentibus ventis, tumescentibus fluctibus, tanta subito tempestas exorta est ut naves omnes vel collisæ inter se vel impulsæ scopulis confractæ sint. Ita ut ex omni illa paganorum copia vix pauci superfuerint qui suis hæc, a quibus missi fuerant, civibus nuntiare potuissent. Et quidem permisit omnipotens Deus ad tempus suas ab eis ecclesias devastari, sed non est B passus eos super tanto facinore diutius gratulari. Hoc in facto illud mihi videtur esse impletum, quod beatus P. Benedictus suis olim discipulis promiserat, dicens : Præsentior vobis, dilecti filii, carnis deposito onere, vestrisque per Dei gratiam cooperator existam assiduus. Illud etiam quod B. Petro Dominus intulit, dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Non inquit, non valebunt) sed, non prævalabunt : portæ enim inferi pagani sunt, hæretici atque Judæi, qui tunc adversus Dei valere videntur Ecclesiam, cum per eos Dominus suos flagellari fideles permittit; sed non prævalebunt, quia omnipotens ac misericors Deus non eos de Ecclesia sua perpetuos sinit C habere triumphos. Unde et Apostolus hortatur, dicens : *Tribulationem patimur, sed non coangustamur ; aporiamur, sed non destituimur ; persecutionem patimur, sed non derelinquimur* ; *humiliamur, sed non confundimur ; tribulamur, sed non perimus* (*II Cor.* IV).

Theophilus. Placent vehementer quæ dicis.

Desiderius. Joannes sanctæ recordationis presbyter (8), qui in nostro monasterio decanatus officio aliquo tempore functus est, vestri postmodum monasterii quod intra Lucensem urbem constructum est, præpositus fuit, qui quantæ obedientiæ, quan-D tæque humilitatis fuerit, plures qui eum noverunt monachi et adhuc supersunt, testes existunt. De mirabilibus vero quæ per eum divina majestas operari dignata est, quia plura a memoria lapsa sunt, quæ recolo, pauca narrabo. Cum idem vir Dei jejuniis, vigiliis, orationibus, maximeque largitati eleemosynarum esset intentus, tantam lacrymarum gratiam Domino largiente promeruit, ut dubium non esset quod illæ lacrymæ multa apud Deum impetrare valuissent, quæ ex tam simplici humilique corde editæ fuissent. Cumque fama sanctitatis ejus totam per eamdem urbem claresceret, dæmoniaca quædam, quæ graviter vexabatur, ad monasterium

(7) Bassatius creatur abbas Casin. ann. Domini 837. Ost. in Chron. lib. I, cap. 23 ; et obiit anno 856, die 16 Kal. Aprilis.

(8) Gesta Joannis, genere ac cognomine Apuli, abbatis Lucensis sanctitate conspicui, descripsit Petrus Diac. lib. ms. De ort. et vit. just., cap. 33, Ost. in Chron., lib. II, cap. 92, et in Martyrol. Benedictino., sub die 22 Febr. inter beatos ascribitur. Vivebat anno Domini 1055.

cui ipse præerat adducta est. Et cum ab eis qui eam duxerant, ut pro eo Dominum precaretur, magnis precibus fuisset obstrictus, convocatis fratribus oratorium intravit, atque multis effusis lacrymis preces pro ea Domino fudit, statimque ab ea dæmonium effugavit.

Sed neque hoc sileam, quod veridicis viris de eodem venerabili viro narrantibus agnovi, quod videlicet ita clarum est, ut nullis pene, qui intra mœnia ejusdem præfatæ urbis Lucensis commorantur, occultum sit vel incognitum. Cujusdam namque illustris viri uxor infirmitate detenta jacebat in lectulo, quæ adeo crescente languore ad extrema perducta est, ut per tres dies sine sensu, sine voce recubans, velut mortua haberetur. Cumque omnes qui aderant, funditus de ejus vita desperarent, ad Dei hominem missum est, ut pro ea omnipotenti Domino hostias precesque offerre dignaretur. At ille, ut erat benevolus animo, et ad supplicantium vota paratus, mox sacerdotalibus indutus vestibus ad altare omnipotenti Deo sacrificium oblaturus accessit. Igitur cum intra sacra missarum solemnia nomen illius memoraretur, illa in domo propria, longe a monasterio posita, ex lectulo in quo quasi exanimis jacebat, tanquam si ab aliquo vocaretur, respondit. Cumque ab illis qui aderant interrogaretur quid diceret, vel cui responsum dedisset, illa inquit : Dominus Joannes præpositus nunquid non est hic ? ipse enim vocavit me, illique respondi. At illi obstupefacti ex tam inusitato, tam celebri, tamque obstupendo miraculo, tum quia illam quæ fere exanimis jacuerat, sanam pene et incolumem videbant; tum quia vocem illius tam longe positi audisse se referebat, statim curaverunt ad monasterium nuntios mittere, ut quid servus Dei ageret agnoscerent, et indicarent : procul dubio credentes, quod non abs re mulier iam celeriter in lectulo surrexisset, responsumque dedisset. Cumque illi qui missi fuerant ad monasterii oratorium intrassent, virum Dei invenerunt juxta altare stantem, ac pro ea longinquitatis auctori Domino sacrificium offerentem ; et subtiliter notantes horam, repererunt eodem momento, quo intra sacra missarum solemnia nominata est, eam ex lecto surrexisse, responsumque dedisse.

Felicis etiam memoriæ (9) S. Alexander papa vir disertissimus ac eruditissimus exstitit : qui primum Lucensem, postmodum vero Romanam Ecclesiam rexit, ex cujus ore ea, quæ nunc refero, de eodem venerabili viro audisse me contigit. Cum quodam tempore idem præfatus pontifex febre correptus graviter ægrotasset, et quotidie languore crescente vehementius fatigaretur, repente ei ad memoriam rediit quod fama vulgante de prædicto servo Dei sæpius audierat : quod videlicet, quicunque febre detentus hausisset (10) ex aqua quæ de manibus ipsius defluebat, dum post missarum solemnia ablueretur, mox recepta sanitate liberaretur. Latenter igitur misit qui sibi ex illa aqua aliquantulum afferre debuissent. Cumque hi, qui missi fuerant, aquam quam postulaverat attulissent mox ebibit, atque ita repente sanitati pristinæ restitutus est, ut nulla in eo languoris illius indicia remanerent.

Alius quoque vir venerabilis vitæ, Guinizzo (11) nomine, mente et habitu monachus fuit, qui ex ulteriori Hispania nostrum ad cœnobium veniens, in hac vicina silva non parvo tempore vitam solitariam duxit, ubique in omnipotentis Domini Jesu Christi servitio vitam finivit. De quo venerabili viro Joannes abbas monasterii S. Vincentii, siti juxta ortum Vulturni amnis, qui ei familliarissimus fuit, multa miranda mihi, cum adhuc in nostro monasterio præposituræ curam gereret, referre solitus erat. Cujus discipulus Januarius (12) nomine, magnæ obedientiæ, magnæque abstinentiæ monachus exstitit. Qui dum quodam tempore a magistro suo, venerabili videlicet Guinizzone, ut ferramenta quibus operari soliti erant reficeret, Aquinum missus fuisset, domum fabri ferrarii adiit, atque ab eo eadem ferramenta reparari, data mercede, poposcit. Faber vero ferrarius cœpit eum irridere, dicens : Num ex pane et aqua solitarius iste tam rubicundus tamque pinguis exstat (13). Rubor iste, ut mihi videtur, magis ex vino quam ex latice hausto procedit. At ille : Hodie, inquit, tibi utrum ex natura an ex assidua vini potatione rubore conspergar, ostendam. Cum vero ferrum in ignem missum vehementer ferveret, et faber ferrarius, id acceptum forcipe, super incudem posuisset, ac scintillæ, huc illucque undique volantes, totam pene domum illustravissent, casu ferrum ex incude in terram desiliens cecidit. Igitur venerabilis vir Januarius, ferrum ex incude cecidisse conspiciens, inclinans sese, fervens ferrum nuda manu tenuit, et super incudem ponens, malleatorem,

(9) Hic fuit Alexander papa II, creatus anno Domini 1061 ; moritur Romæ miraculis illustris, anno 1073.

(10) Refertur etiam hoc miraculum a Leone Ost., lib. II, cap. 92, et a Baron., anno Domini 1070, n. 22. In græca etiam natione elucet ista pietas bibendi aquam qua sacerdos post missarum solemnia manus suas abluit, ad varias ægritudines repellendas; testatur eruditissimus Leo Allatius, lib. De quorumdam Græc. opinat., n. 6.

(11) Vixit Guinizzo circa annum 1080, tempore quo Henricus Romanum, Basilius Constantinopolitanum gubernabat, imperium. Vir plane mirabilis, sanctitate conspicuus, et prophetiæ spiritu splendidus, et in Martyrol. Benedictino inter sanctos, sub die 26 Maii recensitus, cujus acta descripta videntur apud Leonem Ost., lib. III, c. 47, et Petr. Diac., lib. De ortu Just. Casin., c. 30) quo loco etiam memorantur dial. Desiderii.

(12) De Januario habetur mentio in Vita Guinizzonis descripta a P. Diacon., lib. De or. justorum Casinen., capite 30.

(13) Sic etiam S. Cassius Narniensis episcopus a Totila Gothorum rege bibacitatis est insimulatus, fundamentum ex rubore faciei desumptum, ad quam calumniam depellendam insurgit S. Greg. III Dial. cap. 6.

ut quantocius id percuteret, hortatus est. At illi qui aderant viso tanto miraculo, nimio pavore perterriti, pedibus ejus provoluti, veniam ex irrisione quam in eum exercuerant, humiliter deprecati sunt. Sicque factum est ut omnis illa irrisio in venerationem versa sit, quam stulti homines in Dei servum procaciter inferre præsumpserant. Itaque cum venerabilis vir ad magistrum, atque ad cellam propterea remeasset, ab eo vehementer correptus est, quod insultantibus cedens, talia in oculis hominum facere præsumpsisset. Cumque ille unde hoc sciret, vel quis sibi indicasset, percunctaretur: Ille, inquit, qui tibi præstitit ut posses facere, mihi etiam ut possim scire.

Theophilus. Cum Dominus dicat : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Luc.* XII), quid est quod sancti viri bona sua occultant, et ne ab aliquibus videantur, omni nisu elaborant ?

Desiderius. (14) Sancti viri et si quandoque opera sua ostendant in publico, intentio tamen illorum manet in occulto ; per hoc enim quod intus agunt, laudes exterius non requirunt, quia et de bono opere proximis cupiunt præbere exemplum, et tamen, per intentionem, qua soli Deo placere desiderant, semper optant esse secretum. Tunc, inquam, bona sua occultari appetunt, quando ex eorum propalatione nullum animarum lucrum, nullum fraternæ saluti emolumentum cernunt adfuturum. Cum autem exinde ad gloriam omnipotentis Dei aliquid se lucrari posse conspiciunt, tunc bona sua declarari ac propalari patiuntur, quia non suam, sed Conditoris sui laudem requirunt.

Theophilus. Satis aperta ratio patet, nec aliquid inde ultra requirendum puto.

Desiderius. Ea quoque quæ de hoc egregio viro, videlicet Guinizzone, Joannes religiosus monachus, qui in hac vicina silva sub anachoretica disciplina solitarius commoratur, solitus est referre, dignum duxi huic nostro associare libello ; dicebat enim : Quia cum adhuc in Beneventana civitaté in suo monasterio degeret, quadam die quidam Dei servus sibi, aliisque fratribus qui ibi aderant, intulerit, dicens, Pro certo sciatis hodie aliquem magnum virum e monachis apud montem Casinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum : quod illi audientes, mirati sunt, quod per octoginta ferme milliaria

A egredientem e corpore animam illius videre potuerit, et non adhibentes fidem, subtiliter studuerunt indagare. Et repertum est eo die illum venerabilem virum emisisse animam, quo prædictus Dei servus Beneventi positus agnovit.

Sed neque hoc tacebo, quod de Mancuso monacho fratribus referentibus agnovi, quem ipse in monasterio positus vidi, nostroque jam tempore defunctus est. Qui cum ex Apuliæ partibus conversionis gratia huc venisset, a Richerio (15) abbate nostro prædecessore susceptus, fratum congregationi sociatus est. Itaque in monasterio corpore, in sæculo mente degens, semper terrena quæque meditabatur : omne magisterium regularis disciplinæ sibi grave et importabile videbatur. Tunc cœpit ab abbate licentiam

B petere, multasque occasiones adinvenire qua patriam parentesque posset revisere. Cumque ab abbate suo sæpius fuisset admonitus, ut viam véritatis, quam semel arripuerat, in melius proficiens de die in diem ad finem usque perduceret, deposita omnis torporis ignavia, summopere studeret, ne forte juxta sententiam Domini (*Luc.* IX, 62), aratrum tenens retroque respiciens regno cœlorum aptus esse non posset ; et ne uxorem Lot imitans in statuam salis versus (*Gen.* XIX. 16), horrendum cunctis spectaculum præberet : ille nihilominus (cujus mens semel a maligno obsessa fuerat) nullo modo quiescebat, sed quotidie abbatem fratresque precibus fatigando, ut eum patriam revisere sinerent, omnimode postulabat. Cumque spem redeundi frustratam sibi esse

C conspiceret, clam de monasterio egressus, more fugacis servi nocturnas tenebras captans, ut canis ad suum vomitum ad patriam (16). diabolo instigante, reversus est, atque in parentum domo mansitans, sæculariter ibi, ut jamdudum mente conceperat, vivere cœpit. Sed cum ab abbate suo per nuntium sæpe fuisset admonitus ut ad monasterii claustra rediret, et ille, salutaria monita parvipendens, obtemperare negligeret, ab eodem abbate communione privatus est. Cum itaque non post multos dies paululum languore correptus in lectulo resideret, immanem leonem ingredientem ostium ac contra se aperto ore venientem cernit. At ille ad ingressum ferocis bestiæ territus, cœpit magnis vocibus clamare, dicens : Currite, currite, quia leo iste me devorare contendit. Leo vero rugiens irruit

D in eum, et mordens, coxam illius apprehendens, maximum ex ea carnis frustum abstraxit, sicque

(14) Videntur desumpta ex homil. 11 in Evang. S. Gregor. pap.

(15) Richerius creatur abbas Casin. anno Domini 1038 ; obiit ann. 1055, infra quod spatium temporis accidisse hoc miraculum deprehenditur. Vide Ost. lib. III.

(16) Quam exitialis sit monacho patria refert Cassian., collat. Pat., lib. V, cap. 32, de abbate Machete, qui non solum fasciculum epistolarum a parentibus delatum volvere non præsumpsit, sed igni tradidit comburendum : « Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulterius ad illa quæ fugi revocare tentetis. » Scribit Simon Miletius hodie ostendi locum in descensu montis Casini ad Sanctum Germanum, in quo Draco monacho, in monasterio permanere nolenti et postea exeunti, apparuerit, quem dæmonem draconis specie tranformatum fuisse ait. Sed illustre prorsus est quod in Vita sancti Dominici, lib. III, c. 2, a Theodorico proditum legitur. Vide S. Hieron., epist. ad Heliodor. De laude vitæ solit., et S. Ambros. De fuga sæculi. Attendant igitur sibi, et caveant illi monachi, qui non solum patriam non deserunt, parentes et amicos non dimittunt, sed quotidie animi sui causa magnatum sectantur aulas, et oculos. Utinam nosæculi nostri hoc vitium sit.

eum ementatum ac semineceem relinquens disparuit. A Cumque plures ad clamorem vocis illius obstupefacti concurrerent, leonem quidem minime viderunt, sed ementatum ac semineceem monachum in terra prostratum invenerunt. Itaque cum eum a terra elevarent, paululum recepto spiritu, cuncta quæ sibi acciderant per ordinem pandit, et ut quantocius se ad monasterium reducerent, propinquos ac vicinos obnixe precatus est. Propinquis igitur ejus voto obtemperantibus, ad cellam hujus nostri monasterii, quæ contra Asculanum oppidum sita est, eum portaverunt, ibique post paululum recuperata sanitate, huc ad monasterium est reversus ac ex perpetrata culpa, pœnitentia accepta, plures postea in sanctæ conversationis habitu vixit annos.

Theophilus. Monachus iste, ut video, idcirco B leoni, id est diabolo, visibiliter ad tempus traditus est, ut postmodum invisibiliter ab ejus potestate liberari in perpetuum mereretur.

Desiderius. Vis etiam ut narrem tibi qualiter omnipotens Deus hoc monasterium de tyrannorum manibus semper eripuit, atque ab inimicorum infestatione, meritis beati P. Benedicti, dextera suæ divinitatis protexit ?

Theophilus. Narra quodlibet; inam alacri animo, devota mente attentisque auribus me cuncta hæc auscultare profiteor.

Desiderius. Pandulphus Capuanus princeps (17) vir potentissimus ac ditissimus fuit, qui latrocinando, humanum sanguinem fundendo, civitates, oppida ac aliorum prædia circumcirca manentium crudeliter auferens, suo subdidit dominatui: quique stupra, C cædes, rapinas distractionesque bonorum ecclesiarum multa per tempora, absque ulla miseratione, insatiabiliter exercuit. Igitur cum plurimas opes Christi ecclesiis diripiens abstulisset, omnia castra, villas ac prædia hujus monastereii cupiditate ductus sacrilega abstulit, ita ut nec unum rusticum qui rura coleret, vel rura quæ a rustico colerentur, monachis reliquisset. Insuper etiam omnem thesaurum hujus monastereii auferens asportavit, ac in arce, quam non longe a Capuana urbe, in monte qui S. Agathæ martyris dicitur (18), construxerat, in qua multa spolia orphanorum, viduarum et ecclesiarum ac pauperum intulerat, condens reposuit. Cum vero jam omnipotens Deus tantis sceleribus finem vellet imponere, et lacrymæ et voces pupillorum, vidua- D rum ac pauperum, nec non orationes precesque servorum Dei, in conspectu Divinitatis ejus essent admissæ, sicut scriptum est: *Cor regis in manu Dei est* (*Prov.* XXI, 1): Conradi imperatoris menti inspiravit, ut ad vindicandas ejus ecclesias ac de tyrannorum manibus eruendas Italiam revisens Romam veniret (*anno* 1038). Cum igitur magno exercitu congregato Italiam ingrediens Romam venisset, optimos ex latere suo viros Capuam mittere placuit Pandulpho principi, cui, ut bona S. Benedicti injuste a se ablata omni postposita mora, restitueret, et nobiles vel cujuslibet generis viros, quos captos ac magno ferri pondere connexos multos in carcere detinebat, dimitteret, omnesque res illorum eis festinanter redderet, per eosdem viros voluit imperare; nam voluntas veniendi ad has partes minime animo ejus insederat, si ea perficere posset quæ per præfatos viros eidem Pandulpho præcipiebat. Sed Deus omnipotens, qui cor Pharaonis induravit ob multa quæ in populum Dei sine causa irrogaverat mala, ut Mosi servo suo signa et prodigia mirabiliter ostendenti non crederet (*Exod.* X, 1), induravit etiam et cor istius, ne jussioni imperatoriæ obediret. Cumque ii qui missi ab imperatore fuerant Capuam venissent, multis cum eodem Pandulpho verbis frustra habitis, ad imperatorem sine effectu reversi sunt. At vero postquam imperator se contemptum a principe vidit, ira commotus, Roma exercitu moto egrediens, Casinum venit, ac ad B. P. Benedicti limina conscendit. Facta hora fratrum capitulum intravit, congregatisque in unum fratribus, ut pro se Dominum precarentur, rogavit; ibique coram eis Deum beatumque Benedictum non ob aliud se ad has partes venisse, nisi ut ejus monasterium de manu crudelissimi tyranni eriperet, testatus est. Deinde benedictione petita inde ingressus Capuam venit; satellites vero præfati principis, qui monasterii bona ejus imperio ad sui usum detinebant, postquam de Augusti adventu certificati cognoverunt, omnes huc illucque fugientes dispersi sunt. Sicque factum est ut monasterium omnia castra, villas ac prædia sibi ablata uno die reciperet, et ea quæ ibi ad alienum usum ministri scelerum congregaverant in monachorum potestatem devenirent. Unde eis mihi contigisse videtur illud quod B. P. Benedictus discipulis suis ex inopia panum tristantibus olim prædixerat: Ut hodie minus, crastina vero abundanter haberent. Præfatus igitur Augustus Capuam ingressus, eidem Pandulpho principatus honorem auferens, alterum in locum ejus constituit. Ipse vero in arcem, quam in monte S. Agathæ martyris summo studio munierat, ex eadem urbe fugiens, se contulit. Unde divina dispositione contigit ut omnia quæ latrocinando, pejerando, multorumque cruorem innoxium effundendo, multa per tempora acquisierat, in spatio unius septimanæ amitteret: nihilque sibi ex tot et tantis acquisitis municipiis, præter arcem quam prædiximus, remaneret, et qui multos aliorum natos, suis ablatis rebus, mendicare coegerat, qui ex eo orti sunt usque hodie huc illucque mendicatum pergant. Quæ omnia meritis B. Benedicti sibi evenisse quis dubitet, cujus ipse bona, iniqua ductus cupiditate, distraxit.

Theophilus. De hac re minime dubitandum est,

(17) Istum Pandulphum fuisse quartum principem Capuanum, qui obiit an. 1050, docet eruditissimus Camil. Pereg. in Histor. principum Langob. Ejus gesta recitat Leo ost., lib. II cap. 60, 64, 84; et Baron., anno 1038, num. 3.

(18) Mons S. Agathæ nunc dicitur S. Nicolai. Vide S. Capuan, Mich. monachi in not. ad S. Offam.

quando coram fratribus præfatus imperator non ob aliud, nisi ob defensionem Sancti Benedicti monasterii se Romam transisse testatus est.

Desiderius. Alio tempore (*anno* 1049) quidam Capuanus, Pandulphus nomine, collectis ex amicis et vicinis undique equitibus, ac non parvo militum numero congregato, castellum hujus monasterii quæ Concha dicitur, diabolo instigante, aggredi ac capere conabatur. Qui e Capuana urbe suis cum sequacibus, inclinato jam ad vesperam die, egressus, ut per totam noctem deambulans, antequam dies illucesceret, cunctis adhuc secure illic dormientibus, prædictum castellum aggredi et capere posset, iter arripuit. Cum vero egressi urbe, aliquantulum processissent, atque in eum locum, ex quo ipsi jam non in die, sed in nocte, ne ab aliquibus viderentur, ambulare disposuerant, pervenissent, eis paululum ibi remorantibus, optata nox supervenit. Qui, ut filii tenebrarum, magis tenebras quam lucem diligentes, ac illud quod Dominus in Evangelio dicit: *Qui ambulat in nocte, offendit* (*Joan.* XI), minime attendentes, per agrum unius fundi cœperunt ambulare, et ad invasionem præfati castri quantocius properare. Igitur equis calcaribus cruentatis, recto se itinere ire putantes, per totam noctem prædictum agrum discurrentes, circumierunt (18*). Sed operis Dei mirabili dispositione facto mane, ibi se eos ubi se nox ceperat invenerunt; sicque eis quæ cupierant frustrati, confusi ac mirabiliter fatigati, ad domum suam vacui sunt reversi.

Alio quoque tempore (19), dum piscatores hujus monasterii retia in mare, qui pisces ad refectionem fratrum caperent, misissent, Nortmannus quidam, mente tumidus ac inflatus superbia, furibundus spiritu, supervenit, et ut sunt ad rapinam avidi, ad invadenda aliena bona inexplebiliter anxii, comprehensum unum ex piscatoribus, vestimentum ei, quo erat indutus, abstraxit, sibique mox induit; deinde naviculam ingressus, piscatorem cogere cœpit, ut retia ex alto educeret, quatenus pisces, qui in eis inventi essent, secum abstrahens deportaret. Cumque piscator renueret, et se pisces ad monachorum, non ad Nortmannorum refectionem capere velle se diceret, valde cæsus ab eodem Nortmanno in mare projectus est. Cum vero idem Nortmannus piscium prædæ avidus retia ex alto per semetipsum trahere et pisces legere cœpisset, subito inde ex navicula cecidit, atque interclusus ab æquore spiritum exhalavit. Sed, mirabile dictu! ante illum unda mortuum projecit in littore quam piscator qui ab eo projectus in aquas fuerat, vivus natando pervenire potuisset.

Alio etiam tempore (20), latrones noctu hujus nostri monasterii cellarium ingressi, carnes, caseum, laridumque exinde subripientes suos sacculos impleverant; sed foras egressi, sacculos, quos impleverant, levare conati minime potuerunt; deinde relicta sarcina tentantes fugere, per totam noctem hac illac per claustra monasterii deambulantes, foras egredi nullatenus valuerunt. Igitur facto mane, cum se intra monasterii claustra conspicerent, timore exterriti ac sui reatus conscii, quid facere nesciebant. Tandem reperto inter se consilio, exeuntes per portam monasterii, si quo modo possent evadere, quasi nihil mali perpetrasse viderentur, cæteris, se, qui de monasterio ad quodlibet opus egrediebantur, miscuerunt, et lento pede, ne aliqua de eis suspicio oriretur, carpentes iter, haud longiuscule a monasterio substiterant. Cum interea cellarius fratribus solita stipendia præbiturus, cellarium ingrederetur, refertos ante aditum sacculos invenit, et miratus, ignoransque quid esset, quæque condita requisivit. Cum autem reposita ablata conspiceret, turbatus damno, foras egressus, quidquid perdiderat, in ipsis sacculis reperiit. Qui, vehementer attonitus et jam quid esset intelligens, mox convocatis ad se duobus vel tribus pueris, per viam vergentis deorsum montis, si forte latrunculos qui id admiserant invenire possent, mittere curavit. Illi autem jussa complentes, cum monasterio egressi paululum processissent, repererunt illos juxta stantes in ipso itinere montis. Cumque jam pene pertransissent eos, ac nullam in eos, quia noti erant, suspicionem, haberent, cito gressu iter quod ceperant, peregerunt. Illi vero, divinitus exterriti ac velut amentes effecti, cœperunt post eos clamare et dicere: Scimus, domini, quia ut nos comprehendatis venistis; sed misereminі nostri, nihil enim inde asportavimus, sed ablata omnia in ipso cellarii ingressu dereliquimus. At illi, talia audientes, comprehenderunt eos, ligatisque post tergum manibus ad monasterium perduxerunt, atque ita, ut erant connexi vinculis, fratribus præsentaverunt. Præterea fuerunt nonnulli qui minus circa præceptum Domini cauti, cædi eos atque ita sic dimitti judicaverunt; cæteri autem, quorum mens pia in Domino erat, et magis erga mandata divina sollicite studentes jussa complere Dominica, solutos vinculis, cibo potuque refectos, liberos abire permittunt. O mira Domini Jesu Christi benignitas, mira pietas, mira quam docuit patientia; cum in Lege scriptum sit (*Lev.* XIX; *Matth.* V): *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum;* necnon manum pro manu, dentem pro dente, oculum pro oculo, talionem pro talione reddi mandatum sit; ipse diligere inimicos, benefacere se odientibus, salutare non resalutantes, auferenti tunicam dimittere pallium, ac bona pro malis reddere se sequentibus voluit imperare!

Theophilus. Grata mihi fateor nimium esse quæ narras.

(18*) Ea, quæ narrantur a Desiderio, sibi etiam relata affirmat Leo Ost. in Chron. lib. II, cap. 81, ab uno eorum, qui tanto equitatui interfuit. Refertur etiam a Petro Diac. in serm. ms. de octava S. Benedicti, Evenerunt hæc omnia anno Dom. 1049.

(19) Circa ann. Domini 1038. Lege Leon. Ost. in Chron. lib. II, cap. 65, et Petrum Diac. in serm. ms. De oct. S. Benedicti.

(20) Meminit Leo Ost. in. Chron. lib. III, cap. 62. et Petr. Diacon. in serm. ms. de oct. de S. Bened,

Desiderius. Res est mirabilis et vehementer stupenda, quam narro (21), sed ita a pluribus cognita, ut de ea ab aliquo in nullo debeat dubitari. Quodam itaque tempore Sergius magister militum, qui Neapolitanæ præerat urbi, venatum in ipso sancti Paschali Sabbato, pergens silvam suis cum pueris, ut aprum caperet, est ingressus, tensisque retibus ad insequendos eos sese cum canibus huc illucque unanimiter omnes per silvam diffundunt; sed antequam aper a retis laqueo fugiens involveretur, occupatus a venatoribus, confossus captusque est. Cum autem hora jam tardior esset, et sol, ad occasum vergens, umbram atram jam pene induceret terris, prædictus magister militum, ne noctis tenebris occuparetur, sumpta quam ceperat venatione, omni cum clientela domum quantocius repedare cœpit; uni tantummodo puero, Pythagoræ nomine, ut retia colligeret et se perniciter, sequeretur, imperavit. Igitur cum puer, qui relictus fuerat, collectis retibus recto calle suum dominum sequeretur, subito duo monachi reverendi admodum vultus ei se in itinere contulerunt. Cumque timore exterritus, quinam essent inquireret; illi: Ne timeas, inquiunt; tantummodo sequere nos. Cum itaque aliquantulum simul per eamdem silvam graderentur, venerunt ad quemdam locum cœnosum valde atque horribilem aspectu; ubique Pandulphum Capuanum principem, cujus superius mentionem feci, qui non longo ante tempore defunctus fuerat, ferreis nexum vinculis atque in illius cœno laci ad gulam usque demersum, ei miserabiliter ostendunt (22). Interea duo nigerrimi spiritus, retortas ex agrestibus vitibus facientes, per gulam eum ligaverunt, ac in ipsam lacus profunditatem merserunt, iterumque sursum extraxerunt. Cumque hæc sæpius facerent, prædictus puer Pythagoras, tremula licet voce eum alloquitur, ut sibi qua de causa talia pateretur ediceret. Ille vero, flens et ejulans, ad verba interrogantis pueri mox tale responsum protulit, dicens: Quamvis, o puer, ex innumeris meis sceleribus mihi plurima et infinita pœna parata sit, tamen ob nullam causam hanc quam cernis patior pœnam nisi propter aureum calicem, quem de monasterio S. Benedicti, sacrilega ductus cupiditate, abstraxi, eique etiam moriens reddere neglexi. Sed obnixe deprecor, ac per Jesum Christum Dominum Salvatorem omnium, cujus ego miser præcepta contemnens, in hanc sum voraginem mortis demersus, te ob testor, ut Capuam ad uxorem meam vel ipse pergas, vel nuntium dirigas, qui ei, et tormenta quæ patior, et ut calicem monasterio S. Benedicti reddat, insinuet (23). At ille: Quid prodest, inquit, si ei nuntiavero? non enim quod te vidissem, vel quod talia patiaris, mihi creditura est. Cui ille respondit: Hoc sibi signum ex mei parte denuntia, quod Pandulphus Gualæ filius calicem ipsum pro pignore habeat, et ut datis solidis, quos ei debuimus reddere, illum recipiat, atque S. Benedicti monasterio omni postposita mora restituat; sibi celeriter, rogo, insinuare ne differas. Quibus dictis visio illa ab oculis ejus ablata est. Puer vero statim ut domum regressus est, infirmitate detentus intra paucos dies defunctus est; ea vero quæ viderat, quæve sibi dicta fuerant, omnibus ad se venientibus patefecit. Pandulphus etiam ipse, qui causa pignoris calicem apud se habebat, hoc ipso tempore, nescio qua de causa, Neapolim pergens, hæc omnia ex ore ipsius Pythagoræ se audisse retulit; per quem quoque idem Pythagoras uxori illius omnia quæ de viro ejus viderat, vel quæ ipse ei mandaverat, Capuæ nuntiavit. Illa autem sibi potius quam marito, consulens pretium, quod vir ejus accommodaverat, reddere nolens nec calicem recipere nec monasterio redere curavit.

Theophilus. Mirandum valde est ac magna cum cautela pensandum cur omnipotens Deus talia huic puero ostendere voluit, cum ille qui sibi sostensus est a pœna liberatus non est, vel, cum tot tantisque sceleribus occultatis, pro solo aureo calice cruciari visus est

Desiderius. Quod vir iste in pœnis visus est, et tamen uxore calicem reddere parvipendente, a pœnis liberatus non est, justo, occulto tamen, omnipotentis Dei judicio factum est, ejusque pia ac benigna providentia in notitiam hominum deducta est, ut videlicet quicunque hæc audierit, pertimescat, et a rapinis ecclesiarum mentem manusque compescat; ne et ante mortem sese pœnitere non liceat, et post mortem parentibus propinquisque ea, pro quibus ipse a suppliciis liberetur, operari non libeat; sicque fiat ut pro eis supplicia æterna possideat, qui Dei timore postposito in vita positus nullatenus perpetrare formidat, et jam veniam non mereatur in vita illa qui bonis sanctisque operibus neglexit promereri in ista. Quod vero cæteris facinoribus tacitis, de solo aureo calice judicari visus est, aperte datur intelligi quam fortiter, quam atrociter, quamque miserabiliter pro aliis pluribus, immensisque sceleribus torquebatur, quando parvi calicis rapina tam dire tamque crudeliter cruciabatur. Nam superius retulimus quod idem Pythagoræ puero dixerit, quod multa et immensa delictis aliis fuerant sibi præparata tormenta. Quod vero is, qui

(21) Recitatur a Leone Ost. in Chron. lib. II, cap. 60. et a Baron., ann. 1038, num. 11.

(22) Visio Pythagoræ de damnatione Pandulphi ad inferos intelligenda videtur de quarto hujus nominis principe Capuano, qui obiit anno 1050; probat Camill. Peregrin. histor. Princ. Langob., in serie abb. Casin. in Richerio, qui etiam advertere docet quamdam alteram visionem cuidam solitario factam damnationis animæ alterius Pandulphi, de quo Petrus Damianus, epist. ad Dominic., cap. 13, Leo Ost. lib. II, cap. 84, et Baron, anno 1038, num. 12, 13, competere Pandulpho, cognomine Caputferreo, principi Capuæ, qui vixit usque ad ann. 981, et non Pandulfo quarto principi Capuano, qui obiit anno, ut diximus, 1050, ubi etiam non discrepare ab aliis historiis clare demonstrat.

(23) Sperabat forsitan Pandulphus ex restitutione minui pœnam, sed in inferno, ubi est summa miseria, nullum refrigerium est, adeo quod dive espulo tandiu desideraverat guttam aquæ ut refrigeraret liquam suam, sperans refrigerium obtinere, et non valuit (*Luc.* XVI).

cum in suppliciis vidit, continuo languore correptus, non post multum tempus est mortuus, non multum miremur, si illud quod Danieli, viro desideriorum et somniorum veridico interpretatori, contigit attendamus; nam post visionem spiritualium mysteriorum, continuo ægrotavit, et per dies plurimos, sicut ipse testatur, elanguit (*Dan.* VIII). Si autem talis tantusque vir spiritualia visa non tulit, sed continuo languore apprehensus per dies plurimos infirmatus fuit, quid mirum, si puer iste curis sæcularibus deditus, carnalibus desideriis pressus, visionem spiritualium rerum ferre non potuit, sed infirmitate A detentus ad extrema devenit? Sed in his omnibus divina judicia magis metuenda quam indaganda sunt. Quæ magna et inscrutabilia sunt, teste Psalmista, qui ait: *Judicia tua abyssus multa* (*Psal* XXXV): testante quoque Paulo, qui dicit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria* et imperium *in sæcula* sæculorum. *Amen.* (*Rom.* XI).

LIBER SECUNDUS,

In quo agitur de miraculis a S. Benedicto aliisve monasterio Casinensi ope divina factis.

Præmisso utcunque primo, ut promiseramus, libello, nunc secundum, Deo auxiliante, scribere aggrediar: in quo cætera, quæ supersunt in hoc monasterio, vel a monachis hujus sacri cœnobii ubicunque divina largiente clementia his temporibus facta miracula, quæ nostræ occurrunt memoriæ, curabo concludere.

Cum adhuc essem laicus, et intra annos adolescentiæ ætatem ducerem, quæ a multis in Beneventana civitate degens audivi de Joanne (24) tunc ejusdem Beneventanæ Ecclesiæ archidiacono, postmodum vero hujus S. cœnobii abbate, silenter non transibo. Cum idem Joannes de illustri prosapia originem duceret, et, quod majus est, religiose vivens omnipotenti Domino omnimodo placere studeret, ita a clero et populo diligebatur, ut omnes ei unanimiter post mortem archiepiscopi ejusdem urbis summum sacerdotium peroptarent. Alter quidam in eadem Ecclesia, Alix (25) nomine, diaconus erat, qui ad adipiscendum pontificium omni nisu aspirabat, nec, quo ordine id assequi posset, quidquam pensi habebat. Sed dum idem Joannes archidiaconus superesset, ad culmen tanti honoris se posse pertingere desperabat. Cumque hæc quotidie in animo volveret, vana illum cogitatio haud quiescere permittebat. Cum quadam die uterque secreto in loco consedissent, et nemo alius cum eis esset, sermo inter eos orsus est de hujusmodi miseræ vitæ fragilitate, de cœlestis ac perpetuæ vitæ jucun- B ditate, de pœna peccatorum, ac de gloria sempiterna justorum. Itaque statuerunt inter se hujus gloriam mundi relinquere, ac sanctæ conversationis habitum suscipere; et ut magis fidi esse possent, juramento, quod statuerant, firmaverunt. Dein diem decernunt, quo apud castrum Casinum limina B. Benedicti peterent, ac sub ejus magisterii regula Jesu Christo Domino deservirent. Igitur postquam ad statutum diem ventum est, quo ab eis aggrediendum erat iter, Alix, qui aliud animo, aliud gestabat in ore, Joanni archidiacono dixit: Charissime frater, quoniam de rebus meis aliquid adhuc superest, quod secundum Deum ordinare cupio, tu, obsecro, præcede, et mox ut sanctæ conversa- C tionis habitum susceperis, mihi nuntium mitte: ego autem, his expletis, quanto citius te subsequi curabo. Archidiaconus vero ad monasterium B. Patris Benedicti veniens, mox ut habitum sacrum suscepit, nuntium ut decreverant socio direxit, qui eum sub sanctæ institutionis regula jam colla submisisse, et ut ipse celeriter veniret, ut pollicitus fuerat, nuntiaret. At ille mox ut talia audivit; alacer effectus, quod illum, qui sibi in Ecclesia præeminebat, recessisse cernebat, omnino se ad eum accedere, atque tam arctam ingredi viam posse negavit. Deinde ad acquirendum culmen pontificatus honoris totis viribus nitebatur. Sed omnipotens ac justus Deus aliter quam ipse sperabat disposuit. Nam cum D imperator Otho egressus Germania Italiam intras-

(24) Joannes, abbas tertius hujus nominis et tricesimus a B. Benedicto, ex illustri Beneventanorum civium prosapia genus duxit. Suscepit abbatiam ann. Domini 997 et pervenit usque ad annum 1010.

(25) Alix archiepiscopus IV Beneventanus Silvestro papa II anno Domini 1000, ad instantiam Othonis III imp. ab eodem pontif. ad archiepiscopatum evectus, a populo tamen minime receptus, ut habetur in Chronic. arch. Benevent. Indigna res religioso, sed nostri sæculi mores huc devenere, ut quod abhorrent et exsecrantur pagani, hoc quasi pro lege a nostris politicis habeatur, dum docent viro bono et sapienti, ac præsertim principi, mentiri fas esse, et licere aliis struere insidias, aliudque clausum in pectore, aliud vero in lingua promptum habere regnandi cupidine, irridendo Sex. Pompeium, cui cum facillimum esset adversarios suos violata fide obtruncare, atque ita toto terrarum orbe potiri, pluris fidem quam imperium fecerit. Et sunt tam impudentes, ut docere audeant religionem virtutemque imperio famulari debere, licereque principi pro re nata fidem vel jurejurando firmatam æque atque cothurnum exuere. En quibus in rebus gloriantur. Utinam spe sua frustrarentur, qui dolos concinnare, aliosque capere student, eosque eluderent aves, quas captant, et evolarent, sicuti evenit Alix archiepiscopo, qui non assecutus fuit venationem! O quam longe a primis sæculis, ubi Christiani malle mori volebant, ut scribit Justinus mart. Apol. 2, quam vel semel mentiri!

set, postquam Romanas res, ut sibi videbatur, disposuit, Beneventum adiit, cui Alix ita familiaris effectus est, ut idem Augustus eum eligi in pontificem, Ecclesia renuente, præciperet. Postmodum vero imperator Romam rediens, Romanum pontificem eum consecrare rogavit, et consecratum Beneventum remisit; imperator deinde, febre correptus post aliquos dies divina dispositione defunctus est. Ille vero Beneventum rediens, ne mœnibus quidem civitatis appropinquare ausus fuit, sed cum dedecore illo repulso, alium sibi cives pontificem elegerunt. Fecit quidem hæc omnipotens Deus ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, ut qui cupiditati honoris ductus fraudulenter fratrem suum studuit ab Ecclesia pellere, ipse pulsus patria, exsul in alieno solo vitam finiret.

Præter hæc ea, quæ sequuntur, Leone venerabilis vitæ, qui ante paucos annos defunctus est, et aliis veteranis monachis narrantibus, audivi. Cum igitur idem Joannes aliquantos in monasterio sanctæ institutionis regulæ explesset annos, petita ab abbate suo licentia, Hierosolymam perrexit, atque in Sinai monte per sex continuos in Dei servitio degit annos. Postmodum vero in Græcia in monte, qui Hagionoros (26) dicitur, aliquanto tempore mansit. Sed ea, quæ illo in loco eum vidisse contigit, haudquaquam mihi videntur reticenda.

Quidam namque eremita in eodem monte manens, a paucis vel frequentabatur, vel noscebatur. Dum quadam die frater qui ei ministrabat, et certis diebus victum deferebat, supra memoratum Joannem venerabilem virum ad eumdem Dei servum duxisset, sicut ipse postmodum discipulis suis cum lacrymis solitus erat referre, benigne, ut decebat, ab eo susceptus est, et cum sermo inter eos de cœlestis vitæ gaudiis diutius agitaretur, servus Dei iis qui advenerant dixit: Venite, fratres, quia jam hora est, alimenta sumamus corporis, ne revertentes in via deficiatis: nec enim jejuni a nobis recedere debetis, propter quem tanti subiistis iter laboris. Et hæc dicens. mensam præparat, prandium apposuit. Cum denique, oratione facta, ad mensam consedissent, mirabile dictu! immanis ursus e vicina silva veniens sese ante ora prandentium favum mellifluі mellis ferens exhibuit (27). Cumque illi valde perterriti fugam inire tentarent, venerabilis eremita ille eos compescuit, et ne terrerentur admonuit, dicens multos esse jam annos, quo sibi omnipotens Deus per bestiam illam sæpissime hoc mellifluі nectaris donum sua pietate transmiserit. Peracto itaque prandio surgentes e mensa, animo magis satiati quam corpore, percepta benedictione ad monasterium sunt reversi. Post non multos vero dies beatissimus P. Benedictus eidem Joanni per visionem apparuit, et dans ei pastoralem virgam, quam manu gestabat, ut Casinum ad suum monasterium quantocius reverteretur, admonuit.

Facto itaque mane abbati ipsius monasterii religioso scilicet visionem quam viderat, per viro ordinem pandit. At ille, ut erat vir providus atque discretus, voluntatem Dei in hac visione cognoscens, intulit, dicens: Frater Joannes, celeriter ad tuum monasterium reverti festina, ne tanto Patri, qui tibi per visionem apparuit, esse inobediens videaris: decrevit enim, ut mihi videtur, omnipotens Deus te suo gregi præponere, et, ut suas fideliter pascas oves, sua miseratione elegisse. Ille igitur visioni et admonitioni obtemperans, transmarina relinquens arva, Christo duce, reversus est, atque a religiosissimo viro Joanne, qui tunc fratribus præerat, præpositus factus, non multo post tempore (quia idem abbas corpore jam debilis erat, atque pondus tanti oneris ferre nequibat) consilio et electione cunctorum fratrum, ab eodem venerabili Patre abbas est ordinatus. Ille vero, abbatia relicta, in vicinam silvam secessit atque ibi usque ad vitæ suæ terminum solitarius degens in omnipotentis Dei servitio vitam finivit.

Interea nec ea quæ de Felice (28) audivi, monacho videlicet hujus monasterii, silentio sunt prætermittenda. Quodam tempore, nescio qua de causa, ad Teatinam urbem esse me contigit, et cum ab (29) episcopo et clericis illius Ecclesiæ benigne et ami-

(26) De peregrinatione Joannis ad montem Hagionoros sive montem sanctum, qui olim Athos didicebatur, in Macedonia Græciæ provincia, meminit etiam Petrus Diac. lib. ms. De ortu justorum Casin., cap. 35, et Ost. in Chron. lib. II. cap. 22.

(27) Non pauci reperiuntur sancti qui bruta quædam animantia habuerunt familiaria, quibus aut cibum tribuebant, aut ab iis accipiebant. Recordare vitæ insignis Eliæ et corvorum ministerii, qui mane quidem panem, vespere autem ei carnem perpetuo afferebant: similiter et eorum, quæ in Vita Pauli primi eremitæ referuntur, licet soleant talia ista sanctorum miracula novatores hæretici exsibilare: *Et hoc est*, ut S. August. ait lib. XXI. De civit. Dei, cap. 3, *eorum tota ratio, ut quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur.* Et ignorare videntur sanctis viris a Deo non raro restitutum dominium in bestias ante peccatum primo parenti concessum. Vide Ven. Bedam in Hexameron, Philonem Judæum lib. De præmio et pœnis. Magnus Antonius etiam bestiis imperavit, ne parvulam messem suam læderent, ut auctor est Athanasius in Vita cap. 25. Pachomium vero, ut in Vita ejus, cap. 10, legitur, crocodilorum ministerio fluvium transeuntem, qui eum cum summa subjectione portabant, exponentes ad locum quocumque præcepisset. Simeon quoque priscus, ut refert Theodoretus in Philotheo, cap. 6, duobus leonibus jussit ut hospites ducerent, et a via a qua aberrarant, reducerent. Plura occurrunt passim in sanctorum historiis.

(28) Agit etiam de B. Felice Petrus Diac. lib. De ort. justor. cap. 37. Pertinent enim quæ narrat Desiderius ad ann. 1052, ut videre est apud Camil. Pereg. in serie abb. Casin. in Desiderio.

(29) Episcopus Teatinus, de quo hic injicitur mentio, Arnulphus fuisse creditur, quem circa ann. 1049 sedisse et successorem habuisse Actonem ex comitibus Marsorum opinatur eruditissimus abbas D. Ferdinand. Ughellus tom. VI, suæ Italiæ sacræ ms. mox edendo. De antiquis rebus Teatinæ civitatis patricius humanis ac divinis disciplinis insigniter expolitus, stylo satis eleganti, et erudito.

cabiliter susceptus essem, atque orationis gratia ad orationem me duxissent, facta oratione, ad dexteram ecclesiæ me contuli, ibique ædiculam et altare conspexi. Cumque episcopum et clericos interrogassem, in cujus honorem altare illud conditum esset, responsum mihi est, in honorem B. Felicis confessoris Christi altare illud esse dedicatum. Cum autem quis fuerit ille Felix inquirerem, dicebant mihi quod monachus Casinensis congregationis fuerit, atque ab abbate suo illis in partibus missus, ut pastoribus egregie præesset, ibi vitam finivit; et cum ad corpus ejus omnipotens Deus multa mirabilia operaretur, a majoribus suis de loco in quo prius jacuerat levatus, atque in hac ecclesia, sub hoc, ut cernis, altari conditus fuerit. Igitur quoddam memorabile illo in loco nuper ab eo patratum, omnipotente Domino largiente, narrabatur.

Cum quidam cæcus ad cuncta obstantia pedes offendens, misericordem Dominum rogaturus, ante ejus altare venisset, et prostratus toto in terra corpore, gemitu ac suspiriis, ut meritis B. Felicis sui misereretur, orasset: mox depulsis cæcitatis tenebris, ita sanus et incolumis surrexit ut, mirantibus cunctis, ipse suis oculis lucem cæperit cernere quam semper ab alis desideraverat audire.

Theophilus. Velim scire si vir iste venerabilis, qui ita claruit, post mortem in hac vita positus aliquod signum de vitæ suæ merito dederit?

Desiderius. Non quidem hunc venerabilem virum, dum in hoc sæculo vixit, aliquod indicium suarum virtutum dedisse comperi: verumtamen omnipotens Deus plerumque agere consuevit, ut illi qui devota mente illi servire student, licet in carne positi nullum signum suæ sanctitatis ostendant, post mortem tamen cujus meriti fuerint, celari minime patiatur, ut dum exstincta illorum corpora ita miraculis coruscare cernuntur, in ipsius servitio humanæ mentes acrius accendantur.

Theophilus. Fateor mihi placere quæ dicis; sed, quæso te, inchoata prosequere; ut dum quæ valde cupio, audio, ad amorem surpernæ patriæ fessus animus relevetur.

Desiderius. Gregorius quidam, summæ religionis monachus, in hoc cœnobio dictus est, qui, sicut a plerisque hujus loci fratribus audisse me reminiscor dum in præsenti vita moratus est, sub monasticæ disciplinæ regula omnipotenti Domino studuit strenuissime deservire. Cumque expleto vitæ termino ex hoc mundo migrasset, tanta odoris fragrantia de loco in quo exanimis jacebat emanavit, ut omne subito monasterium illius odoris suavitas, quasi unius angulum domatis mirifice resperserit. Et dum omnes odoris illius ineffabili quadam suavitate recreati mirarentur, ac quid esset omnino nescirent, A nuntius repente ab infirmorum domo properans venit, qui Gregorium monachum obiisse retulit. Voluit itaque omnipotens Deus ostendere quanti meriti iste vir fuerit, cujus egrediente anima tam mirifico odore cœnobium omne repleverit (30).

Alter quidam, ut fratres qui adhuc supersunt referunt, Angelus (31), in hoc monasterio monachus dictus est, cujus profecto vita nomini dissimilis non fuit. Qui dum infirmitate tactus corporis ultimum diem clausisset, dæmoniacus quidem forte in coquinam intraverat: et ecce subito cœpit strepere, ac se, furibundus a terra dissiliens in aera elevare, magisque vocibus clamans, cum se a Benedicto perpeti conquerebatur, dicens: O quid nunc mihi modo Benedictus fecit; animam Angeli monachi, ob B parvum cucullum quod gestavit in capite, mihi auferens secum detulit. Cumque omnes qui aderant ad verba illius stupefacti intenderent, et quid diceret ignorarent, repente signum, quo fratrum obitus significari solet, insonuit: statimque fratres omnes festinanter ad domum infirmorum pergunt, et Angelum monachum jam defunctum reperiunt. Qua de re aperte monstratum est, quod animæ illius in aliquo nocere non potuit, de cujus morte coram fratribus tam tristem, tam lugubrem se antiquus hostis ostendit.

Theophilus. Quæso ut dicas cur diabolus tantum inimicetur humano generi, ut ab ortu nativitatis usque ad exitum vitæ omnibus modis elaboret a mandatis Creatoris sui hominem avertere, atque ad æternam C patriam tendenti quascunque poterit insidias tendere

Desiderius, Aperta ratio patet, quod antiquus hostis, qui se Creatori suo æquiparare contendit passus magnam ruinam, in voraginem profundi barathri demersus sit; et idcirco humano generi omnibus modis contrarius existat, quia illuc eum ascendere cernit, unde ipse per superbiam dejectus irrecuperabiliter cecidit: inde est quod strepere, insanire, frendere in electorum Dei transitu terribiliter videtur.

Azzo (32) etiam quidam religiosæ satis vitæ monachus fuit, qui ecclesiam B. Michaelis archangeli in valle quæ dicitur Regis, a Ludovico Christianissimo imperatore mirifico opere constructam, postmodum vero a Saracenis destructam omni cum studio restauravit, ibique fratres ad omnipotentis D Dei servitium, prout potuit congregavit. Cumque ibidem in servitio Dei complesset annos, ultimam jam pene agens ætatem, ad monasterium nostrum ex quo ab abbate suo missus fuerat, est reversus. Qui senio morboque confectus in domo infirmorum, in lectulo jacens, extremum vitæ spiritum jam moriturus trahebat, multique e fratribus excubantes circa lectum ipsius hymnis et psalmis vacantes,

(30) Refertur etiam a Leone Ost. lib. III, cap 50 et a Petro Diac. lib. De ortu just. cap. 44.

(31) De Angelo monacho habetur mentio in Petro Diacono lib. ms. De ortu justorum, cap, 39, et in serm. ms. de oct. sancti Benedicti. ac in Leone Ost. lib. III, cap. 42.

(32) Floruit Azzo ad annum Domini 1022. Vide Leonem Ost. lib, II, cap. 34, et Petr. Diac, lib. ms. De ortu just. Casin., cap. 40.

ejus exitum exspectabant. Quidam vero frater (33) qui adhuc superest, et nobiscum in monasterio conversatur, tunc juvenis, nunc autem ætate moribusque grandævus, in dormitorio cum cæteris fratribus quiescebat: cum ecce subito nocte intempesta respiciens, vidit per visionem B. Michaelem archangelum, cujus vultum, pictura eum docente cognoverat, per dormitorium venientem: cujus alter angelus vestigia subsequens paulo longius gradiebatur; quem intuens dixit: Domine nonne tu B. Michael archangelus? Et ille: Ego sum utique. At ille: Quo tendis, inquit, domine? Ad domum, inquit, infirmorum, ut fratrem Azzonem mecum assumam, quia jam tempus est, pergo. Et his dictis, visio quam videbat disparuit. Qui statim evigilans surrexit, et festinanter ad domum infirmorum perrexit, fratremque Azzonem e corpore animam jam exhalasse invenit. Quade re aperte datur intelligi quod idem B. Michael eum secum detulerit, qui ad assumendum eum se venisse testatus est.

Frater quidam in nostro monasterio Stephanus Veneticus (34) dicebatur, qui ex Venetiæ partibus adveniens, in sanctæ conversationis habitu studiosissime vixit, cujus humilitatis, patientiæ ac obedientiæ bonum omnibus, qui tunc in omnipotentis Dei servitio ibidem congregati erant, liquidissime patuit. Cumque jam tempus esset ut ejus digna conversatio a justissimo Domino remunerari debuisset, molestia gravatus corporis, fratribus coram positis, diem clausit extremum. Tunc quædam religiosissima anus, Agundia nomine, virgo mente et corpore, quæ in sanctimoniali habitu juxta ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis sitam in civitate quæ circa radicem Casini montis est condita, manebat more solito, antequam clerici ejusdem civitatis ad reddendas nocturnas Deo laudes surrexissent, ante prædictam ecclesiam Dei genitricis stans, gemitu, lacrymis ac suspiriis omnipotentem Dominum precabatur, cum ecce subito intempesta noctis hora respiciens, vidit columnam igneam e cella, in qua infirmi fratres quiescere erant soliti, exeuntem cœlumque tendentem. Quæ mox nuntium monasterium subire præcepit qui studiose inquireret si aliquis ex infirmis fratribus in cella illa degentibus ex hoc mundo migrasset. Tum is, qui fuerat missus nuntius, perniciter montem ascendit, monasterium intravit, domum infirmorum adiit, atque Stephanum religiosum monachum defunctum reperiit: et studiosius inquirens, invenit eum ea hora emisisse animam, qua columna ignea ab ancilla Dei visa est celsa penetrare polorum.

Alter quidam in jam dicto nostro monasterio (35) Joannes Veneticus dictus, est, miræ patientiæ, obedientiæ ac humilitatis monachus, qui quanti meriti apud Jesum Christum Dominum fuerit, suum post obitum manifestissime claruit. Cum quidam frater, cujus nomen a memoria excidit (36), casu in inguine crepuisset, ita ut interiora ejus, membrano disrupto, inter carnem et corium dilaberentur, sepulcrum ipsius adiit, ac se super illud prosternens, lacrymis gemitibusque, ut pro se Dominum precaretur, ex intimo cordis postulabat affectu: procul dubio credens ejus meritis se posse sanitatem recipere, qui in hac vita positus omnipotenti Domino totis viribus studuit deservire. Cum igitur aliquantulum super sepulcrum ejus orans incubuisset, ita restitutus est sanitati, ut languoris pristini nec ullum in eo quidem indicium remansisse videretur.

Smaragdus monachus, qui adhuc superest, et in nostro monasterio commoratur, retulit mihi quod narro. Quod a Leone venerabili presbytero, avunculo scilicet suo, se audisse referebat de Antonio monacho atque presbytero. Qui sæcularibus ac divinis litteris haud mediocriter eruditus, ab adolescentia usque ad vitæ exitum in sæpedicto monasterio degens, omnibus pene in hac provincia notus exstitit. Qui dum quodam tempore, casu accidente, sicut prædictus presbyter ex ore illius accepit, loco in secretiori crepuisset, et languore crescente quotidie vehementer fatigaretur, medicum, a quo secari vel exuri deberet, si quo modo posset sanitatem recipere, conducere meditabatur. Timebat tamen si secaretur a medico, ut multoties evenire solet, ne forte moreretur, et rursus si non secaretur, sedulum sustineret dolorem, quod est ipsa morte deterius, periculosius sibi videbatur. Igitur cum intra se hæc diutius agitaret, unum sibi fore remedium credidit, ut ad sepulcrum beati Benedicti pergens ipsius misericordiam imploraret, sperans se ejus patrocinio posse salvari, sub cujus magisterio se recedens a sæculo devotissime contulerat. Statim igitur ecclesiam intravit, ac se coram altari humiliter prosternens, diutius oravit, ut omnipotens Deus meritis tanti Patris salutem sibi conferre dignaretur. Expleta vero oratione, e pavimento, in quo prostratus jacuerat, surrexit, atque ex crepidine altaris pulverem collegit, et ligans in panno, loco in quo patiebatur superimposuit: atque die altero ita sanus repertus est, ut nec signum quidem præteritæ infirmitatis in eo omnimodo remaneret.

De Paulo (37) sanctæ conversationis monacho quod a fratribus, qui adhuc in hac præsenti vita vivunt, et eum optime norunt, audisse me memini,

(33) Cui nomen erat Petrus, refert Ostiens. lib. II, cap. 34.

(34) Recitatur etiam hoc miraculum a Petro Diac. lib. ms. De ort. just. Casin., cap. 42, et a Leone Ost. in Chronic. lib. III, cap. 42. Vixit Stephanus Veneticus sub anno 1080.

(35) Meminit Joannis Venetici Petr. Diac. lib. De ort. just., cap. 41, et Leo Ost. lib. III, cap. 42.

(36) Ramicis nominatur a Petr. et a Leon. Ost

(37) Eadem de Paulo monacho referuntur ab Ost lib. II, cap. 55, et a Petro Diacono lib. ms. De ortu justor cap. 43. Floruit ad ann. 1035. Vide Sanct: Capuan. Mich. monachi de SS. Joanne primicerio et Paulo præposito.

referre curabo. Cum idem Paulus salutis suæ causa nostrum ad cœnobium devenisset (*anno* 1022), a Theobaldo abbate, religioso videlicet viro, qui tunc fratribus honestissime præerat, devote susceptus est. Quem venerabilis Pater in monasterio beati Patris Benedicti, quod intra Capuanam urbem constructum est, habitare præcepit : qui postquam ad eumdem pervenit, ita se sub sanctæ institutionis regula constrinxit, ut ob hoc omnibus mirabilis haberetur. Sed omnipotens, misericors ac pius Deus, quantum sibi ejus digna conversatio in hac vita placuerit, illius post obitum ostendere est dignatus. Cum namque in eodem monasterio religiosam, honestam ac dignam Deo conversationem exercens, aliquantos explesset annos, infirmitate pulsatus corporis et carnis ergastulo, jubente Domino, exilivit. Igitur quidam venerabilis vitæ episcopus ex Galliæ partibus veniens, orationis gratia ad ecclesiam Beati Michaelis archangeli in Gargano monte conditam properabat. Cum autem ad Capuanam urbem devenisset, juxta ecclesiam protomartyris Stephani (38) diversus, hospitatus est. Denique cum nocte intempesta e lectulo surrexisset, ante ecclesiam prædicti martyris stans, vicinas sibi omnipotentis Dei aures precibus, lacrymisque reddebat : cum ecce subito, ad dexteram orientis partem oculos porrexisset, vidit instar solis radiis lucem splendidam e monasterio per aera mirabiliter advolare. Cumque diu lucem quam videbat attonitus miraretur, signum in monasterio insonuit, quo patris exitus significabatur. Intellexit protinus e fratrum numero aliquem magni meriti ex hoc mundo migrasse, simulque cum ipsa luce cœli sublimia penetrasse. Mox itaque convocatis clericis, quæ viderat enarravit, statimque ad monasterium nuntium misit, ut quis ibi defunctus esset agnosceret. Cumque is, qui missus fuerat, monasterium intrasset, invenit Paulum venerabilem monachum e corpore animam emisisse.

Joannes (39) admodum religiosus monachus, et sacerdos, cujus superius mentionem feci, qui, recto regimine monasterii, ad Eremi secreta se contulit, in hac vicina silva usque ad extremum vitæ suæ terminum solitarius mansit : ibique jejuniis, vigiliis ac orationibus operam dans, studuit omnipotenti Domino sollicita mente servire. Hic vero cum temporibus Theobaldi abbatis ex hac luce migrasset (*anno* 1022), monachus quidam Joannes nomine, in monasterio Beati Laurentii martyris, quod apud Capuam est, studiosissime in Dei servitio conversabatur : qui dum quadam nocte antequam fratres ad vigilias surgerent, de lectulo, more solito, omnipotentem Dominum precaturus surrexisset, dum attenta mente stans misericordem Dominum precaretur, subito respiciens clarissimam lucem in aera et intra ipsam venerabilis viri Joannis animam cœlum penetrare conspexit. Igitur facto mane, certius scire volens quod viderat, venit ad Andream, qui cellæ hujus monasterii, quæ intra eamdem Capuanam urbem sita est, tunc præpositus erat, hocque, quod viderat, per ordinem retulit : et ut ad hoc monasterium nuntium dirigeret, qui diligentissime rem quam viderat investigaret, obnixe poposcit. Qui ejus voto parere studens, nuntium mox direxit, qui diligenter hæc quæ dicta sunt cognosceret, citiusque reversus indicare curaret. Tum is qui missus fuerat nuntius, dum festinanter pergeret, et in ipso itinere alter a monasterio veniens occurrit, qui fratribus in prædicta cella Capuæ commorantibus præfati servi Dei obitum nuntiavit; a quo subtiliter inquirens, invenit prædictum Dei servum ea hora ex hac luce subtractum, qua cum Joannes religiosus monachus, Capuæ positus, cœlum mirabiliter penetrasse cognovit. Tunc uterque ad eos a quibus missi fuerant reversi, alter servi Dei obitum, alter vero visionem, quæ de eo visa est, retulerunt.

Multorum (40) fratrum testimonio didici hæc, quæ nostro curavi annotari libello. Et licet Petrus venerabilis Ostiensis episcopus in sermone, quem in vigiliis B. Patris Benedicti legendum luculentissime composuit, id eleganter decenterque inseruerit, tamen inter cætera miracula, quæ omnipotens Deus ad laudem sui nominis nostra etiam memoria, vel seniorum nostrorum, quos ipsi vidimus, quibusque referentibus, agnovimus, hoc in nostro monasterio ostendere est dignatus, inserere curavi, ut in cujus forte manus sermo ille non venerit, et hoc in nostro libello cognoverit, Deum laudet in mirabilibus suis, qui omni tempore, novo videlicet cibo alit teneras mentes suorum. Igitur quodam tempore ab initio Maii mensis usque ad extrema mensis Julii, tanta siccitas aeris exstitit, ut ne paucissimis quidem guttis arens terra, et crebris discissa rimis, aliquo modo madefieri videretur. Tunc quadam die quidam rusticus, ut stipulam triticæ messis suo in agello succenderet quo liberius terram excolere posset, allatum ignem incaute supposuit ; cumque ignis paulatim stipulam lambendo flammam in alto porrigeret, flante aura in proximam silvam, quæ subjacet monasterio, rustico renitente, dissiluit. Igitur infinitam sibi silva ministrante materiam, ignis huc illuc per latera montis discurrens, omne monasterium incendio se concrematurum, populis undique spectantibus minabatur. Cum itaque fratres flammis crepitantibus timore exterriti atque turbati, animo expergefacti, a lectulis surrexissent (nam in meridiano tempore illis quiescentibus res ista contigerat), videns tam immane, tam subitaneum periculum, et ei qualiter resistere possent nullo modo

(38) Nominatur in Chron. Casin. lib. II, cap 55, in Petr. Diac. cap. 43, ecclesia S. Laurentii, non Stephani.

(39) De hoc miraculo agit etiam Petr. Diacon., libro ms. de ort. just., cap. 36.

(40) Habetur mentio etiam in Petro Damian., sermon. habito in vigilia sancti Benedicti, et in Leone Ost. in Chron. lib. II, cap. 65.

excogitare valentes, ad divina se statim contulere (A) præsidia. Totis itaque viribus et ex intimo cordis affectu omnipotentem Dominum rogare cœperunt, ut meritis B. Patris Benedicti, quo ordine vellet, sua virtute monasterium ab incendio eriperet, quod humana manu defendi posse penitus desperabant. Cumque alii erectis in cœlum manibus, atque alii prostratis in terra corporibus, alii flexis genibus, alii in terram demissis capitibus omnipotentem Dominum precarentur, subito parva nubecula se in hujus latere montis colligens, supra cacumen ipsius, divina imperante potentia, dilatavit; quæ mox tantum imbrem ex se effundens expressit, ut et incendium omne exstingueret, et omnino monasterium liberaret. (B) Studeamus igitur, fratres, religiose ac pie vivere, et tantum patronum, Deo serviendo, propitium acquirere : quia cujus meritis nubes hujus cacumen montis obtexit, atque ex se copiosum imbrem exprimens, incendium exstinxit, ejus nihilominus precibus, si eum sedule ac devote, præveniente bono opere, rogaverimus, ab æstuantium vitiorum flamma, divina concedente misericordia, liberabimur.

Quodam tempore (41), sicut ab iis qui optime noverant agnovi, dum fratres hujus monasterii ecclesiam B. Scholasticæ virginis intra Cajetanam urbem, quatenus dum ad aliquas res emendas ibidem pergerent, receptaculum habere possent, construerent; (C) quidam ex operariis in summitate rupis, quæ in capite civitatis mari præeminet, saxa quibus ecclesiæ parietes construerentur, frangebat. Qui cum attentius eadem saxa malleo quateret, idem malleus de manubrio recidit, ac per ingens præcipitium, quod ibidem patebat, delapsus in mare cecidit : qui valde contristatus quod evenerat damno, ad fratres ubi parietes ecclesiæ ædificabant, protinus venit, et ea, quæ sibi acciderant, mœrens retulit. Cumque spes recuperationis esset ablata, et alterum sibi malleum, quo saxa ad ecclesiæ ædificium frangerentur, fieri decreverant, unus e fratribus dixit : Descendamus illuc, fratres, forsitan B. Benedictus suis meritis nobis malleum restituet, qui quondam Gotho ferramentum ex profundo lacus (D) mirabiliter abstrahens reddidit, atque ad opus quod cœperat, lætum remisit. Placuit sermo coram cæteris, et descendentes ad mare naviculam sunt ingressi : regyrantesque sinum civitatis, venerunt ad locum in quo sub prædicto præcipitio ex operarii manibus dissiliens malleus ille ceciderat : in quo videlicet tanta erat aquarum profunditas, ut spes recuperandi illum per aliquod humanum ingenium nulla omnino persisteret. Igitur confisi de omnipotentis Dei adjutorio et meritis B. Patris Benedicti, manubrium in æquora mittunt. Mirum in modum, mox ferrum manubrio adhæsit, et extrahentes eum foras, gratias agentes Deo et B. Benedicto gaudentes ad opera sua sunt reversi.

Theophilus. Hoc miraculum et in Veteri Testamento ab Eliseo, et in Novo a sactissimo P. Benedicto factum reminiscor. Sed dum merita istorum illorumque longe distantia esse perpendo, majorem, fateor, admirationem de hoc nuper patrato miraculo in animo meo concipio.

Desiderius. Hoc factum, charissime frater, non tantum istis imputare debemus, quantum illi, de cujus meritis confisi, id agere tentaverunt. Verumtamen vis narrem aliquid de obsessis a dæmone, divina largiente clementia, suffragantibus B. Benedicti meritis in hoc ejus monasterio curatis, ut audientium animus magis ac magis in Dei laudibus convalescat, atque in amorem summæ divinitatis multipliciter incalescat.

Theophilus. Quidquid ad ædificationem audientium dicere velis, prosequere : ego autem me hæc gratanter auscultare profiteor.

Desiderius. Quidam puer im domo hospitum simul cum patre in lectulo cubans, cum ad necessitatem corporis in ipso noctis silentio surrexisset, subito ingens leo dentibus fremens, cum paratus discerpere unguibus, sibi horrendus apparuit; qui pavore nimio exterritus vociferans, in terram corruit. Ad cujus vocem mox turbatus pater e lecto surrexit, festinus ad eum, valdeque anxius accessit, cur ita clamasset, vel quid sibi evenisset, prima diligentia sollicitus interrogavit. Ille immanem leonem contra se venientem tremebundus ac palpitans vidisse se retulit. Quem pater blanditiis demulcens, in ulnis propriis acceptum reduxit ad lectulum. Sed diabolus, qui in specie leonis sibi apparuerat, in eum ingressus, post aliquot dies vehementissime vexare cœpit. Cumque ad ecclesiam ante altare Beatissimi Benedicti esset adductus, mirum in modum, in pavimento clausis oculis prostratus jacens, quicunque monasterii portam ingrediebatur, mox ejus nomen exprimebat, dicens : Talis, vel talis homo per portam modo monasterii ingreditur. Quidam autem frater cum causa obedientiæ e monasterio ad civitatem descendisset, duodecim a quodam accipiens denarios, eosque propriæ utilitatis gratia occulte capiens sibi in sinum misit. Cum autem ad monasterium reversus, ad puerum in locum, quo vexabatur, accessisset, statim diabolus hoc modo eum per os pueri coram fratribus infamare cœpit, dicens : Monachus iste contra regulam sui ordinis duodecim denarios a tali viro accipiens causa proprii commodi, occultatos retinet in sinu. Igitur cum a fratribus interrogaretur utrumnam vera essent convicia quæ antiquus hostis per os vexati sibi objiceret, mox ille suam clamitans culpam, omnino id ita esse professus est.

Alter quoque frater, cujus nomen, ne verecundiam patiatur, omitto, ex alio monasterio suæ salutis causa ad nostrum deductus, quadam nocte ad nocturnas vigilias, lectionem de Veteri Testamento in

(41) Recitatur etiam hoc miraculum a Petr. Diacono in serm. ms. de oct. Sancti Benedicti.

ecclesia, more solito, fratribus residentibus, recitabat, cum forte puer qui vexabatur, aderat. Et ecce subito diabolus per os ejus exclamans, illa omnia quæ legebantur sese ad liquidum nosse, ibique fuisse protestabatur; et adjungens hujusmodi lectoris verbis exprobrabat: sed si ea, inquit, quæ de te scio, referre coram præsentibus vellem, magnam profecto tibi verecundiam incutere possem. Et revera fratrem illum abunde in suo monasterio sæculariter vixisse compertum est. Postquam igitur pro vexato puero ante sepulcrum B. P. Benedicti diutius a fratribus oratum fuisset, ita sanus effectus est, ut amplius a maligno spiritu vexari minime visus esset.

Eodem etiam tempore alter puerulus ingentem Æthiopem super tectum stantem conspexit, qui valde territus, mox fugam arripit. Sed idem dæmon eum insequens ad ostium domus, in terram prostravit, statimque in eum ingrediens, acriter miserum fatigabat. Cumque in oratiorum ad sepulcrum prædicti Patris per aliquot dies sæpe fuisset adductus, ejusdem Patris meritis, qui eum invaserat dæmon relinquens abscessit, sic ut ad eum accedere ulterius ausus non fuerit.

Alius quidam, Joannes nomine, qui ætate provectus adhuc superest, atque in infirmorum domo deservit ex provincia Marsorum, de qua ortus fuerat, cum a pessimo dæmone teneretur, hoc ad cœnobium gratia recuperandæ salutis a propinquis adductus est, procul dubio credentibus cum meritis B. Benedicti salutem posse recipere, ad cujus limina multos diversis languoribus occupatos audierant saluti pristinæ restitutos. Et ipse post non longum tempus expulso hoste, sanitate recepta, magnam exsultationem videntibus intulit.

Theodoricus etiam monachus atque sacerdos, qui adhuc vivit et nobiscum in hoc cœnobio religiosam vitam ducens, conversatur, nepotem habuit, quem valde diligebat in sæculo; in quem antiquus hostis ingressus est, non tamen ut aperte eum vexaret sed latenter languorem inferens, quasi paralyticum videntibus exhiberet. Hunc itaque prædictus avunculus ejus causa recuperandæ sanitatis ad se, de B. P. Benedicti confidens meritis, adduci fecit. Sed cum in hoc monasterio aliquandiu infirmus ita ut venerat, perduraret, et a nullo, quod eum dæmon possideret, æstimaretur, quadam die ab eodem avunculo suo ad venerabilem virum, Lambertum nomine, qui in hac proxima silva juxta ecclesiam SS. Martyrum Cosmæ et Damiani solitarius habitabat, ut ejus benedictione frueretur delatus est. Cui vir Dei panem benedictum dedit, eumque ut comederet, imperavit. Cumque sibi, quod acceperat in os misisset, idque comedens gustasset, dæmon, qui hactenus in eo latuerat, benedictionem tanti muneris ferre non valens, strependo, vociferando, huc illucque dissiliendo quæ causa languoris esset, innotuit. Postquam vero cum avunculo ad monasterium est reversus, et aperte quod a dæmone possideretur cognitum fuit, ductus in oratorium est, quo omnipotentem Dominum pro

A eo rogaturi cuncti simul fratres conveniunt. Expleta itaque oratione ac psalmodia, hora sexta fratres ad refectorium, dimissis cum eo duobus vel tribus monachis, causa reficiendorum corporum, pergunt. Igitur cum illi, qui remanserant, divinam pro eo misericordiam lacrymabiliter precarentur, quatenus intercessione beatissimi confessoris sui Benedicti liberare captivum hominem dignaretur, monachus veneranda canitie eidem, qui vexabatur, ante altare stare visus est; qui antiquo hosti ab eo recedere potenti virtute imperabat. Mox dæmon, facto impetu magno, cum vomitu ab obsesso exiit, atque ad eum ulterius accedere minime præsumpsit. Quem videlicet senem B. Maurum procul dubio fuisse compertum est, cujus reliquias, fratres qui B cum eodem obsesso in ecclesia remanserant, super pectus ejus magna cum devotione ac spe posuerant. Is autem, liberatus a dæmone, est monachus factus, et in hoc monasterio cæteris cum fratribus in Jesu Christi Domini nostri servitio perseverans exstitit.

Rusticus quidam in vicinia hujus monasterii in castello, quod Sancti Angeli nominatur, habitabat: qui festivitatem B. Nicolai confessoris Christi per annos singulos una cum familia sua, prout poterat, devotissime celebrabat. Ea igitur die, qua ejus sacra a fidelibus colebatur solemnitas, ad basilicam illius nomini consecratam, cum uxore et filio, in puerili adhuc ætate manente, oblationem Domino oblaturus, accessit. Postquam vero expletis missarum solemniis, et communione sacri corporis et C sanguinis Domini participati, ad domum propriam sunt reversi, puer a patre agrum revisendi licentiam petiit. Quem pater compescuit, dicens. Non est dignum, o fili, in agrum hodie ad agri opus exercendum exire, quia, licet indigni divina sacra percepimus, et festivitas patroni nostri, beatissimi scilicet Nicolai, ab omnibus magna cum devotione ubique recolitur. Sed ille puerili levitati deditus, postquam quod petierat a patre impetrare nequit, paterna jussa parvipendens, clam de domo avolans, solus ad rura visenda contendit. Ubi vero aliquandiu in agro moratus, solem ad occasum vergere, et opacam noctem jam pene terris imminere conspexit, ad vicinam silvam, ne vacuus redire videretur, ac per hoc patris gratiam, cujus verba contempserat, D recipere posset, ligna cæsurus, domumque delaturus accessit. Cumque ligna jam componere cœpisset in sarcinam, subito quasi vehemens spiritus sonitum contra se venire persensit; elevatoque sursum capite, nigerrimam avem in modum vulturis, magno cum impetu per aera super se volantem conspexit, quæ haud longiuscule in semita qua puer regredi debebat sese obviam posuit. Itaque cum timore perterritus ac tremebundus in eam intenderet, illa in speciem nigerrimi pueri, cujus capilli hispidi ac sursum erecti, extrema pars vestium in ruborem desinere videbatur, sese transformans, ostendit. Igitur puer, dum id quod videbat, pavidus ut erat, animo inspiceret, idem antiquus hostis eum taliter

allocutus est : Efficere, inquit, o puer ex toto meus, et una mecum ad hujus proximi fluminis oram accede ; ibique auri et argenti magnam copiam tibi tribuam, ut non lignis,sed auro argentoque domum revertaris onustus, quatenus, dum superfueris, omnes propinquos vicinosque tuos divitiis excellens, nobiliter deliciosiori vita fruaris in terris. Hæc autem ei antiquus hostis non ideo persuadebat, ut quæ pollicebatur tribueret, sed ut eum mergens necare posset in flumine. At puer, frequens Christi nomen invocans, crucis se studebat munire signaculo; flebilique voce talia responsa reddebat : Absit a me, absit, ut alicujus aliquando efficiar famulus, nisi, qui me creavit, omnipotentis Dei, et qui me generavit, patris mei.Cum itaque iterum atque iterum signum salutis sibi apponeret, dæmon, qui videbatur, in undas vicinas fluminis inde se submovens, magno cum strepitu se mersit, ibique serpentum sibilare, asinorum rudere, mugire taurorum, rugire leonum more cœpit, atque tantum timorem misello incussit, ut tota sibi silva rotari in vertiginem videretur. Cumque in terra fere jaceret exanimis, et quid ageret penitus ignoraret, ecce subito senex mitrato capite, candidus, indutus stola, sibi astans apparuit, et inquit ad eum : Quid hic agis, cum se jam hora tardior protrahat, et recedentibus cunctis solitaria jam pene arva remanserint? Surge quantocius, domumque redire festina, ne si amplius hic moratus fueris, grave periculum incurras. Surgens itaque de terra, cum ad se levandam sarcinulum inclinasset, idem qui visus fuerat senex disparuit. Et ecce iterum malignus spiritus ante oculos ejus se ingerens, eisdem quibus prius, verbis affari puerum cœpit. Sed ille nihilominus quæ hortabatur, se facturum omnino denegans, flens et ejulans in terram decidit, ac prout poterat et sciebat, Salvatoris omnium Jesu Christi clementiam, ut sibi præberet auxilium, flagitabat. Mox ille venerandus senex, qui ei dudum visus fuerat, rursus apparuit, et ut citius surgeret;, lignaque auferens, asportaret, hortatus est. Ad cujus adventum, inimicus qui videbatur, ut fumus evanuit. Quem utique senem, beatum fuisse credimus Nicolaum cujus celebrandæ festivitati prædictus rusticus eo die operam dederat. At puer ad senis imperium surgens e terra, levata sarcinula summa cum velocitate domum rediit, et ut ipse postmodum referebat, tam levi sibi illa lignorum sarcinula facta est,ut nihil ponderis habere videretur. Cum autem domum regressus paululum remoratus, esset, qui ei apparuerat dæmon in eum ingressus cœpit horribiliter fatigare. Uterque turbatus parens affuit, lugens et perstrepens familiola cuncta circumstetit Sed cum nullum ei auxilium impendere posse se cernerent, salubri reperto consilio, hoc ad monasterium ad limina cum B. Benedicti perducunt, atque ad ejus venerandum sepulcrum in dextera parte altaris, misericordiam Domini lacrymabiliter postulantes, prosternunt, ibique obsessus vehementer fatigatus obdormivit. Igitur dum sic fessus dormiens jaceret, aperiri sibi subito a latere visum est, indeque vir clarissimo aspectu candidoque amictus habitu procedens, ejus alvum, pectusque diu contrectans, ei, ut surgeret ac discederet, imperavit. Qui mox expergefactus, ita sanus surrexit ut dæmoniacam infestationem in se ulterius non sentiret. Hæc omnia per ordinem, ex ore ipsius pueri, qui passus fuerat, lacrymabiliter referentis, audivi.

Theophilus. Hæc quæ puero contigisse narras, valde admiror, atque ad omnipotentis Dei judicia tremens stupesco, cur illum, qui una cum patre festivitatem B. Nicolai devote celebrans, communionem Dominici corporis et sanguinis percepit, immundo spiritui mancipare permiserit.

Desiderius. Si animadvertas utique quantum parentibus non obedire delictum sit, cum Scriptura dicat : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram* (*Exod.* xx, 12), Et item: *Melius est obedire quam sacrificare, et auscultare, magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (*I Reg.* xv, 23, 24). Et Salomon : *Audi, fili mi disciplinam patris tui, et non dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo* (*Prov.* I, 8, 9). Et alio loco : *Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem, et est maledictus a Deo qui exasperat, matrem* (*Eccli.* III, 18). Justo Dei judicio d accidisse probabis. Permisit itaque Deus puerum hunc pro sua inobedientia flagellari : sed solita pietate non est passus eum sub eodem verbere diutius immorari; ut ex hoc quisque intelligat quantum inobedientia periculum pariat, atque ad obediendum parentibus quantum sese humiliter subdere debeat.

Theophilus. Verba responsionis tuæ satisfecisse videntur interrogationi meæ

Desiderius. In diœcesi Teatini episcopatus est monasterium nobile juxta radicem Majellici montis, in honorem sancti Liberatoris (42) constructum, et huic nostro Casinensi cœnobio subditum, ubi magna fratrum multitudo commorantes, juxta almi B. Benedicti mandatum, Christo Domino vero Regi militantes deserviunt.

Quodam igitur tempore, dum fratres in eodem monasterio in noctis silentio juxta morem quiescerent, quidam reverendus vir monastico indutus habitu apparuit uni eorum, eumque exhortans ut velociter de lectulo in quo jacebat surgeret. Cumque ille ad ejus imperium expergefactus perniciter surrexisset, inquit ad eum : Accelera et excita omnes fratres, et ut velociter surgant, atque ad ecclesiam pergant, magnis clamoribus insta, quia hæc, in qua quiescunt, cella sub omni est celeritate ca-

(42) De monasterio Sancti Liberatoris in diœces. Teatin., vide Ost. in Chron. lib. I, cap. 44, et eruditissim. Lucium Camarram De antiquis rebus Teatinæ civitatis. Quod in illo evenit legitur etiam in serm. ms. Petri Diac., de octava sancti Benedicti,

sura. Ille autem jussis obtemperans, magnis vocibus clamare cœpit : Surgite, inquiens, fratres, surgite, atque ex hac cella, quia protinus ruitura est, quantocius exite, ne moram in ea amplius facientes, a ruinis, quod absit, opprimamini. Cum igitur illi expergefacti, ejus a clamoribus turbati, unde hæc nosset inquirerent, ille quæ viderat, quæve sibi dicta fuerant ordine retulit. Mox itaque fratres, inde celeriter exeuntes, ecclesiam intraverunt, nocturnamque synaxim more solito, pulsatis signis, Domino decantare cœperunt. Cumque intentis mentibus officia consueta persolverent, subito prædicta domus, dato magno strepitu, funditus corruit. Exterriti fratres festine pergunt, solliciti ne quis eorum illa ruina oppressus esset inquirere ; et cum delapsam materiam huc illucque devolverent, invenerunt unum e fratribus senectute gravatum sub ruinis undique circumjacentibus incolumem remansisse, extractumque foras quonam modo evasisset curiose interrogaverunt. At ille : Cum domus, inquit, funditus fatiscens super me dilaberetur, subito quidam splendidus, vir, monastica veste indutus, mihi adstitit, ipsamque ruinam jamjamque super me ruentem, meque opprimere minitantem, brachio sustentans, incolumem, ut ipsi cernitis, conservavit. Qui videlicet beatus Benedictus fuisse creditur, qui et antea paterna pietate Dominicum gregem sub suo magisterio militantem sua admonitione et protectione eripuit, et senem fugere non valentem manu sollicitudinis suæ defendit.

Quidam etiam frater in eodem monasterio (43) Joannes dicebatur, qui ætate ac ægritudine pressus, extremum vitæ spiritum trahebat. Cum igitur quadam die aliqui ex fratribus more solito decantaturi matutinas laudes ad eum venissent, ille eos voce qua potuit compescuit, dicens : Nolo, inquit, ut mihi canonicas horas amplius decantetis, quia dominus abbas cum multis fratribus albis vestibus indutis ad me modo gratia visitandi venerunt, mihique matutinale officium decantantes, post paululum se huc venturos meque secum assumpturos esse dixerunt. Dum itaque fratres qui ad eum venerant, ad ejus visionem intenti, et si vera essent quæ retulerat, sollicite præstolarentur, post unius horæ spatium frater ille magna cum exsultatione emisit spiritum. Ex quo animadvertere possumus B. P. Benedictum fuisse, qui ei cum illa albatorum concione apparuit, eumque secum, ut promiserat, assumpsisse. Hæc quæ retuli, in quadam veteri paginula imperito satis stylo exarata reperi, nostroque nunc associare libello studui.

Quia vero omnipotens Deus non tantum in ma- A gnis, sed etiam in minimis rebus aliquando ostendit mirabilia sua, ut fides credentium magis ac magis augeatur, ac in laudibus Creatoris sui universa creatura prorumpat, cum in cunctis usui humano concessis paterna pietate curam habere conspicitur. Quid de lampadibus in hac ecclesia nostris temporibus actum sit (44), sicut a Gregorio venerabili monacho, qui ejusdem ecclesiæ custos adhuc superest, didici, ex parte referre non negligam.

Cum quadam die unus e custodibus lampadem in oratorio ante altare, igne admoto, accendisset, eamque sursum pene usque ad laquearia elevasset, repente delapsa, ante altare in pavimentum cecidit. Mirabilis Deus in factis suis! non solum fracta non est, sed nec oleum effusum, nec ignis B in ea accensus exstinctus est.

Alio tempore cum præfatus Gregorius lampadem ante imaginem Salvatoris, quæ supra fores ecclesiæ depicta erat, vellet reficere, invenit eam extensis uncinulis ita in aere dependere, ut nulla prorsus materia sustentaretur. Qui mox convocatis fratribus, qui prope astabant, eis ut tanti testes miraculi esse deberent, quod miratur, ostendit.

Præterea alio tempore in hac eadem ecclesia beati Benedicti ea nocte, quæ præcedebat diem, qua ejus festivitas agebatur, sicut ab eis qui huic miraculo interfuere, accepi ; dum ad vigilias unus e custodibus lampadem ante imaginem ejusdem beati Benedicti, reficeret, repente delapsa in pavimentum corruit, ac illæsa permansit : quæ iterum ter sur- C sum elevata, ter cecidit : et, quod mirabilius est, nec ipsa frangi, nec oleum effundi, nec lumen in ea accensum exstingui, divina conservante virtute, potuit.

Plura sunt in hujus monasterii oratorio ex lampadibus hujusmodi facta miracula : quæ quia valde simplicia sunt, superfluum scribere duximus. Hæc autem idcirco scripsimus, ne, quia parva sunt, omnino contemni viderentur. Unum autem, quod in superiori libro a memoria excidit, suo in ordine referre in quo me tibi narrare promiseram, qualiter omnipotens Deus hoc monasterium sæpe de tyrannorum manibus eripuerit, in hoc secundo, ne a memoria laberetur, scribere opportunum duximus.

Dum prædecessoris nostri Athenulphi (45) tempore prædia hujus monasterii acriter ab Aquinensi D comite infestarentur, et neque monachorum precibus, neque reverentia almi P. Benedicti qui fundator ac ædificator hujus cœnobii exstiterat, animus ejus emolesceret, ut ab hujus loci læsione se aliquo modo temperaret, prædictus abbas necessitate com-

(43) Narratur quoque in serm. ms. Petri Diaconi de oct. sancti Benedicti.

(44) Ea, quæ de lampadibus referuntur, confirmat etiam Leo Ost. in Chron. lib. III, cap. 38, et Petr. Diac. in serm. ms. de oct. S. Benedicti. Affine his miraculis est, quod de S. Martino haustum ex Severo Sulpicio Dialog. 3, cap, 3, versus expressit Venantius Fortunatus lib. IV, De Vita sancti Martini :

Lapsa pavimento ampulla stat marmore tenso :
Sed nec saxa vitrum perdunt, nec vasa liquorem.

(45) Athenulphus abbas sedit ad an, 1011, et vixit usque ad 1022, quo tempore contigerunt ea quæ narrat Desiderius. Vide Ost. in Chron. lib. II, cap. 71; et Petrum Diac. in serm. de oct. sancti Benedicti

pulsus, postquam vidit ferocem viri animum nullo modo mitigari posse, aliquot ex Nortmannis, qui tunc temporis conductu nostrorum principum Italiam adventabant, in possessiones hujus monasterii quatenus eas a prædicto comite per eos tueretur, induxit. Qui postquam et domos ad manendum, et stipendia, quibus sustentarentur, abunde percepere, cœperunt quæque monasterii pertinentia, more strenuorum militum, inimicis longe repulsis, circumcirca nobiliter fideliterque defendere. Igitur cum prædictus abbas, et qui ei in regimine secundo gradu successerat, supervixere, conducti milites satis honeste in eorum fidelitate manserunt: postquam vero ipsis hac vita subtractis, fortuna nostrorum principum mutata, aliquantulum vacillare cœpit, Nortmannica cohors, quæ ob nostram defensionem admissa fuerat, nobis infida atque adversa paulatim esse cœpit; quæ quotidie ad nostram perniciem ut canis et serpens, modo hæc modo illa nobis auferens, ad dominationem sui juris sacrilega ducti cupiditate, devolvunt. Unde factum est ut ex tanta tamque ampla possessione nihil aliud ad nostri commodi usus, præter civitatem, quæ ad radicem Casini montis sita est, cum quatuor vel quinque villarum fundis, remanserit: qui etiam (sicut barbarica avaritia nescit tenere modum) quotidie ab eis oppressi, illis opes auferentes nobis miseriam atque inopiam tribuebant. Cum igitur per aliquanti spatium temporis sine ulla animi pietate id incessanter agerent, et misericors ac pius Dominus servis suis fame atque inopia laborantibus, sua benignitate subvenire decrevisset, beatissimus P. Benedictus cuidam rustico in agello cujusdam nostræ villulæ commoranti, per visionem apparuit, eique ut egrediens se sequerentur jussit. Cumque idem rusticus ad eamdem visionem animum intenderet, visum est ei quod beatissimus Benedictus cunctos Nortmannos, qui ejus bona invaserant, cum virga, quam manu gestabat, potenti virtute a finibus hujus terræ expelleret, eosque vacuos rebus, oneratosque ignominia a sui hæreditate monasterii eliminaret. Eodem itaque anno præfata cohors Nortmannica, amplius quam solebat per audaciam insolescens, ad nostram calamitatem, arcem, quæ S. Andreæ nuncupatur, ut securius nobis sublata retinere posset, occupavit: quæ utique res illorum animum ad dominationem, nostrum ad desperationem adduxit. Postquam ergo eadem arce potiti sunt, quadam die in unum conglobati, magna cum superbia in præfatam Casini civitatem venientes intraverunt: ibique nutu Dei a populo civitatis oppressi, aliquanti eorum vel occisi vel capti sunt, cæteri autem qui remanserunt, in munitionem prædictæ arcis fugientes se contulerunt. Igitur habitatores hujus terræ unanimiter facto grege, vicinis undique auxiliantibus, ad obsidionem ejusdem arcis animum intendunt. (Mira dicturus sum) obsidione facta, dum jacula ex utraque parte acriter impulsa mitterentur, Nortmannorum pila, velut a ventorum flamine retorta, eos a quibus missa fuerant, sauciabant. Quid multis opus est? cum se a semetipsis ita impugnari conspicerent, et jam amplius resistere minime valerent, cernentes durum sibi esse contra stimulum calcitrare (et quod contra se divinam dexteram dimicare cognoscerent) facta deditione in manibus abbatis et monachorum se tradunt: a quibus vix defensi ad socios, qui in Aversano oppido commorabantur, remissi sunt. Sicque factum est ut ab eo tempore, beati Benedicti meritis, hæc in qua degimus terra ab eorum infestatione illæsa permaneat, atque sub ipsius sancti tutamine secura persistat.

Modus libelli hujus nos ad finem tendere cogit. Sed bonum obedientiæ quæ inter cæteras virtutes prima est, non sinit nos virtutem cujusdam fratris, qui eam tota cordis humilitate usque ad mortem quoque sectatus est, penitus silentio præterire: illum videlicet imitans, qui factus obediens Patri usque ad mortem (*Philipp.* II), obedientiæ nobis pariter ac patientiæ reliquit exemplum.

Qui videlicet frater hujus nostræ congregationis Raynerius nomine (46), juvenis quidem ætate, sed moribus grandævus fuit: cui multi ex fratribus, qui adhuc supersunt, et eum optime noverunt, testimonium perhibent, quod tantæ humilitatis tantæque obedientiæ fuerit, ut ex hoc mirabilis ab omnibus haberetur.

Cui dum quadam die esset ab abbate suo injunctum, ad aliquod opus pro utilitate monasterii peragendum, Teatinum adire territorium, ille læto, ut semper, animo ad obedientiam promptus, jussa implere festinans, iter arripuit. Qui dum pergeret, et aliquanti jam itineris spatium profligasset, a latrunculis cujusdam potentis viri Oderisii, qui ex præcepto ejus, si quid ex monasterii hujus rebus diripere possent, viam observabant, omnibus quæ deferebat sublatis, interfectus est. Cujus quidem corpus, vel propter inimicorum insidias, vel quia longe erat, ad hoc cœnobium deferri non potuit, sed in quadam ecclesia juxta posita humi traditum est. Sed quantum illius obedientia omnipotenti Dei fuerit accepta, ad exstinctum ejus corpus ostendere est dignatus. Cœperunt itaque multi infirmitate detenti ad ejus sepulcrum properare, et recepta sanitate ad sua incolumes remeare. Inter quos Atto comes, magni Attonis comitis filius, præfati quoque Oderisii gener (47), cum graviter detentus a febribus fatigaretur, ad sepulcrum istius, fama ducente, venit, ibique in oratione prostratus recedente febre ita sanus surrexit ut malæ illius valetudinis, qua antea laborabat, nihil prorsus in se sentiret; qui

(46) De Raynerio monacho Casinen. occiso a latronibus agit quoque Petr. Diac., lib. De ort. just. Casinens. cap. 45.

(47) Vivebant anno Domini 1053, et fuerunt Italorum duces adversus Nortmannos. Vide Guillel. Apuliensem l. II Rerum in Italia ac regno Neapol. Nortmannicarum.

pro recepta sanitate gratias referens, ob retributionem tanti muneris, optimo super ejus sepulcrum oblato pallio, gaudens discessit.

Et quoniam de mirabilibus Dei cœpimus facere mentionem, quod mihi ipsi contigit, silentio prætereundum non duxi, dicente Scriptura quod *Secretum regis abscondere bonum est, opera vero Dei manifestare ac revelare honorificum est* (*Tob.* xii). Cum intra annos pueritiæ positus, vi febrium laborarem, beatæ memoriæ Joannes, reverendæ dignitatis sacerdos, qui tunc in nostra Beneventana urbe in Dei servitio celebris habebatur, visitationis gratia ad me properans venit. Cumque paululum cum cæteris qui advenerant consedisset, et me vehementius a tertiano typo urgeri conspiceret, motus charitate quam erga me habebat, surrexit, ac perfusus ora lacrymis lenta voce Dominum invocans, manum capiti meo imposuit, et febris, quæ me acrius infestabat, mox effugata discessit.

Ea etiam, quæ Leone abbate monasterii S. Pauli apostoli (47-48), secundo ab urbe Roma milliario constituti, ubi sacratissimum ejus corpus signis prodigiisque coruscans veneratur et colitur, referente cognovi, in calce hujus libelli scribere curabo. Dicebat enim quod sibi Adam reverendissimus valde monachus et custos ecclesiæ hujus nostri monasterii retulerit quia quadam die, dum idem venerabilis Adam portam monasterii ad aliquod opus faciendum esset egressus, duo juvenes in habitu monachi sibi in ipso introitu monasterii obviave-

A runt: cumque salutatos eos studiose qui essent inquireret, audivit ab eis quod unus eorum Protus, alter vero Hyacinthus diceretur. At ille, obstupefactus, cur venissent cum percunctaretur, illi inquiunt: Ad fratres, qui hodie nostri memoriam mente devota recolunt, visitandos venimus. Erat enim ea dies qua, pro Christo effuso sanguine, palmam martyrii ipso donante meruerunt. Cum ergo attonitus paululum substitisset, ac illi cœpto itinere monasterium essent ingressi, ad se reversus, certius quod audierat cognoscere volens, rapido eos cursu prosequitur. Dumque eos huc illucque per monasterium studiose requireret, ac minime invenire posset, quosque sibi obviantes interrogare cœpit ubi essent monachi qui modo secum loquentes

B monasterium essent ingressi? Sed illi nullum in monasterium introisse præter illum se audisse professi sunt. Qua de re aperte datur intelligi, eos qui sibi apparuerant, sanctos Martyres Protum et Hyacinthum, quorum festivitas eo die celebrabatur veraciter fuisse. Quæ omnia eodem ordine a Firmo hujus monasterii veterano monacho, nepote scilicet ipsius Adæ, quo ille mihi Romæ positus dixerat, reversus ad monasterium, acta fuisse percepi.

Hic finem faciat hujus diei oratio: quatenus in honore tantorum martyrum liber iste conclusus, recreato per hujus noctis spatium animo, ad cætera quæ restant sanctorum Acta, ipsorum omniumque sanctorum precibus adjuti, fideliter enarrando veniamus.

(47-48) Argumentis Joannis Bosci relatis in Bibl. Floriac. de jurisdictione monasterii Sancti Pauli de Urbe, tempore Leonis abbatis, cuinam congregationi subesset Casin. an vero Cluniac., respondit Lauretus in lib. De exist. corp. sancti Benedicti in

C monte Casin., cap. 25. Miraculum vero prædictum SS. martyr. Proti et Hyacinthi narratur etiam a Leone Ost. in Chron., lib. ii, cap. 48, et a Petr. Diac, lib. ms. De ort. justorum, cap. 46.

LIBER TERTIUS

Qui est de miraculis alibi gestis.

Expletis duobus, Christi gratia comitante, libellis, quos de miraculis Dei, vel in hoc cœnobio, vel in sibi subditis cellis, ipso largiente patratis descripsimus, ad narrationem tertii concedente Domino veniamus. Et quia cætera, quæ extra hujus monasterii claustra facta sunt, quæque visu vel auditu percepimus, in aliis duobus libellis adhuc exaranda remanent, operæ pretium mihi videtur ab ipso capite Ecclesiæ exordium sumere, sicque postea seriatim stylo prosequente ad singula membra venire.

Dum igitur (49) negligentia sacerdotum Italia a recto religionis tramite paulatim devians labefactaretur, in tantum mala consuetudo adolevit, ut sacræ legis auctoritate postposita divina humanaque omnia miscerentur, adeo ut populus electionem, et sacer-

D dotes consecrationem, donumque sancti Spiritus, quod gratis accipere et dare divina auctoritate statutum fuerat, data acceptaque per manus pecunia ducti avaritia venderent; ita vix aliquanti invenirentur qui, non hujus Simonicæ pestis contagione fœdati, mundi coram Deo præcepta Dominica observantes existerent. Itaque cum vulgus clericorum per viam effrenatæ licentiæ nemine prohibente graderetur, cœperunt ipsi presbyteri ac diacones (qui tradita sibi sacramenta Dominica mundo corde castoque corpore tractare debebant) laicorum more (50)

(49) Vide Lauretum ad Chron. Ost., lib. ii, cap. 78, Petr. Damian., tom. I, lib. ii, epist. 10; Baron, ann, 1057, n. 15 et seqq., et anno 1074, n. 28, 29, 57; Chron. Geuebrardi ad ann. 1074.

(50) Eo usque pestis illa Nicolaitarum istis sæculis invaluerat, et præcipue in Germania, ut incestuosa conjugia clerici non tantum publice inirent sed et impudentissime propugnarent, cum omnes pene per vitiorum abrupta præcipites et tanquam furentis equi per voluptatum suarum campos fere-

uxores ducere, susceptosque filios hæredes testamento relinquere; nonnulli etiam (51) episcoporum verecundia omni contempta, cum uxoribus domo simul in una habitare. Ut hæc pessima et exceranda consuetudo intra (52) Urbem maxime pullulabat, unde olim religionis norma ab ipso apostolo Petro ejusque successoribus ubique diffusa processerat.

A Igitur dum per aliquot annos nonnulli solo nomine pontificum cathedram obtinerent (53), Benedictus quidam nomine, non tamen opere, cujusdam Alberici consulis filius (Magi potius Simonis, quam Simonis Petri vestigia sectatus) non parva a patre in populum profligata pecunia, summum sibi sacerdotium vindicavit; cujus quidem post adeptum sacerdotium vita quam turpis, quam fœda, quamque exsecranda exstiterit, horresco referre; eo potius qualiter omnipotens Deus in faciem Ecclesiæ sit dignatus respicere, exordiar enarrare. Denique cum rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora, sine ulla dilatione ageret, congregati in unum populi quia ejus nequitiam amplius ferre nequibant, eum a pontificatus cathedra exturbantes, Urbe pellunt; alterumque in loco ejus (54), Joannem videlicet Sabinensem episcopum (non tamen vacua manu) canonica parvipendentes decreta, substituunt; qui tribus non amplius mensibus Romanæ usus est cathedræ successione, Benedicto undique suis cum propinquis infestante Urbem quia ex consulibus terræ ortus erat, et in eis maxima virtus, Urbe cum dedecore pulsus, suum ad episcopatum reversus est. Benedictus igitur quod amiserat sacerdotium recepit, pristinos tamen mores minime mutavit, secundum quod scriptum est: *Adolescens juxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (*Prov.* XXII). Et quia durum est in corde veteri nova meditari, in eisdem pravis et perversis operibus, ut ante, perseverabat. Cumque se a clero simul et populo propter nequitias suas contemni respiceret, et fama suorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem (55) reperto B consilio (quia, voluptati deditus, ut Epicurus magis quam ut pontifex vivere malebat) cuidam (56) Joanni archipresbytero, qui tunc in Urbe religiosior cæteris clericis videbatur, non parva ab eo accepta pecunia, summum sacerdotium relinquens tradidit; ipse vero in propriis se castellis recipiens, Urbe

bantur effrenes; præsertim si vera sunt quæ Lambertus Schafnaburgensis narrat istis temporibus. Animadvertendum tamen est non omnes clericos ita in profundum incontinentiæ demersos ut uxores ducerent, sed potius ex eis nonnullos magis incontinentes tumultuatos adversus decretum Gregorii septimi prædecessorum vestigiis inhærentis de clericorum continentia servanda, dicendo melius esse nubere quam uri, et dum consuetum cursum naturæ negaret Gregorius, fornicationi et immunditiei C frena laxaret. Sub hoc igitur prætextu uxores ducebant. Unde vere sacerdotibus illius ævi contigit quod dixerat propheta Malachias primo: *Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi: propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles in omnibus populis* (*Mal.* II). Vide opusc. 5. B. Petri Dam. quod inscribitur De privilegio Rom. Eccl.; Baron. an. 1074, n. 28, 29, 57, et Bellar. De cleric. c. 19.

(51) Tullensis enim specialiter episcopus fuit vocatus a Gregorio VII in Synodo anno 1075, ad dicendam causam de Simonia, et cohabitatione cum muliere, quam habebat ut conjugem. O propudium illius sæculi! Vide Baron, ad ann. 1074, num. 57.

(52) Stephanus papa X, zeli Phinees æmulatus ardorem, omnes clericos Romæ qui post interdictum papæ Leonis IX incontinentes exstiterant, inter quos forsan aliqui uxorati, aut ut potius dicam publici concubinarii existebant, de conventu clericorum et choro ecclesiæ præcepit exire: pudor enim et honestas perierat; et dum ecclesasitici D vigoris sensim disciplina collabebatur, inundans vitiorum ac pravitatum omnium in dies pestis augebatur. Vide Baron. ann. 1057, n. 15 et seq.

(53) Benedictus hujus nominis nonus, qui et Theophylactus, Alberici comitis Tusculani filius, puer duodecim annorum, largitione ac tyrannide patris pontifex in sedem Romanam intruditur anno Domini 1034. O facinus toto lacrymarum fonte lugendum! Qualis deinde fuerit iste Benedictus, et quam turpi vitæ deditus, una cum ejus infelici ad inferos damnatione, qui scire cupit, legat Baron. ad ann. 1033 et seq.; Diac, in Vita Benedict. aliosque de Vita Rom. Pont. scribentes. Horrendum certe ac detestabile erat visu videre sedentem in eminenti Petri solio puerum. Quid enim non patitur Ecclesia, si principes se immisceant in jura non sua? quæ non tentat flagrans præfecturæ cupiditas?

(54) Joannes episcopus Sabinensis, qui Silvester tertius antipapa dictus. Baron. ad ann. 1044, n. 2

(55) Benedictus suasu sancti Bartholomæi abbatis Cryptæ Ferratæ, discipuli sancti Nili, cessit sede.

(56) Hunc Joannem alii Gratianum nominant, qui postea fuit Gregorius sextus. Et, licet a Desiderio Simoniæ sugillatus reperiatur, sciendum tamen est hæc de Gregorio retulisse, quia talis fere ab omnibus indoctis, et præsertim ab æmulis habebatur, non adhuc bene nota ipsi Desiderio causa zeli et charitatis Gregorii; calumniamque propterea non legitimi pontificis patiebatur, sed usurpatoris ferebat nomen, licet re vera liberator Ecclesiæ Dei potius dicendus erat quam Simoniacæ labis infectus ut Otho Frisingensis fideliter narrat. Et si fuerit depositus tanquam Simoniacus ab hoc concilio Sutrino, præsente Henrico secundo imperatore; viri tamen gravissimi et doctissimi illius temporis, et Simoniacorum hostes implacabiles, inter quos Petrus Damian datis etiam ad ipsum Gregorium sextum epistolis, et Hildebrandus qui postea de industria Gregorius papa septimus nominari voluit, ut monstraret Gregorium sextum fuisse verum pontificem et male ab Henrico exturbatum non alia revera ex causa (quidquid denique prætexeret) quam quia ipso imperatore inconsulto electus fuerat; sentiunt, inquam, hoc concilium egisse quod non poterat, et Gregorium fuisse virum optimum ac sanctissimum: cum hæc largitio pecuniarum ab ipso facta, non emptio sedis, sed potius redemptio vexationis dicenda foret, adeoque necessaria ad pellendes tres sedis apostolicæ invasores, ut merito transactio et non Simonia appellanda deberet, ideoque licita, ut tradit Layman., lib. IV, tract. 10, cap. 8, num. 23, allegatis Cajetano, Soto, Suarez, Lessio. Deunique ipsum miraculo attestatum esse innocentiam Gregorii sexti scribit Gregorius Polydorius in Gregoriano. Vide etiam Baron., ad ann. 1044, num. 6.

cessit. Interea Joannes, cui Gregorius nomen inditum est, cum duobus annis et octo mensibus sacerdotium administrasset, Henricus rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, Saxoniæ ac Italiæ imperabat, ad suscipiendam de manu Romani pontificis imperialem coronam, quatenus deinceps Augustus appellari posset, Italiam ingressus, Romanam adiit urbem (*anno* 1047). Sed antequam Urbem ingrederetur, plurimorum episcoporum, nec non abbatum, clericorum quoque ac religiosorum monachorum, in Sutrina urbe concilio congregato, Joannem, qui Gregorius dictus est, missis ad eum episcopis, ut de ecclesiasticis negotiis, maximeque de Romana tunc Ecclesia, quæ tres simul habere pontifices videbatur, ipso præsidente, tractaretur, venire rogavit. Sed hæc de industria agebantur, jam enim dudum regio animo insederat ut tres illos, qui injuste apostolicam sedem invaserant, cum concilio et auctoritate totius concilii juste depelleret, et unus qui secundum statuta SS. Patrum Dominico gregi sollicite præesset, clero et populo eligente, ordinaretur. Prædictus itaque pontifex exoratus a rege, cæterisque pontificibus, Sutrium, ubi synodus congregata erat, allectus spe quod, aliis duobus depositis, sibi soli pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed postquam eo ventum est, et res agitari ac discuti a Synodo cœpta est, agnoscens se non posse juste honorem tanti sacerdotii administrare, ex pontificali sella exsiliens, ac semetipsum pontificalia indumenta exuens, postulata venia, summi sacerdotii dignitatem deposuit (57).

Post hæc rex Urbem ingressus, congregato in ecclesia B. Petri apostoli Romano clero et populo, una cum episcopis qui in prædictam convenerant synodum, communi consilio (58) Clementem Bambergensem episcopum elegerunt, quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona quæ digne posset ad tanti honorem sufficere sacerdotii: cumque in apostolica sede ad regendum Dominicum gregem inthronizantes constituunt. Quo non amplius novem mensibus sacerdotio functo, ex hac vita decedente, Damasus ex Germania oriundus, fultus auctoritate regia (59), eidem succedens, sacerdotium est adeptus, quique non amplius quam viginti et tribus diebus sacerdotio administrato diem clausit extremum. Huic successit (60) Leo, de quo nobis est sermo præ manibus, vir per omnia apostolicus, regali genere ortus, sapientia præditus, religione conspicuus, omnique ecclesiastica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum scriptum est) cœpit invocare nomen Domini; quemque etiam vidi ejusque familiaritatem habere merui: sæpe etiam eo in B ecclesia missas celebrante, cum illo ad divinum altare sacris indutus vestibus steti, eique Evangelium legi. A quo omnia ecclesiastica studia renovata ac restaurata, novaque lux mundo visa est exoriri.

Hic sæpe sacerdotale consilium advocans, sacerdotes, diaconos et reliquos clericos non regulariter ordinatos removit, et in eorum locis ad veri et summi Dei cultum qui digne ministrare possent constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos, populis viam Domini, litteris et verbis prædicans ostendebat. Qui per apostolicam viam semper gradiens, apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, sed multis occupatus negotiis, singula C quæque discurrere non valens, pauca referre de pluribus satagam, ut per hæc quanti vir iste meriti fuerit, quicunque in posterum legerit agnoscat.

(61) Gregorii itaque pontificis, qui ab eo educatus ac subdiaconus ordinatus, nunc autem in Romana Urbe culmen apostolicum tenens, Christi Ecclesiam verbis simul et exemplis illustrat, didici voce cantantium: Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis.

(57) Videns Gregorius papa sanctissimus fore conflandum dirum schisma, nisi pontificatui renuntiasset, imitatus ipse Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem conciliandam Ecclesiæ, sponte se abdicavit, et ipse eodem animo, eademque virtute, pontificia sede sponte cessit; sic enim illa temporum iniquitas postulabat.

(58) Clemens secundus nomine Suidigerus Bambergensis episcopus creatur papa anno Domini 1047. Veneno propinato, ut quidam scribunt, confectus, ultra Montes e vita improviso migrat, nono die Octobris, feria sexta.

(59) Henricus tertius imperator. Popponem episcopum Brixinensem magni nominis, Romam pontificem consecrandum mittit ann. 1048; et Damasus secundus appellatur. Fuit is dies, ut quidam tradunt, Julii mensis decimus septimus, Dominicus: et Præneste die nona Augusti feria tertia e vita excessit; funus in Urbem relatum et ad ecclesiam Sancti Laurentii extra muros conditum est, veneno sublatum opera Benedicti noni sedis invasoris, ut quidam referunt.

(60) Leo nonus in summum potificem eligitur ann. Domini 1049. antea vacatus Bruno Tullensium episcopus, Hugonis filius comes de Dagsburg, etc., monachus Tullensis congregationis Cluniacensis, ex nobili Francorum prosapia oriundus. Idibus Februarii fuit Romæ consecratus, audita prius angelorum

(61) Is fuit Gregorius septimus antea Hildebrandus natione Tuscus, creatus anno Domini 1073: obiit vero ann. 1085; cujus sanctitas veneratur in Martyrologio Romano sub die 15 Maii, licet a schismaticis et hæreticis ac præcipue a Melchiore Haiminsfeldio Goldasto in suis constit. imperial. edit. 1607 adversus Gregorium delatrantibus Simoniæ insimulatus fuerit: ad quam deinde calumniam depellendam Gregorius perceptione divinæ Eucha- D ristiæ suam probavit innocentiam, hortatus Henricum regem, in cujus gratiam calumnia illa conflata fuerat, ut ipse similiter in testimonium innocentiæ quod crimina de quibus arguebatur, communicaret, invocato in testem Christo, qui in Eucharistia percipitur; quod rex male sibi conscius noluit facere. Postrema morientis Gregorii verba fuere: « Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exsilio. » Pro Greg. pugnant Baron. ann. 1085; Nicol. Sander. De visib. Eccl. mon. Genebrar. in Chronich. Sigon. de regno Italiæ: præterea ad quinquaginta testes innocentiæ Gregorii producit Gretserus in Apolog. pro sanctissimo Gregorio septimo; consule etiam Marianum Scotum, et Lambertum Schafnaburg., qui illis ipsis temporibus claruerunt, et acta pura ac germana Gregorii per singulos annos digesserunt.

relatione quæ narro. Cujus utique verbis ita me credere oportet, ac si ego in præsentiarum adfuissem oculisque vidissem. Dum quodam tempore prædictus Leo venerabilis pontifex ecclesiasticis intentus negotiis in Gallia moraretur, a quodam abbate monasterii, sancti confessoris Christi Remigii lignarium poculum benedictionis causa oblatum, suscepit quod videlicet, pro amore tanti pontificis valde diligebat, ac in eo refectionis hora in mensa sedens, aureis et argenteis posthabitis, bibere consueverat. Igitur dum quadam die ad mensam sedenti pincerna ex more poculum vellet porrigere, qua nescio negligentia tenentis de manu cecidit, moxque confractum in partes est (62). Cum denique beatissimus papa bis terque vinum requireret, et pincerna hac de causa venire differret, nuntiatum est ei quod poculum in quo bibere consueverat, de manu ferentis decidisset, fractumque fuisset; quod ille audiens valde tristatus est, non tantum damno scyphi, quantum quod vase de monasterio S. Remigii, benedictionis causa accepto, se frustratum cernebat, sibique astantibus : Fractum, mihi, inquit, scyphum afferte. Cumque sibi allatum fuisset, cernens utramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus est ut meritis B. Remigii fractum sibi scyphum, quem pro amore ejus tantopere diligebat, restitueret. Moxque alteram partem alteri adjunxit, sicque eodem momento solidatus est ut nullum in eo, quod fractus fuisset, indicium remaneret, cunctis qui aderant admirantibus, ac in ejus veneratione acclamantibus. Ille non suis hoc, sed B. Remigii meritis imputare cœpit, cujus de monasterio, charitatis gratia, id munus acceperat.

Theophilus. In hoc utriusque, alteriusve miraculo, illud B. P. Benedicti de re licet dissimili, similiter audio, primum renovari miraculum, dum in partes divisum rejunxit capisterium. (*Greg. lib.* II, *Dialog.*)

Desiderius. Interim te, clarissime frater, silere oportet, quatenus intentus animo ad hæc de illo majora cognoscas. Alio itaque tempore (sicut mihi præfatus papa Gregorius retulit) quidam Galliarum episcopus, ab eodem pontifice Leone fuerat episcopi honore suspensus; cujus quidam presbyter, Gibertus nomine, facundus sermone, et litteris haud mediocriter eruditus, eidem promiserat episcopo se Romam venire, atque callidis suis assertionibus eumdem beatum pontificem decipere, eique sublatum officium restitui impetrare : sicque ab eo accepta pecunia, Romam venit. Cumque se beatissimo pontifici præsentasset, cœpit se huc illucque ut callidus serpens vertere, episcopum suum verbis rhetoricis excusare, blandis et humillimis precibus ut interdictum officium injuste, ut asserebat, ablatum deberet restitui, flagitare. Sed cum id quod petebatur, sibi denegatum fuisset, nec eum ut speraverat, decipere posset, ne ad episcopum suum, a quo non parvam acceperat pecuniam, sine effectu reverti videretur, aliud exquisivit ingenium : adiit apostolicæ sedis cancellarium, eique oblato pretio persuasit ut sibi furtivas litteras, et apostolico sigillo signatas, ad suum episcopum deferendas tribueret, quæ et episcopale officium et gratiam apostolicæ sedis sibi redditam significarent. Quæ res beatum Leonem minime latuit, moxque prædictum presbyterum advocans, accepta quam obtulerat pecunia, eique in manum mittens, dixit : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecuniis possidere (*Act.* VIII). Cujus sermonem divina ultio mox secuta est, ita ut amissa mente ab illa die usque nunc ubique vagabundus incedat, nec ulla domus vel claustra ultra duos vel tres dies eum valeant retinere (63).

Qua de re aperte datur intelligi quod quisquis temerario ausu vel decipere vel ad iracundiam provocare tantaverit eum, qui in justis habitat procul dubio Dominum offendit : cujus et vindicem iram in se sentiat, quam non expertam temere devitare neglexerat.

Theophilus. Ita est ut asseris, sed, quæso te, de virtute tanti patris, si qua adhuc occurrunt animo, incunctanter prosequere.

Desiderius. Dum beatissimus pontifex Leo quinque per annos divinitus sibi concessum sacerdotium pie ac religiosissime administraret, ab hac instabili luce ad Christum, qui vera et æterna lux est, cœlorum lætantibus civibus, angelicis subvectus manibus commigravit (64). Et illi quidem paradisus patuit sanctorum recepto consortio. Sed infelix mundus qui talem pontificem diu habere non meruit. Cujus post obitum multa et magna ad ejus tumulum aliisque in locis per eum Domino tribuente claruere miracula (65). E quibus omissis cæteris duo tantum deinde conspiciantur, verumque experiantur illud dictum : Homo per ea quæ peccat, per eadem torquetur. O quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum !

(62) Sancti Leonis papæ de fracto calice miraculum recitatur etiam apud S, Brunonem episcopum Signiens. In Vita Leonis, et Baron. ann. Domini 1049, num. 23.

(63) Refertur etiam hoc miraculum a Baron. ann. Domini 1049, num. 29. Gravitatem vero criminis Simoniæ demonstravit pariter etiam supplicium Justini imperatoris, qui in phrenitidis morbum et insaniam incidit : ita ut nihil quidquam earum rerum quæ fierent intelligeret. Niceph. XVII hist., cap. 33 et 39. Antiochus quoque hujusmodi supplicio punitus refertur II Mach. IX. Cur igitur non dissolvuntur gene[illegible] formidine, qui modo non timent, sed perfricta fronte impietatem profitentur; dum hi, qui in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis confidunt, tanquam phrenetici ac mente capti

(64) Obiit S. Leo nonus pontifex Max. ann. Domini 1054, die 19 Aprilis, feria tertia, et in Martyrol. Rom. inter sanctos adscriptus, cum tenuisset pontificatum annos quinque, menses duos, et dies octo.

(65) De miraculis sancti Leonis tam in vita, quam in morte patratis, vide S. Brun. Signien. episcopum in Vita Leonis; Wibertum archidiac. coætaneum dicti Leonis; Ostiensem in Chron. lib. II, cap. 86 et 88. Baron. ann. Domini 1049 et seq. Qui sanctus pontifex, inter innumera suæ bonitatis insignia, quandiu Romæ remoratus est, omni tempore tribus

(quia ad aliorum gesta narranda festino) ædificationis gratia huic libello subnectam.

Victor papa, qui in regimine sacerdotali ei successerat (66) (sicut a veridicis viris nobis relata sunt) audita fama miraculorum ejus, quod per eum Dominus talia operaretur, fidem non accommodabat. Sed quia, ut ait Apostolus : *Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus* (*I Cor.* XIV), Omnipotens Dominus experimento eum docere voluit quæ, audita a pluribus, minime credere volebat.

Curiensis quidam episcopus (67) cujus nomen e memoria excidit, cum supra memorato pontifice Victore a Germania veniens, ejus in obsequio Romæ morabatur ; hic puerum ab utero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ suæ pascens ac vestiens, quocunque ibat secum ducere consueverat, in cujus vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur. Qui etiam episcopus ex mirabilibus ad B. Leonis tumulum patratis, similiter ut papa, incredulum animum gerebat. Cum igitur quadam die ad sedem sui episcopatus, jam accepta licentia, reverti decrevisset, ecclesiam B. Petri apostoli orationis gratia ingressus, postquam B. Petro se attentius commendavit suis cum clientibus, equis ascensis, puero in eadem ecclesia oblito, festinus viam quæ eum ad suam ducebat patriam, egressus Urbe, gradiebatur. Cum itaque longiuscule adhuc esset ab Urbe profectus repente ei in memoriam rediit quod mutum puerum in ecclesia B. Petri reliquisset. Qui mox substitit, ac famulos suos, a quibus puer reduci deberet, quosdam remisit. Igitur cum illi apostolorum principis basilicam essent ingressi, conspiciunt puerum ante tumulum B. Leonis stantem, atque cum his qui circumstabant loquentem. Illis itaque mirantibus et qualiter hoc sibi evenisset quærentibus, puer inquit : Postquam dominus meus hac in ecclesia me relinquens discessit, huc ad sepulcrum B. Leonis me contuli, si forte omnipotens Dominus officium, quo carebam, vocis meritis ejus mihi restituere dignaretur. Nec sum meo, quod corde poscebam, voto fraudatus, sed mox ut ante ejus venerandam memoriam lacrymans aliquantulum prostratus jacui illico recepta (68) voce loquens, ut ipsi videtis, surrexi. Ab illa itaque die, quod mirabilius est, cœpit in ore ejus lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita ut intra paucos dies pleno ore linguam perfecte reciperet, et verba sine impedimento sonaret. Denique qui missi fuerant curaverunt puerum ad episcopum ducere, et quem tacentem reliquerat, beati Leonis suffragantibus meritis ei lo-

A quentem adducunt. Regressus igitur episcopus Romanum pontificem adiit, et quid omnipotens Dominus per B. Leonem operari dignatus fuisset, ostendit. Ex tunc cœperunt ipsi ejus veneranda merita cunctis prædicare, quæ aliis antea referentibus non [illegible]ebantur audire.

Theophilus. Placent quia mira sunt, sed magis quia nova sunt.

Desiderius. Illustris vir Maximus, Romanæ urbis civis, nuper retulit mihi de eodem venerabili præsule quæ narro. Bernardus quidam pessimæ mentis miles exstitit, qui apostolicæ sedi contrarium se in omnibus quibus potuit modis exhibebat. Sed in bello quod a vicinis circa Urbem manentibus, conjurantibus cum (69) Cadaloo Parmensi episcopo B qui tunc apostolicam sedem invadere tentabat, cum militibus qui Romanam Ecclesiam defendebant commissum est, justo Dei judicio confossus interiit. Hic igitur, audita fama miraculorum quæ omnipotens Deus meritis beati Leonis fidelibus populis exhibebat, non solum non credebat, verum etiam ore sacrilego deribebat et blasphemabat. Cum denique quadam die in conventu appareret populi, et sermo inter eos de signis et virtutibus beati Leonis exortus esset, cœpit irridere dicens : Si sanctus est, ut dicis, contrahat mihi digitum meum, cumque compesceretur ab iis qui astabant, ne de sancto viro talia loqueretur, dimisso conventu discessit. Cum ecce forte canis qui eum sequebatur, suem in platea inventum invasit. Ille vero ne porcus discerC peretur, festine cucurrit, et injecta manu canem tenere voluit ; sed mox porcus hianti ore digitum ejus (70) momordit, sicque ab illa die omni tempore quo vixit digitum contractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Unde factum et ut qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse, contracto digito, omnibus derisui haberetur. Hæc de tanto Patre B. Leone dicta sufficiant, ut, quia ad aliorum narranda gesta properamus, alii, cui otium est, quæ multa de illo et mirabiliora dicuntur, scribenda relinquamus.

Quod Dominus in Evangelio dicit : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17), quotidie cernimus adimpleri, et antiqua novis temporibus miracula innovari. Hæc itaque quæ dicturus sum adeo clara sunt, ut non solum in Florentina D diœcesi, in qua facta noscuntur, verum etiam in tota Tuscia, ac in urbe, quæ caput mundi est, Roma constet esse notissima.

(71) Petrus quidam clericus est, qui occulte data pecunia regio adminiculo in prædicta Florentina

---

per hebdomadam diebus a Lateranensi ecclesia usque ad S. Petrum privato habitu nudisque pedibus cum duobus aut tribus clericis nocte psallendo et orando pergebat, affimat Ost. in Chron. dict, lib. II, cap. 88.

(66) Victor secundus creatur papa ann. 1055.

(67) Cui nomen erat Diethmarus, qui ipsis Kalendis Februriis anni a nato Christo 1040 episcopatui Curiensi posito in Rhætia ad Rhenum fluvium præficitur, et obiit anno 1070 cum triginta annis laudabiliter ac utilissime præfuisset. Vide Guilimannum lib. IV De rebus Helvetiorum, cap. 2, et Chron. Joann. Gualteri.

(68) Hoc grande miraculum de curato muto refertur etiam a Baron. ann. Domini 1054, num. 45.

(69) De Cadaloo. vide Baron. ad ann. 1064, n. 29, 30 et seq.

(70) Vide Baron. ann. 1054, num. 46.

(71) Petrus Ticinensis cognomento Simonacius,

civitate cathedram episcopatus accepit. Cum denique a clericis et populo, ut episcopum decebat, benigne fuisset susceptus, post non multum spatium temporis (72) fama per ejusdem episcopatus diœcesim increbuit quod, Simoniacæ hæresis peste fœdatus, quod gratis, Domino jubente, accipere et dare statutum est, pecunia mercatus fuerit. Cumque tam horrenda et tam exsecranda fama primitus ad religiosorum, dehinc ad aures vulgi pervenisset, cœperunt se plures ab ejus communione subtrahere: (73) Romanoque pontifici quæcunque super hac re cognoverant, divino exardescente zelo, studuerunt intimare. Qui, episcoporum consilio congregato, eumdem episcopum, ut rem diligenter agnosceret, convocavit. Sed cum se synodo præsentasset, accusatoribus undique acclamantibus, sacramento sese purgare nitebatur. Cumque coram præsentibus res aliquantulum agitata fuisset, datæ induciæ sunt, ut per easdem forsitan inductus, divinum expavescens judicium, quod pertinaciter negabat humiliter confiteretur, quatenus ab æterno non removeretur altari, si ab hoc præsenti, cui ministrare juste non poterat, se abstinuisset. Interim populus in duas dividitur partes, quarum altera, quæ amorem Dei muneribus præferebat, clericos et religiosos monachos, qui contra episcopum rem comprobandam susceperant; altera quæ munera et favorem diligebat, episcopum est secuta. Cum crebro igitur inter se altercaretur populus, et altera alteri obstaret parti, in tantum exorta augebatur contentio, ut, inter se dimicantibus, sæpe etiam usque ad effusionem sanguinis venirent. Cumque hæc diutius agerentur, et neutra pars parti cederet, (74) Joannes reverendissimus abbas monasterii quæ Umbrosa Vallis dicitur, sæpe ad hunc conflictum advocatus, zelo Dei ductus suis cum monachis veniebat, qui exhortando, prædicando, divini examinationem judicii intentando, episcopum admonere non cessabat quatenus ex perpetrata culpa pœnitentiam ageret, et A sacerdotio minime legaliter acquisito humiliter cederet, nec sibi suisque subjectis, quibus incremento esse debuerat, detrimento foret. Illud de Evangelio ei sæpe proponens, quomodo Dominus Jesus vendentes et ementes columbas de templo projecerit, cathedrasque subverterit, et æs nummulariorum effuderit (*Joan.* II, 15), videlicet demonstrans ut quicunque Spiritus sancti donum, quod per columbam significatur, ductus avaritia, vel vana gloria elatus, pretio acquirere vel vendere tentaverit, ab illo cœlesti templo et æterno altari se procul dubio eliminandum noverit. Sed ille nihilominus præsentis vitæ honoris cupidus pro nihilo monita sancti viri ducebat, imo potius pertinaciter et armis et verbis, omnibusque modis quibus poterat se defendere nitebatur. B Cumque idem venerabilis abbas incassum procedere sua verba videret, utraque parte populi advocata: Quoniam, inquit, verba non prosunt, veniamus (75) ad signa. Construatur rogus, et igne supposito accendatur, per quem unus e nostris ingrediatur, ut utrum vera an falsa sint quæ de episcopo dicimus, Domino discernente, probetur. Placet utrique parti sententia: rogus mox duodecim (76) pedum mensura construitur; intra quem parva semita, qua unus tantum hominis persona transire posset, relinquitur: quæ etiam ex accensis lignis, ne ibi aliquis locus a flamma vacaret, consternitur. Interim autem dum hæc praparantur, præfatus abbas Joannes (77) Petro suo discipulo, reverendissimo videlicet, viro, qui postmodum in Albanensi urbe episcopus ordinatus est, C quique etiam adhuc superest eamdem Ecclesiam regens, præcepit ut indutus sacris vestibus omnipotenti Deo sacrificium offerret; et sic demum confisus de misericordia Dei per accensi rogi flammas indubitanter intraret.

Qui jussis Patris obtemperans, postquam sacrificium Deo obtulit, casulam se exspoliat, ad ignem venit, et magna voce: Oro, inquit, Deus omnipotens, si Petrus, qui episcopus dicitur, Simoniaca est

Theuzonis Mediæbarbæ filius, iniit episcopatum, anno Domini 1062.

(72) Petri Simoniam detexisse ejus patrem narrat, Andreas Januensis in Actis sancti Joannis Gualberti, c. 62.

(73) Cujus rei epistola gravissima exstat populi Florentin. Alexand. II papæ scripta, qua totus rei ordo et veritas continetur.

(74) Hic fuit sanctus Joannes Gualbertus abbas Vallis Umbrosæ, cujus sanctitas veneratur in Martyrol. Rom. sub 12 julii.

(75) Propter incredulitatem humanam, deficientibus aliis humanis ad veritatem eruendam subsidiis, præcedente tamen legitima accusatione in tribunalibus, examinatio per ignem antiquitus admittebatur, ut observari licet in Ivone Carnot. epistol. 74, 205, 251, 252, 254, 280, et in Rosweid. lib. De fide hæret. serv., cap. 12. Unde appellabatur divinum testimonium, ut in epistola 232. Arnulphus accusatus in synodo Rhemensi cap. 30: *Meumque vernaculum episcopis tradam, qui per ignitos vomere incedens, Deum de te judicare manifestis declaret indiciis.* Sic Copres per ignem fidem catholicam veram esse probavit, lib. II cap. 9, in Vit. Pat. edit. a Rosw. Andreas etiam Spoletinus Franciscanus in Mauritania Fossæ rege et principibus spectantibus, ut ostenderet Christi doctrinam, quam prædicabat, veram esse, flammis circumdari non renuit, et inter illas diu permansit illæsus. Franciscanus quidam pariter, et Hier. Savonarola Florentiæ in ignem periculum facturi ingredi parati erant. Vide Petrum Delphinum, lib. IV, epist. 68, ad Petrum Baronium D data die 15 April. 1498.

(76) De latitudine, longitudine ac altitudine rogi exstructi vide Thomam Boz De sign. Ecclesiæ lib. IX, sign. 35, cap. 5, § 18; et Ant. Yepes Chron. cent. 6, cap. 4, tom. V; S. Atth. Sanct. Antonium 3 par, tit. 15, cap. 17, § 5) Gononum et Surium in Vita sancti Joannis Gualberti, aliosque auctores apud Didacum de Franchis in Histor. monast. Valis Umbros. lib. XI.

(77) Hic fuit ex nobilissima Aldobrandinorum familia, tantæ humilitatis, ut vaccarum custodiam in cœnobio libenter acceperit, qui postea ob illustre ignis prodigium Petrus igneus dictus est: deinde vero renuntiatus episcopus cardinalis Albanensis, et in catalogo beatorum, sub die 8 Januarii Martyrol. Bened, ascriptus. Vide Baron. ad ann, 1063, num. 57.

peste fœdatus, ne Ecclesia tua amplius polluatur, judicio S. Spiritus tui ostende virtutem : illæsum me per hunc ignem transire concede. Quod si nos fallacia pleni, causa invidiæ ducti, hanc contra eum tulimus quæstionem, ardor istius ignis me tua gratia derelictum consumat. Hæc dicens, et sanctæ crucis se signaculo muniens, per medias flammas constanter ingressus est. Cum igitur undique esset flammis circumdatus, ita ut a nemine prorsus videretur, et omnes eum jam consumptum putarent, subito ex alia parte, Christi comitante gratia, egrediens prosilivit, ita ut non modo vestimenta ejus, sed ne capillus quidem læsus ab igne in aliquo videretur. Sed ut idem venerabilis vir postea referebat, cum per medias flammas graderetur, mappula (78) de manu ejus cecidit. Cumque jam pene egrederetur ex igne, vidit se mappulam in manibus non gestare, ac, in ignem sibi eam cecidisse considerans, per medias iterum flammas revertitur, et secum mappulam extrahens reportavit. Tunc omnes qui aderant, viso tam maximo, tam obstupescendo miraculo (79), immensas Deo gratias agentes, mox diversa pars una effecta, præfatum episcopum de ecclesia pellunt : qui postea (80) pœnitentia ductus, mutata veste, sub sanctæ conversationis regula religiosam agere vitam visus est.

Theophilus. Ut lætando miror, et mirando lætor, quo mediocritatis nostræ tempore illud antiquum et gloriosum trium puerorum miraculum intueor, cum de camino æstuantis incendii integri et incorrupti toto corpore prodierunt.

Desiderius. Venerabilis Gregorius papa, cujus superius memoriam feci, quid contra eamdem Simoniacam hæresim, se præsente, Dominus ostendere voluit sæpe mihi solitus est referre. Cum essem, inquit, subdiaconus, et a beatæ memoriæ Victore hujus apostolicæ sedis pontifice in Galliam pro ecclesiasticis negotiis discutiendis essem transmissus, curæ mihi, fuit episcoporum convocare concilium, ut illis coram positis de ecclesiasticis negotiis tractaremus. In eadem vero civitate in qua synodus agebatur, episcopus erat qui pretio honorem comparasse episcopatus a multis infamabatur. Igitur vocatus episcopus venit ad medium. Cum ergo eum exhortari salutaribus monitis cœpissemus ut quæ sibi opponebantur, conscientia jam fatente, humiliter confiteretur, ille, tum quia ejusdem civitatis erat episcopus, tum quia fretus auxilio comitis terræ ipsius, plenus superbia omnino verba nostra vilipendebat. Sed cum a nobis et a cæteris qui aderant episcopis sub justitiæ regula se, quod non speraverat, constringi conspiceret, nec effugiendi haberet licentiam, negare pertinaciter cœpit quod ante vix audire dignabatur. Cumque verba producerentur in longum, et maximum diei spatium esset consumptum, et ille nihilominus in sua pertinacia negando persisteret homo, eum cum cæteris qui aderant religiosis episcopis nobis adjurare visum fuit et totum judicium in ostensione Spiritus sancti committere. In nomine, inquam, Patris et Filii et Spiritus sancti, cujus donum gratiæ te comparasse audivimus, ut hujus rei nobis veritatem edisseras adjuramus. Quod si amplius, ut cœpisti, negare tentaveris, Spiritum sanctum, donec, quæ vera sunt confitearis, nominare non valeas. Qui episcopus, cum abunde eloquens esset, et a nobis exoraretur ut Spiritum sanctum nominaret, Patrem quidem et Filium satis diserte nominabat, Spiritum vero sanctum mirum in modum nominare nullo modo poterat. Tunc omnibus qui aderant luce clarius patuit quod honorem episcopatus dato pretio emerat, qui monnisi Spiritus sancti gratia largiente tribuitur. Tunc Spiritus sancti virtute tremefactus episcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus est quod ante, inflatus superbia Dei, timore postposito procaciter negare præsumpserat.

Theophilus. Cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sint, nec aliud de Patre et Filio quam de Spiritu sancto sentire fas est, cur in Patris et Filii vocabulis proferendis solutam atque disertam, in solo vero Spiritus sancti nomine, quasi præcellenti, linguam mutam et omnino habuit colligatam? (81).

Desiderius. Justo Dei judicio contigit ut qui donum Spiritus sancti gratiæ, quod gratis et datur et accipitur, lingua placitante mercatus est, in proferendo Spiritus sancti vocabulo specialiter (82) linguæ officium non haberet.

(78) *Mappulam* Ordo Romanus appellat, qua pituita oculorum, narium et oris detergebatur ; alii, *sudarium* et *cingulum brachiale*.

(79) Contigit hoc prodigium, seu, ut potius dicam, Babyloniam miraculum præsentibus omnibus clericis et laicis promiscui sexus et ætatis fere ad octo millia in Septimiano cœnobio quinto ab urbe Florentina milliaro distante, anno Domini 1063, die 16 Febr., quarta feria in prima hebdomada Quadragesimæ. Meminit hujus facti Baron. in Annal. d. ann., sed prolixe narratur in Vita S. Joannis Gualberti; et in Thoma Bozio De signis Ecc. lib. IX, sign. 35, cap. 5. Ad lævam majoris ecclesiæ monasterii inspicitur locus quo Petrus per ignem illæsus pertransiit, ibique ad futuram facti memoriam nonnulli versus incisi leguntur; imo, mirabile dictu! ex prædicto loco tantam odoris fragrantiam emanare ad hæc usque tempora testantur monachi in prædicto cœnobio commorantes, in signum miraculique evidentiam, ut omnes pene mirentur de tam ingenti odoris suavitate dispersa.

(80) Adeo æquo animo Petrus justissimam tulit sententiam, ut etiam tonsus intra Septimianum claustrum voluerit vitam monasticam profiteri. Vide abb. Ughellum sacrarum historiarum excellenti cognitione ac peritia insignem in sua Italia sac., tom. III, in episc. Florent.

(81) Vide Baron tom. XI an. Dom, 1055, n. 17, cui prodigio interfuit etiam Hugo abb. Cluniac.

(82) Idcirco Spiritus sanctus non potuit exprimi a Simoniaco, quia ei appropiantur dona gratiæ, in quæ Simoniacus est injuriosus vendens illa. Ex hoc discant qui per pecuniam ad dignitates ecclesiasticas provecti in templo Dei sedent, quam fœdum, quam enorme, quam horrendum sit Simoniæ flagitium : meminerint omnia crimina ad comparationem Si-

Alferius abbas monasterii Sanctæ Trinitatis (83) ab ipso in latere montis ædificati, qui inter Salernitanam et Amalphitanam civitates præminet mari, exstitit : cujus religiosam ac Deo amabilem vitam et ipse ex parte vidi, qui apud eum aliquantulum familiariter mansi, et aliis referentibus agnovi. Miraculum vero quod divina virtus in eo operari dignata est, quodque a quamplurimis didici, æquum est silentio non transire. Denique dum quadam pro utilitate monasterii Salernitanam urbem adiret per viam præcisi montis gradiens, deorsum cum equo quo sedebat per immane præcipitium cecidit : quod tanta altitudine mari superjacet, ut quinquaginta et eo amplius passus in altum prætendi videatur. Dum igitur qui cum eo pergebant illum sine dubio exstinctum putarent, nimium tristes et flentes, per quoddam diverticulum ad mare, si saltem illum aliquo modo invenire possent ut sepulturæ traderent, descendere curaverunt. Cum autem sub radice montis, molles juxta littus maris calcantes arenas, festinanter ad locum quo ceciderat pergerent, invenerunt eum in via sanum et incolumem, equo cum quo ceciderat incidentem, Salernum propere cœpto itinere tendere. Cumque illi, obstupefacti, qualiter res evenisset omnino nequirent perpendere, cœperunt Deo gratias agere, vocesque quasi tumultuantes in altum levare Sed ab illo repente compressi præceptum audiunt : Si meis, inquit, benedictionibus frui vultis, nulli, quandiu vixero, quæ ex me vidistis dicatis.

Dicitur etiam de illo quod mortuum suscitaverit; quod videlicet illis qui eum ejusque vitam ad liquidum noverunt incredibile minime videtur.

(84) Leo abbas, qui ei in monasterii regimine successit, sub ejus magisterio educatus ejus in obsequio præposituræ officium gerens, qui præ cæteris fratribus ei familiariter adhærebat, nuper mihi retulit quia quodam tempore sæculares viri, ut ejus orationibus fuerentur, visitationis gratia ad ipsum venerunt. Quibus post spiritualem, corporalem etiam ejus refectionem præbere cupiens, præfato Leoni, suo videlicet præposito, præcepit charitatis causa mensam eis apponere et prandium præparare. Qui nihil aliud præter panem et vinum, et quinque ova gallinacea, quod eis ad manducandum præbere posset, se habere respondit; sed qualiter inter eos ipsa ova dividi deberent, ignorare : erant illi utique septem. Cui ille : Festina, inquit, quantocius, et eadem ova igne adhibito præpara, mihique ut eis apponam deporta. Cucurrit ille et, sicut sibi fuerat imperatum, ova decoxit, eique, ut præceperat, detulit. Qui accipiens, benedixit, et ex quinque ovis, septem viris, quod mirabile est, singulis singula præbuit.

Theophilus. Cum septem distributa hominibus sic augeri quinque ova considero, ut singuli singula æquali sorte accipiant, illud quodammodo miraculum video, quo Auctor omnium de quinque panibus quinque millia hominum saturavit (*Matth.* XVI, 9).

Desiderius. Amita patris mei (85), Bella nomine, in monasterio Beati Petri apostoli intra Beneventanam urbem posito, in sanctimoniali habitu a primævo juventis flore usque ad ultimam senectutem degit. Quæ, cum esset desponsata viro, occulte de domo parentum fugiens ad monasterium contendit, ibique virginitatem suam omnipotenti Domino dicavit; et, quia terrenum in terra sponsum habere contempsit, procul dubio meruit habere cœlestem in cœlis. Ipsa mihi solita erat referre de abbatissa sua quæ Offa (86) dicebatur. Quæ in monte qui Sanctæ (87) Agathæ martyris dicitur, prope Capuanam urbem, antequam regimen monasterii susciperet, longo tempore habitaverit, ibique vitam eremiticam duxerit : dehinc monasterii suscepto regimine, quadam nocte sororibus adhuc quiescentibus oratorium ingressa acceptit (88) thuribulum, ut more solito thura adoleret altaribus. Cum itaque thus in thuribulum mittere vellet, e manu ejus cecidit et lampade a vento exstincta thus invenire non valuit. Repente vero quidam juxta illum astitit, et tenens manum ejus, thymiama, quod in thuribulum posuerat, dedit. Tantus igitur odor ex illo incenso thymiamate emanavit, ut per totum quod reliquum erat noctis, usque ad horam diei tertiam non solum ecclesiam, sed etiam omne illud monasterium mira suavitate repleverit. Ex qua re sine dubio datur intelligi quod angelus Domini fuerit qui illud thymiama tanti fragrantiæ odoris tribuerit.

Hæc eadem religiosissima abbatissa, dum multa per tempora sollicite virginibus præfuisset, verbis et exemplis sibi commissas Dei famulas instruere non cessans, languore tacta corporis venit ad mortem. Cumque in extremo posita jam prope esset ut Christo, cui servierat, animam reddere deberet, videntibus cunctis qui aderant e lectulo se quasi ad mensuram trium cubitorum in aere elevans, expansis in cœlum manibus stetit. Et facta oratione, iterum se in lectulo collocans, ultimum spiritum exhalavit. Sed

moniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari, et a divo Ambrosio culpam inexpiabilem nuncupari. Utinam sæculi nostri mores talia non parerent monstra, et tolleretur e medio quantocius, verbis utor Petri Damiani, tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod absit ! ferale venenum influat.

(83) Quievit in pace S. Alferius Salernatinus monachus Cluniacensis, primus abbas monasterii Cavensis, et discipulus sancti Odilonis, anno Domini 1050, pridie Idus Aprilis, de quo Baron. dict. anno, num. 16.

(84) Successit S. Alferio Leo ejus discipulus, et sanctitate proximus, refert Baron. anno 1050.

(85) Theodata seu Theodorada ducis Romualdi uxor ann. Domini 682 adjunxit ecclesiæ sancti Petri monasterium monialium magnæ devotionis, cujus vestigia ad hæc usque tempora videntur ad radices montis Sancti Felicis. Paulus Diaconus De gestis Longobardorum libro VI, capite 1.

(86) Vixit Offa circiter annum Dom. 1070.

(87) Vide Sanct. Capuan. Mich. monachi in not. ad S. Offam.

(88) Ob suam tantum devotionem, sola ac secreto altare cum odoribus circumibat. Rem istam paulalum diverse a Desiderio narrat etiam Petrus Damian. lib. VIII, epistola 5.

ex hoc quantæ fuerit abstinentiæ dignosci potest. Quæ dum infirma jaceret in lectulo, et a multis honestioribus viris ac mulieribus, visitationis gratia ad ipsam venientibus, ut aliquantulum cibi, quo infirmum corpus sustentaretur, caperet, rogaretur, illa desueta deliciis : Si aliquid, inquit, mihi de infusis leguminibus attuleritis, forsitan aliquantulum inde potero degustare. O abstinentia in femina prædicanda, quæ, in infirmitate posita, infusis leguminibus pro summis etiam deliciis utebatur ! Quæ cum fuisset defuncta, et in ecclesia sepulta, quadam die rusticus quidam frumento onustus per eamdem ecclesiam transiens, supra sepulcrum ejus, parvipendens cujus meriti esset quæ ibi sepulta jacebat, saccum cum frumento deposuit, et fessus, ut aliquantulum pausaret, juxta consedit. Repente igitur saccus divinitus de eodem sepulcro sublatus longeque projectus, omne illud, quo plenus erat, frumentum passim per eamdem ecclesiam sparsit. Rusticus ergo vehementer conterritus, ab illa die didicit quantum Dei homines in corpore venerandi sint ; cum exstincta illorum corpora ac in sepulcro posita, ne ab aliquibus parvipendantur divina sibi virtus voluit demonstrare.

Alter quidam nobilis vir de eadem Beneventana urbe nescio qua causa monasterium adventarat, ac nescius, forte ejus supra sepulcrum consederat : cum subito tantus dolor viscerum eum invasit, ut, vociferans atque ejulans, se eadem hora moriturum putaret. Ad cujus vocem quæ in monasterio erant virgines protinus cucurrerunt, eique cujus esset sepulcrum supra quod sederat indicaverunt. Qui, pro ignorantia venia postulata, meritis Dei famulæ cœlitus meruit medicinam.

In eadem urbe monasterium est quod Sanctæ Sophiæ dicitur (89), huic Casinensi monasterio subditum, in quo quidam a pueritia sanctæ conversationis et magnæ humilitatis monachus fuit, qui infra annos adolescentiæ nimio languore præventus ad extrema perductus est. Ad cujus exitum congregati fratres, hymnis et psalmis Deo cœperunt ejus animam commendare, sanctorumque cœtus in ejus auxilium attentius invocare : qui crescente languore defunctus est. Sed dum ad lavandum ejus corpus aqua præparatur, per unam fere horam exanimis jacuit. Cumque qui aderant orationi et psalmodiæ insisterent, subito corpus ejus omne contremuit, ac paulatim reviviscens cunctis mirantibus in lectulo consedit. Dein, interrogatus, cœpit illis quæ egressus de corpore viderat referre, dicens : Cum anima mea, vobis litanias canentibus sanctosque Domini invocantibus, de corpore egrederetur, mox ad preces vestras sancti, quos invocastis, meum in auxilium advenerunt. Cumque illi ab eo requirerent si illos, quos nunquam viderat, cognoscere potuisset ? Respondit : Sanctum Benedictum et sanctum Gregorium cognovi, B. Donatum et Felicem, cum reliquis qui in hac ecclesia requiescunt sanctis, meum in auxilium venire conspexi. Inter quos beatus Mercurius patronus noster velut splendidum sidus rutilans videbatur. Quem cum interrogassent utrumnam in hac vita esset moraturus ? Minime, inquit : nam B. Mercurius hodie se ad me assumendum venire spopondit. Quæ ut dixerat vera fuisse rei exitus comprobavit. Eodem namque die ex hac luce subtractus, ab illis procul dubio est receptus, quos antea moriens suum in auxilium venire conspexit. Ego denique in eodem monasterio positus, unum ex illis qui adfuerant testibus, Sicenolfum nomine, superstitem vidi, qui cuncta hæc ut dicta sunt se vidisse et audivisse profitebatur.

(Hujus libri tertii finis, totusque quartus in mss autographo Vaticanæ bibliothecæ signato numero 1203, *qui, Langobardorum litteris descriptus, Casinensis cænobii Patribus quondam usui fuisse cognoscitur, desiderantur.)*

(89) De monasterio Sanctæ Sophiæ, vide Leonem Ostien. lib. I, cap. 9, et Chronol. archiep. Benevent. Marii de Vipera.

EPITAPHIUM ABBATIS APOLLINARIS

AUCTORE DESIDERIO ABBATE POSTMODUM VICTORE III.

(Dom Tosti, *Storia della badia Casin.* I. 12.)

Appollinaris abba pater hic tumulatur.
Aliquid aliud scitur de eo dicatur M.....
Tu juvenis mundum fugisti, non bone mundum.
Totus apostolicum cunctorum verus amicus ;
Fis abbas redolens toto conamine nolens.
Esse studes minimus, humilis, pius, almus et justus.
Siccis tu plantis Lirim de munere Patris
Transisti, Petrum, Placidum quoque sic imitatus.
Tu trahis tumidum convertis fitque beatus.
Pestis Agarena dum singula vastat amœna.
Deo jam defunctus carne legatus et altus.
Mitteris ex alto nuntius filiis suæ gentis,
Dicens : Casino monti Deus est miseratus
Servi non ficti precibus patris Benedicti.
His quartus denus abbas hic mente serenus
Annis undenis vixisti, non sine pœnis.
Te Desiderius transfert, locat hic reverendus ;
Propitius nobis sis, o reverende colende.

ANTE ANNUM DOMINI MXCIX.

GUILLELMUS APULUS.

GUILLELMI APULI
HISTORICUM POEMA
DE REBUS NORMANNORUM IN SICILIA, APULIA ET CALABRIA GESTIS,

Usque ad mortem Roberti Guiscardi ducis, scriptum ad filium Rogerium

Cum notis clariss, virorum Joannis Tiremæi, et Godefridi Guillelmi Leibnitii.

(Apud Muratori, *Rer. Ital. Script.* V, 245.)

IN GUILLELMI APULI
POEMA NORMANNICUM
PRÆFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Sæculo Christi XI, mirandum quid in Italia accidit. Nempe ex Normannia Galliarum provincia digressi aliquot viri fortes, ac in Apuliam peregrinationis causa delati, anno 1016, nihil minus quam bellum cogitantes, a Melo quodam contra Græcos ibi adhuc regnantes incitantur. Viris strenuissimis fortuna statim arrisit. Ut vero agnovere uberem esse illic rerum copiam facilemque inter ignavos populos ditescendi modum, novis suæ gentis ascitis commilitonibus, majora sensim moliti sunt, multisque urbibus ac oppidis debellatis, demum sub Roberto Guiscardo ejusque fratre Rogerio universam Apuliam, quam nunc regnum Neapolitanum appellamus, ac universam Siciliam ultra Pharum suæ ditioni subdidere. Ingentia facta magnique rerum eventus digna plane erant quæ a scriptoribus litteris traderentur, et ad longinqua sæcula permearent. Neque defuere, uti hæc ipsa historicorum collectio luculentissime ostendet. Primum ergo locum dabimus Guilielmo Apulo, egregio poetæ, qui hexametris versibus Normannorum gesta in Apulia, Calabria et Sicilia descripsit, Vossio propterea memoratus inter historicos Latinos. Quis ille fuerit, neque ab ipso neque ab ullis adnotatum invenimus. Illud certum floruisse scriptorem istum, dum viveret ac regnaret Robertus Guiscardus, cujus præcipue res gestas tradit, imo tradit et mortem, atque in ejus funere finem suo carmini facit. E vivis sublatus est Robertus anno Christi 1085. At cum pariter Urbanum II papam viventem in exordio memoret, qui ab anno 1088 sedem Petri obtinuit, post eum annum scripserit oportet atque ante annum 1099, quo hic pontifex vivere desiit. Suum vero pœma is dicavit Rogerio Roberti ducis filio.

Primus qui hunc Historicum æneis typis describendum curavit, fuit Joannes Tiremæus, Fisci in Rothomagensi provincia advocatus, eumque anno 1582. Rothomagi edidit. At cum liber perquam rarus foret, ita ut ipse Duchesnius (quem Quercetanum alii nominant) dum scriptores Rerum Normannicarum colligeret, ipsum ignorarit, celeberrimus vir Godefridus Guillelmus Leibnitius eumdem rursus protulit, inserens tomo I, pag. 578, scriptorum Brunsvicensia pertractantium, impresso Hanoveræ anno 1707, et ex eo nuper Joannes Baptista Carusius, in tomo I suæ Bibliothecæ historicæ regni Siciliæ tertio recudit. Perspicuis autem verbis indicat hic scriptor nuptias celebratas inter filiam Roberti, et Hugonem filium Azonis Estensis marchionis, inclyti propagatoris Brunsvicensium ac Mutinensium ducum. Atque hæc causa Leibnitio fuit ut poetam ac historicum vetustum suæ Collectioni adjungeret. Id et ego innui, part. I, pag. 12, Antiquitatum Estensium. Potiori ergo jure inter scriptores Italicos proferendus mihi quoque fuit *Guilielmus* noster, Italus nempe, et de rebus in Italia gestis agens. Præfationes et notulas quasdam, quibus Tiremæus et Leibnitius loca nonnulla poematis hujus illustrarunt, retinere mihi placuit, lectori non inutiles. Cæterum non historia solum Neapolitana et Sicula, sed universa Italia poetæ huic multum debet, quod iis ignorantiæ sæculis laudabilem eloquentiam ac facilitatem versus efformandos attulerit, et pleraque velut oculatus testis describat.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

LODOICO BALLIOLO

LONLEII AC SYLEII CŒNOBIARCHIÆ DIGNISSIMO.

JOANNES TIREMÆUS, HAUTENŒUS, FISCI IN PROVINCIA ROTHOMAGENSI PATRONUS. S.

Cum ante annos aliquot, nobilissime Balliole, Argentona reverterer, quo per anniversarium nobis justitium optimi parentis mei visendi causa iveram, in itinere religiosa Becobelvini cœnobii domus hospitio me libenter invitavit, et liberaliter accepit. Ibi ego cum et hominum mores, locique amœnitatem ac splendorem admirarer, tandem in sermonem de bibliotheca incidi. In eam introductus concepi (ut est ex reliquiis conjectu facile) olim, dum meliora fuerunt tempora, bonorum omnis generis librorum receptaculum fuisse. Tanti itaque thesauri reliquias dum curiosus pro tempore perlustrarem, oculos tandem conjeci in miseras aliquot male compactas vixque cohærentes schedas, quam jamdudum pulvis tineæque flagellabant. Hujus jacturæ misertus manum libens porrexi, et jacentes ab inerti ac plane funesto veterno excitavi; squalore tandem deterso, dum quid illæ continerent inspexi cupidius, inveni, inter alia, quæ vix præ vetustate legi poterant, Guillelmi cujusdam Apuliensis historicum poema de rebus a Roberto Guiscardo, fortissimo Normannorum duce, in Sicilia, Apulia et Calabria gestis. Illud præterquam quod ipse nusquam videram, et a paucis lectum hactenus aut visum existimabam, duo maxime perscrutari coegerunt. Primum, patriæ communis amor, cujus laus, splendor et antiqua virtus quacunque eluceat, me, quod maxime debet, in primis et sine satietate delectat; alterum, quod intelligerem majores nostros, viros fortes ac magnanimos, in diffundenda per hunc terrarum orbem nominis sui gloria, auctores maluisse semper quam scriptores esse rerum, et inde effectum ut illorum.

Paulum sepultæ distet inertiæ

Celata virtus (Hor. *Od.* IV, 9)

Idcirco nefas esse judicabam homini, qui se totum reipublicæ aut patriæ natum putaret, qualiacunque etiam ab exteris de laude gentis illustrissimæ ac bellicosissimæ scripta essent, diutius in tenebris pati latere. Quamobrem, cum veteres illas schedas a religiosis hospitibus utendas ad tempus accepissem, poema quod in eis erat, totum a carceribus, ut dicitur, ad calcem intentis quam maxime potui oculis animoque decurri. Nec eo contentus, transcribendum quoque diligenter curavi, quo facilius possem cum amicis quibusdam meis eruditis, ac sinceri subtilisque judicii viris communicare. Horum vero non aliud atque meum, sed idem omnino judicium fuit : in tanta scriptorum paucitate, qui aliquam rerum gestarum Normannæ gentis memoriam scribendo sunt complexi, e nostris reperiri neminem qui hanc Guiscardi præstantissimi ducis Historiam litteris illustravit ; ex aliis extraneis, perpaucos quidem ; sed qui speciatim vel carmine scripserit, quive planius aut verius quam Guilielmus hic Apuliensis, non item. Erat enim eorum temporum quorum historiam contexit æqualis, et rerum, quod ei auctoritatem adfert et fidem, magna ex parte testis oculatus. Neque vero inficiabor amicos mecum, pro eo quo erga patriam affecti sumus amore, desiderasse in hoc opere clarissima illa duo cujuslibet scripti lumina, quibus in primis delectantur aures, sermonis elegantiam suavitatemque compositionis. Duriora enim multa et (ita dicam) abjectiora visa sunt, id est, quorum humilitate deprimatur rerum dignitas potius quam ex merito et digne exprimatur, ita ut forte non immerito objici possit quod olim poeta (Hor. *Ep.* II, I, 136) illis...

Carmine qui fœdo

Splendida facta linunt.

Sed nec id impedimento censuimus esse debere, quominus desertus hic a tot jam sæculis Apuliensis et lucem et patrocinium mereretur, cum præsertim, si carminis aut linguæ Latinæ summa proprietas et ornatus illi defuerint, non hominis, sed inculti in quo vixit sæculi culpam fuisse, quivis æquus harum rerum æstimator facile judicaverit. Constituenti itaque mihi, de doctorum hominum sententia, extraneo huic, sed insigni Normannæ virtutis præconi, et lucem et meritam libertatem conferre, operæ pretium visum est te unum e nostris eligere, nobilissime Balliole, cujus felicissimo auspicio nominis liber iste, tandem ex diuturnis tenebris erutus, in publicum prodiret, perpetuoque patrocinio defenderetur. Nec vereor ut sanæ mentis quisquam temere id a me aut parum considerate factum arguat ; quin ita potius auctorem ipsum, si viveret, facturum existimo ; et si aliter ego fecissem, infestos illius manes habiturum me fuisse nequaquam dubito. Enimvero cum tot nobilissimi ac illustrissimi Normanni hominis victorias, trophæa resque variis olim in locis bene gestas externus homo Latino carmine describat, cui mortalium, obsecro, totum id quidquid est operis, rectius inscribi, donari, dedicari posset, quam tibi? Nam et ipse Normannus es, et ea generis vetustate et gentilium nobilitate excellis, quæ non modo laudis et gloriæ Guiscardo socios non secundarios dedit, sed et Scotis Joannem Balliolum, fortissimum regem, et Edovardum illius filium Philippo Valesio, Francorum regi, sororium procreavit. Ad hæc ita præclaris animi dotibus emines, ut hoc nostro sæculo neque in omni bonarum litterarum genere, neque virtutis aut sapientiæ gloria secundus cuiquam videaris. tSed de aliorum judicio susquedeque ; modo tibi uni meum hoc consilium probari sentiam. Quod quid libenissime comprobes non dubium est. Accipe igitur, pro tuo summo adversus litteras vel litteratos amore, renascentem hunc opera mea veterem Normannæ nobilitatis clientem, eumque contra omnes virtutis hostes ac laudis majorum nostrorum invidos, tuo patrocinio, quod abs te petit, tuere. Quod reliquum est, velim tibi sic persuadeas quidquid a nobis est laboris et operæ ad hujus libri emendationem et ex notis quas addidimus explicationem collocatum ; totum id quoque, donec meliora possimus, in eam partem tibi dari ut et tuæ veteris in me benevolentiæ, et grati mei animi singularisque in te observantiæ, quasi pignus sit et perpetuum apud omnes testimonium. Vale.

AD LECTOREM

Si non tam Aonias sapiant hæc carmina musas
Quam quæ Mæonides Virgiliusque sonet,
At non hic orci nugas, non pocula Circes,
Cyclopa, Harpyas, monstra nec ulla legis.
Græcula veridicus non curat somnia Phœbus,
Nec faciem fuco musa pudica linit.
Vatem lector, habes politia Platonica qualem,
Imo Christicolum lex pia non abigat.
Qui certaque fide, nec musæ expertibus omnis
A Versibus, ætatis retulit acta suæ,
Res propriis visas oculis, terra inque paterna
Armis, consiliis et pietate pares.
Fortia Normannæ cognosces pectora gentis
Quæ Gallo Italiam venit ab Oceano,
Non profuga aut superata domi, sed laudis amatrix
Bellicæ, et innumero sedis egens populo.
Ergo legi, si non tanquam optimus iste poeta,
Optimus at certe debet ut historicus.

GODEFRIDI GUILLELMI LEIBNITII

PRÆFATIO

In sua Introductione ad Collectionem scriptorum Historiæ Brunsvicensi inservientium, numero XXXIX.

Azo potens marchio, origine Estensis ex Cuniza B veterum Guelforum hærede, pater Guelfi ducis Bavariæ, qui stirpem in Germania propagavit, in Brunsvicensibus principibus adhuc superstitem ex altera conjuge filios habuit Hugonem et Fulconem Hugo filiam duxit Roberti Guiscardi, Normannorum principis, qui Apuliam, Calabriam et Siciliam tenebat, magnis rebus gestis clarus, regni utriusque Siciliæ fundator, cujus titulum filius Rogerius gessit. Nam Siciliæ citra Pharum (seu cismarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc regnum Neapolitanum dicimus; Siciliam vero insulam Trinacriæ regnum appellabant. Id porro matrimonium, non minus quam liberorum Azonis et conjugum seriem, Atestini historici ignorarunt. Quoniam autem Guilielmus poeta contemporaneus nuptias Hugonis describit, hunc, alioqui paucis visum, nostris scriptoribus addere libuit, Gasp. Barthius, vir maximæ lectionis, et scriptorum latentium ruspator insignis, (in notis ad Guil. Britonem. p. 774) ita de hoc auctore loquitur : *Exstat poema Gulielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, sed in cognitionem meam non venit, non sine fastidio sinistræ fortunæ.* Exemplo, quod ab ornatissimo Fellero, doctissimi Lipsiensium professoris filio, nunc serenissimi ducis Vinariensis secretario mecum communicatum fuit, hæc inscripserat insignis vir Nicolaus Heinsius: *Hic liber est rarissimus et alias non editus, quo me donavit Emericus Bigotius V. Cl.*: Certe D oportet fugisse Quercetani diligentiam, qui scriptores Normannicarum rerum justo volumine edens, folii, quod vocant, forma, hunc omisit : qui tamen jam prodierat hoc titulo : *Guilielmi Apuliensis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque, Rothomagi apud Richardum Petit et Richardum Lollemant anno* 1582, *quarto, pag.* 52. Editor se vocat Joannem Tiremæum Hautenœum, fisci in provincia Rothomagensi patronum. Librum autem se reperisse ait in religiosa Beccobelvini cœnobii domo; et inscribit Ludovico Balliolo Lonleii ac Sylleii cœnobiarchæ.

Sed operæ pretium est argumentum operis paucis complecti, ut quæ apud auctorem dispersa, et dictione obscurata sunt, facilius intelligantur.

Libro primo. Sub initium ait :

Dicere fert animus quo gens Normannica ductu
Venerit Italiam.

Hortatu Rogerii, ipsiusque papæ Urbani II laborem hunc a se susceptum profitetur. Urbanus, anno 1088, sedere cœpit, obiitque 1099; unde poetæ nostri C ætatem æstimes. Narrat Normannos quosdam, cum ex voto s. Michaelis in Gargano monte ædem ingressi essent, illic Melum insignem virum, a Græcis Baro pulsum reperisse. Hunc suasisse ipsis ut in Græcos impetum facerent, armaque suppeditasse. Vincitur Turnicius Græcorum Catapan; sed, anno sequente, successor ejus Basilius apud Aufidum flumen vicissim Melum vincit. Is sese ad Henricum Augustum confert, et auxilia obtinet, sed dum parantur, obit. Nortmanni destituti in Campaniam redeunt, nunc his, nunc illis Longobardorum principibus manus et arma locant. Tandem in urbe Aversa consident, Ranulphum inter ipsos clarum sibi ducem præficiunt, qui Jordanem genuit, et hic Richardum. Ab Ardoino quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui a Dochiano Græcorum duce injuria affectus fuerat. Tum bis sex de omni numero suo nobiliores eligunt, et quingentorum equitum septingentorum peditum numero instructi, Amalphim capiunt. Inde præda onusti, primorum suorum jussa spernunt, Adenulpho Beneventano principi militant; filium Basilii, qui olim

Melum pepulerat, in prælio capiunt; Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes a Græcis desciscentes, sibi fœdere adjungunt Tum ab Adenulpho ad Guaimarium Salerni principem transeunt qui in Aversa erant Normanni; reliqui Argyroum Meli filium ducem creant, qui cum Maniaco Græcorum duce certabat. Interea Constantinus monomachus ad imperium Græcorum pervenit. Is Argyroum cum suis in adversantem Maniacum stimulat. Auxilio venere et Aversani, et inter hos Ranulphi in regenda Aversa successor Rudolphus, filiusque Tancredi Guilielmus Ferrobrachius, cui frater fuit Guiscardus, postea dux. In eo Bello cecidit Maniacus.

Libro Secundo. Argyrous Barum tenens, etiam Hydruntum occupat; inde Normannos dimitit, et in Baro urbe a Guaimario obsidetur, ac postremo Constantinopolim redit, Normanni Guaimario Salernitano iterum operam locarant; inde pars Normannorum comiti Petro, pars Drogoni adhærent, filio ejusdem Tancredi. Petrus his consanguineus,

Condidit hic Andrum, fabricavit et inde Coretum,
Buxilias Barolum maris ædificavit in oris.

Munisse puto, hoc noster ædificare appellat. — Tandem Petrus ab Unfredo et Drogone in prælio capitur, Constantinopoli cum pecunia redit Argyrous, sollicitat Normannos ut Græcis in Turcas militent, quos auctor, more Græcorum auctorum, Persas vocat. Sed cum Apulia excedere nollent. opprimere eos tentat, excito etiam Leone IX papa. Drogo tunc obierat et Guaimarius; Normanni rectore carebant. Dragoni tamen fratri superstes erat Unfredus, et Aversam in comitis modum regebat Richardus Normannus; sed præ cæteris virtute eminebat Robertus Guiscardus, Guilielmi, Drogonis et Unfredi frater. Prælio cum Leone papa commisso, Longobardi Germanos deserunt; Suevi magna virtute resistunt, sed tandem cæduntur; papa Benevento a civibus exclusus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, Unfredus Roberto fratri Calabriam concedit, sed mox defunctus eidem et Apuliæ obtinendæ occasionem præbet. Nicolaus II papa, synodo Apud Amalphitanos habita, Robertum ducem creat, et oblatas Romanæ Ecclesiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque poeta de Roberto :

Unde sibi Calaber concessus et Appulus omnis
Est locus, et Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam et Calabriam inde ab Ottonibus sibi imperatores Occidentis vindicabant, et quod Otto II cœperat, prosecutus erat Henricus II, captisque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno, et aliis locis, etiam Normannis, quod fortiter militassent, agros dederat. Itaque Henricus IV et alii imperatores, vel a papa, vel a Normannis, imperio aliquid detrahi posse negabant, quæ omnia noster dissimulavit. Robertus interim priore conjuge consanguinitatis titulo repudiata (ex qua Boamundum susceperat) Sichelgatam, Guaimarii Solernitani principis filiam, Gisulfi successoris sororem, ducit, ex qua A tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris Unfredi filium Abælardum et alios rebelles vincit.

Libro tertio, narratur quomodo Barum, Græcis navali prælio victis, tertio demum anno extorserit Robertus. Bellum deinde per Rogerium fratrem in Sarracenos Siciliæ parat; mox ipse Panormum obtinet. Inde Petri comitis filium Petrum Trano exuit, Gisulfum conjugis fratrem capit; ita Salerno et Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorum concursu florebat; et crebris navigationibus exterorum adibatur.

Hic Arabes, Indi, Siculi, noscuntur et Afri.

Hic *pyxidem nauticam* repertam aiunt, de quo tamen nihil noster. Inde rebus ordinatis Trojam redit.

Dumque moraretur, Trojanæ mœnibus urbis,
B *Nobilis advenit Lambardus marchio quidam,*
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo vocatus erat, secum deduxit Hugonem
Illustrem natum, ducis huic ut filia detur,

Hac re fusius exposita narratur deinde quomodo dux cognatos aliosque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum adempta, parte reddita.

Libre quarto, refertur Michaelem, qui Parapinaceus dicebatur, Constantini Ducæ filium, imperio dejectum.

. . . *Socio sibi fratre repulso,*
Monachus efficitur; Roberti filia *mœret*
Deponi socium, miser exsulat ille coactus.

Nempe Michael imperator filio Constantino desponderat filiam Roberti Helenam, ut ejus auxilie Turcis C resisteret; ut habet Curopalates, Poeta autem noster mox de aliis quos Robertus generos habuit. Inter quos.

Partibus Hesperiæ (Iberiæ) quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptum datur; *altera nupsit*
Egregio comiti, Francorum stemmate claro.
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti.

Hunc Ebalum comitem de Rocejo fuisse comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut a pontifice dux expeditionis in Sarracenos Hispaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus *Hugo Estensis* Azonis filius, Guelfi frater, innexus fuit. Paulo post Robertus cum Gre-D gorio VII conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando sancit. Credebatur id secretis cum consiliis agitasse cum papa, ut ademptam Henrico Romani imperii coronam acciperet. Interim Robertus transfretat in Græciam, ut generi filiæque injuriam vindicet. Sed intellecto Gregorii periculo, quem Henricus, et Guibertus oppositus papa urgebant, in Italiam redit; florentissimo exercitu sex equitum, triginta peditum millibus Romam ductis, Gregorium in Adriani mole obsessum liberat, atque ita eodem anno Orientis pariter Occidentisque imperatorem vincit.

Libro quinto (qui ultimus) postrema Roberti non

rediturı expeditio in Graeciam describitur. Comitatus Rogerio filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit; in expeditione obit. Interim et Gre- A gorius Salerni in exsilio moritur. Reduces naufragium patiuntur; Robertus Venusina in urbe apud fratres tumulatur.

GUILLELMI APULI

HISTORICUM POEMA

DE REBUS NORMANNORUM

IN SICILIA, APULIA ET CALABRIA GESTIS.

Usque ad mortem Roberti Guiscardi ducis, scriptum ad filium Rogerium

LIBER PRIMUS

Gesta ducum veterum veteres cecinere poetæ;
Aggrediar vates novus edere gesta novorum:
Dicere fert animus quo gens Normannica ductu
Venerit Italiam, fuerit quæ causa morandi,
Quosve secuta duces Latii sit adepta triumphum.
Parce tuo vati pro viribus alta canenti,
Clara, Rogere, ducis Rodberti dignaque proles,
Imperio cujus parere parata voluntas
Me facit audacem, quia vires, quas labor artis
Ingeniumque negat, devotio pura ministrat,
Et patris Urbani (1) reverenda petitio segnem
Esse vetat, quia plus timeo peccare negando,
Tanti pontificis quam jussa benigna sequendo.
Postquam complacuit Regi mutare potenti
Tempora cum regnis, ut Græcis Appula tellus
Jam possessa diu non amplius incoleretur,
Gens Normannorum feritate insignis equestri
Intrat, et expulsis Latio dominatur Achivis.
Hos quando ventus, quem lingua soli genialis
North vocat, advexit boreas regionis ad oras,
A qua digressi fines petiere Latinos;
Et *man* est apud hos *homo* quod perhibetur apud nos,
Normanni dicuntur, id est homines boreales.
Horum nonnulli Gargani (2) culmina montis
Conscendere (3), tibi, Michael archangele, voti
B Debita solventes. Ibi quemdam conspicientes
More virum Græco vestitum, nomine Melum (4):
Exsulis ignotam vestem capitique ligato
Insolitos mythræ mirantur adesse rotatus,
Hunc dum conspiciunt; quis, et unde sit ipse requirunt.]
Se Longobardum natu civemque fuisse
Ingenuum Bari, patriis, respondit, at esse
Finibus extorrem Græca feritate coactum (5).
Exsilio cujus dum Galli compaterentur:
« Quam facilem reditum, si vos velletis, haberem.
« Nos aliquot vestra de gente juvantibus, inquit!
C Testabatur enim cito Græcos esse fugandos
Auxiliis horum, facili comitante labore.
Illi donandum patriæ munimine gentis
Hunc celeri spondent, ubi forte redire licebit.
Ad fines igitur postquam rediere paternos
Cœperunt animos mox sollicitare suorum
Italiam secum peterent; narratur et illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti (6)
Sola, quibus peragi posit via, ferre monentur;
Ductor ibi prudens promittitur inveniendus
Quo duce de Græcis facilis victoria fiat.
D Arrectis igitur multorum mentibus, ire
Pars parat, exiguæ vel opes aderant quia nullæ;
Pars, quia de magnis majora subire volebant;

(1) Urbanus II papa vixit (juxta *Joannem Tiremœum*) electus (juxta *Leibnitium*) anno salutis 1088. Iisdemque temporibus regnabat Rogerius Roberti Guiscardi Apuliæ ducis filius.

(2) Garganus mons in Apulia ad mare Adriaticum. Leibnitius.

(3) Volaterranus lib. III Geog. scribit Robertum Guisc. expulisse Sicilia Sarracenos, qui anno sal. 914 Apuliam, Calabriam, Neapolim, et Garganum montem occupaverant. Leib.

(4) Meles legitur apud Th. Fazell. posterioris Decad. lib. VI, cap, 1. Leib.

(5) Anno salutis 1018; *ita* Tiremæus. — Circa 1011, motus in Calabria et Apulia excitarat. Leib

(6) Scribebatur in margine *Græcis*; quæ lectio forte verior est. Tirem.

Est acquirendi simul omnibus una libido,
Eggrediuntur iter, sumptis quæ cuique videntur
Ferre necesse, viam, pro viribus, ad peragendam
Postquam gens Romam Normannica transit inermis
Fessa labore viæ Campanis substitit oris.
Fama volat Latio Normannos applicuisse.
Melus, ut Italiam Gallos cognovit adisse,
Ocius accessit, dedit arma carentibus armis;
Armatos secum comites properare coegit.
Hactenus insolitas hac tempestate Latini
Innumeras cecidisse nives mirantur, et harum
Casibus extinctæ pleræque fuere ferarum;
Nec fuit arboribus fas inde resurgere lapsis.
Hujus portenti post visum, vere sequenti
Emptis Normannos Campanis partibus armis (7)
Invalenda furens loca duxit ad Appula Melus.
Hunc habuere ducem sibi gens Normannica primum.
Partibus Italiæ, Gallos tremit Appulus omnis,
Quorum prævalido multi periere rigore.
Turnicii (8) tandem rumor pervenit ad aures,
(Qui Catapan fuerat Græcorum, missus ab urbe
Cui Constantinus nomen dedit editor urbis,
Et Constantinus pariterque Basilius (9) illi
Tunc dominabatur) Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normannos loca depopulanda monebat.
His ita Turnico fama referente relatis,
Agmina Græcorum propere direxit in hostes.
Non etenim per se certamina prima paravit,
Sed legatum, cognomen cui Pacianus,
Et Leo (10) nomen erat, qui juxta fluminis undam
Nomine Fertorii (Locus est et Arenula (11) dictus)
Deduxit secum multos ab bella Pelasgos:
Maii mensis erant aptissima tempora Marti
Hoc ad bella solent procedere tempore reges:
Fortunaque pari primo pugnatur utrinque.
Auctis militibus comites fuit inde secutus
Turnicius, sed terga dedit, victusque recessit.
Conflictu belli Pacianus corruit hujus.
Normannis auget validas victoria vires,
Expertis Græcos nullius roboris esse,
Quos non audaces, sed cognovere fugaces;
Imperii fama insinuat rectoribus arva.
Appula Normannos Melo duce depopulari.
Hunc, his auditis, sibi curia judicat hostem,

A Si capitur, capitis fieri cæsura jubetur.
Multa Græcorum cum gente Basilius (12) ire
Jussus in hunc audax anno movet arma sequenti
Cui Catapan facto cognomen erat Bajianus (13)
Quod Catapan (14) Græci, nos *juxta* dicimus *om ne*
Quisquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris,
Dispositor populit parat omne quod expedit illi,
Et Juxta quod cuique dari decet, omne ministrat.
Vicinus Cannis qua defluit Aufidus (15) amnis,
Circiter, Octobris pugnatur utrinque Calendas (16):
Cum modica non gente valens obsistere Melus,
Terga dedit, magna spoliatus parte suorum
Et puduit victum patria tellure morari,
Samnites adiit superatus, ibique moratur.
Post Alemannorum petiit suffragia regis
B Henrici (17), solito placidus qui more precantem
Suscipit, auxilii promittens dona propinqui.
At Melus regredi præventus morte nequivit.
Henricus sepelit rex hunc, ut regius est mos:
Funeris exsequias comitatus ad usque sepulcrum,
Carmine regali tumulum decoravit humati (18).
Defuncto Melo, cujus suffragia Galli
Adfore sperabant, spe tota deficientes
Campanæ mœsti redeunt regionis ad oras;
Atque locis nullis figunt tentoria certis.
Perterrebat eos plebs paucificata suorum,
Viribus et validis circumstans plurimus hostis.
C Quare nullus eis tutus locus esse videtur.
Montibus interdum, nunc vallibus inde remotis.
Sed, cum jam nullum sperarent posse parari
Auxilium, victis incommoda quippe videntur
Omnia, victores sors creditur ipsa juvare;
Cumque vagi instabiles, jam per loca multa vagantes
Nullus sede locis possent insistere certa,
Consilium tandem dat rixa propinqua morandi.
Nam Longobardo norant cui robur adesse
Majus, adhærebant, aderantque fideliter ejus
Auxiliis; hujus quo per famulamina tuti
A reliquis fierent, et eorum nacta secundos
Successus belli clarescere fama valeret.
Hac ratione loco metantur castra decenti;
Qui lymphis, herbis, simul arboribusque redundans
Omne ministrabat populo quod habere necesse est.
Egregium quemdam mox elegere suorum,
D Nomine Ranulfum (19), qui princeps agminis esset,

(7) Anno 1017, vel paulo ante; *ita* LEIB.

(8) An Tumitius, vel Tomitius, usitatum Græcis nomen. Leo Tomitius 1046 a militibus imperator salutatus. LEIB.

(9) Basilius, et Constantinus filii Romani Junioris. LEIB.

(10) Leo Pacianus. LEIB.

(11) *Arena* fluvius est in meridionali Siciliæ latere, ita dictus, quod a fauces circumjacentes albas teneat arenas. Th. Fazell., lib. VI, c. 4 decad. prioris. LEIB.— *At hic Arenulæ locus in Apulia est investigandus; quippe Normanni nondum in Siciliam transfretaverant.*

(12) Basilius Constantinopolitanus imper. regna recepit anno salutis 977, LEIB.— Hæc nihil ad rem. Et nomine et tempore erravit Leibnitius, de Basilio decimo sæculo regnante notam hic attexens, quæ Basilium Græcorum exercitui undecimo sæculo præpositum respicere debuerat. EDIT PATROL.

(13) Sigonius hunc Bubaganum vocat, qui Basilii imper. Catapanus erat. LEIB.

(14) Catapan apud Græcos generalis totius exercitus præfectus. LEIB.

(15) Aufidus fluvius in Apulia. Italis *l'Ofanto*. TIREM.

(16) 1019, ut creditur. LEIB.

(17) Henricus I rex et imper. 39, TIREM.— Henricus, cognomento Sanctus. LEIB.

(18) In Vita S. Henrici, l. XXII, memoratur Ismaelem (corruptum, puto, et nomen notum, pro Mele ignoto positum) ab imperatore Apuliæ præfectum in Babeberg obiisse, et in capitulo Majoris Monasterii tumulatum esse. LEIB.

(19) Ranulfus Romanorum dux primus. LEIB.

Cujus mandatis fas contra licere non sit.
Cumque locum sed s primæ munire pararent,
Undique densa palus, nec non et multa coaxans
Copia ranarum, prohibet munimina sedis.
Haud procul inde, suis alium stationibus aptum
Invenere locum, quem, nullo dante juvamen
Cultorum, patriae, pro se munire tuendis
Conantur : sic se. facto munimine, cuidam (20),
Qui princeps Capuanus erat, conjungere gaudent.
Principibus Latii prior atque potentior ipse
Tunc erat ; affines properant hoc principe tuti
Devastare locos, hostesque viriliter angunt.
Sed quia mundanæ mentis meditamina prona
Sunt ad avaritiam, vincitque pecunia passim,
Nunc hoc nunc illo contempto, plus tribuenti
Semper adhærebant ; servire libentius illi
Omnes haudebant a quo plus accipiebant.
Bella magis populi, quam fœdera pacis amantes,
Servitiique vices pro viribus et ratione
Temporis expendunt ; plus dantes pluris habebant.
Illis principibus dominandi magna libido
Bella ministrabat ; vult quisque potentior esse.
Alter et alterius molitur jura subire.
Procedunt lites hoc fomite, prælia, mortes ;
Inter mortales ideo mala plurima crescunt.
Heu ! miseri mundo quidquid conantur, inane est :
Innumeros vana passi pro laude labores,
Plus cruciabuntur postquam mundana relinquent.
Nunquam Normannis, ne pœna rediret in ipsos,
Longobardum placuit victoria prorsus.
Funditus everti discordem quemque vetabant
Nunc favor additus his, et nunc favor additus illis;
Decipit Ausonios prudentia Gallica ; nullum
Plena lance capi permittit ab hoste triumphum.
Sic desperatos Latii discordia Gallos
Ad spem, quæ fuerat prius extirpata, reformat.
Et vires et opes augmentum sic capiebant :
Si vicinorum quis perniciosus ad illos
Confugiebat, eum gratanter suscipiebant ;
Moribus et lingua, quoscunque venire videbant,
Informant propria, gens efficiatur ut una.
Post annos aliquot, Gallorum exercitus urbem
Condidit Aversam (21) Radulfo consule (22) tutus.
Hic opibus plenus locus, utilis est et amœnus ;
Non sata, non fructus, non prata abustaque desunt;
Nullus in orbe locus jucundior : hunc generosi
Consulis elegit prudentia præmemorati.
Hujus præclara processit stirpe (23) Richardus
A Qui post successit, quo non animosior ullus,
Nemo magis largus ; qui non virtute minorem
Jordanem genuit ; Jordanis et inde Richardum,
Jamque viro vires condignas fert adolescens.
Mœnibus Aversa Ranulfus ab urbe peractis,
Ad patriam misit legatos, qui properare
Normannos faceret, et quam sit amœna referrent
Appula fertilitas, inopes fore mox opulentos
Divitibus multo plus polliceantur habendum.
Talibus auditis, et egentes et locupletes
Adveniunt multi : properat quo fasce levetur
Paupertatis inops, ac quærat ut optima dives.
Interea multo decurso tempore, nullus
Partibus Ausoniis Gallorum terror habetur,
Ex quo Normannos Catapan abscedere fecit.
B Imperii Melum superando Basilius hostem.
Aversam subito venit Ardoinus (24), et illum
Pluribus adductis secum, tremit Appulus omnis.
Is Lombardus erat Græcosque fugare volebat.
Cur inimicus eis, cur Gallos duxerit, edam :
Dum sedi Michael Epilepticus (25) imperiali
Præsidet, in Siculos hostes jubet arma moveri,
Qui fines Calabros non cessant depopulari.
Dirigitur Michael Dochianus ad id peragendum,
Qui multis equitum peditumque potenter in arma
Undique collectis, Siculos compescuit hostes.
Inter collectos erat Ardoinus, et ejus
Asseculæ quidam Græcorum cæde relicti,
Plebs Lombardorum Gallis admixta quibusdam
Qui profugi fuerant, ubi bella Basilius egit.
Cumque triomphato rediens Dochianus ab hoste
C Præmia militibus Regina (26) solveret urbe.
Græcis donatis nihil Ardoinus habere
Donorum potuit, miser immunisque remansit.
Convenit inde suos iratus, et arguit Argos
Turpis avaritiæ, populo quia dantur inerti
Munera danda viris, cum sit quasi femina Græcus.
Iratus Michael propter convicia jussit
Græcorum ritu, cædendus ut exueretur,
Corrigiis cæsum graviter peccasse puderet.
Dedecoris tanti cruciatibus exagitatus,
Mulctæ commissum non dimissurus inultum,
Clam cum gente sua Græcorum castra reliquit.
Missa Pelasgorum manus hunc ut persequeretur,
Repperit in campo ; cum quo confligere tentans,
Cedit : et occisis decies ibi quinque Pelasgis
Aversam properat ; Normannis omnia narrat
Quæ sibi contigerant, vehementer et increpat illos :
Appula multimodæ cum terra sit utilitatis

(20 Pandulpho quarto. Leib.

(21) Aversa urbs inter Neopolim et Capuam posita. Leib.

(22 Consul pro comite. Leib.

(22) Consentit Wilhelmus Gemmeticensis, lib. vii c. 43. Sed. Leo Ostiensis lib. ii, c. 67, narrat Ascilittinum Normannum duxisse sororem Ranulfi, eique in comitatu Aversano successisse, et filium Richardum, patrem Jordani, avum Richardi II genuisse. Ranulfum Pandulfus Capuæ princeps Aversæ comitem fecerat. Richardus I postea Capuæ principatum occupavit 1053. Vid, Leon. Ostiens., l. iii, c. 16.

Leib.

(24) Hardoinus Longobardus Normannos ducit ; qui cum in expeditione Saracenum quemdam prostravisset, ejus equo, quem sibi pugnando quæsiverat, spoliatus, injuriæ ulciscendæ cupidus consilium eripiendæ Græcis Apuliæ cepit. Tirem.

(25) Qui vulgo Paphlago, imperator factus 1034, obiit 1041. Leib.

(26) Regina urbs, cujus olim ingens fuit potentia et ob hanc causam plurimi nomen civitatis factum esse autumant, quasi regia urbs foret. Tirem.

Femineis Græcis cur permittatur haberi,
Cum genus ignavum sit, quod comes ebrietatis
Crapula dissolvat minimo sæpe hoste fugatos,
Vestituque graves, non armis asserit aptos.
Normanni, quamvis Danaum virtute coacti,
Appula rura prius dimittere, rursus adire
Hoc stimulante parant; numero cum viribus aucto,
Omnes conveniunt, et bis sex nobiliores,
Quos genus et gravitas morum decorabat et ætas,
Elegere duces; provectis ad comitatum
His alii parent; comitatus nomen honoris (27),
Quo donantur, erat. Hi totas undique terras
Divisere sibi, ni sors inimica repugnet,
Singula proponunt loca, quæ contingere sorte
Cuique duci debent, et quæque tributa locorum;
Hac ad bella simul festinant conditione.
Nullus tunc Italis exercitus imperialis
Partibus audiri; Græcorum tota quieta
Res erat, et solum tranquillo tempore bellum
Adversus Siculos agitari fama ferebat.
Appula Normannis intrantibus arva, repente
Melfia (28) capta fuit. quidquid prædantur, ad illam
Urbem deducunt; hac sede Basilius ante,
Quem supra memini, modicas fabricaverat ædes,
Esse locum cernens inopinæ commoditatis.
Accessu populi nunc urbs illustris habetur,
Finibus Italiæ celeberrima, dives amœni
Fertilitate loci. Cereris nec egena nec amnis,
Et qua parte sita est, insignis honore ducali.
Audito reditu Siculis Michaelis ab oris,
Sese ad bella parant Normanni, copia quamvis
Multa sit Argorum, sua quam paucissima gens sit.
Nam pedites tantum quingentos turba pedestris,
Et septingentos comitatus habebat equestris;
Obtectos clypeis paucos lorica tuetur.
Armati pedites dextrum lævumque monentur
Circumstare latus; aliquot sociantur equestres,
Firmior ut peditum plebs sit comitantibus illis.
His interdicunt omnino recedere campo,
Ut recipi valeant, si forte fugentur ab hoste.
Taliter instructis illis et utrinque locatis,
Digreditur cuneus longe paulisper equestris;
Contra quos cuneus Græcorum mittitur unus.
Non etenim totas Danai laxare cohortes
Primo Marte solent, legionem sed prius unam,
Inde aliam mittunt, ut virtus aucta suorum
Hostes debilitet, terroremque augeat illis.
Sic equitum princeps obniti dum videt hostes,
Cum magis electo qui restat milite secum
Proripitur subito; viresque retundere prorsus
Sic solet hostiles, animos reparando suorum.
Utrorumque acie conserta, maxima pugna
Fit juxta rapidas Lebenti (29) fluminis undas.
Vincuntur Danai, Gallorum exercitus illos

A Fortiter insequitur, cæsorum corpora multa
Appula planities, fluvius sed plura recepit.
Gens Argiva quidem nimio perculsa pavore.
Dum tremebunda fugit, non asperitate locorum
Non prohibetur aquis vehementibus, ut fugitiva
Non se præcipitet; plures in flumine mersos
Alveus involvit quam morti traderet ensis.
Hos jaculis, illos gladiis gens Gallica stravit,
Fitque modis variis Græcorum maxima cædes.
Cum paucis montem Michael elapsus adivit.
Vicinos montes superare cacumine visum:
Gallorum vires victoria mentibus auget,
Nec contra Danaos jam bella gerenda pavescunt.
Haud secus accipiter solitus captare minores
Indubitanter aves, dubitans majoris inire
B Alitis assultum, poterit si forte vel unam
Exsuperare gruem, non inde timebit olorem,
Et magnis avibus jam nil obstare pavebit.
Agmine collecto Græcorum, rursus ad amnem
Cannis affinem qui dicitur Aufidus, omnes
Quos secum potuit Michael deducere, duxit,
Ad pugnam Galli redeunt, ut cesserat ante.
Cedit eis Michael, victi fugere Pelasgi,
Cæduntur multi, labentis equo Dochiani
Armigeri auxilio servatur vita fugacis.
Corruit offenso pede forte caballus ad amnis
Ingressum. Michael manibus jam pene tenendus
Hostilis turbæ, proprium ducente ministro
Est elapsus equum; Normanni plus animantur
Quo magis augetur felix successus in armis.
C Pelusii montis Michael petit ardua victus.
Hinc exercitui Græcorum nuntia mittit,
Qui Siculis inerat tunc partibus, ut reparandis
Viribus accedat, quibus hoste fugatus egebat.
Melfia Normannis victoribus, ut repetatur,
Complacet, hic spoliis collectis gentis Achœæ,
Stant aliquantisper tranquilla pace quieti.
Pro numero comitum bis sex statuere plateas,
Atque domus comitum totidem fabricantur in urbe.
Sed quia terrigenis terreni semper honores
Invidiam pariunt, comitum mandata recusant,
Quos sibi prætulerant, Galli servare feroces.
Indigenam Latii propriæ præponere genti
Dilexere magis, Beneventi principis hujus
Nomen Adenolfus, quos forsitan ipse vel aurum
Dando vel argentum, pacti mutare prioris
D Compulerat votum; quid non compellit inire
Ambitio census? sanos evertere sensus
Hæc valet, ac fidei rigidos dissolvere nexus.
Postquam delatos Dochiani exercitus audit
Partibus in Siculis apices, et de reparandis
Viribus admonitus, Dochianum novit egentem
Auxilio, properat Calabrisque virisque quibusque
Undique collectis, ita ad ulciscenda suorum

(27) Comitatus nomen honoris nobis etiam fuit et officii usque ad Hugonis Capeti tempora. Tirem. Sed ditionis, nam comitatus cuique simul assignatur. Leib.

(28) Melfis, aut Melfia urbs in Apulia. Leib.

(29) Forte legendum *Sebethi* aut *Labentis* Tirem Sed si ad Melphiam urbem bellatum est, ut innuere videtur Guilielmus, et in Apula planitie, nescio an felix Tiremæi conjectura.

Corpora, quæ campis et aquis inhumata jacebant.
Cum Græcis aderant quidam, quos pessimus error
Fecerat amentes, et ab ipso nomen habebant,
Plebs solet ista Patrem cum Christo dicere passum,
Et fronti digito signum crucis imprimit uno,
Non aliam Nati personam quam Patris esse,
Hanc etiam sancti Spiraminis esse docebant.
Hi simul ad bellum properant, mens omnibus una,
Vires, quas Michael amiserat, ut reparentur.
Hunc tamen esse ducem vetat amplius agminis
[hujus,
Imperii sub quo romani cura manebat,
Contra Normannos, quia nullum prosperitatis
Successum obtinuit, jubet, Exaugustus ut hujus
Officium subeat, Danaos in prælia ducat.
Dicitur hunc victor genuisse Basilius ille,
Qui duce sub Melo Gallos dare terga coegit.
Inde redit Siculas Michael Dochianus ad oras.
Exaugustus eos, quorum sibi tradita cura est,
Taliter alloquitur : Prudentia vestra virili
Conditione vigens non vos permittat habere
Cor muliebre, viri. Quæ vos ignavia semper
Cogit inire fugam? memores estote priorum,
Quorum strenuitas totum sibi subdidit orbem.
Hector Achilleis fortissimus occidit armis.
Troja Michæneі (30) ruit ignibus usta furoris;
Philippi quantus fuerit vigor, India novit;
Hujus Alexander proles fortissima nonne
Fortia multorum subjecit regna Pelasgis?
Partibus occiduis, Græcorum fama timori
Omnibus et mundi regionibus esse solebat.
Quæ gens, audito Græcorum nomine, stare
Audebat campo? vix oppida, castra, vel urbes
Reddebant tutos ab eorum viribus hostes;
State, precor, validi, memores virtutis avitæ,
Degeneresque pedum non vos fiducia reddat.
Hosti adimit vires qui stare viriliter audet.
Procurate sequi vestigia prima parentum.
Jam fuga displiceat, totus vos sentiat orbis
Fortes esse viros. Non est ad bella timendus
Francorum populus, numeroque et viribus impar
His dictis animos Græcorum accendit, et omnes
Præcipit Argolicos montana relinquere, campi
Quærere planitiem; campis et castra locavit.
Exploratores Galli misere, paratus
Ut Danaum videant. Referunt ad bella paratos,
Et non mutata mutatum mente magistrum
Nil metuunt multi, sociis in monte relictis,
Quo tuti redeant, fuerit si forte necesse,
Indigenæ Danais descendunt auxiliari.
Campi planicie populus convenit uterque;
Pugna fit inde gravis, ut vincat uterque laborat.
A Nunc hi, nunc illi fugiunt que fugant que fugantes;
Cumque diu pugnam Gallis patientibus Argi
Acriter instarent, victores jam prope facti,
Proripitur subito medios Galterus in hostes:
Normannos hortans ad bella redire fugaces;
Ipse electorum comitum fuit unus, amici
Filius insignis; nullum certamen Achivi
Experti gravius; sed plurimus hic quia miles
Occidit, heroes multi simul interiere.
Ductus Adenolfi miser Exaugustus ad urbem,
Præcedebat equum victoris ab hoste ligatus
Ostentare sui pompam cupiente triumphi.
Ter Gallis illo victoria contigit anno.
Confusis Danais jam spes est nulla trophæi
B Omnia præclarum super Appula mœnia Barum (31),
Illis temporibus, Monopolis et Juvenacus,
Atque urbes aliæ quamplures fœdere spreto
Græcorum, pactum cum Francigenis iniere.
Inde manere Deo nolente diutius ejus
Imperium, moritur Michael (32), Michaele nepote
Succedente sibi, qui Constantinus et idem
Nomine dictus erat: quemdam, solamen ut inde
Auxilii caperet gens Appula, Synodianum
Destinat, hic veniens, et primo appulsus Hydrun-
[tum (33),
Legatos socias Francorum misit ad urbes,
Se recipi rogitans; nolunt parere roganti.
Militiam reparare cupit, sed milite multo
C Cæso ac disperso, paucos retinere valebat.
Synodianus ob hoc muros non deserit urbis.
Hunc tamen edictum facit imperiale reverti.
Multa per hoc tempus sibi promittente Salerni
Principe Guaimario (34), Normannica gens famula-
[tum
Spernit Adenolfi; sed se tantummodo cives
Aversæ dederant ditioni Guaimarianæ:
Nam reliqui Galli, quos Appula terra tenebat,
Argyro Meli genito servire volebant.
Nam pater ipsius prior introducere Gallos,
His et in Italia studuit dare munera primus.
Argyrus pauper, licet audax et generosus,
Se tantæ genti dominari posse negavit,
Cum nihil argenti valeat præbere, vel auri.
D Hi se non aurum profitentur amare, sed ipsum.
Cujus eis placidus fuerat pater. Ipse precantem
Exaudit populum; nocturno tempore secum
Deducit Barum natu sensuque priores,
Quos sancti ductos Appollinaris ad ædem
Taliter affatur: Pretii cum nulla facultas
Sit mihi quo possim populum donare potentem,
Cur populus vester me vult sibi præfore miror.
Vos etenim novi diversis rebus egere,

(30 *Mycenœi.* Leib.

(31) Barium aliis dicitur Apuliæ urbs maritima. Hæc a Guilielmo I, Siciliæ rege funditus deleta est Tirem.

(32) Michaeli Paphlagoni successit ejus nepos ex sorore Michael Calaphates, salutis anno 1043 Huic Constantinus Monomachus eodem anno. Leib.

(33) Hydruntum, quæ et Hydrus a Ptolomæo dicitur, urbs est in Calabria juxta Ionium mare Tirem.

(34) Qui Guaimarius hic appellatur aliis Guamarinus dicitur Salerni princeps. Tirem.

Quas cum non dedero, me non dare posse dolebo.
Illi respondent : Nostrum te principe, nullus
Pauper erit vel egens ; duce te, fortuna favebit;
Consiliique vias, duce quas genitore solebat
Pandere, te nobis effecto principe pandet.
Hoc ubi dixerunt, sublimant (35) protinus illum
Omnes unanimes ; communi fit prece princeps.
Interea magno Danaum comitante paratu,
Nequitia plenus venit (36) Maniacus Hydrontum
Imperio Latium jussus Michaelis adire ;
Is præter formam nil dignum laude gerebat.
Mente superbus erat, dira feritate redundans.
Classibus Hydronti dimissis, agmen iniquum
Francis compactas invadere commovet urbes ;
Et Monopoleis primum diffunditur arvis.
Interimit multos Maniacus, et arbore quosdam
Suspensos, alios truncatos vertice mactat.
Cædis inauditum genus exercere tyrannus
Audet in infantes, viventis adhuc, quia capti
Corpus humo sepelit pueri, caput eminet extra.
Sic perimit multos, et nulli parcere curat.
Posthæc Materam (37), qua fixa fuisse feruntur
Pœni castra ducis, cum subderet Annibal Afris
Italiam Maniacus adit ; campisque ducentos.
Agricolas captos furibunda mente trucidat.
Non puer aut vetulus, non monachus atque sacerdos
Impunitus erat ; nulli miseretur iniquus,
Interea Michael qui miserat hunc Maniacum,
Captus cæcatur, cæcatus ab arce fugatur.
Hoc fecere Zoe (38) simul et Theodora sorores,
Prima fuit patrui conjunx Michaelis, adusque
Hujus successum, cum qua quia noluit ipse
Partiri regnum, ratus hanc prohibente senatu
Exhæredandam, privatus lumine captus,
Est Constantino sociata Zoe Monomacho (39)
Huic inimicus erat Maniacus, et hic Maniaco (40)
Alterius quoniam fuit alter abusus amica :
Zelotypo imperii Monomacho tradita sedes
Concussit mentem nimio terrore tyranni,
Et probrosa refert odiis agitatus et ira ;
Omnibus et secum quos duxerat, imperat Argis,
Principe se facto, jam nullus obediat illi.
Assumens habitum sibi perfidus imperialem
Imperii sancti non nomen adire veretur.
Postquam suscepit solii Monomachus honorem,
Argyro mandat studeat convertere Gallos,
Procuretque suis sociare fidelibus illos,
Et promittat eis se præmia magna daturum.
A Argyrus nolens sibi desit ut imperialis
Gloria, Normannos compescit ab obsidione
Trani, quod solum tunc agmina græca fovebat
Confinesque locos desistit depopulari.
Nuntius interea qui venerat imperialis
Maxima dona ferens capitur miser a Maniaco,
Diversas pœnas adhibent et stercus equinum
Purgamento immixto naribus, auribus, ori
Hunc facit affligi graviter, stabuloque necari
Ipse videns auri tantum se pondus habere
Extolli nimium cœpit, redit inde Tarentum :
Atque auri multum (quo plus sibi concilientur)
Erogat Argolicis, assumitur imperialis
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,
Qua solet imperii qui curam suscipit uti.
B Inde venit multo vallatus milite Barum,
Argyrum sperans promissis fallere posse.
Ut collega suus fieret contra Manomachi
Imperium, Gallos etiam sibi pacificare
Tentabat. Quorum si posset habere juvamen,
Cædere posse suis sperabat viribus hostem
Et Constantino facili diadema labore
Ablatum retinere sibi. Quod sperat, inane est ;
Nam neque Normannos nec eorum avertere mentem
Principis evaluit, contemptus at inde recessit.
Unde furore gravi plenus quia spretus abibat,
Quatuor in partes diviso milite, mandat
Pergere prædatum circumcursantibus ipsis.
Est hominum, pecorum pars maxima ducta Tarento (41).
C A Constantino sub eodem tempore missis
Argyrus multis auri argentique talentis,
Normannos donans sibi postulat auxiliari,
Auxiliis horum Maniacus ut occidat hostis
Imperii sancti ; sic plurima promerituros
Hoste triumphato pro votis asserit illos.
Quamplures igitur Normannos non amor æris
Sed ducis Argyri Maniaco reddidit hostes.
Aversæ comites etiam cum pluribus ultro
Advenere suis. Tancredi filius, horum
Maxima spes, aderat, Guilielmus ad arma paratus,
Hunc Drincanocto comitem comitante Rodulpho,
Qui post Ranulphi decessum præfuit urbi (42).
D Terrebat Danaos Guilielmi nobile nomen ;
Is quia fortis erat, est ferrea dictus habere

(35) Francis sicut et Caninefatibus, teste Tacito, ritus fuit ut designatum regem scuto imponerent, sublimemque humeris gestarent. TIREM.

(36) Maniacus est Georgius Maniacus Byzantinus, qui Constantini Monomachi Constantinopolitani Cæsaris et Siciliæ regis præfectus erat. LEIB.

(37) Mathera urbs in Apulia, quæ Acherontus Livio dicitur. LEIB.

(38) Zoe Michaelis Paphlagonis vidua, Michaelem Calaphatem in filium adoptavit ; qui cum, fascibus susceptis, ingratus, matrem suæ majestatis auctorem relegasset, a conspirante populo captus est, oculorumque usu privatus, restituta ad imperium Zoe. LEIB.

(39) Constantinus Monomachus tertius Zoes maritus fuit. LEIB.

(40) Dissidia vult Fazellus orta inter Maniacum et Monomachum ex odio quod Romanus clerus exercebat cum Maniaco. LEIB.

(41) Tarentum fuit Calabriæ urbs in ultimo Italiæ circa Salentinorum confinia, a Tara Neptuni filio ædificata. LEIB.

(42) Aversanæ. LEIB.

Brachia (43) nam validas vires animumque gerebat.
Hujus Robertus frater fuit, ille ducatum
Qui post obtinuit, Guiscardus (44) ad omnia prudens :
Tantorum comitum comitatu fisus in hostem
Argyrus properat, Taram (45), Maniacus ad amnem
Venerat, his inibi metatus castra diebus.
At non audito tantæ subsistere gentis
Prævalet adventu conclusus in urbe Tarenti.
Ad fluvium Galli veniunt, castrisque receptis
Græcorum vacuis, loca pontis ad usque propinquant.
Hunc utrinque maris circumvolat unda, sub altis
Rupibus objectis sic intercidilur æquor,
Pontis ut auxilio transiri possit ad urbem,
Quæque viatori via nunc brevis esse videtur,
Longa videretur gyranti littoris ora ;
Namque mari septum majori parte Tarentum
Insula mox fieret, modicus nisi collis adesset.
Mœnibus inclusos pugnæ Guilielmus Achivos
Provocat, at nunquam dimissis mœnibus illi
Conseruere manus : non fluminis impetus ulli
Plus est quam tanti ducis hostibus hasta timori.
Sic incantator studiosus pro capienda
Aspide, multimoda conatur ut abstrahat arte
Visceribus terræ, quibus abdita; tuta moratur;
Auribus hic ne quid grave sentiat, obstruit unam,
Affixa cauda, deligitur altera terræ.
Dissimulant Danai Gallos audire cientes
Ad pugnam, positisque seris remorantur in urbe,
Ad bellum postquam procedere nolle Pelasgos
Galli conspiciunt, et mœnibus in capiendis
Spem gravitas adimit, quia munitissimus urbis
Est situs, abscedunt ; post hæc remoratus in urbe
Per tempus modicum repetit Maniacus Hydrontum :
Rursus et Argyrus nec non Theodorus ; at iste
Milite cum multo, cum multis classibus ille,
Imperii jussu properare paratus in ipsum,
Hostilem quatiunt varia formidine mentem,
Et titubans animo, nunc huc, nunc fluctuat illuc.
Urbe metu tandem nimio prodire coactus
Rupibus incisis juxta maris alta locavit
Difficili sua castra loco ; qua pervius ulli
Non aditus fieret, scopulis hærere carinas
Impositas gradibus faciens, ut pacificato
Æquore transiret ; quosdam, quos æquora credit
Perturbasse magis, cruciat, succendit et igni ;
Necdum sedatis tranquillo tempore prorsus
Fluctibus æquoreis, naveis petit et mare transit.
Transitus ille tamen, misero nil profuit illi,
Occurente quidem Monomachi milite stratu
Occidit (46) et scelerum persolvit corpore pœnas.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

Argyrus Latii dimoto finibus hoste,
Vadit Idrontinam multis comitatus ad urbem.
Traditur urbs illi, cives hoc principe gaudent.
Hinc Barum repetens Gallos permittit abire :
Illi Guaymario vadunt servire Salernum,
Guaymarius princeps confisus viribus horum,
Hos secum Barum deducit et obsidet illud.
Imperat Argyro sibi pareat urbe relicta,
Transeat ad Græcos. Monitis parere monentis
Abnuit Argirous : confligere non tamen audens
Invalidus pugnæ se custodivit in urbe,
Depopulans agros et amœna novalia Bari :
Mœnia Guaymarius propriæ repedavit ad urbis.
Constantinus eo qui tempore jura regebat
Imperii, mandat properet quantocius ad se
Argyrus, jussis favet imperialibus ille
Æquoris Adriaci transvectus fluctibus urbem
Appetit imperii placidus, qui præsidet urbi
Suscipit egressum magnis et honoribus illum.
Promovet interea populus, quem rexerat ipse
Pars comiti Petro, pars est sociata Drogoni
Tancredi genito, modico quia vixerat ejus
Tempore germanus, vir ferrea dictus habere
Brachia Guilielmus, cui vivere si licuisset,
Nemo poeta suas posset depromere laudes.
Tanta fuit probitas animi, tam vivida virtus.
Unfredum totus cum fratre Drogone tremebat
Italiæ populus, quamvis tunc temporis esset
Ditior his Petrus consanguinitate propinquus :
Edidit hic Andrum fabricavit et inde Coretum,
Busilias, Barolum maris ædificavit in oris.
Fama super comites alios excreverat hujus,
Sed comes Unfredus cum fratre Drogone superbam
Deponunt mentem, quia dum certamen inire
Is parat, infelix felicia tempora perdens
Vincitur et capitur ; curru fortuna rotato
Tancredi natos sublimes reddere cœpit :
Imperii rector scrutatur præmemoratus
Argyrum, Gallos depellere qualiter oris
Italiæ valeat, neque ut [enim], jam, posse fugari

(43) Guilielmus Ferrabrachius Tancredi filius Leib.

(44) Guiscardum plures Erronem dixerunt, quod per terras vagus esset. At magis placet hæc denominatio nostroque usui propria. Nam et vulgo nostra etiam ætate cautum et astutum Guiscardum appellamus. Tirem.

Guiscardi cognomem prudentem notat ; Wys ; est sapiens ; et Wyssen scire. Editor Rothomag. observat Guishard suo tempore astutum vulgo significare. Ex Roberto Guiscardo, et Rogerio Tancredi Altavillæ in Gallia filiis stirps principum Normannorum in Italia propagata est. Leib.

(45) Forte legendum Tarum, qui fluvius est. Tirem.

Leibnit. legebat *Tarani*, sed servanda prima lectio.

(46) Maniacus isto in conflictu accepto vulnere in pectore ex equo prolapsus suo in sanguine occubuit. Tirem.

Comperit : Ergo alios molitus adire paratus
Consilii, quia quos fortes ad arma, nec armis
Vincendos novit, promissis fallere sperat;
Audit enim quia gens semper Normannica prona
Est ad avaritiam, plus qui plus præbet amatur.
Traditur Argyro portanda pecunia multa,
Argenti multum, pretiosaque vestis, et aurum,
Ut sic Normanni fallantur, et egredientes
Finibus Hesperiæ, propere mare transgrediantur,
Magna sub imperii famulamine promerituri.
Imperat hic etiam, quod si transire negarent;
Hæc aliis iblis quæ danda fuere darentur,
Opprimeret quorum gravis infestatio Gallos.
Paruit Argyrus, loca transit ad Appula, jussus
Francorum comites vocat, et se magna daturum
Munera promittit, si transgrediantur ad Argos.
Dimisso Latio, grave qui certamen habebant
Cum Persis, et eos jurans promittit ab illo
Qui regit imperium gratanter suscipiendos,
Et magnis opibus ditandos affore spondit.
Callida Græcorum promissio, calliditatem
Non latuit gentis Latium superare volentis,
Et dimissuros loca se non Appula dicunt,
Dum conquirantur, nisi forte potentior illis
Turba superveniens depellat, et opprimat illos.
Vir Leo (47) mirificus hac tempestate regebat
Romanam sedem, tanti gens Appula papæ
Audit ut adventum, varias deferre querelas
Cœpit, et accusat diverso crimine Gallos;
Veris commiscens fallacia nuntia mittit
Argyrus papæ, precibusque frequentibus illum
Obsecrat, Italiam quod libertate carentem
Liberet, ac populum discedere cogat iniquum,
Cujus pressa jugo pessumdatur Appula tellus.
Hoc Normannorum Drogo Gaymariusque priores
Tempore defuncti fuerant, a civibus alte
Et consanguineis occisus fraude Salerni;
Alter ab indigenis, nimium quia credulus illis,
Pontilari cæsus (48). Se gens rectore carentem
Gallica conqueritur, papæ tamen obvia venit
Cum quantis equitum valuit peditumque catervis;
Advenisse quidam Latii cum milite multo
Audierant papam, comitantibus hunc Alemannis
Innumeris (49) et Teutonicis, ad bella paratum.
Normanni licet insignes fulgentibus armis,
Agminibus tantis visis obstare timentes
Legatos mittunt qui pacis fœdera poscant,
Quique regent papam placidus famulamen eorum
Suscipiat; sese papæ parere paratos
Omnes testantur, non hunc offendere velle,
Ac quæsitorum cognoscere munus ab ipso.

A Si placet, hunc dominum poscunt sibi, seque fideles.
Teutonici, quia cæsaries et forma decoros
Fecerat egregie proceri corporis illos,
Corpora derident Normannica, quæ breviora
Esse videbantur, nec eorum nuntia curant,
Ut poto nec numero populi nec viribus æqui,
Conveniunt papam verbis animoque superbi :
Præcipe Normannis Italas dimittere terras,
Adjectis armis, patriosque revisere fines.
Quod si noluerint, nec fœdera pacis ab ipsis
Suscipias volumus, nec eorum nuntia cures;
Nondum sunt gladios experti Teutonicorum,
Intereant gladiis, aut compellantur abire.
Invitique solum, quod nolunt sponte, relinquant.
Papa, licet tumidis varia ratione renitens,
B Non animos gentis potuit sedare superbæ,
Spem dabat his Italæ fæx indignissima gentis,
Gens Marchana probis digne reprobata Latinis.
Cum plures Itali magna virtute redundent,
His erat innatus pavor, et fuga luxuriesque,
Teutonici populi non copia magna videtur.
Turbati redeunt Normanni, pace negata,
Atque Alemannorum responsa tumentia pandunt.
Tempus erat jam triticeis confine metendis
Frugibus; at virides nondum legere maniplos
Agricolæ, quos Francigenæ, quia pane carebant,
Igni torrebant et vescebantur adustis;
Talem degebant ob castra rebellia vitam,
Undique Teutonicis famulantia, nec sibi quidquam
Dantia, corporeæ vitæ quod postulat usus.
C Frater defuncto qui fratre Drogone superstes
Exstitit Unfredus (50) procerum de Francigenarum
Unus habebatur majoribus; inde Richardus
Aversa paulo ante comes delectus in urbe,
Paulisperque suos fratres erat ante secutus
Robertus, qui magnanima virtute priores
Transcendit fratres; hic bello interfuit illi.
Cognomen Guiscardus erat quia calliditatis
Non Cicero tantæ fuit, aut versutus Ulysses.
Inter eos aderant Petrus et Galterus, amici
Insignis soboles, simul Aureolanus, Ubertus
Muscaque Rainaldus, comes Hugo, comesque Gi-[rardus :
Hic Beneventanis prælatus, at hi Thelesinis.
Hos Bonianensis comitis comitata Rodulfi
Est virtus et consilio pollentis et armis.
D Vix proceres istos equites ter mille sequuntur,
Et pauci pedites, triduo quia panis egentes
Arma petunt, cuncti magis ut moriantur honeste
Bellando cupiunt, quam corpora tanta virorum
Opprimat esuries inhonestæ funere mortis.

(47) Leo papa nonus hujus nominis, anno salutis 1049, pontificatum iniit. Antea Bruno vocabatur, et Tullensis episcopus erat. Tirem.

Antea Bruno vocabatur, et Tullensis episcopus erat. Leib.

(48) Drogo dum dominii ampliationi studet, dum Apuliæ urbes munit, Longobardorum et Apulorum insidiis ad Montolium oppidum circumventus a Visone genere Apulo, proditione occiditur. Leibnit.

(49) Hi sunt Alemanni, quos Henricus secundus (tertius), Romanus imperator apud Vercellas præsidio Italiæ reliquerat. Tirem.

(50) Unfredus tertius ex Trezenda Tancredi conjuge filius. Tirem.

Gens Alemannorum, stipata satellite multo,
Longobardorum frustra confisa fugacis
Auxilio turbæ, Normannos terga daturos
Credebat primis conflictibus, aut perimendos.
At non in numero, nec equis, nec gente, nec armis,
Sed cui de cœlo datur est victoria belli.
Inter Teutonicos Normannorumque catervas
Collis erat medius, gens innumerabilis illi
Appula, Balbensis, Campanica, Marsa, Thelensis
Venerat auxilio; Guarnerus Teutonicorum
Albertusque duces non adduxere Suevos
Plus septingentos; hæc gens animosa feroces
Fert animos, sed equos adeo non ducere cauta,
Ictibus illorum quam lancea plus valet ensis;
Nam nec equus docte manibus gyratur eorum,
Nec validos ictus dat lancea, præminet ensis,
Sunt Etenim longi specialiter et peracuti
Illorum gladii, percussum a vestice corpus
Scindere sæpe solent, et firmo stant pede, post-[quam
Deponuntur equis, potius certando perire.
Quam dare terga volunt, magis hoc sunt Marte ti-[mendi
Quam dum sunt equites; tanta est audacia gentis,
Italiæ populo quæ se sociaverat. Illis
Germani comites præsunt, Transmundus et Atto,
Et Burrellina generata propagine proles.
Hi simul ad bellum properant campique marini
Accola Maldrefiis Molinensisque Rodulfi
Rofredus socer; hujus castrum Guardia nomen;
Et plures alii, quorum non nomina novi.
Huc quoque Romani, Samnites, et Capuani
Auxilium mittunt, nec opes Ancona negavit.
Huc Spoletini, simul accessere Sabini,
Huc quoque Firmani; non evalet enumerari
Carminibus nostris, quam multus venerit hostis,
Francigenæ gentis nomen delere laborans.
Hi cum Teutonicis ad ripam fluminis omnes,
Nomine Fertorii tentoria fixa locarant,
Proxima nomen habens erat urbs a civibus ipsis.
Postquam Normanni pacisque, fugæque negatam
Spem sibi cognoscunt, nil quo fugiatur habentes.
Collem conscendunt, ut castra hostilia spectent.
Spectatis castris, armantur, et agmine dextro
Aversanorum comitem statuere Richardum
Qui Longobardos adeat; prior hunc comitatur
Clara cohors equitum, mediæque cohortis agendæ
Unfredus contra fortes ad bella Suevos
Eligitur ductor; cornu servare sinistrum
Robertus frater Calabra cum gente jubetur,
Ut succurrendum cum viderit esse, paratus
Auxilio properet sociis, viresque reformet.
Teutonici dextrum contra duo cornua cornu.
Armarant. Itali simul omnes conglomerati
Parte alia stabant; etenim certamine belli
Non aptare suas acies recto ordine norant.
Hos contra cœpit prior arma movere Richardus,
Et petit audacter; non sustinuere petentem
Viribus aversis Itali, tremor arripit omnes.

A Inque fugam versi per plana, per ardua, cursim
Diffugiunt; multos cogit succumbere stratos
Impetus ipse fugæ; jaculis cæduntur et ense.
Qualiter aerias, ubi convenere palumbes,
Dum petit accipiter fugitivo summa volatu,
Et scopulosa facit celci juga quærere montis,
Quas tamen ipse capit, non possunt amplius ullum
Quærere confugium; sic dantes terga Richardus.
Diffugient Itali ; sed quos capit ipse, vel ipsi
Hærentes socii, fuga nil juvat : occidit illuc
Plurima gens Latii bello, pars maxima fugit.
Unfredi contra non segnis ad arma Suevi
Bella parant aciem, telis prior eminus illos
Appetit Unfredus, telis hostilibus ipse
Rursus et appetitur; tandem concurrit uterque
Ad gladios populus, mirabilis ictus utrinque
Fit gladiis, illic humanum a vertice corpus
B Vidisses, et equos hominis cum corpore cæsos.
Postquam Robertus fratri tam conspicit hostes
Acriter instantes, et ei nullatenus ullo
Cedere velle modo, comitis comitante Girardi
Præditus auxilio, Calabrisque sequentibus illum
Quos conducendi fuerat sibi tradita cura,
Irruit audacter medios animosus in hostes;
Cuspide perforat hos, gladio detruncat et illos,
Et validis manibus horrendos incutit ictus :
Pugnat utraque manu, nec lancea cassa, nec ensis
Cassus erat, quocumque manum deducere vellet;
Ter dejectus equo, ter viribus ipse resumptis
Major in arma redit, stimulos fur ipse ministrat,
Ut leo cum frendens animalia forte minora
Acriter invadit, si quid reperire, quod obstet,
C Cœperit, insanit; magis et majoribus ira
Accensa stimulat, nil jam dimittit inultum :
Hoc trahit, hoc mandit, quod mandi posse negatur,
Dissipat affligens pecus exitialiter omne :
Taliter obstantes diversa cæde Suevos
Cædere non cessat Rodbertus, et hos pede truncat,
Et manibus quosdam, caput huic cum corpore cæ-[dit,
Illius ventrem cum pectore dissecat, hujus
Transadigit costas abscisso vertice, magna
Corpora corporibus truncata minoribus æquat,
Virtutisque docet palmam non affore tantum
Corporibus magnis, qua sæpe minora redundant;
Nullus in hoc bello, sicuti post bella probatum est,
Victor vel victus tam magnos edidit ictus.
Patrata rediens ingenti cæde Richardus
D Ausoniæ gentis, cujus pars altera fugit,
Altera pars gladiis et cuspide cæsa remansit
Dum sic Teutonicos sociis obstare videret,
Proh dolor ! exclamat, quam credebamus adesse,
Finito bello, nondum victoria finem
Obtinet, et medios ruit incunctanter in hostes.
Hi, quia spes jam nulla fugæ, spes nulla salutis,
Acrius obsistunt, sed nil obsistere prodest :
Tot circumveniunt acies præclara Richardi
Addita victoris magnæ fit causa ruinæ
Hostibus, et miseri diversis interimuntur

Cœdibus, et tanta superest de gente nec unus
Exitus hic belli papam mœroribus implet,
Afflictusque gravi luctu confugit ad urbem;
Sed cives papam non excepere decenter,
Normannis veriti grave ne victoribus esset :
Hunc genibus flexis Normannica gens veneratur,
Deposcens veniam, curvatos papa benigne
Suscipit, oscula dant pedibus communiter omnes.
Vocibus ille piis hos admonet, ac benedicit,
Conquestusque nimis, quia pacis spreta fuere.
Nuntia, defunctis lacrymans pro fratribus orat.
Audito tantæ successu prosperitatis
Normannis habitæ, non sollicitudine parva
Angitur Argyrus; nec enim vel fraude, vel armis
Posse sibi peragi videt imperialia jussa,
Ut Francos Latio moveat, vel cogat abire.
Copia tanta quidem, quibus hi non Marte repugnent,
Non erat Argyro, nec eos promissa movere,
Ut fines alios peterent, vel dona valebant.
Hoc meditans Bari dimissa transfretat urbe.
Ad dominum rediit, populi responsa ferocis
Ordine cuncta refert, et belli gesta recentis
Contra Teutonicos; jam Constantinus amare
Desinit Argyrum, nec (ut ante solebat haberi)
Est jam consilii comes intimus imperialis.
Exsilium passus, longo post tempore vitam
Degit in ærumnis, et corporis anxietate
Vexatus misere vitam finisse refertur.
Crescit Normannis animus victoribus ingens,
Jamque rebellis eis urbs Appula nulla remansit.
Omnes se dedunt, aut vectigalia solvunt,
Tunc comes Unfredus fraterni funeris ultor
Funesto cunctos fuerant qui participati
Consilio, punit, hos truncat, perfodit illos,
Multos suspendit, memorata morte Drogonis
Parcere vult nulli; jacet alto pectore fixus,
Fraternæ mortis succensus fomite major.
Omnibus horrendus multas sibi subdidit urbes.
Solvere Trojani comiti cœpere tributum;
Hunc et Barini, Tranenses (51), et Venusini (52),
Cives Hydronti famulantur, et urbs Acceronti.
Roberto fratri Calabras acquirere terras
Concedit juvenis, patiens erat iste laboris,
Vir prudens, et habens ad quæque negotia promptas
Exercenda manus. Robertus et ingeniosus
Semper celsa petens, et laudis amans et honoris
Si contingebat sibi palma, vel arte, vel armis
Æque ducebat; quia quod violentia sæpe
Non explere potest, explet versutia mentis.
Clarus in eloquio dabat hic responsa repente
Optima, consultus si quis quærebat ab illo
Consilium, sapienter ei dare noverat illud.
Hic sibi concesso Calabrorum munere gaudet;
Secum nonnullos equites collegerat ante,
Qua poterat, sed præcipue regionibus illis

A Multiplicem prædam peragens, quas frater habebat.
Quodque capi poterat, dum dividit omnibus æque,
Omnes sunt chari sibi, charus et omnibus ipse;
Captus ab Unfredo secum prandente, volebat
In fratrem gladio consurgere, sed Gocelinus
Comprehensum manibus tenuit, custodibus inde
Traditur et multa non tempestate retentum
Dimisit frater, Calabræ regionis et urbes
Castraque concessit, equitum suffragia præbens.
Ille capessundæ cupidus telluris, amorem
Omnibus ostentat; non plus affabilis illo
Aut humilis quisquam studuit dominator haberi.
Undique gens clarum Normannica nomen habebat,
At non experti virtutem, nominis hujus
B Terrentur Calabri tanta feritate repleti.
Ad ducis ingressum Robertus milite fultus
Non modico, prædas, incendia jussit ubique
Terrarum fieri, quos appetit et spoliari,
Quodque metum incutiat cultoribus, omne patrari
Militibus remorans dimissis fratris abire,
Non multo Calabros, sed atroci milite vexat.
Qui cum discedens huc prædabundus et illuc
Non aliquod castrum posset captare vel urbem
Arte locum quemdam molitur adire, sed ejus
Difficilis conscensus erat, quia plurimus hujus
Accola grex habitans, etiam monasticus illic
Non alienigenam quemvis intrare sinebant.
Utile figmentum versutus adinvenit atque
Mandat defunctum quod quemlibet esse suorum
C Gens sua testetur, qui cum, quasi mortuus esset,
Impositus feretro, pannusque obducere cera
Illitus hunc facie jussus latitante fuisset,
Ut Normannorum velare cadavera mos est,
Conduntur feretro sub tergo corporis enses.
Ad monasterii subhumandum limina corpus
Fertur, et ignaros fraudis, quos fallere vivi
Non poterant homines, defuncti fictio fallit,
Dumque videretur simplex modus exsequiarum,
Erigitur subito qui credebatur humandus.
Evaginatis comitantes ensibus illum
Invasere loci deceptos arte colonos.
Quid facerent stolidi ? nec se defendere possunt,
Quo fugiant nec habent, omnes capiuntur; et illic
Præsidium castri primum, Roberte, locasti;
Non monasterii tamen est eversio facta,
D Non exstirpatus grex est monasticus inde.
Agmina magna legens castro Robertus in illo,
Charior esse suis cœpit, quia strenuus armis
Consilioque sagax comes hac regione vocatus
Est, et ab his habitus, præsertim quos comitati
Sunt equites aliquot, Torstenus dicitur unus,
Alter Arenga, valensque gerenda ad bella Rogerus.
Hic sibi concessæ quædam dedit oppida terræ,
Appulus hoc princeps infirmans tempore mandat.
Unfredus fratri veniat velociter ad se.

(51) Tranum urbs est Apuliæ, quam Colenutius putat olim Trajanopolim dictam fuisse. Tirem.

(52) Venusia Apulorum urbs est, et sæpe pro Venusinis Sabelli leguntur, quia pulsis Sabellis in loca vacua Venusini deducti sunt a Romanis. Tirem.

Robertus properat, fratrem dum conspicit ægrum
Compatiens plorat, solatia magna dat ægro
Adventus fratris, deposcit et advenientem,
Rector terrarum sit eo moriente suarum,
Et geniti tutor puerilis, quem vetat ætas
Rectorem fieri, frater favet anxius illi,
Et se facturum quæ præcipit omnia dicit.
Non infirma valens jam reddere membra saluti
Interit Unfredus (53), lacrymans Appulia tota
Flet patris interitum; patriæ pater ille benignus
Hanc placide rexit, vitam decoravit honestas :
Non studuit populum vexare tyrannide dira,
Justitiamque colens, quam lædere, parcere multis
Maluit offensis; fratres prope præmemoratos
Est monasterii Venusini sede sepultus.
Funeris obsequiis Robertus rite peractis
Ad Calabros rediit, Cariati protinus urbem.
Obsidet, hac capta reliquas ut terreat urbes.
Interea papæ Nicolai (54) forte secundi
Comperit adventum, dimittitur obsidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum.
Melfia suscipit hunc, et ibi susceptus honore
Magno papa fuit; hic ecclesiastica propter
Ad partes illas tractanda negotia venit.
Namque sacerdotes, levitæ, clericus omnis
Hac regione palam se conjugio sociabant ;
Concilium celebrans ibi papa (55), faventibus illi
Præsulibus centum jus ad synodale vocatis,
Ferre sacerdotes monet altarisque ministros
Arma pudicitiæ; vocat hos, et præcipit esse
Ecclesiæ sponsos, quia non est jure sacerdos
Luxuriæ cultor; sic exstirpavit ab illis
Partibus uxores omnino presbyterorum,
Spretores minitans anathemate percutiendos.
Finita synodo, multorum papa rogatu
Robertum donat Nicolaus (56) honore ducali.
Hic comitum solus concesso jure ducatus
Est papæ factus jurando jure fidelis.
Unde sibi Calaber concessus et Appulus omnis
Est locus, et Latio patriæ dominatio gentis.
Romam papa redit, cum magno dux equitatu
Obsessum repetit Cariatum, quo sibi fida
Maxima pars equitum dimissa remanserat ante :
Gens Cariatensis, duce perturbata reverso,
Non obstare valens, illi se dedit, et urbem ;
Prima ducem vocat hunc gens ista ducemque sa-
[lutat
Partibus in Calabris, hinc ad loca cætera transit.
Tunc Rossana potens, Cossentia fortis in armis (57),
Tum quoque dives opum Geracia subditur illi,
Et subjecta illi fit pene Calabria tota :
Cumque potentatus cœpisset crescere nomen

A Virtutisque suæ, legatos mittere cœpit,
Qui sua deferrent generoso verba Gisulpho
Guaymarii genito, germanæ nobile poscens
Conjugium, quia conjugio tunc ipse carebat,
Prima conjuge (58) pro consanguinitate repulsa,
De qua natus erat Buamundus, strenua proles, (59)
Insignis nimia virtute potensque futurus.
Primo Roberti sprevit mandata Gisulphus,
Non quod majori posset, vel nobiliori
Consociare viro germanam, sed quia Galli
Esse videbantur gens effera, barbara, dira,
Mentis inhumanæ primoque repulsio facta
Conjugis, alterius producit tempora dandæ
Assentit tandem princeps, natuque priorem
Tradit in uxorem tibi, dux Roberte, sororem.
B Gatelerina minor, hæc Sichelgata (60) vocatur,
Nupsit Jordani post Gatelerina nepoti,
Qui Capuæ princeps utriusque ducisque patrisque
Virtutes animi virtutibus æquiparavit.
Conjugio ducto tam magnæ nobilitatis,
Augeri cœpit Roberti nobile nomen ;
Et gens quæ quondam servire coacta solebat
Obsequio solum jam debita juris aviti,
Nam proavis et avis subjectam conjugis hujus
Noverat Italiam gens Longobarda fuisse.
Dedit hæc pueros sibi tres, et quinque puellas
Egregiam sobolem sexus utriusque futuram.
Gloria Roberti, quæ tanta augmenta subire
Cœperat, invidiam, laus unde adhibenda fuisset,
Non modicam acquirit, quia dum virtutibus ejus
Invidere viri, comites a plebe vocati
C Qui numero bis sex fuerant, communiter illum
Morti tradendum conjuravere dolose ;
Tempus ad hoc aptum fieri cum forte viderent :
Horum Goffridus, Gocelinus et Abagelardus
Filius Unfredis, sibi jura paterna reposcens
Præcipui fuerant actores consiliorum.
Dux igitur postquam sibi conjuratio nota
Facta fuit comitum, bellum molitur, in omnes
Acriter exarsit, capit hos, et projicit illos ;
Afflixit variis quorumdam corpora pœnis.
Iratum metuens fugit Gocelinus ad Argos.
Pelusii montis castrum pavefactus adire
Goffridus prosperat dux ; quod non evalet armis,
Arte capit castrum, promissis decipit hujus
Custodem castri Godefridum, dans sibi quædam,
D Pluraque pollicitus castrumque valentius ipso.
Pelusii montis dominatio non Godefridi
Ex toto fuerat ; mediam concesserat illi
Goffridus partem sed dux, quia nobilioris
Castelli totum promiserat huic dominatum,
Scilicet Ojani, solus cupiens dominari,

(53) Unfredi obitus circiter annum salutis 1052. Leib.

(54) Nicolaus papa hujus nominis secundus natione Allobrox erat, Gerardus antea vocatus ; creatus fuit pontifex summus anno Christi 1059. Tirem.

(55) Verius Calixto et Gregorio id attribuitur. c. presbyteri 27, dist. c. Nullum ; dist. 28 Tirem.

(56) Robertus a Nicolao II pontifice dux Calabriæ et Apuliæ creatur. Tirem.

(57) Hæ sunt in Calabria urbes vicinæ. Tirem.

(58) Cujus nomen Abderada erat. Leib.

(59) Et uxore priori, cui Abderada nomen erat. Tirem.

(60) Alii sengregaita. Leib.

Mandat Roberto desistat ab obsidione,
Dissimulans reditum; sed mox ut novit abesse
Goffredum, redeat castrum securus et intret,
Clavibus acceptis, Ojanum conferat illi;
Hac illi castrum Godefredus tradidit arte.
Accipit Ojanum, sed quis post crederet illi?
Traditor est Latii populo vocitatus ab omni.
Sic ducis astuti prudentia quod superare
Non armis potuit, superavit sæpius arte.
Hostibus edomitis et captis undique castris,
Contra Barensem populum parat obsidionem.
Appula nulla erat urbs quam non opulentia Bari
Vinceret: hanc opibus ditatam robore plenam
Obsidet, ut, victis tantæ primatibus urbis,
Nondum subjectas repleat terrore minores
Urbibus illa quidem, quas continet Appula tellus,
Major habebatur, dux munit milite castra,
Atque replet Calabris advectis navibus æquor.
Imperii sancti cives suffragia poscunt,
Qui conjurati fuerant cum civibus illuc
Legatos mittunt, simul imperiale juvamen
Omnes deposcunt, dux mandat civibus ædes
Argyri sibi dent, quas noverat editiores
Contiguis domibus; quas sic conscendit adeptus,
Urbem Robertus totam sibi subdere sperat.
Barenses austera duci responsa dederunt.
Ille repugnantes oppugnat fortiter urbis
Indigenas validos, non ad certamina segnes.
Ad portarum aditus crates prudenter adorsus,
Sub quibus armatos obstantibus insidiantes
Ordinat, et turrim fabricat, quæ lignea muris
Prominet, ac juxta de quaque petraria (61) parte
Ponit, et adjuncto muros quo evertere possit
Diversi generis tormento, nec minus urbem
Cives defendunt, non inter mœnia clausi
Cum duce pugnantes astant pro mœnibus urbis,
Hos pugnando fugant, prosternunt ictibus illos,
Ut mos est belli; fugat hostis et hoste fugatur:
Et petit et petitur, repetens ferit et referitur.
Ut duo cum certant productis dentibus apri,
Alter ab alterius profunditur ore saliva
Dentes exacuens, ut acutos inferat ictus,
Ictibus et validis feriunt sua terga vicissim,
Nunc pede, nunc costis læduntur, uterque resistit
Acriter, et neuter vult cedere, saucia donec
Membra fatigatum fusis clamoribus, aprum
Velle subire fugam doceat, victusque recedat.
Acriter insistunt Normanni, nec minus acres
Obsistunt cives, diversaque machina muris
Additur, eversis ut mœnibus urbis apertæ
Normannis aditus pateat,, quem clausa negabat
Undique septa mari, quod non est insula, terræ
Exiguæ diodus; ex hac tentoria parte
A Fixa ducis fuerant. Objectis molibus æquor
Parte replens alia naves prodire vetabat
Barinas, portumque suis pontemque paravit;
Atque super pontem posito munimine terris
Urbanis nusquam prodire licebat ab urbe,
Tutaque servabat classis Normannica portum.
At cives turrim capiunt, et maxima pontis
Æquorei cecidit pars, evertentibus illis;
Urbem Barenses terraque marique tuentur.
Post ubi Robertus desperat mœnia Bari
Posse capi pugna, cœpit promittere multa
Nobilibus patriæ, quorum pollebat in urbe
Nobilitas potius, quorumque potentia major.
Et sic collectis majoribus, alliciendos
Promissis credit fore muneribusque minores;
Sæpe minas faciens ut civibus incuteretur
Terror, et omnimodis pro deditione laborat
B Urbis, cujus erat capiendæ magna libido.
Venturum auxilio Gocelinum fama ferebat,
Multis imperii cum navibus; ad capiendum
Exploratores posuit dux callidus illum.
Prætor erat Stephanus Barensibus imperiali
Traditus edicto, cognonem cui Pateranus (62),
Vir probus et largus, studio laudabilis omni,
Præterquod tanti studuit ducis edere mortem.
Miles erat Bari, cui dedecus a duce quondam
Illatum fuerat grave, partibus ex alienis
Promptus ad omne malum, levis, iracundus et audax;
Castra ducis Stephanus monet hunc solenter adire,
Incautumque ducem nocturno tempore, morti
Tradere lethiferi percussum cuspide conti,
Sollicitus multum, si dux occumberet, auri.
Dedecoris memor illati, cupidusque lucrandi
Miles abit noctu, circumspicit undique castra,
Nil obstare videt, Roberti pervenit usque
C Ad ducis hospitium, quod culmo texerat ipse,
Frondibus et sepsit, fieret quo frigore tutus
Temporis hiberni: cœnatum vespere facto
Venerat, explorat ducis ille sedile sedentis
Ad cœnam, mediis et contum frondibus illam
Intulit in partrem qua sederat ille; sed ori
Flegmatis ubertas superaddita fecerat illum
Sub mensa curvare caput (63), locus unde repertus
Est conto vacuus, cassos et protulit ictus.
Ille redit fugiens, it totam fama per urbem
Occubuisse ducem; cives lætantur et omnes,
Congaudens populus clamorem tollit ad astra
Hi dum clamarent, dux advenit, atque saluti
Ipse suæ testis, clamores fundere frustra
Civibus exclamat; clamantis vocibus hujus
Auditis, clamor cessavit, lætitiæque
Finis verborum datus est cum fine suorum.
D

(61) *Petraria*, tormenti genus. Leib.
(62) Stephanus Pateranus, quem alii. Sebastoforum appellant. Tirem.
(63) Obdormivit Appulus, Tirem.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Interea Michael (64) Romani jura regebat
Imperii cum fratre suo, qui nomine dictus
Constantinus (65) erat, quorum dominatio Græcis
Perniciosa fuit, quia bellis otia semper
Postpositis studuere sequi, luxusque dolosi
Illecebris captos fœdarat inertia turpis.
Horum temporibus Turcos Orientis ab oris
Ingressos fugit gens territa Christicolarum,
Qui Romaniæ loca deliciosa colebant.
Maxima pars horum ruit interfecta nefandis
Turcorum gladiis, et captis urbibus, omnis
Subditus his populus dans vectigalia fugit.
Hos contra nullos equites ignavia misit
Rectorum, quare decreto nupta senatus
Est equiti egregio Romano mater eorum (66);
Pectus amans plusquam genus Eudochia mariti,
Diogenes (67) cognomen erat, quia barba bifurcis.
Is regimen subiens sibi quæque negotia belli,
Otia privignis, elegit inire paratus
Cum Persis bellum miseros populantibus Argos;
Est belli variis eventibus usus in illos.
Sæpe quidem victor Persas bellando fugavit,
Sæpe pari populus fortuna pugnat uterque.
Postremo comites dum dirigit ipse tuendis
Urbibus innumeros, quarum famulatus ad ipsum,
Transierat fama probitatis ubique probatæ,
Castris cum paucis melioribus ipse remansit.
Multus Persarum populus cum rege repente
Illum conclusit, disrumpere castra laborans;
Prælia committunt immania, dum capiendis
Imperii castris inhiant, primo atque secundo
Depulsi cedunt bello. Prudentia tandem,
Anxia Romani desperans castra tueri,
Quam sibi plus hominum vitæ studiosa suorum
Quos graviter fessos belloque fameque videbat
Præcipit ut quidquid castris inerat solidorum,
Omnis vestitus pretiosus, et omnia vasa
Auri aut argenti castris spargenda ferantur
Ut si contigerit Turcis irrumpere castra
Horum prospectu desistant lædere Græcos.
Invita profugis collecta pecunia servis,
Insomnem Danai coguntur ducere noctem.
Adveniente die venit innumerabilis ille
Persarum populus, circumdans undique castra;
Undique tela volant, circumtegit aera totum
Grando sagittarum; non ferre valentibus Argis
Irrumpunt Turci, munitio rumpitur omnis
Sed plures prædæ quam militibus feriendis

A Intenti Persæ faciunt evadere multos.
Indiciis Aquilæ (quod plus dabat omnibus armis
Aurea conspicuum loricæ innixa nitorem)
Græcorum dominus cognoscitur, ense recidens
Hostiles hastas, neque se defendere cessans.
Forte sagitta volans incauti sauciat artus.
Sic tandem capitur quadam cum parte suorum.
Direptis castris Romanum Persica ducit
Ad sua castra phalanx, et eum statuere sedili
Egregio, juxta Persarum rege sedente.
Rex percontatur, si forte fuisset ab illo
Captus, quid faceret. Romanus retulit illi:
Si mihi sive meis ita subjiceerere, juberem
Vel truncare caput, vel te suspendere furcis.
Ille refert facinus nunquam sibi tale patrandum,
B Sed secum posthac fruiturum pace perenni
Quam per legatos jam sæpe poposcerat ipse,
Et baptizatam natam pro conjuge natam
Se concessurum, quo sic pax firmior esset.
Fœderibus tali firmatis conditione
Ad sua Romanum dans maxima dona remisit
Persarum rector captos, et reddidit omnes
Longo terrarum spatio comitatus euntes
Duxit honorifice, ductum permisit abire.
Sed non privignis firmatæ commoda pacis
Conditio placuit, minus ad tutanda peritis
Agmina Græcorum, nec enim decernitur ultra
Arcis ad augustæ Romanus jura redire.
Hos ubi Diogenes factos sibi comperit hostes,
Auxilio fisus Persarum tentat in illos
C Civilis belli varios agitare paratus.
Privigni se non obsistere posse videntes,
Illum conantur seducere pace dolosa.
Ignari fraudis portantes nuntia pacis,
Bis sex pontifices mittuntur cum Gocelino,
Cujus Romanus toties expertus amorem
Non dubitabat ei se credere sicut amico.
Credit Romanus pastoribus et Gocelino,
Securus factus jurando jure, fideque,
Ut petit ipse, data, misero placet imperialis
Incassum reditus, quia mox ubi pervenit ille
Heracleam, capitur, privatur lumine captus;
Cujus et imperii fuerat tam nobile nomen,
Monachus efficitur; securi jam duo fratres
Regni tranquillis agitant moderamen habenis.
D Non tamen omnino sua restat inulta tyrannis,
Namque sibi socios Romani filius addens
Armenios, Persas, terras Orientis eorum

(64) Michael Senior Constantinopolitanus imperator 1058, et eo imperium abdicante Isaacius Commenus obtinuit. Leib.

(65) Constantinus Ducas Const. imp. anno salutis 1063, an. 7. regnavit. Huic Eudochia tres liberos peperit, Michaelem, Andronicum, et Constantinum, illos ante, hunc post adeptum imperium. Ita de Michaele Const. Duca filio intelligendus est hic locus. Tirem.

Michael et Constantinus hic intelliguntur ab auctore. Leib.

(66) Eudochia una cum liberis imperavit anno salutis 1070. mens. 7. Leib.

(67) Romanus Diogenes 1071, annis 3, ex Biblianadro. Alii autem initium imperii referunt ad annum salutis 1068, Diogeni Constant. Ducam in imperium præponentes Tirem.

Subtrahit imperio, ferro populatus et igni.
Tempore Persarum gens perfida cœpit ab illo
In Romaniam consurgere cæde, rapinis;
Imperii nec adhuc redigi sub jura valeret
Gens, nisi Gallorum, quæ gente potentior omni
Viribus armorum nutu stimulata Superno
Hanc libertati superato redderet hoste,
Quæ spirante Deo sanctas aperire sepulcri
Est animata vias longo jam tempore clausas.
Consiliis quorum fuit excæcatio tanti
Perpetrata viri, miseri capiuntur, et aula
Depulsi meritas coguntur solvere pœnas;
Hi quibus insontem puniri consuluerunt
Puniri, sontes vario cruciamine mandant.
Nuntius imperio Bari legatus ad urbem
Supplicat ut miseris jam civibus auxilietur.
Piratis aptæ naves ex more parantur,
In quibus efferri frumenta jubentur et arma,
Classe quibus tuta transiri possit ad urbem,
Nautarumque metus pellatur et urbis egestas.
Navibus his jussu præponitur imperiali,
Quem ducis Italia timor expulerat, Gocelinus,
Exosus fuerat, quia conjuratus in ipsum,
Navibus armatis celer advenit, ut tremebundos
Hortetur cives. Et erat jam proximus urbi,
Ingressum sperans nocturno tempore tutum,
Cum subito Danaum classi venit obvia classis
Roberti, cujus reparare advenerat hostes,
Nocte ducis pugnam naves inierc libenter
Esse sibi levius loca cognoscentibus illis;
Certamen gravius, minime quia gnara locorum
Gens erat illa rate. Multo superata labore
Postremo capitur Gocelini navis, et ipse
Ante ducem captus deducitur; altera navis
Mersa fuit Danaum; vix evasere sequentes.
Gens Normannorum navalis nescia belli,
Hactenus ut victrix rediit, spem principis auget:
Sensit enim Danaos non tantum civibus urbis
Præsidii ratibus vexisse quod obsidionem
Impediat multum simul et novitate triumphi
Æquorei gaudet; securius unde subire
Jam cum Normannis navalia prælia sperat.
Inclusus longo Gocelinus carcere degens
Vitam infelicem, vitæ cum fine laborum
Excepit finem, diversa pericula passus.
Tertius obsessa jam venerat annus ab urbe
Multiplici tandem superatur fessa labore;
Plus tamen esurie. Tunc Argiritius urbis
Primus habebatur, quem dux ubi deditionem
Urbis inire facit, reliquos non ardua cives
Vincere pœna fuit; majores namque minorum
Ad quam corda volunt partem deflectere possunt.
A Civibus exhibuit placidum Robertus amorem,
Et quia dilectos sibi quos allexerat omnes
Semper habebat, erat dilectus ab omnibus ipse.
Plurima, quæ fuerant vel vi subtracta vel astu,
Reddidit urbanis dux agros, prædia, fundos;
Perdita restituit; nil civibus intulit ipse,
Nil alios permisit eis inferre molestum,
Et circumpositis solitos deferre tributum
Normannis donat jam libertate quieta.
Canitiem Stephani (68) tractare misertus, ut hosti
Noluit, imo suæ de qua tractaverat ille
Oblitus cædis, studet hunc tractare benigne.
Cum Baro captum, multis mirantibus Argis,
Hunc impunitum custodia libera servat.
Perque dies aliquot hac victor in urbe moratus
B Mandat cum sumptu Barensibus arma parari,
Ut properent secum quo se properare videbunt.
Hos cum gente sua reginam (69) ducit ad urbem.
Piscem fama refert a littore non procul esse,
Fluctibus Adriacis horrendo corpore magnum,
Forma incredibili, qualem non viderat ante
Italiæ populus; quem verni temporis aura
Propter aquas dulces properare coegerat illuc.
Per varias artes ducis hunc prudentia cœpit,
Qui cum delabens in retia funiculosa
Retibus innexo cuncto cum pondere ferri,
Ille maris mersus mersis, sed adusque profundum
A nautis tandem vario jam culmine cæsus,
Littore vix tractus populo spectabile monstrum
Cernitur, inde ducis jussu per frusta secatur.
C Unde sibi atque suis longus datur usus edendi,
Et populo Calabris quicunque manebat in oris,
Hoc etiam passim gens Appula participatur:
Os spinæ sectum palmorum quatuor orbe
Mensuram obtinuit; paulo post inde moratus
Dux ibi Robertus reginam tendit ab urbem:
Dumque; moratur ibi, pons est quia conditus unus.
Pons modo Guiscardi totus locus ille vocatur.
Actu Barenses hujus præcepta secuti,
Quæque paranda parat reginæ mœnibus urbis.
Dux ibi militibus sumptis, ratibusque paratis,
Transvehitur Siculum multis comitantibus æquor.
Quod licet angustum tamen est grave prætereundum
Scylla (70), Carybdis (71), ibi diversa pericula præbent
Uno rotat naves, illidit et altera saxis.
Partibus in Siculis conserta juvamina fratris
D Jam conquisitis ex magna parte Rogeri
Spem ducis accumulant, erat hac ætate Rogerus
Non virtute minor, nullus de fratribus ejus
Quamlibet egregius iniit tam nobile bellum (72).
Nam contra Siculos divini nominis hostes
Semper pugnavit, sanctam qua vivimus omnes

(68) De Stephano Paterano vide supra lib. I.
(69) Regina urbs in Calabria. Tirem.
(70) Scylla proxima est Peloro promontorio, ubi oppidum Sciglum Scilæum a Plinio appellatum. Tirem.
(71) Charybdis verticosum mare Galofarus quasi Calofanos a nostris nuncupatum; ibi enim faces necto accenduntur nautis portum petentibus signum utrumque navigiis exitio. Tirem.
(72) Rogerus Bossus ex filiis Tancredi minor, in Siciliam a Messanensibus evocatus, Sarracenos ad Messanam bis fudit, et superavit, et tantem eam cepit. Leib.

Exaltare fidem cupiens, operamque juventus
Hanc sua præcipue coluit, dum digna quietis
Causa suæ fieret Siculæ subjectio gentis.
Hoc sibi dux socio confisus et agmine multo
Secum deducto non obsidione (73) Panormum
Vincere desperat, Siculis quam nobiliorem
Urbibus audierat. Roberti milite multo
Urbs vallata pavet, muros turresque reformant,
Arma virosque parant, detecta foramina claudunt,
Ponitur et vigilum custodia crebra per urbem.
Dux jubet armatos equites accedere portis
Ut sic incluso ad pugnam provocet hostes:
Omne, quod incutiat pœnam pariterque laborem,
Civibus inferri versuta potentia mandat.
Procedunt portis Siculi non stare ferentes,
Egressique foras audaci mente repugnant:
Verum Normannos nequeunt tolerare feroces
Cultores Christi, dum gens Agarena resistit,
Non perferre valet; fugiunt, nostrique sequuntur
Multos prosternunt gladiis, et cuspide multos,
Mœnibus e summis; volat undique missile telum.
Saxaque cum pilis jacentia lædere tentant
Corpora nostrorum; nostri vi mœnibus urbis
Hos impellentes læti sua castra requirunt.
Inde Panormenses Afros accire laborant
Auxilio, quorum sibi viribus associatis,
Quod non sunt ausi terra committere bellum
Commisere mari; bellantibus hoc elementum
Commodius credunt; instructis ergo carinis
Erigit ut belli navalis rite paratus,
Proque repellendis saxorum vel jaculorum
Ictibus, obtectis rubicundis undique philtris,
Ad pugnam veniunt sub conditione virili,
Ut quo jure viri vel vivant vel moriantur.
Mandat Normannis, Calabris, Barensibus, Argis
Dux a se captis muniri corpore Christi;
Quo jubet accepto cum sanguine bella subire.
Tali tuta cibo procedit turba fidelis
Navibus aptatis quo prævaluere paratus.
Perfida gens totam lituis sonituque tubarum,
Magnarumque replet vocum clamoribus æquor.
Christicolæ contra suffragia sola petentes
Principis æterni, cujus sunt carne refecti,
Nullo terruntur clangore, sed acriter illis
Obstant, et feriunt quassantque viriliter hostes.
Principio naves Afræ Siculæque resistunt,
Nutu divino tandem cessere coactæ,
Cumque fugam peterent, aliquot capiuntur earum:
Quædam submersæ perenit, pleræque frequenti
Remorum ductu vix evasere fugaces,
Dum portum subeunt, mox opposuere catenas,
Cum quibus æquoreos aditus prohibere solebant.
His etiam fractis quasdam de navibus horum
Christicolæ capiunt, flammis plerasque perurunt:
Dat validas animo ducis hæc victoria vires.
Hinc pervadendam solers intentus ad urbem
Molitur variis conatibus ut capiatur.

A Muniri pedites fundis facit atque sagittis
Armatos equites secum procedere jussit.
Accedunt muro pedites, et mœnia saxis
Ac telis quatiunt; egressus iniquus ab urbe
Obstat eis populus, quem non perferre valentes
Diffugiunt pedites, quos dux ut cedere vidit
Diffusos campis, legiones protinus omnes
Bella dato signo monet incunctanter adire,
Voce manuque suos sicut dux strenuus hortans;
Paulisper Siculi, commisto Marte morati,
Ad ducis aspectum tremefacti terga dederunt.
Dux ferit, atque suos hortatur terga ferire
Perversæ gentis, nec cædere desinit hostes,
Adversæ portas dum perveniatur ad urbis.
Gens comitata ducem diversis sauciat hostem
B Vulneribus, quosdam gladiis, et cuspide quosdam,
Multos fundali jactu, plerosque sagittis;
Unde supergrediens cæsorum corpora, tentat
Cum Siculis porta fugientibus urbis adire,
Ut finem tanto præberet capta labori.
Sed cives portis adhibent dum claustra seratis
Non modicam partem foris exclusere suorum:
Impetus hostilis tantis terroribus urbem
Implet ut exclusos cædi permiserit omnes.
Robertus quanquam longo certamine vidit
Diffisos equites, cœptis insistere poscit:
Virtus vestra, viri, varios experta labores
Vel modo laudis, ait, vel erit modo digna repulsæ.
Urbs inimica Deo, divini nescia cultus,
Subdita dæmonibus, veteri spoliata vigore,
Jam quasi fracta tremit; si vos instare potenter
C Viderit, obstandi nullos meditabitur ausus:
At si deficitis, cras viribus hæc reparatis,
Acrius obstabit; dum tempus adesse videtis,
Currite, dura capi, Christo miserante, patebit:
Difficilem quamvis facilem facit ipse laborem,
Hoc duce confisi bellis imponite finem,
Atque invadendam cuncti properemus ad urbem.
His animat dictis Robertus corda suorum.
Ascensis scalis properant conscendere muros,
Seque voluntati promptos ducis affore spondent.
Sic auriga bonus, veloces cedere cursu
Dum cognoscit equos, parcit, patiturque morari,
Inde reformatos reparatis flatibus ire
Cœptum cogit iter, stimulisque frequentibus urget,
Dum cursum peragant, et eos præcedere victi
D Vincere qui soleant, cauto ducente magistro.
Dux ubi persensit capiendis mœnibus omnes
Insudare suos, insudat et ipse ferendis
Sollicitus scalis; ut progrediantur ad alta
Præcipit inde suis. Illi conscendere muros
Unanimes properant; e contra tota Panormi
Gens astat muris per propugnacula sparsa
Unus utrique labor populo, diversa sed illis
Causa fuit; cupit hic urbem capere, ille tueri;
Altera pars pro se, pro natis, conjuge constat;
Altera grata duci fieri studet urbe subacta.

(73) Panormo, vetustissima civitas in Sicilia, ubi reges coronas aureas accipere consueverunt. In illius templo maximo reges et episcopi Siciliæ sepeliuntur; privatorum autem nemo. TIREM.

Dum tanto populus confligit uterque labore,
Prospera Roberto fuit et miserabilis urbi
Actio fortunæ, subito quia cœtus equestris
Egressus, scalis murorum dum petit alta,
Propugnatores Siculi dant terga frementes,
Urbe nova capta veteri clauduntur in urbe.
Gens Agarena videns se viribus omnibus esse
Exutam, tota spe deficiente salutis,
Suppliciter poscit, miseros miseratus ut ejus
Respiciat casus, neque dux condigna rependat;
Cuncta duci dedunt, se tantum vivere poscunt.
Deditione sui facta meruere favorem
Exorare ducis placidi. (74) Promittitur illis
Gratis cum vita; nullum proscribere curat;
Observansque fidem promissi, lædere nullum,
Quemvis gentiles essent, molitur eorum;
Omnes subjectos sibi lance examinat æqua,
Glorificansque Deum templi destruxit iniqui
Omnes structuras, et qua muscheta solebat
Esse prius, matris fabricavit Virginis aulam,
Et quæ Machamati fuerat cum dæmone sedes,
Sedes facta Dei, fit dignis janua cœli.
Munia castrorum fecit robusta parari,
Tuta quibus contra Siculos sua turba maneret
Addidit et puteos alimentaque commoda castris:
Obsidibus sumptis aliquot castrisque paratis.
Reginam remeat Robertus victor ad urbem,
Nominis ejusdem quodam remanente Panormi
Milite, qui Siculis datur amiratus haberi:
Omnes cum Stephano Paterano protinus Argos
Qui Bari fuerant capti permisit abire:
Sic impunitos quia dux placidissimus hostes
Dimittebat, eis ut amantibus ipse placebat:
Barinis, Calabris dux, obsidibusque Panormi.
Militibus suis vadit comitatus ad urbis
Mœnia Melfensis; caput hæc erat urbibus illis
Omnibus, est et adhuc quas continet Appula tellus.
Illius comites regionis, et undique clari
Confluxere viri, vult quisque revisere tanti
Principis aspectum; Petro genitore creatus
Prædicto solus Petrus huc accedere sprevit.
Hujus defuncto Goffrido fratre priori
Jus patrium manibus successerat, atque nepotum,
Donec provectus soboles fraterna Richardus
Esset ad ætatem dominandi legibus aptam.
Dux Petro suspectus erat, quia prorsus eunti
Ad fines Seulos vires adhibere negarat.
Dux tamen ablata formidine convocat illum
Et sibi concessum dicens a fratre Tarentum
Fraterni repetit jus muneris; ipse negavit
Reddere quæ fuerant armis superata paternis.
Hac gravis inter eos oritur dissensio causa.
Ac veniens Andrum varios ad bella paratus
Cœpit inire Petrus: nova præcipit arma parari.
Auget militiam, suffragia poscit, ubique
Quæque sui juris servari tuta laborat.
Interea Tranum præclari nominis urbem
A Divitiis, armis, et multa gente repletam
Obsidione parat dux subdere. Petrus ad urbem
Electos bis sex equites agit, ut sibi cives
Alhæreret monitis, confortarentur et ejus
Aspectu viso; quidam sua verba loquendo
Protrahit in longum, subito Robertus et ejus
Diffusus campis apparuit undique miles.
Obsessi cives decies jam quinque diebus
Convenere Petrum simul intra mœnia clausum:
Orant ut faveat comes urbis deditioni;
Damna quidem nequeunt perferre diutius urbis
Hic primo fieri nimio mœrore gravatus
Ille negat, tandem lacrymans, cogentibus illis,
Poscit cum sociis ut liber abire sinatur;
Sicque duci fieri concessit deditionem.
A duce non patitur discedens urbe videri;
Atque ducem voluit nullatenus ipse videre,
B Tam ducis horrendum ducebat cernere vultum,
Trani cujus erat laus clarior urbe recepta
Se Juvenacenses dedunt, et Buxilienses
Buxiliæ Petri fuerant Juvenacus Amici,
Cui palatinus Petri pater exstitit; hunc, quia fratri
Contulit auxilium, dux oderat, et quia fines
Dalmaticos sine velle suo tentavit adire.
His dux expertis, cupiens sibi subdere Petrum
Obsidione parat circumvallare Coretum.
Petrus, ut hunc audit castrum circumdare castris,
Non audens armis contendere, mœnibus Andri
Excipitur tutus; qui dum prodisset ab Andro,
Tranensi prædam deferre profectus ab urbe,
Atque equites essent decies hunc quinque secuti
Quando quater denos equites induxerat urbi.
Ex ducis edicto germanus conjugis ejus
Egreditur subito diffuso milite campis;
Inde Petrum capiunt, et se prius inficiatum
C Præsentare duci vel præsentare coactum;
Imposuit finem ducis hæc captura labori.
Sed tandem fidei jurando jure ligatus
Solvitur, et recipit quæ perdidit omnia Petrus:
Liber abit, solo Trani privatus hosti (75)
Interea ducis egregii populosa frequenter
Poscit Amalfis opem, cui vectigalia dudum
Annua detulerat minis impugnante Gisulfo,
Semper turbatam terraque marique reclamans.
Robertus questu populi stimulante Gisulfo
Mandat Amalficolas cesset vexare tributum
Ferre sibi solitos, veteris corrumpere nolit
Fœdus amicitiæ, cessare sororius illum
Cogat amor, meritasque vices se reddere spondet.
Hæc sibi legatis mandata ferentibus, ille
Dicta superba refert, negat esse sua fruiturum
Pace ducem, nisi digna sibi famula mina solvat.
D Non perferre valens tanti responsa tumoris
Fervidus innumera comitatus gente Salernum
Dux adit, et terræ parat et maris obsidionem.
Quartus erat mensis completus ab obsidione:
Tanta fames miseræ cives invaserat urbis
Ut canibus, vel equis, vel muribus, aut asinorum

(74 Panormus capta anno salutis 1071.

(75) Lege *honore*. Ita certe infra Gisulfus dicitur *spoliatus honore Salerni*. Leib.

Turba cadaveribus vix vivere posset edendo
Egressus quidam patre civis in urbe relicto
In castris aderat; canis hunc rimata sagaci
Nare petit, laribus fuerat quæ fota paternis.
Huic debat ille cibos, et postquam sufficienti
Pasta cibo fuerat, circa præcordia quosdam
Apposite sacco panes inferre solebat,
Quorum commoditas vitæ foret apta diurnæ.
Hos celeri cursu rediens (mirabile dictu!)
Et nusquam remorans canis ad sua tecta ferebat,
Sic alimenta sagax dominoque sibique parabat.
Esuriem tantam quidam non ferre valentes
Egressi cives octavi tempore mensis
Interrupta duci Roberto mœnia pandunt,
Aptior ingressus potuit qua parte videri.
Terruit urbs animum Roberto capta Gisulphi;
Conscendit turrim, quæ facta cacumine montis
Præminet urbanis; natura cujus et arte
Est gravis accessus, non hac munitior arce
Omnibus Italiæ regionibus ulla videtur.
Expugnat validis Robertus viribus arcem.
At valido cum forte ducis petraria saxi
Ictu dimissi perculsa fuisset ab alto,
Avulsum lignum Roberti nobile pectus
Sauciat incauti, sed non post tempore multo
Auxiliante Deo recipit caro læsa salutem.
Redditus incolumis magis expugnare Gisulphum (76)
Nititur; ille suam fortunam dum videt esse
Casibus extremis positam, quia multa saluti
Spes erat, arbitrio sese ducis et sua dedit.
Orat sola sibi libertas detur eundi.
Jusque duci proprium dimittens liber abivit.
Gregorium papam spoliatus honore Salerni
Appetiit primum, venientem papa benigne
Suscipit, et regio Campanica traditur illi.
Urbe triumphata gaudet Robertus et arce,
Et ne posterius sibi gens infida repugnet,
Munivit summam fidis custodibus arcem.
Inferiore situ fit inexpugnabile castrum,
Quo sibi subjecti valeant consistere tuti.
Urbs Latii non est hac deliciosior urbe,
Frugibus, arboribus, vinoque redundat, et unde
Non tibi poma, nuces, non pulchra palatia desunt:
Non species muliebris abest, probitasque virorum:
Altera planitiem pars obtinet, altera montem,
Et quodcunque velis terrave marive ministrat.
Hac acquisita simul acquisivit Amalfin;

A Urbs hæc dives opum, populoque referta videtur
Nulla magis locuples argento vestibus, auro,
Partibus innumeris: ac plurimus urbe moratur
Nauta, maris cœlique vias aperire peritus (77)
Huc et Alexandri diversa feruntur ab urbe
Regis et Antiochi; hæc freta plurima transit.
Hic Arabes, Indi, Siculi noscuntur et Afri:
Hæc gens est totum prope nobilitata per orbem
Et mercanda ferens et amans mercata referre.
His sibi subjectis, quæ disponenda fuere
Omnia disponit, Trojam (78) dux ipse revisit
Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advenit Lombardus marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum
Axo (79) vocatus erat, secum deduxit Hugonem
B Illustrem natum; ducis huic ut filia detur.
Exigit in sponsam; comites proceresque vocari,
Quaque facit super his dux consulturus ab urbe.
Horum consiliis Roberti filia nato
Traditur Axonis tædas ex more jugales.
Et convivando celebrant et multo ferendo.
Cunctis, conjugii quæ postulat ordo, peractis,
Sollicitat comites dux et quoscunque potentes
Dona petens, læti quibus et vir et uxor abire
Donati valeant; nec enim prius imperiales
Alter cum proles thalamos Michaelis adisset (80)
Quodlibet auxilium dederant; communiter illi
Omnes tristantur, quasi vestigalia posci
A duce mirantes, sed non obstare valentes,
Et mulos, et equos, diversaque munera præbent,
C Iis genero (81) donans addens sua, classe parata
Ad sua cum magno patremque remisit honore.
Normanni comites conquesti sæpe vicissim
A duce tractari se tam male tamque moleste.
Occuluere diu malefidi pectoris iram (82)
Tandem consiliis Jordanem patre Richardo
Participant natum, patruo simul omnia pandunt
Rannulfo comiti, quorum sibi consociatis
His hi præsidiis Petrus et Goffredus aperta
Mentis fraude ducem cœpere lacessere bellis.
Amissæque nepos terræ memor Abagelardus (83)
Filius Unfredi toto conanime tentat
Infestare ducem, socio Guidilone, sororem
Cui dedit uxorem, nec Balduinus eorum
Defuit auxiliis, et lingua doctus et armis.
D His comes Henricus comes, et sociatus Amicus
Doctior his aderat Robertus de Scabioso (84)
Monte comes dictus, Goffredi frater, et ambo
Deduxit rediens ad bella pedestria promptos:

(76) Gisulfi Robertus sororius erat. TIREM.

(77) Debemus Amalphitanis pyxidis nauticæ inventionem, et Digesta Justiniani. LEIB.

(78) Troja in Apulia urbs fuit, quæ circa annum salutis 1016, a Catapano Basilii et Constantini fratrum Constant. Imper. extructa est, et postea Apuliæ caput fuit. TIREM.

(79) Azonem vult dicere, magnam Longobardiæ, et Liguriæ partem tenentem, a quo descendunt principes Brunsvicenses, et Estenses. LEIB.

(80) Michaelis scilicet ducæ, qui cum 1071 regnare cœperit, et anno 1078 imperium amiserit medio tempore hoc contigisse opportet. LEIB.

(81) Generum LEIB.

(82) *Odio præsentis status Respub. mutantur*, scribit Tacit. TIREM.

(83) Mortuo Unfredo Bagelardum illi successisse plures scribunt, et cum a principatu dejectum a Rob. Guiscardo patruo fuisse. LEIB.

(84) Robertus de Monte Scabioso, et Goffredus Roberti ex sorore nepotes. TIREM.

Orti germana fuerant ducis; ira nepotes
Accendebat in hunc cunctis præstare volentem,
Omnes hi privare ducem conantur honore;
Hæc dissensio non loca concutit Appula tantum,
Sed Calabris etiam ac Lucanis regnat in oris.
Nec non Campanis, metus est hostilis ubique
Latronum rabies passim bacchatur, et omnes
Per partes Italas, raptorum copia crevit,
In partes varias Normannica concio tendit :
Sed quamvis hostes essent ducis agmine plures,
Pars bello melior Roberto semper adhæret.
Redditur urbs Petro Tranensis et Abagelardo :
Conjuge, prole data, dedit Argyricius urbem
Egregiam Bari, quam dux commiserat ipsi :
Non tamen urbibus his hac tempestate remotis
Gens ab amore ducis Juvenaci fida recedit :
Unanimes optant parere fideliter illi.
Argyricius hos monet, ut reddatur Amico
Urbs sua quæ fuerit; quam si non reddere vellent
Obsidibus natis hunc se donare minatur
A duce commissis dudum sibi; non tamen illi
Postposuere fidem, contempto prolis, amore,
Seque duci dicunt servare perenniter illam.
Hanc adipiscendam multis stipatus ad urbem
Cum Petri comitis comitatu vadit Amicus.
Affuit obsessæ simul Argyricius urbi
Cum populo Bari, Trani, pariterque Choreti (85) :
Andrenses etiam cum Buxiliensibus adsunt.
Gens Juvenacensis non obsidione vel armis
Territa stat fortis; defendere mœnia curat,
Et ponit vigiles, obsistit et acriter illis,
Qui foris insistunt; hi pugnant, illa repugnat,
Impugnata licet terra marique fuisset,
Arte capi nulla valuit. Legatus ab urbe
Forte Betontina fictos deferre jubetur
Rumores; caute, Guillielmus at invenit illos
Filius Yvonis, cui dux concesserat urbem.
Ecce Rogerus adest Roberti filius, inquit
Nuntius, et multas equitum peditumque catervas
Dux sibi ducendas dedit; hunc properasse putantes
Diffugiunt cuncti quos urbis ad obsidionem
Duxerat, ut captam sibi subdere possit Amicus.
Dux licet audierit tot convenisse rebelles
Nullo concutitur terrore, sed arte vel armis
Omnes exsuperat, monitis quam dulcibus illos
Allicit; hos bello domitat, versutus et audax
Novit utrosque modos, adimit sua castra quibus- [dam;
Quosdam blanditiis verborum commonet ultro
Tradere quæ nequeunt violento Marte parari
Six juxta Bradam dimissa flumen equestri
Gente sua Calabras cum parte profectus ad oras,
Et Cusentinos (86) sibi pacificavit, et illos

A His comitatus abit, tamen erogat ante sequaci,
Quod potuit, populo; properat confligere contra
Omnes infidos; Juvenacus fida recepit.
Hinc equites aliquot, qua noverat Abagelardum
Esse, petit primum violento robore Barum.
Barensis populus numero confisus, et ejus
Quem sequitur ductu, ducis utpote Marte valen- [tis,
Cum duce congreditur; lorica sed Abagelardi
Cuspide perfoditur. Corpus perfossa tueri
Non valet armati; bellorum saucius ultra
Vim perferre nequit, sua gens fugit urbis adusque
Mœnia, Robertus Juvenacum victor adire
Mox parat; huic properat procedere turba fidelis
Obvia. Quis posset tantas exprimere grates,
B Quantas cuique refert? laudat communiter om- [nes,
Pignoribus charis quia præposuere tenorem
Promissæ fidei; tunc omnibus oscula præbens
Ne timeatis, ait, non deformabit Amicus
Quemlibet ex pueris; omni quia postulat arte
Ut mea reddatur sibi gratia. Taliter illi
Respondet populus; tua nos præcepta paratos
Crede sequi; totam Domino committere curam
Natorum, quia nullus amor removere valebit
Nos ab amore tuo. Tantum servator amoris
Sis petimus, nostri dominator et esto benignus.
Auditis populi precibus favet ille precantis.
Annis tota sui tribus est, solvenda tributi,
Pactio dimidii concessa perenniter illis;
C His ita dimissis properat remeare Salernum;
Dum redit, hostiles vicos et castra subacta
Donat militibus, faciebat prælio sæpe
Diversis diversa locis. Fortuna favoris
Auxilium præbebat ei, cui, dum male fida
(87) Ascolus appetitur, certamine captus equestri
Est Balduinus, castellum nomine Vicum
Vi capit; hic Gradilo privatur lumine captus,
Testibus exuitur; sed Balduinus habere
Illæsos artus permittitur, hunc tamen arcent
Carcere custodes, quia faverat Abagelardo.
Pervenit his gestis, quo cæperat ire, Salernum.
A Jordane duci poscentes fœdera pacis
Adsunt legati; dux, ni discordia cesseti,
Dilapsura brevi, quæ plurima præmeditatus,
Commoda, legatis placido respondet amore :
D Inducias ponit; fit sponsio colloquiorum
Constituitque diem. Legati non sine magna
Lætitia redeunt, quia tam gratanter ab ipso
Suscepti fuerant, et nuntia læta reportant.
Jordani placuere satis quæcunque recensent
Hinc intra tempus Juvenacum mittere quosdam
Dux equites lectos procurans, præcipit illis

(85) Choritus Tusciæ est oppidum a Coritho rege positum. TIREM.

(86) Cosa, per s. simplex aut geminatum, urbs est in Calabria, quæ hodie Cosano vocatur. Consæ municipii meminit, CIC., *lib.* v. *in Verr.* TIREM.

(87) Asculum Ptolomæo dicitur hodie Ascolo et hæc est quæ Asculum Satrianum vocatur. TIREM.

Non tantum prodesse suis, sed obesse laborent
Hostibus, hosque modo poterunt quocunque molestent.
His postquam longo (nec enim fas pergere recto
His erat) advenerunt Juvenacum tramite ducti
Callibus obliquis, aderat quia plurimus hostis,
Infestare ducis cœpere viriliter hostes :
Quique prius soliti fuerant inferre rapinas,
Se doluere pati; nequeunt incedere tuti.
Jordanis princeps et dux studuere statuto
Ire die Sarnum; pax firmata fit inter utrumque,
Est cum Rannulfo simili firmata tenore;
Alter erat patruus Jordanis, avunculus alter.
His ita sedatis dux Appula castra requirit,
Et Spinaciolum (88), muro quod Amicus et armis
Munierat castrum, quo non cum milite pauco
Filius ejus erat, equites comprendit et omnes,
Filius est solus fugiens elapsus Amici.
Perdere plura timens pacem deposcit Amicus,
Dux illi placidus favet, obsidibusque receptis
Lætificat mœstos reddendo pignora patres,
Et Juvenacenses desistunt plangere matres :
Perterrent tumidos hæc fœdera facta nepotes
Roberti comitis, dux Goffridique nepotum,
Non mala respexit tolerata, sed immemor iræ,
Dum veniam poscunt, indulget avunculus illis.
His fisus sociis comitatus milite multo
Obsedit Barum socer Argyricius hujus
Qui solus pacem vitaverat Abagelardi :
Urbe ducem recipit, genero qui pacis et urbis
Extorri facto ducis est reparatus amori.
Sic quia pace ducis non fungitur Abagelardus
Et patrii juris loca deserit, et Danaorum
Exsul adit terras, cum rector Alcius (89) esset
Imperii. clemens hunc suscipit ille benigne,
Tractat honorifice, dat multa; sed invida, nulli
Parcere quæ curat, juveniles mors subit artus.
Quique regressurum se credidit esse potentem,
Diversi generis cum fascibus atque triumphis,
Exsul apud Danaos, et mortuus est et humatus.
Dux sibi conjunctis Barensibus obsidet auctis
Agminibus Tranum Petro stimulante rebelle;
Hac dux uxorem dimittit in obsidione;
Non sine militibus multis petit ipse Tarentum,
Protinus obsessum terraque marique recepit.
Hunc positis castris castellum victor Aneli,
Obsidet. Inde Petrum comitem miserabilis angit
Anxietas. quia visa duci fortuna favere
Est inimica sibi, pacem veniamque requirit :
Dux per legatos, quos miserat, ille relegat,
Ut sibi cum Trano castellum donet Aneli,
Ni dabit ista frui non pace merebitur ejus.
Vestibus incultis Petrus est ad castra profectus,
Subintrat veniam pacis cum fœdere poscens,
Custodes castri vocat et descendere jussit
Turribus, hi jussi, Roberto mœnia tradunt,
Tradidit et Tranum, ducis ut sibi gratia detur,
Efficiturque suus jurando jure fidelis.
Cervices rigidas sic dux astutus et audax
Flectere, sic finem bellis imponere novit.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS

His Michael (90) solii dejectus ab arce diebus,
Cujus in insontem Romanum dira voluntas
Arserat indigne, socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur. Roberti filia mœret
Deponi socium, miser exsulet ille coactus;
Urbibus et castris sibi circumquaque subactis,
Appula dimittens loca dux parat ire Salernum.
Partibus Hesperiæ, quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis comes hanc Raymundus ad urbem.
Ut nuptura ducis detur sibi filia poscens
Huic major natu nuptum datur: altera nupsit
Egregio comiti Francorum stemmate claro :
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti,
Belligeras acies ad prælia ducere doctus,
Et facundus erat, linguaque manuque vigebat.
Illis Gregorius (91) Beneventum papa diebus
Advenit; urbs erat hæc Romano subdita papæ.
Atque sui juris; quia dux obsederat urbem,
Ægre papa tulit; veniam Robertus ut hujus
Impetret offensæ, papæ properavit ad urbem,
Supplicat et pedibus (92) dans oscula Patris
Suscipitur; tanti persona vigoris honore
Digna videbatur, considere papa coegit.
Soliloquum cunctis astantibus inde remotis
Consilium tenuere diu; tum papa fideles
Convocat. Ex papæ secretum jussibus horum
Panditur; allatus liber est Evangeliorum.
Dux papæ jurat, fuerit dum vita superstes,
Observaturum fidei se jura perennis
Ecclesiæ sanctæ, totus cui subjacet orbis :
Romani regni sibi promisisse coronam
Papa ferebatur, quia rex Henricus (93) ab illo
Damnatus fuerat propter commissa nefandis
Accumulata modis; nec enim venundare sanctas
Ecclesias veritus, perversum dogma colebat
Simonis et nullum donabat pontificali (94)

(88) Spina urbs in Italia : unde Spinales. TIREM.
(89) Alexius. LEIBN.
(90) Hic Michael Parapinacæus vocabatur, Constant. Ducæ filius erat, qui imperio dejectus est, et in illius locum, Nicephorus Botoniates suffectus anno salutis 1081. LEIB.
(91) Gregorius VII summus P. factus est anno salut. 1073. TIREM.
(92) Deest *sancti*. LEIB.
(93) Henricus IV Roman. rex. TIREM.
(94) Simonia causam dedit dissidiis quæ maxima inter Gregorium papam et Henricum imp. fuerunt. TIREM.

Culmine, præter eos qui maxima dona tulissent.
Incestus etiam turpes, et turpe subire
Ausus adulterium (95), vitam ducebat iniquam,
Sacrilegus, mœchus, consortia nulla proborum,
Sed reprobi cœtus collegia semper amabat.
His vitiis virtus sancti contraria papæ
Gregorii, regno deponi judicat illum :
Saxonibus mandat perhiberi rex apud ipsos
Desinat ulterius, totis et viribus obstent :
Accitosque duces Guelfumque ducemque Rodul- [phum
Admonet, Henrico Petri pro parte resistant
Et Pauli, Simon quibus insurrexerat alter.
Esse putabatur concessa corona Rodulfo (96).
Is sibi Saxonibus multo cum milite junctis
Indixit bellum papæ venerabilis hosti,
Et populus regi damnato multus adhæret
Jus patrum recolens aliumque inducere nolens
Hæredem regno ; grave fit certamen utrinque
Dura quidem gens est, et cedere nescia magnis
Ictibus inter se ; hinc Lotharingi, Saxones inde
Certatim feriunt, alternis vulnera reddunt
Vulneribus : stat quisque studens obstare vicissim,
Et perhibentur ibi triginta cæsa virorum
Millia, sed neutro populo cedente Rodulphus
Occidit, et fessus populus defecit uterque.
Se quasi victorem percepta morte Rodulphi
Gaudens Henricus, quem regni depositorem
Noverat esse sui, papam infestare laborat,
Romam obsessurus magna cum gente venire
Nititur ; hoc prudens comperto papa favorem
Curat habere ducis, succurrat ut ipse labori
Promptus ad arma suo (97), vires et deprimat hostis,
Pacis perpetuæ Beneventi fœdere pacto
Gregorius Romam remeavit, duxque Salernum
Hac, Matthæe, tibi construxit in urbe decoris
Ecclesiam miri, sibi nobilis aula paratur.
Dedecus illatnm genero (98) prolique repulsæ
Sedibus augustis, non sollicitudine parva
Cor ducis accendit ; gravis hæc injuria multis
Esse videbatur ducis, hanc desiderat ultum
Ire. Senex quidam regni Nicophorus (99) habenas
Sumpserat ignavus bello ; tamen ingeniosa
Mente sagax, contra furtiva pericula cautus,
Imbellis metuens plusquam metuendus habetur.
Militiæ princeps sustentat Alexius illum,
Astuta ratione vigens et strenuus armis,
Pectore clarus erat, clarisque parentibus ortus.
Annos iste suæ plures ætatis ab ipso
Flore juventutis primævo duxit in armis.
Si quid oportebat fieri grave, non dubitabat
Imperio sancto sibi præcipiente subire.

A Hostes imperii, Basilachius atque Brienus (100)
Insignes Græci, bellis opibusque potentes,
Hoc duce sunt victi, victori cessit uterque :
Nam sibi non longe dum congrederetur ab urbe
Bellando victus cedit, capiturque Brienus.
Victus Alexina cessit Basilachius arce ;
Alter in alterius congressum dum properaret,
Proxima castra die cedente locantur utrinque,
Nocte fugam prudens simulavit Alexius illa
Castris dimissis, neque tota remota supellex
Ejus erat, quædam tentoria fixa manebant.
Hæc dimissa fugæ, jumentaque, luce sequenti
Effecere fidem, castrisque relicta suppellex
Contra se nullos ubi vidit adesse paratus
Hostilis belli, castris sine gente relictis
B Circumquaque suis Basilachius imperat ire,
Si quos excipiunt ab equis vel gente tumultus,
Ut sibi notificent. Mussantis nullo cohortis
Vox, nullus potuit sonus aut hinnitus equorum
Audiri ; sperat Basilachius omnia tuta
Atque suis hostem pro viribus expavefactum
Credit inesse fugam : cænantem crapula somno
Aggravat, et castris gens tota quieta jacebat ;
Callibus occultis advectus Alexius hostes
Irrumpens subito perterruit ; his, quia noctis
Obstabant tenebræ, nusquam loca tuta patebant :
Spes est nulla fugæ ; capiuntur et interimuntur.
His sopor et vini dederat violentia multa
Segnitiem ; nec abire valent nec ad arma reverti.
Lumine privatus Basilachius et tibi captus
C Legatur, nihil ipse videns Nicophore, videndus,
Imperio cujus præsumpserat esse rebellis.
Impiger, et cautus sic victor Alexius hostes
Imperii multos armis superavit et arte.
Dux transire volens mare, præcipit arma parari,
Militibusque suis se præstolentur Hydronti
Imperat, aptari naves facit, ipse Salerni
Undique dona petens et supplementa moratur.
Huc illuc apices non cessans mittere, secum
Navibus armatis fidas monet ire cohortes ;
Insolitum multis iter illud et arce [acre ?] videtur,
Præcipue quibus uxores et pignora chara
Militiam talem, sed verba minantia blandis
In domibus fuerant ; non exercere volebant
Dux addens, precibus multos properare coegit,
Conveniunt omnes, sicut mandatur Hydronti,
D Dalmaticas naves oneri dux eligit aptas,
Auxilio sibi quas gens miserat illa petitas :
Has armis et equis sumptuque virisque repletas
Ad Corifum (101) mittit, hæc insula non procul [urbe
Distat Hydrontina (102), placidis spirantibus auris

(95) Henricus Agnetem admonentem quid cum religione fieri oportet omni administratione depulit, eaque Romam profecta non diu supervixit. Tirem.

(96) Rodulfus Sueviæ dux consensu ducum et legatorum, qui in Forchein convenerant, in locum Heinrici regni titulo spoliati suffectus est. Tirem.

(97) Robertus Guisc. Romam ingressus Gregorium pontif. arce eductum Laterano restituit anno salut 1084. Tirem.

(98) Michaeli Ducæ. Liebn.

(99) Nicephorus Botoniates qua arte Michaelem ab imperio dejecerat, ab Alerio Comneno depulsus est. Tirem.

(100) Brienus virtute Alexii victus est. Tirem.

(101) Corfou hodie, olim Corcyra. Lieb.

(102) Hydruntum, seu aliis Hydrus urbs est in

Huc cito transitur; dimissis navibus illam
Acriter invadunt equites ducis, atque timorem
Omnibus incutiunt qui circumquaque morantur.
Regni sede senex hac tempestate repulsus
Prædictus fuerat, bellator Alexius (103) illum
Expulit iratus, quia non injuria fratris
Propter eum dimissa fuit, qui viribus auxit
Imperium totis, tot nactus ab hoste triumphos:
Omnibus imperii legionibus huic comitato
Præsidiis vacua facilis labor urbe reperta
Est superare senem, fit monachus ille coactus;
Deprædanda tribus datur urbs invasa diebus (104),
Dux quibus exstiterat; manibus quoque sanctane- [fandis
Atroces per se loca non violare verentur:
Ducit Alexius hos, magis ut timeatur ad urbem,
Imperii regimen bellis bellator adeptus:
Roberti genitæ non parvum blandus honorem
Exhibet, audierat quem velle venire, laborans
Pacificare ducem, quo sic avertere mentem
Posset ab incœptis; sed mens ducis ardua nescit
Cedere proposito, modico remoratus Hydronti
Tempore, præstolans adventum conjugis atque
Multorum comitum, quos noverat ipse futuros
Esse viæ socios. Mentitus se Michaelem
Venerat a Danais quidam seductor ad illum
Immerito raptum jus imperiale reposcens,
Se profugum lacrymans: lacrymantem dux et ho- [neste
Suscipit et tractat, placidoque favore benignum
Exhibet obsequium, populus quoque credulus omnis
Assurgebat ei flexa cervice salutans;
Hunc adhibens socium sibi dux, ut justior esset
Causa viæ, secum dum transfretat, ipse reducit,
Ante tamen paulo quam transeat, accelerare
Hunc regis mandata monent, quem papa notarat
Regno privari censens, ut conferat illi
Auxilium contra papam tumidosque quirites,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore rex Romam veniens (105) obsederat illo
Dux quanquam placidi dederit responsa favoris:
Legati redeunt sine quolibet emolumento.
Gregorio papæ cui pura mente favebat
Omnia notificat, damnati nuntia regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud inisse,
Adventum hostilem prænoscere si valuisset:
Sed quia jam tantos compleverat ipse paratus,
A tantis se posse negat desistere cœptis.
Advenit interea conjux, comitesque rogati
Egregiam sobolem multo spectante Rogerum
Accersit populo, cunctisque videntibus illum
Hæredem statuit, præponit et omnibus illum,
Ipse quibus prælatus erat, dignissimus hæres,
Iste patris tanti patruelibus atque paternis
Moribus ornatus, quantæ foret indolis, ipso
Primævæ cultu virtutis significabat.
Jus proprium Latii totius, et Appula quæque
Cum Calabris Siculis loca dux dat habenda Rogero.
Roberto comiti committitur atque Girardo;
Alter fratre satus, fidissimus alter amator
Et virtutis amans erat et probitatis uterque.
Hos rogat ut papæ solatia, si qua valebunt,
Non adhibere negent. Quod cœperat ipse subire
Acceleravit iter, decies et quinque Liburnis
Adria sulcatur, Corifi tremit insula tanti
Principis accessus electo milite fulti.
Illa, Botrontinam, gens, quæ præcesserat, urbem
Ceperat; hinc Corifi genialibus urbs operumque
Prædita præsidiis, in deditione recepit,
Obsidibusque datis, vehit insula tota tributum
Bunditiam nautæ vi captam depopulantur:
Magnæ mentis eques Boamundus filius alter
Qui fuerat, prima natus de conjuge, cunctis
A duce deductis equitum peditumque catervis
Militiæ princeps præponitur, imperat ipse,
Ut populus totus jussis obtemperet hujus;
Dyrrachium (106) pater hinc, et filius obsidet illinc;
Obsessum superare mari terraque laborant.
Hortatus fuerat jam sæpe Georgius illuc
Accelerare ducem, quia qui commiserat urbem.
Audierat solii Nicophorum sede repulsum.
Sed ducis æstivo perpessæ tempore naves
Naufragium impediere viam, navique procellis,
In qua dux aderat, vehementibus undique fracta,
Vix evadendi fuit impertita facultas.
Delati panes pro corporibus recreandis
Perfusi pluviis in frusta teruntur, et undis
Littore projectis olidi cumulantur acervi.
Dux tristatur iter peragi non posse paratum.
Aeris atque maris non fracto turbine, longas
Hoc agitante moras, multos Palialogus Argos
Dyrrachium duxit, pulsusque Georgius urbe
Fraude fuit, missum sibi gaudet Alexius hostem.
Dux tamen a cœptis, ubi comperit affore tempus
Noluit avelli, Corifi prior insula cessit.
Hinc Avelona simul, urbibus atque quibusdam
Littoreis captis, munitius esse quod audit,
Dyrrachivm obsedit; quondam fuit urbs opulenta
Magnaque præcipue tegulosis obsita muris,
Rex Epirotarum dicier hanc (107) Epiduarum
Pyrrhus præcepit, quia fortia ferre quiritum
Bella Tarentinis sociatus non dubitavit:
Inde frequens bellum varios et passa labores
Evacuata viris fuit, ad nihilumque redacta:

Calabria ad Ionium mare, quæ hodie dicitur Otranto. Tirem.

(103) Alexius Nicephorum et libertate et civitate privavit, et eam triduo Alexius ex pacto militibus diripiendam concessit. Tirem.

(104) Alexius Commenus imperium Constant. adeptus est anno salutis 1085. Leib.

(105) Henricus IV Roman. rex de quo sup., superata apud Parmam Mathildi, Romam hostili animo proficiscens in pratis Neronianis castra locavit. Tirem.

(106) Dyrrachium urbs est in Macedonia, quæ antiquitus Epidamnum vocabatur; hodie Durazzo. Tirem.

(107) *Hanc dicier Epiduarum.* Leib.

Destructam spatio post composuere minori
Zethus et Amphion, et præcepere vocari
Dyrrachium; ducis hoc circumdatur obsidione.
Fit pavor obsessæ non parvus civibus urbis,
Et vigiles statuunt, custodia fida per urbem
Ponitur, imperio factam ducis odsidionem
Notificant, et opem legatis poscere curant.
Oppugnare modis dux nititur omnibus urbem,
Atque operis miri fabricatur lignea turris.
Hanc super est ingens erecta petraria magnos
Projiciens jactus ut mœnia diruat urbis.
Assidue cives augeri castra videntes,
Omnia vastari, prædas accedere magnas,
Hyberniquc domos pro frigoris ædificari
Incursu, vana spe, quæ deceperat illos
Hostilis reditus, cœpere carere coacti.
Stare ducem credunt, et non abscedere velle,
Dum sibi subdat et hanc alias qui subdidit urbes.
Legatos mittunt; cur venerit ipse requirunt.
Dux venisse refert se regni sede repulsus
Immerito Michael, ut restituatur honori.
Illi promittunt urbis quos ipse petebat
Ingressus, nunquam viso Michaele negandos.
Cornicinum sonitu circumdatus atque tubarum
Et plectris, qui se Michaelem finxerat esse,
More coronatus deducitur imperiali,
Circumvallatus cantantibus undique turbis.
Unanimi cives hunc ut videre, cachinno
Visum derident dicentes. Iste solebat
Crateras mensis plenos deferre Lyæo,
Et de pincernis erat inferioribus unus.
Postquam Robertum cognovit Alexius urbes
Invasisse suas, veritus ne subdat et urbem,
Dux sibi Dyrrachii magna cum gente paravit
Occursare duci; bellis navalibus illi
Præmonuit sociam pugnando resistere gentem.
Non ignara quidem belli navalis et audax
Gens erat hæc; illam populosa Venetia misit
Imperii prece, dives opum, divesque virorum,
Qua sinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo, sunt hujus mœnia gentis
Circumsepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius transire potest nisi lintre vehatur.
Semper aquis habitant, gens nulla valentia ista
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.
Civibus obsessis hortatur Alexius illos
Auxilium conferre, suas et ducere naves.
Et pugnare ducis cum navibus, ut superatis
Hostibus his bello, facilis labor esset inire
In terris bellum. Populo ducis extenuato
Imperio parent, ducis et cum navibus ire
Pugnatum properant; jam vesper adesse diei
Cœperat, occurrunt naves nucis; at quia noctis
Hora propinquabat, bellum differtur utrinque.
Crastina progrediens aurora fugaverat umbras,
Ad bellum populus navale paratur uterque.

A Amplius hujus erat quia gnara Venetica belli
Gens ruit audacter (108); classis ducis expavefacta.
Ad portum fugitiva redit sic pugna remansit
Ter redeunte die, gens multa Venetica portum
Appetit, et naves Roberti marte lacessit
Gens comitata ducem cum Dalmaticis Ragusea
Telorum densis consternit jactibus æquor
Non tamen a portu procul audent ducere naves
Castrorum dederat tutum vicinia portum.
Funibus incisis quasdam violenter ab ipso
Littore propulsat vi turba Venetica ducit;
Non hoc terretur ducis imperterrita casu
Mens aliud meditans, et adhuc certare parata
Majori statuens, aliasque adducere naves,
Quæ plus ferre queant, et plus inferre laboris
B Facta libens turbæ victricis Alexius audit
Roberto soliti, quos insula quæque fovebat,
Ferre tributa, maris naves magis esse valentes
Dum ducis accipiunt; æqua feritate rebelles
Proponunt fieri. Laus (109) personat imperialis
Imperii jussu, ne belli præscius hostis
Cautelas adhibens ventura pericula vitet,
Montibus et fluvii munitur transitus omnis.
Irruere incauto sic sperat Alexius hoste,
Invictumque ducem assultu superare latenti
Innumeras ducit varia de gente catervas
Maxima barbaricæ cum Græcis copia gentis
Hunc comitabatur; tamen ire Basilius ante
Electorum equitum secum duo millia ducens
Castraque Roberti ducis explorare jubetur.
Mesopotamites erat hic, bellique labores
Expertus varios sequitur præcepta jubentis.
Cumque Botrontinæ fieret jam proximus urbi,
Rumor adest equites ducis haud procul ire ferentes
Non modicam prædam, cum pars jam multa fuisset
C Saucia, Turcorum, quos duxerat ille, sagittis:
Marte mori potius quam cedere turpiter Argis
Unanimes statuunt, et convertuntur in hostes
Gente coarctata, quo prævaluere paratu.
Turci terrentur conversis hostibus illos
Acriter obniti, graviterque ferire videntes
Agmine stare nequit fugiente Basilius horum
Et capitur fugiens; acies Normannica captum
Præsentare duci properat; Robertus ab illo
Omnia perquirit quid tentet Alexius in se,
Vel quid inire velit, quantas ad bella cohortes
Moverit? Adventum postquam dux esse propinquum
Hostilem didicit, quantis et Alexius illum
Impetat agminibus, proceres quos duxerat omnes
Convocat; accitis quæ noverat omnia pandit
Et quid opus facto sit consulit. Effera quorum
Mens erat, audaci dimittere castra quibusdam
D Consilio placuit, venientibus indubitanter
Hostibus occurrens, ut terreat impetus illos.
Esse refert melius dux non abscedere castris
Copia dum proprius conspecta sit imperialis,

(108) Venetorum dux erat Dominicus Sylvius. TIREM.
(109) Edictum. LEIB

Et frustra quæri vincendi prædicat artem,
Cum nisi de cœlo nulli victoria detur.
Is licet egregios equites sibi sciret adesse,
Nil ineundo tamen temerarius esse volebat :
Congressura quidem gens innumerabilis esse
Dicebatur ei, nec adhuc natura virorum
Nota sibi fuerat. Catus unde sagaciter omnes
Ordinat ante suos, et quæque paranda coaptat,
Non a Dyrrachio procul exspectare volebat
Hostiles cuneos, subito venientibus illis,
More locustarum, montes et plana teguntur.
Proximus Oceano jam sol erat; unde nec illis
Bella subire, nec his placuit : dant membra quieti,
Dyrrachii populo mandarat Alexius omni.
Hostis congressi post terga venire studeret,
Ut tutus fieri nec retro nec ante valeret.
Castra cremat veniente die dux providus horum,
Ut duce digresso sit fas irrumpere nulli.
Commovit prior ipse suas ad bella cohortes :
Agmina plura movens occurrit Alexius illi.
Cum Langobardis Calabri terrentur et omnis
Peno fugam petiit, fuerat qui sub duce nauta,
Ipsaque concursu primo terretur equestris
Gens ducis, hostilis dum prægravat impetus illam
Venit ad angustos transgresso flumine quosdam
Hæc incauta locos : Dux, ne quis ab urbe venire
Contra se posset, vel ad urbem pergere, pontem
Fecerat everti. Loca dum sic arcta suorum
Impediunt aditus, vehementi nube teguntur
Undique telorum, nec major visa refertur
Grando sagittarum, locus et quia tutus abesse
Cœperat. Interea, cum nec pugnare valerent,
Cedere nec retro se dilatare, laborant
Præcipitando mari, quia non minus hostibus ipsa
Turba coarctatis sibi plebibus officiebat.
Aspera Normannis angustia tanta videtur.
Imperialis eos exercitus exsuperatos
Defecisse putans, classisque Venetica victos
Quod caperet sperans, quæ proxima nabat in undis,
Aggreditur spoliis inhians agitare rapinas
Arripiuntur equi diversaque sarcina rerum,
Quas ducis accelerans ad prælia spreverat agmen.
Interea digressa, mari vix se sociare
Turba duci valuit, qui prætergressus iniqui
Exitiale loci multo sudore periclum,
In primis aderat, quem jusserat hic acierum
Ordo prior mutatus erat, miseranda locorum
Omnia mutari sic arctatura coegit.
Gaudet adesse suos, et paucis vocibus illos
Dux prior hortatur, solium tutamen in armis
Affore conclamans, et si dant terga Pelasgis,
Quemque trucidandum pecorino more minatur,
Captivis vitam morti prænuntiat æquam.
His hortamentis accendit corda suorum,
Et licet innumeras videat properare catervas
Partis Alexinæ, vix illo, quod sibi papa
Ad Petri dederat summi pastoris honorem,
Et meritis sancti, cujus fabricaverat ædes.

A Matthæi fidens, non diffidenter in hostem
Irruit, atque ferox obsessa non procul urbe
Commisit bellum. Superatur Alexius, atque
Terga dedere sui, quia plusquam millia quinque
Argolicæ gentis sunt hoc certamine cæsa,
Pars quoque Turcorum cum Græcis interit ingens,
Captus et armorum varius nitor est et equorum.
Captaque sunt Danaum diversi signa decoris :
Vix equites de gente ducis potuere perempti
Cerni triginta. Lacrymatur Alexius hostem
Prævaluisse sibi, cui nec par copia gentis,
Nec par census erat; discedit saucius ipse.
Cogitur et lacrymans inglorius ille reverti,
Gloria qui fuerat frustra sperata triumphi.
Uxor in hoc bello Roberti forte sagitta
B Quadam læsa fuit; quo vulnere territa nullam
Dum sperabat opem, se pene subegerat hosti
Navigio cujus se commendare volebat
Instantis metuens vicina pericula lethi.
Hanc Deus eripuit, fieri ludibria nolens
Matronæ tantæ tam nobilis et venerandæ.
Occidit hoc bello regni spoliatus honore
Constantinus, et est subhumatus honore decenti :
Dyrrachii proceres amisit Græcia multos,
Quorum per campos inhumata cadavera tabent.
Dux in Alexinis remorari tempore castris.
Non multo propter putrefacta cadavera curat.
Imperii jussis gens fida Venetica servat
Urbem Dyrrachii; dux hac digressus ab urbe
Pervenit ad quemdam, cui nomen Divalus, amnem :
Hic sibi castellum fabricans loca se comitatos
C Per diversa, locat, quibus incumbente pruina
Temporis hiberni securi vivere possent.
Gens cruciat variis plerosque Venetica pœnis
Cum duce trangressos, non hunc ad bella secutos,
Qui profugi fuerant, studiis servilibus illos
Addicunt; alios ergastula carceris arctant
Ad patriam missos, alii traduntur Achivis.
Dyrrachii quidam, quem terra Venetica misit
Vir præclarus erat nomenque Dominicus illi.
Oderat hic quemdam, quia non se participabat
Consilio, sociis quod pluribus insinuabat :
Hunc quasi primatem gens illa studebat habere :
Dux dicebatur genuisse Veneticus illum
Primatu tentat privare Dominicus illum.
D Quemdam de profugis Barinum convocat ad se
Qui sibi charus erat fideique tenore probatus.
Hunc monet ut noctu Roberti castra requirat,
Et se velle duci sua commoda pandere dicat.
Et properare loco moneat qui Petra vocatur :
Ecclesiæ Sancti Nicolai proximus iste
Est locus, hunc Robertus adit cum milite pauco,
Accitus, profugo redeunte, Veneticus illum
Convenit, et facilem promittit deditionem
Dyrrachii, nisi dux sibi, quod petit, esse daturum
Abneget. Ille libens jure jurando spopondit
Quod petit explendum, neptim pro conjuge dandam.

Colloquio facto remeavit uterque latenter.
Constituere prius, quo tempore deditionem
Is foret acturus, quo tempore dux rediturus.
Jamque dies aderat consensu utriusque statuta.
Dux Cusentinos quosdam, quos præfore cursu
Noverat, elegit; quosdam simul his sociavit
Electos equites, et ad urbem nocte quieta
Accelerans, caute profugum præmittere curat,
Ut quod opus facto sit ab urbe renuntiet ipsi.
Non modica noctis jam parte Veneticus illum
Præstolatus erat somno correptus; at illum
Perfuga Barinus mox evigilare coegit,
Indicat adventum ducis, imperat ille fideles
Absque favore suos celer introducat in urbem,
Ille redit, peditesque ducis facit ire priores,
Munia tradidit his custode carentia terris.
Tempore nocturno nullos fecere tumultus,
Albescente die variis clangoribus hostes
Percipit ingressos urbs tota, Veneticus omnis
Arma capit, præter quos ille domesticus hostis
Roberto monitis allexerat, incola quisque
Hoste supergresso, fodit intra munia vallum,
Hostibus ut facilis non sit descensus ad urbem.
Jusserat a castris dux illa nocte cohortes
Accelerare suas, auditis iste suorum
Vocibus accurens, has porta mittit ab omni.
Sic habitatores intusque forisque videntes
Sese impugnari, malefida Venetica clamat
Agmina turbatus, fugit inde Veneticus omnis.
Quidam cæduntur, quidam capiuntur, ad æquor
Pars fugit Adriacum, sic evasere fugaces
Navibus impulsis. Quicunque Veneticus armis
Obstiterat, necnon ducis horum filius, urbe
Sunt capti capta, dimotaque littore classis:
Sic sibi Dyrrachium dux subdidit, atque quod armis
Vincere non potuit, victoria subjugat artis,
Et quæ pollicitus fuerat, post deditionem
Cuncta sibi gaudet completa Veneticus esse.
Interea populus Trojanus et Ascolitanus,
Alter jus soliti nolens expleret tributi
Amplius, atque dolens eversis mœnibus alter,
Unanimes studio ducis invasere Rogerum
Hæredem egregium, qui sensu clarus et armis
Cum quantis poterat Trojana clausus in arce
Viribus obstabat; tandem properantibus illi
Auxilio sociis, patrisque, suisque quibusdam
Dimissa ruit arce furens, populumque rebellem
Diversis punit cruciatibus. Huic manus, illi
Pes erat abscissus, hunc naso, testibus illum
Privat, dentibus hos deformat, et auribus illos.
Sepe solet captæ sic tigridis ira latenter
Dum nullos agitare potest inclusa furores,
A Quæ si forte valet ruptis excedere claustris
Quod videt omne vorat, rapit, insolitumque furorem
Exerit; occursus leo perfugit ipse furentis,
Quamvis ista minor sit corpore, fortior ille.
Robertus geminis exacto navibus anno
Adriacis undis loca rursus ad Appula transit.
Is primogenito populum commiserat omnem,
Cui nomen Boamundus erat, pariterque Brieno.
Dux postquam Cannas sibi comperit esse rebelles
Obsidet, obsessas evertit humotenus illas.
Rex (110) erat, his genitus genitrice Hermanus eadem.
Onfredi fuerat, qua filius Abagelardus,
Non tamen unus eis pater exstitit, illa duobus
Est sociata viris; miles præclarus in armis
B Frater uterque fuit, sed cessit uterque potenti
Roberto cui vix par orbe potentia toto.
Cannis destructis Romam molitur adire
Contra Gregori Romani præsulis hostem
Henricum, cujus jamdudum obsederat urbem
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit,
Et turres multas invictæ diruit urbis
Jamque sibi fuerat pars subdita Transtiberina,
Gregorius quadam fuerat conclusus in arce (111)
Quæ munita satis, non expugnabilis ulli·
Esse videbatur miri structura laboris,
Hanc et munierat fidæ custodia gentis.
Robertum tantos ubi novit inisse paratus,
Et sibi cum tantis inferre paratibus arma,
Rex fugit Henricus; ducis hunc audacia terret
C Et virtus totum jam notificata per orbem.
Expectare verens hunc, ad loca tuta recessit.
Robertus Romam properans vi perforat urbis
Egregiæ muros (112). Tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, inde quibusdam
Ædibus exustis, violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore papam.
Hunc secum magno deducit honore Salernum (113).
Henrico rursus cupidi cessere quirites.
Post ducis abcessum, papam concesserat illis
Ipse Ravennatem Guibertum (114), qui scelerata
Mente pari insurgens regnum præsumpsit adire
Sedis apostolicæ, Clemens a plebe vocatus.
Agmina Romulea dux urbe reducta Salerni
Dimisit, nunquam par huic exercitus hæsit.
D Millia sex equitum, triginta millia Romam
Duxerat hic peditum; sic uno tempore victi
Sunt terræ domini duo, rex Alemanicus iste,
Imperii rector Romani maximus ille (115).
Alter ad arma ruens armis superatur, et alter
Nominis auditi sola formidine cessit.

(110) Rex hic pro rectore, sive gubernatore ponitur. Leib.

(111) Hæc fuit Adriani moles. Leib.

(112) Roberto ea pars urbis eversa est, quæ inter Lateranum et Capitolium interjacet. Tirem.

(113) Ibi Gregorius interiit. Tirem.

(114) Hunc Guibertum Henricus in Lateranensi basilica corona pontificia publice donavit. Tirem.

(115) Guiscardi virtutem insignes hæ victoriæ testantur. Tirem.

Explicit liber quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

Post ubi Robertum cognovit Alexius esse
Æquore transvectum, vires reparare minutas
Nititur, absentisque ducis perfringere castra.
Hæc duo servabant vi consilioque potentes,
Filius ille ducis Boamundus, et iste Brienus.
Haud procul a Jamna, non parvi nominis urbe,
Partis Alexinæ populus sua castra locarat.
Multiplici partem præmunit Alexius illam
Obice plaustrorum, quam pervia planitiei
Ad pervadendam facilem vicinia reddit,
Ferrea cum tribulis omnes saliunca viarum
Præpedit accessus, ut laxis hostis habenis,
Dum dimittet equos, pedibus ligatur equorum.
At nebula Danaum prospectus præpediente,
Illuc Normanni per vitibus aspera densis
Plenaque carectis loca pervenere latenter.
Obstat congrediens paulisper Alexius illis,
Sed non instantes sufferre diutius illos
Evaluit, petiitque fugam victusque recessit.
Urbem Thessaliæ superatus Marte secundo
Appetit egregiam, vulgus vocat hanc Salani-[chin (116).
Et quia bellorum varios non ambigit esse
Eventus, conatur adhuc ad bella redire.
Gaudens audaci magis agmine quam numeroso
Exsultans capti Boamundus honore Civisci
Obsidet insigni Larissam nomine claram,
Ad quam delatos thesauros imperiales,
Quamque, opibus magnis audiverat esse repletam
prodiit hac auctor Trojanæ cladis Achilles.
Obsidione suæ turbatus Alexius urbis
Innumera cum gente venit, pugnamque virilem
Contra Normannos exercuit; obvia namque
Pugnando cedit sibi gens comitata Brienum.
Non modicum spectans Boamundus collibus agmen
Imperii pariter rectorem credit adesse,
Irruit, et trepidos hostes, ut Nisus alaudas
Insequitur, populo, Græcorum exercitus, hujus
Terga dat, at tantus contexit pulvis utrumque,
Ut neuter videat quorsum pars altera tendat:
Abdita silvarum victi petiere Pelasgi.
Occisis victor redit ad montana quibusdam,
Si qua parentur aduc ipsi certamina spectans:
Hostes digressos ubi novit Alexius esse,
Larissea petit multo cum milite castra.
Dimissi castris pedites, majoribus hostem
Viribus urgentem non armis ferre valentes,
Vincuntur, major pars occidit, et fugitiva
Pars minor abscedit; spoliorum quidquid ab omni
Victrix turba loco contraxit, Alexius effert.
Nuntius ad montem Boamundo pandere casus
Adversos properat, qui se speraverat esse
A Victorem, victam partem dolet esse suorum;
Nil tamen ipse pavens, comites sibi dissociatos
Associare studet; nequeant incommoda mentem
Perterrere viri, magis obsidione solutam
Urbem conqueritur jam victam, jamque subactam.
Marte fatigatos jam nox admota quieti
Tradere membra monet, vallem Boamundus opa-(cam
Haud procul inde petit, quæ cuncta sibique (suisque,
Apta ministrabat, sua dant ibi membra sopori.
Plurima post triduum duo conduxere potentes
Agmina Græcorum Boamundo bella parantes;
Alter *Germanus* Augusti *Melisianus*,
B Alter cognatus, nomen fuit huic *Adrianus*.
Normanni solitæ memores virtutis ad arma
Concurrunt celeres, solitique fugacibus Argi
Elabi pedibus, redeunt properanter ad urbis
Mœnia Larissæ (117), qua clausus Alexius ipse
Non procul audebat toties superatus abire;
Nec minus et Turci clauduntur in urbe fugaces.
Taliter obsessis populus Normannicus illis
Non remanere diu valuit, quia terra labores
Passa rapinarum, victus alimenta negabat,
Et nuper captis fuerant sua perdita castris;
Milite diviso vitæ Boamundus ad usus
Quærit Ebellonæ loca, Castoreæque Brienus:
Dimissa magna Salonicæ parte suorum
Ad propriæ sedem remeavit Alexius urbis,
C A Constantino quæ sumpsit condita nomen.
Gens redit interea Venetum ratibus reparatis,
Atque requisitam nullis prohibentibus intrant
Urbem Dyrrachii, quia rarus in urbe manebat
Civis, egestatis disperserat undique cives
Insolitæ casus; remorans ter quinque diebus
Gens studet utilibus vacuare Venetica rebus
Dyrrachium, sed præsidiis munitio tuta
A duce dimissis, castelli jura negavit.
Hoc non posse capi postquam videre, recedunt.
Audito reditu geniti ducis advenientis
Ingressique rates communiter æquore multas
Erexere trabes, et parvæ fit modus urbis:
Castro composito de lignis, omnia classis
D Instrumenta suæ gens provida, seque locavit.
Sicque sub ædiculis algenti tempore contra
Nimbosas hiemes remorantur in æquore tuti.
Jam cedebat hiems, et verni temporis auræ
Spirabant placidæ, cum navibus omnibus omnes
Ad Corisum properant, hæc complacet insula (cunctis;
Classis Blexinæ dux *Mabrica* venerat illuc.
Inde placet nautis repetenda Venetia multis,

(116) Victus Alexius Salanichim confugit: Salonicem, quæ olim Thessalonica. Tirem.

(117) Larissæ plures sunt, de quibus Strabo lib. ix, Hæc in Macedonia sita est, quæ hodie Larizo nomen habet. Tirem.

Mutuus ut fieri valeat redeuntibus illis
Abcessus, comitum patriam sic quisque revisat.
Hoc statuunt fieri, Roberti namque regressus
Protrahitur nimium, diuturna negotia rerum
Absumendarum sint illis causa suarum.
Tempore Robertus multis intentus in illo
Præcipuas contra Jordanem bella gerendi
Curas, infectum nil dimissurus, habebat,
Propterea Latio non ipse redire volebat,
Jordanis princeps perterritus advenientis
Henrici fama, non armis obviat illi
Ut sese finesque suos tutetur ab illo,
Sed firmæ secum componens fœdera pacis
Illi se subigit; genitus conceditur obses,
Et cum prole dedit solidorum munera multa
Hoc, ne privetur dominatus jure paterni
Fecit, si regi sit ad Appula transitus arva.
Et quia Jordanis ditioni cesserat ejus,
Dux hujus terras ferro populatur et igni
Inde nepos petiit pacem, recipitque petitam
Gregorio papæ, sedatis omnibus ante
Quam repetat fines Græcorum; supplicat orans
Dedicet ecclesiam, quam fecerat hic ad honorem
Matthæi sancti, placidus favet illi precanti.
His ita completis, animos intendit ad illud
Propositum, quod mente diu tractarat agendum.
Electos igitur nautas, et quos magis aptos
Militiæ novit, secum facit ire Tarentum:
Huc cum gente sua navis convenerat omnis,
Classis magnificos ibi militiæque paratus
Instruit, expensis naves implentur et armis.
Portum Brondisii qui tutior esse videtur
His comitatus adit; transire veretur Hydronti
Quo brevior transcursus erat, quia tempus adesse
Cœperat autumni, tranquilla recesserat æstas;
Unde timens ratibus, mora ne qua noceret Hydronti
Ex tempestatis subitis incursibus orta
In portu tuto fit tutus classe recepta
Exspectat flatus prudenti mente secundos.
Inde valefaciens, uxori littore stanti,
Restantique simul populo cum conjuge, cœpit
Finibus Ausoniis jam non rediturus abire.
Armatis centum viginti navibus æquor
Transfretat Adriacum genito comitante Rogero,
Qui patris esse sequax armorum strenuitate
Et placida cunctis affabilitate studebat.
Duxit præterea naves, oneraria quarum
Lex erat; has et equis sumptuque replevit et armis
Et variis rebus quas æquoris exigit usus.
Æquore transvectus exercitus ille coegit
Quem ducis egregii servabat filius alter.
Exegere fere menses in littore binos,
Tempestate gravi bellum differre coacti.
Temperie placida portum redeunte relinquunt,
Et contra Venetum naves, Danaumque chelindros
Certamen navale parant, dux quinque triremes
Ducit, ducendas commisit quinque Rogero,
A Roberto totidem fratri, totidem Boamundo.
His aderant ratium suffragia juncta minorum.
Innumeras bello Danai duxere chelindros.
Altera turba novem confisa triremibus altis,
Quas habiles bello magis esse Venetia novit,
Roberti naves dum conspicit inferiores
Esse suis, audacter eis congressa resistit,
Atque interpositis Danaum præfulto chelindris,
Jactibus inumeris telorum desuper hostes
Sauciat, et ferri se pondera magna minatur
Jacturam, ne classis eis inimica propinquet.
Vix in ea navi quæ fert ad bella Rogerum
Quilibet illæsus reperitur, et ipse lacerto
Saucius, obstanti stat cedere nescius hosti;
Immemor illati sibi vulneris, ardor honoris,
B Quantus adesse solet victoribus, incitat illum.
Hunc pater insigni decoratus sæpe triumpho
Accit, et accitum majori classe chelindros
Dissociare jubet; patris impiger ille jubentis
Jussa sequi properans, cum quinque triremibus illis
Quæ sibi commissæ fuerant inferre chelindris
Bella parat; Danai nihil hoc pugnante repugnant,
Sed passim fugiunt, ut aves obstare volanti
Non audent aquilæ cursuque latere fugaci
Coguntur lepores dum ne rapiantur, aduncis
Unguibus et rostro metuunt cibus esse voraci.
His ita dimotis stat sola Venetica classis
Robertus genitique sui dum stare fugatis
Græcorum ratibus solas videre triremes,
Invasere suis cum navibus acriter illas;
C Tamque fuit vehemens impulsus impetus harum,
Ut septem mersis non posse Venetica classis
Elabi speret, solis sed stare duabus
Navibus ad bellum nil profuit, hostibus omnes
Cedere coguntur; solito dux more triumphat.
Classe triumphata secum duo millia victor
Ad portum ducit de pugnatoribus istis
Qui magis obstiterant, quorumque audacia major
Præter eos alios quingentos annumeravit,
Qui capti fuerant. Septem, fugientibus Argis,
Argolicæ naves sunt hoc certamine captæ.
Qui castrum Corifii servare fideliter illi
Solliciti fuerant solvuntur ab obsidione
Quam passi fuerant, dux dum metuendus abesset.
Exin victrices et victas ducere naves
Procurat, tutis stationibus ut locet illas
Temporis hiberni dux incumbente pruina.
Has ratione sagax Glycæum ducit ad amnem:
Naves et nautas ibi collocat; et remorari,
Dum placide redeant æstatis tempora, jussit.
Ipse suos equites hiemali tempore secum
Bunditiam ducit mansurus, ibique moratur.
Clicæo populum, fuerat qui proximus amni,
Asperior solito languere pruina coegit.
Frigoris atque famis pars maxima passa labores,
Interit, et tantæ crescunt incommoda pesti
Ut prius exactus mensis quam tertius esset,
Sint præventa decem quasi millia morte virorum

Nec reliquus tanta necis est exercitus expers.
Namque brevi morbus communi clade peremit
Quingentos equites, nec non ignobile vulgus
Magna parte ruit; nec eques, nec nauta, nec ullus
Vir valet instantis lethi vitare ruinam.
Nulla tamen frangunt ducis infortunia mentem,
Fortis et in casus manet, imperterritus omnes.
Filius ægrotans poscit Boamundus ut ipsum
Italiæ remeare pater permittat ad oras,
Quæ medicis multis medicaminibusque redundat.
Ille licet nollens consentit abire volenti,
Tam claræ sobolis cupiens reparare salutem.
Danda recessuro dedit. Hoc abeunte Rogerum
Jussit adire suo cum milite Chephaloniam,
Ut tanta fuerat quæ tempestate rebellis,
Victa refrenetur, hæc insula dum capietur.
Undique terrendas Græcorum noverat urbes.
Jussa patris sequitur, jussamque Rogerus ad urbem
Cum ducis agminibus properavit, et obsidet illam.
Dux repetit positas Glycæo flumine naves,
Et studet inclusas abducere, non minus undis
Quam terris avidus Græcos domitare tumaces.
Bella parare ferox et equis et classe laborat,
Navibus adductis turbetur ut insula quæque,
Conferat et fisco ducis imperiale tributum.
Temporis æstivi reditu defecit aquarum
Copia, nec tantis jam defluit alveus undis
Ut fluvio nautæ valeant deducere naves.
Dux qui difficilem facit arte laborem,
Dum fluvium solitis cognovit egere fluentis
Namque meatus aquæ brevis arcta fauce fluebat,
Multos afferri palos et ab amnis utraque
Margine configi connexos vimine jussit,
Et multis multa præcisis arbore ramis
Composuit crates, et arenis desuper implet,
Sic aqua lascive dispersa refertur in unum.
Alveus altior hinc, cœpitque capacior esse,
Cogitur unde viam præbere meabilis unda
Navibus, illæsæque maris revehuntur ad undas.
Vir venerabilis hoc in tempore papa Salerni
Gregorius moritur (118), quem nec personna nec [auri.
Unquam flexit amor, justum servare rigorem
Semper proposuit, non cor dare læta valebant
Absque modo lætum, nec tristia reddere mœstum
Solator mœsti, lucis via, doctor honesti,
Legibus arcebat tumidos, humilesque fovebat:
Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum,
Atque salutiferi spargendo semina verbi,
Nunquam cessavit populum revocare fidelem
A vitiis ad eos quibus itur ad æthera mores,
Vitaque doctrinæ non discordare solebat.
Non fuit instabilis vel arundineæ levitatis.
Dux non se lacrymis audita forte coercet
Morte viri tanti; non mors patris amplius illum
Cogeret ad lacrymas, non filius ipse, nec uxor,
Extremos etsi casus utriusque videret.

(118) Gregorii papæ interitus anno 1085. Tirem.

A Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris,
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos.
Alter ab alterius nunquam discessit amore
Firmatæ quondam post mutua fœdera pacis.
Ecclesia Sancti Matthæi papa sepultus
Nobilitat tanti thesauro corporis urbem.
Hanc quia translatus Matthæus apostolus alti
Nominis esse facit, meritumque vicarius iste
Auget ibi positus, præ cunctis urbibus unam
Dux elegisset, sibi vivere si licuisset.
Verum Gregorii post mortem præsulis illi
Ad loca non licuit Latii dimissa redire.
Continuis hujus soboles generosa Rogerus
Perterrere minis non cessat Cephaloniam:
Insula Roberto proponitur esse petenda,
Ad quam missus erat capiendam filius ejus:
Navim conscendens, quam castra revisere possit,
B Febre prius capitur; flagrare canicula fervens
Cœperat, æstiva cujus sævissimus ardor
Tempestate solet mortalibus esse nocivus;
Uxor ab Italia non multo venerat ante,
Et castris aderat, dum nati castra revisit
Dux, quibus exierat populo cum classe relicto.
Hæc ubi Robertum cognovit febricitare,
In quo tota sui sita spes erat, utpote tanto
Conjuge, discissis flens vestibus, acceleratis
Cursibus accessit, quæ defecisse maritum;
Extremosque videns casus instare propinquos,
Ungue genas lanians, impexos scissa capillos
Proh dolor! exclamat, quid inibo miserrima, ve [quo
Infelix potero discedere? nonne Pelasgi
Audita me morte tui, natumque, tuamque
Invadent populum, quorum tu gloria solus
Spes, et robur eras, tua quos præsentia fovit,
C Extremis positus quia te præsente tuorum
Hostis nemo minas, congressus nemo timebat?
Pluribus et quamvis acies adversa catervis
Obsita non paucis, tua quos animatio tutos
Fecerat audebant committere bella, nec unquam
Te viso potuit mundana resistere virtus.
Filius ecce lupis sinitur rapiendus, et uxor,
Et populus nunquam sine te securus habendus,
Te quia, qui populi fueras audacia nostri,
Amisso populus non audax esse valebit.
Quodlibet ignavum poterit præcellere vulgus,
Impia mors homini, quo tot pereunte peribunt,
Parce, precor, precibus quæ condescendere nescis,
Expecta saltem dum nos ad nostra reducat,
Ut locus excipiat nos post sua funera tutus.
Ah miseram? frustra precor hanc, ingrata precanti
Cum semper fuerit, nullique pepercerit unquam:
D Nec minus et flenti flens cum genitrice Rogerus
Magnos cum gemitu clamores tollit ad astra,
Se prius orbatum lacrymans patre, quam vel ha- [bendi
Parta, vel ad plenum sit gnarus habenda parandi,
Sectarique sciat virtutis facta paternæ.

Astantis populi lacrymas quis lumine sicco
Ispiceret? quis tam patiens, tam ferreus esset,
Ut non mœstitiam tot passis compateretur?
Inter tot lacrymas cum corpore sanguine Christi
Accepto, moriens vita spoliatur amica:
Sic et in exilio robusti principis artus
Spiritus exutos dimittit, et exanimatur (119),
Qui fortes animos aliis inferre solebat,
Se præsente suis nil passus adesse timoris.
Non remanere viri Græcorum partibus uxor
Corpus passa, suis conatur reddere terris
Quamque magis celerem cognoverat esse galeram
Scandit, ibi posito Roberti corpore transit,
Mortuus ut rediens Latio solatia præstet,
Cui non fas vivo fuit ad sua regna reverti.
Castra Rogerus adit patris, interitusque paterni
Notitia populum communicat anxius omnem.
Consiliumque petit, privandum namque fatetur,
Ni redeat propere, se juris honore paterni,
Hæredem cujus pater hunc indixerat esse.
Illi promittunt omnes se corde fideli,
Sicut servierant patri, servire paratos,
Sitque coadjutor transgressibus æquoris illis
Unanimes rogitant; populo favet ille roganti.
Se tamen expectet, dum Cephalonia petatur
Insula, qua socios dimiserat, obsecrat omnes.
Et nullius, ait, fidei me jure vocare
Deberet populus dimissus in obsidione,
Abscedens ejus si castra revisere nollem,
Et patris interitum, quem vobis notificavi,
Discessumque meum non illis notificarem.
His dictis ad castra suæ redit obsidionis,
Defunctumque patrem se velle recedere pandit.
Acturos referunt sequisque quod egerit ille
Obsequiique sui cœptis desistere nolle,
Si condigna tamen sibi convenientia detur.
Taliter amoto sua castra petente Rogero,
Gens aliis castris tanto remorata pavore
Concutitur, quod se nullatenus emorituram
Elapsum sperat, quasi vita salusque negetur:
Omnes si Danai, gens Persica, gens Agarena
Hos invasissent, et ab omni climate mundi
Afflueret populus, peteretque armatus inermes,
Non illa hac formido foret formidine major,
Mors unius erat multorum causa pavoris:
Innumeras gentes, duce qui vivente solebant
Vincere, defuncto paucis obstare timerent:
Millibus esse decem sic sæpe valentior unus,
Atque fugare viri duo millia mille probantur.
Hostis ne subeat majori classe cremata
Territa gens studuit naves servare minores,
Æquor ut Adriacum transvecta pavore levetur.
Tantus erat terror nec opes, nec pallia curant,
Omnia postponunt, et corpora sola carinis
Supplicibus precibus poscunt inducere nautas;
Atque licet naves a terra longius essent,
Pars conscendit equos, ut perveniatur ad illas,
Dimissis et equis imponunt corpora tantum.
Pars natat, ut nando valeat conscendere navem.
Pars tamen illorum major, quia non remeare
Navibus evaluit, remanens se mancipat Argis.
Quique timebantur timidi servire Pelasgis
Incipiunt, animi pulsa feritate ferocis.
Jamque rates fuerant secus Appula littora ductæ
Tempestas tumidum quatit intolerabilis æquor
Naufragium passi quamplures sunt ibi nautæ.
Pars hominum cum classe perit, fractaque procellis
Qua fuerat corpus transvectum nobile, navi,
In mare delapsum non absque labore cadaver
Extrahitur, fetor ne prodeat inde nocivus,
Viscera corque ducis subhumari jussit Hydronti
Prædita consiliis semper prudentibus uxor,
Et multo reliquum condunt aromate corpus,
Hinc deportari Venusimam fecit ad urbem,
Qua fuerant fratrum constructa sepulcra priorum:
Hos prope cum magno dux est subhumatus honore.
Urbs Venusina nitet tantis decorata sepulcris.
A Caroli Magni vel tempore Cæsaris unquam
Nullos terra pares produxit fratribus istis
Hic subhumatorum fabricata jussibus horum
Ecclesia cujus decor urbis prænitet hujus:
Det veniæ munus rex illi Trinus et Unus.

Explicit liber quintus.

Nostra, Rogere, tibi cognoscis carmina scribi
Mente tibi læta studuit parere poeta:
Semper et auctores hilares meruere datores;
Tu duce Romano dux dignior Octaviano,
Sis mihi, quæso, boni spes, ut fuit ille Maroni.

Finis.

(119) Robertus Guiscardus obiit ex Onuphrio et Sigon. anno salut. 1085. Colenutio autem 1082. TIREM.

CHRONICON BREVE NORTMANNICUM,

(Anno 1041-1085

AUCTORE ANONYMO,

Nunc primum e ms. codice Neritinæ ecclesiæ editum.

MONITUM LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Habemus Chronica permulta, eaque insignia ac edita, quibus describuntur præclara Nortmannicæ gentis gesta in Apulia, Calabria atque Sicilia. Collectio nostra, uti statutum est, singula complectetur. Nunc autem editis adjungo breve hoc non antea editum quod exordio facto ab anno 1041 ad mortem usque celebratissimi principis Roberti Guiscardi Apuliæ ducis, hoc est ad annum 1085 deducitur. Postremæ ejusdem lineæ tempus indicare videntur quo hæc litteris consignata sunt. Legitur nempe in fine : *Succedit Roberto Rogerius filius ejus, pater Willelmi tertii ducis Apuliæ, qui nunc feliciter ducatur.* Robertus Guiscardus post se reliquit *Rogerium* cognomento *Bursam*, sibi quoque successorem in Apuliæ ducatu. Genuit Rogerius ex Adela conjuge *Guilielmum*, qui anno 1111 patri succedens in ducatu, cum tenuit ad annum usque 1127, quo tempore sub finem Julii vitam cum morte mutavit. Hujus principis mentionem habent Falco Be-Beneventanus, Alexander Telesinus, Ordericus Vitalis, aliique scriptores. Quare ante annum 1127, Historiola hæc scripta videtur, adeoque non contemnenda. Debeo illam nobili simulque litterarum amantissimo, viro Ignatio Mariæ Como Neapolitano qui exemplar obtinuit a præclarissimo, et doctissimo viro Petro Polidoro. Monente autem Polidoro ipso descriptus fuit hic libellus ex codice ms. archivi episcopalis Ecclesiæ Neritinæ *(di Nardo)* , et collatum cum altero clarissimi viri Jacobi de Franchis, et unius ex marchionibus Taviani. Neritinus codex circiter annum 1530 scriptus videbatur ; alter vero ex scripturæ forma aliisque conjecturis credebatur exaratus sub finem sæculi XII, aut initium sequentis XIII. Ignotum est mihi quanam ratione post annum 1074 tres anni exciderint. Erit et hujus opusculi usus, ubi chronologiæ controversiæ occurrunt de Nortmannicæ gentis prioribus gestis in Apulia atque Sicilia.

INCIPIT CHRONICON NORTHMANNICUM DE REBUS IN JAPIGYA ET APULIA GESTIS CONTRA GRÆCOS.

Anno 1041. Northmanni duce Arduino Langobardo primum invadunt Apuliam cum exercitu magno et forti.

Anno 1042. Mense Martio Northmanni commitunt prælium in Apulia cum Michaele Protospathario imperiali, qui vocabatur Dulchianus, et vincunt eum. Mense Madio iterum ab iis factum est prælium, et iterum victi sunt Græci et Protospatharius. Et in Apulia captæ sunt multæ civitates et loca quæ erant Græcorum, et imperatoris Michaelis, cui hoc anno successit Constantinus.

Anno 1043. Meniacus magister cum exercitu Græcorum fecit prælium contra Northmannos circa Materam, et fuit magna plaga in utroque exercitu.

Anno. 1045 Argyrus Bariensis imperialis catapanus, et dux Græcorum, vadit in Tarentum contra Northmannos, et vincit eos, et deinde vadit in Tranum et vincitur ab eis, duce Guillelmo Ferrebrachio, qui intitulatus est primus comes Apuliæ.

Anno 1046. Factum est iterum prælium in Apulia inter Græcos et Northmannos. Et isti fugaverunt, et dissipaverunt exercitum Græcorum ; et fuit Drogo dux eorum, qui fuit secundus comes Apuliæ.

Anno 1048. Northmanni iverunt contra Græcos in Calabriam, et invaserunt eam, et victi sunt Græci circa Tricaricum. Humphredus capit Trojam, et facit castrum in Bechareza.

Anno 1051. Drogo interficitur in Apulia, et succedit Humphredus.

Anno 1052. Fit prælium cum Argyro catapano Græcorum, et a Northmannis iterum fugatur exercitus ejus circa Tarentum. Et item factum est prælium circa Crotonem in Calabria, et victus est Sico Protosphata. Et dominium Northmannum factum est magnum in Calabria et Apulia ; et crevit potentia et timor eorum in omni terra.

Anno 1053. Northmanni bellum gerunt cum Leone papa, et principe Beneventano et catapano imperiali in principatu Beneventi ; et fugatur Rodulphus princeps, et Leo papa capitur ab Humphredo et Northmannis ; et fit magna strages in mense Junio.

Anno 1054. Moritur Constantinus imperator, qui cognominatus est Monomachus ; et post eum imperat Thedora quæ fuit Constantini, et soror Zois imperatricis Augustæ.

Anno 1055. Humphredus fecit prælium cum Græcis circa Oriam, et vicit eos. Gaufredus comes comprehendit Neritonum et Ditium. Robertus comes ivit super Callipolim, et fugatus est iterum exercitus Græcorum in terra Tarentina, et captum est Hydrontum, et castrum Minervæ.

Anno 1056, Mortuus est Humphredus, et intravit comes Apuliæ Robertus, qui dictus est Guiscardus.

Factum est prælium mense Septembri circa Tarentum, et Græci victi sunt, et facta est magna strages hominum a Tarento usque ad Hydrontum, et omnes urbes et terræ factæ sunt de dominio [*vel* hominio] Northmannorum. Moritur Theodora Augusta, et succedit Michael, qui dictus est Stratonicus.

Anno 1057. Michael deponit imperium, et intrat imperator Isacius.

Anno 1058. Fuit magna fames in terra Tarentina, et Calabria; et postea venit pestis, et mortui sunt homines cum animalibus in numero maximo in mense Madio.

Anno 1059. Robertus comes Apuliæ factus est dux Apuliæ, Calabriæ et Siciliæ a papa Nicolao in civitate Melphis : et fecit ei hominium de omni terra. Imperator Isacius renuntiat imperium, et fit imperator Constantinus Ducas.

Anno 1060. Mense Madio comprehensa est civitas Tarenti per ducem Robertum; et postea ivit super Brundusium, et cepit eam. Malgerus comes ivit super Oriam, et fugavit Græcos ab ea, Mense Octobri venit Miriarcha cum exercitu imperiali, et fecit prælium magnum contra Robertum, et Malgerum, et fugavit Northmannos, et iterum recuperavit eas cum aliis terris, et Hydronte.

Anno 1061. Mense Januario Rogerius comes intravit Mandurium, et Robertus dux comprehendit Acherontiam, et ivit contra Græcos obsidentes Melphim, et fugavit eos.

Anno 1062. Robertus dux cepit iterum Brundusium, et fugavit Græcos, et comprehendit Miriarcham in prælio, et postea ivit super Oriam, et iterum cepit eam, et fecit castrum in Mejana.

Anno 1063. Mense Aprili mortuus est Gauffredus comes, et Goffridus filius ejus cepit Tarentum; deinde ivit super castrum Motulæ, et comprehendit eam, et castellum ejus.

Anno 1064. Robertus comes cepit Materam in mense Aprili; et mense Junio Goffridus comes comprehendit Castanetum. Et mense Septembri mortuus est Malgerus comes, et deinde mortuus est in Tarento Guilielmus comes ejus.

Anno 1067. Mabrica cum exercitu magno Græcorum fugavit Northmannos, et iterum intravit Brundusium, et Tarentum. Postea ascendit super Castanetum, et recepit eam. Moritur Constantinus Ducas, et reliquit imperium Eudociæ uxori, et filiis ejus; quæ iterum fecit nuptias cum Romano, qui dictus est Diogenes, et ipse factus imperator.

Anno 1068. Goffridus comes obsedit montem Pillosum, et comprehendit eum in mense Junio. Mense Octobri captum est iterum Hydrontum, et fugati sunt Græci ab ea.

Anno 1069. Factum est prælium in campo Litii, et fugati sunt Græci; et Robertus dux cepit Gavinum, Obbianum, et Barim.

Anno 1070. Robertus dux descendit super Brundusium, et Goffridus comes venit cum exercitu magno et forti in navibus, et facta est inter eos et

A Mabrica crudelis dimicatio, et occisio hominum in obsidione ejus.

Anno 1071. Idem Robertus dux cepit Brundusium. Moritur Humbertus frater ejus. Romanus imperator deponitur, et excæcatur, et succedit Michael Ducas filius Constantini.

Anno 1072. Idem Robertus dux cum exercitu navali vadit ad capiendam Siciliam insulam, et Goffridus comes obsedit Panormum, et cepit eam. Et mense Junio intravit Robertus gloriosus in Panormum, et fugavit Saracenos ab ea et fecit triumphum magnum.

Anno 1073. Northmanni, et Petronius comes mense Januario ceperunt civitatem Traniensem. Et Robertus dux gloriosus reversus de Sicilia fugavit Petronium comitem circa Barim, et iterum comprehendit eam, et inimicatus est Petronius comes cum

B Rogerio.

Anno 1074. Idem Robertus dux ivit in Campaniam, et cepit multas civitates cum civitate Salerni, et inimicatus est cum papa Gregorio.

Anno 1078. Petronius comes cepit Tranium. Michael Ducas privatur imperio a Nichephoro, qui dictus est Botoniates, et ipse factus est imperator.

Anno 1079. Petronius comes intravit iterum Barim. Abiligardus comes ivit super Trojam, et fugavit Boamundum filium Roberti ducis, et obsedit, et cepit Asculum, et iterum Robertus dux recuperavit eam. Postea factum est prælium ibidem, et fugatus est Abiligardus cum militibus suis, et fugit in Constantinopolim, et ibi mortuus est inimicus duci Roberto.

Anno 1080. Robertus dux intravit iterum Tarentum, et Castanetum. Postea ivit cum exercitu super

C Barim, et fugavit Petronium, et iterum comprehendit eam cum civitate Trani. Et amicatus est cum Gregorio papa in mense Junio, et confirmata fuit ab illo omnis terra quam habebat Robertus dux in Apulia, Calabria et Sicilia. Nichephorus imperator deponitur, et fit imperator Alexius.

Anno 1081. Michael Ducas, qui fuerat expulsus a Nichephoro, venit in Brundusium, et petiit auxilia contra Alexium a duce Roberto; et dux Robertus ivit cum eo ad Hydrontem, et ordinavit pro eo exercitum navalem multarum navium, et deinde cum eodem Michaele ivit ad insulam Corcyram, et cepit eam. Deinde ivit contra Dyrrachium cum XV millibus hominum; et factum est prælium in Dyrrachio, et a Roberto fugatus est Alexius. Et Robertus dux cepit Dyrrachium, et obtinuit victoriam magnam contra Græcos super eum.

D Anno 1084. Gregorius papa obsidetur Romæ ab Henrico rege, qui constitueral papam Guibertum archiepiscopum Ravennatensem, et fecit schisma in Ecclesia et fuit ibidem coronatus ab eo. Gregorius vero vocavit ad auxilium suum Robertum ducem cum multitude maxima Northmannorum in mense Madio, et liberatur ab eo, et adductus fuit in Sa-

lernum, et Henricus rex fugatus est de civitate Romæ, et rediit in Teutoniam.

Anno 1085. Robertus dux venit Brundusium cum exercitu Northmannorum magno et forti, et misit se in navibus in mari in mense Aprili, et ivit contra Venetos ad expugnandam Cassiopim. Et factum fuit prælium in mari, et victi sunt Veneti a duce Roberto. Moritur Salerni mense Madio Gregorius papa, et ipse dux moritur in Cassiopi mense Julio. Corpus ejus reportatum est in Brundusium in mense Septembri, et fuit sepultum in ecclesia Sancti Sabini in civitate Venusii, sicut ipse ante mortem præceperat. Cor autem et interiora ejus sepulta sunt in Hydrunte. Succedit Roberto Rogerius filius ejus pater Wilelmi III ducis Apuliæ, qui nunc feliciter ducatur.

Explicit Chronicon Northmannicum.

ANTE FINEM SÆCULI.

GAUFREDUS MALATERRA

MONACHUS BENEDICTINUS

GAUFREDI MALATERRÆ

HISTORIA SICULA

AD FIDEM VETERUM MANUSCRIPTORUM A JOANNE BAPTISTA CARUSIO EDITA; NUNC ITERUM CUM PRIORIBUS EDITIONIBUS COLLATA, MULTISQUE MENDIS EXPURGATA.

(Apud MURATORIUM *Rerum Ital. Script.*, tom. V, pag. 537.)

MURATORII PRÆFATIO.

Alter Normannicarum rerum scriptor in hac nostra Collectione succedit Gaufredus monachus Ordinis S. Benedicti, agnomento *Malaterra*, qui res sæculo XI gestas a Normannis in Apulia et Sicilia refert. Guilielmo Apulo synchronus fuit hic scriptor, atque ipsum, quod ille, argumentum pertractavit; sed aliquot fortasse annis serius scripsit. Exorditur autem et ille a primo Normannorum adventu in Apuliam; suamque Historiam deducit ad annum usque 11 pontificatus Urbani II papæ, indictionem VII, et III Nonas Julias, hoc est ad annum 1099, quo idem pontifex IV Kalendas Augusti, e vivis sublatus est. Auctor et ipse gravis, eoque nomine etiam præ aliis commendandus, quod res gestas sub suis annis collocare nititur, unde plurima lux chronologicæ destributioni. Scripsit etiam Historiam hanc jussu ipsius Rogerii Siciliæ comitis (qui Roberti Guiscardi frater fuit), ut intelligas quanta in æstimatione is fuerit apud principem illum; eamque inscripsit Catanensi episcopo his verbis: *Beatæ memoriæ Georgio Catanensi episcopo frater Gaufredus ab antecessoribus Malaterra agonem trahens.* Corrigendus hic procul dubio textus editus, et scribendum *agnomem.* Porro hinc discimus, quod olim et ego adnotaveram pag. 344 Antiquitat. Estens, titulum *beatæ, bonæ, piæ*, aut *sanctæ memoriæ*, viventibus etiam tributum. Deinde memorat Gaufredus *habitum religionis, quo concingimur*: quæ verba, ut et alia quæ adduntur, satis indicant eumdem sub S. Benedicti regula militasse. Adnotavit autem Rocchus Pirrus in Notitia Ecclesiæ Catanensis, pot expulsos e Sicilia Sarracenos Rogerium Nortmannum, ejusdem Siciliæ debellatorem et comitem, præfecisse Catanensi Ecclesiæ Ansgerium monachum Benedictinum, ex monasterio Calabro S. Euphemiæ adscitum. Quare *ab initio sub disciplina regulari Ordinis S. Benedicti constituta est Catanensis Ecclesia*, ita ut idem esset *abbas* Catanæ ac *episcopus*: qui mos in subsequentia quoque sæcula pertransiit. Ansgerius vero ab anno 1091, quo constitutus est Catanæ episcopus, eam sedem implevit ad annum usque 1124, ut evincunt documenta a Roccho Pirro allata; ac proinde amplectendam puto conjecturam claris. Mabillonii in Annalib. Benedictin. ad ann, 1098, putantis, pro *Georgio*, quod edita Gaufredi nostri Historia habet, restituendum esse *Ansgerium.* Et sane librarii facile corruperint parum familiare Ansgerii nomen. Cum vero Catanensis episcopi refugium expetat Gaufredus, *ut tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minus pertimescam, et principis nostri sustentamine fruar*: arbitratur idem Mabillonius a Gaufredo implorari patrocinium *tum adversus æmulos, tum erga principem, scilicet Rotbertum, cujus mandato hanc Historiam plano sermone scribere aggressus est.* Verum nomine *principis* indicari non Rotbertum, quia nullus tunc Robertus Siciliæ dominabatur, et

Jam Guiscardus obierat, sed quidem *Rogerium* Siciliæ ipsius comitem ac principem, certum mihi videtur: ac potissimum cum aperte idem Gaufredus prodat in Præfatione, se posteris tradere velle triumphos *famosissimi principis Rogerii* (ita enim ipse mandarat) et *qualiter primo Calabriam, deinde vero Siciliam armata manu subjugaverit*: quæ uni Rogerio conveniunt fratri videlicet Roberti Guiscardi.

Gaufredo nostro Italia minime patria fuit. Is certe, quod fortasse quædam aut prætermiserit, aut *minus ordinate secundum tempora* descripserit se excusat utpote a *Transmontanis partibus venientem, noviter Apulum factum, vel certe Siculum.* Gerardum Johannem Vossium audire velimus lib. II, cap. 47, De historic. Latin., *Gaufredus Hispanus* fuit. At ille duplici errore lapsus est, tum quod lib. III, cap. 6, eumdem ipsum Gaufredum nobis exhibet veluti diversum ab eo quem supra commemoverat, illius librum a Hieronymo Surita istius vero a Dominico Portonario editum commemorans. Cum tamen idem scriptor fuerit, idemque opus, quod Surita Cæsaraugustæ Dominici Portonarii typis anno 1578 primum edidit. Deinde quod Gaufredum *Hispanum* Vossius existimarit, id ea ratione factum puto, quia illius historiam in Hispania editam ex aliorum relatione,hoc est ex Possevino,audivit, a quo hic scriptor Hispaniæ ascribitur. Recte hæc perpendere Vossius non potuit, neque enim ejus librum tunc sub manibus habebat, uti habuit postea, cum librum tertium De historic. Latin. conscripsit. At in Hispania, atque inter ipsos *scriptores Hispaniæ illustratæ*, editi fuere non semel historici sub alio cœlo nati, et quibus nunquam Hispanicam terram videre licuit. Itaque propius ad verum accedit sententia clarissimi Pagii in Critica Baron. ad annum 1099, censentis Gaufredum *in Normannia Galliæ provincia natum.* Ille certe Normannos ubique *nostros* appellat; et facile intelligimus non aliunde eum in Siciliam, aut sponte, aut invitatum accessisse nisi e Normannia quandoquidem Normannus princeps, tot debellatis provinciis regnum sibi in Sicilia constituerat, et ad eam suæ gentis fortunam confluere jam a multis annis et alii Normanni consueverant. Ac propterea ab Orderico Vitali, celebri scriptore, et monacho Uticensis in Normannia monasterii, puto factam Gaufredi nostri honorificam mentionem. Agens enim ille lib. III, pag. 483, de ducibus et comitibus Apuliæ, hæc habet: *De quorum probis actibus et strenuis eventibus Goisfredus monachus cognomento Malaterra, hortatu Rogerii comitis Siciliæ, elegantem libellum nuper edidit.*

Quod reliquum est, edita primum fuit, ut diximus, Gaufredi Historia a Hieronymo Surita, et dicata doctissimo viro Antonio Augustino archiepiscopo Tarraconensi. Tum Francofurti recusa est anno 1606 tomo III Hispaniæ illustratæ, curante Joanne Pistorio viro clarissimo. Anno demum 1723, iterum in lucem prodiit aucta variantibus lectionibus a clar. viro Johanne Baptista Carusio in sua Collectione scriptorum Siculorum, ope veterum mss. quos ille in sua præfatione recenset. Ego potiori jure ipsam Collectioni huic nostræ inseram, cum ejus auctor de Italicis præcipue rebus agat; et ne quid ex veteribus editionibus lectori erudito desiderandum supersit, aliorum ante me vel præfationes, vel epistolas imprimendas curabo.

JOANNIS BAPTISTÆ CARUSII

BREVIS NOTITIA

DE MALATERRA ET EJUS HISTORIA.

Gaufredi Malaterræ Historiam laudavit Ordericus Vitalis Anglus, ejus contemporaneus, in Historia Ecclesiastica (1), ubi agit de Normannis in Italia dominantibus, et præcipue de Roberto Wiscardo ejusque fratribus, dicens: « De quorum probis actibus et strenuis eventibus Goisfredus monachus cognomento Mala-Terra, hortatu Rogerii comitis Siciliæ elegantem libellum nuper edidit. » Cardinalis quoque Baronius multoties commendavit auctoritatem Historiæ Gaufridi Malaterræ, confirmans ex ea suas narrationes, dum ait: « Gaufredus monachus, qui tunc ista, quæ inspiciebat, et scribebat. » Et aliquando post ait (2): « Nominatus est iste Gaufredus, professione monachus Benedictinus cujus opus antiquitate ipsa plane venerandum delituit pene sepultum inter vetera monimenta regum Aragonum ad nostram usque ætatem. » Vossius nullo fultus indicio Gaufridum fuisse Hispanum putavit (3), sed potius videtur Nortmannus. Historia quidem hæc, arte typographica nondum inventa, latuit per aliquot sæcula; ejus tamen exstabant plura exemplaria manuscripta apud viros eruditos, et rerum Siciliæ curiosos (ut videre est apud Pirrum) (4) de quiqus adhuc nonnulla perdurant. Inter antiquissimos caractere, et notis litterarum contractis vidi illud quod exstat in bibliotheca marchionis Jarratanæ. Vidi etiam antiquum, quod asservatur penes D. Octavium Montaperto princi-

(1) Lib. III pag. 483, in Histor. Nortm.

(2) Tom. XI, anno 1097. pag. 667, edit. Romanæ et pag. 682.

(3) De Hist. latin., pag. 390.

(4) Notit. 1 Eccl. Panor. post exactos Sarac. n 4, pag. 90.

pem Raffadalis ad eum perventum a D. Fabio Montaperto ejus gentile abbate Sancti Michaelis civitatis Troinæ; et est vel illud ipsum, vel saltem exemplatum ab eo, quod scripsit Pirrus (5) fuisse repertum a præfato abbate in eodem monasterio, et postea anno 1555 de mandato proregis translatum ad regiam cancellariam. Aliud autem exemplar habuit præ manibus Hieronymus Surita, quod typis Dominici a Portonariis publici juris fecit Cæsaraugustæ anno 1578; etenim carmina quæ in hoc leguntur A non habentur in duobus codicibus supra laudatis. Suritæ editionem iterum excudit Joannes Pistorius præpositus Ecclesiæ, Vratislaviensi tomo tertio Hispaniæ illustratæ Francofurti anno 1606. Hanc nos editionem Suritæ tertio renovandam typis duximus; adjectis tantum in margine, ex codice Jarratanco nonnullis variantibus lectionibus, quibus corrigi possunt menda quæ Portonarius asterisco notavit (

(5) Lib. II De Eccles. Troin., page. 454.

(6) In calce libri Carusius idem lectores monuerat se ms. alterum codicem post inchoatam editionem in collegio Panormitano reperisse, unde varias lectiones alias notavit. Nos eas omnes locis congruentibus aptavimus, et codicem illum initiatibus litteris C. P. de more designavimus. MURAT.

ANTONIO AUGUSTINO
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI OPTIMO ANTISTITI

Quantum priscæ vetustati ad magnas res conficiendas justissimis de causis in omni artium doctrinarumque studio semper detuleris, optime antistes, summo hujus sæculi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes, sine ulla intermissione testantur. Hanc te unam venerari et colere, supraque oblectationem omnem, et humanarum curarum requiem suspicere novimus: quam semper admirari, et in omnium prospectum, cum maximas legationes reipublicæ causa obieris, producere merito jure concupivisti: cum ejus affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea, quæ in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot terrores periculaque jam adesse atque imminere videntur, universæ Christianæ reipublicæ maxime conducunt, summe profeceris: et adversus impiam hæreticorum contumaciam, qui Ecclesiam sanctam catholicam, quam divina Providentia afflictam semper excipit, corruere nunquam sinit, perfidia violare, et reliquas piorum gentes sacrilego scelere contaminare nituntur, in eo officio, quod præcipue tuum fuit, enixe ad Dei gloriam provideris, atque consulueris. Illud certe majorum vigiliarum munus, quod ad summam virorum doctrina præstantium existimationem dimanavit, a te gravissimi et litteratissimi viri requirunt atque efflagitant: quo innumerabilia sanctorum Patrum et summorum pontificum scita atque decreta, et sacras synodos obliteratas in tot volumina retulisti, ut singulari tua assiduitate et vigilantia, cum te totum ad sacram constitutionum seriem, et veritatem illustrandam traduxeris, quam maximus canonicis sanctionibus atque decretis cumulus accesserit. In eo præterea te vehementer omnes admirantur: quod in gravissima et perpetua sacrarum sanctionum commentatione doctrinarum omnium studia promovere, et assidua ac vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum et liberalium disciplinarum scientia collocare, et non ludis et feriis, quod studiosissimi viri solent, aut, quod aiunt, succisivis, horis, sed omne id tempus, quo vitam vivimus, et maxime expeti et sustentari consuevit, et communi spiritu fruimur, remissioris litteraturæ studiis, tanquam allevamento quodam et laxamento tribuere nunquam intermittis. Hinc illæ divitiæ atque ornamento ingenii: quorum fructus adeo uberes et fecundos es consecutus, ut cum ad hæc nostra studia, tanquam in leviorem ludum, et popularem lætitiam ad animi remissionem descenderis, majores omnis doctrinæ thesauros explices, ac propalam colloces, quam cæteri, qui omne otium ac tempus in communium litterarum aut politioris humanitatis meditationibus contriverunt. Sed quoniam neque instituti aut judicii mei erat tuas laudes, quæ gravissimorum virorum ingeniis omnium mortalium fama celebrantur, perstringere, tamen hanc me occasionem, B gravissimo vetustatis vindice, custode, atque antistite non diffitebor arripuisse: ut vetustissimi hi rerum scriptores, qui principum Normannorum in Italiam adventum, et res ab eis in Campania, Apulia, Calabris et Bruttiis, et in insula Sicilia gestas ante quadringentos annos posteris tradiderunt, in tui primum nominis præsidio in lucem exeant. Neque inculta eorum et derelicta oratio, et inops series rerum, et inconditi Gaufredi monachi versus, quamvis hebetes ac rudes, aut præposteri, perversique numeri de sententia demoverunt, quin res ipsæ a nemine auctorum, quod ego sciam, ad hanc diem traditæ in publicum proferrentur. Tantum enim me in ea editione a reprehensione ineptiæ abesse arbitrabar, ut propius nihil sit factum quam ut his Normannicarum rerum scriptoribus Bartholomæi Neocastrensis Siculi vetusti scriptoris poeticum opus, cui Messanæ nomen indidit, et XV libris hexametris versibus composuit, adnecterem: tametsi non aliquo sagacis aut bonæ mentis instin- C ctu, aut artificiosa constructione, sed enormi et pingui contextu de rebus a Petro Aragoniæ rege in Sicilia, adversus Carolum ejus nominis primum Siciliæ regem opus id fuerit constitutum; adeo mihi prorsus persuasum est, verborum jacturam tolerabilem esse: cognitionis vero rerum, causarum, et eventorum inæstimabilem. Perspicuum enim hoc est, et in vulgari prudentia situm, principem et primariam esse illam sapientiam, qua majore voluptate afficimur ex rerum ipsarum scientia, vel vilissima compositione traditarum, quas in animis insitas et quasi consignatas notiones inhærere oportet, quam ex supervacanea et diffluenti oratione; cum præsertim eam maxime ex rerum ipsarum traditione efflorescere et redundare conveniat. Quamobrem cum tibi in universa rerum sacrarum functione, et pontificalis auctoritatis, et reliquæ jurisdictionis absolvendæ provincia, atque in tanto officio tantoque munere incredibilis cura nunquam defuerit, quin doctrinarum studiosis undique prosis, magna spe ducor, cum tua summa gravitas D cum singulari comitate conjuncta sit, et qua es lenitate munitus minimum hoc munusculum, acsi insignitæ cujusdam notæ esset, et non aspernaturum, aut refutaturum: si cujusvis vel tenuissimæ utilitatis et emolumenti fructum præbere, et vetustarum rerum memoriam, quas diligentissimi antiquitatis investigatores omni inquisitione veri indagare nituntur, possit patefacere. Ut eos tamen scriptores indicibus rerum ab Aragoniæ regibus gestarum adjungerem, ea me ratio, et consilium impulit quod, ut omittam Aragoniæ reges ab hinc trecentum annis in Normannicam stirpem gemina cognatione se inseruisse, ditiones omnes, quæ a Normannis et mox Suevis principibus tot victoriis

quæsitæ et partæ fuerant, Aragoniis postea regibus, et hæreditario, et belli jure, et ab Ecclesia publicis consiliis beneficii loco delato munere, cœlesti, divinaque sorte obvenere. Ad D. Encratis ex A *suburbano Cæsaraugustano anno Domini* XVI *Kal. Maii 1578.*

Amplitudinis tuæ observantissimus.

HIERONYMUS SURITA.

DOMINICUS A PORTONARIIS DE URSINIS LECTORI.

In editione horum librorum Gaufredi monachi et Alexandri abbatis, vetustorum auctorum qui Normannorum principum res gestas conscripserunt, ut indicibus rerum ab Aragoniæ regibus gestarum adjicerentur, in eo potissimum hæsimus, et ab initio cœpimus subdiffidere quod unicum exemplar nactis alterius codicis præsidium deerat : quod maxime consuevit esse adjumento, ut investigatione certa, ac veluti quadam indagine menda librariorum tollantur. Nam qui corrigendorum librorum operam rite navare instituunt, accurata consideratione permoti summopere abhorrent ne conjecturis, partim ingenio, et confidentia quadam impulsi in varias non modo partes, sed in contrarias plerumque dilabantur : neve fœde auctores, quos corrigere contendunt, misere dilacerentur. Propterea, ne hac corruptela his auctoribus graviores plagæ infligerentur, qui tametsi minime videbantur vetustatem habituri, digni tamen fuerant, compensatione rerum posteris traditarum, ut debitus eis honor haberetur, satius duximus ad depravatos locos notam apponere, ut pro se quisque, quo ingeniosior et solertior, quo ad ejus fieri possit, vitiosis particulis, et corruptis incisis, exsectis, ac reliqua structura apposite interpuncta medeatur. Peræquum enim visum est ne vulnera, quæ ad incorruptam sanitatem a nobis redigi nequeunt, non modo exulcerentur, sed ne attrectentur quidem, ut suum munus pensumque iis relinquatur incolume, qui faciliori et commodiori judicio, desperatis etiam ulceribus opem et incolumitatem ferre valent : et nobis satis superque sit, lucis usuram his auctoribus attulisse, qui nostra opera consecuti sumus ut eis salus atque pristina valetudo ab aliis quandoque reddi restituique posset. Præterea rem minime dubiam arbitramur, eos B rerum scriptores in sua patria, privatis beneficiis, et eorum principum amicitiæ decore floruisse, qui eorum hortatione res gestas posteris tradiderunt, quorum neque veterum quempiam, neque recentiore memoria abbatem Trithemium, qui bibliothecas omnes incredibili diligentia excussit : mentionem fecisse mirum videri debet, et cum supra quadragintos annos delituerint, sartos tectos pene ab omni periculo fuisse conservatos. Gaufredus magna cum cura et diligentia in notandis certis temporum intervallis, quod magnopere non solum delectat, sed sine fastidio et satietate res plena oblectamenti est, in ea laude creber fuit: Alexander vero abbas adeo in eo negligens est, ut seriem ipsam rerum gestarum cum arbiter interfuerit, et viderit præsens, ferme labefecerit. Illud vero nolim a me esse omissum : Alberiam reginam Rogerii regis uxorem, quam insignis religionis fœminam digna laudis commendatione idem scriptor extulit, Alfonsi regis maximi Hispaniarum principis filiam fuisse, qui Toletum regiam urbem, et Carpetanorum Oretanorumque civitates ab impio Sarracenorum dominatu eripuit, quam Rudericus Simenius Toletanus anti- C stes Geloiram, nostri Elviram nominant, ut filius ejus, quem Alexander Anfusum vocat, cui Campani principatus honos est attributus, Alfonsi regis avi materni nomen ediderit.

INCIPIT LIBER

DE ACQUISITIONE REGNI SICILIÆ, CALABRIÆ,

APULIÆ ET INSULÆ SICILIÆ,

PER GLORIOSUM PRINCIPEM

ROBERTUM GUISCARDUM

ET FRATRES DE NORMANNIA VENIENTES;

COMPILATUS

A. GAUFREDO religioso et honesto viro Beati Benedicti monacho, ad petitionem illustris principis Rogerii Trinacriæ comitis, quam de infida tyrannide Sarracenorum ad devotionem Christi reduxit.

HIC SUNT CAPITULA PRIMI LIBRI

Libri hujus sunt diversa distincta capitula :
Quæ passim subtitulare nostra debet pagina
Ut quæ voles perscrutando citius invenias.
I. Primum sonat, quæ pars est Franciæ Normannia.
D II. Rholo duce dat piratas per mare Noerveja.
Hanc pervadunt : rex occurrit, ut abinde arceat.
Bellum differt, fœdus init, fit eorum dominus.
Patria quibus claudatur adnotatur finibus.
Rhythmus cesset, prosa dicat si quid est ulterius.
III. De more Normannicæ gentis ab Altavilla.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

B INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

INCIPIT EPISTOLA RELIGIOSI VIRI GAUFREDI

BEATI BENEDICTI MONACHI

Destinata ab eodem ad venerabilem Patrem dominum Catanensem episcopum.

Beatæ memoriæ GEORGIO [Ansgrio] Catanensi A episcopo, frater GAUFREDUS, ab antecessoribus Malaterra agnomen trahens, infelici cursu mundano cum Martha habito, ad felicitatem quietis Mariæ cum Lazaro fratri resuscitari.

Quandoquidem, sanctissime Pater, quadam peculiari familiaritate a cæteris episcopis, qui quantum ad habitum, alterius institutionis esse præfigurantur habitu religionis quo concingimur, quamvis indignus, vobis me uniri cognosco, peculiari etiam spe a cæteris de vobis præsumens fruor, et vos mihi in omnibus negotiis tutorem exposco. Per vos itaque, aut saltem vestra præsentia librum hunc reputari expostulo, ut vestræ auctoritatis favore principi gratiosior fiat, vel ab æmulis, si forte aliqui insurgant, ob reverentiam vestri, minus remorderi præ- B sumatur. Sciendum tamen vobis est sive alteri quicunque libri hujus recitator vel certe interpres accesserit, si seriatim, minus ordinate, secundum tempora quibus facta sunt quæ adnotantur vel certe aliqua oblivione prætergressa repereritis, non hæc tam mihi quam relatoribus culpando ascribantur, præsertim cum de ipsis temporibus quibus fiebant præsentialiter non interfuissem, sed a transmontanis partibus venientem, noviter Apulum factum, vel certe Siculum ad plenum cognoscatis. Si autem de incultiori poetrica quæstio fuerit, sciendum est quoniam, etiamsi esset unde limpidius aut certe pomposius eructare potuissem, ipsa principis jussio ad hoc hortata est ut plano sermone et facili ad intelligendum, quo ut omnibus facilius quidquid diceretur patesceret, exararem. Ego igitur sive C istud sive illud opponatur, sub umbraculo vestri tutaminis refugium expeto, ut, tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minus pertimescam, et principis nostri sustentamine fruar.

Omnibus, quibus per universam Siciliam episcopale vel clericale nomen assignatur, Gaufredus Malaterra, cum assignatione nominis, et significatum. Antiquorum philosophorum traditione futuræ propaginis humanæ mos inolevit fortium facta virorum, apicibus adnotata, ad posteros transmittere, ne facta memoranda cum ipsis a quibus fiunt silentio depereant sed potius ita litteris commendata, et a futuris lecta vel cognita, ipsos a quibus facta sunt quadam vitæ memoria quodammodo quasi vivere faciant. Quod commendat Sallustius (*Cat* I), D ille inter historiographos laudabilis rhetor, qui in principio sui libri scripsit dicens : *omnes homines, qui sese student præstare animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeat quomodo pecora, quæ natura prona ventrique obedientia finxit.* Talibus edoctus auctoribus, sibi veterum historias recitantibus, famosissimus princeps Rogerius laboriosos et non sine magno discrimine triumphos suos, qualiter videlicet primo Calabriam, deinde vero Siciliam armata manu subjugaverit, posteris consilio suorum mandare decernens, mihi ut ad hujus operis laborem dictandum accingar, injunxit. Sed quia præcedente in me beneficio suo, quidquid injunxit negare nequeo, minus erudito stylo, et enervi poetria, quasi lacum profundissimum natandi nescius, timidus ingredior : vosque vestramque adversum me indignationem plurimum pertimescens præsertim cum vos limpidissimo fonte grammaticæ artis debriatos, non autem me, talis scientiæ pane jejunum ad tale opus accingi opportuit. Sed prædictus princeps vos majoribus utilitatibus occupatos, interdum videlicet Ecclesiarum curis cum Martha, interdum vero beatæ contemplationi cum Maria insudantes cognoscens, vobis, ne a meliore proposito vos revocet, parcit. Me vero, quasi vacantem, et nulli exercitio deditum, quadam manu pulsationis vigilantiorem reddere satagit. Rogo itaque vos, ut memores Scripturæ dicentis : *Invicem onera vestra portate : et sic adimplebitis legem Christi*; et quod alibi dicitur : *Frater fratrem adjuvans ambo consolantur* : ad debile carmen meum sustentandum pedem vestri favoris porrigatis : ut clypeo vestræ auctoritatis munitus incursus detrahentium, et inimico dente aliorum dicta, vel facta rodere tentantium minus pertimescam. Sunt enim quidam, qui cum alicujus scientiæ gradus utcunque attigerint, et exinde humanæ laudis favorem adepti fuerint, tumenti supercilio tanta invidia surperfluunt, ut neminem sibi litteris æquipollentem ex proximo habere velint. Sin autem eos habere contigerit opus alienum, detrahendo mordaci dente appetere non desistunt alterius laude suam minui timentes. His competenter assignari potest illud Scripturæ, qua dicitur : *Scientia inflat*; sed non subsequitur in eis : *charitas ædificat.* Adsunt alii econtra, quorum scientia et mores ipsos in tantum nobilitant, ut quantum plus philosophico fonte debriantur, tanto minori extollentia rapiantur : gressum mentis semper in humilitate figentes; aliorum dicta, vel facta non remordentes : sed quod minus ornate dictum ab eis audierunt, cum mansuetudine intra seipsos, non autem in publico, ne forte scandalizentur, corrigunt. Et ut eos apud potentes hujus sæculi gratiosos

verbis faciant, extollere nituntur; eorum laudem, vel lucrum, quasi suum æstimantes. Horum affectuosam benevolentiam adversum me invitari exposco. Ego vero quæcunque dictavero vobis corrigenda A et rosis vestræ scientiæ exornanda reputabo: ut vinea a vobis exarata, cultu vestræ scientiæ potata uberiores fructus reddens, in majorem laudem et gratiam perveniat principis.

GAUFREDI MALATERRÆ

MONACHI BENEDICTINI

HISTORIA SICULA

INCIPIT LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

Primum sonat, quæ pars est Franciæ Nortmannia.

Nortmannia patria quædam est in partibus Galliæ, quæ quidem non semper Nortmannia dicta fuit, sed regalis quondam Francorum regum fiscus, cum toto suo cujus pars erat, generali nomine Francia nuncupabatur, usque Rholo dux fortissimus, pirata a Dacia vel Norvegia, coadunata sibi plurima fortium manu militum navali exercitu se pelago credentium Frisiam, et quæque maritima loca versus occidentem devastans, tandem in portu, quo Sequana fluvius in mare defluens intrat appulsus est; cujus per alveum maxima classe profundiores partes Franciæ penetrans, amœnitate locorum inspecta, præ cæteris, quas pertransierat regiones, hanc amore amplecti et sibi adoptare fecit. Est enim piscosis fluminibus et feralibus silvis abundantissima, accipitrum exercitio aptissima, frumenti et cæterarum segetum fertilis, piscinis uberrima, pecorum nutrix. Quamobrem ex utraque ripa prosilientes incolas illius regionis imperio subjugare cœperunt.

CAPUT II.

Rholo duce dat piratas per mare Norvcia,
Hanc pervadunt. Rex occurrit, ut abinde arceat;
Bellum differt, fœdus init, fit eorum dominus.

Rex autem, qui tunc temporis Franciæ præerat Ludovicus, ut credimus, secundus, comperiens hostes fores imperii sui invasisse, primo quidem indignatus, commoto exercitu hostibus occurrendum et ducem et eos a finibus arcere instituit. Sed cum hoc non sine magno detrimento suorum se agere posse cognosceret, varios eventus belli pertimescens, suorum sanguini parcens, seniorum usus consilio, fœdera pacis, et servitium quod ab ipsis sibi offerebatur, accepit; eisque maximam partem terræ quam pervaserant in beneficium concessit. (7) Itaque terra illa (8) concessa a pago Pontiniensi quem ab orientali parte sui habet, secus mare Anglicum quod ab Aquilonari parte adjacet, usque A in Britanniam quæ fines ejus occidentales claudit; ab occidentali vero et meridiano cornu, pago Cenomanico terminatur usque in Carnotensem, et a Carnotensi clauditur Velcasino et Belvacensi usque Pontinum. Hanc terram sibi determinatum a rege Francorum Rholo dux hæreditali feudo suscipiens, inter suos, prout convenire cognoscebat, distribuit, pretiosiora quæque pro suis usibus reservans. Quia vero procinctus terræ paucis perstrinximus, de more quoque gentis aliqua dicere utile videtur.

CAPUT III.

De more Nortmannicæ gentis ab Altavilla.

Est quippe gens astutissima, injuriarum ultrix spe alias plus lucrandi, patrios agros vilipendens, B quæstus et dominationis avida, cujuslibet rei simulatrix, inter largitatem et avaritiam quoddam medium habens. Principes vero delectatione bonæ famæ largissimi; gens adulari sciens, eloquentiis in studiis (9) inserviens in tantum ut etiam ipsos pueros quasi rhetores attendas. Quæ quidem nisi jugo justitiæ prematur, effrenatissima est, laboris inediæ, algoris, ubi fortuna expedit (10), patiens, venationi, accipitrum exercitio inserviens. Equorum cæterorumque militiæ instrumentorum et vestium luxuria delectatur. Ex nomine itaque suo terræ nomen indiderunt. North quippe Anglica lingua, aquilonaris plaga dicitur. Et quia ipsi ab aquilone venerant (11) terram ipsam etiam Nortmanniam appellarunt. In cujus quidem provincia civitas est, quæ Constantinum dicitur, in cujus territorio villa est, quæ Altavilla nuncupatur, non D quidem tantum pro excellentia alicujus montis in quo sita sit, sed quoniam, ut credimus, aliquo auspicio ad considerationem prænotantis eventum et prosperos successus ejusdem villæ futurorum hæredum, Dei adjutorio et sua strenuitate gradatim altioris honoris culmen scandentium. Nam nescimus utrum in præcedentibus partibus vel certe in postea futuris hæredibus, aut etiam in utrisque, divina

(7) C. P. *Porrigitur itaque.*
(8) C. P. *illis.*
(9) C. P. *eloquentiœ studiis.*

(10) C. P. *expetit.*
(11) *Normanni dicti terram etiam.*

providentia quod sibi placeret inspiciens hæredes ipsos in tantum (12) provexit ut, sicut Abrahæ repromissum est, in gentem magnam crescentes et suum imperium omnis dilatantes, multarum gentium sibi colla subdiderint, quod paulatim perstringendo stylo prosequemur.

CAPUT IV.

De Tancredo et prima, vel secunda uxore sua, et liberis.

Erat miles quidam præclari admodum generis, qui, ab antecessoribus suis hæreditario jure sibi hanc villam relictam possidens, Tancredus nomine, duxit uxorem, moribus et genere splendidam mulierem, nomine . . . . (13), ex qua legali successione annorum quinque filios postea futuros comites suscepit, Guillelmum videlicet cognomine Ferreabrachia, Drogonem, Humfredum, Gaufredum et Serlonem. Horum matre defuncta, cum ipsa ætas adhuc viridis patri continentiam denegaret, honestus inhonestos coitus abhorrens secundas nuptias celebravit, malens una et legitima esse contentus quam fœdo concubinarum amplexu maculari, memor illius apostolici dicti : *Unusquisque accipiat uxorem propter fornicationem devitandam* Et quod sequitur : *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* Ducta vero Fransendis vocabatur, generositate et moribus priore non inferior, quæ legitimis terminis marito septem peperit filios, non minoris pretii vel dignitatis a prædictis fratribus futuros ; quorum nomina subtitulamus hic : primus Robertus Guiscardus, postea totius Apuliæ princeps, et Calabriæ dux, vir magni consilii, ingenii, largitatis et audaciæ ; secundus, Malgerius ; tertius, Guillelmus; quartus, Alveredus ; quintus, Humbertus ; sextus, Tancredus ; septimus, Rogerius minor, postea Siciliæ debellator, et comes. Mater vero accuratissime et materno affectu filios suos nutriens tanto amore ipsos qui non sui, sed mariti sui, ex præcedenti uxore erant, amplectebatur ut vix discernere posses, nisi ex aliqua causa didicisses, quis filius vel quis non filius esset. Unde et a marito plus amabatur et a circummanentibus plurimum appretiabatur. Infantes vero, ut ætas illis ministrabat, pueriles annos transcendentes, cum jam adolescentiam unus post alium attigissent, cœperunt militaribus disciplinis adhærere, equorum et armorum studia frequentare, discentes seipsos tueri et hostem impugnare.

CAPUT V.

Qualiter primi filii Tancredi Guillelmus, et Drogo et Humfredus, a Nortmannia digredientes. Apuliam venerunt.

Sed cum viderent, vicinis senibus deficientibus, hæredes eorum pro hæreditate inter se altercari, et sortem quæ uni cesserat inter plures divisam singulis minus sufficere, ne simile quid sibi in posterum eveniret, consilium inter se habere cœperunt ; sicque communi consilio prima ætas præ cæteris adhuc minoribus magis roborata, primo patria digressi, per diversa loca militariter lucrum quærentes, tandem apud Apuliam Italiæ provinciam, Deo se ducente, pervenerunt.

CAPUT VI.

Qualiter primum principi Capuano servientes ab ipso ad Salernitanum transierunt.

Audientes itaque inter duos famosissimos principes, Capuanum videlicet et Salernitanum, quibusdam controversiis insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causa militariter aliquid lucrandi, quia viciniorem via qua veniebant viam invenerunt, Capuano sese obtulerunt ? Ubi aliquantisper commorati, cum multa strenue, remuneratione accepta, peregissent, tenacitate Capuani cognita, illo spreto, ad Gaimarii (14) Salerni principem transiverunt. A quo decenter suscepti propter militarem laudem quæ jam ipsos per universam Apuliam famosissimos effecerat, et maxime quia ab inimicante sibi principe ad se transierant, multis donariis ad fidelitatem ejus inflammati, diversis et crebris incursionibus Capuanos lacessentes, totam Provinciam, acsi pestilens calamitas detonaret, attriverunt (15) circumquaque, et Salernitanni passim injurias principis ulciscentes, indefessi idem facere adiverunt, intantumque rebellantes antea principi compescuerunt ut omnia circumquaque se pacata silerent. Longobardorum vero gens, invidiosissima et semper quemcunque probum suspectum habens, ipsos apud eumdem principem, inimico dente mordente, occulto detrahebant suggerentes quatenus eos a se repelleret, quod ni faceret, facile futurum ut gens tantæ astutiæ tantæ strenuitatis, addentes etiam ex sui cordis malitia, tantæ perfidiæ principe exhæredato, ipsi sua calliditate hæreditate ejus potirentur. Unde et cor principis eisdem artibus imbutum facile in deterius proclive pervertunt. Sed princeps quamvis pravis consiliis suorum assentiens quod hortabantur facere moliretur, tamen strenuitatem illorum timens, quod animo occulte agebat minus in propatulo aperire præsumebat.

CAPUT VII.

Qualiter cum Maniaco Græco ad Siciliam debellandam primo transierunt.

Maniacus autem quidam, natione Græcus, a Constantinopolitano imperatore his, quæ apud Calabriam vel certe Apuliam erant sui juris præfectus, Siciliam ad utilitatem debellandi applicare disponens, undecunque sibi auxilia conduxit ; unde et ex parte imperatoris Salernitano principi, ut amico imperii , mandat quatenus ipsos, per quos inimicos suos debellavisse fama erat in auxilium sui imperii mittat, promittens etiam multis præmiis remunerandos. Princeps autem nactus occasionem, qua honeste eos a se dimittat, vocat ; accersitos, ad quod hæc rogatus erat, hortatur, præmia quæ pol-

(12) C. P. *quantum.*
(13) C. P. *Moriellam.*

(14) C. P. *Gaimarium.*
(15) C. P. *addiderunt.*

A licebantur, ut eos ad id facilius impellat, verbis enumerans, etiam de suis pollicetur. Porro illi, non tam imperio principis quam spe eorum quæ pollicebantur illecti, apparatis quæ necessaria erant, ad Maniacum usque pervenerunt. De quorum adventu Maniacus non minimum gavisus, plurimum eorum auxilio fidens, navigio aptato, Siciliam numeroso exercitu invadunt (16), primoque Messanam, quia ripæ applicuit, contiguam oppugnans, deditione fœdus secum inire coegit. Nam quamvis apud Messanam strenuissimi suæ gentis milites essent, qui ab urbe progredientes in congressu Græcos plurimum collidebant; sed tamen Græcis cedentibus, nostris congrediendi locus patuit. Messanenses, nostrorum strenuitate nondum experta, primo quidem acriter instare cœperunt. At ubi vident se plus solito vexari, quasi novæ gentis militiam abhorrentes, terga præbuerunt nostris usque in proximum urbis, extremos quosque cædentibus. Maniacus nostrorum causa nactus urbem, in pretio eos habere cœpit, donisque et promissionibus corrigere (17) ad militiam. Inde ergo profundiores partes Siciliæ attentando et omnia subjugando progredientes, Syracusam usque pervenerunt. Arcadius quidam, qui urbi principabatur, nostris infestus multas strages dabat. Quo Guilielmus Tancredi filius, qui Ferreabrachia nuncupatur, plurimum indignatus impetu facto super eum irruit, fortiterque congrediens hastili robore dejectum interfecit; unde et maxima laudis admiratione deinceps apud Græcos et apud Siculos fuit. Siculi itaque usque ad sexaginta millia congregati Maniaco, et suis in partibus Trainæ urbis bellum offerre tentant. Porro Guilielmus filius Tancredi, laude militiæ ferox armis (18), strenuus, Græcos a certamen præveniens, certamine inito cum suæ gentis tantum militibus cum hoste congreditur, antequam Græci ad locum certaminis perveniant. Fortiter agendo plures stravit (19), reliquos fugat, victor efficitur. Græci, ad locum quo certatum fuerat pervenientes, nostris hostes insequentibus, spolia diripiunt, inter se dividunt, nulla portione nostris qui ab hoste excusserant reservata.

CAPUT VIII.

Qualiter Arduinus a Maniaco cæsus sit.

Quod cum nostri, a persequendo hostes redeuntes, cognovissent, injuriam rati, per Arduinum quemdam Italum, qui ex nostris erat, qui Græci sermonis peritiam habebat, Maniacum utique improviso, an ex deliberatione industriæ spolia diviserit, ad rationem ponunt. Porro ille indignatus, quasi potestati suæ contradicere præsumpserint, cum liceat de eisdem spoliis sibi pro libito suo agere, per spatia castrorum fustibus cædendo, ad ignominiam gentis nostræ contumeliis affici præcepit. Arduinus rediens cum talia nuntiat, nostri grave ferentes, in Græcos insurgere deliberant. Sed Arduinus vix eos compescens utilius consilium dedit, scilicet ut ira dissimulata ipse cultioribus vestibus in præsentiam Maniaci procedat, donec, illis minus suspicantibus, ipse a notario Maniaci, cujus amicitia fruebatur, chirographum, quo liberius transeant Pharum, quovis astu accipiant. Quod cum sic machinatur, Maniacus his quæ agebantur ignarus, benevolentiam militis laudare, munera promittere, subsannando tamen cum suis ridere. Ut autem chartulam a notario, quasi aliquod negotium versus Calabriam habens, Arduinus accepit, nostri clam de nocte Messanam usque progressi, Pharum impune transeunt, sicque versus Apuliam tendentes, Calabriam et quæcunque Græcorum juris esse sciebant vastant percurrentes, sicque faciendo usque in Apu-B liam pervenerunt; sed dolositatem Gaimarii principis cognoscentes, ad ipsum minime transierunt: verum provinciam invastando, sibi eam subjugandi consilium accipiunt.

CAPUT IX.

Qualiter Melfa a Nortmannis ædificata sit, et de legato a Græcis misso, et de primo congressu quem cum Græcis habuerunt.

Sed cum sine castro, quo se tuerentur, patriæ illius incolæ (20) essent, castrum, quod Melfa dicitur, construxerunt; ubi cum quingenti tantum milites essent, Græci, qui terræ illi principabantur, maxima multitudine ex Calabria et Apulia sibi coadunata usque ad sexaginta millia armatorum, ut eos a finibus suis propellerent, versus illos ire cœperunt, legatoque præmisso mandant ut quod ma-C luerint eligant; aut certamen in crastino secum habere, aut pace sibi indulta incolumes a pervasis finibus recedere. Legatus vero, qui ad hæc missus fuerat, cum pulcherrimo equo insideret, quidam Nortmannus Hugo, cognomento Tudextifem (21), equum manu attrectare cœpit. Ut autem mirabile aliquid de se sociisque suis, unde terrerentur, Græcis mandaretur, nudo pugno equum in cervice percutiens uno ictu, quasi mortuum, dejecit. Reliqui vero Nortmanni prosilientes Græcum, qui cum equo dejectus fuerat et solo timore læsus quasi exanimis humi jacebat, erigunt; equum autem usque ad quoddam præcipitium pertrahentes dejiciunt. Porro Græcus, cum vix consolatione Nortmannorum ad mentem rediisset, meliori equo ab eis accepto, cer-D tamen paratum sociis refert. Sed cum quod acciderat principibus populi sui tantum retulisset, illi, admiratione et metu percussi, verbum inter se comprimebant, ne forte, si in propatulo diceretur, exercitus territus refugeret. Mane itaque facto, summo diluculo a Nortmannis occurritur, fortiterque congredientes acerrime utrinque pugnatur. Intererant huic certamini de filiis Tancredi, Guilielmus Ferreabrachia et comes Drogon; necdum quisquam fratrum eos subsecutus fuerat. Isti vero, ut fortissimi milites socios animantes, sed et ipsimet

(16) C. P. *invadit.*
(17) C. P. *arrigere.*
(18) C. P. *in armis.*
(19) C. P. *sternit.*
(20) C. P. *incolis.*
(21) C. P. *Tudebufem.*

fortiter agentes, multis ex hostibus prostratis, tandem in fugam reliquos dederunt; quos insequentes et posteriores quosque cædentes, victoriam obtinuerunt, multis hostibus in flumine, quod Olivetum dicitur, dum transnatare cupiunt, submersis.

CAPUT X.

De secundo prælio sub Montepiloso.

Victi, needum autem defatigati, sed seipsos invicem animantes, multo ampliori exercitu congregato, duce Annone qui ad hoc ab imperatore Constantinopolitano missus fuerat, iterum bellum parant. Quibus Nortmanni bello non segnes, sub Montepiloso occurrentes fortiter congressi ostendentes se bellum nolle refugere, sed potius quasi ex delectatione appetere. In congressu Græcis contra ipsos fortiter agentibus, cum jam Nortmanni fatigari præ nimia cæde cœpissent, Guilielmus quartanæ febris typo laborabat, et præ nimia infirmitate, qua premebatur, certamini interesse non poterat, sed procul jacens exitum rei exspectabat. Cum videret jam suos minus fortiter agere, et pene deficere, indignatione et ira, infirmitatis qua premebatur oblitus, arma corripiens sese, quasi leo furibundus, hostibus medium dedit suosque verbis exhortatoriis recreans, fortiter agendo hostes in fugam vertit, duce (22) Anno, duce exercitus, qui caudatus erat, quasi bove interfecto. Viribus itaque suis diffidentes et fortunæ minus credentes, castra sua munientes ultra decertare cum Nortmannis, nisi muris interpositis, non præsumebant, sed neque ipsi muri contra Nortmannos tueri poterant. Nam crebris incursionibus eos lacessentes, vineta et oliveta eorum exstirpabant, armenta, et pecora et cætera quæ ad usum necessaria sunt, nihil extra castra relinquentes, diripiebant. Sed et ipsa castra, ipsis intra reclusis, exercitu vallantes oppugnabant, machinamentisque, quibus doctissimi artifices erant, ad id officii agendum, necessariis aptatis, muros et turres crebris ictibus impingendo, funditus diruebant. Ruptis muris, adytis patentibus irrumpentes, omnia sibi diripiebant, unde et reliqua circumquaque castra, id sibi invicem cernentes, ultro sese eorum ditioni subdebant.

CAPUT XI.

De junioribus filiis Tancredi, qui præcedentes fratres in Apulia subsecuti sunt.

Juniores vero fratres, quos ætas adhuc domi immorari cogebat, præcedentes seniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris culmen honoris et dominationis ascendisse, fama referente cognoscentes, quamcito ætas permisit, ipsi quoque subsecuti, duobus tantum in patria relictis, ne hæreditas, vel competens (23) stirps alienaretur. Abeuntes vero remanentibus ut remanerent vix persuaserunt, sed in hoc potius prævaluerunt quod hæredibus eorum, si se sequerentur, de his quæ acquisituri erant sese benefacturos polliciti sunt. Sed perlongum est huic operi, per singula perstringendo inserere, qualiter apud Apuliam egerunt (24). Hoc tantum summatim non solum nos, sed etiam res ipsa testatur, quod omnem patriam armis domantes sibi subjugaverunt. Subsequente enim se suorum, et parentum et compatriotarum, sed et reliquarum circumadjacentium regionum, spe quæstus, maxima multitudine, ipsi impigri largitores, quasi fratres suscipientes, equis, armis, et vestibus ac diversis muneribus ditabant. Quibusdam etiam terrarum loca largissime impertiebantur, omnibus divitiis hujus mundi auxilia fortium militum præponentes. Quamobrem nihil incœpti incassum illis præteribat. Unde et illud evangelicum illis provenit, ubi dicitur: *Date, et dabitur vobis.* Quanto enim ampliora largiebantur tanto majora lucrabantur.

CAPUT XII.

De morte Guilielmi comitis.

Igitur seniore fratre, Guilielmo videlicet comite, infirmitate præveniente, defuncto, magnus dolor omnes Nortmannos invasit. Quippe qui tanti consilii virum, tam armis strenuum, tam sibi munificum, affabilem, morigeratum ulterius se habere diffidebant. Sed exsequiis, ex more accuratissime et cum magno planctu non immerito celebratis, secundus frater Drogo totius Apuliæ dominatum suscepit: vir quidem, ut succincte dicamus, per cuncta laudabilis. Hic fratrem suum Hunifredum Abagelardo (25) comitem, apud castrum, quod Lavel dicitur, virum prudentissimum consilio Apuleiensium et Nortmannorum ordinavit; Robertum vero Guiscardum in Calabria posuit, firmans ei castrum in valle Cratensi, loco qui Scribla dicitur, ad debellandum Consentinos et eos qui adhuc in Calabria erant rebelles.

CAPUT XIII.

De morte comitis Drogonis.

Longobardi igitur Apuleienses, genus semper perfidissimum, traditione per universam Apuliam silenter ordinata, ut omnes Nortmanni una die occiderentur determinato die, cum comes Drogo apud castrum Montis Olei, quod corrupte ab incolis Montolium dicitur, moraretur, summo diluculo, ad ecclesiam, ut sibi mos erat, properans, cum jam ecclesiam intraret, quidam, Risus nomine, ejus comitis compater, et sacramentis fœderatus, post januam latens, fœdere rupto, ferro eum suscepit, qui cum pluribus suorum, paucis aufugientibus, occisus est. Sed per diversa Apuliæ loca plures hac traditione occubuerunt. Porro Hunifredus Abagelardo (26) nece fratris turbatus, honorem sibi vindicans, castra, quæ frater possederat, insiluit; Nortmannosque, qui periculum traditionis evaserant, sibi alligans, in vindictam fraternæ necis insurgit, multoque tempore castrum, quo frater suus occisus fuerat, oppugnans, tandem devicit, fratrisque interemptorem, cum sibi

(22) *Ducé Annone, qui.*
(23) *Ipsos quoque subsecuti sunt, duobus tamen in patria relictis, ne hæreditas illis competens.*

(24) *Qualiter in Apulia egerit.*
(25) C. P. *Adagelardum.*
(26) C. P. *Adagelardus.*

assentientibus, diversis cruciatibus afficiens, eorum sanguine iram, et dolorem cordis sui aliquantulum exstinxit.

CAPUT XIV.

De Leone apostolico, qualiter a Nortmannis captus sit.

Apulienses vero, necdum traditionibus exhausti, per occultos legatos IX Leonem apostolicum ut in Apuliam cum exercitu veniat invitant, dicentes Apuliam sibi jure competere, et prædecessorum suorum temporibus juris Ecclesiæ Romanæ fuisse, se illi auxilium laturos; Nortmannos imbelles, viribus enerves, numero paucos. Ille, ut assolet, quamvis prudentissimus esset, ambitione captus, Alamannorum exercitu ab imperatore sibi in adjutorio recepto, confidens in auxilio Longobardorum Apuliam intrat. Comes vero honestius ducens cum honore vitam finire, quam cum dedecore vita comite suscepto honore privari, commoto exercitu audacter hostibus occurrit; ordinataque acie suorum certamen iniens, cum primo congressu fortiter, ut solitus erat, agere cœpisset, Longobardi territi fuga se ipsos tueri nituntur, Alamannis in prælio relictis. Qui cum fortiter dimicarent, nullum refugium, nisi in armis habentes, Nortmannis vincentibus, pene omnes occubuerunt. Apostolicus fuga vitæ asylum expetens, intra urbem provinciæ Capitinatæ, quæ Cimitata dicitur, sese profugus recepit. Quem hostes insequentes armato milite obsident; aggeres portant, machinamenta ad urbem capiendam parant, incolas minis terrent, ut apostolicum reddant. Illi vero semper perfidissimi nulla pactione ad utilitatem apostolici, nisi ut seipsos tuerentur, acquisita, eum per portas ejiciunt; quem hostes suscipientes, ob reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum magna devotione ejus provolvuntur pedibus, veniam et benedictionem ejus postulantes. Sed et usque ad loca quo exercitus castra et tentoria fixerat, cum omni humilitate illi servire exsecuti sunt. Quorum legitimam benevolentiam vir apostolicus gratanter suscipiens, de offensis indulgentiam et benedictionem contulit, et omnem terram, quam pervaserant et quam ulterius versus Calabriam et Siciliam lucrari possent, de S. Petro, hœreditali feudo sibi et hæredibus suis possidendam concessit, circa annos 1052.

CAPUT XV.

Qualiter Leo papa a Nortmannis cum honore dimissus sit.

Apostolicum itaque Romam regredientem comes Hunifredus, quousque sibi placuit, cum honore conduxit. Ubi vero licentiam redeundi concessit, in Apuliam reversus omnem terram placidam et sibi obedientem invenit, quam longo tempore in pace rexit, ut vix in aliquo loco suæ dominationis latro vel qui suis imperiis contradicere auderet, posset inveniri. Duos itaque fratres suos comites fecit, Malgerium Capitinatæ, Guilielmum vero in principatu. Sed Malgerius moriens cum omnem comitatum suum Guilielmo fratri suo reliquisset, Guilielmus Gaufredum fratrem suum diligens sibi concessit.

CAPUT XVI.

De Roberto Guiscardo, qualiter castrum Sancti Marci firmavit, et qualiter cum Sclavis pedes prædatum ivit.

Robertus vero Guiscardus cum apud Scriblam moraretur, Calabros fortiter impugnans, cum videret suos propter infirmitatem loci et aeris diversitatem languescere, saniorem locum expetens, non quidem hostes devitando, ut timidus retrorsum vadens, longius (27) recessit, sed potius quasi in hostem hians, in viciniorem se conferens castrum, quod S. Marci dicitur, firmavit. Sed cum firmato castro quid motus introduceret non inveniret, abstraxerant enim circummanentes ad proxima castra quæque habebant ne ab ipsis diriperentur, quodam vespere dapifer, qui omni domui suæ præerat, requisivit ab ipso quid in crastinum comesturi erant ipse vel milites sui, dicens, se neque victum neque pretium ad emendum habere; quod si pretium haberet, nusquam, ubi cum pace adiri posset, inveniri posse. Guiscardus usque ad sexaginta, quos Sclavos (28) appellant, totius Calabriæ gnaros secum habens, quos quasi fratres fidelissimos sibi beneficiis et muneribus missis effecerat sciscitatus est ab eis, utrum locum adibilem scirent, quo præda (29) posset capi. Quibus respondentibus se ultra montes via præruptissima in profundissimis vallibus permaximam scire, sed sine magno discrimine extrahi non posse, Robertus tale fertur dedisse responsum: Eia, tutissimi vitæ meæ fautores, itane patiemini Guiscardum, sed et ne vos fame affici (30)? Causa victus acquirendi, dubia fortuna, usque in periculo vitæ tentanda est. Nam et tentantes sæpe triumphaliter evasisse audivimus, neminem vero, qui fame interierit, laudari. Ite, inquit, nocturni prædones, ebrietas Calabros minus vigiles esse permittit. Nam et hanc diem celebrem habentes, ex more conviviis et potationibus studuerint (31). Prætie (32), subsequar militibus (33) armatis. Sicque lecto parato, cum jam collocatus esset, de nocte nullo sciente consurgens vili veste et scarpis, quibus pro calceariis utuntur, ad similitudinem abeuntium sese aptans, illis medius adjungitur. Sicque per totam noctem ignotus comes illis factus, nulli eorum verbum effecit. Nam neque exsceare volebat, ne forte ita quis esset deprehenderetur. Quia enim ejusdem gentis erant, non ex toto sese credebat illis. Porro ubi ad locum prædæ ventum est, quidquid ibi invenerunt ante se colligentes, ipse crebris saltibus et vibrante hastili, ut reditum accelerent, socios hortabatur. Sed antequam illucesceret, ii quibus damnum illatum fuerat, sua ablata perpendentes, cum ducerent, militibus ut prædam excutiant, prosequuntur. At

(27) C. P. *intus.*
(28) C. P. *Scalanos.*
(29) C. P. *prædam.*
(30) *Guiscardum, et vos ipsos fame*, etc.
(31) C. P. *potationibus studuerunt.*
(32) C. P. *Præcedite*, etc.
(33) C. P. *militibus ducentis*, etc.

Guiscardus, insequentes approperare videns et socios, ne præda privari pati antur, sese invicem audacter cohortari audiens, ut audaciores redderet, jam quis esset aperuit. Guiscardus, inquit, adsum particeps laboris vestri. Sine me nil periculi patiemini. Forti animo estote, et insurgamus, hostibus. Nam, Deo fortunam prosperante, facile prævalebimus. Hæc dixit, et hostibus cum maximo furore occurrens, dum certat, multos perimit, plures capit, reliquos fugat, victor efficitur. Sicque triumphalibus spoliis acceptis, de peditibus suis equites fecit, denique jam securus, captivos secum deducens, præcedit, paucis qui prædam post se minent relictis. Milites vero sui cum jam, luce orta, eos armatos versus castrum advenire cognoscerent, hostes suspicati, dominum suum ubi esset nescientes, per totum castrum clamore requirunt. Non invenientes turbantur; audacter tamen castro prosilientes illis quos hostes suspicabantur occurrere accelerant. Porro Guiscardus, equum in quo sedebat calcariis urgens, alta voce Guiscardum ingeminando occurrit, sicque agnitus ab illis de præsentia sua et de felicitate fortunæ omnes hilares reddit. Redarguitur tamen plurimum ab ipsis quod talia præsumpserit, et ne ulterius præsumat admonetur, ne fortuna quæ nunc arrisit postmodum si tentetur, in pejus cedat. Sic castrum præda et redemptione captivorum ditans, Calabros crebris incursionibus plurimum lacessivit.

CAPUT XVII.

De Roberto Guiscardo et Petro de Turra.

Qualiter vero Petrum de Turra qui apud Bisinianum morabatur, acceperit, silentio prætermittendum non est. Erat quippe idem Petrus ditissimus civis Bisinianensis, sed et consilio et virtute cæteris pollens, omnibus principabatur. Soliti autem erant multoties convenire, hic et Robertus Guiscardus, quasi ad placitum de pluribus controversiis quæ inter suos eveniebant. Porro Guiscardus, cum sciret eum maxima pecunia abundare, et præ cæteris castro dominari, cœpit animo tractare qualiter per eum et castro potiri posset, et pecuniam quam possidebat abstraheret. Quod secum diu revolvens, tandem consilio cum suis habito, quadam die nullo fœdere interposito extra castrum Bisianense, in campo in quo colloqui consueverant cum venissent Guiscardus, videns maximam multitudidem cum Petro venisse, nuntio præmisso mandat se illi multitudini intermisceri nolle, ne forte inter ipsos tumultus ex aliqua re fieret, sed longius promotis utriusque partis sociis ipsi duo in medium collocuturi convenirent. Prædixerat tamen suis quid facere disponebat, et cum necesse foret, sibi citius auxiliaturi occurrerent. Assentiente itaque Petro his quæ a Guiscardo mandata sunt, sibi minus prospiciens, sociis a longe dimissis, ipse medio loco Guiscardo obvianti accelerat. Considentes ergo et diu sibi ad invicem loquentes, cum jam discessuri assurgerent, Guiscardus enormitate et mole corporis illius inspecta, viribus suis minus diffidens, erat enim in

A omnibus præsumptuosissimus et magnarum rerum audacissimus attentator, Petrum medium corripiens, collo suppositum versus suos asportare cœpit. Accurrentibus itaque utriusque sociis, Bisinianensibus, ut Petrum eruerent, Nortmannis vero ut dominum suum juvarent, Guiscardus Petrum enerviter reluctantem interdum portando, interdum volutando, interdum trahendo usque ad suos perduxit. Calabrenses vero de Petro jam desperantes, et pro ipso cum Nortmannis minime certare pœnitentes, fugiendo sese in castrum Bisinianense receperunt. Nortmanni vero, gaudentes quasi de triumpho, usque ad castrum S. Marci Petrum secum adducunt, ubi aliquandiu in captione detentus, pecuniam mirabilem persolvens, seipsum a captione liberavit, sed civibus non assentientibus, castrum minime reddere potuit.
B Tali calliditate et huic similibus Calabrenses de Guiscardo compertis, genus formidolosissimum, omnes ante eum tremebant, quippe cui neminem assimilari posse armis et ingenio, sed neque viribus dicebant.

CAPUT XVIII.

Qualiter Robertus Guiscardus comes Apuliæ factus sit.

Tanta itaque pecunia Guiscardus accepta suos abundanter remunerando, in sui fidelitate roborat, Calabrensesque infestiores reddit, quotidiano impetu lacessens Bisinianenses et Consentinos, Martuzianenses et his adjacentem provinciam secum fœdus inire coegit: tali videlicet pacto ut castra sua retinentes servitium tantummodo et tributum persolverent, et hoc sacramentis et obsidibus spoponderunt. Hunifredus igitur comes, Apuliam gloriosissime et
C laudabili pace gubernans, infirmitate præventus, quod dolor est dicere, mortuus est. Quod Guiscardus, qui tunc temporis apud S. Marcum morabatur, audiens, versus Apuliam magno cum dolore animi accelerat; susceptusque a patriæ primatibus, omnium dominus et comes in loco fratris efficitur, ordinatisque rebus suis et tota Apulia sibi in pace conciliata, quod primum animo conceperat minime oblivisci potuit, sed jam ampliori imperio dilatatus et majoribus viribus, militum videlicet copia auctus, ad quod cœperat peragendum iterum intendit. Exercitu itaque commoto, et his quæ ad expeditionem necessaria erant, versus partes Calabriæ aciem dirigit; pertransiensque Consentinos fines et Marturianenses, juxta calidas aquas, super flumine quod
D Nocato dicitur biduo permansit, ut exercitum itineris asperitate fatigatum recrearet et terram certius exploraret. Indeque pertransiens usque ad castrum quod Scyllatium dicitur, juxta littus maris iter intendens, Rhegium usque pervenit, ubi triduo situ loci inspecto, cum videret se cives urbis, nec minis nec blandimentis flectere posse, quibusdam negotiis versus Apuliam se revocantibus, reditum parat. Decedenti Leucastrum, et Maja et Canalda pacem facientes sese dediderunt.

CAPUT XIX.

De Rogerio juniore filio Tancredi.

Rogerius vero minor frater quem adhuc domi

juvenilis ætas et amor parentum detinuerat, subsecutus in Apuliam venit; de cujus adventu Guiscardus, non minimum gavisus, honore quo decebat eum suscepit. Erat enim juvenis pulcherrimus, proceræ staturæ, eleganti corpore, lingua facundissimus, consilio callidus, in ordinatione agendarum rerum providus, omnibus jocundus et affabilis, viribus fortis, militia ferox; quibus artibus brevi tempore omnem gratiam meruit. Quia vero factiosus erat, et laudis, ut in tali ætate assolet, appetens, factiosos quosque sibi alligans, quæque habere poterat libenter et largissime illis impertiebatur. Porro Guiscardus, fratris constantiam et militarem audaciam certius experiri volens, cum sexaginta tantum militibus plurima millia hostium debellaturus, in Calabriam dirigit. Qui audacter pergens, in altiori cacumine montium Vibonensium castra metatus, tentoria fixit ut longe lateque visus incolas circumquaque facilius deterreret. Quod cum compertum fuisset per omnes civitates, et castra illius provinciæ et totius vallis Salinarum, territi omnes legatos qui pacem postulent dirigunt, munera plurima dantes fortissima castra eneviter reddunt in servitutem, juramentis et obsidibus fœderantur.

CAPUT XX.

De Rogerio qui Roberto Guiscardo invitatus a Calabria in Apuliam vadit.

Sic terra ad suam et fratris fidelitatem pro libito ordinata, plurimum pecuniæ quam acceperat in Apuliam fratri per legatos misit, eventus suos qualiter egerit mandans. Ipse vero castrum, quod Incifola dicitur, studiosissime turribus et propugnaculis firmans, armatis militibus munivit; omnibus, quæ ad victum necessaria erant, sufficienter introductis. Guiscardus vero pecunia, quæ sibi a fratre directa est accepta, et strenuitate ejus agnita plurimum gavisus est, ejusque colloquium desiderans, ut ad se venire acceleret mandat. Ille, sex tantummodo milites secum ducens, reliquis ad tuendum castrum, quod fecerat, et provinciam premendam, ne fraudes præsumerent, relictis, in Apuliam ad fratrem venit; a quo cum decenter fuisset susceptus, eventus suos alternatim conferentes, mutua collocutione locuti sunt (33).

CAPUT XXI.

Robertus Guiscardus, et Rogerius cum exercitu Rhegium vadunt.

Sicque cum moratus est, donec communi consilio paratis his quæ ad expeditionem necessaria erant, maxima manu equitum et peditum juga montium Calabriæ transcendentes, versus Rhegium incedunt. At cum in vallem Salinarum ventum est, Guiscardus audiens Rhegienses omnia circumquaque quæ ad victum necessaria erant secum infra urbem clausisse, et nihil relictum quod exercitui contiguum foret, providens ne obsidenda urbe famis angustia exercitum propelleret, Rogerium fratrem cum trecentis militibus versus castrum, quod Geracium dicitur, in prædam dirigit, summopere admonens ut quidquid ad victus necessaria rapere posset, apud Rhegium exercitui deferat; ipse, recto itinere gradiens, urbem obsidere accelerat.

CAPUT XXII.

Rogerius cum maxima præda Rhegium venit.

Rogerius vero, studens ad gratiam fratris et totius exercitus quod sibi injunctum erat peragere, altissimos colles cum profundissimis vallibus perlustrans, ut fidelis et studiosa apes, onustissimus ad exercitum cum maxima præda rediit, jamque pene deficientes omnes abundantia recreavit. Guiscardus vero, videns se versus civitatem minus proficere et exercitum hiemis asperitate turbari, obsessionem solvens discessionisque dans licentiam, ipse apud Maiam hiemandi gratia cum paucis secessit.

CAPUT XXIII.

Rogerius irato animo a Roberto Guiscardo recedit.

Rogerius itaque, cum quod militibus suis largiretur minus abundaret (34), et ipsi sibi in exigendo importuniores essent, a fratre expetit. Ille vero pravorum consilio versus, cum cæteris largus esset, illi strictior quam oportebat (35) esse cœpit. Videbat denique propter strenuitatem, quam habebat, militiam juvenum totius Apuliæ ei notius quam sibi adhærere; unde et ne contra se insolesceret, metuebat, et ut paucis contentus secum moraretur penuria cogere volebat. Porro ille, ut magni animi erat, sciens se, a fratre recedens, in Apuliam ivit (36)

CAPUT XXIV.

Rogerius a Guilielmo fratre benigne suscipitur, et Scalea conceditur.

Quod audiens frater suus Guilielmus, comes videlicet totius principatus, legatos mittit; ut ad se veniat invitat, quæ habet simul accipiat, nihil se excepta uxore et liberis, ab illo proprium habere velle repromittens. Veniens itaque honore quo decebat susceptus est, aliquandiuque cum ipso moratur. Tandem castrum, quod Scalea (37) dicitur, ab ipso accepit, per quod multas incursiones versus Guiscardum faciens, circumquaque lacessivit. Quod cum Guiscardo relatum fuisset, exercitu moto dictum castrum obsessum vadit. Guiscardus quidem oliveta et vineta urbi contigua devastabat. Guilielmus autem milites ejus crebris congressibus et

(33) C. P. *lætati sunt.*

(34) *Rogerius vero cum quibusdam militibus suis, et quod eis largiretur minus habetur.*

(35) *Consilio usus versus eum cum cæteris largus esset, et illi strictior quam*, etc.

(36) *Se sic a fratre tractari, recedens in Apuliam se contulit.*

C. P. *Se aut a fratre degenerem, vel indignum, quin gradatim ad alta, ut ille fecerat, et jam ipse fortuna sibi favente, scanderet, irato animo a fratre recedens*, etc.

(37) C. P. *Ascla*, et ita deinceps.

hostili robore militariter dejiciens, numero minuebat. Ille vero, cernens se versus urbem minus proficere et numerum suorum diatim magis ac magis minui, ne majori damno gravaretur, consilio habito a loco recessit.

CAPUT XXV.

Rogerius comes equos furatur.

Non multo post per internuntios pace ad tempus inter ipsos facta, invitatus a fratre Rogerius cum quadraginta militibus fidis sibi servitum vadit; ubi quidem plurimum penuriarum passus est, sed latrocinio armigerorum suorum in multis sustentabatur. Quod quidem ad ejus ignominiam non dicimus, sed, ipso ita præcipiente, adhuc viliora et reprehensibiliora de ipso scripturi sumus, ut pluribus patescat quam laboriose et cum quanta angustia a profunda B paupertate ad summum culmen divitiarum vel honoris attigerit. Habebat siquidem armigerum quemdam, Blettiva (38) nomine, coram, quo nil tuebatur ad quod furandum intendebat. Hic ipse penuriosus adhuc juvenis, postmodum ditissimus futurus comes (39), cum esset cupiens quosdam equos, quos apud Melfam in ejusdem domo viderat, ad hæc (40) persuasit ut secum vadens nocturno furto abstractos abduceret.

CAPUT XXVI.

A Rogerio Malfitani capiuntur.

Curriculo itaque mensium duorum fratris servitium studiose peragens, cum ab ipso, nil inter se et omnes suos causa remunerationis uno tantum equo excepto, accepisset, quamvis non legerat, tamen quasi naturaliter sciens illud Sallustianum proverbium (*Cat.* 61) : *Frustra niti et ad extremum nil, nisi odium fatigando quærere, jam demum extremæ dementiæ est; et quod bene servienti fortuna necessaria est*, sibi vero eam minus favere cum fratre plurimum verbis altercatus, fœdere quod inter se ad tempus habebant reddito, Scaleam reversus est, statimque in eodem vespere, apud castrum, quod Narencium dicitur, milites suos super Guiscardum prædatum mittens, provinciam spoliavit. At dum illos, quos prædari miserat, apud Scaleam præstolatur, Berver (41) quidam a Melfa veniens nuntiat Melfitanos negotiatores a Melfa versus Melfam, haud procul a castro transire. Quo audito non minimum gavisus, equum insiliens Gisenualdum et Carbonariam, cum octo tantum militibus mercatoribus occurrit, captosque Scaleam deduxit; omniaque quæ secum habebant diripiens ipsos etiam redimere fecit. Hac pecunia roboratus largus distributor centum sibi milites allegavit; quibus totam Apuliam crebris et diversis incursio- A nibus lacerans, Guiscardum in tantum sollicitum reddebat ut acquirendæ Calabriæ oblitus, jam quod acquisierat pene amitteret.

CAPUT XXVII.

Fames in Calabria fit.

Anno 1058, clades permaxima, et flagellum iræ Dei, ut credimus, peccatis exigentibus, divinitus immissum totam Calabriæ provinciam curriculo trium mensium, Martii videlicet, Aprilis et Maii in tantum attrivit ut trino morbo mortem sibi imminere cernentes, cum unum ad vitæ periculum sufficere posset, vix ad quodvis horum, nedum tria simul furiosissime detonanti a pericula se evadere posse existimarent. Nam una ex parte gladius a Nortmannis vix alicui parcens desæviebat. Ex alia vero fames viribus exhaustis per languida æstuabat. Tertia vero pruina mortalitatis horribiliter defluens, vix intactum percutiens (42) ut in arenti arundineto laxis habenis furens (43) incendium percurrebat. Pecunias habentes, quid emerent non habentes atque ipsos liberos (44) ex ingenuitate procreatos vili pretio in servitium venundantes, num ubi illud ad victus utilitatem expenderetur, non inveniebant, ad augmentum doloris sui, amissione in cassa (45) venditione liberorum, quasi quarta calamitate cruciabantur. Vescentibus carnibus, absque pane comestio, quibusdam vinum non habentibus, ubi aquæ potu condiebatur (46) dysenteriem faciens, multos dejiciebat; quosdam autem spleneticos faciebat. Ubi vero vino fortiori intemperate C superfundebatur calor naturalis, ejusdem perniciem lucri cor, quod panis non confirmabat, internis quadam æstuatione concedens debilitari cogebat. Quadragesimæ sanctam observantiam (47) a sanctis, et religiosis Patribus catholice contraditam angustia dissolvit, in tantum ut non solum lactis vel casei verum etiam carnis comestione reliquis temporibus concessæ, etiam ab ipsis qui alicujus honestatis antea videbantur violaretur. Sic herbarum virentia olera, quibus pulmentaria fieri solent, terræ sterilitas subtraxerat. Ubi vero inveniebantur, quadam pruina vitiati aeris decocta post obesse quam prodesse degustata videbantur. Fluvialibus carectis, et quarumdam arborum corticibus, cum castaneis et quercinis, sive ilicinis nucibus, quas D glandes dicimus, porcis subtractis, et mola post exsiccationem tritis, panes facere modico milii admisto tentabant. Crudæ radices cum solo sale degustatæ, ventris tumorem cum pallore vultus excitantes vitalia intercludebant. Matres pietate astu ab ipso liberorum ore cibum rapere potius quam administrare impudenti violentia satagebant. Sic trino flagello usque ad novas fruges attriti sunt;

(38) *Quemdam Blettinam.*
(39) *Adhuc vivens, postmodum ditissimus futurus comes causa esset.*
(40) *In cujusdam domo viderat, ad hoc.*
(41) C. P. *Benerus.*
(42) *Vero pugna mortalitatis horribiliter defluens vix aliquem permittens evadere, in tantum pertransiens.*
(43) *Habenis fervens.*
(44) *Suos liberos.*
(45) *Sui propter ammissionem incussa.*
(46) *Habentibus aqueo potu conducebantur.*
(47) *Dissolvit crudis carnibus, et fructibus arborum, vel corticibus utebantur in cibis.*

sed novis frugibus supervenientibus fames quidem propulsa est; gladius vero mortalitatis acutior factus est. Nam corpora, famis penuria vacuata et cibo insueta, quanto abundantiori cibo contra usum intemperanter reficiebantur, tanto citius periclitabantur.

CAPUT XXVIII.

Calabri rebellantes castrum Leucastrense in dolo capiunt, pluribus ibi interfectis.

Calabrenses denique, genus perfidissimum, cum viderent fratribus inter se dissidentibus sese a nemine suscitari (48), cœperunt jugum Nortmannorum a se excutere, et servitium, quod juraverant, vel tributum minime persolvere; unde et simulatione fidelitatis traditione composita, castrum Leucastrense accipientes, sexaginta Nortmannos, qui
B ad tuendum ibi castrum relicti erant, una die peremerunt.

CAPUT XXIX.

De pace facta inter Robertum Guiscardum et Rogerium fratrem suum.

Quod cum Guiscardo nuntiatum fuisset, videns se versus in Calabriam perdere, et Apuliam totam turbari, fratrem per legatos accersiens, pacem cum eo fecit, concedens ei medietatem Calabriæ a jugo montis Intefoli (49), montis Scyllatii, quod acquisitum erat, vel usque Rhegium essent acquisituri.

CAPUT XXX.

Robertus Guiscardus uxorem Alberadam repudians Sigelgutam ducit, et Rogerius et Guiscardus reconciliantur.

C Post hæc Robertus Guiscardus uxorem habens quæ gentis honestam et præclari generis, Alberat dam nomine, ex qua habebat filium, nomine Marcum, quem alio nomine dicebant Boamundum, consanguinitate adnumerata, canonicis sanctionibus contrarius esse nolens, conjugium solvit, filiamque Gaimari Salernitani principis, Sigelgaytam nomine, sibi in matrimonium copulavit.

CAPUT XXXI.

Robertus Guiscardus super Guilielmum fratrem suum, antequam nuptias celebret, vadit.

Anno ab Incarnatione Domini 1058, hanc apud Salternum desponsatam, antequam convenirent, Rogerio fratri procurandam committens, ipse ut (50) Gisulphum fratrem suum comitem principatus in
D hæreditate illius firmaverat, quibus ipsi plurimum (51) infestus erat, dirutum vadit; inde Melfam regressus, solemnes nuptias celebravit,

CAPUT XXXII.

Bellum apud S. Martinum cum Græcis a Rogerio fit.

Quibus expletis, Rogerius, Guilielmo fratri cum gratiarum actione Scaleam reddens, rogatus a Guiscardo in Calabriam venit, castrumque Melitense a fratre sibi hæreditaliter deliberatum habens, rebelles Calabros circumquaque impugnare cœpit. Quadam vero die cum Oppidum (52) castrum obsideret, episcopus Cassinianensis, et Giracii præsopus, quem nos præpositum dicimus, maximo exercitu concitato, castrum, quod Sancti Martini dicitur, in valle Salinarum oppugnatum vadunt anno Dominicæ Incarnationis 1059. Quod cum Rogerio nuntiatum fuisset, ab obsesso recedens, citato cursu, ubi eos esse audivit, advolat. Impetu facto, indeque quasi circumcingens, vix unum evadere permisit; de quorum spoliis, et equis et armis omnes suos abundantes fecit. Quam ob rem Calabria, et si non ex toto obediens, tamen a vicinitate ejus tremula, minus cum prior irritare præsumebat.

CAPUT XXXIII.

In adjutorium Gaufredi fratris Robertus Guiscardus et Rogerius vadunt.

Robertus igitur Guiscardus rogatus a fratre suo Capitinatæ comite Gaufredo, ut contra sibi reluctantes auxilium laturus in terra, quæ Gitium dicitur, quam, ut suos fines dilataret, debellare cœperat, veniret, in fratris sui Rogerii strenuitate plurimum fidens, ut ad se, secum illuc iturus, quamcitissime veniat invitat. Ille autem, invitatione suscepta et necessitate fratris sui cognita, quamvis suis utilitatibus disponendis occupatus esset, tamen quia sibi semper mos fuit amicorum utilitatibus, uti suis, subvenire, accuratissime versus fratris auxilium subvenire accelerat; sicque exercitu commoto, utrique in auxilium fratris aciem dirigentes, Guillamatum (53) castrum oppugnantes capiunt; Galterio, qui castro principabatur, in Apuliam captivum ducentes, oculos effodiunt, ne si oculos habens captione quandoque liberaretur, fratri iterum molestus fieret. Hic sororem quamdam habebat, quæ cum ipso in captione abducta est; quæ etiam tantæ pulchritudinis esse testatur ut si aliquando ad mare balneatum venisset, vel causa experientiæ crura in aliquo piscoso flumine deponeret, pisces albedine ejus delectati adnatabant, ut etiam manu capi possent.

CAPUT XXXIV.

Guillamato debellato utrique fratres Calabriam vadunt.

Tunc comes Gaufredus Guillamatum (54) castrum adjutorio fratris adeptus, totam Teacinam provinciam debellare fortiter cœpit. Robertus vero Guiscardus cum Rogerio fratre in Calabriam secessit, ubi ad utilitatem suam et fratris plurima disponens et usque Rhegium prædatum vadens, Rogerio in Calabria remanente, ipse in Apuliam hiematurus regressus est.

CAPUT XXXV.

Robertus Guiscardus dux efficitur.

Hieme vero transacta, magno desiderio Rhegium

(48) C. P. *visitari.*
(49) C. P. *Niclefoli*
(50) *Gisulpho fratri puellæ ad votum ageret, duo castra, quæ Gulielmus.*
(51) *Ipse tamen.*
(52) C, P. *Oppium.*
(53) *Guilliniacum.*
(54) *Guilliniacum.*

adipiscendi ardens, commeatu et reliquis quæ necessaria erant magno studio præparatis, plurimoque exercitu anno Domini Incarnationis 1060 congregato, Calabriam venit, fratremque secum accipiens, tempore quo messes colligi incipiebant, Rhegium præoccupans obsedit. Porro illis, quasi pro vita tuenda sese fortiter defendentibus, utrique fratres certatim suos cohortantes, ad oppugnationem castri excitant; unde, cum hostes interdum prosiliunt, multa militariter ab ipsis perpetrata sunt. Nam Rogerius, ne alios ad militiam arrigens ipse refugere diceretur, in omni congressu sese sociis præponens, quemdam fortissimum et enormi corpore virum, exercitui Nortmannorum multis contumeliis exprobrantem, quem omnes quasi gigantem extollebant, impetu facto hastili robore dejiciens interfecit. Hoc itaque taliter interfecto, reliqui qui infra castrum erant, territi, cum viderent machinamenta ad urbem capiendam parata, eamque usque perduci, viribus suis diffidentes, pactione facta, ut duobus, qui cæteris principari videbantur, cum omnibus suis abire liceret, cæteri omnes, urbe dedita, ditioni Nortmannorum sese subdiderunt. Abeuntes vero sese in castro, quod Scillacium dicitur, receperunt.

CAPUT XXXVI.

Guiscardo apud Rhegium remanente, Rogerius castra Calabriæ expugnat.

Igitur Robertus Guiscardus, accepta urbe, diuturni disiderii sui compos effectus, cum triumphali gloria dux efficitur, magnasque gratias cum meritorum recompensatione fratri et reliquo exercitui, quorum auxilio tanti culmen honoris attigerat, referens, fratrem cum exercitu per urbes et castra totius provinciæ, ut suo imperio subdantur, dirigit; ipse interim a labore se apud Rhegium recreans. Rogerius vero hujus artis non ignarus, sapienter exercitum ducens, brevi spatio temporis, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo undecim famosissima castella lucratus est in tantum ut in tota Calabria nec unum castrum reluctari præsumeret, excepto solo Xillano (55), quod illi tenebant, qui a Rhegio exierant.

CAPUT XXXVII.

Qualiter Scyllacium captum fuit.

Quod Rogerius obsidens, cum videret celeriter non posse capi, exercitum vero suum laboris tædio affici, castellum quoddam ante portam firmavit, militibus, qui Scillacium sollicitarent, et his quæ militibus necessaria erant, muniens, exercitum ad expeditionem solvit. Porro illi qui a Rhegio Scillacium ingressi fuerant, cum viderent se nimium ab illis infestari quos Rogerius in novo castro posuerat, nec diu ferre posse, de nocte navem ingressi, Constantinopolim aufugiunt. Scillacenses autem Rogerio arcessito, pacem anno Domini 1060 facientes, castrum dedunt, sicque tota Calabria in conspectu Guiscardi ducis et Rogerii fratris sui sedata siluit.

(55) C. P. *Scyllacio.*

CAPUT XXXVIII.

Qualiter Serlo Tancredi filius a Nortmannia in Britanniam pulsus sit.

Sed ne aliquis existimet illos qui in Apuliam cum aliis fratribus non venerunt minoris valentiæ a reliquis fratribus fuisse, et ideo in Nortmannia remansisse, de Serlone pauca dicenda sunt. Hic denique cum in Nortmannia inter militiæ laudabiliores appretiaretur, a quodam potente injuriam passus, dum vindicari studet, illum interficit. Unde iram Roberti comitis, filii Ricardi secundi, patris vero famosissimi regis Anglorum Guilielmi ferre non valens, in Britanniam declinavit; ubi aliquandiu commoratus, omnium gratiam strenuitate sua obtinuit, perque legatos pacem a comite Roberto expetens, nec obtinens, multis incursionibus Nortmanniam lacessivit.

CAPUT XXXIX.

De militia ejusdem Serlonis.

Et cum quodam tempore idem comes Robertus in confini Franciæ et Nortmanniæ castrum, quod Taulerias dicitur, obsedisset, miles quidam Francigena a castro diatim exiens, et singulare certamen ab exercitu Nortmannorum expetens, multos prosternebat. Comes vero, damnum suorum timens, omnibus interdixerat ne aliquis illi obviaret; sic suis excusationem tribuens, ut, cum quod periculosum erat refugerent, non hoc jam timori, sed principis interdictioni ascriberent. Quod cum Serloni in Britannia, ubi tunc temporis morabatur, relatum fuisset, ignominiam populi sui non ferens, duobus tantum armigeris comitatus Taulerias venit, summo diluculo ante portam singulare certamen offerens, de equo hasta innixus exspectat. Porro ille qui alios dejicere solitus erat, indignatus, cum maximo furore spendidus in armis ferventi equo advolat, quis sit requirit; ut a loco recedat vitam tuendo hortatur. Illo nomen revelante, sed a loco recedere nolente, dum fortiter congreditur, aliorum prostrator forti hastili prosternitur. Serlo, pluribus utriusque partis aspicientibus, non tamen quis esset scientibus, victor ad gloriam Nortmannorum efficitur. Sicque caput abscissum lanceæ supponens, per medium suæ gentis castrorum, nulli verbum faciens, in Britanniam redire accelerat. Comes ergo, legatum mittens, quisnam sit perscrutari jubet, et ut ad se veniat præcipit. Sed cum renuntiatum fuisset hunc Serlonem filium Tancredi esse, et a Britannia causa imperii a populo suo propellendi venisse, se autem iram principis, quia infensus erat, declinare, et patria, quamvis penuriosum, libenter, donec principis ira sedetur, dum ipse jusserit, exsulare. Comes, pietate motus et tanto viro ulterius carere nolens, ad se jubet accersiri. Venienti occurrit, gratiam suam indulget, osculo secure reddit, quæ habita amiserat restituit, uxori, cui plures possessiones competebant, auget, inter sibi familiariores retinet.

CAPUT XL
De Tancredo et apro.

De Tancredo vero tantorum filiorum patre aliquid memoria dignum dicere nec absurdum est. Tempore quippe juventutis suæ militaribus exercitiis deditus, et diversarum regionum et principum curias perlustrans, multa strenuæ laudis avidus agendo, cum ipsa laude et plurima lucratus est. Cum autem esset in familia comitis Nortmannorum Ricardi secundi, qui quartus a Rhollo duce fuit, quadam die idem princeps venatum pergens, tali enim exercitio ut mos est divitibus, non minimum delectabatur, aprum miræ enormitatis, quem singulare dicunt, movit. Erat autem sibi mos, sicut et pluribus aliis potentibus est, ut venationem, quam ipse moveret, nullus præter ipsum occidere præsumeret. Porro, canibus aprum velocius insequentibus, cum comes præ opaca densitate, spinosis saltibus tardius insequeretur, canibus infestioribus aper timens a fine lacerari, rupe quadam inventa, ipsa pro muro a cauda utitur; et dentosum caput ad se tuendum canibus offert. Sicque, canibus venatoris auxilio destitutis, cum jam aper de ipsis spumante dente multas strages faceret, casu Tancredus supervenit, visaque strage molossorum, quamvis morem principis non ignoraret, tamen succurrendum canibus accelerat. Aper vero ipso viso, canibus spretis firmo
A impetu super eum irruit. Sed Tancredus cum esset fortis viribus, audaci ense illum suscipiens, non quidem illum ictu feriendo, sed acuto mucrone per durissimam frontem usque ad præcordia impingendo, capulum fronti adjunxit; nihil ex longissimo ense præter capulum extra corpus apri remanente. Sicque dejecto ensem in fronte linquens, ipse, ne a comite hoc fecisse deprehenderetur, longius avulsus est comes vero veniens aprum mortuum miratus, utrum vulnus aliquod habeat socios lustrare jubet, deprehensoque ense adhuc in fronte defixo, impulsum miratur, cujus ensis sit requirit, ne se hujus facti actor celet ita condonatur. At cum a Tancredo factum deprehensum fuisset, a comite et cæteris omnibus plurima laude extollitur, et cum
B antea in pretio fuerit, majori deinceps habitus est; et dudum (56) postea in curia comitis decem milites sub se habens servivit. Nunc vero quia non quidem omnia quæ memoranda forent, sed pauca, quæ fama didicimus ab ipsis fratribus in Apulia, vel certe Calabria facta, quamvis rusticos stylo exaravimus, ad ea, quæ apud incredulam Siciliam gesta sunt, qualiterve (57), diu rebellis subjugata sit, intentionem vertamus, ita tamen ut cum, opportunitas expetierit, illa quæ postea in Apulia (58), vel Roma, sive Græcia facta sunt, suo in loco oblivione non prætereantur (59).

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

Si quæritur quod (60) Calabria, vel Apulia jam ex parte non autem ex toto, quantum ad ea quæ in eis facta sunt, descriptis, apud Siciliam describentes transeamus (61), iterum quasi digressionem facientes describenda (62) suum locum, quantum ad tempus quo facta sunt (63), exigit rationis series recto tramite textatur (64), ut quæ priora facta sunt præcedant (65), quæ vero posteriora subsequendo scribantur. Comes enim Rogerius, cum primum Siciliam debellaturus egressus est, quæ apud Calabriam habebat non deseruit; sed cum opportunitas exigebat, exercitus in Siciliam interim dimisso, ipse ad sua negotia disponenda redibat, multoties etiam duci fratri auxilium laturus, vel certe in majoribus et dubiis rebus consilium daturus ut strenuus miles et vir magni consilii, in Apuliam usque transibat

CAPUT PRIMUM.
Comes Rogerius primum Siciliam intrat.

Elegantissimus igitur juvenis comes Calabriæ, cum apud Regium cum fratre duce tota Calabria debellata, moraretur, Siciliam incredulam audiens et brevissimo mari interposito ex proximo intuens,
D ut semper dominationis avidus erat, ambitione adipiscendi eam captus est, duo sibi proficua deputans, animæ scilicet et corporis, si terram idolis deditam ad cultum divinum revocaret, et fructus vel redditus terræ, quos gens Deo ingrata sibi usurpaverat, ipse in Dei servitio dispensaturus temporaliter possideret. Hæc secum animo revolvens, eorum ad quæ animum intendebat non tardus executor, cum sexaginta tantum militibus, periculosissimo, quamvis brevi pelago inter Scyllam et Charybdim navaliter sese committens, Siciliam explorat; et gentis suæ militiam tentatum transmeando vadit. Et portui, quo applicuerunt, populosa civitas proxima; quæ a messe, vocabulum trahens, eo quod totius regionis messes, quantum Romanis in tribu-
C tum antiquitus persolvebatur, illuc congregari solebat, Messana vocata est. Hujus urbis cives, quorum plurima multitudo erat, hostes suos fines pervasisse cognoscentes, plurimum indignati, maxime quod paucos numero videbant, urbis portas maximo impetu prosilientes, ipsos occupatum vadunt. Porro comes ut semper astutissimus et militia callens,

(56) *Demum.*
(57) *Qualiter ne.*
(58) *Quæ prius in*, etc.
(59) *Suo loco oblivioni non prætereunte.*
(60) *Quæratur quare.*
(61) *Transimus.*
(62) C. P. *Ad eundem stylum reducturi sciendum et quod unaquæque res escribenda.*
(63) *Est.*
(64) *Testatur.*
(65) Additur *subsequendo*.

primo timore simulato cum eos longius ab urbe seduxisset, impetu facto, acerrime super eos irruens, in fugam vertit. Sicque extremos quosque cædendo, usque in portam civitatis, longo reditu fugientibus visus odibilis comminator, reduxit. Spoliis itaque et equis illorum quos dejecerat acceptis, naves suas ingressus, Rhegium remeat ad ducem fratrem suum.

CAPUT II.

Dux Robertus Rhegium et totam Calabriam procurandam delegat; ipse in Apuliam vadit.

Dux deinde Robertus cum comite Rogerio fratre suo in Apuliam hiematurus, regressus est; ubi quia jam aliquantulum temporis transierat, ex quo abinde recesserat, res suas quasi ab acumine obtusas et minus ordinatas inveniens, tota hieme consilio prudentiæ suæ refortiens (66), ad integrum reparavit; Apulienses que principes de noviter adepto ducatu sibi congaudentes pluribus donans, de expeditione versus Siciliam in proxima futura æstate facienda permonuit.

CAPUT III.

Becumen Admiraldus Siciliæ a suis expulsus ad Rhegium comitem convenit.

Rogerius vero comes, duce relicto in Apulia, Rhegium in prima septimana ante Quadragesimam remeavit: ad quem Becumen (67) Admiraldus Siciliæ a Belcamedo (68) quodam principe prælio fugatus, eo quod maritum sororis suæ, honestum suæ gentis juvenem, vocabulo Benneclerum (69) occiderat, apud Rhegium profugus venit, comitem versus, impugnationem Siciliæ multis exhortationibus incitans.

CAPUT IV.

Consilio Becuminis comes Rogerius iterum in Siciliam vadit.

De cujus adventu comes non minimum gavisus eum honorifice suscepit, ejusque consilio, needum hieme transacta, hebdomada videlicet proxima ante Quadragesimam, cum centum sexaginta militibus ipsum Becumen secum ducens Pharumque ad Clibana (70) tegularum transiens, Siciliam invadit. Dumque, Becumene qui ad se transfugerat ductore, versus Melacium iturus de nocte, haud longe a civitate Messana transiret, obvium habuit quemdam Sarracenum, militia inter suos nominatissimum, fratrem scilicet Benecleri (71), pro cujus occasione Becumen a Sicilia ejectus fuerat. Hic nempe cum in præcedenti vespere persensisset comitem armata manu Siciliam intrasse, militia sua, plus necessario præsumens, a Messana progressus nocturnus hostis ut sibi aliquod militare nomen, in damno hostium acquireret, tentatum ibat. Comes vero Rogerius inermis excepto clypeo solo, et ense quo accinctus erat, armiger namque cum armis subsequebatur, socios præcedebat oculos intentissime circumquaque ducens. Dumque illum adventantem (72) sub pallore lunæ deprehendisset, perlongum ducens ab armigero arma recipere, ne forte, si etiam ille sub umbra viseret aufugeret, impetu facto solo ense super eum irruens, unoque ictu medium corripiens secavit; de corpore duabus partibus factis, equumque et spolia cuidam suorum dedit. Inde Melacium, et Rametam usque pertransiens, plurimum prædæ accepto, ad tres batus (73), juxta Pharum, qui Praroli dicitur (74), hospitaturus rediit in crastinum ad ultimas aquas (75) usque prodiens, præda, quam acceperat, Rhegium deferenda navibus (76).

CAPUT V

Comes Rogerius cum Messanensibus præliatur.

Porro Massanenses putantes jam, quibusdam naves ingressis, se illos, quasi semipartitos, posse facilius occupare, equitatu et peditatu omnes urbe egressi, invadere vadunt. Verum quia ventus contrarius erat, nullus armatorum naves intraverat; comes vero cognoscens eos versum se adventare, Serlonem nepotem suum, videlicet Serlonis fratris sui filium, cujus superius in fine primi libri mentionem fecimus, ne si fugere, sicut et fecerunt vellent, liberius possent, sic præmissum, ipse velocius subsecutus, dum fugere nituntur, ita intercepit ut vix ex tanta multitudine evaserit.

CAPUT VI.

Mare turbatum sedari comes Rogerius voto obtinuit.

Messanensibus suorum vulnera (77) flentibus, comes penes civitatem transiens, in insula S. Hiacynthi, haud longe ab urbe, hospitatum vadit, summoque diluculo Messanam, quasi viribus exhaustam, oppugnare vadit. Sed Messanensibus, quamvis paucis, qui adhuc supererant, cum ipsis mulieribus armatis, turres et propugnacula, seseque certatim ut pro vita, defendentibus, comes, ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versus Rhegium tractare cœpit. Mare vero turbatum cum periculosum transitum ostentaret, comes sapienti usus consilio, totam prædam quam ceperat, S. Andronio (78) ad ecclesiam suam reædificandam juxta Rhegium dandam proposuerat. Destructa quippe erat noviter. Sicque meritis ejusdem sancti, ut credimus, aura prospere flante mare sedatum, sese transmeabile præbens, impune transire permisit.

(66) C. P. *resarciens.*
(67) *Betumen.*
(68) *Ab Elcarmedo.*
(69) *Beneclerum.*
(70) *Bittumen secum, eo quod patriam sciebat, ducens: Pharumque ad Clibanum.*
(71) *Benemencleri.*

(72) *Dum illum advenientem.*
(74) *Lacus.*
(74) *Caroli dicuntur.*
(75) *Ad dulces aquas.*
(76) *Deferandum navibus ponunt.*
(77) C. P. *Funera*
(76) S. *Antonio.*

CAPUT VII.

Quod præda super paganos accepta Deo in sacrificium ingrata non sit.

Ne videatur hoc factum, quod prædam Deo obtulerunt, contrarium canonicis sanctionibus, propter illud quod dicitur : *Qui immolat victimam ex rapina, vel ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris* (*Eccli* XXXIV); cum hoc potissimum accipiendum sit dictum de substantia pauperis (79) Christi, de quibus et alibi dictum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V) (80), non esse scimus, qui Deum nec ore, nec corpore contitetur. Sed quod (81) aufertur Deo offerre haud absurdum videtur (82), nam acceptis ingrati (83) utuntur a quibus ipse largitor non cognoscitur (84).

CAPUT VIII.

Panormitani, ut nostris transire volentibus prohibeant, in Pharum navigio veniunt.

Comes igitur Rogerius toto mense Martio et Aprili per Calabriam utilitates prudenter ordinans navibus et reliquis necessariis commeatibus expeditionem iterum versus Siciliam certatim parat. Majo itaque intrante dux ab Apulia cum maximo equitatu Rhegium veniens, etiam navalem exercitum per mare venire fecit, Belcamuer vero Almiraldus Siciliæ, audiens expeditionem versus Siciliam apparari, naves quas Cattos (85) appellant, quæ hostium transitum impediant, a Panormo in Pharum mittens, per aliquot dies hostes transire impediunt. Nam quamvis noster navalis exercitus plurimus esset, eorum tamen amplior et fortioribus navibus erat. Nostri denique tantummodo (86) abundantior (87) Germandos et Galeas : Sicilienses vero Cattos, et Golafros (88) et Dormundos, sed et diversæ fabricæ naves habebant.

CAPUT IX.

Nostri transitum sibi turbari videntes adjutorem implorant.

Dux, ita sibi transitum turbari videns, cum fratre comite et sapientibus accepto consilio, divinum invitat auxilium, exercitui ut sacerdotibus confiteantur et pœnitentia accepta omnes communicent indicit. Ipse cum fratre, si terra divina auxilio illis tribuatur sese deinceps Deo devotiores futuros voto promittunt, certa fide in mente retinentes quod scriptum est : *In omnibus negotiis tuis Deum adjutorem tibi assume, et habebis prosperos effectus*; et, quia non est consilium contra Dominum ; et, quod nulla proficiendi difficultas est, ubi Spiritus sanctus cooperator adest, in omnibus, quæ facere disponebant, Deum ordinatorem, fortiorem gubernatorem lacrymabili compunctione cordis implorant.

(79) *Pauperum.*
(80) *Istis vero, quorum regnum cœlorum.*
(81) *Si quid.*
(82) *Afferre absurdum non est.*
(83) *Ingratis.*
(84) *Et cætera.*

A

CAPUT. X.

Comes, nescientibus hostibus, de nocte transiens Messanam capit.

Comes itaque Rogerius, videns hostes ex altera ripa contra suum exercitum adjacere et nusquam promoveri, ad callida argumenta, ut solitus erat, ac si legisset, *quid refert armis contingat palma, dolisve?* convertitur, consiliumque duci dedit, ut ibidem cum exercitu remanens sese hostibus ostentaret, ipse interim cum centum et quinquaginta militibus Rhegium usque progrediens, navibusque sibi abinde sub nocturna umbra contraductis, mare nescientibus hostibus transiens, Siciliam invaderet. Duce vero, timore amittendi fratrem, hoc negante, et dicente se nil per fratris mortem lucrari velle, sed potius fratris vitam omni lucro præponere, Rhegium præ-
B missus navibus ipse comes cum trecentis militibus subsecutus, ut semper militia præsumptuosus, et magnarum rerum attentator, mare incautus (89) hostibus impune transiens, ad locum qui communiter Monasterium (90) dicitur applicuit, navesque remittens, ne forte aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatum vadit. Quam inermem inveniens, nam jamdudum defensores ejus peremerat, urbe capta turres et propugnacula ejus diruit; quos invenerunt interfectis, quibusdam vero ad Panormitanas naves transfugientibus, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo.

CAPUT XI.

Garracenus quidam sororem fusientem deficientem interfecit.

C Inter quos et quidam juvenis de nobilioribus Messanæ urbis civibus, sororem habens pulcherrimam, dum fugiens secum adducere nititur, puella, ut tenuis virguncula, et debilis naturæ, laboris expers, timore et insolitio cursu deficere cœpit. Frater ad fugam dulcissime verbis excitans, dum minime proficit, viribus exhaustam videns, ne inter Nortmannos remanens ab aliquo eorum corrumperetur gladio appetens interfecit. Et quamvis præ dulcedine languoris sororis lacrymis perfunderetur, unica enim erat, maluit sororis interemptor fieri et mortuam flere quam soror legis suæ prævaricatrix fieret, et ab aliquo lege sua non contento stupraretur.

CAPUT XII.

Panormitani se clusos cogoscentes recedunt. Dux liber transit.

D Porro Panormitani, urbe capta, se delusos ab hostibus cognoscentes, timentes ne forte tum mare turbatum, si illic diutius morarentur, eos ad terram, cogeret, et ab hostibus opprimerentur, confusi, vela; unde venerant, dirixerunt. Ipsius vero urbis captæ claves comes Rogerius ad ducem transmisit; man-

(85) *Roc Kilias.*
(86) *Namque tantum.*
(87) *Habundantior.*
(88) *Keeleas et Galafros.*
(89) C. P. *incautis.*
(90) *Trium.*

dans ei, quatenus secure navigando acceleret ad se. Sicque mari hostibus purbato, patenti absque periculo transitu, dux cum omni exercitu placito cursu transmeans, Messanam venit, fratremque sanum inveniens, non minimum congavisi sunt.

CAPUT XIII.

Dux et comes, pro libito suo Messanam ordinantes, Rametam obsessum vadunt.

Rebus itaque suis per octo dies sapienter dispositis et urbe pro velle suo firmata custodibus diversis, equestri exercitu apud Messanam relicto, versus Rametam utrique fratres intendunt. Rametenses autem dudum cognito, in parva manu hostium eorumom, maximam multitudinem Messanensium bellatorum occubuisse, ne quid simile sibi accidat, advenientibus hostibus, obviam territi legatos qui pacem postulent mittunt, urbemque et seipsos ditioni dantes, libris superstitionis legis suœ coram positis, juramento fidelitatis firmant.

CAPUT XIV.

Christiani de Valle Domine comiti et duci munera offerunt.

Inde de prospero eventu cum maxima lætitia recedentes, et debilitate gentis cognita, audaciores sub Scabatripoli hospitium sumunt. Inde in crastinum ad Fraxinos perveniunt, ab Fraxinis ad Maniaci pratum. Hic Christiani in valle Demina manentes, sub Sarracenis tributarii erant. De Christianorum adventu gavisi illis occurrerunt, multaque enxenia et donaria obtulerunt, hoc excusationis contra Sarracenos assumentes, non quod causa amoris, sed, ut seipsos et quæ sua erant tuerentur, hoc facerent Fidelitatem vero suam illis inviolabilem se servaturos; fratres vero utique eos cum maxima dulcedine suscipientes, multa beneficia se illis collaturos, si terra a Deo sibi concedatur, promittunt. Sic in pace dimissis, ipsi Centurbium usque pertendunt.

CAPUT XV.

Dux et comes Centurbium oppugnant.

Sed Centurbienses, quamvis strenuitatem eorum non ignorarent, mori non abhorrentes, cum nullo modo servire volunt, in defensione urbis et sua propugnacula armant. Nostri vero fortiter oppugnantes civitatem, cum viderent suos a fundibulariis et sagittariis vexari et sine detrimento suorum versus urbem nil se posse proficere, ab oppugnatione desistunt, maxime cum in proximo sibi a Sarracenis bellum imminere audiebant, contra quos suos, ne vexarentur vel numero diminuerentur, reservabant.

CAPUT XVI.

Nostri a planitie Paternionis super fluvium Quedetam castrametati sunt.

Sic Centurbio relicto, in planitie Poternionis castrametati, tentoria figunt. Visaque planitie spatiosa aptum locum ad præliandum judicantes per octo, dies illuc morati sunt, volentes, ut a Sarracenis inibi sibi prælium dispositum offerretur. Sed cum a speculatoribus Becuminis Sarraceni, qui apud Rhegium ad comitem transfugerat et illos fidus comes et ductor comitabatur, didicissent bellum needum in promptu haberi, interius progredientes, apud S. Felicem juxta cryptas subterraneas hospitati sunt, quas oppugnantes maxima ex parte cœperunt, pluribus ex inhabitantibus inte remptis. Inde progressi ad molendina, ante castrum Joannis in ripa fluminis, quod lingua eorum Guededa dicitur, quod Latine *resolutum fluminis paludis* interpretatur, castrametati sunt.

CAPUT XVII.

A nostris cum Sarracenis prælium efficitur.

Bechamet igitur, numerosa Africanorum multitudine et Siciliensium coadunata, bellum quod diu disposuerat hostibus offert, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo. Porro dux exercitum semipartiens, erant enim tantummodo septingenti, et ex ipsis duas acies ordinans, unam fratri, ut priori, sicuti sibi moris erat, ut hostem feriat delegat; ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando subsequi non tardat. Similiter Bechamet, cum quindecim millia armatorum haberet, tres acies instituit, cum quibus primo quidem audacissime hostibus occurrens, certamen iniit. Porro nostri in primo, ex more, congressu fortiter agendo plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt; quos cædendo, versus Castrum Joannis persequentes, usque ad decem millia occiderunt. Sicque victoriam adepti, spoliis quidam sunt ditati in tantum ut qui equum unum in prætio perdiderit, pro uno decem recipiens, consimiii lucro, ad similem exercitium accedere non dubitaret. In crastrino enim propius castrum progrelientes, ad lacum, qui est inter castrum Joannis, et Iraneuum (91) sola nocte hospitati, die sequenti in monte, qui Calataxibet dicitur, tentoria figunt. Sed quia mons strictior erat, et minus ad hospitandum exercitui sufficiens, ad planitiem Fontium transierunt. Comes vero Rogerius, quietis impatiens et laboris assiduus, trecentos juvenes secum ducens usque Grigentum prædatum et terram inspectum vadit, totam Provinciam incendio concremando devastans. Cum redit spoliis et præda totum exercitum abundanter replevit. Per mensem itaque ibi perdurantes, totam Provinciam diversis incursionibus lacerantes affixerunt; sed Castro Joannis minime prævaluerunt. In ipso anno dux Castrum Marci fecit.

CAPUT XVIII.

Propter vicinam hiemem expeditio solvitur, et Christiani Trainam dedunt.

Hiemem itaque vicinam prævidentes expeditionem solvunt; Becuminem vero in sua fidelitate apud Catanam, sui enim juris, dimittentes, qui Siciliam interim lacessat; ipsi Nessanam militibus qui

(91) C. P. *Naurcium*.

eam custodiant et his quæ militibus necessaria forent munientes, Pharo transmeato, dux quidem in Apuliam hiemandi gratia secessit, comes vero in Calabria remanet. Media vero hieme intra natale Domini, cum ducentis quinquaginta militibus iterum mare transiens, usque ad Grigentinam urbem totam patriam sollicitans prædatum vadit. Christiani vero provinciarum, sibi cum maxima lætitia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Trainam adveniens, a Christianis civibus qui eam incolebant cum gaudio susceptus, urbem intrat, pro velleque suo ordinans, ibidem Natale Domini celebrant (92).

CAPUT XIX.

Comes Rogerius uxorem ducit.

Sic legatus quidam a Calabria veniens nuntiavit abbatem Robertum S. Euphemiæ a Nortmannia a Delicia (93), sorore sua, nepte Nortmannorum comitum adnita (94) mandare sibi ut acceleret versus nuptias celebrandas. Quod comes audiens multum exhilaratus erat. Denique ex multo tempore eam cupiens, speciosa quippe et præclari generis erat, quanto celerius potuit, versus Calabriam repedans, diu cupitam puellam vīsum ire accelerat, veniensque in vallem Salinarum (95). apud S. Martinum puellam legitime desponsatam Melitum cum maximo musicorum concentu deducens, illuc solemnes nuptias celebravit.

CAPUT XX.

Comes ergo nuptiis celebratis in Siciliam vadit

Quibus consummatis, aliquandiu cum uxore commoratus, quo animum intenderat oblivisci minime potuit; sed exercitu apparato Rogerium armigerum (96) secum ex parte ducens, juvencula in Calabria dimissa, iterum Siciliam invadit, nullis persuasionibus lacrymantis uxoris detentus. A Catana itaque Becumine Sarraceno per legatum arcessito, secum ducens Petrelegium obsessum vadit. Porro cives ex parte Christiani et ex parte Sarraceni, consilio invicem habito, pacem cum comite facientes, castrum seseque ditioni suæ dederunt. Comes vero, castrum pro libito suo firmans, militibus et stipendiariis muniens, Trainam venit, quam similiter muniens Becuminem, ut Siciliam, lacessitum et ad suam utilitatem applicatum vadat, exhortatus; in Calabria se desideranti et de salute ipsius sollicitæ uxori sese repræsentans, de adventu suo non minimum lætificavit.

CAPUT XXI.

Comes a duce irato animo recedit.

Castrum itaque nullum in sua, a fratris potestate excepto solo Melito, habens a fratre, ut quod sibi promiserat, quando ab Scalea ab ipso invitatus ad invicem reconciliati sunt, medietatem videlicet totius Calabriæ impertiatur, maxime quia juvenculam uxorem exinde, ut pote puellam, tam præclaris ortam natalibus, decenter dotare volebat, requirit. Dux autem quamvis pecunia largus, in distributione quidem terrarum aliquantulum parcior erat, fratremque per ambages differendo protrahebat. Porro comes fratris calliditatem animum advertens, ne diutius fallaciis passi sustinens, per meliores totius Apuliæ ad (97) rationem ponit, quod sibi promissum fuerat expetens: atque (98) nec ita proficit, fœdereque (99) inter se rupto, irato animo a fratre recedit, Melitumque veniens castrum viriliter firmavit: optimosque (100) milites undecunque sibi, in fratris damnum ducens (101). Sed quamvis erga se fratrem suum (102) agere patulum esset, legalitatem tamen suam servans, per quadraginta dies a fratris injuria abstinuit, ne si forte infra hunc terminum erga se respiceret, ipse, qui de injuria conquerebatur, potius injurius haberi vindicaretur (103), malens hujus dissensionis injuriosam culpam in fratrem potius quam in se retorqueri.

CAPUT XXII.

Becumen in Sicilia occiditur.

Becumen vero per Siciliam vadens, sicuti a comite rogatus, quosque poterat ad fidelitatem nostræ gentis applicat; quibus vero minus persuadere poterat, ipsos impugnationibus vexare non desistebat. At cum versus castrum Antulium (104), quod quondam suum fuerat, debellandum properaret, Nichel quidam potentior, castri quondam ejusdem Becuminis miles, in dolo verba pacifica mandans, ut cum paucis a suis semotus, Antuliensibus quasi reconciliari volentibus, loco determinato locutum veniat mandat. Ille vero, quia jam plurima beneficia illis jam dudum, cum secum bene erant, contulerat, minus fraudem suspicatus quo et qualiter sibi mandabatur, venire non distulit. Antulienses itaque, consilium venenoso corde duce Nichele conceptum reperientes, equum ejus primitus spiculo transfigunt, ne sessor, ut sibi primo vulnus datum foret, fraude intercepta, equo sano liberius cum vulnere aufugeret. Sicque equo dejecto ipsum etiam in terra confodientes, cum sanguine ultimum vitæ flatum exhalare fecerunt. Quod audientes Nortmanni, qui apud Trainam et Petrelajam ad castra a comite deputati erant, maxime turbati, ejus enim nomine præsidia quam maxime tuebantur, castris relictis, Messanam ad tuendum vadunt.

CAPUT XXIII.

Dux fratrem comitem apud Miletum obsessum vadit.

Dux vero fratrem a se recessisse iratus, exercitu

(92) P. C. *celebravit.*
(93) *In dicta.*
(94) *Comitis adducta.*
(95) C. P. *Salmarum.*
(96) *Haurigum.*
(97) *Mittens ad*, etc.
(98) *Ac cum.*
(99) *Fœdere quod inter se habebant.*
(100) *Optimos quoque.*
(101) *Conducens.*
(103) *Injustum.*
(103) C. P. *Indicaretur.*
(104) *Antelium.*

congregato, cum apud Melitum obsessum vadit, anno incarnationis Domini 1062. Comes autem, quamvis tunc temporis typo febrium gravaretur, apud Geracium enim quibusdam negotiis se illuc vocantibus erat, ubi insolito aere corrupto ipse nihilominus infirmatus, quosdam suorum amiserat, tamen fratri, ut hosti venienti, in monte, qui S. Angeli dicitur, acerrime occurrit; multisque ex fraterna acie hastili robore, militari congressu dejectis, ne in ipso monte, vel certe in adjacenti, qui Mons-Viridis dicitur, castrum, sicut disposuerant, figant, impetu facto longius arcet. Urbe itaque obsessa, ex utraque parte ambitio laudis et juvenilis ætas plures ad militiam exercendam impellebat; unde cum plures militariter progrediuntur, juvenis quidam, Arnaldus nomine, ex parte comitis, gener quippe suus et frater juvenculæ uxoris erat, vir militaribus exercitiis aptus, dum dejicere tentat, dejectus, quod dolor est dicere, occubuit. Unde permaximus dolor et planctus, non solum his quibus adjutor erat, verumtamen his qui a foris impugnabant, excrevit. Ac dum soror, cum multa lamentatione exsequias celebrans, funus, ut decebat, exsequitur, comes, qui non minus sorore dolebat, in vindictam exardescens juvenis, congressu in hostem facto multos militariter sternens interimit. Dux itaque, videns talibus congressionibus suos quotidie vexari et minus proficere, duo castella ante urbem firmavit, putans tadio et fame sic eos facilius posse affici. Comes vero, ipsa castella quotidie lacessens, cum ducem in uno esse sciebat, alterum oppugnabat; cum vero ad id succurrendum venire videbat, illo relicto per medium civitatis ad aliud transibat, sic assidue certamen localiter alternans.

CAPUT XXIV.

Comes Geracium traditione capit, et dux apud Giracium capitur.

Nocte vero quadam Melitum cum centum militibus exiens Geracium venit, urbemque sibi ab incolis traditam ingressus, in suos usus aptavit. Quod dux audiens, maxima ira repletus, castella quæ ante Melitum firmaverat militibus muniens, cum toto exercitu versus Geracium extra urbem tentoria fixit. Geracenses quidem sibi jamdudum fidelitatem juraverant; non tamen urbem, ut pro libito suo uteretur, reddiderunt, ne, si forte castellum in ipsa firmaret, pro velle suo omnes prorsus subjugatos haberet. Dux vero, quemdam de potentioribus urbis notum habens, nomine Basilium, ab ipso ad prandium invitatus, capucio capite cooperto ne forte quis esset perciperetur, urbem ingressus, ad palatium illius solus comestum vadit. Quo ingresso, dum nil mali suspicans, needum cibo parato, colloquiis Melitæ uxoris illius qui se invitaverat uteretur, urbicenses per quemdam famulum domus, ducem infra urbem esse cognoscentes, traditionem suspicati, non minimum turbantur. Undique concurrentibus tota urbs tumultuatur, omnesque in arma ruentes ad domum in qua erat, cum furenti impetu illum extrahere valunt. Ille vero qui ducem invitaverat, impietatem concivium suorum cognoscens et viribus ad restituendum diffidens, dum versus ecclesiam profugus vitam tueri nititur, patrio ense confossus occubuit. Uxor quoque ejus cum tanta impietate a suis civibus attractata est ut stipite, ab ipso ano, usque ad præcordia transfixa inhonesta morte vitam terminare, cogeretur. Quo viso, si dux de vita desperavit, mirandum non est, præsertim cum videbat civem a civibus, amicum ab amicis, prælatos a subditis, absque recordatione alicujus præcedentis beneficii, cum tanto furore crudeli ense perimi. Stat inter furentium hostium minantia tela miles inermis, quondam multorum millium hostium debellator, leoninam ferocitatem, quæ sibi quasi quodammodo innata erat, in agninam transferens mansuetudinem. At cum videret sapientiores quosque, ita qui exitum rei prænotabant, ad hoc inniti ut inordinatum furorem indoctioris vulgi et minus prospicientis quid damni quidve lucri, si occideretur, proveniret, animo aliquantulum resumpto, talibus eos verbis alloqui adorsus est: Nolite, inquit, nolite super abundantiori lætitia fallaciter extolli, ne rotalis fortuna vobis ad præsens arridens, mihi autem adversa, arrisione sua vobis indicium prænotet in futurum habendæ adversitatis, cum nulla potestas absque divina dispositione nemini attribuatur. Quo judicio in me potestatem habeatis apud vos ipsos reputando conferte. Nec enim vestris viribus præsens esse perductus sum; sed neque ego, ut vobis aliquid mali machinaretur ingressus sum. Vos quidem mihi fidelitatem fecistis; ego vero quod pactum vobis promisi in nullo me violasse cognosco. Sed forte istud vobis ad utilitatem vestram aut experientiam contigit ut vestra fidelitas, cujus stabilitatis sit a nobis cognita, vos nobis gratiosiores et præmio digniores præsentet. Tot millibus hominum uni soli casualiter, non autem militariter circumveniendo, intercepto fœdere, mentito, et absque dissensione vitam auferre nulla laus est. Sed neque, ut reor, quantum de me vobis aliquid proficuum. Mors enim mea jugum gentis meæ non aufert, sed in vindictam meam vobis infestiores exardescent. Sunt denique mihi fidelissimi milites, sunt fratres, sunt consanguinei, quibus, si perjurando vos manus vestras meo sanguine, pollueritis, nulla ratio reconciliare poterit; sed et ubicunque terrarum hoc a vobis factum personuerit, opprobrium sempiternum, propter perjuria, cum omni successione generis vestri incurretis, præsertim si sine discussione aliquod præjudicium perpessus fuero a vobis. Talibus verbis, faventibus sibi sapientioribus urbis, ignobile vulgus, tumultu sedato, ducem in captione donec quid de ipso faciendum sit consilium capiant, ponunt.

CAPUT XXV.

A militibus ducis comes, ut fratri succurrat, invitatur.

Exercitus itaque ducis, qui extra portam tentoria fixerat, audito ducem (105) tali infortunio in captionem (106) detrusum, undique turbati, dum quid faciendum sit dubitantes inter se disputant, tandem meliori consilio accepto, per legatos comiti rei eventum intimare (107) accelerant. Sciebant quippe legalitatem animi ejus, et quamvis contentionem suam, expetendo versus fratrem aliquam controversiam, ostenderet, tamen in consideratione consanguinitatis, fratrem suum (108), ut fratrem diligere, et fraternam vitam in tanto discrimine positam ereptum ire omni sibi illata injuria oblita, quovis lucro præponere, invitabit (109) fratrem, ut fratri in angustias (110) posito, auxilium ferendo subveniat, de controversia, quæ inter ipsos erat, duce erepto, jus teneatur, sese auxilium illaturos (111) promittunt.

CAPUT XXVI.

Comes Giracium obsidens ducem a captione liberat.

Comes itaque, sinistro rumore de fratris infortunio turbatus, fraterni sanguinis affectu totus lacrymis perfusus, suos supplex exorat ut fratrem ereptum (112) secum accelerent. Sicque arma corripiens Geracium citissimus advolat, urbicenses, ut sibi extra muros, fœdere interposito, securi locutum veniant, invitat, quos et ita alloquitur : Eia, inquit (113), amici et fideles mei, inimicari (114), et germanum (115) me obsessum venientem cognovistis captum, et mea (116) fidelitate tenetis, gratissimum habeo. Et quia versus me in tantum vestra fidelitas progressa est, vestro consilio, non autem vestris vel manibus, vel armis de ipso ulcisci volo. In tantum enim me ad iram provocavit ut nullo modo mihi sufficiat si alterius armis quam meis intereat; quod ne vestra fidelitas, quasi mihi gratum obsequium se præstare credens faciat, omnimode sibi interdictum sciat. Accelerate igitur inimicum meum mihi reddendo. Sufficiet ut de suppliciis ejus primo sciatis. Vestro consilio satiatus, faciam eum tormentis vitam finire. Nulla in reddendo dilatio sit; nam nulla utilitas me avellet ab obsessione hujus urbis, donec ulciscar mihi ab ipso illatis injuriis. Ecce omnis exercitus suus, injurias ejus ultra non ferens, ipso spreto, in meam fidelitatem transiens me ducem elegerunt. Ecc, vel modicum terræ sub ipso habere indignus judicabar ; eo perempto, omnia quæ juris sui hactenus fuerunt, fortuna favente, suscipiam. Non sum quem per ambages protahere possitis; si diutus differre tentatis, ecce ad præsens vineta et

A oliveta vestra exstirpabuntur. Urbe vestra a nobis obsessa, machinamentis apparatis, nulla contra nos præsidia tuebuntur. Vos si inviti capiamini, pœnæ quæ hosti repromittuntur et vobis in ipso repromittentur. Hac oratione habita Geracenses territi, licentia accepta, in urbem concivibus suis relaturi et consilium pariter accepturi vadunt. Sicque consilio accepto, dubii utrum ne ea quæ a comite audierunt ex industria, ut fratrem eripiat, aut certe ex vero odio dicerentur, juramentum a duce expetunt, ne, si ab ipsis dimissus, fraternas minas evadat, dum sibi vita comes fuerit, castellum aliquod infra civitatem suam firmare faciat. Quo sacramento minus discernentes calliditatem ducis decepti sunt; nam quod dux se non structurum juravit, comes non jurans, non multo post illis dolentibus perfecit. Sacramento itaque accepto, ducem extra urbem adducentes, multis Northmannorum præ gaudio flentibus reddunt; sese deinceps fideles utrique futuros multis assertionibus promittunt.

CAPUT XXVII.

Castrum quod dux apud Melitum firmaverat militibus comitis fractum. Ducissa Tropeam aufugit.

Dux igitur et comes sese mutuo conspicientes, ut quondam Joseph Benjamin inviso, præ dulcedine in aspero (117), in prosperum cedentis fortunæ, in lacrymas prorumpentes, mutuis amplexibus fruuntur. Dux comiti quæ promiserat se amodo non retenturum promittit. Comes, ducem usque S. Martinum prosecutus, inde Melitum vadit. Milites vero comitis, qui apud Melitum erant, audito ducem in captione detineri, castella ejus, quæ ante Melitum C firmaverat, oppugnantes capiunt; milites quos invenerant in captione retinentes, suis militibus castellum, quod apud S. Angelum firmaverat, muniunt ; aliud vero, quod forte videbatur, diruunt. Uxor vero viduationem suspicata Tropeam aufugit.

CAPUT XXVIII.

Dux comiti Calabriam partit.

Dux itaque hoc audiens, maleficii quam beneficii memor, maxima indignatione permotus, conventionem quam fratri promiserat exsequi denegat, donec sibi et castellum S. Angeli et milites qui in captione tenebantur restituantur, et de illata injuria jus teneatur. Porro comes, fratri duci omnem occasionem ejus velle exsequendo auferre volens, milites D reddit, castellum et quæ in ipso retenta sunt restituit. Sed cum nec sic animum fratris ut sibi jus teneat molliri videt, traditione inhabitantium, castrum Messianum ingressus, duci inimicitias mandat. Dux itaque videns castra, quæ ante Melitum

(105) *Duce.*
(106) *Captione.*
(107) *Fratri rei eventum intimari.*
(108) *Cum.*
(109) *Invitat.*
(110) *Angustiam.*
(111) *Laturos.*
(112) *Suum ereptum.*

(113) *Etiam eya in quid.*
(114) C. P. *Ecce fidelitatem vestram experiri incipio, et quia fratrem meum mihi obsessum*, etc.
(115) *Meum.*
(116) *In mea*, etc.
(117) C. P. *Insperato.*

in ipsa provincia habebat, sibi ablata (118), sciens totam Calabriam per illud facile posse turbari, in valle Gratensi, fratre sibi conventionem exsecuto Calabriam (119) partivit; sique in Apuliam vadit. Comes vero in Calabriam portionem suam recepturus redit. At cum videret suos propter seditionem quæ inter se et fratrem hactenus fuerat, equis, vestibus et armis minus sufficientes per totam Calabriam, post quidem eis tributa expetitum vadit, veniensque Geracium, quia eos, quasi infideliores, cæteris exosiores habebat, ut plus ab ipsis extorqueat, castellum extra urbem, procul sese figit. Geracensibus vero juramentum sibi a duce factum objicientibus, comes respondit: Cum medietas Geracii mea sit, dux in sua parte juramenti sui ordinem, ne violetur, servare poterit; me vero, qui in B mea parte quodlibet faciam, nec votum, nec promissio aliqua redarguit. Geracenses ergo, cognoscentes se callide a duce juramento delusos, insipientiæ suæ deputarunt. Pacto cum comite facto, a castello quod fœdere cœperat pecunia potiusquam armis illum avertunt.

CAPUT XXIX.

Græci apud Trainam comiti fraudem machinantur.

Comes vero, suos abundanter armis et equis cæterisque quæ necessaria erant remunerans, et terram quæ sibi forte cesserat fidelibus suis prudenter ordinans, iterum Siciliam cum trecentis debellaturus aggreditur, uxorem juvenculam, quamvis (120) audiebat renitentem, secum ducens. Veniens C itaque apud Trainam, a Christianis Græcis, qui cum jam altera vice susceperant, iterum, et si non cum tanta, ut prius, tamen alacritate suscipitur, urbemque, quamvis natura montis, in quo sita est, satis defensabilis foret, ad votum suum aptando fortiorem reddens, uxore ibi cum paucis dimissa, circumquaque vicina castra accessitum vadit. Græci vero, semper genus perfidissimum, hoc solo offensi quod milites comitis in domibus suis hospitabantur, de uxoribus et filiabus timentes, quadam die, cum comes apud Nicosinum oppugnandi gratia moraretur, videntes paucos cum comitissa remansisse, suspicati se in eodem facile prævalere, ut eos ab urbe expellendo, vel certe occidendo, jugum eorum a se excutiant, oppugnare cœperunt. Sed nostri, D quamvis pauci, animo tamen et armis promptissimi, dolo cognito, in arma citius ruunt, dominam suam, seseque pro vita alacriter defendentes, acerrime resistunt, donec nox certamen diremit. Comes vero, quod acciderat per legatum cognoscens, citissimus advolat, Græcosque, qui jam urbe ad medietatem recisa inter se et Nortmannos quamdam munitionem ad se defendendum fecerant, minus ad præsens pro-

A ficiens expugnabat. Sarraceni denique de vicinis castris quinque millia promptiores, audientes Græcos a nostris dissentire, non minimum gavisi, auxilium laturi se jam ad illos contulerant; quorum præsidio Græci perplurimum tuebantur. Nam cum diu taliter impugnando, nunc autem se ipsos defendendo, jugi incursione detenti, dum per diversa loca prædando victum quærere, ut soliti erant, impediuntur famis angustia et assidui certaminis et vigiliarum æstu, quæ minime sibi pariter conveniunt, perplurimum deficiebant. In tantum enim quisque sibimet intentus erat ut etiam ipse comes vix aliquem haberet, qui sibi cibum, excepta uxore et armigeris, appararet. Nam cum infra urbem, ne extra prædatum iret, jugi defensione interim detinerentur, extra B autem omnium oculi ad hoc intenderent ut si cum paucis latrocinari tentaret deprehenderetur: quod vis horum agere imminens periculum dehortabatur. Unde et tanta penuria inter eos fuit ut neque rapere neque gratia largiente alter ab altero impetrare vel mutuo aliquid accipere possent, omnibus pene ab ipso comite usque ad ultimum clientem æquo pondere indigentibus. Vestium etiam tanta penuria illis erat ut inter comitem et comitissam, non nisi unam capam habentes, alternatim, prout unicuique major necessitas incumbebat, ea utebantur. Græci vero et Sarraceni, quibus omnis patria favens pro libito patebat, plurima replebantur abundantia. Neque enim illis necesse erat victum quærendo aliquorsum vagari; quippe quibus omnis Sicilia, quæque neces- C saria erant, certatim deferens ultro suppeditabat. Nostri autem, quamvis tanta penuria affecti, famis et laboris vigiliarumque æstu inter se ipsos flebiliores anhelarent, viriles animo alter alteri flebilitatem suam, ne adinvicem dehortarentur, occultantes, quadam hilaritate, vultu et verbis simulare tentabant. Sed juvencula comitissa sitim quidem aqua exstinguebat; famem vero non nisi lacrymis et somno, aliquid unde non habens, refrenare sciebat. Certamen assiduum quod cibus non cibus (121) suppeditabat, hostilis impugnatio abesse prohibebat. Sed interdum ne ab hostibus diffiterentur, si non nisi impugnati (122) in arma ruerent, ipsa animis eorum innata ferocitas, sagaciter etiam volentibus (123) viribus repræsentabat.

D CAPUT XXX.

Comes a Sarracenis captus se ipsum ense liberat.

Quadam itaque die certamine inito, comes equo insidens ut suis succurrat sese hostibus medium dedit. Hostes vero, eo cognito, versus eum fortiori impetu grassantes, equum ejus spiculis confodiunt, ipsum cum equo humi dejectum, manibus corripiunt, quasi taurum ad victimam reluctantem usque ad sibi tutiorem locum nituntur pertrahere puniendum.

(118) *Castrum quod melius in ipsa provincia habebat sibi ablatum*, etc.

(119) *Fratrem sibi accersiens ad pontem, qui Guiscardi tandem sibi conventionem exsecutus Calabriam*, etc.

(120) *Timidam, et in quantum.*

(121) *Quo ad cibum, qui cibus non,*

(122) *Deriperentur, si non impugnant.*

(123) *Nolentibus.*

Porro comes in tanto discrimine positus, pristina- A rum rerum haud immemor (124), extrahere ensem, quo accinctus erat, expetens (125), et in modum falcis virens pratum resecantis, circumquaque impiger vibrando ducens, pluribus interemptis, sola dextra et Dei adjudorio liberatur, tanta strage de inimicis facta ut sicut in condensis saltibus jacerent a vento diruta ligna, sic circumquaque sibi adjacerent hostium ab ipso perempta cadavera. Hostes reliqui sese in suam munitionem recipiunt; ipse, equo amisso, sellam, ne quasi timidus accelerare videretur, asportans, versus suos pedes regreditur. Nostris igitur per quatuor menses in tam laborioso discrimine positis, hiems asperrima, quæ ipso anno ipsis in partibus fuit, occasio liberationis, hostibus autem damnationis exstitit. Nam et a civitate Ætnæ quæ in eadem provincia haud procul exterminat, urbs certis temporibus ab æstuanti incendio sulphu- B rei montis æstas acerrima, itaque certis temporibus inundatio tempestatis, procellarum, nivis et grandinis asperrima solet fieri. Quamobrem hostes, balnearum æstuationibus æstuari assueti, frigidiori aura flante, dum vini potationibus naturalem calorem intra se excitare nituntur, somno vinum, ut assolet, subsequente, tardiores ad excubias vigiliarum urbis esse cœperunt. Quod cum nostri cognovissent, cœperunt et ipsi ex industria tardiores apparere; et quamvis attentissime vigilarent, clamoribus tamen obmissis, ut illos dolose securiores, redderent, tingebant se quasi non vigiles essent. Quadam ergo nocte cum comes, ut semper, nullo labore deficiens, excubias noctis cum suis armatis sub algenti bruma suis utilitatibus accuratissime intentis rebraret (126), hostes somno gravatos intra (127) suas munitiones, et neminem eorum ex tanta multitudine vigilare deprehendisset, castra (128) eorum silenter irrumpit: C armataque (129) manu incautos occupans, pluribus interfectis, munitionem accipit; plures capiuntur, ex adventitiis reliqui fugæ refugium petunt. Porinus (130), qui caput traditionis exstiterat, cum sibi principaliter assentientibus laqueo suspensus, ad exemplum aliorum, vita privatur, plures diversis pœnis afficiuntur. Spoliis itaque triumphali more acceptis, nostri hactenus egentes, tanta abundantia frumenti, vini et olei cæterorumque quæ ad usum necessaria erant sunt repleti, ut merito a consimili argumento recordari possent illius quod apud Samariam insperato a Deo subito datæ abundantiæ ad verbum Elisei dicentis : *Cras hora ista in porta Samariæ modiis similæ uno statere erit* (*IV Reg.* VII, 1), cum in precedenti die nullo quamvis magno pretio posset inveniri.

(124) *Jurium non immemor esse.*
(125) *Exercens.*
(126) *Intentus celebraret.*
(127) *Inter.*
(128) *Castrum.*

CAPUT XXXI.

Comes in Calabriam vadit.

Ordinatis itaque rebus suis et urbe melius ad suum libitum firmata, ut suis equos quos amiserant restituat, versus Calabriam et Apuliam acquisitum vadit, uxore et militibus suis apud Trainam dimissis, quæ, quamvis juvencula, tanta strenuitate cæpit esse sollicita circa castrum tuendum ut diatim circuiens ubi meliorandum videbat, studeret ut fierent vigiliæ; reliquos omnes, quos sibi dominus suus abiens dimiserat, blande alloquens, ut sollicite quæ servanda erant providerent hortabatur, multa in reditu domini sui repromittens; sed et transactum periculum, ne segniter agendo quid simile incurrerent, ad memoriam reducit.

CAPUT XXXII.

Comes cum Arabicis Castri Joannis præliatur.

Comes vero a Calabria et Apulia, ut apes studiosissima, his quæ militibus suis necessaria erant onustus rediens, omnes suos suo adventu lætificavit equos et cætera quibus opus habebant illis impertiens. Aliquantis ergo diebus equis, quos adduxerat, a labore itineris recreatis, comperto quod Arabici et Africani, qui Arabia et Africa, quasi auxilium laturi Siciliensibus, causa lucrandi advenerant, apud Castrum Joannis usque ad quingentos morarentur, cupiens experiri cujus valentiæ eorum militia esset, illuc versus aciem dirigit, præmittens Serlonem nepotem suum cum triginta militibus, qui se ante castrum ostendentes, extractos ad certamen excitarent; ipse cum cæteris in quodam loco in insidiis latens occultatur, ut dum suos ex industria simulato timore fugientes illi acrius persequerentur, ipse, insperato a loco insidiarum prorumpens, hostes, longius a castro subtractos, facilius occuparet. Quos Arabici, qui in castro erant, eminus adventare videntes, maximo impetu prorumpentes obvii sunt, fugientes persequuntur, accingentes diruunt in tantum ut ad locum insidiarum non nisi duo ex nostris illæsi pervenirent. Porro comes, suos quos præmiserat ex parte captos, ex parte dejectos videns, leonino impetu ab insidiis prorumpens hostibus occurrit, certamen iniit, fortiter utrinque congreditur; sed a longo et acri certamine tandem comes, Deo sibi propitio, paganis fugientibus victor efficitur Hostes extremos quosque cædendo plus milliario insequitur. Spoliis onustus, lætus apud Trainam revertitur. Urbs gaudio repletur. Volensque Siculos undique lacessere, Calabutor (131) prædatum vadit, unde rediens versus Roccas Castri Joannis, si fort Arabicos a castro extrahere posset, attentans maximam prædam reduxit. Profundiores itaque partes Siciliæ cognoscere volens, longius progressus, us- D que Buterum (132) venit, ubi non minima præda

(129) *Armata itaque.*
(130) C. P. *Polorinus*
(131) C. P. *Calatabuturum.*
(132) *Buterium.*

pecorum accepta, captivos plurimos secum reducens apud Avator (133) hospitium sumpsit. In crastinum autem, quia pro longitudine itineris et calore nimii æstus, sed et aquæ penuria, plures equos amiserat, apud S. Felicem pernoctans, inde Trainam venit.

CAPUT XXXIII.

Bellum Cerami ubi S. Georgius apparuit.

Africani ergo et Arabici, cum Siciliensibus plurimo exercitu congregati, ut bellum comiti inferant, advenire nuntiantur, anno Verbi Incarnati millesimo sexagesimo tertio; quibus comes cum suis alacriter occurrens in cacumen ejusdem montis super fluvium Cerami, ut eos plenius prospiceret, ascendit, vidensque eos trans flumen in supercilio alterius montis, diutius alternatim intuiti, nec his versus illos, nec illis versus hos transeuntibus, Sarraceni priores locum mutantes, ad sua castra, quibus hospitati erant, regrediuntur; comes vero apud Trainam revertitur. Sic triduo, flumine interposito, sese mutuo conspicientes, nec illi versus istos transire flumen præsumebant. In quarto vero die Sarraceni castra commoventes, ne ulterius, quasi ad tergum retrogradi viderentur, in monte quo se jam triduo ostentaverant, castrametati sunt. Nostri vero hostilem affinitatem diutius impugnatam ferre nolentes, cum magna devotione, presbyteris testibus, Deo confessi, pœnitentia accepta, Dei miserationi sese commendantes, et de ejus auxilio confisi, bellum hostibus inferre vadunt. Sed media via nuntio accepto quod Ceramium ab hostibus impugnaretur, illuc comes aciem dirigit, Serlonemque nepotem ejus cum triginta militibus prætermittit, ut castrum intrans, defendendo donec ipse veniat, sustineat. Cum centum militibus, non enim amplius habebat, ipse subsequitur. Serlo vero castrum ingressus, adventum subsequentis avunculi minime sustinuit, sed per portas, ut leo furibundus, in hostes prorumpens, multas strages dando cum triginta millia essent, exceptis peditibus, quorum infinita erat multitudo, quod mirum dictum est, ipse triginta sex milites habens omnes in fugam vertit. Hoc facto patenter cognoscere possumus Deum nostris fautorem fuisse. Nam humanæ vires tam magnum quid tamque nostris temporibus inauditum nec præsumere quidem, nedum perficere potuissent. Si autem cum propheta admirantes requirimus *quomodo persequebatur unus mille*, nam hoc istis, ut quondam filiis Israel provenisse cognoscimus, profecto nobismetipsis, ex ejusdem prophetæ verbis, absque mendacio respondere possumus: *Quia Deus suus vindicat eos, et Dominus in profundo iniquitatum suarum clavi iræ suæ concluserat illos.* Deus suus dico, non quod eum colendo cognoscebant, sed quia, quamvis indigni, Factori suo ingrati existendo, tamen ejus creatura erant. Deus suus, inquam, dico secundum illud quod ab Apostolo instruimur, ubi ait: *Nam idem Deus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Quod si aliquis hanc sententiam dialectizando commutabilem astruere tentaverit, dicens: Si dives est Deus in eos qui invocant illum, consequi oportet ut pauper sit in eos qui non invocant illum, respondendum est quia Deitas ipsa augmentum vel detrimentum non patitur, nec in natura sua recipit magis vel minus, sed semper in eodem statu permanens sui peræque omnia potest. Si autem pauperem dicere concludimur, non tamen quantum ad ipsum, sed quantum ad illos qui se indignos exhibent quibus misericordiæ suæ divitias Deus impertiatur. Comes itaque nepotem subsecutus, cum centum militibus Ceramium veniens hostesque a nepote devictos cognoscens, dum subsequi, ut plenius devincat, deliberat, quibusdam ex timore dehortantibus et sufficere sibi victoriam a Deo per nepotem factam dicentibus, ne forte ultra insequendo progrediatur fortuna rotabilis et in deterius cedat, Ursellus de Baliol exploranti (134) comiti interminatus est se nunquam vel ibi vel alias sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus ineat. Quod comes audiens dehortantibus quidem multa convicia iratus intulit, citiusque hostibus, versus castra eorum, illuc enim aufugerunt, bellum offerre vadit. Porro illi, viribus resumptis, duas acies ex sese facientes nostris audacter occurrere accelerant. Comes etiam similiter duos cuneos faciens ex suis, unum nepoti, et Ursello, et Arisgoto de Puteolis, ut præcedentes primo feriant, delegavit; ipse cum altero subsequens, bellatum, Deum sibi adjutorem invocans, vadit. Prima autem acies eorum Serlonem cum prima acie nostra declinando, montem super nostros præripere volens, ultimæ aciei nostræ, quam comes ducebat, occurrit. Comes ergo, et Ursellus de Baliol (135) suos solito formidolosiores præ nimia multitudine hostium quam incurrebant (136) videntes, talibus exhortationibus timorem ab ipsis excutere nitebantur: Arrigite animos (137) vestros, o fortissimi Christianæ militiæ tirones. Omnes Christi titulo insigniti sumus, (138) qui non deseret signaculum, nisi (139) offensus. Deus noster, Deus deorum omnipotens est, et ab ipso omnis qui (140) de Deo diffidens, confidit (141) in homine, et ponit carnem brachium suum. Omnia regna mundi Dei nostri sunt, et quibus volet ipse impertietur (142). Gens ista Deo rebellis, est, et vires, quæ a Deo non reguntur, ocius exhauriuntur (143); ipsi in vertute sua gloriantur, nos autem de Dei præsidio securi sumus. Nam neque honestum est dubitari quos certum est, Deo nos præcedente, ante faciem nostram non posse

(133) *Anattor.*
(134) C. P. *exprobrando.*
(135) *Ballionis.*
(136) *Exhorrebant.*
(137) *Inimcos.*
(138) C. P. *et.*
(139) *Suum, non.*
(140) *Omnes quidem.*
(141) *Confidet.*
(142) *Impartitur.*
(143) *Citius exaurientur.*

subsistere. Gedeon, quia de Dei auxilio non dubitavit, in paucis multa millia hostium stravit. Dum talia versus certamen properando perorantur, apparuit quidam eques splendidus in armis, equo albo insidens, album vexillum in summitate hastilis alligatum ferens, et desuper splendidam crucem, et quasi a nostra acie progrediens, ut nostros ad certamen promptiores redderet, fortissimo impetu hostes, ut densiores erant, irrumpens. Quo viso nostri hilariores effecti, Deum sanctumque Georgium ingeminando et præ gaudio tantæ visionis compuncti lacrymas fundendo, ipsum præcedentem promptissime sunt secuti. Visum etiam a pluribus in summitate hastilis comitis vexillum dependens, crucem continens, a nullo, nisi divinitus, appositum. Comes ergo, aciei suæ primos exhortatus, Arcadium de Palerna, suam aciem nostris exprobrando, promptissime antecedentem, et splendenti clamucio quo pro lorica utimur armatum, certamine inito fortissimo congressu, hastili robore dejectum, cæteris metum incutiens interfecit. Erat enim inter suos militia præclarissimus, cui etiam neminem armis resistere posse putabant, et clamucium (144), quo indutus erat, nullis armis poterat violari, nisi ab imo (145) in superius impingendo inter duo ferrea, quæ per juncturas cum catenata (146) sunt, ingenio potius quam vi vitiaretur (147). Dum itaque utrinque fortiter dimicatur, nostri numeri paucitate multitudini intermisti ita concludebantur ut vix aliquis nostrorum nisi armis sibi faciendo tumultum interrumpere posset. Videns (148) autem nostros condensitatem circumdantium (149) se hostium sternendo, ut a furenti vento solet condensitas nebularum disrumpi, et sicuti velocissimi accipitres imbecillem turbam avium disruptam sternere. Sed cum longo certamine grassati, diutius nostrorum infestationem ferre non prævalentes, fuga tueri potius quam armis nituntur, nostri audacter insequentes, extremos quosque cedendo perimunt. Sicque victores effecti, ad quindecim millia ex hostibus occubuerunt. Nostri itaque triumphalibus spoliis onusti, usque ad hostium castra regredientes, in eorum tentoriis hospitantur, camelos et reliqua omnia, quæ invenerunt, sibi vindicantes. In crastinum vero pedites ad viginti millia, qui fugientes scopulos et prærupta montis occupaverant oppugnantes, plurima ex parte perimunt; reliquos vero debellatos vendentes pecuniam infinitam accipiunt. Sed cum aliquandiu commorati fetore putrentium cadaverum occisorum hostium gravarentur, fetorem abhorrentes Trainam reversi sunt. Comes Deo et S. Petro, cujus patrocinio tantam victoriam se adeptum recognoscebat, de collato sibi beneficio non ingratus existens, in testimonium victoriæ suæ per quemdam suorum, nomine Meledium,

(144) *Claviculus.*
(145) *Ab uno.*
(146) *Et cathenata.*
(147) *Viribus inviceretur.*
(148) *Videntes.*

camelos quatuor, quos inter reliqua spolia, hoste triumphato, acceperat, Alexandro papæ, qui tunc temporis vice beati Petri prudenter et catholice exsequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus vero, plus de victoria a Deo de paganis concessa quam de sibi transmissis donariis gavisus, benedictione apostolica et potestate qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, comiti et omnibus qui in lucranda de paganis Sicilia et lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat, vexillumque, a Romana sede, apostolica auctoritate consignatum, quo præmio, de beati Petri fisi præsidio, tutius in Saracenos debellaturi insurgerent.

CAPUT XXXIV.

Pisani comitem, ut Panormum obsessum vadat, invitant.

Pisani ergo mercatores, qui sæpius navali commercio Panormum lucratum venire soliti erant, quasdam injurias ab ipsis Panormitanis passi, vindicari cupientes, navali exercitu undique conflato, vela per mare ventis committentes, apud Siciliam in portu vallis Deminæ applicuerunt, legatumque comiti Trainam, ubi tunc morabatur, mittentes, mandant ut equestri exercitu Panormi illis occurrat, se illi in urbe capienda auxilium laturos, vi talis præmii acceptam vendictam illatæ sibi injuriæ expetente. Comes vero, quibusdam negotiis se detinentibus, ad præsens ire distulit, mandans illis ut modicum temporis sustinerent, donec hæc quibus ad præsens intentus erat expedirentur. Porro illi, commercialibus lucris plusquam bellicis exercitiis ex consuetudine dediti, sustinere, ne lucris assuetis diutius privarentur, nolentes, Panormumque per se incassum aggredi disponentes, vela in portum ejusdem urbis dirigunt, sed plurimam multitudinem hostium exhorrentes, et ob hoc a navibus progredi minime præsumentes, catena tantummodo, quæ portum ab una parte in alteram (150) claudebat, abscissa, et hoc sibi, more suæ gentis, pro proximo (151) reputantes, Pisam reversi sunt. Comes itaque videns æstatem proximam, quæ præ nimio calore a vicinitate solis ferventis caniculæ pluriores equitatus in prædali exercitio fieri prohiberet, fratri duci in Apuliam interim, dum importuna æstas pertranseat, ire disponens, ne uxorem suam et milites cum ipsa remanentes absque stipendiis derelinquat, Gulosam una die, secunda Brocatum, tertia Cephaludum prædatum acie dirigit. Sicque Trainam multa abundantia replens, militibus suis, ut urbem attentissime pervigilantes, incursus hostium prudenter caveant, et ne aliquorsum longius ab urbe, aliqua occasione intercurrente, progrediantur, multis exhortationibus

(149) *Tantam condensitatem inimicorum paganorum, ac Siciliensium simul existentium, et circumdantium, etc.*
(150) C. P. *ripa in alia.*
(151) *Maximo.*

commonitis, ipse versus Apuliam cum fratre quid ulterius agendum sit tractaturus vadit; plurimaque ad invicem conferentes, tandem refrigerante calore, centum militibus sibi ab eo in auxilium acceptis, versus provinciam Agrigentinam cum ducentis militibus prædatum vadit.

CAPUT XXXV.

Milites comitis, hostibus territis, Turronem, qui postea Catzonis dictus est, ascendunt.

Unde cum maxima præda inde rediret, militum suorum prædam præcedere præcipiens, ipse cum reliquis inter duos cuneos minatur ne a fronte, vel certe a tergo, aliquo hostili incursu excuteretur. Porro Africani et Arabici, cum essent cupientes ulcisci de victoria in Ceramensi prælio sibi ablata et laudem quam ibi amiserant aliquando sibi favente fortuna recuperare, cognoscentes per nuntium ita eos prædatum isse cum septingentis electis militibus, via qua redire habebant insidiantes occultantur. Nostri autem qui præcedebant ad locum usque pervenientes, illis ex improviso exsurgentibus audaciæ qua hactenus assueti erant obliti, enerviter agentes, cum fuga potius quam armis mortis periculum declinare cœperunt. Montem quemdam, quem ex omni parte præcipitium cingebat, solo et arcto aditu patente, pro auxilio expetentes ascendunt. Hostes vero parte armigerum, qui prædam minabant, peremptam, ipsam etiam prædam excutiunt. Comes autem, qui subsequebatur, tumultum audiens, dum citius advolat, quæ acciderant cognoscens, maxima indignatione et ira repletus, ut secum de hostibus ultionem expetant, suos immensis clamoribus a monte quem ascenderant incassum revocare nititur, donec ipsemet, turonem ascendens et suos quemque nomine vocans, ne se imposterum fuisse excusarent, talibus verbis aggressus est: Itane, inquit, o fortissimi hactenus, viribus exhausti estis ut, absque recordatione alicujus militaris laudis, in profundum putribundæ defectionis submersi, ulterius respirare nequeatis? Recordamini antecessorum, sed et gentis nostræ, nostræque hactenus habitæ strenuitatis præconizatæ, devitantes notas futuri vituperii. Recordamini quot millia hostium apud Ceramium pauciores quam nunc debellatores exstinxistis. Fortuna tunc vobis arridens ab eodem quo et nunc adhuc regitur. Resumite pristinas vires, victoria post fugam fortiter agentibus laudis reparatio est. Hæc, et alia exprobrando, plura locutus, vix eis exhortationibus recreatis, ad certamen properans cum hoste congreditur. Fortiter agendo gens Deo rebellis debellatur, præda excussa recuperatur. Nostri, victores effecti, triumphalibus spoliis ditantur. Trainam cum gaudio remeantes, excepto quod (152) de solo Galterio de Simula, qui inter omnes militari laude dignus, in congressu fortiter agendo, quod dolor dicere est, juventutis florem ab hostibus confossus amiserat, plurimum tristabantur.

CAPUT XXXVI.

Nostri a Tarantis vexantur.

Dux vero (153) Robertus cum in Apulia esset, sciens fratrem suum apud Siciliam multiplici incursione ab hostibus lacessiri, plurimo exercitu ab Apulia, et Calabria congregato, nolens expers esse quæstus, laboris etiam particeps fieri, versus Siciliam intendit. Comes vero fratrem adventare audiens, cum gaudio magno festinus illi apud Cusentum Calabriæ urbem occurrit. Sicque progredientes anno Dominicæ incarnationis 1064 cum quingentis tantummodo militibus apud Pharum mare transmeantes tota Sicilia, nullo adversus eos aliquid præsumente, impune peragrata, Panormum usque perveniunt, atque in monte, qui postea Tarantinus, ab abundantia Tarantarum, a quibus ibidem exercitus eorum plurimum vexatus est, jubente duce, quem postea pœnituit, tentoria fixa sunt. Nam mons totus insitus Tarantis, viris, et mulieribus inhonestum, quamvis iis evaserint, ridiculosum hospitium præbuit. Taranta quidem vermis est, araneæ speciem habens sed aculeum veneni feræ punctionis, omnesque quos punxerit, multa venefica ventositate replet, in tantumque angustiantur ut ipsam ventositatem, quæ per anum inhoneste crepitando emergit, nullo modo restinguere prævaleant, et nisi clibanica, vel alia quævis ferventior æstuatio citius adhibita fuerit, vitæ periculum incurrere dicuntur. Tali inhonestate nonnulli nostrorum vexati, tandem locum mutare coguntur, vicinum urbi locum tutiorem, quo tabernacula figant, expetentes, ubi per tres menses commorati, Panormitanis fortiter repugnantibus, versus urbem quidem minime profecerunt, sed viciniora circumquaque loca plurima depopulatione vexaverunt. At cum vident se versus urbem minime tunc temporis prævalere posse, castra moventes Bugamum oppugnare vadunt, civibusque ejusdem castri enerviter reluctantibus, funditus diruunt, incolas omnes cum mulieribus et liberis, omnique supellectili sua captivos adducunt, sicque versus Calabriam remeare, volentes haud procul ab Agrigentina urbe, sic enim illis directior adjacebat via, tentoria figunt. Porro cives ejusdem urbis, viribus suis plus necessario confidentes, per portas prorumpendo forti strepitu super illos proruunt, incautosque hostium tacendo dum fingunt (154), usque in portas suæ civitatis persequuntur. Dux itaque digressus, in Calabriam veniens, expeditionem solvit: Bugamensesque (155), quos captivos adduxerat, Scriblam, quam desertaverat (156), restaurans, ibi hospitari fecit.

(152) C. P. *de sola morte Gualterii de Simila.*
(153) *Ergo.*
(154) *Incautique hostium cedendo dum fugiunt.*
(155) *Bugamenses.*
(156) *Duxerant Scribam, quam desertaverant.*

CAPUT XXXVII.

Agellum a duce oppugnatur.

Anno vero Dominicæ incarnationis 1065 Policastrum castrum destruens, incolas omnes apud Nicotrum, quod ipso anno fundavit, adducens, ibi hospitari fecit. Antequam iret versus Panormum dux Robertus, et in monte Tarantarum tentoria fixisset, dux et comes Rogerius prius in provinciam Cusentii castrum quidem Regale (157) expugnaverant, et pro libitu ordinaverunt. Eodem anno castrum quoddam, quod Agel dicitur, in provincia Cusentii, dux oppugnare vadens, per quatuor menses obsedit. Agellenses autem extra castrum progredientes, cum vicinius tentoria hostes figerent, fundibulis et sagittis longius propellere nituntur; sicque ex utraque parte mutua cæde fortiter congrediuntur. At dum nostri maxima indignatione commoti, impetum in hostes facientes, ubi densiores erant, prorumpere nituntur, Rogerius filius Scolcandi (158) jaculo confossus, equo dejicitur: cum etiam Gissibertus (159) nepos ejus cum (160) relevare tentat, dejectus utrique occiduntur: de quorum nece dux cum omni exercitu non minimum turbati, erant enim inter familiares sibi charissimi, eorum corpora apud Sanctam Euphemiam, ubi tunc abbatia in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ noviter incœpta instituebatur, humanda mandavit: equos, et cætera quæ habebant, eidem ecclesiæ, pro ipsorum salvatione contulit. Agellenses itaque cognoscentes pro tali et similibus factis ducem sese graviter offendisse, pacem ab ipso expetunt, ne si rebelles persistendo vi caperentur, ab ira ejus, absque recordatione alicujus pietatis, ut meriti erant, omnes pariter perimerentur. Dux vero quamvis anhelans esset cum suppliciis, de ipsius ultionem expetere, tamen ne diutius perendinando, alias intendens, demoraretur, pacem cum ipsis fecit, castrumque ab eis deliberatum, in sua virtute accipi pro libitu suo disposuit.

CAPUT XXXVIII.

Castrum apud Petrelegium fit.

Comes vero Rogerius, acquirendæ Siciliæ intentus quietis impatiens erat, omnia perlustrans crebris incursionibus deterrebat, intantumque ex consuetudine labori continuus erat, ut binc, hincve infestior esset, nec cæcitas obscuræ noctis dehortari posset, quin de loco ad locum transiliens, per se ipsum omnia attentaret, ejusque præsentiam plusquam omnia hostes exhorrebant, intantumque ejus veloci frequentia deterrebantur ut nusquam absens putaretur. Sed quia ubi suis præsentibus, ipse absens ab hostibus deprehendebatur, sui hostili incursione interdum gravabantur, castrum, quo se, si forte necessitas incumberet, facilius tuerentur, et a cujus A vicinitate quæque proxima loca attentius subjugata sibi concite fœderarentur, apud Petrelegium, anno Dominicæ incarnationis 1066, turribus et propugnaculis extra portam accuratissime firmavit, per quod maximam partem Siciliæ, ad suæ dominationis jugum ferendum perdomuit. Filiis denique Tancredi naturaliter hic mos inolitus fuit, ut semper dominationis avidi, prout illis vires suppetebant, neminem terras vel possessiones habentes ex proximo sibi absque æmulatione habere paterentur, quin vel ab ipsis confestim subjecti deservirentur, vel certe ipsi omnia in sua virtute potirentur.

CAPUT XXXIX.

Dux Montempilosum obsidet.

Inde et Robertus dux, qui præ cæteris hunc mo- B rem sibi vindicaverat, Gauridum de Conversana nepotem videlicet suum, filius quippe sororis suæ erat, ut de Montepiloso sibi servitium, sicut et de cæteris castris, quæ plurima sub ipso habebat, exhiberet, adorsus est, quodque ab ipso, sicut et cætera, minime acceperat, sed sua strenuitate, duce sibi auxilium non ferente, per se ab hoste lucratus fuerat. Id facere renuente, dux, admoto exercitu, idem castrum obsessum vadit; multisque militariter ex utraque parte perpetratis, tandem, ut de eodem castro, sicut et de cæteris sibi servitium promittens exhiberet, compulit.

CAPUT XL.

Dux Barum obsidens.

Dux itaque videns omnia, quæ solo incœptu attentabat, fortuna favorabiliter arridente, sibi in C prosperum cedere, famosissimam urbem, quæ Barum dicitur, adhuc Constantinopolitano imperatori ex fidelitate adhærentem (161), sibi vero rebellem, ex proximo haud longe a Montepiloso habens (162), quibuscunque imperator præerat pactionibus et, ut sibi faventiores redderet, ad impugnationem ejusdem urbis secum instans (163), anno Verbi Incarnati 1067 equitatu et navali exercitu eam obsessum vadit (164). Et quia ipsa civitas, quasi in quodam angulo sita in mare porrigitur, ipse cum equestri exercitu ipsam partem qua civitas versus terram patebat, quasi ab uno mari in aliud claudens, navibus per mare extensis, una ad alteram firmiter ferreis catenis, ac si sepem faciendo, compaginatis, ita totam urbem cinxit ut nullo latere exitus ab D urbe progrediendi pateret. Duos quoque pontes, unum videlicet ab unaquaque ripa constituens, qui longius in mare usque navium funes, ab utraque parte attingebant, porrexit, ut si forte Barenses aliquem incursum, versus naves attentarent, directo cursu a militibus navibus expeditius subveniretur. Barenses autem primo quæ agebant despectui habentes omnia vilipendere, ornamenta sua thesaurum

(157) C. P. *Ragel.*
(158) *Scotlandi.*
(159) *Gilbertus.*
(160) *Dum.*
(161) *Adhærens.*

(162) *Quam habens quibuscunque poterat pactionibus imperator etiam.*
(163) *Inflammas.*
(164) *Oppugnatum vadit.*

que pretiosa dependentia ostentare, Guiscardo plura convitia inferre, turribus suis fidentes rerum exitus minus metiri cœperunt. Quæ res Guiscardum ab incœpto quidem non deterrebat, sed animus ambitionis cupidine fervens, quanto pretiosiora infra muros contineri dicebant, tanto ardentius spe ea lucrandi, ad quod cœperat persistendum, mentis instantiam figebat, subridendo illis respondens : Quæ, inquit, ostentatis mea sunt, et quia a vobis voluntarie mihi præsentantur habeo gratum. Estote fideles ad tempus in conservando. Vobis quippe de amissione dolentibus fiam quandoque largus in distribuendo. Sicque suos ad urbem debellandam exhortationibus et promissis inflammans, laboris sui renuntiationisque præmium infra murum testatur esse. Ipse mœnia circumire, aggeres comportare, urbem vallare, arietes facere, cæteraque machinamenta, quæ usui capiendæ urbis necessaria erant, componere, suos instruere, hostes infestare, metum jugi instantia studebat incutere. Barenses ergo videntes constantiam ducis ultra quam rati erant, indivulsam persistere, victumque infra urbem, nullo ad introducendum hostibus circumsetis, aditu patente, a multitudine inermis vulgi, mulierum scilicet et puerorum inutiliter devastari quod vi nequibant dolo vitæ ducis periculum parant, pretioque composito, a quodam levitatis viro, ut urbe (165) digrediens illum spiculo corripere attentet (166), mercantur. Amerinus ergo avaritia captionis cupidine captus appetendum (167) tam nobile, ut sibi videbatur, facinus accelerat, spiculopue venenis infecto ab edocentibus se tantæ versutiæ fraudem accepto, urbe digressus, quasi unus ex nostris, lapides funda versus hostes supra muros jaciendo, adversus castra nostrorum dolose speculatum circumvenit. Sicque, vesperascente die, nox intercludere solis radios properat, cumque cœnæ hora instante dux in tabernaculo suo, ex foliosis arborum ramis composito, sedisset, ille a tergo veniens, ramoso pariete interposito, ducem prævio oculo, deinde aure per vocem bene visum credens, spiculum, quod ad hoc acceperat, fortiter impingendo, parte vestium correpta, sed Deo protegente, ipso illæso permanente, in terram defixit : sicque, ducem læsum credens incasso vulnere spiculo amisso, nihil sibi fuga utilius crediens quam velocius potuit cursu sese infra urbem recepit. Ducis vero ministri tali facto expavefacti extra prosilientes, dolo cognito, noctis excubias solito attentius, vigilesque circa ducem deputant, cæmentarios ex ejus edicto conducentes summo diluculo primum domum brevi perficiunt.

CAPUT XLI.

Comes Rogerius cum Saracenis præliatur.

Ea tempestate comes Rogerius in Sicilia morabatur, crebris incursionibus omnia hostiliter perlustrans, ad sibi subdendum nunc præmiis pulsans, modo minis terrens, jugi exercitatione plerumque alios damnis afficiens, intantumque quietis impatiens hostes lacessendo deterrebat, ut vix in ipsis munitionibus, nusquam autem alias securi essent. Nox vel dies, vesper et aurora, aura lenis et aspera æquo pondere infesta timori erant. Unde et Sicilienses, consilio intra se habito, mori potius quam cum tanta inquietudine infelicem vitam diutius protelare deliberantes, belli fortunam contra comitem tentare parant. Denique versus Panormum prædatum proficiscenti, exercitu innumerabili, undique conflato, ex improviso apud Michelmir occurrunt anno incarnati Verbi 1068. Porro eos eminus conspiciens totus infremuit, omnesque suos in unum B coercens subridendo ait suis : « Eia, inquit, nobilium prædecessorum nobilitas, fortuna vobis favens prædam, quam longius disposueratis quærere, labori vestro parcens, ultro vobis obviam, ne plus in conficiendo itinere fatigemini, adducit. Ecce præda a Deo vobis concessa. Auferte iis, qui ea indigni sunt. Utamur ea dividentes apostolico more, prout cuique opus est. Ne exhorrescatis jamdudum, multotiesque a vobis devictos. Si ducem mutaverunt animo, non quo duce id præsumunt, ejusdem nationis, qualitatis (168), sed et regionis est (169), cujus et cæteri sunt. Deus autem noster immutabilis est. Si a vobis non mutatur integritas fidelis spei, nec ab ipso mutabitur sententia triumphalis auxilii. » His dictis, acieque suorum prudenter ordinata, cum C hoste congreditur. Fortiter nostris agentibus gens inimica in tantum debellatur, ut vix ex tanta multitudide superesset per quem rei eventus Panormi renuntiaretur. Nostri vero triumphalibus spoliis multum ditantur.

CAPUT XLII.

Columbæ Panormi suos victos nuntiant.

Moris vero Saracenis est ut columbas frumento et melle infuso domi nutrientes, cum aliquorsum longius digrediuntur, masculos sportulis inclusos secum ferant : ut cum aliquid novi fortuna illis administraverit, quod domi scitum velint, chartulis eventus suos notantes, et collo avis vel certe sub ala suspendentes, avibus dimissis per aera, familiæ domi sollicitæ, utrum prospere erga peregrinos D amicos omnia agantur, notificare accelerant. Avicula enim dulcedine grani melliti, quam domi gustare sæpius assueverat, illecta, reditum accelerat, chartulas morem suum scientibus repræsentat. Hujusmodi sportulas cum avibus comes inter reliqua spolia accipiens, avibus cum infectis sanguine chartulis dimissis, tristis fortunæ eventus Panormitanis repræsentat. Urbs tota concutitur; lacrymosæ voces liberorum et mulierum per aera cœlum

(165) *Urbem.*
(166) *Attentaret mercaretur. Animus æger.*
(167) *Ad perpetrandum.*

(168) *Ejusdem nationis, et qualitatis mutav., etc.*
(169) C. P. *Religionis.*

attolluntur. Gaudium nostris, illis tristitia parturitur.

CAPUT XLIII.

Dux auxilio comitis Rogerii Barum capit.

Principabatur tunc temporis ubi Barensi sub imperatore Græcus quidam Argerius (170) nomine, qui cum cæteris civibus pro tempore et loco consilio habito (171), chartulis ærumnas urbis civiumque, sed et hostium infestationem adnotans, clam de nocte per quemdam ab urbe digredientem Diogeno (172) Constantinopolitano imperatori dirigit: urbem, quæ sola in ejus fidelitate persistens undique hostili incursione quatiebatur, nisi citius subveniat, se amissuros victus penuria. Se, jam tertio anno instante (173), hostibus circumseptos, cujus diuturno certamine deficientes deditionem parare (174). Nisi ipsam retineat, spem nullam (175) de recuperatione (176) pervasæ ab hostibus patriæ ulterius reservari. Legatus quod instructus erat fideliter adimplere satagens, brevi magnum conficiens iter Byzantium venit. Acceptas epistolas imperatori repræsentare vadit; epistolis orationem exhortatoriam, ut subveniat addit. Imperator vero susceptis epistolis ac perlectis, Duracium mittens, classem parare facit, cui Gocelinum de Orencho (177) quemdam natione Nortmannum, et in palatio post imperatorem secundum, paucis quia strenuus armis et consilio callens erat, ducem præponens, cum multis copiis Barensibus succurrendum disponit. Porro qui missus fuerat, jussus ab imperatore Barum regrediens clam hostes urbem, ut exierat, intrat, Acta refert, signum, quo auxilium veniens, eminus cognoscant, edocet: ut simile signum de unoquoque propugnaculo contra advenientes faciant, fasces scilicet accendant, ne a certo portu devient admonet. Barenses hoc nuntio exhilarati, plus necessario festinantes, animo enim cupienti nihil satis festinatur, in proximam noctem fasces accendunt, clamoribus et laudis plus solito lætitiam ostendunt. Quidnam in hoc facto prætendant, inter nostros quæstio oritur. Fit de pluribus rebus conjectura, undique argumentatur, a prudentioribus rei veritas, deprehenditur, auxilium videlicet per mare illis advenire. Advenerat in auxilium ducis fratris plurimo remige comes Siciliæ Rogerius noviter a fratre invitatus, leoninam in omni certamine habens ferocitatem, quem tamen prudentia regebat, et fortuna favens comitabatur. Hic callide in hoc negotio agens, singulis noctibus speculatum ire jubet, si forte eminus per mare adventantes naves aspiciantur. Cum ecce quadam jam nocte mediante quasi stellæ lanternæ ardentes in summitate mali uniuscujusque navis eminus apparere conspiciuntur

(170) C. P. *Argeritius.*
(171) *Concilio, et loco habito.*
(172) C. P. *Diogerio.*
(173) *Instantibus hostibus circumsepto, cives diutino*, etc.
(174) *Deditioni parari.*

A Quod cum a comite compertum fuisset accelerantissime armata manu, plurimo sese remigi credens, obviam hostibus ire accelerat, quos hostes eminus aspicientes, Barenses qui supra præ gaudio occurrerent rati, minus sese ad defensionem aptant. Comes vero navem Gocelini, qui dux hostium erat, duabus lanternis a cæteris distinctam eminus cognoscens, illam versus impetu suorum intendere jubet. Dumque fortiter congrediuntur, tanta vi quædam ex nostris super navem illorum grassata est, ut ex uno latere cum pondere armorum incaute decurrente, centum quinquaginta loricati ex nostris submergerentur. Comes vero Gocelinum oppugnans superat: quem in suam navem exarmatam recipiens, cum triumpho gloriosus ad fratrem remeat. Dux vero amittendi timore in certamine fratris, plurimum angebatur, quippe nec succurrere poterat, nec B alium, excepto illo, cæteris defunctis, habebat. Attamen victor et incolumis redire nuntiatur, nulli credulus fieri asserit, donec visu sibi satisfaciente. Utrum sanus esset scrutando ingeminat cum lacrymis. Comes vero Gocelinum mirifice Græco more præparatum, duci ad honorem repræsentat captivum. Barenses itaque se sua spe frustrati ulterius hostes ferre non valentes, deditione facta, duci fœderantur. Anno Domini 1070, dux voti compos effectus, fratri et cuncto exercitui gratias referens, urbe pro velle suo ordinata, fratrem in Siciliam præmittens, solito exercitu brevi iterum expeditionem versus Panormum submovet. Toto Junio et Julio mense apud Hydruntum moratus montem, quo facilius descensus ad mare, equos navibus introducens, fieret, rescindere facit, unde et Duracenses maxime sunt territi, ne mare cum exercitu trans- C means, eos impugnatum veniret mulumque et equum ei, quasi ad honorem mandantes, hac occasione rem speculatum mittunt.

CAPUT XLIV.

Scyllum duci reconciliatur.

Ea tempestate Costa Condomicita, qui Scyllum (178) jamdudum duci fraudulenter abstulerat, veritus ne cum dux versus Siciliam navigio transitum simularet, Scyllum (179) obsessum diverteret, duci reconciliatus castrum reddit, tali injuria se, ad quod fecerat compulsum dicens: Dux Costam Pelogam quemdam Stratigotum statuerat, qui nimia insolentia defluens quosque ingenuos viros, vel mulieres, nec etiam suæ consanguinitati parcens contumeliis afficiebat. Hic inter cætera quamdam ingenuam matronam nomine Reginam, aviam Costæ Condomicitæ gallinam auream cum pullis, quam D habere dicebatur, ab ea extorquere volens, verberibus laniatam captione retruserat. Costa Condomi-

(175) *Nulla.*
(176) *Habetur.*
(177) C. P. *Gozelinum de Corintho quemdam natione Normandum.*
(178) C. P. *Stilium.*
(179) *Stilium.*

cita in famulatu ducis apud insulam Crotone detinebatur. Cui cum quod acciderat relatum fuisset, injuriam aviæ reputans suam, infirmitate simulata, licentiam domi causa curationis a duce exposcens, vigilia Natalis Domini Scyllum (180) ingressus est: quem Stratigotus venisse audiens, piscium sibi exenia per famulum mittit, qualiter se res erga ducem habebat, requirit. Ille ac si nihil mali machinans, ira dissimulata, gratias remandat: sed quod animo conceperat minime oblitus, postquam comestum est, potentioribus urbis secreto circumventis, de sibi illata aviæque injuria querimoniam ostentat: quibus respondentibus merito sibi talia accidisse, excusationibus minime usus, facti se pœnitere asserens, uti contulerat, auferre tantaturum promittit, si tantummodo ipsis potiatur auxiliariis. Sicque a pluribus fide accepta, totam noctem insomnem ducens, quoscunque potest sibi allegat; summoque diluculo, cum omnes qui hujus rei ignari erant, ut dies ipsa monebat, in ecclesia Dei laudibus inservirent, ipse cum tredecim viris, gladiis cum capis accinctis, reliquis signo dato, et a foribus exspectantibus, ad portam castelli accedens, janitor nil suspicatus quasi noto aperit. Ille cum sociis ingressus, hospitium Stratigoti intrat, arma quæ invenit corripit: versus ecclesiam, Stratigotum præoccupare volens, citissimus currit. Undique ergo insurgente clamore, Stratigotus, insidiis compertis, per fenestram prosiliens, præcipitio delapsus, dum fuga refugium petit a civibus, quibus omnibus exosus erat, comprehensus reducitur. Costa Condomicita, quia consanguineus ejus erat, volente ei parcere, a populo condemnatur, sicque cum suppliciis pœnas luens, a quibus mala intulerat, perimitur: quos religaverat liberantur, a fidelitate ducis palam avertuntur. Sicque per sex fere annos duci rebelles per diversa loca Calabriæ ab ipsis turbatio plurima facta est. Istud hic inscribimus ut caveant prælati sibi subditos pravis ministris a sua fidelitate divelli.

CAPUT XLV.

Panormus capitur.

Dux igitur commeatibus et cæteris quæ expeditioni congruebant apparatis, fratrem, quem præmiserat, subsecutus, apud Catanam, ubi comes erat, venit fingens se Maltam debellatum ire, quasi de Panormo diffidens; sed a fratre cohortatus, magno equitatu, cum navalibus peditumque copiis ab inde progrediens Panormum venit, ab Oceano urbem navibus obsidens, fratremque comitem ab uno latere statuens, ipse ab altero cornu Calabrensibus et Apulis muros ambit. Sicque quinque mensium circulo hostes urbis defensionis attentissime pervigiles ipse nihilominus impugnationi cum fratre intentus inquietare perstuduit. Utrique pari ardore inflammati omnia circumire, suos instruere, omnia ordinare, hostibus interminari, suis plura largiri, ampliora promittere, primus et frequentior adesse, nihil intentatum relinquere. Machinamentis itaque et scalis ad muros transcendendos artificiosissime compaginatis, dux hortos cum trecentis militibus latenter ingressus ex altera parte, qua videlicet navalis exercitus adjacebat, urbem infestare, fratremque a parte, qua erat, haud secus agere perdocuerat. Illi, signo dato, quæ edocti erant, haud perficere segnes magno sonitu irruunt. Urbs tota in arma ruens, quæ strepitu tumultuantium accurrebat defensioni, acceleranter grassatur. A parte, qua minus cavebant, vacillatur. A Guiscardensibus scalis appositis murus transcenditur. Urbs exterior capitur, portæ ferro sociis ad ingrediendum aperiuntur. Dux et comes cum omni exercitu infra muros hospitantur, Panormitani delusi hostes a tergo infra muros cognoscentes, interiori urbe refugium petendo sese recipiunt. Nox tumultum diremit. Proximo mane primores, fœdere interposito, utrisque fratribus locutum accedunt, legem suam nullatenus se violari vel relinquere velle dicentes, scilicet si certi sint quod non cogantur vel injustis et novis legibus non atterantur. Quandoquidem fortuna præsenti sic hortabantur urbis deditionem facere, se in famulando fideles persistere, tributa solvere, et hoc juramento legis suæ firmare spopondunt. Dux comesque gaudentes, quod offerebatur libenter suscipiunt anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo. Adepti primo omnium, Scripturæ fideles imitatores dicentis: *Primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis* (*Math.* VI, 33); ecclesiam sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ antiquitus archiepiscopatus fuerat, sed tunc ab impiis Saracenis violata templum superstitionis eorum facta erat, cum magna devotione catholice reconciliatam dote et ornamentis ecclesiasticis augent. Archiepiscopum, qui ab impiis dejectus in paupere ecclesia S. Cyriaci, quamvis timidus natione Græcus cultum Christianæ religionis pro posse exsequebatur, revocantes restituunt. Deinde vero castello firmato, et urbe pro velle suo dux eam in suam proprietatem retinens, et vallem Deminæ, cæteramque omnem Siciliam acquisitam, et suo adjutorio, ut promittebat, nec falso acquirendam, fratri de se habendam concessit.

CAPUT XLVI.

Serlo occiditur.

Cum ista geruntur, Serlo filius Serlonis, nepos videlicet utrorumque principum istorum, cujus in præcedentibus mentionem fecimus, apud Ceramum morabatur ad tuendam provinciam ab incursibus Arabicorum, qui apud castrum Joannis ea tempestate morari dicebantur, a duce et comite sic jussus. Nam et medietas totius Siciliæ ex consensu ducis et comitis suæ sorti, Arisgotique de Poteolis. inter se

(180) *Stilium.*

dividenda cesserat : eo quod hic consanguineus A eorum erat, uterque autem consilio et armis probissimi viri erant. Arabici autem qui apud castrum Joannis morabantur, strenuitate Serlonis, quia eis in multis infestus erat, plurimum inimicabantur, jugique intentione dolo vel armis ruinam ejus meditari nitebantur. Saracenus autem de potentioribus castri Joannis nomine Brahen (181) cum Serlone, ut eum facilius deciperet, fœdus inierat, eorumque more per aurem adoptivum fratrem, alter alterum factum vicissim susceperat. Hic cum traditione cum suis composita Serloni salutaria munuscula cum amicabilibus verbis mandat, inter quæ etiam intulit ista : Sciat fraternitas adoptivi mei quod tali vel tali die septem tantummodo Arabici ex deliberatione jactantiæ terram tuam debent prædatum adire. Quod B Serlo audiens ridiculo habere cœpit, minusque sibi prospiciens, ex vicinis castris neminem sibi in auxilium arcessivit, sed terminato die inconsultus venatum secessit. Poro Arabici qui dolum composuerant, cum septingentis militibus et duobus millibus peditum de Castro Joannis digressi, haud procul a Ceramo in abditis locis insidias ordinant, septem tantummodo, ut Brahen (182) Serloni mandaverat, milites mandantes, qui Ceramo, præda capta, Serlonem extrahunt. Insurgit clamor, ab incolis provinciæ tumultuatur, a Serlone, ubi venatum ierat, tumultuantes cives audiuntur, sed quia inermis processerat, nuntium apud Ceramum ad deferenda sibi arma suosque invitandos mittens, ipse, quo clamor infestius urgebat, sciscitaturus quidnam C esset, progreditur. At dum a septem militibus præda abduci dicitur, arma sibi delata corripiens, adoptivi fraudi plus necessario credulus improvide subsequens, ultra insidias progreditur. Ilis autem ab insidiis prorumpentibus, cum hostes a tergo horribili armorum turbine deprehenduntur, Serlo decertandi copiis, sed et fugæ præsidio diffidens, cum paucis qui secum erant, petram, quæ ab ipso die Serlonis dicta est, cursu expetit. Qua ascensa, a dorso pro muro ejus usus, diu fortiter sed nullo aliunde auxilio adventante, incassum dimicatur; nam tandem confossus occubuit, nullusque ex omnibus qui cum ipso erant, exceptis duobus qui inter cadavera mortuorum latitaverant, evasit. Serlone exenterato, Sarraceni cor extrahunt. Ut audaciam ejus, quæ multa fuerat, conciperent, comedisse dicuntur. Capita vero occisorum in Africam regi ad honorem mittunt, et caput Serlonis, stipiti impositum et per plateas urbis delatum, a clamante est præconizatum ejus esse a quo præ cæteris Sicilia impugnabatur, hostes devictos nullo simili superstite; Siciliam suæ sorti amodo facere (183) cessuram. Cum ista apud Panormum principibus nostris nuntiantur, exercitus totus turbatur. Comes amissione nepotis intolerabili dolore angebatur, dux vero a lamentis fratrem suum coercere volens, dolorem suum virili more occultare nitebatur. Feminis, inquit, lamenta permittantur, nos autem in vindictam armis accingamur. Igitur quia sejunctim ad invicem utrique fratres quisque suis utilitatibus lucrari studebant, excepto quod cum necessitatibus incumberent, alter ab altero invitatus vicissim sibi ad invicem succurrendum venirent, huic libro, alium incœpturi, finem ponamus ut in sequenti de unoquoque nunc sejunctim iterumque conjunctim, prout ipsa res expostulaverit, stylum alternemus.

Explicit liber secundus.

LIBER TERTIUS.

Quoniam quidem arduas res clarosque triumphos D duorum procerum; Guiscardi videlicet ducis, Siciliæque comitis Rogerii, nunc sejunctim, nunc vero gregatim, prout facere nos scripturas repromisimus, limpidior poetria, si esset unde æstuandum foret, ut res quæ in ipso nobili memoria clarent, nobilioris philosophi penna chirographizaret, ne limpidissimus liquor, dum ad hauriendum porrigitur, fetore incultioris vasis etiam ab ipsis sitientibus abhorreatur. Sed quoniam nos aureis fistulis paupertate prohibemur ad potandum, utimur interdum plumdea fistula, dulces liquores usque degustaturi. Unde et lector quisquis historiæ seriem perscrutari tentat, non fallentia verborum commenta, sed pompales triumphos memorandorum virorum attendat. Quæ enim inseruntur non meæ vel tuæ laudi, sed illorum qui faciendo meruere, subtitulantur. Quoniam ex edicto principis tempus scribendi imminet quod negligendo hactenus minus potatum est, ad fontem quo hauriam unde limpidius eructetur, recurrere ipsius principis urgens festinantia prohibet.

(181) C. P. *Braclem.*
(182) *Braclem.*
(183) C. P. *facile.*

CAPUT PRIMUM

Apud Paternionem et Mazariam castella fiunt.

Igitur famosissimus Siciliæ princeps Rogerius, duce fratre, expeditione, postquam Panormum adeptus est, solita, a Sicilia versus Calabriam et Apuliam, ut suas utilitates exsequeretur, digrediente, in Sicilia remanens, exercitus recedentis fratris minimam partem præmiis et promissionibus illiciens, ex consensu ejusdem ducis sibi retinuit. Siciliamque debellare ex omni parte aggrediens, jugi incursione non minimum lacessivit, et quamvis hactenus dum in his quæ acquirebat cum fratre participaturus ad plenum strenue egerit, nunc cuncta quæ acquireret suæ sorti cedere certus, quasi leo esuriens prædæque avidus, quietis impatiens, omnia circumire, periculosioribus inceptis primus adesse, nihil intentatum relinquere patiebatur. Anno Dominicæ incarnationis 1073, duo castella, unum apud Paternionem ad infestandam Catanam, aliud vero Mazariam ad debellandam adjacentem provinciam firmaverat. Dux vero, a Sicilia in Calabriam veniens, apud Russanum ejusdem provinciæ urbem dolentibus urbicolis castellum firmavit.

CAPUT II.

Guiscardus Salernum obsidet.

Gisulfus ergo Salernitanus princeps, frater Sigelgutæ (184) uxoris Guiscardi ducis, omnes maritimos (185) fines a Salerno usque ad portum qui Fici dicitur, Arecumque et S. Euphemiam sui (186) juris esse volens, et partem a Guiscardo dictim pervadi (187) audiens versus ducem inimicitias injecit, omnesque ei adhærentes quos capere poterat contumeliis deturpans, nostræ genti sese inimicari non abscondebat. Dux autem Guiscardus, qui amicitiam sibi promiserat primum quidem patienter ferens, legatis ait ab incœpto resipiscat convenire. At ubi videt conceptam animo principis malitiam quanto plus lenire tentabat, eo amplius in deterius excrescere, fœdere quod inter eos erat renuntiato, inimicanti sibi etiam ipse insedabiles amicitias parat, Sed quia inter se et Ricardum principem Aversæ inimicitiæ efferbuerant, veritus ne ab ipso Gisulfo adversum se succurreretur, pacem cum ipso fecit; quo in sui adjutorium quibusdam pactionibus conducto, Salernum multis copiis obsessum vadit.

CAPUT III.

Malfetani cum duce pacem faciunt.

Malfetani vero, Gisulfum exosum habentes, timebant quippe ab ipso puniri, eo quod interfectores patris ipsius, dum eos ad subjugandum sibi impugnaret, exstiterant. A duce invitati ut sibi ad obsidendum urbem navigio servitum veniant, potentiores duci locutum ex consensu aliquorum accelerant. Dux itaque callidis pactionibus, si assentiant, si autem dissentiant, minis terrendo attentans, tandem ad confœderationem compulit, ut si contra Gisulfum tuerentur, tota Malfa illi subjugata hæreditaliter fœderaretur. Duce vero omnia, ut expetebant, promittente, parte exercitus ad obsidendum urbem relicta, reliquam secum ducens, cum ipsis qui inde venerant, apud Malfam vadit, urbem sibi a civibus deliberatam suscipit, quatuor castella in ea fecit, militibus suis munit; inde cum multis Malfatanorum copiis Salernum redit. Sic deterrebat Malfatanos, si manus Guiscardi quoquo modo evaderet timor Gisulfi.

CAPUT IV.

Salernum deditur.

Dux vero navalibus peditumque copiis, sed et equestri exercitu Salernum vallans, frequenti incursione congrediens undique deterrebat; in tantumque attrivit ut nullo aditu ad victum introducendum, se suisque negantibus, patente, tantam famem inesse coegerit ut etiam vel mures, sicut relatione eorum qui præsentes adfuerunt didicimus a quibusdam introrsum reclusis comessi sint. Abagelardus vero, filius Hunifredi comitis, nepos videlicet ducis, qui Salernum, propter inimicitias quas cum duce habebat, propter hæreditatem quæ ab ipso detinebatur sibi, in adjutorium Gisulfi introierat, ingruente fame, Salerno clam de nocte digressus apud S. Severinam Calabriæ urbem duci infestus fieri secessit. Dux autem in Siciliam ad fratrem mittens, ut Abagelardum nepotem apud S. Severinam obsessum vadat, non incassum mandavit. Ipse vero urbis Salernitanæ infestationi indivulse persistens, tandem ad deditionem coegit; Gisulfo vero, quia frater erat suæ collateralis, liberorum fratrum avunculo, quocunque vellet abeundi libertatem dedit: urbem autem sua in virtute retinens, castellis et munitionibus pro libitu suo aptavit.

CAPUT V.

Comes Rogerius Abagelardum apud S. Severinam obsidet.

Inde quietis impatiens nulloque labore, ubi aliqua spes cujusque lucri designabatur, deficiens, apud S. Severinam, ubi fratrem prævenire invitaverat, nepotem Abagelardum obsessum vadit: fratremque, quem ad hoc invitaverat, ab uno latere urbem obsedisse inveniens, ab altero latere ipse consedit. Abagelardus autem diatim urbe digrediens, nostros ad

(184) C. P. *Sigelgaitæ.*
(185) *Maritimanos.*

(186) *Quem fecit, et statum fennam.*
(187) *Diatim pervadere.*

certamen provocando, dum alternatim fortiter sæpeque congreditur, multa militiæ congruentia perpetrata sunt. Porro dux videns se minus in urbem proficere, consilio cum suis habito, tria castella firmavit. Unum Hugoni Faloch, alterum Rainaldo de Simula ad urbem infestandam delegavit, tertium autem Herberto fratri Hugonis, et Gustinobarbo (188) fratri Rainaldi. Sicque expeditione soluta in Apuliam secessit, ubi non multo post apud Cavam, in quodam congressu Heremannum comitem fratrem Abagelardi capiens, Rogerio fratri in turri Melitensi retrudendum mittit. Qui dum in vinculis obscuro carcere cruciaretur, Abagelardus, fraterna compassione tactus, pactionem cum duce ut urbem sibi reddens fratrem recipiat, facit. Duce itaque hac calliditate illum deludendo fidem dante, ut cum apud Garganum venirent, sic enim castrum quoddam dicebatur, fratrem sibi captione liberum redderet, ille incautus, verba argumentosa minime advertens, urbe digrediens duci eam reddidit, sicque cum ipso aliquantisper commoratus fratris redditionem frustra suspicabatur. At cum Russanum ventum est, asperius cum duce, quod nimium protraheretur, sermonem habuit, versus Gargantum iter acceleret hortatur. Tum vero dux dolum aperit, infra septem futuros annos se illuc quo dixerat non iturum asseruit. Ille, sic calliditate verbi se circumventum animadvertens, plurimum cum duce altercatus, irato animo discedens, in Apuliam castro S. Agadii seditiosus sese cum suis recepit.

CAPUT VI.

Dux S. Severinam recuperat, Castro S. Agadii dux Abagelardum obsidet.

Dux itaque sciens illum ad hoc niti ut totam Apuliam versus se, pro posse, commoveat, exercitu excitato illum insequens obsessum vadit; sed castro natura, munitione, defensalibus firmissimo, cum diutius in oppugnando persisteret, ipsis qui intra erant fortiter agentibus, plus damno suorum perturbabatur quam versus castrum proficeret. Abagelardi autem de amissione fratris dolor in dies excrescebat, neque vincula, quibus frater arctabatur, ipsum haud secus hac illum ex recordatione angebant. Unde et frequentius casus fratris quibuslibet pactionibus meliorare attentans, vix tandem obtinuit ut, castro reddito, fratrem recipiens, quo et sibi liberet, abscedere liceret. Sicque fratre recepto pariter discedentes, mari transmeato, ad imperatorem Constantinopolitanum transeunt.

CAPUT VII.

Comes Rogerius in monte Calataxibet castellum facit.

Famosissimus ergo Siciliæ princeps, et debellator Rogerius apud Siciliam in omnibus strenue agens morabatur. Neque enim, aliqua delectatione se retrahente, hostibus absens fieri patiebatur, quippe quem egestas, labor, minæ hostis, imminens jugis decertatio, vigiliæ, vel vita asperior ab incepto non deterrebant, sed potius quanto asperitatibus quatiebatur eo ardentiori constantia ipsa, humano more animo suo innata, dominationis cupidine, vincere quam vinci nitebatur. Et quamvis omnia cupiens esset, impensius tamen zelo potiendi Castrum Joannis angebatur. Quod si adeptus foret, sciebat se quasi pro firmo (189) ad totam Siciliam pro libitu suo ventilandam. Tali tantoque urgenti desiderio anno Incarnati Verbi 1074 in monte Calataxibet castrum firmavit, quod militibus et reliquis quæ necessaria erant muniens, Castrum Joannis infestissimum redditur.

CAPUT VIII.

Africani Nicotrum destruunt.

Africani ergo Sarraceni, a familia regis Tunicii ex ejus edicto, navibus per mare piratarum more vela ventis committentes, maritima littora versus Siciliam et Calabriam insidiatum vadunt. Sicque, Junio mense in vigilia B. Petri, apud Nicotrum de nocte appulsi cives incautos et præ gaudio instantis solemnitatis, vino, ex more somnoque gravatos opprimunt, semisomnes alios perimunt, alios capiunt, ipsos etiam pueros cum mulieribus omnique suppellectili vehibili prædam navibus inducunt, castrumque totum incendio concremantes, remige accelerato in altum recedunt. In crastinum ripæ propius accedentes pueros et imbecilliorem familiam amicis redimere volentibus, prætio accepto, navibus ejicientes partim exonerantur; reliquos, qui alicujus utilitatis videbantur, adducunt; sicque vela ventis committentes, patrios agros unde venerant læti revisum tendunt.

CAPUT IX.

Africani apud Mazariam vincuntur.

Anno vero incarnationis Domini 1075, quia in præcedenti anno pro libitu sibi favente apud Nicotrum prospere accurrerat, plus necessario cupidine avaritiæ insolentes, simile sibi evenire frustra rati, navibus ascensis versus Siciliam fortunam tentatum navigant, insulamque circumcurrendo tentantes, tandem apud Mazariam appulsi sunt. Navibus digressi urbem magna vi oppugnantes irrumpunt, castrum autem, quod infra erat, fortiter repugnantibus per octo dies obsident. Comes vero, per legatum comperto castrum suosque hostibus infestari, clam de nocte armata manu castrum ingressus, summo diluculo per portas prorumpens, cum hoste in platea urbis ante castellum congreditur, fortiterque ex

(188) C. P. *Tristomo Barba.*

(189) C. P. *Pro flagello uti.*

more agendo victor efficitur, pluribusque peremptis, reliquos fugientes extremos quosque in mare prosequitur. Mazara ducis strenuitate ab hoste eripitur. Gemebundus rumor a paucis qui evaserunt Africæ nuntiatur, sicque rotabilis fortuna homines primo prosperis successibus alludendo illectos spe priorum eventuum deceptos risit.

CAPUT X.

Hugo de Gircea apud Catanam occiditur.

Comes vero, quibusdam necessitatibus se avocantibus a Sicilia, versus Calabriam digrediens, Hugonem (190) de Gircæa, cui propter strenuitatem quam habebat, nam et præclari generis a Cenomanensi provincia erat, totam (191) servandam Siciliam delegavit, interdicens ne, si Bernarvet, quia vicinus sibi Syracusis morabatur, aliquem incursum versus se faceret, callidas ejus versutias cavens, nusquam urbe digrediens, hostem persequeretur. Sed juvenilis animus militia fervens, et laudis avidus, quod sibi interdictum erat minus servans ad hoc niti cœpit ut ante reditum comitis aliquod nobile facinus, unde militarem laudem mereretur, perpetraret. Unde et Trainam usque progrediens, Jordanum comitis filium cum familiari militia comitis secum Catanam adduxit. Porro Bernarvet, magno electorum militum exercitu congregato de nocte accedens, haud procul a Catana in abditis locis insidiis occultatur, triginta militibus Catanam usque præmissis qui eos ad certamen excitatos longius ab urbe protraherent. Hugo vero et Jordanus, militia ferventes, suos ad certamen cohortando, urbe cum magno impetu digrediuntur; trigintaque electos milites insidias speculatum mittentes, ipsi incautius insequi accelerant. Porro speculatum præcedentibus locum insidiarum transgressi, dum a subsequentibus usque perventum est, illi, ab insidiis prorumpentes, hostibus horribili turbine insurgunt. Itaque qui præcesserant, insidias a tergo videntes, nec ad suos, hostibus interpositis, regredi posse, Paternionem fugientes evadunt. Nostri vero dum fortiter congredi nituntur, Hugo comitis gener cum pluribus occiditur, Jordanus autem, hostes ferre non valens, cum paucis Catanam elabitur. Bernarvet lætus cum spoliis Syracusiam regreditur. Comes itaque rumorem hujuscemodi per legatum cognoscens reditum accelerat exercituque adversus Bernarvet commoto, castrum, quod Zotica dicebatur, oppugnans funditus diruit, viros perimit, feminas cum pueris in Calabriam venditum mittit, anno Incarnati Verbi 1076. Sed quia animus principis, dolore generi interfecti, ad mentis debilitationem pene infectus nisi majori vindicta sanari minime poterat, ampliorem vindictam expetens, usque ad provinciam Notensem profectus, ita omnia exterminavit ut etiam ipsas messes, tempus enim trituræ instabat, quia asportari non poterant, penitus igne combusserit; quod etiam passim per diversa loca Siciliæ facere addens maximam egestatem ipso anno eidem insulæ incussit :

Nascitur ergo fames quia sustulit ultio panes.

CAPUT XI.

Trablas obsessione ad deditionem cogitur.

Anno Verbi Incarnati transacto millesimo,
Adjectoque super mille septies undecimo,
Expeditionem movet comes mense Madio.
Naves vela dant per æquor suffragante zephiro.
Æra sonant, buccinando pontus plaudit jubilo.
Classis magni Alexandri non (192) hac pulchrior.
Aura ridet cum fortuna, pubes gaudet bellica.
Citharizant ad hoc docti, resonant et tympana.
Trablas (193) ergo oppugnatum, nil tumescunt æquora.
Sed transcendit equitatu comes fronte bellica,
Montium scopulosorum ima sive ardua,
Bellicosæ juventutis multa fultus copia.
Clypeos auro fulgentes, et splendentes galeas
Sol cum tangit, intuentum aciem reverberat.
Montes omnes splendescunt super clara sidera.
Equi fremunt, dant hinnitus, æque (194) montes resonant.
Mille, flante aura levi, vexilla subventilant.
Horrido aspectu satis versus Trablas properant.
Hostes vident, exhorrescunt hanc armorum nebulam.
Terra ponto sonant tubæ, ut metum incutiant.
Clamor usque cœlum pulsat; hostes infra trepidant:
Urbem vallant (195) circumquaque æquore, vel arida.
Nautæ velis obumbrantur, terræ figunt anchoras.
Equitum pars frontes cædit, pars figunt tentoria.
Crebro currunt ad certamen, fortiter congreditur.
Hostis nisus repugnare, plurimum concluditur (196).
Castro luctus post certamen, nostris lyra additur.
Hostes viribus diffisi tandem pacem expetunt.
Cedit comes, castrum reddunt (197) ditionem subeunt.
Fœderantur more suo, sed dolentes faciunt.

Ab hac eadem urbe strictior sinus terræ ab utroque latere mari (198) urgente, longius in mare porrigitur, pascuis uberrimis abundans. Ibi armenta et cætera urbis animalia hostilii tempore pasci consueverant, quo cum ex more propter instantes hostes

(190) C. P. *Hugoni.*
(191) *Cum filia sua de priori uxore Catinam dederat, totam*, etc.
(192) C. P. *Fuit.*
(193) *Itur.*
(194) *Echo.*
(195) *Urbs vallatur.*
(196) *Colliditur.*
(197) *Ditioni.*
(198) *Mare.*

diatim exirent, nostri, brevi sinu interposito conspicientes, cœperunt, ut in tali gente assolet, aviditate, si aliquo astu queant, adipiscendi agitari. Jordanus filius comitis, ad id negotii peragendi intentionem certius apponens, ut hanc sibi famam militariter præ cæteris acquireret agebat. Tandem itaque, ut erat vir præsumptuosissimus et laudis avidus, cum sibi familiaribus consilio habito, quodam vespere centum sibi milites eligens, patre inconsulto naves ascendit, de nocte insulam pervadit, applicans navibus digreditur; in concavitate quadam ejus insulæ, antequam illuscescat, occultatur insidiis. At ubi nocte recedente sol irradians terris illuxit, tota civitas prædicta (199) ex more urbe digrediens pascendi gratia ipsam insulam sparsim præoccupat. Porro Jordanus, ubi in insidiis occultabatur prædam longius ab urbe progressam conspiciens, impetu leonino a loco prorupit, usque in portam urbis prædam colligens prosilit, navibus introducendam illorsum minare accelerat. Cives itaque, insulam insperato hostibus pervasam videntes, in arma ruunt, maximo impetu, usque ad decem millia ab urbe prorumpunt, hostes, ut prædam excutiant, inconsulte prosequuntur. Nam ubi Jordanus longius ab urbe eos progressos videt, spreta præda, hostibus leonina ferocitate occurrit, congressuque facto, acerrime utrinque pugnatur. Sed Jordanus, ut erat in congressibus fecundissimus, suos verbis exhortatoriis promptiores reddens, fortiter agendo plures sternit, reliquos fugat, victor efficitur, quosque cædendo usque in portam urbis prosequitur, sicque ad naves regrediens maxima præda lætanter (200) introducta, ad patrem impune cum triumphali laude redit. Hac re urbs quasi maxime territa ad deditionem, ut diximus, compulsa est. Comes itaque urbem nactus pro libitu suo castro et cæteris munitionibus ordinat, militibus et quæ iis necessaria erant munit, turribus et propugnaculis undique vallans. Sed undique adjacens provincia, firmissime circumsepta munitissima erat et ideo adhuc recalcitrans rebellat. Comes laboris indeficiens crebris incursionibus, ut sibi omnia substernat, infestare aggreditur, brevique termino usque ad duodecim famosissima castra suo domino obediendo subire coegit, quæ militibus suis distribuens cum omnibus appendiciis suis de se habenda delegavit. Sic exercitum omnibus pro exhibito sibi servitio gratias agendo, solvens, ipse Bricam a labore pausatum secessit.

CAPUT XII.

Castrum Novum comiti fœderatur.

Ea quidem tempestate quidam Sarracenus, Bechus nomine, Castrum Novum possidens, illic morabatur. Erat autem idem vir magnæ superfluitatis et arrogans, unde et ipsos suos fideles levitate sua interdum diversis contumeliis afficiens, sibi infide-

(199) C. P. *tota civitatis prædicta.*
(200) *Licenter.*

A liores reddebat. Hic quadam die cum molendinario suo iratus, ante se invitans verberibus deturpavit. Porro ille se adeo grave ferre dissimulans, in vindictam tantæ dehonestationis animum intendens, secum tacitus agebat quibus artibus vel damno r[illegible]arum, aut certe læsione corporis vicissitudinem recompensaret. Unde accidit ut quodam vespere de subjacentibus complices sibi alligans, petram quamdam, quæ omni castro supereminebat et dominabatur, irrumpens pervadere legatumque apud Bricam comiti mittens, in sua fidelitate se ita egisse et ut sibi succurrere acceleret mandat. Hoc nuntio comes accepto plurimum exhilaratus, cum quantis habere poterat citissimus illorsum intendit. Porro Bechus molendinarium blanditiis et promissionibus, ut ab incœpto resipiscat sibi reconciliare
B dum minus prævalet, frustra oppugnare nitebatur. Comes vero adventans propius accedit, molendinarium amplissimis promissionibus in sui fidelitate arrigit. Ille cum nulla ex parte aditus ad se accedendi nostris pateret, fune oblato demisso, quosdam nostrorum ad se pertrahit. Bechus itaque videns nostros a molendinario infra petram susceptos, spe retinendi castri amissa territus, castro spreto, omnia quæ poterat asportans aufugit, cives cum comite pacem facientes infra castrum recipiunt. Comes vero sic castro potitus pro velle que muniens ordinat molendinarium, ut cæteris, ad similes actus exsequendos exemplum tribuat, pluribus benefactis, libertate etiam concessa remunerat.

CAPUT XIII.

C

Michael imperator ad ducem venit.

Eodem anno Græcus quidam sub nomine Michaelis imperatoris Constantinopolitani, ad ducem in Apuliam venit, auxilium expetens ad palatium (201), a quo, ut dicebat, fraude suorum, in die sancto Parasceve dejectus fuerat, monachusque violenter fieri compulsus hoc solo crimine objecto quod filiam ducis filio suo nuptui acceperat. Ipse quoque filius, ne spe aliqua recuperandi palatii, vel deductæ uxoris procurandæ propaginis reservaretur, turpiter eunuchizatus, usque ad exitum vitæ exsilio relegatus est, alio in locum expulsi in palatio subrogato, quem nec aliqua, vel extrema antiquorum imperatorum linea ad id hæreditatis jure gentium invitaverat. Timebant denique Græci ne, si ex nostræ gentis
D uxore hæredes procreati in palatio successerant (202) occasio liberius illuc accedendi nostræ genti daretur et gens deliciis et voluptatibus, potiusquam belli studiis ex more dedita, nostrorum strenuitate subjugata conculcaretur. Ipsam ducis filiam reclusam diligenti custodia observabant, ne forte si alicui potenti nuberet, quia hæreditali imperatori semel in palatio coronata fuerat, ab ipso cui nuberet, aliqua hæreditas per ipsam in palatio proclamaretur. Michael itaque a monasterio, in quo monachus co-

(201) *Recuperandum.*
(202) *Subscrescerent.*

actus erat, habitu ejecto, ut dicebat, profugus, in Apuliam veniens a duce imperiali honore susceptus, per omnes civitates Apuliæ, sive Calabriæ processionibus, et imperialibus pompis, ex edicto ejusdem ducis accuratissime obsecundatur. Et hoc quidem totum ex industria dux faciebat, quandoquidem animum (203) eum in palatio restituendi haberet. Audierat nempe generum suum eunuchizatum, unde spe suscipiendæ de filia prolis, cui palatium jure hæreditali competeret, amissa, ad hoc inter se nitens tutius (204) agebat, ut, sub nomine Michaelis, quibusdam sibi faventibus, Græcis facilius debellatis, cum ad palatium usque perventum foret, vi coronam cum sceptro et imperialibus ornamentis pervadens, ipse imperator fieret. Promittens tantum se sibi auxilium laturum, per duos ferme et amplius annos honore quo cœperat, cum secum detinuit, donec ea quæ tanto incœptui necessaria forent apparabantur. Erant autem tunc etiam quidam cum duce, qui in palatio tempore Michaelis imperatoris servientes faciem ejus se novisse, et hunc similem minime, vel in modico assimilari dicerent; sed fraudulenter hunc spe alicujus a duce accipiendi muneris advenisse. Porro dux, uterne an pro certo esset æquipendens, cum multus susurrus inter suos super tali negotio fieret, ab incœpto minime deterrebatur, sed potius quod cœperat exsequens, cum ipse non esse hunc dubitaret, nil de hac re dubitare asserebat, et hoc ex industria quidem laudans suos faciebat, ne ab ipsis ab incœpto dehortaretur.

CAPUT XIV.

Dux classem aptat versus Græciam.

Talia disponens, tacita sed mente reponens,
Sumptibus insudat, quo Bysantium sibi ludat.
Undique terrarum quærit spem materiarum.
Nulla remittuntur, nec rustica despiciuntur.
Sed prodesse queunt quæ jam despecta fuerunt.
Ligni cæsores mandantur in arte priores.
Undique terrarum conducitur ars tabularum.
Robora cæsa cadunt, resecantur, sectaque radunt
Artifices ligni. Ferrum faber applicat igni.
Anchora conflatur, clavorum forma paratur.
Compago navis texitur (205) superaddita clavis.
Obducunt imas alii lanugine rimas,
Atque picem liquidam properant superaddere quidam.
Vela suunt isti, studium dant funibus isti.
Classis adaptatur, non navis sola paratur.
Crescat ut in numeros studiosus imminet heros
Omnibus aptatis, et navibus arte paratis,
Per liquidum pontum classis conflatur Hydruntum.

CAPUT XV.

Comes Tauromenium obsidet.

Interim dum ista aguntur anno instante 1078,
A comes Tauromenium obsidens viginti duobus castellis vallavit; ita ab uno in alterum sepibus et stropibus (206) claudens, sed et navalibus copiis a procinctu maris cingens, ut nullo latere pateret aditus ad castrum volentibus hostibus aliquid introducendi vel educendi. At dum quadam die de castro in castrum per præcipitia scopulosi montis comes visum transiret cum paucis, pars quædam Sclavorum (207) inter myrtetica virgulta latitans in quodam arctioris transitus loco prorumpens irruit. Et nisi Evisandus quidam, natione Brito, audito strepitu armorum, sese comiti et hostibus interposuisset, de ipso comite, ut aiunt, hostibus triumphus cessisset. Sed cordium solus inspector, Deus, bonam intentionem principis in præcedentia, sive subsequentia per
B eum futura bene prænotans, aliter quam (208) illi moliebantur rem transtulit. Scriptum quippe est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30).

CAPUT XVI.

Evisandus pro comite occiditur.

Evisando itaque in domini fidelitate taliter interfecto, dum nostri in arma ruunt, hostes per præcipitia scopulosi montis elapsi sunt. Sic mors Evisandi vice (209) comitis sub Dei præsidio fuit. Comes autem fidelitatem ejus honeste remunerans, corpore humato decenter, multa beneficia egenis et sacris locis pro redemptione animæ ejus, nec immerito contulit. Montium autem cacumina cum ipsis vallibus perlustrans, peditum copiis iter faciens,
C a monte qui ab incolis Gibel appellatur, quem nos Etnam dicimus, usque Trainam neminem ejusdem superstitionis impunitum dimisit.

Militibus multus planctus fuit iste sepultus.
Nam suo merito charus fuit undique Brito.
Pro merito fidei sortem capiat requiei.
Cui cum sit ita mors, est comiti data vita.
A Juda discat (210), quem tanta fides sibi dicat.
Ille Deum vendens, laqueo se postea pendens
Mortem mercatur, cum traditione notatur;
Hostili cultro spes hujus se dedit ultro,
Ut dominum servet meritumque sibi coacervet.
Non virtute pari debent ii subtitulari.
Traditor alter erat, ut salvet et alter anhelat.
Angelicam pennam capiet hic, ille gehennam.

CAPUT XVII.

Golafri ab Africa sub Tauromenio visi sunt.

D Quatuordecim ergo naves, quas Golafros appellant, ab Africa regis Tunicii piratarum more per mare palantes sub Tauromenio appulsæ, quodam diluculo a nostris in mari haud longe anchoris fixis conspiciuntur. Nostræ autem naves armatis expositis minus erant ad exsequendum paratæ, Comes autem latronem, quinam sint, quave de causa vel unde, hostes ne an pacem portantes

(203) *Non quod animum*, etc.
(204) *Tacitus.*
(205) C. P. *tegitur.*
(206) *Scropibus.*

(207) *Scalanorum.*
(208) *Et qnam*, etc,
(209) *Vitæ.*
(210) *Distat.*

advenerint, sciscitatum mittit. Interminando subjunxit si in tanto sui juris vel modicum quid injuriæ vel fecissent, vel facere attentare præsumerent nusquam impunitos a se evadere posse. Ac dum nil mali adversus ea quæ ejus juris erant sub excusatione et obtestatione legis suæ machinari renuntiantur, se potius ex edicto regis Tunicii, ut infestos piratas a mari, si invenirentur, propellerent, missos, ejus famulatui, si necesse foret, inservire paratos, primi cujusque navis ad amicum colloquium invitantur, ut si vel victu, vel aliis quibuslibet rebus minus sufficientes essent, ejus munificentia supplerentur; qui dum invitationi assentientes fœdere suscepto advenire appararent, aura contraria insurgente, naves cum ipsis per æquora pulsæ ab intuitu nostrorum protinus sunt avulsæ :

Sic quos invitat, boreas accedere vitat.
Et quod promisit dare, ne daret aura recisit.

CAPUT XVIII.

Tauromenium capitur.

At comes intentus fuerat quibus ante retentus :
Obsidet et pugnat, castrum pro posse repugnat.
Certamen datur (211); comes huc perstare conatur (212).
Quamvis cura ligat, tamen hunc res nulla fatigat.
Instat, et hortatur, hostes virtute minatur.
Dat; dare promittit; nil non tentando remittit.
Ad quod adhortatur socios, prior esse probatur
Cum sit certamen, et fratribus esse levamen,
Ante suos fertur, cum posteriore refertur.
Primus ad excubias Othonus (213), alter Elias
Tertius Arisgotus, Jordanus abinde remotus
Esse recusavit, socios hæc ars animavit.
Exiit edictum, liceatne quærere victum.
Sic devincuntur, nostri statione fruuntur.
A montis magno prohibentur abundique; stagno.
A nullo subduntur (214); post (215) addita deminuuntur.
Unde fames crevit, congressus ab hoste quievit.
Decrescit virtus, habet hostis jam prope victus.
Solo securus, quod cingit abundique murus.
Ut det congressum (216), cavet extra figere gressum.
Deficit ut panis, populus superatur inanis.
Sic comes accitur, castro pro velle potitur.
Arbore sub lauri curvantur mœnia Tauri.
Fœdere confecto, dolet hostis in hoste recepto;
Sed quamvis doleat, non dissimulando revelat,
Cur doleat nostris, quia lætus erat suus hostis.
Si sic fortuna diversa fit, est tamen una.
Illis sit tristis, gaudens cognoscitur istis.
Sextus erat mensis quo fervidus eminet ensis.

A Piscibus obsedit, fervente Leone recedit.
Tanto sibi adjumento collocato divinitus,
Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,
Secum cœpit deputare quid litaret potius.
Cæmentarios conducens undecumque aggregat;
Templi jacit fundamenta in urbe Trainica.
Ad quod perstans (217) ævo brevi superat.
Laquearia tectorum ligantur ecclesiæ;
Parietes depinguntur diverso bitumine;
Consecratur in honore Virginis puerperæ,
Multa dote augmentatur, terris, sive decimis;
Ornamentis palliatur, et diversis copiis.
Cathedra pontificatus sublimatur infulis;
Sacer clerus augmentatur, prout sumptus suppetit,
Altaris vasa, vel vestis plusquam clero sufficit,
C Candelabra, cruces, textus ac cerafumbuli (218).
Ex metallo signa fiunt plebem invitantia;
Melodiam dulcem reddunt, pulchre consonantia (219).
Melodizat sacer clerus hymnos sacris laudibus;
Præsul verba sacræ legis seminat in gentibus.
Divinus cultus arcessitur pluribus credentibus
Cui debent hæc ascribi nisi tanto principi?
Qui reduxit sacram legem, unde prius corruit.
Cujus ope fit hoc totum, et hanc legem edidit (220).
Textum libri persequamur : nam ista sufficiunt.
Sermo nimis inculcatus interdum fit tædium,
Subsequens stylus narrabit, si quid est residuum.
Urbs Traina felix gaude, da dignas laudes titulo (221).
In te primo reparatur divina legio (222).
B Messana consociata pari servit clypeo.

CAPUT XIX.

Jacenses et Civenses comes obsidet.

Incarnati Verbi anno millesimo septuagesimo nono Jacenses natura montis in quo habitabant, numerosa multitudine suorum fisi (erant enim usque ad tredecim millia familiarum), jugum nostræ gentis abhorrentes statutum servitium, et censum persolvere renuntiant. Comes vero per legatos eos conveniens, nunc blandimentis eos mulcendo, nunc minis attentando ne contra se insurgerent, neve per vitium (223) incurrerent, neve eum irritando contra se excitarent, ab incœpto detrahere nitebatur. At ubi minus proficit, exercitu admoto, quos blanditiis vel minis nequit, virtute attentando flectere aggreditur. Mons autem quem inhabitabant ita ab omni latere D scopuloso præcipitio erat munitus, ut ex nulla parte ascensus pateret, excepto uno solo arcto, arteque exciso aditu, quo civibus egrediendi et ingrediendi iter porrigebatur, et hoc in excelsiori cacumine ejusdem ascensus porta, murusque ex utroque la-

(211) C. P. *durat.*
(212) *Persistere curet.*
(213) *Crotonius.*
(214) *Nulla sub adduntur.*
(215) *Prius.*
(216) *Timet.*
(217) C. P. *studiosus.*

(218) *Acerra, thuribuli.*
(219) *Pulchræ consonantiæ.*
(220) *Addidit.*
(221) *Digna laudis titulo.*
(222) *Religio.*
(223) *Perjurium.*

tere in longum porrectus muniebat. At, quia mons A hic spaciosi ambitus minus claudi obsidendo poterat, illis potissimum in locis ubi infestiorem se hostibus fieri posse existimat, sedes ponit. Porro Jacencesac si pro vita certare instare, omnia circumire, nil remittere, quibus partibus plus timebant loca munire, inde infatigabiles adesse vigilanti cura studebant. Et quia armenta sua, et pecora secum in abditis ejusdem montis, cavernosisque locis a pervasione hostili tuta aggerebant, et minus ab hostibus eadiripi metuentes, obduratiores erant. Comes autem quanto eos in sui defensione attentius instare videbat, tanto altiori ira inflammabatur, quo se eos minus lædere posse cognoscebat. Non ab incœpto deterrebatur, sed eo instantius quo prævaleret omnia conando nitebatur. Siciliensesergo milites suos, quibus jam impertierat possessiones insulæ, quantum subjugaverat, apud Parthenicum, et Cortitum B (224) dimittens, Jacensibus infestos fieri præcepit; ipse cum Calabrensibus Cinisum, qui similiter contra se recalcitrabat, obsessum vadit. Sicque uno, eodemque tempore uno in continio duas obsessiones, et a se divisas ponens, utrasque fortisssime tenuit, atque de una ad aliam sæpissime migrans hortari, instare, per se ipsum omnia attentare hostibus infestus adesse, nunc minis, nunc incursionibus terrere, suis (225) blandiri, plurima largiri, ampliora largire (226), in sui fidelitatem arrigere, hostibus infestos reddere non desistebat.

CAPUT XX.

Eosdem capit.

Mensis erat sextus (227) : sextilem denotat æstus ;
Illic studet ut lædat, studet alter ut ille recedat.
Lædunt, læduntur, sic alternando premuntur
Sic paribus votis non deficit hostibus hostis.
Tempus erat messis; armis macerat ita fessis.
Uruntur messes, turbat res ista Jacenses.
Quedque jam (228) lædit Cinensibus haud bene ce- [dit.
Consilium captant, succurrere messibus aptant.
Sed cum vi nequeunt, hoc artibus addere quærunt.
Conveniunt comitem, tentant sibi reddere mitem,
Fœdere componunt; fraudis munimenta reponunt.
Fruges salvantur, comitique reconciliantur.

CAPUT XXI.

Comes filiam suam comiti Provinciæ dedit.

Igitur anno Dominicæ Incarnationis 1080, Raimundus famosissimus comes Provinciarum famam D Rogerii Siculorum comitis audiens, propter strenuitatem, quæ de ipso referebatur, legatos dignos, qui a tanto ad tantum dirigerentur, mittens Mathildim filiam suam, quam de prima uxore admodum honestæ faciei puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expostulat. Quod cum a comite concessum, renuntiant (229) : qua de re ille non minimum gavisus; erat enim, propter formositatem quam de ipsa audierat, illam ardentissimo amore cupiens; audito termino nuptiarum, per se ipsum in Siciliam accedendo, diem prævenire accelerat, venientem comes honore condigno excipit, pactiones renovantur (230), dos puellæ sub testamento chirographizatur (231); sponsalia præsentibus utrisque partibus (232), precibus ab episcopis et sacris ordinibus catholice celebrantur. Qui jamdudum inter juvenem et puellam paulatim adoleverat, prima nocte, ut assolet, immensum excrescit. Celebratis itaque, et non sine magnarum expensarum sumptibus nuptiis, socer generum suum aliquandiu secum retinens, tandem munificentiis benevolum, ut res ipsa expostu labat, factum, sed et iis qui cum ipso advenerant singulis singula, prout quemque esse sciebat, largiens, navibus apparatis placido æquore a se cum filia dimisit. Illi autem vel a ventis accuratissime (233) committentes, zephyro suffragante (234), brevi tempore unde venerant, cum sponsa reducunt (235).

CAPUT XXII.

Castum conjugium laudatur.

Spernit nata patrem, puduit nec relinquere (236) [matrem.
Externo comiti sociatur delectari (237).
C A quo nutritur caret, hic alteroque (238) potitur.
Pœna quidem multa cum nutrix (239), cum sit [adulta
Nec quæ (240) nutritur lascivo fratre potitur.
Plus externum quam quem sit jure paternum.
Nec minis hoc culpo, quamvis hic talia sculpo.
Nec prohibens vito, cum fiat, invita (241) marito
Diligat et juste fœdus servando venuste.
Nam quos lex jungit, sententia nulla repungit.
Ut soboles crescat, ne deficiendo tabescat.
Prima virago datur, primoque viro sociatur.
Tali fortuna duo sint ut carne sub una.
Lex ita divina præcepit, non peregrina.
Pinxit Scriptura quæ sunt facienda futura :
Postponat patrem, postponat denique matrem
Quisquis et uxori jungatur amore priori,
Jure maritali servatur linea tali.

(224) C. P. *Cornilium.*
(225) *Suos.*
(226) *Permittere.*
(227) C. P. *hostilis detonat.*
(228) *Jacam.*
(229) *Et ab utrisque partibus exsequendum sacramentis firmatum fuisset, die nuptiarum statuto, qui venerant pluribus donariis a comite munificati, festiniore gressu domino suo sibi congressum renuntiant,* etc.
(230) *Utriusque partis proceribus.*
(231) *Chirografatur.*
(232) *Partis præsulibus, ab ipsis.*
(233) *Attentissime.*
(234) *Sufflagrante.*
(235) *Rederunt.*
(236) C. P. *linquere.*
(237) *Delectatur sociari.*
(238) *Ac alterque.*
(239) *Matris.*
(240) *Qua.*
(241) *Juncta.*

CAPUT XXIII.

Dux Romaniam vadit.

Igitur famosissimus Apulorum et Calabriæ dux Robertus, dictim instigante se Michaele qui ad se transfugerat, ut cœperat, versus Romaniam animum intendens, anno Dominicæ Incarnationis 1081, mense Maio apud Hydruntum venit, apparatisque pro processu sumptibus tanto incœptui dignis, quindecim naves trans mare aliquam urbem præoccupatum mittit, ut, cum ipse cum reliquo exercitu subsequeretur, imbecille vulgus, cujus pars maxima in expeditione, erat, quo se ab hostili incursu, si necesse foret, tueretur, haberet. Illi vero vela ventis committentes de nocte apud Corofon applicant. Insulaque de mari eminus inspecta, multitudinem hostium quam invenerunt abhorrentes, minime a navibus progredi præsumunt, sed reditum accelerantes, duci placidum, etiam si major esset exercitus, renuntiant. Dux itaque plurimum exhilaratus copiis navibus introductis festinus cum omni classe transfretare accelerat, pluribus ex remanentibus amicis, quibus Apuliam Calabriamque procuratum delegaverat, timore eum, et qui cum ipso abibant, amittendi, usque ad ipsa lacrymarum indicia, quas affectus pietatis exprimebat dolentibus; quibusdam vero ex iis qui cum ipso proficiscebantur timore tam horribili, ad quod intendebat incœptus, ac si febrium typo gravarentur, militibus demisse trementibus. Nam quantæ audaciæ, cujusve militaris strenuitatis dux iste fuerit, cum per multa exercitia satis abundeque clarorat, etiam si reliqua omnia sileant, ex hoc potissimum indubitanter adnotari potest, quod cum tam populosum imperium, tamque copiosum imperatorem, totve millia hostium pauca manu spe subjugandi bello lacessere tentatum ire præsumebat, ipse armatæ militiæ non plusquam mille trecentos milites secum habuisse, ab eis, qui eidem negotio interfuerunt, attestatur. Porro copias ei, viresque quas res ipsa tempusque, quantum ad numerum, oculorum intuitu minus sufficienter administrabat, ipsa ejus animo innata militaris ferocitas, ac si plus ipsis hostibus necessariis copiis abundaret, sufficienter supraque cum habere in mente repræsentabat; suorumque animos præ timore minus hilares, lætum vultum ostendendo, largis ejusdem regionis possessionum thesaurorumque, ac si jam debellavisset, promissionibus recreando, spe ea in posterum recipiendi, si strenue secum agere volunt, ad militaris exercitus pericula tentanda, quæ formidolosa æstimatio dehortabatur, promptiores reddebat. Copiis itaque tanto incœptui dignis pro spe apparatis, dum naves per æquora prudente remige reguntur, aura leni prosperante ventosa carbasa, usque ad portum placidæ applicationis impune recipiuntur, parsque classis applicat in portum, qui Herico dicitur. Post autem ubi fluvius Bajosæ in mare defluit, placido littori transfertur. Dux ergo pro libitu suo placido littore potitus, navibus digrediens, mox ut terram pedibus attigit, inspecta amœnitate situque locorum, suis dixisse fertur : O fortissimi milites, et honoris prædecessorum non degeneres hæredes, hæc est enim hæreditas vobis competens. Pro hac adipiscenda armis decertandum est. Non vos eterreat ignobilis vulgi, et imbecilis, quamvis numerosæ, multitudinis strepitus hostium, sed adhortetur species et fecunditas hostilis adipiscendi hæreditaliter agri, speciesque et abundantia post certamen, si strenue agitis, vobis debitarum rerum. Hæc dicens, castrum, quod Casopolis dicitur in insula Carofi oppugnans capit, et aliud castrum, quod ex nomine insulæ Carofium nomen accepit, cum tota insula suæ mancipat servituti. Inde progrediens urbem, quæ Avolucia (242) dicitur, juxta Pemachios (243) campos quia confinio quo applicueral adjacens erat, mox oppugnatum vadit. Porro cives ducis adventu audito, præsentiaque nimium territi, viribus suis ignaviter diffidentes, deditione a se ipsis facta ejus ditioni cum ipsa urbe subduntur. Castrum etiam quoddam urbe (244) haud procul situm, quod Canna dicebatur a (245) præsentia ducis timore languidum, et eo maxime quod Avalonem (246), quæ bellicis copiis se abundantior erat, deditionem fecerat (247), haud secus subditur.

CAPUT XXIV.

Dux Duracium obsidet.

Fortunam sibi dux satis bene cedere
Cognoscens, adjicit plurima visere
Duraci mœnia obsidet undique
Armata populi manu.
Sic urbs contremuit hostibus obsita,
Diffidunt sibi jam fortia mœnia,
Insistunt civibus tela minantia
Alternant sibi funera.
Sed plus atteritur asperitatibus
Græcorum populus territus hostibus,
Nec reddit timidus aspera vulnera :
Vires abstulerat timor.
Constantinopolim chartula mittitur
Hostes in prælio adfore dicitur.
Ereptum veniant cum pretio (248) quæritur,
Ne subdantur ab hostibus.

CAPUT XXV.

Dux cum Venetianis bellatur.

Imperator itaque, de præsentia hostium sinistro nuntio accepto chartulis expeditionem submonens, totum imperium sollicitat multisque millibus, paucis numero hostibus, sed strenuitate abundantioribus, occurrere parat. Credensque a multitudine suorum eos facile occupari posse, Venetianis mandat ut plu-

(242) C. P. *Avalona.*
(243) *Amathios.*
(244) *Urbi.*
(245) *Secum quod Canam dicebatur ex.*

(246) *Avalonam.*
(247) *Deditione facta sua.*
(248) *Prece.*

rima classe apud Duracium sibi occurrant, ut si ibi forte nostri bello ab ipso devicti, fugientes per mare evadere niterentur, ab ipsis navali certamine præventi, facilius intercepti perimerentur. Qui jussa fideliter complentes classem accelerant, triduoque ante sibi præfixum ab imperatore terminum, versus Duracium adventare a nostris eminus in mari conspiciuntur. Ad quorum intuitum nostri in arma ruentes, navali congressu dimicaturi hostibus promptissime occurrere accelerant. Sicque per totam diem utrinque acerrime congressum est. At cum jam die refrigerante sol ad occasum vergens liquidas undas Oceani quasi subintrare videretur, prævalente hostibus strenuitate nostrorum, Venetiani viribus exhausti, deditionem pollicentes, pacem induciasque usque in crastinum, quos duci pro libitu suo fœderentur expostulant. Sicque, nostris quod expetebant inconsulte concedentibus, certamen hac vice scinditur nostri in portum suum revertuntur. Nostri itaque, deditionis falsa pollicitatione delusi, per totam noctem, quasi jam hostes triumphavissent, gloriantes, dum usque in crastinum securius sustinent, Venetiani naves suas pluribus commeatibus aggregatas, nocturno silentio exonerando levigantes, et in summitate mali uniuscujusque navis solium duorum, vel trium hominum arte componentes, lapidibusque et pilis ad jacendum munientes sese ad defensionem potius quam ad deditionem aptant. Dux vero, doli ignarus, summo diluculo potentiores exercitus sui qui eos se ipsos sicut promiserant dedentes susciperent, mittens, salvis omnibus quæ ipsorum erant, usque ad se deducere præcipit. Sed advenientibus Venetiani arma potius quam deditionem ostentantes, dum magno impetu versus ipsos grassantur, nostris, quia imparatiores processerant, certamen declinantibus, ipsi in portum Duracensem ad ignominiam damnumque nostrorum impune applicant, sicque facultatem liberam urbem ingrediendi habentes, vicissim nautæ urbicensibus et urbicenses nautis consociantur, invicemque per totam noctem et diem consilium captantes plus minus a medietate noctis transacta, sub pallore lunæ armantur, navibusque littore ocius amotis, buccinis concrepando nostris certamen offerre progrediuntur, quibus nostri certatim occurrentes acerrime utrinque congreditur. Sed illi artificiose ignem, quem Græcum appellant, qui nec aqua exstinguitur, occultis fistularum meatibus sub undas perflantes quamdam navem de nostris, quam Cattum nominant, dolose inter ipsas liquidi æquoris undas comburunt. Sed nostri dolo cognito, facto impetu aliam navem de suis non minoris pretii penitus in mare submergunt, sicque damno contra damnum composito, pari ultione facilius fertur, nostrisque exhorrescentibus dolum ipsorum, ipsis autem strenuitatem nostrorum, certamen utrinque diremptum quievit. Ipsi in portum urbis, unde exierant, regrediuntur; nostri vero, ubi prius applicuerant, persistunt.

CAPUT XXVI.

Dux cum imperatore præliatur.

Porro in crastino summo diluculo illucescente, mense Octobri instante, dum pars exercitus nostri pabulum quæsitum ire appararent, imperatorem cum innumerabilibus copiis adventare per signa in summitatibus hastilium eminus eventilantia deprehendunt. Fit concursus et strepitus in castris; alii terrentur, alii animo promptiores, minus fortes exhortantes, recreando robustiores fiunt. Dux vero videns sibi belli certamen imminere, ut suis omnem spem fugæ auferendo ad defensionem sui ardentius inflammaret, naves suas a mari protectas (249) omnes combussit, ne forte cum acrius prælium nostris immineret, timidi certamen declinando, spe transmeandi illorsum aufugerent. Imperator vero appropinquans haud procul a castris nostrorum, sed quasi stadiis quatuor interpositis, castrametatur; exercitus ab undique ipse facit (250), nemine ipsorum adversum nostros, sed neque ex nostris adversum ipsos ipsa die aliquid præsumente. Sequenti nocte dux primas noctis facit excubias; secundas, videlicet a media nocte, donec diescat, Boamundus filius ducis. Mane autem facto, dux ipse lucis crepusculo, omnesque nostri surgentes cum summa devotione hymnos Dei, cum missarum celebratione audiunt; presbyteris compunctive confitentes peccata, muniunt sacri viatici ministeriis. Sicque ordinatis aciebus ad certamen gradatim et conjunctissime progrediuntur. Imperator vero sibi occurrens tanta multitudine undique conspicatur (251), ut nullius montis ascensus ad supervidendum extremitatem ejus sufficere videretur. Angli vero, quos Waringos appellant, ab imperatore primitias congressus expetentes, certamine inito, caudatis bidentibus, quibus hoc genus hominum potissimum utitur, infestissime instantes, nostris admodum importuni primo esse cœperunt, cum ecce quædam acies nostra ex adverso illis sub nudo latere prorumpens, forti congressu sauciatos, et ab incœpto deterritos in fugam cogit, qui versus ecclesiam S. Nicolai, quæ ibi contigua erat, vitæ auxilium (252) expetentes, dum alii, quantum capacitas permittebat, subintrabant, alii tanta multitudine tecta superscandunt, ut pondere ipsa tecta dissoluta consubruantur (253), illos qui subintraverant, opprimentes conclusi pariter suffocarentur (254). Porro imperator videns Waringos, in quibus sibi maxima spes victoriæ fuerat, enerviter superatos, et nostros insequentes adversum se adventare, territus fugam potius quam certamen eligit, omnisque exercitus Græcorum, tentoriis cum omni suppellectili sua relictis, quisque prior fugæ fieri accelerat. Nostri itaque victoriam adepti, duce eos reprimente, haud longe fu-

(249) *Parvas.*
(250) C. P. *ipsi taciti.*
(251) *Constipatur.*
(252) *Asilum.*
(253) *Ipso certo dissoluto cum subjiciuntur.*
(254) *Colli suffocantur*, etc.

gientes persecuti sunt, sed ad castra eorum regressi, dux in tentoriis imperatoriis hospitatur; cæteri qui priores accedebant, pretiosiora hospitia cum spoliis usurpant. Dux ergo videns hiemem sibi imminere, mensis enim erat Octobris, inde progressus super fluvium Dæmoniorum castrum ad æstivandum (255) construxit, quod ex suo agnomine vocans, Montem Guiscardi appellavit, a quo etiam diatim usque Duracium armata manu progrediens, diversis incursionibus crebro lacessebat. Castra vero diversa ejusdem provinciæ ejus infestationem ferre non valentes, fœdere cum ipso composito, deditionem facientes sibi conciliantur.

CAPUT XXVII.

Dux Duracium capit

Erat autem ea tempestate apud Duracium Venetianus quidam, nomine Dominicus, nobili genere, cujus providentiæ major turris ad tuendum delegata erat. Hujus animum dux, quadam collocutione habita inter se frivola quantisper dignoscens, aliquando, sed rarius per se, aliquando per alios, ne forte fraus ab aliis inter ipsos componi deprehenderetur, attentans diversis in conventionibus, de traditione urbis sollicitare cœpit. Animus vero cupidine æger, ut a promittentibus avaritiæ luxuria admisceatur, facile corruptus, a bono honestoque proposito proclivis in deterius dilapsus est. Dux denique neptem speciosæ formæ habens, filiam videlicet fratri sui Guilielmi principatus comitis, ut ei in matrimonium cum hæreditate puellæ competenti sociandum se dare spopondit, pro libitu suo favore usus, sacramentis ab utrisque partibus datis, illo ut urbem tradat, isto ut neptem conferat jurante, nox per traditionem urbem subintrandi terminatur. Dux de nanciscenda urbe certus, scalas ad transcendendum (256) muros ex ligno componit. Venetianus (257) autem in adjutorium ducis ex funibus per lexas (258) advenientibus hostibus de muro dependentes porrigit. Et quia sic (259) scriptum est: *Nullus perniciosior hostis est ad nocendum quam familiaris inimicus*; ab ipso qui vi tueri debuerat, libera facultate urbem prorumpendi hostibus concessa, sub nomine Guiscardi sinistro clamore sæpius ingeminato, buccinis concrepantibus urbs tota turbatur. Cives in arma ruentes, ignari quod hostes jam secum infra muros, et in altiori turri essent incassum repugnare (260) nituntur. Triduo tamen pro posse (261), sed frustra renitentes tandem vi coacti, fœdere composito, deditionem ipsis facientibus (262), ditioni ducis colla submittunt (263).

A

CAPUT XXVIII.

Dux Castoriam capit.

Igitur dux urbe potitus, pro velle suo ordinans, Fortino de Rosana procurandam delegavit. Ipse, cum exercitu ultra progrediens, totam provinciam debellando sibi subjugatum vadit. Unde et apud urbem, quæ Castoria dicitur, veniens, quia ditionem ejus subire recusavit, obsidione composita, eam undique vallavit, minisque terrendo et interdum blandimentis mulcendo, aliquanto tempore infestus persistens, plurimum lacessivit. Treceenti enim Waringi in eadem urbe habitabant, custodes ab imperatore deputati, quorum præsidio, et opere non minimum defensabatur. At cum nostros in oppugnando persistentes vident, machinamenta, quibus urbs
B facilius debeat debellari, et debeat apparere timentes, et capta urbe pejus fœdus inire, sibi in futurum præcaventes, fœdere confecto, deditionem faciunt. sicque urbe subjugata, omes circumquaque provinciæ cum finitimis castris ejus ditioni subjugantur. Ipse quippe omnes qui ad se convertebantur cum summa honorificentia habebat, muneribus augebat, eorum consilio in iis quæ facienda erant plurimum utebatur. Et hoc ex industria, ut alii, cum ista audirent, facilius sibi applicarentur, agebat. Timor autem ejus totum imperium, usque ad ipsam regiam urbem tremere faciebat.

CAPUT XXIX.

Benarvet traditione Catanam intrat, et paulo post a nostris recuperatur.

C Cum ista apud Romaniam a duce agerentur, Siciliensi comite Rogerio apud Calabriam et Apuliam fraternis negotiis, uti suis intento, Benarvet, apud Siciliam Christiano nomini infestus, multa incommoda inferebat. Erat callidissimus et militari exercitio deditus, audax, subdolus, aliud lingua proferens, aliud tacito pectore occultando gerens, Syracusi et Noti princeps; cujus consilio omnes Sarraceni, qui adhuc in Sicilia rebelles erant, innitebantur. Hic quemdam paganum, nomine Bencimine (264), quem comes apud Catanam majorem urbi præfecerat, callidis circumventionibus aggrediens, ad tradendam urbem multis munerum possessionumve pactionibus sollicitabat. Paganus vero nominis sui competens imitator, avaritia cæcatus, fidei sacramentorumque quæ comiti dederat oblitus, statuto
D termino, infra (265) urbem illum cum maxima multitudine suorum fraudulenter de nocte accipiens, traditionis nomen sibi perpetualiter vindicavit. Quod factum cum per totam insulam personuisset, Christiani quidem eo quod tam nefanda fraus inter ipsos reperta sit, plurimum erubescebant; Sarraceni autem passim de tanta Christiani nominis ignominia

(255) C. P. *hiemandum.*
(256) *Transcendendos.*
(257) *Venitianus.*
(258) *Perplexas.*
(259) *Et quia sicuti.*
(260) *In altiori terræ erant incassum pugnare.*
(261) *Retinentes.*
(262) *Fecerunt, ipsumque facientibus.*
(263) *Submittuntur.*
(264) C. P. *Betchumne,*
(265) *Intra.*

subsannando exhilarabantur. Porro Jordanus filius comitis, et Robertus de Surda valle, et Elias Cartomensis (266), qui ex Sarracenis ad fidem Christi conversus, postea apud Castrum Joannis a sua gente hostiliter interceptus, quia negando apostata fieri noluit, martyrio vitam laudabiliter finivit, exercitu admoto versus Catanam iter intendunt. Benarvet vero eos advenire per speculatores suos, quos undique omnia visum præmittebat, audiens, extra urbem copiam suorum ad præliandum ordinans dimicaturus occurrit. Pedites quidem usque ad viginti millia dextro latere suo in occursum hostium paulisper anteponens, ipse cum equestri legione in sinistro cornu fixus manens, hostes præstolatur. Nostri autem cum centum sexaginta tantummodo milites essent, nil remorati, certamen, Deum sibi propitium invocantes, ineunt. Tertioque super pedites impetu facto, cum immobiliter persistentes flectere nequeunt, declinantes eos, super equites irruunt, fortiterque congredientes multa strage facta in fugam vertunt, quos insequentes et extremos quosque cædentes, usque in portam civitatis impellunt. Benarvet vero sic per fugam vix elapso de peditibus maxima strages facta est. Nostri vero ante urbem tentoria figentes obsessionem prægravabant. Sed Benarvet clam de nocte urbe digrediens cum pagano traditore fugiens Syracusi se recepit. Sicque urbs a nostris recuperatur. Paganus traditor a Benarvet ne Syracusam, sicut Catanam fecerat, tradat, dum præmia pollicita requirit, truncatur.

CAPUT XXX.

Angelmarus apud Geracium contra comitem insurgit.

Gregarius autem miles quidam, nomine Angelmarus (267), comiti diu servierat, cui ipse comes, quamvis infimioris generis esset, propter militarem tamen strenuitatem, quam in eo videbat, volens servitium suum honeste, ut sibi semper mos fuit, remunerare, uxorem nepotis sui Serlonis (268), videlicet apud Siciliam a Sarracenis interemptus fuerat, cum omni (269) sibi competenti, ipsa multum renitente, in matrimonium sibi concessit, ut per præclari generis mulierem, erat enim filia Radulfi Bajanensis comitis, militis generositas inter sodales clarior fieret. Ille vero apud Geracium, cujus quadrans ex dote mulieris sibi competebat, nuptiis solemniter celebratis, non jam humilitatis honorem servans, ad sui generis debilitatem mentem reducebat, sed uxoris generositatem in animo sibi vindicans, æqualem se, et genere, et dignitate illi cujus antea uxor fuerat, jactans proterve appetebat. Hic apud Geracium, ubi comes turrim firmaverat, demum defensabilem incipiens, paulatim provehendo et interdum dissimulando fortissimam turrim effecit, Geracenses omnes suis adulationibus et favoribus

A sibi attrahens, et sacramentis datis et acceptis in amicitia confœderans. Quod cum comiti renuntiatum fuisset, insolentiam ejus animadvertens, et in futurum timens ne forte fiducia turris in aliquod deterius consilium reverteretur, turrim in modum domus habitabilis deponere humiliter jubet, increpans eum quod se inconsulto tale quid præsumpsisset. Ille vero, cum Geracensibus consilium habens, prave definito ipsis se (270) sibi laturos promittentibus, beneficii sibi collati, ut assolet inter degeneres, oblitus contra comitem recalcitrare, potiusquam obedire indecenter elegit (271). Quod cum comiti compertum fuisset, Geracensibus ut turrim destruant et Angelmarum (272) captioni suæ mandent imperat; quibus non tam fidelitate Angelmari,

B sed quia omne genus nostræ gentis illis invisum erat, et magis discordias inter nostros quam pacem fieri exoptabant, ad id recusantibus, comes, legalitatem suam servans, hactenus homini suo diffidentiam in posterum mandat, sicque admoto exercitu versus Geracium obsessum pergit. Angelmarus vero, astu Geracensium animos demulcens, aliquanto tempore suæ ineptiæ complices detinuit. At dum vident se a comite exterius interiusque prægravari, cœperunt et ipsi a stulto proposito deficere et fatigari. Quod Angelmarus advertens, territus ne ab ipsis comiti traderetur et ipsi reconciliarentur, profugus evagans discessit. Uxor autem ejus, ad misericordiam comitis veniens, pia recordatione nepotis cujus uxor fuerat, salvis omnibus quæ habebat, ad maritum conductum meruit; comes vero reconciliantibus

C Græcis Geracium recepit.

CAPUT XXXI.

Turribus Messana firmatur.

Eodem anno idem comes, sumptibus pluribus apparatis, undecunque terrarum artificiosis cæmentariis conductis, fundamenta, castella turresque apud Messanam urbem jaciens, ædificare cœpit; cui operi studiosos magistratus, qui operariis non deessent, deputans, interdum ipse visum veniens, ipsos per semetipsum cohortando, festinantiores reddens, brevi tempore turribus et propugnaculis immensæ altitudinis mirifico opere consummavit, et quia hanc, quasi clavem Siciliæ æstimabat præ cæteris urbibus quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis arctiori custodia observabat. Ecclesiam etiam

D in honore S. Nicolai in eadem urbe cum summa honorificentia construens et diversis possessionibus augendo dotans, clericis ad serviendum deputatis, pontificali sede aptavit, sed eam cum Trainensi cathedra univit.

CAPUT XXXII.

Dux a Gregorio papa a Romania revocatur.

Igitur famosissimus dux Calabriæ, Apulorumque

(266) C. P. *Crotomensis.*
(267) *Englemarus.*
(268) *Qui.*
(269) *Dote.*

(270) *Diffinito ipsis se auxilium.*
(271) *Eligit.*
(272) *Angelmarus.*

princeps Robertus Guiscardus, apud Bulgaros fortiter omnia sibi subjugando agens, anno incarnati Verbi 1082, a Romanæ sedis apostolico viro Gregorio litteris continentibus angustiam suam acceptis ut in adjutorium S. Romanæ Ecclesiæ reditum acceleret, multis precibus cohortatur. Imperator namque Alamannorum Henricus, quibusdam controversiis inter se ortis Romam cum exercitu veniens obsessa diutius urbe, eamdem fortuna suffragante irruperat, Romanisque potentioribus sibi injungendo (273) confœderatis, ipsum apostolicum virum in turri quadam, quæ Crescentii dicitur, reclusum obsederat, aliumque in loco ejus, archiepiscopum, videlicet Ravennatem, Umbertum nomine, re indiscussa, contra sanctos canones, quod nefas est dicere, cathedræ beati Petri subrogaverat. Ipse vero tanta obsidione prægravabatur ut neque sibi usquam progrediendi liber transitus pateret. Dux vero, quamvis ad id quod cœperat intendere omnibus utilitatibus in animo præfert, tamen calamitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ audiens, et dominum suum sub quo omnia quæ habebat possidere se cognoscebat in tantum angustari, fidem datam, et legalitatem suam servans maluit sua, quamvis chara, ad tempus ponere, et sanctæ Dei Ecclesiæ, vel domini sui necessitatibus inservire. Sicque filio suo Boamundo strenuissimo militi quæ cœperat exsequenda committens, copiis omnibus sibi delegatis, ipse cum paucis placido remige versus Apuliam, versus Hydruntum applicat.

CAPUT XXXIII.

Duce revertente fraus populorum premitur.

Ea tempestate plures, apud Apuliam propter absentiam ducis insolentes, adversus eum conspiraverant, volentes ea quæ ejus juris erant usurpare, putantes eum altioribus negotiis intentum ulterius regrediendi illuc non curare. Unde et Gaufridus de Conversana apud urbem, quæ Oria dicitur, haud longe a provincia Tarentina obsidionem ponens, plurimum lacessendo infestissimus erat. Dux vero apud Hydruntum applicans, audito urbi obsidionem imminere, illorsum cum paucis appropiare accelerat. Porro illi qui obsidionis primarii erant, per legatum ducem adventantem cognoscentes, præsentiam ejus exhorrescentes ab incœpto deterriti, cum plures essent, obsidione solita quisque fugam accelerans in sua dilabitur. Cives autem, sic obsessione qua prægravabantur eruti, advenienti duci occurrere accelerant; cum gaudio et omni obsequio excipiunt. Sed per universam Apuliam seditiones quas infidelitas turbaverat; a præsentia ejus sedatæ in conspectu ejus; acsi nunquam fuissent, siluerunt.

A

CAPUT XXXIV

Dux fratre arcessito super Capuanum principem vadit.

Porro dux, fratre comite a Sicilia arcessito, admoto plurimo exercitu, super Jordanum nepotem suum principem Aversæ messes vastatum vadit. Nam cum antea inter ipsos diversis controversiis inimicitiæ efferbuissent, hoc ira in principem plurimum incalescebat, quod noviter in damnum apostolici, imperatoris hominem ipsum effectum, et terram suam sub ipso deserviendam suscepisse audierat. Veniens itaque cum exercitu ante urbem Capuanam, et Castrum quod Aversa dicitur, ipso invito, nec propulsare valente, per octo et eo amplius dies commorans, multa depopulatione totam provinciam lacessivit. Sed quia ipse Joadanus

B

elegantissimus miles erat et elegantissimos secum habebat, multa militariter diversis congressibus utrinque perpetrata sunt. Inde itaque, rediens per totam Apuliam et Calabriam, exercitum perscribens submonet, ut proxima ventura æstate secum Romam super imperatorem ituri expensas commeatus aptarent.

CAPUT XXXV.

Jordanus contra patrem insurgit

Comes, a fratre noviter a Bulgaria revertente invitatus, sibi occurrere versus Apuliam intendens, Jordano filio suo Siciliam procurandam delegat, interdicens omnibus ne qui in iis quæ præciperet sibi contrarius esse præsumeret, Erat autem Jordanus ex concubina, tamen magnæ viris

C

(274) animi et corporis, et magnarum rerum gloriæ, suæ dominationis appetitor ; et jamdudum consilio pravorum sibi adhærentium juvenum tacito sub pectore usus, insurgendi conspirationem versans sic discedente patre, locum suæ pravæ dispositionis ut sibi dicebatur, nactus, plures callide circumveniendo, fidem illorum, necdum negotio aperto, astu abstrahit ut quæcunque (275) ipse prior inciperet, ipsi complices in perficiendo persisterent. Talibus itaque (276) deceptis, tandem dolum diu dispositum aperit. Cum quibusdam displicuerit (277) pluribus placet, Quibus (278) quisque (279) talibus assentire renitens improbe (280) hortatur ne fidem datam mentiri velit, sacramenta patri exhibita in hoc salva fore, quod proficiscens quidquid

D

Jordanus vellet vel præciperet, omnibus obedire debere imperaverat. Jordano plura promittente, sic pravi consilii assensus inter plures a Jordano in iis quæ patris erant, ultra quam deceret, vel ab ipso patre concessum erat, præsumitur. Nam castrum Sancti Marci et Mistretam sibi usurpans, detecta fraude, prædas per totam provinciam ibidem introducit, Sed et versus Trainam hostiliter accedens, patris thesauros, qui illuc servabantur,

(273) *Subjugando.*
(274) C. P. *vis.*
(275) *Peracto hastu attrahit ut quicunque.*
(276) *Ita.*

(277) *Etc.*
(278) C. P. *probus.*
(279) *Etc.*
(280) *Improbo.*

asportare nisus, dispositione sua frustratus, vacuus redit. Nam fideles comitis, fraude comperta, simul convenientes, hostiliter accedentem ab ipsis finibus arcent. Quod cum patri renuntiatum fuisset, reditum accelerat, atque, ut vir sapiens, provide agens, ne filius territus ad Sarracenos, qui adhuc rebelles erant, transiret, versus eum hostiliter ire dissimulat; sed omnia quæ fecerat filius, juvenili ætate et indulgentia digna ascribit. At cum filio quæ fecerat patrem leviter ferre nuntiatur, minus iis qui secum erant prospiciens, flebili fœdere interposito ad patrem accedit. Pater ad tempus iram dissimulans, advenienti filio lætum vultum ostendit. Sed paucis diebus interpositis pater, in futurum prospiciens ne si ii qui tale consilium filio complices facti dederant impune transirent, alii ad simile aliquid præsumentes raperentur, nesciente filio, duodecim priores hujus erroris, unum post alium arcessens, oculis privari fecit. Quo facto filium etiam tali incœpto ulterius compescere terrendo volens arcessitum, idem causa justitiæ facere fingens minatur. Sed a fidelibus suis, quibus ex industria idem agere prædixerat, retentus, territo filio, de cætero pro libitu suo, ut decuit, usus est; nam disciplina et rigor justitiæ cum pace communionem habent, Psalmista attestante, qui ait: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt (Psal* LXXXIV, 11). Sic enim misericordia sectanda est ut justitia remissior in ultra, quam decet, non sit, ne vitia nimium inolescant. Unde et providus pater, ut sapiens medicus, hunc ipsum filium suum, ut a pravitate compesceret, tanto rigore territum attrivit.

CAPUT XXXVI.

Dux Romam vadit et capit.

Anno itaque Dominicæ Incarnationis 1083, omnibus (281) accuratissime apparatis, equestri plurimo exercitu, sed et peditum (282) copiis dux versus Romam ad obsessionem (283) imperatoris infideliumque Romanorum (284) papam Gregorium, qui et Ildebrandus ante susceptum (285) papatum dicebatur, contra (286) Cæsarem, si necesse sit (287), et nisi cedat, dimicaturum leonina ferocitate (288) iter intendit. At cum jam prope ventum est, incaute incedere volens, ordinatis aciebus, mille electos milites, cum totidem vexillis præmittens, aliam aciem cum tribus millibus pedetentim subsequi præcipit. Ipse, cum reliquo exercitu peditum copias et quæque infirmiora ante se ponens, provide subsequitur. Audierat quippe milites imperatoris sibi in occursum, Romani ex parte aquæductus exisse sed hoc sibi falso relatum erat. Nam ipse imperator, jamdudum multa ex parte exercitum suum a se demiserat, et cum minori militia quam accesserat Romæ nil tale suspicatus morabatur; dumque hostes adventare præsentiit, suis viribus A minus sufficiens, et Romanorum fraudem, quamvis indeficientes illi adesse promitterent, pertimescens, cum maximo dolore animi cedens, Urbe digressus jam ante triduum recesserat. Dux itaque neminem sibi, ut suspicabatur, occursantem hostiliter offendens, libero ad urbem accessu usus, ante portam, qua via Tusculana porrigitur, juxta aquæductus castrametatur, ubi triduo commoratus. Urbe undique circumconspecta, quodam diluculo cum mille et trecentis militibus ad portam, quæ S. Laurentii dicitur, sub aquæductu juxta Tiberim, ubi minorem custodiam, nemine in illa parte aliquid suspicante, persensit, accedens, scalis silenter appositis muros transcendit, portisque ferro apertis suos introducens, per plateas urbis usque ad pontem, in quo B suus exercitus præstolabatur Guiscardum clamoribus ingeminando, civesque terrendo, portaque vi potius fracta quam reserata suos intromittens, Urbem irrumpit. Sicque directo impetu usque ad turrim Crescentii percurrens papam eripit, eductumque honore, quo decebat abducens palatio Lateranensi restituit, ubi dux prior, et omnis exercitus, subsequenter cum oblationibus ad pedes ejus debito more provoluti, plurimum thesaurum contulerunt. Porro Romani viribus resumptis, conspiratione invicem facta, tertia die post congregati, per medias plateas Urbis impetu facto super nostros irruere conantur. Fit clamor et strepitus in Urbe. Nostri, a mensis quibus assidebant, prorumpentes, ocius in arma ruunt, hostibus hostes corruunt, dura frons ab dura C fronte obviatur. Rogerius filius ducis, cum mille equitibus nesciente patre extra Urbem a Romanis infestari, citissimus cum impetu advolat. Sed Romanis fortiter insistentibus nullus impetus prævalebat, donec dux ignem exclamans, Urbe accensa, ferro et flamma insistit. Tunc demum Romani, incendium ferre non valentes, in fugam vertuntur. Dux fugientes extremos quosque cædendo usque ad pontem persequitur. Urbs maxima ex parte incendio, vento admisto accrescente, consumitur; nostri victores apud Lateranum revertuntur. Romani itaque, hostes infra muros sibi imminere cernentes, et eorum infestationibus prægravari ulterius ferre non valentes, consilio inter se prudentiores Urbis habito, eligunt sanius apostolico suo confœderando reconD ciliari quam diutius in incœpta ineptia persistendo hostili gladio nullo quæstu ventilari. Sicque pace expedita allocutum accedentes, pluribus circumventionibus de excusatione fraudis usi, tandem venia impetrata reconciliantur. Sacramentis pro libito papæ, et ducis obligati fœderantur. Nostris recedentibus Urbs a calamitate hostili absolvitur. At vir apostolicus, perfidiam Romanorum cognoscens et ulterius obsessione circumveniri cavens, consilio fidelium suorum usus, ad tempus Urbe digrediendo,

(281) *Incarnationis omnibus.*
(282) *Plurimis.*
(283) *Obsidione.*
(204) *Ad liberandum.*
(285) *Quia Aldebrandus suum suscepisse.*
(286) *Contraque.*
(287) *Esset.*
(288) *Feritate.*

Romanorum fraudem declinare (289), quam ibi persistendo et libera facultate eis concessa de se ipso periculum faciendo utrum ea quæ promittebant fideliter an non servarentur tentare, sed cum duce in Apuliam secedens apud Beneventum venit; sicque in Apuliæ partibus usque ad extremum vitæ Roma invisa permansit.

CAPUT XXXVII.

Romani reprehenduntur.

Roma quondam bellipotens toto orbe florida,
Colla superborum domans perlustrabas climata,
Leges dabas, et habenis temperabas omnia.
Ante te tremebant duces, principes, imperia,
Curvabantur colla regum loris tuis domita.
Nil superba resistebant, ense tuo territa.
Ordinabas quod (290) volebas; duces sive principes
Deponebas (291) quos volebas servos dans humiles.
Artibus (292) exercuisti justos habens judices.
Dumque justa sectabaris, fruebaris prosperis.
Leges a te requirebant omnes reges sæculi.
Sententia per te data indivisa perstitit.
Tempore haud longo talibus studiis (293)
Implicaris fraude tua turpibus negotiis;
Fraude tua clarescente mœres (294) despicabilis.
Te jam nulli pertimescunt, terga præbes omnibus.
Arma tua hebetata carent acuminibus.
Leges tuæ depravatæ plenæ falsitatibus,
In te cuncta prava vigent, luxus, avaritia,
Fides nulla, nullus ordo; pestis Simoniaca
Gravat omnes fines suos; cuncta sunt venalia.
Per te ruit sacer ordo, aqua primum prodiit. (295)
Non sufficit papa unus, binis gaudes infulis.
Fides tua solidatur sumptibus exhibitis.
Dum dat iste, pulsas illum, hoc cessante revocas.
Illo istum minitaris, sic imples marsupias,
Cuncto orbi dans errorem hæc miscendo schismata.
Ni cessassent bonæ artis in te prima studia,
Nulli regi de te cessisset (296 victoria.
[superat,
Miles quidem iste (297) Normannus, qui te victam
Non terret te apostolorum sacra præsentia.
Nec revocant ab incœptis te (298) sanctorum pignora.
Fons quondam totius laudis, nunc es fraudis fovea,
Moribus es depravata exhausta nobilibus,
Pravis studiis inservis, nec est pudor frontibus.
Surge Petre summe pastor, finem pone talibus.

CAPUT XXXVIII.

Boamundus imperatorem superat certano.

Duce itaque apud Romam apostolicis necessitatibus inserviente, Boamundus filius ejus apud Bul-
A garos, ubi a patre relictus erat, strenue gerens, patris vices haud graviter exsequebatur, urbemque, quæ Arta (299) dicitur, obsidens, plurimum infestus persistendo, capere omnibus artibus nitebatur. Porro imperator audiens urbem sui juris hostibus prægravari, ducemque, quem plurimum pertimescebat, recessisse, absentia ejus viribus resumptis, exercitu admoto, urbi succurrendum multis copiis parat. Sed venienti Boamundus occurrens, certamine inito, bellum comperit (300). In primo congressu, qui primum (301) accesserant, collisi sternuntur, subsequentes visu terrentur (302), fuga initur. Imperator cum primis fugientibus esse utile ducit. Imperatore fugato (303) Boamundus victor efficitur.

B

CAPUT XXXIX.

Dux Romaniam iterum vadit.

Quod cum duci cum triumphali gloria a Roma revertenti renuntiatum fuisset, filium a se non degenerare cognoscens et in hoc maxime quod uno in tempore duorum imperatorum fuga triumphali gloria laus sibi suisque concessa sit, veniens in Apuliam ministros suos undecunque convocans, omnibus suis ordinatissime dispositis, plurimo exercitu versus Græciam, quæ cœperat, exsecutum accelerare disponit. Navibus denique mense Septembri a tota Apulia, Calabria, sive Sicilia apud Hydruntum conflatis, copiisque necessariis introductis, prospera aura suffragante, optato portu applicans filium et quos cum ipso apud extremas partes dimiserat de reditu suo sollicitando anhelos, plu-
C rimum lætitiæ se ipsum repræsentando reddidit. Sicque ad quod venerat exsequens, omnem patriam suo reditu turbabat, urbibus infestus, obsessionibus indefessus (304), congressibus prior, excubiis nusquam absens, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo imperium sollicitum reddens ante se tremere faciebat.

CAPUT XL.

Eclipsis solis fit. Papa moritur, et dux, et rex Anglorum.

Mirabile quoddam præsagium, quod per totam Apuliam, Calabriam sive Siciliam visum est, huic operi inserere dignum duximus, maxime quod ea quæ tale signum portendebat, nos ex parte non igorare putamus. Anno denique incarnati Salva-
D toris 1084, sexto die Februarii inter sextam et nonam sol obscuratus est per spatium trium horarum, in tantum ut qui infra domos alicui operi insudabant, non nisi luminibus accensis interim quæ cœperant, exsequi possent: qui vero de domo ad do-

(289) C. P. *et in monasterio Cassinensi pontifex diu habitavit.*
(290) *Quos.*
(291) *Superbos.*
(292) *His.*
(293) *Hoc longe talibus a studiis.*
(294) C.P. *marces.*
(295) *C. P.* parmina ista supplentur, ut monuit in sua Præfatione Carusius, pari characterum forma distinguens. MURAT.
(296) *Posset.*
(297) *Quidam est.*
(298) *Tot.*
(299) *Arse.*
(300) *Conserit.*
(301) *Primi.*
(302) *Sua sequenter visu terruntur.*
(303) *Fugam capere dicit; quo fugato.*
(304) C. P. *assiduus persistendo.*

A mum transmigrare volebant lanternis et facibus uterentur. Sed antequam annus pertransisset, significatio talis eclipsis in quantum nos putamus pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno venerabilis papa Gregorius, cujus superius mentio facta est, infirmitatis suæ a medicis medicamentum expetens, frustratis medicaminibus obiit. Dux, Julio mense, et famosissimus rex Anglorum et Nortmannorum dux Guilielmus, nono die Septembris, moriuntur. Ducis vero exsequias uxor Gayta (305) cum filio Rogerio, qui tunc cum ipso apud Bulgaros morabatur, et cæteri barones ejus debito honore, non tamen sine justitia (306) exsequentes, funus transmeatum Venusium humatum perferunt. Græcia hostibus recedentibus libera læta quievit, Apulia tota sive Calabria turbatur.

CAPUT XLII.

Rogerius dux efficitur.

Jam (307) fratribus Rogerio et Boamundo, utroque ducatum appetente, inter se dissidantibus et pluribus nunc ab isto, nunc ab illo incrementa expetendo, lucrum suum quærentibus, multorum Apulorum fides quanti fuerit experimento claruit. Rogerius tandem adjutorio avunculi sui Siculorum comitis Rogerii, qui vivente fratre, idem sibi promiserat, dux efficitur. Omnia castella Calabriæ quorum necdum nisi medietatis cujusquam comes Rogerius habebat, a nepote ad plenum sibi concessa consignantur. Nunc itaque quia suprema dies tanti principis loquendi de ipso, quantum ad librum finem B facit, finis quoque, ut mihi videtur, hujus hic ponendus est libri, ut de novo duce mixtim cum comite loquentes, novum librum obsequamur.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS

Si esset unde nova et elegantior poetria (308) novo duci adhibenda esset, ut facundior sermo a juvene novorum, ut in tali ætate assolet, appetitore (309), novo stylo novos favores suo merito extorqueret. Sed ne stylum mutando hoc quasi adulatione facere dicamur, prioris poetriæ (310) ordine servato, orationis seriem exsequamur.

CAPUT PRIMUM.

Benarvet Nicotrum vastat.

Igitur Rogerio comite nepotis utilitatibus, ut eum plenius in ducatu Calabrensi, vel certe in principatu et dominatione Apuliæ contra voluntatem æmulorum suorum solidaret intendendo præoccupato, Benarvet Syracusi navigio apparato, navali exercitu apud Nicotrum veniens, a radice destruendo devastat. Direptis omnibus quæ potuit, viros et mulieres captivos asportat. Sicque ante Rhegium veniens, ecclesiam haud longe in honore beati Nicolai, et aliam in beati Georgii sitam depopulat, sacras imagines deturpando conculcat, sacras vestes, vel vasa, suorum usibus aptando asportat. Inde progressus quamdam sanctimonialium abbatiam in honore sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ in confinio Scyllaciensi, loco qui Roca Asini dicitur (311), consecratam aggrediens devastat, sanctimoniales abductas turpi stupro dehonestatas abducit.

CAPUT II.

Comes cum Benarvet congreditur.

Qua de re comes divinitus ira plus solito inspiratus, in ultionem tantæ Deo illatæ injuriæ ardentissime insurgit, classemque, qua illum facilius circumveniendo opprimat, primo die Octobri aptare incipiens, vicesimo die Madii perficit; sicque sese affligendo, summa devotione in litaniis, nudis pedibus, per diversas ecclesias processiones exsequens, multa beneficia indigis largitus, navali periculo sese committens, versus Syracusam vela dirigit. Jordanum vero filium suum cum equestri exercitu illuc sibi obvium fieri præcipit, videns naves nutu Dei agi, et nulla aura vel remige impingente, rapidas æquorum undas e recto (312) sulcare, ut facile perpenderet hanc expeditionem Dei favorem (313) comitari, et hostibus prævalere C debere. Comes igitur, honsione (314) de obtinenda victoria certior factus, prima nocte Turoneum (315) applicat; secunda vero apud Longævam, tertia Resesalix (316). Hic Jordanus filius suus, cum exercitu equestri sibi obvius factus, multa inter se de iis quæ facienda erant concilio habito conferentes, Philippum filium Georgii patrui (317), cum velocissima sagetia, versus Syracusam omnem rem exploratum mandant. Qui, jussa fideliter complens de nocte inter classem Sarracenorum, ac si unus ex ipsis esset circumnavigat; nam et lingua eorum ipse et nautæ omnes qui cum ipso processerant peritissimi erant omnibusque prudenter circumspectis, rediens certamen paratum renuntiat Deo propitio nihil periculi imminere. Hostibus audacter occur- D rendum hortatur; erat autem Sabbatum. Comes autem suos commonens prima luce illuscescente hymnos matutinos cum missarum sacra exsecutione audivit. Presbyteris confitentur, sacris mysteriis initiantur, per totam diem ibidem morantur. Se-

(305) C. P. *Sichelgayta.*
(306) *Justitio.*
(307) *Nam.*
(308) *Poema.*
(309) *Novarum rerum ut vilitate assolet, et pectore.*
(310) *Poema.*
(311) C. P. *Rocca dicitur.*
(312) *Æquoris undas directo cursu.*
(313) *Favore.*
(314) C. P. *ostensione.*
(315) *Tauromentum.*
(316) *Longinam, tertia Beselap.*
(317) C. P. *Gregorii patricii.*

quenti nocte mediante, æquore anchoris extractis, cum silentio procedentes, luna illucescente. Syracusam, ubi Benarvet acerrime cum classe sua præstolabatur, venerunt, certamen ineunt; utrinque congreditur. Benarvet instinctu diaboli, qui vitam ejus jam misera morte terminare volebat, quo navem comitis eminus agnovit, magno impetu grassans illorsum irruit, acriter bellatur; sed acrius excipitur. Nam a Lupino quodam primum jaculo confossus, dum a comite qui navim ejus insilierat minaci ense persequitur, ipse proximam navem de suis ad fugiendum saltu appetens, in mare cum pondere ferri demergitur, sicque injuriam, quam Deo arroganter intulit, divino judicio condigna ultione multatur pœnas luendo, perpessus. Reliqui vero dum fugere nituntur, a nostris citato remige persecuti truncantur. Si Jordanus interim urbem oppugnasset, profecto facile debellata succubuisset; sed pater minus provide interdixerat sibi ne fieret. A Maio igitur usque in Octobrem obsessione urbi dedita, ipsa multum recalcitrante, plurima infestatio utrinque facta est. Cives vero, Christianos plurimos in captione infra urbem habentes, solutos ab urbe ejiciunt rati nostros sic facile ab urbe processuros. At dum nihilominus persistere vident, uxor Benarvet cum filio et melioribus urbis, navibus duabus de nocte per medias naves nostras rapidissimo remige evadentes sese Notum recipiunt. Reliqui fœdere composito deditione se et urbem reddunt, anno Dominicicæ Incarnationis millesimo octogesimo quinto.

CAPUT III.

Pisani Africam oppugnant, et comiti retinendam offerunt.

Cum ista geruntur, Pisani qui apud Africam negotiando proficiscebantur, quasdam injurias passi, exercitu congregato, urbem regis Tunitii oppugnantes, usque ad majorem turrim qua rex defendebatur capiunt. Sed quia sua virtute urbe expugnata patriam retinere minus sufficientes, comiti Siciliensi, quem talibus prævalidum cognoscebant, eam, si recipere velit, per legatos invitantes offerunt. Porro ille quia regi Tunitii (318) amicitiam se servaturum dixerat, legalitatem suam servans in damno illius assentire distulit. Rex vero Tunitius (319), cum certando resistere nequit, pretio pacem mercatus, quos (320) armis minus sufficiebat, pecunia classe (321) fines Christiani nominis pervasum (322) ulterius tentare, et quos ejusdem religionis captivos tenebat coactus est absolvere.

CAPUT IV.

Rogerius dux et Boamundus ejus frater reconciliantur.

Dux autem Rogerius apud Apuliam et Calabriam sua sapienter disponens, in omnibus strenue et provide agebat: et quamvis juvenili ætate esset, secundum quod agebat, eum non jam juvenem, sed moribus senissimum judicare posses. Militiæ assiduus, frequentiam militum amans, colloquio affabilis, muneribus largus, labori vigiliisque indeficiens, Ecclesiarum defensor, pauperum et mœrentium consolator, suis clypeus, hostibus aculeus, juste judicans omnia, excepto quod pietatis affectu obviante in rigore justitiæ aliquantulum remissior erat. His artibus in se accrescentibus omnium bonorum favorem brevi obtinuit. Hic Boamundus fratrem suum ambitione ducatus a se desciscentem, qui jam urbem, quæ Oria dicitur, traditione civium adeptus erat, per quam provinciam Tarentinam et Hydruntinam spe prædæ complicibus undequaque sibi alligatis infestabat, minus adversum se proficere videns, non quod miles elegantissimus non fuerit, sed quia sumptus ad id negotii necessarii minus suppetebant, fraterna pietate commotus, arcessito ad se et reconciliato, partem paternæ hæreditatis contulit, annuens ei ipsam Oriam urbem quam pervaserat, adjiciens Tarentum et Hydruntum, sive Galipolim cum omnibus appendiciis et quidquid Gaufridus de Conversana sub ipso habebat cum famulatu ejusdem. Reliquos vero, si qui adversarii erant, sua strenuitate sternebat; ubi vero minus per se sufficiebat, Siciliensi comite, quasi pro verbere ad alios subjugandos utebatur, cujus virtute pluribus territis minus resistere præsumebant.

CAPUT V.

Comes Agrigentum obsidet et capit.

Comes ergo Rogerius, omnes potentiores Siciliæ a se debellatos gaudens, et nemine, excepto Chamuto, superstite, ad hoc assidua deliberatione intendit ut ipso circumveniendo debellato omnem sibi de cætero Siciliam subdat. Unde exercitu admoto, ipso apud Castrum Joannis immorante, uxorem ejus ac liberos apud Agrigentinam urbem obsessum vadit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo sexto, prima die Aprilis; quam undique exercitu vallans, diutina oppressione lacessivit, studioque machinamentis ad urbem capiendam apparatis, tandem vicesima quinta die Julii viribus exhausta imminentibus hostibus patuit; uxor Chamuti cum liberis comitis inventa est captionis (323). Comes itaque, in urbe pro libitu suo positus, uxorem Chamuti omni dehonestatione prohibita suis custodiendam deliberat, sciens Chamutum sibi facilius reconciliari, si eam absque dehonestatione cognoverit attractari. Urbem itaque pro velle suo ordinans, castello firmissimo munit, vallo gyrat, turribus et propugnaculis ad defensionem aptat, finitima castra incursionibus lacessens ad deditionem cogit; unde et usque ad undecim ævo brevi subjugata sibi alligat, quorum ista sunt no-

(318) *Thumino.*
(319) *Thuminus.*
(320) *Mercatus, quamvis.*
(321) C. P. *Finibus suis arcet, promittens etiam sub ostentatione legis suæ nulla classe,* etc.
(322) *Ulterius tentare pervasum.*
(323) C. P. *Innecta e captioni.*

mina : Platonio, Missor, Gastajel, Satuti, Racel, Bifar, Muelofe (324), Garo, Calatenissa, quod nostra lingua interpretatum resolvitur, *Castra* (325) *Feminarum*, Lerata, Remise (326).

CAPUT VI.

Chamut Christianus fit; Castrum Joannis redditur.

Comes itaque, sibi omnia prospere cedere Dei miseratione cognoscens, adjicit Castrum Joannis sibi aut oppressione aut certe astu, aliqua composita confœderatione, sibi applicare. Unde et quodam diluculo cum centum militibus versus Castrum Joannis properans, Chamutum fœdere interposito locutum invitat. Quem diversis verborum circumitionibus attentans, deditione Castri et conversione ad Christi baptismatis regenerationem pulsat. Porro ille, cognoscens experimento de aliis sumpto comitem ad quodcunque intenderet, fortuna favente nihil frustra niti, aliquantulum etiam de conversione ad fidem tacito sub pectore inspiratus, clam suis agit ut statuto termino comes, cum exercitu ante castrum veniens, ipsum cum omni supellectili sua ad se transfugientem suscipiat. Timebat enim ne si in propatulo fieret, quod castrum reddere vel ad fidem catholicam transire niteretur, a suismet perimeretur. Comes a tali promissione lætus apud Agrigentum redit; statuto termino silenter exercitu conflato, haud procul a Castro Joannis, loco inter se prænotato insidiis occultatur. Chamut omnibus suis mulis et equis superpositis quasi aliquorsum processurus, urbe digreditur, ex industria super insidias nostrorum incidit, a nostris excipitur. Comperto Castrum Joannis a nostris oppugnatur. Porro cives tali facto viribus exhausti terrentur, pro re atque tempore consilium aptant. Fœdere composito comiti reconciliantur. Castrum deditioni adjicitur. Comes Castrum adeptus lætus efficitur; nostræ genti ad tuendum fortiores turres assignantur. Chamut cum uxore et liberis Christianus efficitur, hoc solo conventioni interposito quod uxor sua, quæ sibi quadam consanguinitatis linea conjungebatur, in posterum sibi non interdiceretur. Chamut, inter suos ulterius commorari vel differens, vel diffidens, ne comiti, quasi aliquam fallaciam miscens, suspectus fieret, vel minus crederetur, apud Calabriam in provincia Melitana a comite terram suis usibus sufficientem expetit. Quod comes sibi libenter annuens illuc secessit; sicque postea longo tempore vivens, ab omni fraude versus nostram gentem sese irreprehensibilem deinceps exhibuit.

CAPUT VII.

Comes episcopos per Siciliam ordinat.

Comes, videns propitiatione Dei omnem Siciliam, excepta Butera et Noto suæ ditioni subeundo cessisse, ne ingratus tanti beneficii sibi a Deo collati existeret, cœpit Deo devotus existere, justa judicia amare, justitiam exsequi, veritatem amplecti, ecclæsiam frequentare cum devotione, sacris Hymnis astare, decimationes omnium redditium suorum sacris ecclesiis attribuere, viduarum et orphanorum, sed et mœrentium cum ratione consolator. Ecclesias passim per universam Siciliam reparat, ipse pluribus in locis de suo sumptus, quibus facilius fiant attribuit. In urbe Agrigentina pontificalibus infulis cathedram sublimat, terris, decimis et diversis copiis, quæ pontifici et clero competenter designata sufficiant, hæreditaliter chirographis suis dotat, ornamentis et sacri altaris utensilibus ad plenum consignatis. Huic Ecclesiæ Gerlandum quemdam, natione Allobrogum, virum, ut aiunt, magnæ charitatis et ecclesiasticis disciplinis eruditum episcopum ordinans, præfecit. Haud secus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ rite sufficerent prælato et clericis ad plenum designatis, Stephanum quemdam Rothomagensem, honestæ vitæ virum episcopum ordinavit. Apud Syracusam vero idem adjiciens Rogerium decanum Ecclesiæ Trainensis, honestæ eruditionis clericum, et boni moris et affabilitatis virum in Provincia ortum, pontificalibus infulis sublimavit; Trainensibus non minimum de ejus amissione dolentibus, quippe cujus doctrina et exemplo ad meliora semper hortabantur, et consilio et eloquentia etiam in ipsis sæcularibus negotiis, quasi pro baculo sustentationis, utebantur, nam et absente episcopo vices sibi delegatas cum omni prudentia et moderatione exsequebatur. Apud S. Euphemiam vero monachum quemdam, natione Britonem, virum religiosum, post abbatem, totam Ecclesiam prudenti moderamine audiens, ut hunc Ecclesiæ Catanensi impetrare (327) queat, episcopum ordinare (328) intendit. Quare et per semetipsum illuc accedens, vix tandem monachis hoc carere volentibus, ipso etiam præ cæteris amplius reluctante, obtinuit. Sicque solemniter episcopatum concedens, quod nulli episcoporum fecisse cognoscitur, totam urbem sedi suæ cum omnibus appendiciis suis sub chirographo et testibus hæreditaliter possidendam assignavit. Porro ille, ecclesiam minus cultam, utpote a faucibus incredulæ gentis erutam, suscipiens, juris studiis primo studiosius inhærens, brevi ecclesiam omnibus necessariis provehens, ad Mariæ vices cum Martha (329) exsequendum transiit; monachorum turbam non modicam sibi coadunans, districtæ regulæ jugo, verbo et exemplo subesse, ut fidelis pastor, coegit.

CAPUT VIII.

Rex Francorum Philippus filiam comitis uxorem expetit.

Ea tempestate Philippus rex Francorum uxorem habens legitimam et præclari generis, Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine Leudovi-

(324) *Missar, Gnastilel, Satiri, Gemellos, Raselbisar, Miclufe.*
(325) *Castrum.*
(326) *Lecata, Remunisse.*

(327) C. P. *si.*
(328) *Ordinet.*
(329) *Marthæ.*

sinum (330), cui etiam ab omnibus curialibus regnum post se habere designaverat, contra jus legitimæ conjunctionis exosam habere fecit, et a se contra canonum statuta libello repudii conatur repellere, nihil criminis objecto, excepto quod sanguinitatem falso annumerare tentabat, nec poterat. Hic, legatos apud Siciliam ad comitem dirigens, filiam ejus, nomine Eminam, quam de prima uxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expetit. Comes vero, fraudis quam versus legitimam uxorem habebat ignarus, cum multis sponsalibus se sibi datarum concessit, statutoque termino, navibus apparatis, eam usque ad S. Egidium cum pluribus thesaurorum enxeniis, quo rex se obvium fieri dixerat, maritimo cursus transmittit. Habebatque fiduciam in comite ejusdem provinciæ Raimundo, quod eam regi honeste consignaret, nam et ipse aliam filiam comitis jamdudum duxerat. Rex vero, pravorum consilio usus, ad hæc nitebatur ut thesauris susceptis et comitem de filia, non ducendo, ludificaret. Porro comes Raimundus regia fraude comperta cœpit et ipse nihilominus aliam frudem conjecturare, videlicet ut, puellam dissimulata fraude cum honore suscipiens, alteri probo viro in matrimonium consignaret; ipse vero omnem pecuniam usurparet. Sed prudentes viri, quos comes cum familia miserat, prece puellæ pecunia exportata, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes, puella cum furoris marito relicta, placida aura sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad comitem in Siciliam revertuntur. Comes vero Raimundus, fraude quam machinabatur ex parte frustratus, puellam comiti Claramontis legalibus nuptiis copulavit, sicque sola Dei dispensatione solemniter maritata, et pater opprobrio, quod rex machinabatur, et filia inordinata et contra jus quavis legali copulatione liberatur.

CAPUT IX.

Mihera Majam intrat.

Mihera vero filius Hugonis Foloch, vir magnæ levitatis, sed elegantissimus miles, læva pro dextera utens, Roberto duce defuncto in insolentiam prorumpens, vicinos circumquaque prædis et diversis incursionibus lacessendo appetere cœpit. Possidebat enim tunc temporis castra sibi a patre hæreditaliter relicta Cantantiarum, et Roccam; plus vero armis ambiens, in ipso etiam duce præsumens, castrum, quod Maia dicitur, traditione civium sibi usurpans irrumpit. Sed suis viribus auxilia addere volens, Boamundi fratris ducis, qui jam fœdere rupto adversus fratrem conspiraverat homo efficitur. Majam, quam pervaserat, et omnem terram quam hæreditaliter a patre sibi relictam sub duce possidebat, ipso duce renuntiato, et sacramentis confœderatus Boamundus ab ipso recipitur.

(330) C. P. *Ludovicum.*

CAPUT X.

Boamundus Cusentum pervadit.

At Boamundus, ambitione nanciscendarum pervasione super fratrem urbium avidus, cum Consentinis secreto de traditione urbis agit, promittens se castellum quod dux illis invisum in eadem urbe firmaverat, si eorum auxilio capere possit, funditus dirutum iri. Qua promissione illi ad fraudem proclive illecti, Boamundo assentientes, illum infra urbem cum sua virtute suscipiunt. Sacramentis sibi confœderantur. Castellum vallantes oppugnatum vadunt. Quod cum duci in Apuliam, ubi tunc morabatur, nuntiatum fuisset, exercitum admovens illorsum accelerat, avunculumque sibi in auxilium invitans ut sibi apud Cusentum obvius fieri non differat mandat. Nam, ut diximus, contra omnes sibi adversantes illo, quasi pro flagello, ad terrendum alios utebatur. Comes vero, militaribus et peditum copiis apparatis, invitanti se nepoti obvius fieri accelerat. Sed antequam ab utroque exercitu, ducis videlicet sive comitis, illuc perventum est, castrum quod oppugnabatur, dum pro posse repugnat, machinamentis appositis, viribus exhaustum hostibus cessit, funditusque, ut a Boamundo promissum erat, dirutum fit. Porro dux, sibi comitem obvium habens, Rossanam, quæ Consentinis in fraude assentiebat, oppugnans capit, incendio omnia percurrens. Boamundus itaque, ne obsidione intra urbem clauderetur, devitans Hugonem Claramontis, qui Consentinos in sua fidelitate retineat, apud Cusentum relinquens, Roccam secessit. Dux vero et comes, putantes eum apud Majam digressum, illuc præoccupare volentes accedunt. Sed cum non ibi esse comperiunt, versus Roccam properantes, loco qui Lucus Calupnii dicitur, tentoria figunt, ubi per internuntios, pace quidem ab utrisque partibus interposita, apud Sanctam Euphemiam conveniendi et plenius reconciliandi terminum statuunt. Sed Mihera huic termino assensit, non autem Boamundus. Ipse enim, reconciliari differens, jam Tarentum recesserat. Instante itaque die præfixo, Mihera conductum, quo fœdere accedere vel recedere liceat, expetit. Conceditur accedit; Boamundo inconsulto, duci reconciliatur. Maja reddita, duci, cui jure competebat, reconsignatur. Fratres itaque post biennii dissensionem consilio utrorumque fidelium reconciliantur. A duce, ut semper viro largissimo Boamundo, Cusentum et Maja conceditur, sed brevissimo intervallo, quia Boamundus Cusentinis juraverat castrum ibi se non facturum, et dux idem se Barensibus, cambio inter se facto, dux Cusentum recipit; Barum fratri mutua vicissitudine concedit ut salvo quisque in suo jure libera potestate quod volet faciendi utatur; sicque amicitiam suam testibus et chirographo confirmantes deinceps indivulsam tenuerunt.

CAPUT XI.

Mihera monachus fit.

Mihera ergo, comiti Rogerio et Radulfo Lora

celli (331) sibi infestantibus diu rebellis, videns offensas suas modum reconciliationis excessisse, ulterius ferre non valens Adæ filio suo omnem terram suam assignat, putans eum auxilio ex parte matris parentum facilius resistere hostibus, aut certe reconciliari; ipse vero Beneventum secedens monachice consociatus habitum induit. Nam neque dux, neque Boamundus, quia vicissim utrumque fœdere rupto ludificaverat, amici erant; ob quam rem comes et Robertus Loracelli, jam a duce terram ejus sibi datam iri expetentes, facilius obtinuerant. Comes vero, milites suos Rodulfo Loracelli ductore super Adam mittens, diutinis incursionibus aliquanto tempore repugnantem tandem penuria afficit. Qui cum videt se ulterius ferre nequire, palatium suum et omnes meliores domos nocte, ubi oppugnabatur, incendio destruens, castro relicto hostibus, recessit anno (332) Verbi incarnati millesimo octogesimo sexto. Comes vero et Rodulfus Loracelli terram ejus, ut a duce concessum erat (333), inter se dividentes, deinceps utpote sua (334) sunt.

CAPUT XII.

Buteram comes obsidet.

Igitur comes Rogerius omni Sicilia adversum se fœdere composito sedata, excepto quod Notenses, quo uxor Benarvet cum filio transfugerat, et Buterenses adhuc pro posse Incassum recalcitrabant, exercitu admoto Buteram obsessum vadit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo octavo, inchoante Aprili.

CAPUT XIII.

Papa Urbanus comiti locutum in Siciliam venit.

Prudenterque armata manu, hostiliter undique vallans aliquanto tempore inclusos diversis calamitatibus afflixit. Sed dum machinamentis ad castrum affligendum apparatis attentius insudaret legatus papæ Urbani, cum litteris ab ipso sigillatis adveniens, nuntiat eumdem apostolicum virum Siciliam intrasse, eique ut apud Trainam sibi locutum accedat mandare eum, longo itinere fatigatum; a Terracina enim digrediens adveniebat, præ lassitudine corporis et montosis saltubus adhuc interpositi itineris progredi nolle. Comes vero, quid potissimum ageret sollicitus, nam sedem belli deserere damnosum ducebat, papæ vero, qui a tanto intervallo locorum ad se veniebat, non occurrere, modico itineris interposito indignum, ut catholicus vir æstimabat. Tandem consilio vir prudens accepto agit, ut neque sedem belli deserat, neque apostolico non occurrendo inobediens existat. Exercitu nempe fidelibus suis prudentibus viris et talibus negotiis peritis delegato, hostes infestare instruit; ipse cum paucis se invitanti apostolico obvius apud Trainam occurrit, lætique ad invicem, alter ab altero cum summa veneratione excipitur: hic ab

A illo apostolica benedictione sub vice Mariæ, ille ab isto in his quæ corpori necessaria erant obsequiis Marthæ; in crastinumque summo diluculo convenientes, agunt ad invicem de negotio quod apostolicum accessisse compulerat. Nam idem apostolicus ante paucos dies Alexium, imperatorem Constantinopolitanum, per Nicolaum abbatem Cryptæ Ferratæ, et Robertum diaconum conveniens paterna increpatione commonuerat quod Christianis Latinis, qui in sua provincia morabantur, azymo immolari interdixerat, præcipiens in sacrificiis more Græcorum fermentato uti; quod nostra religio omnino non habet. Imperator vero, increpationem ejus humiliter suscipiens, invitat eum per eosdem legatos chartulis aureis litteris scriptis, ut veniens B cum eruditis catholice viris Latinis, Constantinopolatino concilio congregato disputatio fieret inter Græcos et Latinos, ut communi definitione in Ecclesia Dei illud scinderetur quod Græci fermantato Latini vero azimo immolabant, unaque Ecclesia Dei unum morem teneret dicens se libenter catholicæ discussioni assentire, et quod authenticis sententiis præsentibus Græcis et Latinis assentiri definiretur sive azymo, sive fermentato immolandum esset, se deinceps observare velle. Terminum etiam quo papa accedere deberet statuit, anni videlicet et dimidii. Comes vero, ut tantum schisma ab ecclesia Dei amputetur, eundi consilium dedit. Sed impedientibus inimicis sanctæ Dei ecclesiæ, qui Romæ sibi infesti persistebant, iter prohibitum est. Comes itaque papam pluribus donariis honoratum a se dimisit; C ipse vero, Buteram rediens, hostibus infestus tandem ad deditionem coegit; sicque castro potitus pro libitu suo disponit, potentioresque in Calabriam mansuros mittit, ne sibi ibidem manentes, aliquam fraudem machinando, commotionem facerent.

CAPUT XIV.

Comes Adelaidam in uxorem ducit.

Anno igitur incarnati Salvatoris 1089, comes Rogerius, uxore Elemburga (335), filia Guilielmi comitis Mortonensis (336) defuncta, aliam duxit, Adelaidem (337) nomine, neptem Bonifacii famosissimi Italorum marchionis, filiam videlicet fratris ejus juvenculam, honestæ admodum faciei, duasque sorores ejusdem puellæ duobus filiis suis, Gofredo, videlicet et Jordano in matrimonium copulavit; sed Go- D fredo, antequam nubiles annos attigisset quod dolor est dicere, morbo prohibente minime eam cognovit; Jordanus autem solemnibus nuptiis duxit.

CAPUT XV.

Notenses comiti reconciliantur.

Porro Notenses videntes omnem Siciliam sub comite curvatam, seseque ulterius incassum resistere, consilio inter se habito, comiti reconciliari utile ducunt. Denique de seipsis legatos eligentes ad comi-

(331) *Lodocelli ductore superadditam mittens diutius incursione.*
(332) *Domini* 1087.
(333) *A duce ut concessum.*
(334) *Sorte.*
(335) C. P. *Eremburga.*
(336) *Morintonensis.*
(337) *Adelaidam.*

tem dirigunt, qui apud Melitum, ubi tunc comes morabatur, accedentes, pacem faciunt anno Dominicæ Incarnationis 1090. Februario mense. Comes itaque, censum duorum annorum illis condonans, Jordanum filium suum, cui etiam terram et uxorem dederat, ut urbem ipsis dedentibus recipiat cum ipsis mittit : qui a patre edoctus, urbe suscepta castello munit proque libitu suo in patris fidelitate disponit; uxor autem Benarvet cum filio in Africam transfugit. Sedata itaque omni Sicilia, comes Rogerius, collati sibi a Deo beneficii non ingratus existens, omnimode, secundum quod mundiales curæ quibus occupabatur permittebant, Deo cœpit sese devotum exhibere, et quanto ampliori honore terreno se a Deo provectum cognoscebat, tanto ampliori studio agebat ut in perfectæ humilitatis statu persistens gressum mentis figat. Militibus itaque suis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, accersitis gratias cum omni mansuetudine referens, quibusdam terris et largis possessionibus, quibusdam vero aliis diversis præmiis laboris sui sudores recompensat.

CAPUT XVI.

Comes Maltam vadit.

Sic itaque omni Sicilia pro libitu suo sapienter composita, comes, militaribus exercitiis assuetus, quietis impatiens, laboris appetens, lucris inhians, corpus ab assuetis exercitiis minime desuescere passus est; sed quæ transmarina regna prima potissimum sibi subjuganda attento animo, jugi meditatione tractat. Unde et Melitam insulam a referentibus viciniorem cæteris sibi cognoscens, classem, qua eam attentet, accelerare imperat, militibus suis ut se ad id exercitii aptent præcipiendo denuntiat. Dum ista geruntur, Mainerius, Gerentia comite ut sibi locutum veniat invitatus, accedere differt, cum arrogatione, præsente adhuc legato comitis, respondens se nunquam ipsum nisi ut damnum, si possit, inferat visum velle. Quod referente legato qui missus fuerat, comes audiens, plurimum indignatus, festinus, mari transmeato, a Sicilia in Calabriam venit; Petrum Moritonensem, cui vices suas plurimum commiserat, ut per Siciliam exercitum commovens post se acceleret mittit. Qui prudenter injuncta perficiens, infra octo dies ab omni Sicilia copioso exercitu congregato, in Maio (338) ad comitem adduxit ; sicque comes versus Gerentiam accelerans, castrum terribili obsidione vallavit. Qua de re Mainerius territus, se stulte et fecisse et locutum cognoscens, supplex ad misericordiam comitis venit, equos, mulos, thesauros et omnia quæ habebat, veniam petens, in ejus dispositione ponit. Comes, super his quæ fecerat eum pænitere videns, ut semper pii cordis, omnia condonavit, excepto quod, quasi pro disciplina potius quam ambitione, mille

A aureos solidos de suo accepit, ut eum a tali præsumptione coerceat; sicque per ardua adjacentium montium inde digrediens Cusentum venit, et quia incolæ provinciæ illius duci recalcitrabant, triduo vineta et oliveta eorum exstirpans, inde Aratam secessit, ubi cum suis consilium captans exercitum brevi tempore solvit, præcipiens ut unusquisque ad expeditionem versus Melitam domi aptatum recedat, termino quindecim dierum interposito, quo sibi apud Resacrambam, illuc enim classem suam convenire fecerat, obvii fiant. Portus autem in ariditate naturæ a cæteris differt, ita ut si quis, experientiæ causa cannam vel aliquid concavum accipiens, cubita duo (339) a ripa in mare terræ tenus palmo tantummodo profunditatis figat, tantæ longitudinis ut desuper undas concava summitas quantum volet attingat, B cum mare salsissimum sit, dulcissimas et potabiles aquas per concavitatem in altum ebullire vident (340).

Hic die terminato, ab omni Sicilia et Calabria plurimo exercitu Julio mense conflato, quodam vespere comes naves aggredi (341) accelerat. Porro Jordanus filius comitis, cum classis aptatur, semper suspicans erat comitem quidem versus Melitam non iturum, sed sibi ut ipse exercitum illorsum conduceret commissurum. Comes autem in ipso ingressu navium arcessito imperat ut cum designatis, quos sibi placuerit, Siciliam procuratum remaneat, urbem nullam vel castrum ingredi, donec ipse a Melita revertatur, præsumat, sed in tentoriis habitans, ubicunque per Siciliam ad succurrendum necesse C sit, paratus ejus regressum sustineat. Porro ille, aliter quam ratus erat patrem præcipientem audiens, totus admiratione attonitus fit, patremque ab iis quæ dicebat dehortari nisus, cum lacrymis proclamat dignum potius, si placet patri, esse se juvenem tanto labori ascribi, patrem, jam quasi emeriti stipendii virum, a laboribus plurimum passum corpus recreando quietis oblectamentis uti; minus damnosum, si ipse, minoris pretii juvenis, in tanto discrimine pereat, quam vir tantæ auctoritatis tantive consilii. Comes vero, ad verba filii indignatus, cum, quamplurimum conviciatus in audientia omnium retulit se nunquam vel filium vel aliquem, quo ipse primus esse non audeat, missurum, et sicut primus esset in possidendis vel distribuendis, ita D conveniens esse ut prior fieret in acquirendis. Sic pluribus remeantibus pietate abeuntis, deinde lacrymantibus comes, naves ingressus, buccinis ex ejus edicto concrepantibus et diversi generis musicæ artis pluribus, ut quisque doctus erat, instrumentis modulantibus, anchoris extractis, vela ventis plurimo apparatu committunt, auraque prospera suffragante, secundo die applicant apud Miletum (342). Navis vero comitis cæteras velocitate præcedens, ut primum terram attigit, comes navi digressus, cum

(338) *In prato Maii.*
(339) C. P. *cubitu uno.*
(340) *Videas.*

(341) *Ingredi.*
(342) *Melitam.*

tredecim tantum militibus equos ascendens, plurimam incolarum multitudinem, quæ ut impedirent ad ripam obviam fuerat, aggrediens, multos sternit, reliquos fugat, extremos quosque cædendo per longum insequitur. Vespere autem ab insequendo regrediens in littore maris cum omni exercitu suo illa nocte hospitium sumpsit.

Crastino vero illucescente propius urbem accedens obsidione vallavit, circumquaque per insulam suos prædatum mittens. Porro Gaytus, qui urbi et insulæ principabatur, cæterique cives bellicis exercitationibus minus assueti, præsentia hostium deterriti, pacem libere ad colloquium cum comite accedenti expetunt; qua a comite concessa, ad tentorium comitis sibi locutum, ut pacem faciat, accedunt. Diversisque circumlocutionibus usi tandem cum calliditatem principis minus se fallere posse perpendunt, pro libitu comitis, primo captivos Christianos, quorum plurimam multitudinem infra urbem tenebant, reddunt, et equos, et mulos et arma omnia quæ habebant, cum infinita pecunia comiti offerunt. Datam uno quoque anno persolvendo determinantes, urbem de comite se serviendam promittunt, sicque more legis suæ sacramentis datis comiti confœderati sunt. Videns [*leg.* Videres, *Ed.* P.] autem captivos Christianos, ab urbe progredientes, præ gaudio suæ insperatæ liberationis ab uno quoque cordis lacrymis profundi, ligno, vel calamis, prout quisque primo inveniebat, compositas cruces in dextris ferentes *Kyrie eleison* proclamando, ad pedes comitis provolvi, nostros vero ad talem intuitum pietatis affectu lacrymoso rore perfundi. Comes ergo, taliter urbe sibi confœderata, captivos, ut asportet, per naves ordinans, reditum cum magno timore, præ nimio pondere captivorum submersionem veritus, accelerat, sed dextera Dei, ut credimus, ex eventu patuit; naves per undas sublevans, cubitu uno liberiores super mare ferebat quam in aditu suo, cum eas minus onus gravabat. At cum mare sic reditum accelerat, eminus insulam, quæ Golfani (343) dicitur, intuens, illorsum, ut debellet, vela dirigi imperat. Quo applicans prædis aggrediens devastat, sicque secum fœdus inire cognoscens suæ ditioni assignat. Undique impune per æquora vela dirigens, Sicilam reversus, desiderantibus se fidelibus suis plurima præda onustus repræsentat. Captivos autem, quos captione erutos secum reduxerat, omnes convocans liberos facit, offerens eis, si secum in Sicilia remanere velint, villam unam suis sumptibus loco quo eligerent construere debere, et de suis sumptibus necessaria ad lucrandum subministrare, villam etiam camdem francam, id est liberam villam, eo quod omni vectigali, vel servili exactione libera in perpetuum foret, subtitulare; sed et illis desiderantibus proprios agros amicosque visere, liberam facultatem quo vellent abeundi concessit, per totam terram suam necessaria et absque pretio Phari transitum tribuens. Porro ipsi cum gaudio et comiti de sua liberatione gratias referentes quisque in loca sua recedunt, per diversa regnorum spatia, prout nationis erant, nomen comitis magnificando dilatantes.

CAPUT XVII.

Dux et comes Cusentum capiunt.

Anno ergo millesimo nonagesimo primo, Rogerius dux, contra Consentinos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo secum accepto, ipsos mense Maio obsessum ire disponens, avunculum comitem a Sicilia ut sibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat invitat. Ille, amore nepotis, ab omni Sicilia multa Sarracenorum millia excitans, sed et militum copias conducens, quo invitabatur haud segniter accelerat. Consentini, hostes versum se accelerare audientes seipsos vallo et muris muniunt, arma et quæ defensioni necessaria erant aptant, sumptus naturæ necessarios infra urbem comportant, defendere potius quam succumbere invicem cohortantur. Dux et comes, sese invicem apud Cusentum obviantes, urbem undique vallant. Dux planitem obsidione occupat. Comes, montana conscendens, quo major labor et hostis infestior imminebat, castris suorum urbem gyrare imperat. Consentinis itaque ex consilio et edicto principis vallo et sepibus undique clausis, ingrediendi, vel egrediendi, vel quidlibet introducendi facultate sublata, plurimum deterrentur. Sic jugis decertatio, certamen assiduum. Sed Consentinis major spes defensionis in fundibulis et sagittis erat. Propius accedere, ut ense tenus cum nostris decertarent, periculosum ducebant. Porro comes interdum ad deditionem mulcendo blandiri, frequentius interminando deterrere, suos instare, hortari, omnia circumire, nil intentatum relinquere, quæ facienda erant prior adire, ad certamen suos præcedere, in recedendo subsequi; omnia prudenti ordinatione providere studebat, exemplo suis, ad quæ facienda erant omnes vigilantiores reddens. Consentini itaque, constantiam comitis jampridem cognoscentes et hostes a finibus suis spe arcendi decidentes, consilio inter se habito urbis deditionem, si forte de offensione suæ rebellionis veniam a duce et comite mereantur, aptant. Primo quod comitem prudentioris consilii virum sciebant, et cujus ordinatione omnia regebantur, conventiones, se suumque consilium supplices ei committunt, sine ipso nihil acturi a quo sciebant, postquam promitteret, sine fraude vel sui detrimento, ubi vitari posset, sibi consilium dari. Ille vero eorum verba, ut semper pius et pacis amator suscipiens, ita prudenter rem ordinavit, ut et dux pro libitu suo urbe potiretur, et Consentini ducis gratia reconciliari non fraudarentur. Dux, avunculi sui strenuitate urbe potitus, antequam expeditio solvatur, arte cæmentaria castrum ad urbem, a tali præsumptione ulte-

(343) C. P. *Golsa*.

rius prohibendam, in altiori urbis jugo firmat. Comiti autem pro recompensatione servitii sibi exhibiti medietatem Pausemitanæ (344) urbis assignat, sicque expeditione mense Julio soluta, dux in Apuliam, comes vero in Siciliam digrediuntur. Comes autem in sua parte castrum firmat, urbemque, cum jam communis esset, ita ordinat ut plus ex medietate postmodum duci perveniret, quam primo, cum sine comparticipe totius urbis redditus possideret.

CAPUT XVIII.

Jordanus obiit.

His itaque peractis, quia per succesionem temporum ea quæ gesta sunt vel acciderunt, prout fuerunt, nos scripturos repromisimus, ordo temporis damnosum dolorem Siciliæ et Calabriæ nos quin huic libro inseramus prætergredi vetat, quamvis pluribus in præsentia sui hoc idem ad memoriam revocare onerosum, quasi dolorem renovando, videatur. Nam sunt nonnulli qui, præ nimio affectu quem erga ipsum de quo sermo fit habuerunt, si in eorum præsentia quod accidit recitatur, a lacrymis minime se possunt continere, ac si recens sit quod narratur. Jordanus enim filius comitis, propter strenuitatem suam omnibus amabilis, quem plures, quia jam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus elephantinus pervaserat, comitis hæredem futurum suspicabantur, nam neque alium masculum habebat, apud Syracusam sui juris urbem febris typo percussus est. Quod cum patri nuntiatum fuisset illorsum prævenire mortem accelerat, sed, morbo ingravescente, ultima determinatio vitæ Jordani patre velocior fuit. Comes autem urbem ingressus, ut funus filii conspexit, intolerabili dolore corripitur, omnesque qui cum ipso advenerant, doloris participes facti, lacrymoso planctu rapiuntur, pluresque patris dolor quam Jordani mors ad lacrymas pertrahebat. Urbs tota lacrymoso ululatu ventilatur, in tantum ut ipsos Sarracenos, nostro generi invisos, non quidem ex amore, sed ex mœrore quo nostros affici videbant pietatis affectus pervadens ad lacrymas usque pertraheret. Comes itaque funus decenter ordinans, Trainam per totam (345) S. Nicolai solemniter humandum deducit, multa beneficia eidem Ecclesiæ sed et aliis pro redemptione animæ ejus conferens, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo secundo. Porro cives urbis Peutargæ (346), quæ juris Jordani hactenus fuerat, mortem Jordani, quem plurimum pertimescebant, audientes, casso gaudio rapiuntur, atque in insolentiam prorumpenes, jugum nostræ gentis rebellando a se excutere frustra nituntur. Nam comes filio humato nil

A remoratus cum sola familia sua illos obsessum vadit; expeditionem ab omni Sicilia se illuc subsequi imperans. Sicque vi superans, illos qui tam inepti consilii auctores fuerant suspensos exstinxit, reliquos tormentis diversis afficiens, urbis stultitiam sedat (347).

CAPUT XIX.

Simon nascitur.

Patre orbo, gravi morbo sic sublato filio,
Unde (348) doleret, quod careret hæreditali audio.
Ditat prole, quasi flore superna provisio.
Imprægnatur ac gravatur; matris gaudens uterus
Intumescit. Infans crescit naturæ successibus.
Orat pater, sed et mater Deum, ut sit masculus.
Implet vota forma tota dum semen (349) coagulat.
B Fiat natura jam secura infra matris viscera.
Nonus mensis spe suspensis. Sic partus accelerat.
Infans prodit. Nullus odit. Fit cunctis lætitia.
Obstetrices sunt felices a matris (350) lætitia.
Nuntiatus puer natus nova præstat gaudia.
Mater audit unde plaudit, fit doloris nescia.
Festinatur; nuntiatur hæc patri lætitia.
Qui congaudens, atque plaudens thura precum [cœlitus
Supplex litat, atque ditat legatum muneribus.
Plura jubet, prout lubet, largiri pauperibus.
Dolor mortis gravis sortis jam sublati filii
Fit lucitus (351), et oblitus spe nascentis gau- [dium (352).
Simon fonte, pictus fronte inunctione chrismatis
C Hæredatur, solidatur dux futurus Siculus.
Calabrenses suos enses sibi optant adjici.
Pater totum implet votum, dux concessit (353) fieri.

CAPUT XX.

Dux Rogerius infirmatur.

Porro dux Rogerius uxorem habens præclaræ nobilitatis, neptem videlicet Francorum regis Philippi, filiam Flandrensium marchionis Roberti, quem Frisium appellabant, Adalam nomine, de qua duarum sobolum pater existebat, apud Melfam Apuliæ urbem febre correptus acriter torquebatur anno Verbi incarnati millesimo nonagesimo tertio. Morbo itaque ingravescente, jam pene vitalibus (354) interclusis, cum ipsi in partibus (355) peritissimi sic medici attestantur, (356) natura contra usum attonita oberrabat, ut ab ipsis medicis nec pulsu, nec urina, sed neque aliis pronosticorum indiciis infirmitas determinate (357) posset comprehendi. Qua de re cum de ipso etiam ab ipsis medicis desperari videretur, fama, quasi jam obiisset, totam Apuliam, sed et Calabriam turbavit. Ea tempestate Boamundus apud Calabriam morabatur,

(344) C. P. *Panormitanæ.*
(345) C. P. *Trainæ per porticum.*
(346) *Pentargæ.*
(347) *Sedavit.*
(348) *Ne.*
(349) *Semet.*
(350) *Ad maris indicia.*

(351) *Lenitas.*
(352) *Gaudii.*
(353) *Dum concedit.*
(354) *In talibus.*
(355) *Cum ipsis in partibus.*
(356) *Sic.*
(357) *Infirmitatis determinatio.*

qui eum fratrem fama referente jam obiisse audisset, credulus castra quæ juris fratris fuerant irrumpens sacramentis sibi confœderare persuadet, ita tamen discernens ut, si frater, quod se nolle protestabatur, jam obiisset, salva fidelitate legalium hæredum suorum, videlicet fratris, sibi quasi fideli eorumdem hæredum patruo, usque ad intelligibilem ætatem, qua ipsi legitime terram regere cognoscerent, fideles persisterent. Comes autem Rogerius, cum talia facere audiens, indignatione commotus quod talia se inconsulto præsumpserit, veritus etiam, quamvis hanc fidelitatem honeste discernens susciperet, pictis verbis fraudem (358) occultans in posterum, contra nepotes ambitione captus aliquid fraudis machinaretur, a suis insequi præcipiens a tota Calabria arcet.

CAPUT XXI.

Guilielmus de Grantavul Rossanam intrat.

Plures etiam audita fama mortis ducis in insolentiam prorumpentes, de iis quæ duci competebant distrahendo, sibi usurpare moliebantur. Unde et Guilielmus de Grantemaniol (359), summa cupidine correptus, in insolentiam proclivis declinans, Rossanam Calabriæ urbem pervadens intrat, dicens sibi jure competere ut, qui sororem ducis, filiam Guiscardi, Mabiliam nomine, uxorem habebat, hæreditatisque particeps fieret. Sic quæ ducis fuerant, propter imbecillitatem hæredum quisque quantæ fidei erga ipsos hæredes fieret, ostentans, sibi distrahendo usurpabat. Sed natura, quæ jam diu peregrina oberraverat, in sui juris proprietatem reversa, contra spem medicorum convalere incipit. Sicque sanitate diatim excrescente, ad integrum pristinæ restitutus est sanitati. Quod Boamundus audiens magna mentis alacritate Melfi, ubi fratrem esse sciebat, de ejus sanitatis recuperatione congavisurus occurrit, castra quæ sibi confœderaverat reddens; quæ fecerat, non jam dolose fecisse ostendit. Porro Guilielmus de Grantamanil turpi illectus avaritia, nec de domini sui recuperatione sanitatis congavisurus, nec, ut urbem quam pervaserat reddens, accedere curavit, sed impudenti fronte fraudem ostentans, eamdem urbem pro posse muniens, contra ipsum ducem, si forte impugnare attentaret, armavit. Comes autem Rogerius, super hac re plurimum indignatus, tamen, ut sapiens vir, quia neptis maritus erat, legato ad ipsum misso, ad reconciliationem contra dominum suum urbem reddendo hortatur. At dum blandimentis minus prævalet, in iram totus prorumpens, jure se et urbem, quam nequiter pervaserat, ablaturum, et omnia, quæ ex licentia ducis ante tenuerat, exhæredato sublaturum.

CAPUT XXII.

Dux et comes Castri villam obsident.

Sicque potius ipse ducem ad expeditionem super Guilielmum urgens quam ipse a duce ad injuriam A ulciscendam submoveretur, exercitu admoto, ab utrisque castri villam obsessum iturus anno incarnati Salvatoris millesimo nonagesimo quarto. Hoc autem operimentum fraudis suæ Guilielmus sibi adaptabat, quod cum ab urbicolis primo infra urbem susceptus est, illis improvisa determinatione jurejurando firmaverat se nunquam alicui urbem redditurum, excepto Ludoviso filio ducis, et hoc quia parvulus erat, post decem annos futuros, fidelitatem, quam duci juraverat, solvere, minoris offensæ vel opprobrii ducens quam quod perjuris et fraudatoribus juraverat. Sic avara ambitio, sed et uxoris prava persuasio mentem juvenis a bono honestoque discernendo proclive cæcatum (*sic*) sibi illexerat. Dux ab omni Apulia equitum peditumque copiis, fratre B Boamundo sibi in auxilium cum Hydruntinis et Tarentinis, et reliquis qui sui juris erant, assumpto, vallem Gratensem, versus Castri villam occupat. Comes vero multa millia Sarracenorum a Sicilia et Apulia conducens, equitum quoque sive peditum Christianorum copias illorsum nepoti occurrere acceleranter non relaxat. Porro Guilielmus de Gratemaniol, auctoritatis viros adversum se conspirasse et obsidionem sibi imminere cognoscens, sese ad defendendum pro posse aptat. Dumque sibi auxilia undecunque ducere nititur quamvis mos sit juvenibus talibus exercitiis causa militaris laudis, sed et quæstus libenter interesse, tam iram comitis quam ducis veriti, minime sibi, cum multa promitteret, C associari præsumebant, maxime quia fortunam sibi adversam, propter quod ipsum cum aliqua inhonestate retorquebant, prænotantes metuebant.

Dux autem in valle Gratensi comitem, dum veniat, sustinet, castrum quod Sancti Mauri dicitur, usque properans deditione civium tali pactione suscipit ut in perpetuum, dum vita comes fuerit, illud Guilielmo non reddant. Inde Rossanam usque pertransiens, quia Guilielmus filios potentiorum civium sibi obsides adduxerat, minus sibi assentientes offendit. Sed quia ipse dux jam ante annum, contra voluntatem Græcorum, qui eidem maxima ex parte principabantur, Græco archiepiscopo ejusdem sedis defuncto, successorem Latinum eligendo subrogaverat, sed necdum sacramento aut sacra unctione firmatus erat, electione Latini frustrata, dum a duce D conceditur ut de sua gente archiepiscopum sibi Græci pro libitu eligerent, favorem illorum adeptus, urbem quoque illorum deditione obtinuit; sed castrum oppugnans, fidelibus Guilielmi renitentibus minime prævaluit. Porro comes, cum exercitu veniens, de duce qui jam tantum profecerat gavisus, juxta castrum Tarsæ super fluvium qui a S. Marco defluit, quo jam dux tentoria fixerat, castrametatus est. Hic Guilielmus; a comite invitatus ut securus ad colloquendum veniat, accessit. Multisque circumventionibus usus, dum et fraudem suam operiret, quæ pervaserat duci restituit. Dux autem jussum

(358) *Pacem.*

(359) *Grantemanil.*

expetendo, Guilielmum exsequens reconciliari sibi, ut judicio comitis cæterorumque prudentum qui intererant virorum jus teneat; quod sibi tandiu injurius extiterat, sacramento et fide promissa obtestatur. Qui sui reatus conscius et judicio prægravari timens, dum renuit; licentia abeundi accepta, castri villam impune redit. Quem dux et comes in crastinum cum omni exercitu subsequenti castrum obsidione vallant, sicque ligno et armatorum copiis sepiendo cingentes, ut nulla ex parte aditus ingrediendi vel aliquid introducendi castrivillensibus esset, sed infra muros modicum victus habentes, dum per tres hebdomadas imminente hoste premuntur, exhaustisque quæ ad victum habebant, Guilielmus, quod ut faceret primo expetebatur, ut si susciperetur expetens, se jus ducis tenere repromittit. Ad quod exsequendum dum fidejussores ad placitum ducis non habet, quæ de ipso habebat, pro plegio ponit. Duci, in sua virtute, usque ad determinatum diem quo jus teneatur deliberatum, per manum comitis securus factus, quod jus exsequi prævaleat, castra sua sibi reddantur. Instante itaque termino juris tenendi, loco determinato convenientes, querimonias suas adversus Guilielmum exponit, sed ille modicum juris habens, dum minus rhetorice argumentatur, judicio his quæ sub duce habet privatur. At dum judicio contradicere molitur, minus facultatis vel juris habens, terris privatus cum uxore ad imperatorem Constantinopolitanum transivit, ubi aliquantisper commoratus, tandem cum multa pecunia rediens, duci, ut pio et misericordi viro reconciliatus, terram quam amiserat, excepto castro quod S. Mauri dicitur, recipit.

CAPUT XXIII.

Comes filiam filio imperatoris Alamannorum dedit.

Cum autem inter Urbanum apostolicum, et Henricum Teutonicorum imperatorem dicerentur dissentiones efferbuisse, quibusdam controversiis inter Conradum ejusdem Henrici filium, ac patrem, quod seriatim longum est enarrare, insurgentibus, Conradus, irato animo a patre discedens, ad apostolicum et Mathildem marchisam quæ ei ex fidelitate adhærebat, se contulit, eorum auxilio plurimum per Italiam rebellis existens. At cum juvenis et sine uxore esset, et sumptibus ad id quod cœperat necessariis minus abundaret, concilio apostolici et præfatæ marchisæ Mathildis per Conradum comitem, quem ad id legationis peragendum direxit, filiam Siculorum Calabriensiumve comitis sibi in matrimonium concedendam expetiit. Apostolicus etiam litteras suas committit, ut sibi familiari et amico, ad hoc idem dirigens, ad concedendum hortatur, dicens sibi magno honori et proficuo futurum, si filia filio regis futuro sponso jungatur, et juvenis S. Romanæ Ecclesiæ fidelitate adhærens, sed sumptibus quibus contra patrem, qui eum injuste oppugnabat, minus sufficiens, quos pater cum filio daret viribus victus ad debellandos inimicos

A sanctæ Dei ecclesiæ prævaleret. Comes autem hac legatione percepta, et suasoriis litteris apostolici viri perlectis, usus concilio fidelium suorum, et maxime Roberti Trainensis episcopi, per quem omnem convenientiam Conradi acquirit, nam Italus erat, et illarum partium gnarus, quod expetebatur, concedit, et ab utrisque partibus exsequendum sacramentis firmare fecit. Nuptiarum itaque die determinato Conradus comes a comite Rogerio pluribus munificentiis honoratus, reditum unde venerat accelerat, anhelumque de relatione legationis dominum, nuptias concessas accelerans plurimum lætificat. Porro comes Rogerius, apparatis his quæ ad effectum congruebant, plurima classe episcopum Trainensem et alios barones suos filiam multis thesaurorum exxeniis ditatam Pisam usque conducere facit ubi filius regis obvius cum omni
B honorificentia suscipiens, authentice dispensata solemnes nuptias celebravit anno Verbi incarnati millesimo nonagesimo quinto.

CAPUT XXIV.

Dux et comes Melfam obsessum vadunt.

Porro dux Rogerius, adhuc juvenis et nil malæ suspicionis adversus aliquem habens, sed ex sui cordis puritate aliorum mentes dijudicans. Longobardos æque ut Nortmannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat, sibi fideles credens, et eorum genus nostræ genti invisum minus discernens, castra sua tuenda eis haud secus ac Nortmannis delegabat. Unde accidit, ut dum apud Malfam idem faciendo minus sibis prospiceret, Malfetani urbe, et castris quæ Guiscardus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro libitu suo utentes, liberam facultatem fraudis suæ exercendæ nacti, ju-
C gum gentis nostræ et ducis, quia moris nostri exsecutor erat, a se excutere, nec tributum et servitium statutum persolvere, sed et ipsi duci ad eamdem urbem accedendi, omnibus fidelibus suis exclusis aditum denegarent. Dux autem, videns tantum damnum sibi illatum, de credulitate quam erga eos habuerat sero pœnitens, a comite et fidelibus suis consilium subjugandi eos requirit. Sicque avunculo comiti, ut sibi attentissime succurrat, medietatem urbis sibi, si subjugare possent, concedens, ab omni Apulia et Calabria navali et equestri exercitu admoto, peditum etiam copiis certatim accelerat, anno Incarnationis Domini millesimo nonagesimo sexto. Urbe itaque a procinctu maris navibus cingentes, per præcipitia circumadjacentium montium equitum et peditum copias prudenter ex consilio et opere comitis ordinantes, undique obsidione vallant. Sic
D itaque urbem opprimendo profecto, ut credimus, obtinuissent, nisi infortunium, tale quale subtitulando adnotabimus intercessisset. Boamundus, namque, ducis auxilio simulato et ab ipso submonitus adveniens, plus fratri ad damnum quam ad proficuum, non tamen ut credimus, ex industria factus est. Ipso anno ex edicto Urbani papæ expeditio

versus Hierusalem ab undique terrarum ferventissima erat. Boamundus autem, qui jam dudum cum Guiscardo patre Romaniam pervaserat, et semper sibi subjugare cupiens erat, videns plurimam multitudinem per Apuliam, sed sine principe illorsum accelerare, princeps exercitus sibi eos alligando fieri volens, signum ejusdem exdeditionis, crucem videlicet vestibus suis apponit. Porro juventus bellica totius exercitus, tam ducis quam comitis, novarum rerum, ut in tali ætate assolet appetens, visa cruce Boamundi, et ab ipso submoniti ad id faciendum certatim concurrunt; sicque crucibus sumptis, fines Christiani nominis ulterius non attentare, donec paganorum fines pervadant, absque cunctatione voto obligantur. Dux autem et comes exercitum suum maxima ex parte sibi taliter defecisse videntes, trister evpeditionem solvunt. Sicque urbe, pene usque ad deditionem vexata, tali infortunio privantur. Boamundus mare transiit. Dux in Apuliam secedit. Comes Siciliam revertitur. Urbs oppressione gaudens liberatur.

CAPUT XXV.

Rex Hungarorum filiam comitis in uxorem capit.

Alamannus autem rex Hungarorum, audiens famam Siculorum gloriosi comitis Rogerii, legatos dirigens filiam suam in matrimonium concedi expostulat. Ille vero, quamvis honesti viri, qui ad hoc venerant essent, tamen illos honeste a se dimittens, de suis etiam, ne fallatur, cum ipsis dirigens remandat ut, si exsecutum quod cœperat velit, alicujus auctoritatis gradus vel ordinis personas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exsequi Arduinum Joviensem episcopum et Thomam comitem idem expostulatum mittit. Comes autem, eos honeste accipiens, secum detinuit, de suis honestos et callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præsentia a posterioribus regionis illius exsequenda postulabatur juramento firmare cogi. Quod rex libenter annuens per suum ducem, nomine Alivum, et reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandaverat, exsequenda juramento firmavit. Sicque legatos comitis, ut pactum firmatum renuntiant (360), munificatos a se dimittit. Comes autem relatione suorum accepta (361) haud secus et ipse (362) legatos regis a se dimittens, pluribus honoribus a se compilavit (363); regi terminum, quo sibi filiam suam mittat, statuit. Anno itaque incarnationis (364) millesimo nonagesimo septimo, apparatis quæ necessaria erant, mense Maio cum trecentis militibus usque

A Thermas conducere facit Henricum Lescastrensem episcopum, et quosdam de fidelibus suis abinde, maritimo cursu usque Pannoniam, cum puella procedere faciens (855), qui navibus apparatis, puellam cum multis sponsalibus intromittentes (366), velis vento commissis, prospera aura flante per æquora feruntur (367): usque dum in portum Albæ, qui juris regis Hungarorum (368) est, impune applicant. Hic Vincurius comes, Bellegratæ (369) missus cum quinque millibus armatorum obvius fuit, eamque (370) cum his qui cum ea (371) venerunt decenter excipiens (372), usque ad regem perduxit. Per totam Pannoniam (373) nuptiæ regis præconizantur. Undique cum enxeniis (374) concurritur. Et cum semper frequens et numerosa (375) manus ex more cum rege innumerabilem (376) turbam plus solito (377) nuptiarum, et novæ reginæ visendæ appetitis (378) conflavit, die terminato, præsentibus ar-
B chiepiscopis et episcopis, et diversis ordinibus dos puellæ legali more (379) in publico protestatur. Rex et regina catholice pariter desponsantur, solemnesque nuptiæ in tentoriis et ex virentibus ramis tabernacutis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini sufficiebant. Nuptiis itaque regalibus expletis, rex episcopum Lecastrensem, et qui cum ipso reversuri advenerant, aliquantisper secum commorari faciens, ut videt de egressione festinos, legaliter munificatos a se dimisit. Illi, ad portum venientes, maritimo cursu regredi accelerant. Jamque nostræ gentis fines appropiantes, cum terram eminus conspiciunt, navicula, in qua episcopus erat, sociis armis carentibus, a duabus piratarum navibus, quas galeas appellant, hostiliter aggreditur. Nauclerus, qui navim regebat; jaculo confossus colliditur; navis remige carens submersionem minatur. Episcopus, nullum refugium armorum habens, sed neque hostibus deditionem subire volens, Dei
C auxilium implorans, socios hortatur. Ipse idem faciens inter alia subjungit: Deus, inquit, si meis peccatis exigentibus minus mereor exaudiri, exaudiar saltem per gratiam quam erga progeniem Tancredi te habere multoties ostentasti. Hic enim interceptus sum pro servitio filii sui. Nondum dixerat, et ecce, aura intercurrente, navis in qua erat ab hostibus avulsa securiores reddit, videns navim absque remige directo cursu ad jacentem insulam tanta velocitate per rapidas equoris undas ferri, ut hostiles naves remige et velis insequentibus minus adversus illam velocitatem prævalerent. Sicque directo cursu divinitus, ut credimus, regebatur, ut

(360) *Confirmatum renuncient.*
(361) *Suscepta.*
(362) *Ipsos.*
(363) *Ampliavit.*
(364) *Domini* 1097.
(366) *Maritimo cursu cum puella usque ad Panormum præcedere faciens, ubi puellam,* etc.
(366) *Introductione.*
(367) *Ferentur.*
(368) *Quem juris regnum Hungarorum.*
(369) *Viricurius comes Bellagrate.*

D (370) *Sit, eumque.*
(371) *Ipsa.*
(372) *Recipiens.*
(373) *Provinciam.*
(374) *Exeniis.*
(375) *Umbrosa.*
(376) *Cum rege sit innum.*, etc.
(377) *Rumor.*
(378) *Videndæ appetitus.*
(379) *In regali more.*

cum idem portus condensis syrtibus insitus arto et periculoso aditu, nisi a peritis nautis attentetur, ad insulam pateat, impune scopulosas undas placito portu applicarent. Hostibus itaque frustratis recedentibus, ipsi prospero æquore, in quo disponebant applicantes ad comitem perveniunt, ordinem actionis suæ exponentes. Quis dubitet progeniem hanc divinitus quadam felicitate denotatam, cum in suis utilitatibus ubi ... putes fuisse narrantur tot felicibus successibus, fortuna etiam in suis fidelibus, ubi sua negotia exsequebatur, defuisse passa non sit? Ad nominationem quippe gratiosæ fortunæ eorum navis hæc erepta est ab impugnatione hostium.

CAPUT XXVI.

Comes Capuam obsidet cum duce Rogerio et principe Ricardo.

Comes ergo, totius progeniei suæ sustentator, citra Romam versus Siciliam, sicuti maria ab undique cingunt, abundantia rerum et industria callentis sapientis consilii præcellebat, unde et omnes sua negotia ad ipsum conferebant, ut sua prudentia, ut ferrum cote a comite resumpto ad sua disponenda prudentius callerent, et ejus, ubi necesse foret, auxilio potirentur. Porro ipse omnes, quemadmodum gallina pullos sub alas, clypeo suæ protectionis et consilii fovens, ut pius patronus re et consilio, prout poterat, omnibus omnino defavebat. Unde accidit ut Ricardus juvenis, Jordanis principis filius, princeps et ipse Aversæ defuncto patre orbus pusillus superstes, fraude Longobardorum urbe Capuana injuste jamdudum privatus, cum jam ad intelligibilem ætatem pervenisset, damnum sibi illatum videns, et dolens, ac de auctoribus ultionem petere disponens, ad sibi consanguineum comitem prudentes viros supplex illorsum, ut sibi auxilium laturus accelerare non differat cum servitio suo vice recompensationis Neapolim, quæ sibi similiter recalcitrabat, si prævalere posset, fiducialiter concedens. Dux, ut qui parti consanguinei principis favebat, non viliori legato quam laterali conjuge Adala, videlicet marchionis Flandrensis filia ne cum exercitu venire differat, ac sibimet auxilium laturus summopere invitat. Princeps, causa auxilii quod ab ipso sperabat, homo ducis factus fuerat; quod nunquam Guiscardus, cum multarum artium et virium esset, a Jordano principe, quamvis hic avunculus, ille autem nepos, sororis videlicet filius esset, vel vi vel blandimentis extorquere potuit, cum sæpissime attentatus fuerit. Comes autem pietate consanguinei principis et multis verbis ducissæ sibi a duce delegatæ, legatione deprecatoris et humilitate exponentis illectus et persuasus, exercitu qualem nunquam antea habuisse dignoscitur, ab omni Sicilia et Calabria forti imperio conflato (380), prima hebdomada Aprilis, secunda pace (381) Pharum transiens, illorsum accelerat, sed in prato Marco aliquantisper commoratus, exercitum (382) maris transmeatione, et arcto scopulosorum montium transitu tardantem (383), dum veniat sustinet, videns juga (384) montium Calabriæ gregibus (385) armentorum et pecorum (386, sed et caprarum, in usus Sarracenorum, quorum maxima pars exercitui (387) intererat, occupari, ut merito a collatione similis argumenti, gregum Laban, et Jacob (388), si legisses, vel certo (389) deferente, didicisses, recordari poteras (390). Congregato exercitu, quis armatorum millia enumeret, cum ipsa tentoria bitumine palliata vix ullo numero concludi potuerunt? Tam pomposo plus solito exercitu comes Apulos fines visum intendit, maxime quia Apuli expeditionibus aliquo annorum curriculo desueti, corpus nullis plagis et diutinis laboribus fatigando, quin recreando, sibi potius indulgere quam expeditionibus iterum asssuescendo insudare nitebantur; unde et ipsum ducem, quasi principis præsentialiter auxilio destitutum minus verebantur, sed per loca adversus eum insurgendo, in insolentiam prorumpentes ejus jussa minus exsequebantur. Dux quoque simili argumento, de ejus versus Apuliam expeditionaliter adventu minus credulus, nam cupienti nihil satis festinatur, ut seipsum submovendo extrahat, versus Calabriam accelerat. Versus Apuliam proficiscenti apud Liscum juxta castrum Orioli occurrit, multumque ad invicem lætati, dux quidem versus Melfam exercitum submovendo accelerat; comes autem ne greges sui deficerent, iter conficiens Beneventum venit, ibique in planitie super fluminis ripam Calorii, ad pontem S. Valentini castrametatus est. Beneventani autem ejus adventum pertimescentes, pacem expostulantes jam triduo occurrunt. Comes autem sciens urbem juri apostolici Urbani et sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere, susceptis mille quingentis aureis et sex ambulatoriis urbi et messibus suis parcendum indicit, indeque pertransiens super fluvium quod Sabbatum dicitur, tentoria figens Pentecosten celebravit. Ipse quidem legatos jam pridem Capuanis honestos viros præmiserat, submonendis hortando ut ab inepto incœpto desisterent. Se illis nil mali inferre velle, sed potius, si cum principe suo jus exsequi velint, eorum parti cum justitia sustentata tutamento esse. At ubi legatis regredientibus eos nil moliri, sed potius in malitia sua superbe persistere audit, inde commovens Capuanos fines pervadit, quo diluculo cum mille armatis exercitum præcedens ad urbem accedit

(380) *Constans.*
(381) *Pasche.*
(382) *Exercitus.*
(383) *Et arcos Consorum montium transitum tardante.*
(384) *Videri super juga*, etc.
(385) *Greges.*
(386) *Pecorum in usus.*
(387) *Exercitus.*
(388) *In Jacob.*
(389) *Certe aliquo.*
(390) *Potuisses.*

extractos plurimos militariter dejectos damnose ludificavit, multosque amplius læsisset, ni pulvis equorum, pedibus excitatus et a vento condensissime agitatus intercessisset. Sic ad castra sua reversus in crastinum cum toto exercitu, urbi se viciniorem conferens, a meridiana plaga obsidione vallando, a ripa orientali usque in occidentalem cingit. Dux autem et princeps, cum suo exercitu ab aquilonari parte obsidentes, urbem tendunt prægravari. Porro comes, cujus consilio omnes incedebant, quia sollicitior, quia prudentior in omnibus agendis vigilanti cura erat, pontem ex lignis erigens, ita trans flumen ordinavit ut suo exercitui, et ducis, libero aditu patente, fieret transitus. Sicque urbs ab utroque exercitu in tantum oppressa est, ut nulla ex parte, arida vel liquida, egrediendi tuto vel ingrediendi aditus pateret; ipse autem omni diluculo ante lucem surgens, utrumque exercitum, pontem transeundo invisens, utrum attenti essent ad excubias visum ibat, ducemque et principem adhuc somno oppressos inveniens, ludibrio habebat. Porro ipsi rubore perfundebantur, quod juvenes ipsi, et ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores forent, comite, provectioris ætatis, et corporis plagarum laborumque asperitatis viro vigilantiore existente. Nam et ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat, omnesque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur, anno Dominicæ Incarnationis 1097, ibi se imprægnavit comitissa Adalasia de comite Rogerio.

CAPUT XXVII.

Urbanus papa ad ipsos tendens pacem componere nititur.

Cum ista aguntur, papa Urbanus, colloquium ducis et comitis desiderans, a Roma progrediens, apud Capuam, ubi obsessionem tenebant, venit; comesque sex tentoria illi deliberans ad hospitandum, sumptus necessarios abundantissime ministravit. Porro ipse sciens scriptum: *Beati pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* x); et: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v); et alibi scriptum est: *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum* (*II Cor.* XIII), et maxime quia sciebat, totius Christianitatis curam suæ provisioni delegatam, de pace inter ipsos reformanda primo ducem, et comitem, principemque pariter conveniens attentare cœpit. Qui consilio comitis prudenti responsione usi, in præsentia apostolici, copia beati Petri dicunt se jus inire, si a Capuanis pari discrimine idem exsequatur, concedunt. Papa infra urbem idem de Capuanis rescitum vadens, dum ab utrisque partibus conceditur, spe conficiendæ pacis frustra gaudens, renuntiat. Dies disputandi statuitur. His opponentibus, et illis, prout sese res habebat, respondentibus, gravi syllogismo Capuanis, a judicibus legaliter conclusio determinatur. Capuani, audientes se judicio prægravari, vel oppositione vel rationabili contradictione contra judices usi, publice se injuriosos ostentantes, exsequi vel nolle, vel non posse denuntiant. Quod audiens vir apostolicus, et quia hæc ab illis exsequendi internuntius fuerat, aliquantulum erubescens, gladio beati Petri animadvertens interminatur, parti nostrorum ex toto favendo se contulit, constantiam comitis in fortia exercenda perplurimum laudans, vitamque ejus omni cura Romæ et Italiæ pernecessariam asserens. Nam timor ejus plures ab insolentia plusquam zelus honestatis compescebat. Apostolicus itaque ecclesiasticis negotiis, plusquam expeditionalibus exercitiis intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus principibus, sed et omni exercitui apostolica benedictione concessa, Beneventum secessit.

CAPUT XXVIII.

Capua capitur, et principi Ricardo restituitur.

Comes autem cum duce et principe in oppugnatione urbis attentissime persistens, machinamenta ad urbem capiendam artificiosissime aptant. Capuani primo ludibrio habere, contemnere, ad defensionem sese ad invicem cohortari; duci tamen, vel comiti se, si retinendo recipere velint, urbem reddere attentant. Sed nobilissimi principes hanc fraudem sibi nullatenus assumere volentes, nisi ut principi reddantur, acquiescere passi non sunt. At ubi Capuani machinamenta apparata versus urbem appropiare vident, quæ prius ludibrio habebant exhorrescentes, deditione urbis sese, consilio comitis, committunt. Sicque ipso mediatore usi, vix suæ fraudis impunitas impetratur. Principi pro libitu suo urbs Capuana restituitur. A principe duci et comiti gratiæ referuntur. Dux et comes apud Salernum pariter digrediuntur. Princeps urbem suo libitu vindicans, in altiori turri triumphaliter hospitatur.

CAPUT XXIX.

Urbanus papa legationem Siciliæ et Calabriæ comiti concedit.

Papa, urbem redditam et pacem inter ipsos factam audiens, et gaudet de fraude compressa et de pace confecta; sed quia ducem et comitem Salernum secessisse audivit, nolens comitem, donec sibi loquatur, versus Siciliam remeare, illorsum accelerat. Veniensque cum archiepiscopis apud Sanctum Matthæum, ut cum debito honore eum acciperet, cum processione præstolatur, et tamen, propter amicabilem venerationem quam versus comitem habebat, primum ad ejus hospitium cum amabiliter visum vadit, diuque ejus colloquio usus, ad processionem, quæ præstolabatur, suscipiendus accessit, in castrinumque convenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipse apostolicus jamdudum Robertum episcopum Trainensem, comite inconsulto, legatum in Sicilia, ad exsequendum jus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc comitem grave ferre, et nullo modo, ut stabile permaneat, assentire, cognoscens etiam ipsum comitem in omnibus negotiis ecclesiasticis exsequendis zelo divini ardoris exfervescere, cassato quod de episcopo Trainensi fecerat,

legationem beati Petri super comitem per totam Siciliam, vel habendam (391) hæreditaliter ponit, ea discretione ut, dum ipse comes advixerit, vel aliquis hæredum suorum, zeli paterni ecclesiastici exsecutor superstes fuerit, legatus alius a Romana sede, ipsis invitis nullus superponatur; sed si qua Romanæ Ecclesiæ juris exsequenda fuerint, chartulis a Romana sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipsos consilio episcoporum earumdem provinciarum authentice definiantur. Quod si episcopi ad concilium invitati fuerint, quot et quos ipsi comiti, vel suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant, nisi forte de aliquo ipsorum in concilio agendum sit, in Sicilia vel Calabria in præsentia sua authentice definiri nequiverit, et ad hoc commissum perpetualiter permanendum, privilegio suæ auctoritatis firmavit, cujus sententiam subtitulamus :

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio R. comiti Calabriæ et Siciliæ, salutem et apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ majestatis dignatio multis triumphis et honoribus exaltavit, et probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, sanctæque sedi apostolicæ devotam se mults modis semper exhibuit, nos [te] in specialem atque charissimum filium ejusdem universalis. Ecclesiæ assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius qui legitimus tui hæres exstiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus ; quinimo, quæ per legatum acturi sumus, per vestram industriam legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere nostro miserimus, ad salutem videlicet Ecclesiarum quæ sub vestra potestate existant, ad honorem beati Petri, sanctæque ejus sedis apostolicæ, cui devote hactenus obedisti, quamque in opportunitatibus suis strenue ac fideliier adjuvisti. Si vero celebrabitur concilium, tibi mandavero quatenus episcopos et abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, et quos volueris mittas, alios ad servitium Ecclesiarum et tutelam retineas. Omnipotens dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat, et te a peccatis absolutum ad vitam æternam perducat. Dat. Salerni per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi III Nonas Julii, indictione VII, pontificatus domini Urbani secundi XI.

Explicit opus Gaufredi monachi.

APPENDIX ET CODICE MARCHIONIS JARRATANÆ

AD ULTIMUM CAPITULUM LIBRI IV

HISTORIÆ GAUFREDI MALATERRÆ

Post hæc piissimus comes, occulto Dei judicio penitus virili progenie orbatus, fusa ad Deum prece in spe sobolis procreandæ uxorem suam cognovit, in eaque filios et filias generavit. Qui usque ad senectutem honestissimam agens vitam plurimum in ædificatione ecclesiarum intentus, easdem prout insoluta ipsius posteritas adhuc et regit et conservat per totam terram suam copiose dotando, et virorum psallentum religiose atque decenter ordinando, pius orphanorum et viduarum protector ac munificus pauperum Christi sublevator exstitit. Cumque iis et filiabus proficiendo semper in melius honestæ sanctitatis exemplum cunctis existeret, tandem, necessaria humanæ conditionis lege naturalem in ea dissolutionem operante, illam illustrem animam tanta collustratione ut meritorum agnitione insignitam ad desiderata beatorum collegia ante conspectum divinæ majestatis expirando delegavit, corpusque ejus apud Melitam, in ecclesia quam ipse fundaverat, honorifice, ut tantum virum decebat, sepultum est.

Post hunc Simon filiorum primogenitus regnum accepit. Qui per paucos vivens annos, graves ab Apulis mutationes sustinuit. Huic successit ille hominum maximus, a Deo dilectus et benedictus unicus leo, et pacis firmamentum, Rogerius mundi admiratio, virtutum omnium splendor, et pro regibus heros sapiens et immensus omnia, prius tamen comes, postea Dei multum imcomparabili ejus sapientia operante, dignus dux Feracis Apuliæ et Capuæ principatus, ad ultimum rex Siciliæ, Tripolis, Africæ, potentissimus fines imperii sui longe lateque multiplici terrarum acquisitione ampliavit: ad cujus laudes et gesta probitatis singulariter referenda quoniam Ciceronis eloquentiam insufficientem fuisse reputo ; ego qui fere nullus sum, tantæ gravitatis onus mihi adhuc incognitum in præsenti tentare formido.

(392) Anno Domini 1027, decimo sexto Kalendas Augusti, Gaytus Maymonus Hispanus Sarracenus Pactas et terram Syracusanam infra dies septem vastavit, prædavit et incendit, utriusque sexus de

(391) *Et sui juris Calabriam habitam.*
(392) Appendix altera, sive brevis Chronologia ex supra citato codice Jarrataneo. CARUSIUS.

hominibus partem occidit, et partem captivavit. A

Anno Domini 1032, Stratigotus primus Georgius patricius et Maniachus cum duce ceperunt civitatem Messanæ, et ipso anno commisit bellum. Idem Maniacus ignoratur cum quibus adeptus est victoriam.

Anno Domini 1060, Kalendis Augusti captus fuit Innocentius papa a dicto rege Rogerio rege Siciliæ in civitate Captinata.

Anno Domini 1101, indictionis nonæ mense Julii, obiit maximus comes Rogerius pater regis Rogerii.

Anno Domini 1118, Nonæ indictionis, obiit Adelasia Regina Jerosolomitana mater regis Rogerii.

Anno Domini 1149, mense Julii, Africa capta fuit ab eodem rege Rogerio.

Anno Domini 1154, obiit Rogerius rex Siciliæ ducatus Apuliæ, et principatus Capuæ.

Anno Domini 1164, pridie Nonas Februarii subversa est civitas Cathaniensium a terræmotu, in qua subversione omnes monachi cum episcopo eorum oppressi fuerunt.

Anno Domini 1166, obiit rex Guillelmus primus filius regis Rogerii.

Anno Domini 1178, Idibus Septembris decimæ tertiæ indictionis sol passus est eclypsim : in hora nona stellæ apparuerunt.

Anno Domini 1182 (?), regina Margarita mater regis Guillielmi secundi cœpit fabricare, ædificare et dotare monasterium Maniacentium.

Anno Domini 1187, mense Julii, vigilia Præcursoris Domini capta est Jerusalem a Saladino Soldano Babiloniæ.

Anno Domini 1189, indictione septima obiit rex Guillelmus secundus. Eodem anno, eadem indictione, mense Martii, rex Tancredus fuit coronatus rex Siciliæ, et receptus in palatio Panormi.

Anno Domini 1194, vigesimo die Februarii, obiit dictus rex Tancredus.

Anno Domini 1195, dominus Henricus imperator receptus est in palatio Panormi ultimo mensis Novembris. In quarto die post festum Nativitatis Domini cepit regem Guillelmum filium regis Tancredi, quantitate comitum et baronum istius regni et devastavit eos.

Anno Domini 1198, abiit dominus Henricus imperator.

Anno Domini 1198, Fredericus filius domini Henrici imperatoris de civitate Panormi fuit rex Siciliæ coronatus. Et in eodem anno domina Constantia mater ejus obiit.

Anno Domini 1200.... decimo quinto mensis Augusti duodecimæ indictionis, domina Constantia de Aragonia applicuit Panormi, et dominus rex Fredericus in eodem mense desponsavit eam.

Anno Domini 1212, anno nativitatis domini regis Frederici decima quarta indictione, anno regni ejus undecimo. Ipse vero vocatus fuit ab Innocentio papa III ad coronam imperii ab anno nativitatis suæ anno decimo sexto.

Anno Domini 1216, celeberrimum concilium celebratum est sub Innocentio papa III.

Anno Domini 1219, indictione septima, quinto die intrante mense Novembris, Damyata principalis civitas Amaleth a Christianis fidelibus capta fuit, et Christicolis dominio detinetur.

Anno Domini 1220, mense Novembris, nonæ indictionis dominus rex Fredericus una cum domina uxore sua regina Constantia coronam imperii susceperunt a domino papa Honorio III. In eodem anno Damyata fuit perdita a Christianis

Anno Domini 1221, decima indictione, dominus Fredericus imperator ivit cum magno exercitu super Sarracenos Jacis, et cepit Benaveth cum filiis suis, et suspendit apud Panormum.

B Anno Domini 1222, undecima indictione, domina imperatrix Constantia obiit apud Cathaniam. Et in eodem anno dominus imperator cepit Celanum, et ejecit comitem Thomasium de Celano de regno.

Anno Domini 1223, duodecima indictione, dominus Fredericus imperator misit exercitum suum in Gerbis, et cepit illos, destruxit et captivavit.

Anno Domini 1224, decima tertia indictione, dominus Fredericus imperator misit exercitum magnum super Sarracenos Siciliæ, et remanserunt in montanis, et magnum guastum semper annuatim faciebat super illos, usquequo descenderunt cum magno opprobrio, et fecit illos morari in plano Siciliæ in casalibus.

Anno Domini 1227, prima indictione mense Junii, C dominus Fredericus imperator secundus transivit in partes ultramarinas, et ibi accepit coronam ejusdem regni. Et in eodem anno antequam transiret, domina imperatrix uxor sua obiit. Et rex Corradus natus fuit. Et in eodem anno papa Gregorius suscepit papatum Romæ.

Anno Domini 1225, decima quarta indictione, dominus Fredericus imperator accepit uxorem filiam domini regis Joannis, nominis Isabella.

Anno Domini 1228, secunda indictione, dominus imperator reversus fuit in regnum.

Anno Domini 1229, tertia indictione in dicto mense Augusti dominus imperator fecit pacem et concordiam cum domino papa Gregorio. Et intrante mense Septembris quartæ indictionis mansit in Anania cum domino papa tribus diebus.

D Anno Domini 1230, quarta indictione, dominus imperator tractavit, vel fecit tractare Constitutiones suas.

Anno Domini 1231, quinta indictione dominus imperator misit ipsas Constitutiones suas per totum regnum, et in Siciliam per dominum Reccardum de Montenigro, qui erat magister justitiarius Siciliæ. Et in eodem anno mense Augusti dictæ indictionis Martinus Ballonus se rebellavit contra dominum imperatorem cum aliquantis hominibus Messanæ. Et ipse magister justitiarius arripuit fugam. Et dictus Martinus causa timoris domini imperatoris similiter arripuit fugam, et fuit captus cum sociis suis apud Maltam.

Anno Domini 1232, sexta indictione, dominus imperator, mense Aprilis ejusdem indictionis, venit Messanam, et succedit dictum Martinum Bellionem. Et in eodem anno similiter fecit apud Syracusam et Nicosiam.

Anno Domini 1233, septima indictione, Matthæus Marchafaba fuit constitutus secretus Siciliæ et Calabriæ.

Anno Domini 1234, octava indictione dominus imperator Fredericus ivit Alamaniam.

Anno Domini 1235, nona indictione, dominus imperator Fredericus II accepit uxorem, sororem regis Angliæ. In eodem anno cepit filium regem Henricum, et restituit eum in carcere usquequo mortuus fuit apud Maturanum, et sepultus fuit in ecclesia Cusentina.

Anno Domini 1236, decima indictione, ultimo mensis Novembris, dominus imperator ivit Lombardiam cum magno exercitu; et ivit super Mediolanum, et cepit Corrocium Mediolanensium.

Anno Domini 1236, undecima indictione, mense Februarii, natus fuit, rex Henricus filius domini imperatoris de uxore sua tertia, quæ fuit soror regis Angliæ. In eodem anno dominus imperator obsedit terram quæ dicitur Brixa, et nihil prevaluit in ea.

Anno Domini 1237, duodecima indictione, primo mensis Augusti, Marchafaba secretus obiit. Item eodem anno papa Gregorius excommunicavit dominum imperatorem Fredericum.

Anno Domini 1238, decima tertia indictione, fuit secretus Siciliæ Major de Brancadoria; et justitiarius Siciliæ Guillelmus de Anglone, et permanserunt in officio eorum per spatium mensium septem. Et in mense Junio dictæ indict., fuit secretus Siciliæ Ubertus Fallamonica, et justitiarius Petrus de Calabria, et capitaneus Rogerius de Amicis.

Anno Domini 1239, decima quarta indictione, prælati Franciæ capti fuerunt a domino Frederico imperatore tempore domini Gregorii papæ. Et in eodem anno idem dominus papa obiit.

Anno Domini 1240, decima quinta indictione erat justitiarius in Sicilia Petrus de Calabria. Et in eodem anno Rogerius de Amicis ivit ad Soldanum Babiloniæ.

Anno Domini 1241, primæ indictionis, Ubertus de Fallamonica de mandato domini imperatoris ivit apud Maroccum. Et in eodem anno Soldanus de . . . . et . . . . insiluerunt Christianos qui habitabant Jerusalem et ceperunt illos, occiderunt et captivos duxerunt. Et in eodem bello fuit mortuus ille Perfectus episcopus Sancti Georgii de Rama, et dominus Guaterius de Breta, dominus Jopen. Et in illis diebus dominus Rogerius de Amicis manebat Babiloniam, et in Cayrum cum Soldano.

Anno Domini 1242, secundæ indictionis Rogerius de Parisio fuit capitaneus Siciliæ. Guilelmus de Taraum justitiarius.

A Anno Domini 1243, tertiæ indictionis, dominus Serrebaldus cardinalis suscepit papatum Romanum; et statim ivit per mare apud Januam, et postea ivit usque Ludunum [Lugdunum], et permansit ibi per spatium annorum sex. Item eodem anno, mense Julii ejusdem indictionis omnes Saraceni de Sicilia tanquam rebelles ascenderunt in montana, et ceperunt Jatum et Antellam.

Anno Domini 1244, quartæ indictionis, mense Martii ejusdem indictionis, Tibaldus, Franciscus et Guilelmus de Sancto Severino, et alii comites et barones de regno ceperunt terram Capacii et ipsius castrum tanquam rebelles, et dominus imperator Fredericus secundus obsedit eos, et in medietate mensis Julii ejusdem indictionis cepit eos omnes, captis

B omnibus hominibus qui manebant cum illis, et transportavit illos, et in terra Neapolis omnes illos succendit. Et inde nobilioribus mulieribus regni cepit, et misit illas in carcere apud Panormum, et nunquam postea comparuerunt. Item eodem anno, mense Julii ejusdem indictionis, fuit constitutus in Sicilia justitiarius dominus Hugo de Casino.

Anno Domini 1245 indictionis quintæ, de mandato domini imperatoris comes Reccardus de Caserta ejecit omnes Sarracenos de Sicilia, et misit illos apud Noceriam in Apulia. Item eodem anno dominus papa Innocentius celebravit magnum concilium apud Lugdunum cum prælatis ultramontanis, et non de regno, præter dominum Reccardum Panormitanum archiepiscopum, qui ibi missus fuit a domino imperatore.

C Anno Domini 1247 indictionis septimæ; dominus imperator Liodaycus rex Francorum transivit in partes ultramarinas, et permansit in insula Cypris in mense Junii ejusdem indictionis et in eodem mense transivit viriliter usque mare Damiatæ, statim cum magno gaudio cepit ipsam terram.

Anno Domini 1248 indictionis octavæ mense Aprilis ejusdem indictionis dominus rex Francorum perdidit dictam terram Damiatæ, et Soldanus Babiloniæ recuperavit eam.

Anno Domini 1250 indictione nona, mense Decembris ejusdem indictionis, dominus imperator Fredericus secundus obiit in Apulea, in terra quæ dicitur Florentinum, et corpus ejus applicuit Messanæ decimo tertio Januarii dictæ indictionis, et

D mansit corpus ejus de die in diem aliquantis diebus in ecclesia Pactensi, tempore domini Philippi episcopi ejusdem terræ, et fuit coductum postea apud Panormum, et ibi fuit sepultum. Dominus Henricus rex filius domini imperatoris procreatus de uxore Angliæ decimo nono die mensis Januarii dictæ nonæ indictionis applicuit Messanam, et cum gaudio magno fuit ibi receptus.

Anno Domini 1250 indictione decima, mense Januarii ejusdem indictionis, dominus rex Corradus filius domini imperatoris venit de Alamanea per mare cum magno extolio misso per dominum principem, qui erat Ballius totius regni de mandato

domini imperatoris, et applicuit in Apuleam octavo Januarii dictæ indictionis.

Anno Domini 1252 indictione duodecima, mense Octobris ejusdem, civitas Neapolis capta fuit ab eodem domino rege Corrado. In mense Maii ejusdem obiit, et sepultus fuit Messanæ. Item eodem anno mense Januarii ejus indictionis rex Henricus prædictus obiit.

Anno Domini 1253 indictione decima tertia, mense Novembris ejusdem indictionis, Innocentius papa IV intravit Neapolim cum magna exsultatione, quia dominus princeps voluit, et per licentiam suam intravit in regnum. Et in illis diebus fuit interfectus Borellus de Anglone. Et intrante mense Decembri dictæ indictionis dominus papa Innocentius obiit in eadem terra Neapolis, et ibi fuit sepultus; et statim dominus Alexander papa suscepit papatum Romanum, et mansit in terra Neapolis, usque in mense Maii dictæ indictionis. Item in eodem anno, mense Decembri decimæ tertiæ indictionis, dominus princeps recuperavit Luceriam et Vehinengiam; in qua interfectus fuit Joannes Maurus, et postmodum recuperavit civitatem Melliæ, et destruxit civitatem Rapullæ nolentem se reddere in eum. Et in mense Februarii decimæ tertiæ indictionis, universitas civitatis Messanæ ejecit comitem Petrum Russum de Calabria ab eadem civitate cum tota familia sua, misit domino principi ut veniret et acciperet Messanam cum tota Sicilia. Et postea sinistro consilio habito miserunt magnum exercitum contra exercitum domini principis prædicti in Calabria, in contrata quæ dicitur Corona. Et exercitus domini principis insiluit in prædictum exercitum Messanæ, et pessime prævaluerunt in eum : videlicet alios interfecerunt, et alios vulneraverunt, et alios produxerunt, et alios ceperunt, et parum ex eis evaserunt. Item mense Augusti prædictæ decimæ tertiæ indictionis universitas Messanæ destruxit terram Tavormenii eo quod molebat obedire mandato eorum. Item eodem anno mense Octobris decimæ quartæ indictionis universitas Messanæ misit Romam, et elegit potestatem dominum Jacobum de Ponte, et permansit in potestate usque ad medietatem mensis Maii prædictæ indictionis; et cum eo venit dominus Joannes de Columnis Messanensis archiepiscopus missus a domino papa.

Item anno Domini 1254, indictione decima quarta, mense Aprilis, Henricus de Abbate cum exercitu Vallis Mazzariæ cepit Panormum, et fratrem Businum legatum, et tota Sicilia se convertit ad dominationem domini principis, præter Platiam, Castrum Joannem, et Aydonem.

Item anno Domini 1255, decima quinta indictione comes Fredericus Lancea venit vicarius in Sicilia, et congregatis baronibus Calabriæ Vallis gratis terræ Jordani, et totius Siciliæ, ivit cum magno exercitu super Platiam, et obsedit et cepit ipsam; et quamdam quantitatem hominum ipsius terræ interfecit. Et postea ivit super Castrum Joannem, et Aydonem, et homines earumdem terrarum converterunt se ad dominium domini principis. In eodem anno fuit justitiarius Philippus de Aterno.

Item anno Domini 1256 indictionis primæ, fuit justitiarius Siciliæ Bernardus de Acquaviva. In eodem anno mense Aprilis primæ indictionis dominus princeps Manfredus venit Messanam, et postea ivit Panormum; et ibi fecit congregari omnes prælatos et barones totius regni; et ad electionem eorum dominus princeps fuit coronatus rex Siciliæ decimo die mensis Augusti, primæ indictionis, cum maxima lætitia et exsultatione.

Item anno Domini 1257, indictione secunda, comes Fredericus Maletta venit capitaneus in Siciliam, et justitiarius fuit Fredericus de Avenis Arenes.

Item anno Domini 1258 indictionis tertiæ, mense Maii, Gabbanus Theotonicus interfecit eumdem comitem Fredericum Malettam ante montem Trapani, et idem Gobbanus ascendit in eumdem montem; et ipse una cum hominibus ipsius montis calcaneum rebellionis erexerunt contra dominum regem Manfredum, negantes nomen ejus; et dominus comes Fredericus Lancea cum exercitu magno obsedit prædictum montem, et mense Octobris indictionis ejusdem cepit prædictum montem cum hominibus ejusdem, et fecit eos ab inde discedere, et quosdam eos devastavit.

Anno Domini 1263, nona indictione, comes Carolus intravit Romam in æstate; mense vero Aprilis ejusdem indict., dominus rex Manfredus misit extolium suum apud Marsiliam ad obsidendum eam.

Anno ejusdem Incarnationis 1265, indictione nona, comes Carolus cepit pontem Ciplanum, et turbata est civitas Neapolis. Et postmodum idem comes cum exercitu suo venit apud pontem Valentinum in partibus Beneventi, et die Veneris vigesimo secundo mensis Februarii prævaluit in eumdem regem Manfredum cum exercitu suo, et habuit victoriam super eum.

Item anno dictæ Incarnationis, ejudem nonæ indictionis, die Sabbati, decimo tertio mensis Martii, civitas Messanæ elevavit vexillum prædicti comitis Caroli; et die Jovis pimo mensis Aprilis ejusdem indictionis, comes Philipus de Monteforti venit vicarius in Siciliam pro parte ipsius comitis Caroli.

WILLELMUS I

DUX NORTHMANNORUM ET REX ANGLORUM

COGNOMINE *CONQUESTOR.*

WILLELMI CONQUESTORIS

GESTA

A Willelmo Pictavensi Lexoviorum archidiacono, cotemporaneo scripta

(DUCHESNE, *Historiæ Northman. Script antiq.*, pag. 178.)

(*Initium desideratur.*)... cum vita regnum Anglicum amisit, quod paternæ ac suæ violentiæ, non aliis debuit. Coronam eamdem cum throno Heraldus obtinuit filius ejus, partim ab eo tyrannidis in amore degener. Exsules adhuc manebant in curia propinqui sui Willelmi principis Edwardus ac Alveradus, qui olim pueri ne jugularentur ad avunculos in Northmanniam effugerant. Genitrix eorum fuit Emma filia Richardi primi, genitor Edelredus rex Anglorum. Verum de genealogia horum germanorum et quod hereditatem eorum Dani invasione occupaverint, satis alii scripsere. Ut ergo decessum Chunuti audierant, primo Edwardus mari decurso naves quadraginta milite instructissimas Hantonæ appulit, ubi multitudinem offendit maximam se ad internecionem sui operientem. Nam Heraldum Angli deserere nolebant, vel, quod est credibilius, non audebant, metuentes adfore Danos ad protectionem sive citatam ultionem ejus, exstinctos fuisse truculentia Danica suæ gentis nobilissimos minime obliti sunt. Congressus illico magna cæde superavit. Considerans autem adversantis terræ vires ingentes, quas traduxit modicas esse, regyratis proris cum opima præda Northmanniam repetit. Hunc sibi larem tutum sciebat, largum et benevolum. Non multo post deinde interstitio temporis Doroberniam venit Alveradus transvectus ex portu Icio, accuratius quam frater antea adversus vim præparatus, sceptrum et ipse paternum requirebat. Quem adeuntem interiora Godwinus comes nefario dolo suscipiens factione iniquissima tradidit. Et enim ultro occurrit ei veluti ad honorem, officium suum benigne promisit, oscula dans ad fidem ac dextram. Mensam præterea cum eo familiariter communicavit atque consilia. Noctis autem insecutæ medio manus inermis ex somno languidi post tergum restrinxit. Tali expugnatum suavitate Londoniam regi transmisit Heraldo, et de comitatu aliquot similiter vinctos reliquos partim in ergastula deputavit separatos ab invicem distractione miseranda, partim diro fine necavit horribiliter evisceratos. Gavisus Heraldus in vinculis conspecto Alverado, satellites ejus quam optimos coram eo jussit decapitari, ipsum orbari luminibus dein equestrem nuditate turpatum ad mare deduci sub equo pedibus colligatis, ut in Elga (*Etye*) insula exsilio cruciaretur et egestate. Delectabat ipsum vita inimici gravior morte. Simul Edwardum, omnino absterrere intendebat germani calamitatibus. Ita deperiit formosissimus juvenis, laudatissimus bonitate, regis proles et regum nepos, nec supervivere potuit diu; cui dum oculi effoderentur, cultro cerebrum violavit mucro. Ideo brevi exclamatione hac te nos alloquemur, Godwine, cujus mortui nomen infame superest atque odiosum. Nam a flagitio, quod malitiosissime patravisti, deterrere te, si fieri possit, volumus. Quam exsecranda furia agitaris? quo corde contra jus atque fas abominandum facinus machinaris? cur in exitium tui tuorumque perfidissimam proditionem admittis, crudelissime homicida? Moliris, confecisse gratularis quod remotissimarum a Christianismo nationum ritus ac leges detestantur. Alveradi indignissimæ ærumnæ tibi improbissimo gaudium, honestis pariunt lacrymas. Dictu equidem talia sunt lugubria. Willelmus vero gloriosissimus dux, cujus acta venturam ætatem divina opitulatione freti docebimus, vindice gladio feriet jugulum Heraldi tuæ sobolis crudelitate perfidiaque consimillimæ. Fundis traditione tua immeritum sanguinem Northmannorum, fundetur sanguis tuorum pari vice ferro Northmannorum. Libuit inhumanum scelus hoc perpetuo silentio sepelire, sed in historiarum serie res quoque minus pulchras,

cum necessario incidunt, non a charta semovendas putamus, ut ab imitatione facti semovendæ sunt.

Heraldus non multo post decessit, cui frater Hardechunutus ex Emma Edwardi matre natus, reversus a Danimarchia successit. Hic generi materno similior, non qua pater aut frater crudelitate regnabat, neque interitum Edwardi, sed provectum volebat. Ob morbos etiam, quos frequenter patiebatur, plus Deum in oculis habebat et vitæ humanæ brevitatem. Cæterum de regno ejus aut vita scribere aliis relinquamus, ne longius a materia proposita digrediamur.

Illuxit tandem gaudium festivissimum, summe cunctis qui pacem et justitiam desiderabant exspectatum. Dux noster, plus intelligentia rerum honestarum et vi corporis quam ætate adultus, arma militaria sumit; qui rumor metum Franciæ detulit omni. Alium non habebat Gallia, qui talis prædicaretur eques et armatus. Spectaculum erat delectabile simul ac terribile, cum cernere frena moderantem, ense decorum, clypeo fulgentem et galea, teloque minitantem. Nam ut pulchritudine præstabat cum indumenta principis gestaret aut pacis ita ornatus qui contra hostem sumitur cum singulariter decebat. Hinc virilis in eo animus et virtus enitescebat egregia claritudine. Hinc namque summo studio cœpit Ecclesiis Dei patrocinari, causas impotentium tutari, jura imponere quæ non gravarent, judicia facere quæ nequaquam ab æquitate vel temperantia deviarent. Imprimis prohibere cædes, incendia, rapinas. Rebus enim illicitis nimia ubique, ut supra docuimus, licentia fuit. Denique cœpit omnino a familiaritate sua removere quos imperitos aut pravos dignoscebat, sapientissimorum vero optimorumque consiliis uti, externis inimicis fortiter resistere, obsequia debita a suis potenter exigere.

Cum hæc initia suum splendorem Northmanniæ et antiqui status tranquillitatem jam redderent et meliora promitterent, bonis obsequenter juvantibus rectorem consueta libertate perfrui, malebant quidam pro libitu sua retinere, aliena diripere. Hujus vesaniæ signifer prosiluit Wido filius Burgundionum comitis Raginaldi, qui validissima castra Brionum et Vernonium ducis dono tenebat, a puerilibus annis cum ipso familiariter nutritus. Sed aut principatum, aut maximam portionem Northmanniæ ambiebat. Secum itaque in pessimas conspirationes univit Nigellum præsidem Constantini pagi, Ranulfum Bajocensem vicecomitem et Haimonem, agnomine Dentatum, et alios potentes. Non cohibuit iniqui hominis contumaciam generis propinquitas, non tantorum beneficiorum impensa liberalitas, non denique ducis in eum sincera dilectio summaque benevolentia. Insontes multos necavere, quos nequicquam tentaverunt ad transvertendum vel quos majori obstaculo sibi esse perviderant. Fas quidem negligebant omne, nefas nullum devitare curabant, dummodo potentiam consequerentur ampliorem. Est nonnunquam hæc ambitionis cæcitas. Paulatim ergo id perjuræ societatis incœptnm eousque convaluit, ut directissima belli fronte Valesdunis in dominum suum congregati longe per circuitum omnia tumultu concuterent. Sequebatur impietatis vexillum pars Nortmanniæ major. Verum tot gladios minime exhorruit partis vindicantis ductor Willelmus. Irruens enim strage pavorem injecit, quo fere corda adversariis erepta sunt, brachia debilitata. Sola mens quæ in fugam præcipitaret, relinquebatur. Insectabatur ille per miliaria aliquot duriter castigans. Avia plerosque aut viæ difficiles in mortem subverterunt. Nonnullis in planitie trita celeritas ad ruinam, constipatio ad lethiferam collisionem fuit. Absorbuit non paucos fluvius Olna equites cum equis. Interfuit huic prælio Franciæ rex Henricus victrici causæ auxilians. Fructiosissima sane atque notificanda sæculis unius diei pugna, quæ, cum exemplum tremendum sanciret, et cervices nimium elatas ferro contudit, et propugnacula facinorum plurima castella victoriæ manu impellendo disjecit, et bella domestica apud nos in longum sopivit. Turpissime elapsus Guido Brionium cum magno equitatu contendit. Oppidum hoc cum loci natura, tum opere inexpugnabile videbatur. Nam præter alia firmamenta quæ moliri consuevit belli necessitudo, aulam habet lapideam arcis usum pugnantibus præbentem, quam fluvius Risela nullo quidem tractu vadi impatiens circumfluit. Victor mature insecutus arctam locavit obsidionem, castella utrinque ad ripas fluminis bipartiti opponens. Deinde oppugnatione diurna territans, egrediendi facultatem penitus interclusit. Postremo penuria etiam victualium obsessus Burgundio, interventores pro clementia missitabat. Motus dux consanguinitate, supplicitate, miseria victi, non acerbius vindicavit. Recepto castro in curia sua commanere eum concessit. Supplicia item consociis, quæ capitalia ex æquo irrogarentur, condonare maluit ob rationabiles causas. Nigellum alio tempore, quoniam improbe offensabat exsilio punitum fuisse comperio. Guido in Burgundiam sponte rediit propter molestiam probri. Ferre apud Nortmannos pigebat vilem se cunctis, odiosum esse multis. Et Burgundia tolerabat eum invita. Equidem si valuisset ille quantum contendebat, germanum suum ipsius provinciæ comitem Guillelmum potentatu privasset et vita. Annos decem in armis et amplius consumebat, venans præliis tam cognatum sanguinem. Quid laborem, ut evidentius nequitiæ testimonium adducam? Nortmanni superati semel universi colla subdidere domino suo, atque obsides dedere plurimi. Dein ad jussum ejus festinanter ac funditus destruxere munitiones novarum rerum studio constructas. Insolentiam humo tenus posuere metropolitæ Rothomagenses, quam contra tenellum comitem usurpaverant. Gaudebant dehinc Ecclesiæ, quia divinum in tranquillitate celebrare mysterium licebat; exultabat negotiator, tuto quo vellet iturus; gratulabatur agricola, quod securum erat novalia scindere, apem frugum spargere, nec latitare milite viso.

Cujusque conditionis, cujusque ordinis homo ducem laudibus ad sidera tollebat, longitudinem ei vitæ atque sanitatem votis omnibus optabat.

Vicissitudinem post hæc ipse regi fide studiosissima reddidit, rogatus ab eo auxilium contra quosdam inimicissimos ei atque potentissimos ad officiendum. Rex etenim Henricus, contumeliosis Gaufredi Martelli verbis irritatus, exercitum contra eum duxit, et castrum ejus quod Molendinum Herlæ vocabatur in pago Andegavensi cum manu valida obsedit et expugnavit. Cernebant Francigenæ quod invidia non cerni vellet, exercitum deductum e Northmannia sola regio majorem, omnique collegio quantum adduxerant vel miserant comites plurimi. Celeberrime in Aquitania, dum Pictavis exsularem, eadem, quam nostrates contestantur, Northmanni comitis divulgabatur claritudo, parta in illa expeditione. Hunc inter cunctos aiebant excelluisse ingenio, industria, manu. Rex ei quam libenter proponebat consultanda, et maxima quæque ad ejus gerebat sententiam, anteponens in perspicientia consulti melioris eum omnibus. Unicum id redarguebat, quod nimium periculis objectabat se, ac plerumque pugnam quæritabat, decurrens palam cum denis aut paucioribus. Northmannos etiam primates obsecrabat ne committi prælium vel levissimum ante municipium aliquod paterentur; metuens videlicet occasurum virtutem ostentando, in quo regni sui præsidium firmissimum et ornamentum splendidissimum reponebat. Cæterum quæ velut immoderatam fortitudinis ostentationem multopere dissuadebat rex castigabat, ea nos fervidæ atque animosæ ætati aut officio ascribimus. Secessione tali interdum explorando reperiuntur quæ non modice expediunt. Aliquando malefici excipiuntur, qui multitudines agminum cavent; modo efficitur aliud utilissimum.

En ipsius factum quem excusamus et cujus mirabile tirocinium attentius meminisse lepidius delectat. Suis familiaribus volens quasi elabi, secesserat ab exercitu, equites ducens aliquantisper trecentos. His dein cum solis quatuor subtrahit se, atque palatur. Ecce obveniunt ex parte hostili 15 superbientes in equis et armis. Continuo incurrens lanceam projicit, audacissimum cavens perfodere. Coxa autem dirupta est alliso terræ, Cæteros ad quartum miliarium persequitur. Tres interea centuriæ quas reliquerat, subsequentes investigando (timebant enim ejus fidentiæ) repente comitem Tedbaldum perspiciunt cum equitibus quingentis. Fit opinio tristissima. Hostes arbitrantur eos, atque dominum suum in eorum potestate comprehensum teneri. Invicem igitur cohortati, prope in dubium casum, ut illum eripiant, sese objiciunt. Sed ubi recognitum est agmen socium, in ulteriora perquirentes, inveniunt recubantem quem fractura coxæ alligabat ex quindecim unum. Paululum hinc progressis alacer obviat eorum dominus, adducens quos ceperat milites septem.

A Dictitabat ex ea tempestate, uti opinabatur Gaufredus Martellus, parem comiti Northmannorum equitem sive militem sub cœlo nullum degere. De Vasconia et Arvernia potentes ei transmittebant vel adducebant equos qui nominibus propriis vulgo sunt nobilitati. Item reges Hispaniæ his donis inter alia ejus amicitiam captabant. Et erat expetenda optimis et potentissimis amicitia hæc, atque colenda. Perfectissimo namque inerat causa in ipso, cur a domesticis, a finitimis, a longinquo sepositis diligeretur. Ad hoc ipse ut esset decori amicis vel adjumento, tantum satagebat quantum esse valebat; et procurabat semper ut sibi quamplurimum amici deberent. Tunc florescebat in adolescentia principans uni provinciæ, nec regnis dominatus, annos B natus circiter quadraginta quinque. Cum ab illa ad ætatem hanc, vel si majus a pueritia pernoveris ejus actus, tute sicuti vere potes, affirmabis per eum nunquam societatis jus aut amicitiæ fuisse violatum. Fixe enim perstabat in dictis atque conventis, tanquam edocens actu suo quod enuntiant philosophi, justitiæ fundamentum esse fidem. Si cujus ab amicitia disjungi rationibus gravissimis cogebatur, sensim hanc diluere, quam repente præcidere malebat. Consentaneum id videmus sapientum censuræ (Cic. *Amic.* 21). Inique se alienavit iniquus, diram inimicitiam suscepit rex Henricus, transversus hominum pessimorum suadela. Qui dum injuriis Northmanniam lacesseret admodum intolerabilibus, contraibat ad quem Northmanniæ propugnatio pertinebat Willelmus; multum tamen veteri amicitiæ C tribuent et regiæ dignitati. Confligere cum ejus exercitu eo præsente, studio, quantum necessitudo sinebat, extremo cavebat. Et Northmannos cohibebat sæpenumero, nec jussu modo [sed] quasi oratu, quam maxime concupientes prælii contumelia ducus regium fœdare Alias horum aliqua patentius intelliguntur, simul qua ipse magnanimitate Francorum aspernaretur enses, atque universorum qui contra se regis edicto fuerant evocati.

Ipsius quoque viribus et consilio Edwardus Hardechuniti vita finita tandem in paterno solio coronatus resedit, tam sapientia et eximia morum probitate quam antiqua prosapia ea dignus gloria. Disceptantes etenim Angli deliberatione suis rationibus utilissima consenserunt, legationibus justa D petentibus acquiescere, quam Northmannorum vim experiri. Reducem cum non maximo præsidio militis Northmannici cupide sibi cum præstituerunt, ne manu validiore, si comes Northmannicus adveniret, subigerentur. Qui quid bello valeret, rumore satis noverant. Edwardus autem dum grato reputaret affectu quam sumptuosam liberalitatem, quam singularem honorem, quam familiarem dilectionem in Northmannia sibi impenderit princeps Willelmus, tam beneficus quam linea consanguinitatis longe sibi conjunctior; quin etiam quam studioso ejus auxilio in regnum ab exsilio sit restitutus, potissimum aliquid atque gratissimum recompensare desiderans more honestorum, coronæ quam per eum adeptus est,

eum rata donatione hæredem statuere decrevit. Optimatum igitur suorum assensu per Robertum Cantuariensem archipræsulem hujus delegationis mediatorem obsides potentissimæ parentelæ Godwini comitis filium ac nepotem ei direxit.

Est jam permutata in serenum turbulentia apud nos domestica omnis. Æmulus autem e vicino nondum omnis conquievit. Brachium levabat in nos, quo non leviter sese vulnerabat, Gaufredus Martellus. Huic enim, calliditate bellandi egregie instructo, unde triumphum non pollicitarentur Andegavi, Turoni, Pictones, Burdegala, multæ regiones, civitates plurimæ quæ signis ejus parebant? Is namque dominum suum comitem Pictonum et Burdegalæ vi bellica cepit, neque ante postliminio concessit reverti mancipatum indignissimæ custodiæ, quam B argenti et auri pondus gravissimum, atque prædia ditissima extorsit cum sacramento de pactis. Porro ipsius defuncti, post redemptionem die quarto, et novercam præcipuæ nobilitatis toro suo sociavit, et fratres in tutelam suam accepit, et thesauros cum tota honorum ac potentiæ amplitudine quasi ditioni suæ vindicavit. Finibus quidem Andegavensis comitatus claudi potestatem suam, inopem atque pudendam angustiam æstimabat. Late in aliena cum captivum raptabat immanis cupiditas. Dilatatus ergo acquisitis, multa insigniter consummavit, nec minus varia astutia quam opibus agens. Inter quæ Turonorum quoque ingentem et opulentiam et virtutem expugnavit, contrita prius fortitudine comitis Tedbaldi. Nam cum subvenire mutaret Tedbaldus C percharæ urbi suæ, quam sub duris ictibus Martelli obsidentis ingemere ac prope deficere ipsa denuntiante didicerat, promptissime occurrens Martellus vicit. Denique comprehensum Boiis arctavit ipsum cum suis præcipuis; neque pacto eos leviore quam Willelmum, antea Pictavensem, ejecit. Civitatem ex hinc Turonicam possidebat; vexavit idem Franciam universam regi rebellans. Tumidus itaque præliorum successu Northmanniæ castrum invasione occupavit et summopere custodiebat Alentium. Inhabitatores ad se pronos repererat. Incremontum pulcherrimum deputabat suo nomini, patravisse quod Northmanniæ dominium minuerit. Wilelmus tueri sufficiens jus paternum et avitum, quin etiam diffusius protendere, adibat cum exercitu terram Andegavensem, D ut reddens talionem primo abalienaret Gaufredo Danfrontum, post reciperet Alentium. Cæterum sui militis unius fraudulentia fere interiit, qui non extimescebat latam provinciam inimici. Nam ubi approximabatur Danfronto, cum equitibus divertit quinquaginta, acceptum quæ(*sic*) stipendium augerent. Prædæ autem index castellanis prodidit ipsum quidam ex Northmannis majoribus, intimans quo, aut cur ierit, et quam paucis comitatus, atque hunc esse qui mortem fugæ præferret. Emissi quantocius equites trecenti, pedites septingenti inopinantem a tergo invadunt. Pectus vero intrepide ille obvertens, dejecit humo quem auduacia maxima primum sibi impegerat. Cæteri statim amisso impetu ad munitionem refugiunt. Cursum promovet notum compendium tramitis. Ille autem non prius ab insecutione desistit quam portæ munitionis fugatos eripiunt. Captum suis unum manibus retinuit. His magis ad obsidendendum accensus, castella circumponit quatuor. Celerem irruptionem situs oppidi denegabat omni robore sive peritiæ: cum scopulorum asperitas pedites etiam deturbaret, præter qui angustis itineribus duobus atque arduis accederent.

Incolis adjumento viros imposuerat Gaufredus delectissimos. Oppugnatione tamen instabant eis Northmanni creberrima ferventissimaque. Dux ipse primus ac præcipue terribilis imminebat. Aliquando perdius et pernox equitans vel in abditis occultus explorat, si qui offendantur aut commeatum advectantes, aut in legatione directi, aut pabulatoribus suis insidiantes. Sane, ut intelligas quam secure in terra hostili agitaret, interdum venatur. Est regio illa silvis abundans ferarum feracissimis. Sæpe falconum, sæpissime accipitrum volatu oblectatur. Non loci difficultas, aut sævitia hiemis, nec adversitas alia rigidam virtutem ab obsidione quivit dimovere. Auxiliaturum exspectant et nuntio advocant Martellum inclusi. Deserere haudquaquam volebant dominum, sub quo licenter quæstum latrociniis contraherent, quali causa fuerant seducti inhabitantes Alentium. Non ignorabant quam in Northmannia esset invisus latro aut prædo, quam recto usu uterque supplicio addiceretur, et quod neuter parvo absolveretur. Suis maleficiis eumdem legis metuebant usum. Educit Gaufredus copias ingentissimas equestres ac pedestres ad subveniendum. Willelmus ubi rescivit id, properat ex adverso continuatione obsidionis militibus probatis credita. Speculatum præmittuntur Rogerius de Monte Gomerico et Willelmus filius Osberni, ambo juvenes ac strenui, qui mentem quoque hostis arrogantissimam perdiscunt ex colloquio ipsius. Indicit per eos Gaufredus classico suo Willelmi apud Danfrontum excubias excitatum iri sub auroram lucis crastinam. Præsignat qualem in prælio equum sit habiturus, quale scutum, qualem vestitum. Illi contra opus non esse respondent instituto eum itinere longius fatigari, nam continuo, propter quem vadit, affore. Equum vicissim domini sui præsignant, vestitum et arma. Renuntiata hæc non parum alacritati Northmannorum addunt. At omnium acerrimus ipse dux inurget accelerantes. Tyrannum fortasse absumi desiderabat adolescens piissimus. Quod ex omnibus præclaris factis pulcherrimum judicavit senatus latinus et atheniensis. Verum subitaneo terrore consternatus Gaufredus, adversa acie necdum conspecta, profugio salutem suam cum agmine toto committit. En duci Northmannico liber progressus patet ad devastandam hostis opulentiam, ad delendum æmuli nomen ignominia sempiterna. Sed novit esse prudentium victoriæ temperare, atque non satis potentem esse qui semet in potestate ul-

ciscendi continere non possit. Placet ergo fortunatum iter convertere. Festinus inde ecce Alenconio supervenit, arduam rem pugna fere nulla conficit. Oppidum enim natura, opere atque armatura munitissimum adeo currente proventu in ejus manum venit, ut gloriari his verbis liceret : *Veni, vidi, vici.* Perculit citissime hic rumor Danfrontinos. Diffidentes itaque alius clypeo se liberandos, post fugam famosissimi bellatoris Gaufredi Martelli, similiter deditione se liberant properatissima, quando reversum ad oppugnandum vident Northmannorum principem. Perhibent homines antiquioris memoriæ, castra hæc ambo comitis Richardi concessu esse fundata, unum intra alterum, proxime fines Northmanniæ, atque tam succedentium ei comitum quam ipsius jussis obtemperare solita. Victor postea, domum reversus, patriam cunctam recenti decore ac tripudio illustrabat, simul amorem atque terrorem sui auctius in externa diffundebat.

Alia sub tempus idem Annalium voluminibus apta gessit princeps isdem, quæ sicuti plurima cæteris temporibus ab eo gesta prætermittimus, aut ne quem gravet spatiosus codex, aut quia rem non admodum sufficientem scriptori cognovimus. Præterea quantulum in dicendo facultatis habemus, ad dicendum præstantissima omnium id reservamus. Parturire suo pectore bella quæ calamo ederentur poetis licebat, atque amplificare utcunque cognita per campos figmentorum divagando. Nos ducem sive regem, cui nunquam impure quid fuit pulchrum, pure laudabimus, nusquam a veritatis limite passu uno delirantes.

Cœpere post hæc Northmanni summates fere cuncti incredibili cum amplecti veneratione, ut obluctari dudum, sic modo serenam ei fidelitatem quisque suam probare nitentes, adeo ut ejus et sobolem, quam sola tum spe fovebant, dominum sibi concordi votorum electione creare certarent. Quod ipse universa, quæ erga se vel a se fideliter acta, humili prudentia muneri divino ut reputanda fuere reputavit, juventutis in primordio moderatissimum virum agens. Consiliis itaque de matrimonio disceptatur, ut solent in diversum suadere ingenia disparium atque sententiæ, præsertim cum in frequenti curia ponderosa de re consultatur. Reges de longinquo suas unice charas filias huic marito voluntarie locarent, ac affines habere quos confines potissimum placuit, multæ rationis gravitate id persuadente.

Vigebat eo tempore Teutonibus collimitans ac Francis, eminensque potentia præcipuus eorum Flandrensis marchio Balduinus, nobilitate item prisco ex germine tradita illustrissimus. Nam uti a satrapis Morinorum, quos moderni Flandros appellant, sic a regibus Galliæ atque Germaniæ natales deducebat, nobilitatis etiam Constantinopolitanæ lineam attigentes. Stupuerunt mirantes cum comites, marchiones, duces, tum archipræsulum alta dignitas, si quando præsentiam ejus rari hospi-

A tis imperatoria cura promeruit. Ipsius velut amici et socii prudentiam in deliberatione maximorum negotiorum consulturi, benevolentiam donis et multa honoris impensa comparaturi. Nomine siquidem Romani imperii miles fuit, re decus et gloria summa consiliorum in summa necessitudine. Reges quoque magnitudinem ejus et venerati sunt et veriti. Est enim et nationibus procul remotis notissimum, quam frequentibus, quamque gravibus bellis imperatorum immanitatem fatigaverit, pace demum ad conditiones ipsius arbitratu dictatas composita ; cum regum dominos terræ ipsorum nonnulla parte mulctaverit violenter extorto. Sua quæque vel inexpugnata vel indefessa potius manu tutans. Monarchia post Franciæ cum puero monarcha ipsius consiliosissimi viri tutelæ,
B dictaturæ, atque administrationi cessit. Marchio hic fascibus ac titulis longe amplior quam strictim sit explicabile, natam suam nobis acceptissimam dominam in Pontivo ipse præsentavit, soceris generoque digne adductam. Enutrierat autem prudens et sancta mater in filia quod muneribus paternis multuplo præponderaret. Requirens genus maternum, matris patrem sciat regem Galliæ Robertum, qui filius et nepos regum progenuit reges, cujus laudabilitatem in religione divina et regni gubernatione mundi lingua non tacebit. Introductioni hujus sponsæ civitas Rothomagensis vacabat jucundans.

Compellamur istic ore quodam gesti pervulgati, nec Arcensem comitem Willelmum properantis ad altiora styli celeritate præterire et ipsum quidem patriæ lacrymis ultra terminum æqui et boni quan-
C tum in ipsius conatibus fuit potentem. Ignavam propaginem atque perfidam præclaræ stirpis Guidonem (Willelmum) nec humanæ nec divinæ legis frena retinuere. Hunc neque hæc, neque Guidonis ruina, præterea neque magni victoris a nullo victi admiranda et virtus et felicitas, partumque iis inclytum nomen. Quod in præstantes animos et laudanda quæque facinora erigere debuit, id in immoderatam confidentiam ac nimis altam extollendo præcipitavit utrumque, ortus videlicet sui nimia notitia. Ambo enim sinistre noverunt in progenie se computari ducum Northmanniæ. Burgundio se nepotem Richardorum e filia secundi: Arcensis fratrem se tertii, secundi filium, primi nepotem. Is ab ineunte pueri principatu infidus ei et adversus, quan-
D quam fidelitatem juratus et obsequium, hostilia agitabat, modo temeritate non latente resistens, clandestinis interdum dolis. Improba quidem animi elatio facillime hominem in res injustas detrudit. Motus dissensionum aliorumque superius commemoratione aliquanta digestorum malorum, nonnullos ipse caput principale concitavit, plerosque exemplo, consilio, favore et auxilio incitavit, auxit, confirmavit. Multa et inquieta, longique temporis ejus molimina fuere, pro sua et contra domini sui magnitudinem, cujus accessum non modo ab Arcensi castro, verum etiam ab ei propinqua Northmanniæ parte, quæ citra flumen Sequanam sita est,

arcere sæpenumero surrexit. Postremo in supradicti Danfronti oppugnatione quasi desertoris furtivo more discessit, nequaquam petita missione: satellitii debitum, cujus antea nomine hostilitatem utcunque velabat, jam omne detrectans. Ob hæc et alia tot ejus et tanta ausa, dux, uti res monuit, suspiciens plura et majora ausurum, receptaculi, quo plurimum confidebat, editius firmamentum occupavit, custodiam immittens, in nullo amplius tamen jus ejus imminuens. Nempe eas latebras id munimentum initæ elationis atque dementiæ ipse primus fundavit, et quam operosissime exstruxit in præalti montis Arcarum cacumine. Cæterum malefidi custodes non multo post castri potestatem conditori reddunt, munerum pollicitatione et impensius imminente varia sollicitatione fatigati subactique.

Solito mox acriores intromissum furiæ incendunt, ultionem quoque sui velut per injurias diminuti exacturum. Oritur toto ambitu pagi vicini multa miseria. Tumultus, prædæ, rapinæ sæviunt, vastitatem minantes. Armis, viris, commeatu et quibuscunque tali negotio idoneis castrum exornatur, munimenta prius firma firmiora fiunt. Paci et otio locus nullus relinquitur. Denique sævissima rebellio instruitur. Quæ postquam duci comperta sunt Willelmo, e Constantino pago, ubi certiorem nuntium accepit, ea properabat celeritate, ut equi comitantium, præter sex, omnes priusquam perventum sit Arcas lassitudine defecerint. Nam festinantem ut contrairet injuriæ suæ amplius incitaverunt audita mala provinciæ suæ. Ecclesiarum bona, agrestium labores, negotiatorum lucra, militum prædam injuste fieri dolebat. Miserando planctu imbellis vulgi, qui multus tempore belli aut seditionum oriri solet, advocari se cogitabat. Cæterum, in itinere haud procul ab ipso castro obvios habuit quosdam suæ militiæ principes, fidos acceptosque sibi. Hi repentino rumore in urbe Rothomago quæ comes Arcensis agitabat audierant, et cum equitibus trecentis quantocius Arcas accesserant, si convectationem frumenti et aliarum rerum contra obsidionem necessariarum prohibere valerent. Verum ubi cognoverunt maximas copias militum inibi congregatas esse, simul quia metuebant, ipsos etiam qui secum venerant transituros fore ad societatem Willelmi, ante posteri diei ortum (sic eis amicorum opinio secreto prædixerat) diffisi quam ocissime redibant. Hæc referunt, atque ipsi ut exercitum præstoletur consilium dant: etenim ejus partem plus quam fama divulgaverit deseri, viciniam pene omnem in adversarii favorem concedere, ulterius pergere cum paucis nimis periculosum esse. At constantia illius minime his ad pavorem est mota, vel ad diffidentiam. Nam eos confirmans hoc responso, nihil quidem rebelles in se cum præsentem conspexerint ausuros; mox quantum calcaria equum cogere poterant accelerans perrexit. Egit eum propria fortitudo, felicitatem ei promisit justa causa. Et ecce,

A ut seditionis principem in præalto monte cum acie multarum legionum prospexit, enisus in arduo cunctos intra munitionem terga dare impigerrime compulit. Ac ni obstitissent citius obseratæ fores, insecutus, uti animus iratus fortisque tulit, male ominatos ex magna parte obtruncavisset.

Rem vere gestam et quid prope gestum erat memoramus, sed quæ posteritas difficile sit creditura. Dein potiri volens munitione, jussu propera contracto exercitu circumsedit. Fuit difficillimum, quos ea natura loci maxime defensabat expugnare. Sane more suo illo optimo rem optans absque cruore confectum iri, efferatos et contumaces obice castelli ad montis pedem exstructi clausit, præsidioque imposito, aliis postea negotiis invitantibus ipse
B recessit, ut dum ferro parceret, fame vinceret.

Monet equidem digna ratio et hoc memoriæ prodere quam pia continentia cædem semper vitaverit, nisi bellica vi aut alia gravi necessitudine urgente. Exsilio, carcere, item alia animadversione quæ vitam non adimeret, ulcisci malebat, quos, juxta ritum sive legum instituta, cæteri principes gladio absumunt belli captos, vel domi criminum capitalium manifestos: salubriter pensans qui Arbiter quam tremendus terrenæ potestatis acta desuper prospiciat, moderatæ clementiæ ut immoderatæ sævitiæ, omnique meritorum qualitati sua quique decernens.

Audiens vero rex Henricus inclusum esse cujus vesaniæ fautor erat atque consultor, auxilium ferre festinat, manum adducens armatorum non modicam,
C ad hoc quibus indigent obsessi complura. Adducti in spem memorandi facinoris quidam ex eo humero, qui in præsidio ducis relicti custodiunt, Francorum adventantium itinera explorata insidunt. Et ecce numerosa pars minus cauti excipiuntur. Ingelrannus Pontivi comes, nobilitate notus ac fortitudine, et cum eo quamplures viri nominati interimuntur. Hugo Bardulphus, ipse item vir magnus, capitur. Perveniens tamen quo ire intenderat rex, exacerbatissimis animis summa vi præsidium attentavit, Willelmum ab ærumnis uti eriperet, pariter decrementum sui stragem suorum vindicaret. Sed ubi negotium difficile animadvertit (quippe inimicos impetus facile toleraverunt castelli munimenta et militum virtus æque valida), ne cruenta morte
D et pudenda fuga pelleretur, abire maturavit, decus nullum adeptus, nisi forte decorum fuerit quorum advenit causa inopiam stipendio minuisse, militibus numerum auxisse. Reverso dein ad obsidionem duce, et qualiter otium aliquod jucundum celebrari solet, in procinctu aliquandiu morato, famis acrimonia, sævius et arctius quam armis urgens, prope jam expugnavit. Rex denuo accitus multo et misere supplici nuntio, venire abnuit; superiorem casum reputans, magis aspera magisque ignominiosa metuens. Cernit tandem angustiarum oculo papiæ partus rapiendi contra dominum suum principatus cupidinem malesuadam esse, sacramen-

tum aut fidem violare ut iniquum, sic plerumque perniciosum: pacis nomen blandum et dulce, rem ipsam profecto jucundam et salutarem. Damnat ipse præ cunctis nimium audax incœptum, dementissimum consilium, ruinosum factum. Dolet armatum se in arctis arctari. Impetrant supplicantes deditionem accipi; præter vitam nihil aliud neque honestum neque utile pacti. En spectaculum triste, letum miserabile. Properant ultra quam vires invalidæ sufficiant famosi paulo ante equites cum Northmannis evadere Franci, non minus dedecore quam inedia cervicibus contusis, pars in jumentis famelicis quæ pedum cornu modice vel sonarent, vel pulverem excitarent, pendentes: pars ocreis et calcaribus ornati insolito comitatu incedentes et eorum plerique sellam equestrem incurvo languidoque dorso, nonnulli solum se nutabundi vix eportantes. Erat item cernere calamitatem levis armaturæ egre ientis fœdam ac variam. Miserans infortunia hujus quoque, ut pridem Guidonis, celebranda ducis clementia. Noluit extorrem et inopem casu magis pudendo cruciari, sed cum gratia et possessionibus quibusdam amplis, atque multorum redituum, patriam ei concessit; æstimans rectum potius in eo patruum reminisci, quam adversarium insectari.

In ipsa mora obsidionali Northmannorum aliquanti potentiores a duce ad regem defecerunt, quos jam antea conspirationis rebellantium occultique fuisse adjutores opinabile erat. Malevolentiam qua olim contra infantem fuerant inflati, nondum evomuere totam. Eorum e consortio Guimundus præsidens munitioni, quam Molendinas appellant, in mannus regis eam dedit, Imposita est regia cohors. Guido frater comitis Pictavensis Willelmi atque imperatricis Romanæ et cum eo viri militares atque illustres. Verum et ii, et quiqui alias relicti sunt a Francis, cum deditas esse comperissent Archarum latebras, sese nostris fuga furati sunt. Northmanni autem puniendi lege transfugarum, levi pœna aut nulla domino suo reconciliati sunt, rati nullas jam opes vel astutias contra eum fore efficaces.

Vehementuis post hæc in æmulationem exardere, novoque moveri tumultu Francia cœpit. Principes universi, cum rege, Northmanno principi ex inimicis, jam inimicissimi. Anxie tumebat in eorum malevolis mentibus vulnus præcipue invidum, quod recenter sauciavit, mors Ingelranni comitis et in eodem conflictu interremptorum. Acerbe inflammabat eos memoria eventus Andegavorum comitis Gaufredi, depulsi dudum Willelmi clypeo, qualiter memoravimus, aliorumque non modici numeri detrimentorum, atque dedecorum inflictorum cis virtute Northmannica. Inimicitiæ causas veraciter explanamus, ac pleniter rex egerrime ferebat et velut contumeliam suam diffiniebat quam maxime ulciscendam, cum imperatorem Romanum, quo majus potentiæ sive dignitatis nomen in orbe terrarum aliud non est, amicum et socium haberet, provinciis multis præsideret potentibus, quarum domini aut rectores militiæ suæ essent administri: comitem Willelmum suum nec amicum nec militem, sed hostem esse; Northmanniam quæ sub regibus Francorum egit ex antiquo, prope in regnum evectam; superiorum ejus comitum quanquam ardua valuerint nullum in hæc ausa illatum. Condolentes in eadem Tedbaldus, Pictavorum comes, Gaufredus, item reliqui summates quadam insuper indignatione privata intolerandum ducebant sese regis, quocumque prævia vocarent, signis parere; Willelmum Northmannorum nequaquam pro rege, sed confidenter atque indesinenter ad ejus magnitudinem quam aliquantum attrivit, ulterius atterendam, vel si qua via valeat conterendam in armis agitare. Præterea concupiebant Northmanniam aut ejus partem quidam regis proximi. Ii quasi faces flagrantissimæ regem incendebant et principes.

Eas ob res post consultationem infausto omine communicatam, edicto regio bellum jubente, innumerosissimæ copiæ in Northmanniam expeditæ sunt Burgundiam, Arverniam, atque Wasconiam properare videres horribiles ferro: imo vires tanti regni, quantum in climata mundi quatuor patent, cunctas; Franciam tamen et Britanniam quanto nobis viciniores tanto ardentius infectas. Julium Cæsarem, vel bellandi peritiorem aliquem, si fuerit peritior, exercitus Romani ducem, ex mille nationibus coacti olim, dum Roma florentissima mille provinciis imperitasset, hujus agminis immanitate terreri potuisse affirmaris. Nimirum concipit pavorem aliquantum terra nostra. Ecclesiæ metuunt inquietanda fore otia sanctæ religionis, stipendia sua ex libidine armatorum diripienda, quamvis orationum præsidio certantes confidant. Plebs urbana et agrestis, necnon quicunque imbellis et minus firmus, solliciti sunt ac trepidi; timent sibi, uxoribus, liberis, rebus suis, cum adeo gavem hostem timoris modo ampliorem quam sit metiuntur. At cum reminiscuntur quem habeant propugnatorem, quam luctuosas patriæ calamitates adhuc adolescens, vel puer potius, magno consilio, maximaque virtute sustulerit, spe timorem leniunt, afflictionem fiducia consolantur. Verum admirandæ constantiæ dux Willelmus nulla perculsus formidine, regi qui robur immanius ipse ducit, jam in Rothomagensem ex Ebroicensi sago sensim procedenti, magno animo sese festinus opponit: transadversam ripam Sequanæ partem suarum copiarum, ut hostem distributum prænovit, contra dirigens. Sic enim dispositum est industria, quæ multum profutura sperabatur, ut quantus miles inter Sequanam et Garunnam fluvios colligeretur, quas gentes multas uno nomine Celtigallos appellant, ii nos hac rege ipso duce invaderent, illac vero ducibus fratre regis Odone et Rainaldo familiarissimo, inter flumen Rhenum et Sequanam collecti, quæ Gallia Belgica nuncupatur. Regem insuper comitabatur Aquitania, pars Galliæ tertia et latitudine regionum et multitudine hominum a plerisque æstimata. Nec mirum,

si forte Francorum temeritati atque superbiæ sic munitæ spes erat aliquanta, ducem nostrum aut opprimendum esse ea mole, aut ignominiosa fuga elapsurum, milites aut occidendos, aut capiendos, oppida excidenda, vicos exurendos, hæc ferienda gladio, illa in prædam diripienda; postremo terram totam usque in fœdam solitudinem redigendam.

Sed longe alium res eventum habuit. Nam inauspicato congressi Odo et Rainaldus, cum suam aciem quam terribili atrocitate vastari animadverterent, ducatu et ensis ope simul omissis, equorum velocitate saluti consulunt. Urgebat namque cervices eorum non meritas leniora mucro Roberti Aucensis comitis, ut natalibus ita virtute magni, una Hugonis Gornacensis, Hugonis Montisfortis, Gualterii Giffardi, Willelmi Crispini aliorumque nostræ partis fortissimorum virorum. Guido Pontivi comes ad vindicandum fratrem Ingelrannum nimis avidus captus est, et cum eo complures genere et opibus clari. Plurimi ceciderunt; reliquas fuga eripuit cum antesignanis. Cognito citius hoc successu propugnator noster dux Willelmus nocte intempesta caute instructum quemdam direxit, qui tristem regi victoriam propius castra ipsius ab alto arboris per singula inclamavit. Rex attonitus inopinato nuntio, procul omni cunctatione signo antelucano suos in fugam excitavit: summe necessarium ratus quam maxima celeritate Northmanniæ finibus discedere. Multa dehinc hostilia utrinque acta sunt, qualia præter belli conflictum inter tantos hostes fieri solent. Francis tandem gravissimarum sibi dissentionum fine capientissime volentibus, pax convenit. Ea pactione inter ducem et regem media, ut capti apud Mare Mortuum regi redderentur, ejus vero assensu et quasi dono quodam dux jure perpetuo retineret quod Gaufrido Andegavorum comiti abstulerat, quodque valeret auferre. Confestim in ipso conventu principes militiæ suæ jussu commonuit dux intra terminos Martelli Andegavensis ad Ambreras construendas mature adesse paratos. Et quem hujus incœpti diem eis ipse, eumdem Martello per legatos præfinivit. O validum, o confidentem, et nobilem hujus viri animum! o admirandam, nec facile competenti præconio extollendam virtutem! Non petit imbellis cujuslibet terram debellandam, sed tyranni ferocissimi et in re militari, ut superiora docuere, plurimum strenui, quem uti fulmen terribile comites atque duces potentissimi tremerent; cujus vires et versutias collimitantum ei quisquam vix evaderet. Porro, ut magis admirere, ipsum hostem incautum et imparatum non aggreditur, sed prius ei diebus quadraginta ubi, quando, cujus rei gratia sit adventurus, denuntiat. Hujus famæ terrore perculsus Gaufredus Maduanensis, Gaufredum dominum suum festinus adit, dolens et miserans conqueritur; constructis Ambreris opibus Northmannorum, terram ejus ad libitum inimici invadendam, destruendam, desolandam. Cui tyrannus Martellus, ut erat elevatus animo, grandia præsumere et loqui solitus: « Meum, inquit, sicut vilis et pudendi domini omnino abnuas dominium, si patiente me patrari videas quod metuis. » Hic prælimito, Cenomannicum solum ingressus Northmannorum rector, dum castrum quod minatus est erigit, fama referente, quæ tam falsi quam veri nuntia volat, Gaufredum Martellum brevi adventurum audit. Quapropter opere administrato hostis adventum magna constantia et alacritate præstolatur. Quem, ubi amplius opinione morari videt et jam de cibariorum penuria plebeii pariter ac proceres conqueruntur, ne milite minus prompto in futurum utatur, modo dimittere statuit, castro viris et alimoniis munito, jubens tamen ut, cum nuntium ejus acceperint, quantocius eodem redeant cuncti. Exercitus nostri mox divulgato discessu, Martellus in auxilium suum adjunctis Willelmo Pictavorum comite domino suo et Eudone Britannorum comite, necnon undequaque copiis collectis, Ambreras contendit. Dein præsidii situ et munimentis perspectis, ad oppugnandum accingitur. Parant vallum rescindere; castellani resistunt. Exardent, audent, aggrediuntur propius et acrius, certatur utrinque magna vi. Missilia, saxa, libriles sudes, item lanceæ desuper feriunt. His plerique interempti cadunt, alii repelluntur. Sic audaci molimine cassato aliud incipiunt. Tentant murum ariete, qui percussus in virga (ariete) castellanorum frangitur.

Interea cognito labore suorum munitionis fundator Willelmus, omnis moræ impatiens evocat exercitum, subventum ire quam maxime properat. Quem postquam inimici tres adeo nominati comites adequitare percipiunt, mira celeritate, ne dicam trepida fuga, cum immanibus exercitibus dilabuntur. Victor Gaufredum Meduanensem e vestigio bello adortus, qui domini furorem præcipue incendit querela præfata, intra exiguum tempus eousque compulit, ut in remotissimis Northmanniæ partibus sibi manus perdomitas daret, fidelitatem quam satelles domino debet jurans.

Rursum pace soluta, rex ignominiæ suæ magis quam detrimenti requirens ultionem, renovata expeditione Northmanniam aggreditur, exercitu coacto copioso quidem et minus quam antea immani: regni siquidem ejus pars amplior, funera sive indecoram fugam suorum lugens aut, timens, ad redeundum super nos minus prona erat, quanquam vindictæ in nos longe cupidissima. Martellus Andegavensis, nondum tot sinistris casibus fractus, minime defuit, quantum ullatenus virium colligere potuit adducens, vix enim hujus inimici odium et rabiem Northmanniæ tellus penitus contusa vel excisa satiaret. Famam tamen sui motus quantum potuere occultantes ne confestim in ipso ingressu obvio propugnatore, quem experti sunt, repellerentur, citis itineribus per Oximensem comitatum ad fluvium Divam pervenere, hostili immanitate per transitum populati. Neque illic aut converti placuit, aut consistere fiducia fuit. Etenim si permitteretur ulterius progredi, quali

eo perventum est cursu, et sic in Franciam, dein evadere incolumes, præclaræ famæ occasionem sibi promisere, quod Willelmi Northmanni terram ad littus usque marinum ferro igneque vastaverint, nemine obsistente, nemine insequente. Verum ea spes, ut illa quondam, fefellit. Nam dum ad vadum Divæ morarentur, supervenit ipse alacer cum exigua manu virorum felici hora. Pars exercitus jam flumen cum rege transierat. Et ecce fortissimus vindex in residuos insiluit, cecidit populatores, parcere flagitium credens, cum patriæ sauciatæ adeo necessaria causa ageretur, infestissimo hoste in medio sinu ejus deprehenso. Citra aquam intercepti, in oculis regiis fere cuncti ferro ceciderunt, præter qui sese ingurgitare maluerunt, pavore impellente. Ne vero jure sæviens gladius in adversam ripam insequeretur, reuma maris obstabat, alveum Divæ insuperabili mole occupantis. Interitum suorum miserans ac metuens rex, cum Andegavense tyranno quam celerrime Northmannicos fines exivit, decernens animo consternato vir strenuus et nominatus in rebus bellicis, dementiæ reputandum Northmanniam ultra attentare.

Non multo post universæ carnis viam demigravit, numquam gloriatus triumpho quem de Willelmo Northmanno comite retulerit; imo nec multæ in eum vindictæ compos. Philippus filius ei successit infans, inter quem et principem nostrum firma pax composita est, ac serena amicitia, tota Francia cupiente et annuente.

Sub idem tempus obiit et Gaufredus Martellus ad vota multorum vel quos oppresserat, vel qui metuerant eum. Sic terrenæ potestati et humanæ superbiæ finem natura ponit inevitabilem. Sero pœnituit miserandum hominem nimiæ fortitudinis, ruinosæ tyrannidis, perniciosæ cupiditatis. Equidem sua cum extrema docuere quod antea pensare neglexit, etiam quæ juste in mundo possidentur, necessario amittenda fore. Sororis filium hæredem reliquit; qui nomine proprio idem probitate absimilis ei, cœlestem Regem timere et pro comparando externo honore bona actitare cœpit.

Quod humanæ linguæ ad malevolentiam quam ad benevolentiam laudandam sint promptiores novimus, ob invidiam plerumque, interdum ob aliam pravitatem. Nam et pulcherrima facinora in contrariam partem iniqua depravatione traducere solent. Unde nonnunquam fieri constat quatenus decora regum, sive ducum, sive cujuscunque optimi, cum non vere traduntur apud ætatem posteram, censura bonorum damnentur, ut nequaquam imitanda mala ad invasionem, vel aliud iniquum facinus placeant exemplo. Quapropter nos operæ pretium arbitramur quam verissime tradere, quatenus Willelmus hic, quem scripto propagamus, quem tam futuris quam præsentibus, in nullo displicere, imo cunctis placere optamus, Cenomannico principatu quemadmodum regno Anglico non solum forti manu potitus fuerit, sed et justitiæ legibus potiri debuerit.

A Comitum Andegavensium dominatio Cenomannorum comitibus pridem gravis ac pene intolerabilis exstiterat. Ut enim alia plurima omittam, novissime nostra memoria Fulco Andegavensis Herbertum Cenomannicum majorem Santonas illexit, sponsione urbis ipsius. Ibi vinctum in medio colloquio ad pactiones, quas avare concupierat, carcere et tormentis coegit.

Tempore vero Hugonis, Gaufredus Martellus urbem Cenomannicam sæpe igne injecto cremavit, sæpe militibus suis eam in prædam distribuit, plerumque vineas circa ejus ambitum exstirpavit, aliquando expulso qui juste præsedit, soli dominio suo eam vindicavit. Hugo hæreditatem suam Herberto reliquit filio et inimicitias easdem. Hic Gaufredi B tyrannide metuens omnino deleri, Northmanniæ ducem Guillelmum, sub quo tutus foret, supplex adiit, manibus ei sese dedit, cuncta sua ab eo ut miles a domino recepit, cunctorum singulariter eum statuens hæredem si non gigneret alium. Præterea, ut conjunctius attingeret tantum virum ipse et posteritas ipsius, ducis ei filia petita atque pacta est. Quæ priusquam nubiles pervenisset ad annos, morbo ipse interiit, suos in ipso fine obtestans et obsecrans, ne quærerent alium præter quem ipse dominum eis, hæredem sibi relinqueret. Cui si volentes pareant, leve servitium toleraturos fore: si vi subacti, forsitan grave. Potentiam illius, prudentiam, fortitudinem, gloriam nec non genus antiquum ipsos optime nosse. Sub eo præside agentes C formidini fore quibusque confinibus.

At homines malefidi Galterium Medantinum comitem cui soror Hugonis nupserat receperunt invasorem desertores. Indignans ergo repulsam Guilelmus jure multiplici successurus Herberto, arma expedivit, quibus requireret sic prærepta. Nam et olim egit sub Northmannorum ducum ditione regio Cenomanica. Incendium confestim injicere, aut urbem totam excindere, ausos iniqua trucidare, quantum ingenio abundavit et viribus, potuisset. Sed hominum sanguini quanquam nocentissimo parcere maluit solita illa temperantia et validissimam urbem relinquere incolume caput, atque munimentum terræ quam in manu habebat. Hæc itaque expugnandi via placuit: crebris expeditionibus et diuturnis in ipso territorio mansionibus metum D incutere, vineas, agros, villas vastari, loca munita circumquaque capere, præsidia, ubi res postulavit, imponere, denique plurima turba ærumnarum incessanter affligere. Cum ea geri viderent Cenomannici, quam anxii trepidique fuerint, quam cupierint onus molestissimum a cervicibus depellere, conjectare quam referre facilius est. Accito sæpius Gaufredo, quem præses eorum Galterius dominum sibi ac tutorem præfecit, prælio decernere minati sunt nonnunquam, sed ausi nunquam. Perdomitis tandem castellis jam per totum comitatum subactis, reddunt civitatem prævalenti. Et quem longa detinuerunt rebellione, supplici et ingenti suscipiunt

honore. Studium est summis, mediis, infimis placare infensum. Occurrunt, clamant dominum suum, procidunt et inclinantur ejus dignitati, tingunt hilares vultus, lætas, voces, plausus congratulantis. Fiunt obviam faventes laicorum studio, omnium quotquot ibidem sunt ecclesiarum ordines religiosi. Templa summopere, quemadmodum processiones, adornata effulgent, redolent thymiamata, resonant sacra cantica. Victori sufficiens pœna perdomitos in potestatem suam venisse et urbis firmamentum sua in reliquum custodia occupari. Voluntarie Gualterus deditioni consensit, ne invasa protegens hæreditaria amitteret. Clades a Northmannis illata vicinitati Medanti et Calvimontis metum ei faciebat de majori.

Volvit in omne sæculum et progeniei suæ optime consultum fuisse prudens victor, pius parens. Idcirco germanam Heriberto, ex partibus Teutonum suæ munificentiæ maximis impensis adductam nato suo conjugare decrevit, ut per eam ipse et progeniti ex ipso, jure quod nulla controversia convelli posset vel infirmari, Heriberti hæreditatem possiderent sororius et nepotes. Et quoniam pueri ætas nondum fuit matura conjugio, in locis tutis illam prope nubilem magno cum honore custodiri fecit, nobilium atque sapientium virorum ac matronarum curæ commissam. Hæc generosa virgo, nomine Margarita, insigni specie decentior fuit omni margarita. Sed ipsam non longe ante diem quo mortali sponso jungeretur hominibus abstulit Virginis Filius, virginum sponsus, cælicus imperator; cujus igne salutifero pia puella flagrabat, pro cujus desiderio orationibus, abstinentiæ, misericordiæ, humilitati, denique plurimæ bonitati studebat; vehementer exoptans præter ipsius connubium aliud perpetuo ignorare. Sepelivit eam Fiscanense cœnobium, quod cum aliis ecclesiis quantum licebat religioni nimirum doluit raptam properato obitu, cujus longævitatem effectuosissime concupivit. Illius etenim anima prudenter evigilans cum lucerna ardente Christi adventum exspectans, ecclesias colere cœpit cum reverentia. Cilicium quoque, quo latentius carnem domare proposuerat, postea quam transmigravit proditum, mentem æternis intentam prodidit.

Quam longinquus a favore ducis Guillelmi animo fuerit versutus homo Gaufredus Meduanensis certissime cum urbs Cenomannica dederetur patefactum est. Ne enim hanc ejus gloriosam felicitatem præsens conspiceret, deseruit ante non minus invido dolore quam inconstante perfidia abactus. Noluit meminisse impudens audacia, quomodo pridem clementiam oraverit perdomitus. Non est verita impudens iniquitas jurisjurandi violare promissum. At perpetuum nomen quanto majores illius quanquam potentes, nunquam sunt gloriati. Parere sibi videbatur, si virtutem invictam triumphis magnificatam quam plurimis lacessere auderet. Per legatos iterum iterumque monitus ad obsequendum, mentem obstinatam non omisit.

A Fuga, astutia, validæque munitiones non modicum fiduciæ ministraverunt. Statuit ergo prudentia repudiati domini latibulum charissimum abalienare ei castrum Meduanum; æstimans multo satius ac dignius hac pœna ferire, quam fugitantem persequi, et victoriam levem ex eo capto insignibus titulis addere. Hujus castri latus alterum, quod alluitur scopuloso rapidoque flumine (nam supra Meduanæ ripam in prærupta montis rupe situm est) id nulla vi, nullo ingenio vel arte humana attentari potest. Alteri vero munimenta lapidea, pariterque difficilimus aditus propugnant. Disponitur tamen obsidio, exercitu nostro admoto quantum natura repellens patitur, cunctis mirantibus ducem rem hanc nimis arduam confidentissime aggressurum. Equitum ac
B peditum copias tantas incassum fatigari cuncti fere opinantur; multi conqueruntur, nulla spe animos eorum erigente, nisi forte mora annua vel ampliore fames expugnet. Etenim gladiis, lanceis, missilibus, nihil geritur, nihil gerendum speratur; item neque ariete, neque tormento, cæterisve instrumentis bellicis, siquidem locus omnino machinamentis importunus erat. Verum magnanimus ductor Willelmus urget inceptum, præcipit, hortatur, confirmat diffidentes, lætum exitum pollicetur. Nec multo temporis intervallo dubii sedent. En solerti consilio ipsius injecti ignes castrum corripiunt. Citissime diffunduntur more suo; sævius omni ferro quæque obvia vastantes. Custodes atque propugnatores attoniti subita clade portas murumque deserunt, discurrunt trepidi laribus et rebus incensis primo succurrere.
C Dein propriæ saluti quo refugio valent consulere festinant, victores gladios vehementius quam incendium metuentes. Northmanni alacerrime concurrunt, exsultantes animos et gratulantem clamorem pariter tollentes; certatim irrumpunt, potenter munitione potiuntur. Opima præda invenitur, nobiles equi, arma militaria, omnisque generis supellex. Quæ sicut alibi capta plerumque grandia, militum potius quam sua esse voluit continentissimus ac liberalissimus princeps. Castellani, qui in arcem confugerant, die postero dediderunt se, contra Willelmi ingenium ac fortitudinem nulli firmamento confidentes. Restauratis ille quæ flamma corruperat, præsidioque providenter disposito, insolitum triumphum quasi de natura superata domum revexit cum immenso
D gaudio exercitus. Et confines Gaufredi non triste acceperunt hoc eum fuisse detrimento mulctatum, asseverantes gloriam solius Willelmi comitis ultionem multorum esse de perjuro ac prædone.

Per idem fere tempus Edwardus rex Anglorum suo jam statuto hæredi Guillelmo, quem loco germani aut prolis adamabat, graviore quam fuerat cautum pignore cavit. Placuit obitus necessitatem prævenire, cujus horam homo sancta vita ad cœlestia tendens, proximam adfore meditabatur. Fidem sacramento confirmaturum Heraldum ei destinavit, cunctorum sub dominatione sua diversis, honore atque potentia eminentissimum, cujus antea frater

et fratruelis obsides fuerant accepti de successione eadem. Et eum quidem prudentissime, ut ipsius opes et auctoritas totius Angliæ gentis dissensum coercerent, si rem novare mallent perfida mobilitate, quanta sese agunt. Heraldus dum ob id negotium venire contenderet, itineris marini periculo evaso littus arripuit Pontivi, ubi in manus comitis Guidonis incidit. Capti in custodiam traduntur ipse et comitatus ejus quod infortunium vir adeo magnus naufragio mutaret. Docuit enim avaritiæ calliditas Galliarum quasdam nationes exsecrandam consuetudinem, barbaram et longissime ab omni æquitate Christiana alienam. Illaqueant potentes, aut locupletes trusos in ergastula afficiunt contumeliis, tormentis. Sic varia miseria prope ad necem usque contritos ejiciunt sæpissime venditos magno. Directi ad se dux Willelmus eventu cognito, propere missis legatis, precatu simul ac minis extortum obvius honorifice suscepit eum. Guidoni bene merito qui nec pretio, nec violentia compulsus, virum quem torquere, necare, vendere potuisset pro libitu ipse adducens apud Aucense castrum sibi præsentavit, grates retulit condignas, terras tradidit amplas, ac multum opimas, addidit insuper in pecuniis maxima dona. Heraldum vero sufficientissime cum honore in urbem sui principatus caput Rothomagum introduxit, ubi multiplex hospitalitatis officiositas viæ laborem perpessos jucundissime recrearet. Nimirum gratulabatur tanto super hospite sibi omnium charissimi propinqui et amici legato, quem inter se et Anglos quibus a rege secundus erat, mediatorem sperabat fidissimum. Coadunato ad Bonamvillam concilio, illic Heraldus ei fidelitatem sancto ritu Christianorum juravit. Et sicut veracissimi, multaque honestate præclarissimi homines recitavere, qui tunc adfuere testes, in serie summa sacramenti libens ipse hæc distinxit; se in curia domini sui Edwardi regis, quandiu superesset, ducis Willelmi vicarium fore; enisurum quanto consilio valeret, aut opibus, ut Anglica monarchia post Edwardi decessum in ejus manu confirmaretur; traditurum interim ipsius militum custodiæ castrum Doveram, studio atque sumptu suo communitum; item per diversa loca illius terræ alia castra, ubi voluntas ducis ea firmari juberet, abunde quoque alimonias daturum custodibus. Dux ei jam satelliti suo accepto per manus ante jusjurandum terras ejus cunctumque potentatum dedit petenti. Non enim in longum sperabatur Edwardus ægrotantis vita.

Deinde quia ferocem et novi nominis cupidum novit ipsum et qui venerant cum ipso, armis militaribus et equis delectissimis instructos secum in bellum Britannicum duxit, hospitem atque legatum quasi contubernalem habens, ut eo quoque honore quodam sibi magis fidum et obnoxium faceret. Britannia namque præfidenter adversus Northmanniam fuit omnis armata. Hujus audaciæ princeps erat Conanus Alanni filius. Is in virum ferocissimum adultus, a tutela diu tolerata liber, capto Eudone patruo suo, atque vinculis ergastularibus mancipato, provinciæ, quam dono paterno accepit, magna cum truculentia dominari cœpit. Paternæ dehinc rebellionis renovator, Northmanniæ hostis non miles esse voluit. Dominus autem ejus antiquo jure, sicuti Northmannorum Willelmus, castellum quod Sancti Jacobi appellatum est interim opposuit in confinio, ne famelici prædones ecclesiis inermibus aut ultimo terræ suæ vulgo excursionibus latrocinantibus nocerent. Emit namque rex Francorum Carolus pacem atque amicitiam a Rollone primo duce Northmannorum, ac posteriorum parente natam suam Gislam in matrimonium et Britanniam in servitium perpetuum ei tradens. Exoraverant id fœdus Franci non valentes amplius resistere Gallico ense Danicæ securi. Annalium paginæ attestantur. Exinde comites Britannici e jugo Northmannicæ dominationis cervicem omnino solvere nunquam valuerunt, et si multotiens id conati tota vi obluctando. Alanus et Conanus, quanto Northmanniæ rectores consanguinitate propius attingebant, tanto gloriantibus animis contra eos elatiores existebant. Conani in tantum jam temeritas crevit, ut quo die terminos Northmanniæ aggrederetur, denuntiare non formidaret. Homini acrioris naturæ, fervidæ ætatis ministravit plurimum fiducia regio longe lateque diffusa, milite magis quam credibile sit referta. Partibus equidem in illis miles unus quinquaginta generat, sortitus more barbaro denas aut amplius uxores; quod de Mauris veteribus refertur, legis divinæ atque pudici ritus ignaris. Ad hoc populositas ipsa armis et equis maxime, arvorum culturæ aut morum minime student. Uberrimo lacte, parcissimo pane sese transigunt. Pinguia pabula gignunt pecoribus loca vasta et ferme nescia segetum.

Cum vacant a bello, rapinis, latrociniis, cædibus domesticis aluntur, sive exercentur. Prælia cum ardenti alacritate ineunt: dum præliantur, furibundi sæviunt. Pellere soliti, difficile cedunt. Victoria et laude pugnando parta nimium lætantur atque extolluntur, interemptorum spolia diripere ut opus decorum voluptuosumque amant. Nihil pendens terribilitatem hanc dux Willelmus in quem diem adventum Conani meminit, denuntiatum, eo ipse intra fines ejus occurrit. Ille, quasi fulminis ictum proxime imminentem extimens, in loca propugnatura citissimam fugam instituit, castri terræ suæ Doli oppugnatione omissa. Id enim, rebelli adversum, justæ causæ fidum stabat. Sistere tentat Conanum castri præses Ruallus, revocat illudens, morari biduum precatur, sufficiens huic moræ stipendium ab ipso sumpturum. Homo misere exterritus, pavorem potius audiens, cursu instituto longius profugit. Ductor terribilis qui depulit instaret fugitanti, ni manifestum periculum animadverteret agere militem numerosum per regiones vastas, famelicas, ignotas. Si quid residuum erat inopi terræ ex his quæ nata fuerant anno superiore, id in tutis locis incolæ cum pecoribus abdiderant. Sta-

bant in aristis fruges immaturæ. Igitur ne sacrilega præda diriperent, si qua reperirent ecclesiarum bona, menstrua penuria fatigatum exercitum reducebat, magno animo præsumens Conanum pro venia delicti et gratia propediem deprecaturum. At excedenti jam Britanniæ limitem repente indicatur Gaufredum Andegavensem cum ingentibus copiis Conano fuisse conjunctum et ambos postero die præliatum affuturos. Itaque aperitur conflictus eo cupidior quod gloriosius intelligebat, triumphum de hoste bino, utroque immani, uno consequi certamine; Ad hoc fore multiplicem ejusdem triumphi fructum. Ruallus autem, cujus in territorio tentoria figebantur, affatur querela : haberi quidem gratum, quod ab inimica vi per eum fuerit ereptus, si proficuum non deleat incommodo; nam si præstolaturus consideat, regionem modice fecundam nimis attenuatam funditus devastari; nec penes agricolas interesse Northmannico an Britannico exercitu consumpta anni laborem amiserint; sibi modo ad famam valuisse, non ad conservationem rerum Conani depulsionem. Considerandum esse dux respondens, ne discessio properantior opinionem pariat minus honoram, detrimenti recompendium in auro plenissimum promittit. Statim Rualli segetes militibus interdicit ac pecora. Obtemperatum est præcepto ea continentia ut frumenti manipulus unicus ad recompensandum omne damnum superabundaret. Certamen nequidquam fuit exspectatum adversario magis in ulteriora profugiente, receptus in sua per charum hospitem Heraldum apud se post moratum aliquandiu donis onustum emisit, digne utroque et cujus jussu et pro cujus honore ampliando venerat. Quin etiam fratuelis ejus alter obses cum ipso redux propter ipsum redditus est. Paucis igitur te affabimur, Heralde. Quo mente post hæc Willelmo hæreditatem auferre, bellum inferre ausus es, cui te gentemque tuam sacro sancto jurejurando subjecisti tua et lingua et manu? Coercere debuisti et perniciosissime concitasti. Infeliciter secundi flatus, qui nigerrimis velis tuis aspiraverunt redeuntibus; impie clemens pontus, qui vehentem te hominem deterrimum ad littus provehi passus est; sinistre placida statio fuit, quæ recepit te naufragium miserrimum patriæ afferentem.

Inter occupationes tamen rerum bellicarum, sive domesticarum, quas mondanas appellant, studia optimi principis in divinis egregia exstitere, quæ per singula ac pro magnitudine sua recitare non sufficimus. Noverat enim non solum principatus in mundo florentes brevi occasu terminari, verum etiam ipsius mundi figuram præterire. Unicum autem regnum immobiliter stare, huic præsidere imperatorem ineffabilem dominatu æterno, rerum universalitatem quam condidit coæterna sibi providentia gubernantem, terrenorum dulcedini nimium deditos tyrannos momento conterere potentem diademata atque palatia inæstimabili perpetim fulgentia decore satellitum suorum perseverantiæ disponentem, in illa gloriosissima civitate veri summique boni patria. Genitorem suum inclytum ducem Robertum post memoranda merita, quibus domi claruit, fasces dignitatum seposuisse, peregrinum iter ac periculis plenum arripuisse, desiderio imperatoris illius in superna Sion conspiciendi. Ipsius crucem in fronte, dilectionem in mente, reverentiam in actu, Richardos ac superiores avos potentia sublimes, fama præclaros humiliter gestavisse. Pensaverat, ut prudentis animæ homo, quam sit miserum atque indecorum spoliatos honore caduco in exitium caliginosum damnari, ubi flamma inexstinguibili ardebunt, non consumentur, plangent in miseriis absque clementia, errata lamentabuntur absque venia. Econtra felix atque pulchrum esse post consulatus terræ stola immortalitatis redimitos angelorum cives ordinari, ubi voluptate omni delectabuntur, Deum, sicuti est, contemplabuntur, in ejus laude perpetua jucundabuntur.

Vir itaque dignus pio parente et piis majoribus, neque dum armatus actitabat, oculum interiorem a timore sempiternæ majestatis dejiciebat. Armis namque proterendo bella externa, arcendo seditiones, rapinas, prædas, patriæ consulebat Christum colenti; ut quo pace plus frueretur, minus violaret sacra instituta. Nec vere dictum unquam erit suscepisse eum bellum quod justitia vacaret. Ita Christicolæ reges gentium Romanarum et Græcarum tutantur sua, propulsant injurias, juste ad palmam contendunt. Quis autem dicat esse boni principis pati seditiosos aut raptores? Ejus animadversione et legibus e Northmannia sunt exterminati latrones, homicidæ, malefici. Sanctissime in Northmannia, observabatur sacramentum pacis quam Treviam vocant, quod effrenis regionum aliarum iniquitas frequenter temerat. Causam viduæ, inopis, pupilli ipse humiliter audiebat, misericorditer agebat, rectissime definiebat. Ejus æquitate reprimente, iniquam cupiditatem vicini minus valentis, aut limitem agri movere aut rem ullam usurpare, nec potens audebat quisquam nec familiaris. Villæ, castra, urbes jura per eum habebant stabilia et bona. Ipsum lætis plausibus, dulcibus cantilenis vulgo efferebant Accipere solitus est avido auditu suavique gustu sacræ paginæ sermones, iis ut animæ epulum sumeret delectari desiderans, castigari atque edoceri. Sumebat et honorabat condecenti reverentia hostiam salutarem; Dominicum sanguinem, sincera fide tenens quod vera doctrina præceperat, panem et vinum quæ altari superponuntur, consecrata sacerdotis lingua et manu sancto canone, Redemptoris veram esse carnem et verum esse sanguinem. Utique non ignotum est quanto zelo fuerit insectatus, atque exterminare sategerit e terra sua aliter sentientem pravitatem. Colebat devotus a tenera ætate sacra solemnia, concelebrans ea sæpissime cum frequentia religiosi conventus, cleri, sive cœ-

nobitarum. Senibus ille juvenis grande exemplum inclaruit sedulitate quodiana frequentando sacra mysteria. Item ejus liberi pietatem Christianam infantes didicere diligenti provisione ipsius. Fulgent plangandi quidam in culminibus potestatis terrenæ, sese in interitum animæ ab eis ipsi præcipitantes, quorum avara malignitas optimorum largæ voluntati obsistens, basilicas intra dominationem suam construi difficile aut nullatenus permittit, constructas donari vetat, nec veretur spoliare, sacrilegio cumulans divitias peculiares. In pluribus vero ecclesiis Dominum collaudat patria nostra sui principis Willelmi benigno favore exstructis, prompta largitate adauctis. Qui volenti conferre libens cuique liberam auctoritatem concedebat, sanctos nulla unquam injuria lædens, dicatum eis quidpiam abalienando. Æmulabatur ejus tempore beatam Ægyptum Northmannia regularium cœnobiorum collegiis, quæ præcipuum consulem habebant ipsum fideli patrocinio instanti magisterio. Cunctis quidem amorem, honorem, curam exhibebat; impensius tamen illis quos major existimatio studiosæ religionis commendavit. O recolendam, o imitandam, o in omne ævum propagandam diligentiam! Abbates atque pontifices persona principans et laica pro disciplina ecclesiastica subtiliter monebat constanter exhortabatur, severe castigabat. Quoties ejus edicto et hortatu convenere præsules, metropolitanus cum suffraganeis, de statu religionis, clericorum, monachorum atque laicorum acturi, synodis his arbitrum se deesse nolebat, cum ut præsentia sua studiosis adderet studium, cautionem cautis, tum ne alieno testimonio discere indigeret qualiter fuissent acta, quæ cuncta rationabiliter, ordinate et sancte acta fuisse desiderabat. Delato forte suas ad auras immani alicujus crimine, quod episcopus aut archidiaconus justo dementius vindicaverit, reum majestatis æternæ teneri jussit incarceratum, quousque causa Domini æquitate districta decerneretur, episcopum aut archidiaconum veluti adversarios divinæ partis criminans in judicium devocandos, feriendos gravi sententia. Clerici, sive monachi, cujus a professione vitam non discrepare testimonio probabili comperit, charam habebat collocutionem, precatui totam voluntatem inclinabat. E diverso neque amici oculi respectu dignabatur infamem ob enormitatem vitæ.

Lanfrancum quemdam, de quo venit in litem plus ne sit meritus reverentiam atque gloriam sæcularium ac divinarum litterarum singulari peritia, an ordinis monachici singulari observantia, intima familiaritate colebat: ut patrem venerans, verens ut præceptorem, diligens ut germanum aut prolem. Illi consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis per omnem Northmanniam prospiceretur, commisit. Potuit namque viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem sapieniæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit, securitatem non parvam optimæ sollicitudini promittere. Ipsum pia quadam violentia monasterii Cadomensis abbatem statuit, non minus reluctantem subjectionis amore, quam altioris gradus timore. Multis deinde possessionibus, item argento, auro, diversisque ornamentis monasterium idem locupletavit, suo largo sumptu a fundamento astructum ingenti et magnitudine et decore, digne beatissimo protomartyre Stephano, cujus reliquiis magnificandum, honore dedicandum erat. Majoris pendere nemo poterit officia precum, quæ in cælestia mittuntur. Crebro famulorum Christi orationes flagitabat et emebat maximo majore, cum bellum aut alia res ardua imminebat.

Cum hæc retracto, dulcis recordatio obvenit Theodosii Augusti, quem in pugnam contra tyrannos processurum animabant prius oracula atque responsa Joannis monachi in ultima Thebaide commorantis. Acceptabat ex omnibus monachis ille Joannem obediendo adeptum prophetiæ gratiam, iste Lanfrancum sermone et actu spiritum Dei redolentem.

Boni plerique transversi effectu carnali sanguinis propinquitate conjunctorum criminibus parcunt, in excelso dignitatum indigne præsidentes non descendere volunt. Eos clementissime tanquam cæcatamore indicant, alios perspicaciter atque districte. Cæterum Willelmus, cujus integerrimam bonitatem inscribimus, animo intentius volutare libet ac mirari, cum patris dejectionem divinæ nequaquam esse præferendam noverit, negotium Dei prudenter simul et juste contra patruum suum peregit Malgerium archipræsulem. Is Richerdi secundi filius sacra dignitate abutebatur, veluti natalium jure sua. Pallio tamen nunquam est insignitus, quod principale ac mysticum archipræsulatus insigne, manus Romani pontificis mittere solita ei denegavit, ut minus idoneo. Scripturarum arcana intelligentiæ litteralis oculo colligere non indoctus fuit, sed quo præcipiunt moderamine, neque subjectorum neque propriam vitam gubernare studuit. Quam pietas plurimorum ornando ditavit, ille spoliando attenuavit ecclesiam, non sponsus ejus vel pater dicendus sed gravissimus dominus vel rapacissimus prædo. Mensas equidem nimium sufficientes, nimium nitidas præbere, largiendo laudem emere amabat, specie liberalitatis prodigus. Sæpe numero monitus atque castigatus privatim atque publice domini sui juvenis et laici sapiente diligentia, pergere malebat eadem pravitatis via. Nec enim modum posuit largitioni, donec sedes metropolitana omni fere ornamento caruit et thesauro. Sequuntur multoties largitionem rapinæ. Præterea molestus infamiæ ejus odor diffundebatur ob alia crimina. Sed a ratione alienum ducimus in vitiis publicandis immorari, quorum nec decens videtur commemoratio, nec notitia utilis. Læsit insuper injuria non levi Ecclesiam universalem, cujus unicum primatem summum in orbe terrarum antistitem, non qua decuit, obedientia veneratus est. Nam apostolici mandato sæpius ad Ro-

manum concilium accitus, renuit ire. Sane pigebat Rothomagum, pigebat cunctam Northmanniam archipræsulis, qui cum honestatis forma eminentes quosque antecedere deberet, intimarum personarum testimonio accusante confutabatur, universorum despectu degradandus censebatur.

Princeps igitur animadvertens jam non monitis agi oportere in causa præcipuæ gravitatis, ne ultra patiendo superni judicii iram irritaret in se, deposuit patruum in publico sanctæ synodi, apostolici vicario cunctisque Northmanniæ episcopis, juxta canonum auctoritatem, sententiam dantibus unanimi consensu. Mauriiium vero cathedræ liberatæ providit, ex Italia, ubi supra, cæteros abbatis emicuit eximius reductum, dignissimum summo omnium archipræsulatu merito generis, personæ, virtutum, doctrinæ.

Hujus parem quemdam, et in anachoretici rigoris commilitio sedulum contubernalem Gerbertum cunctæ sanctitatis conscientia et fama juxta beatum, aliquot post annos cœnobio Sancti Guandregisili præfecit, ordinem dilapsum restituere intendens per abbatem spiritualem. Ambo hi, in ætate florentissima divinitatem, et quam divinitas largitur, beatitudinem speculati, alio multoque perspicatiori mentis acumine, quam Plato, nuda professione impedimenta rerum temporalium evasere, despicantes mundanæ philosophiæ vehementi applicatione a se amata gymnasia, patrii soli dulcem arrisum, opibus ac generositate claram parentelam, spem sublimium provectum. Sic animo victore expediti nunc sub jugo cœnobiorum, nunc in eremi lucta æmulis Machabæorum decertabant sudoribus, pro interminabili[et]liberalitate et quiete, omnem extremitatem, nullam prælationem in exsilio mundi prætereuntis ambientes.

Sublimavit idem princeps quamplures ecclesias, provide trutinata ordinatione præsulum atque abbatum, sed præcipue Lexoviensem, Bajocensem, Abrincensem. Statuit enim summe idoneos pontifices, Hugonem Lexovii, proprium fratrem Odonem Bajocarum, Joannem Abrincarum. Quorum in electione penes judicium ejus probitas ipsorum valuit non altitudo natalium proximorum ipsi. Joannes Radulphi comitis filius jampridem laicus ordine, eruditus litteris clero, imo rectoribus cleri admirandus innotuerat vita religiosa. Non illius desideria specie sacerdotalis gradus honorem, sed illum vota præsulum ambierunt collegam sibi consecraudum. Odonem ab annis puerilibus optimorum numero consona præconia optimorum inseruerunt, Fertur hic in longinquas regiones celeberrima fama; sed ipsius liberalissimi atque humillimi multa et industria et bonitas amplius meretur.

Hugonem quem propiore familiaritate conspectavimus, dictatu longiusculo aliis indicare neutiquam gravamur, quoniam ejus cognitionem aliis non dubitamus profuturam. Is Richardi I nepos et filio Willelmo Aucensi comite, non minus bono quam generoso, juvenis a principe pontificatus in apicem provectus, spirituali mox canitie senibus maturior enitebat. Nequaquam ille ob antiquum stemma notabatur fastuosus, nec ob altiorem gradum sive florentem ætatem animo aut elatus, aut per lubricas voluptates vagus. Librabat equidem strenua sollicitudine grave munus, caute gestandum onus. Propriæ conversationis directioni attente vigilabat, jugi cura speculabatur pascendo grege, sic manifestans quam acute prospiceret interno lumine, quod sacrum ministerium acceperit, regimen ecclestasticum, non dominatum vel honorem. Terris, thesauro, pretiosorum ornamentorum decore sanctam sponsam ditavit. Convenustavit eam ædium quoque ejus tanto cultu ut ambigeret inspector, melius ne nova consurgerent aut vetusta raparearentur. Verum in semetipso dicavit ei dotem auro et electro chariorem omnique lapide, sive gemma splendidiorem. Venerantur ac diligunt reverentissimum præsulem monasteria, synodi, curiæ, ut prudentem, ita eloquentem, ut justum, ita discretum. Qui nec pecuniæ unquam faveat aut gratiæ, sive in judicio sive in consilio sententiam dicens. Ipse profecto, cum deponeretur archipræsul Malgerius, vox justitiæ sonora fuit, constanter permanens in parte Dei, propter Deum damnans filium patrui. Exhibet se blandum ac severum decentissima in alterutrum permutatione; nullius hominis, omnis vitii clemens persecutor, pius inimicus. Subjectis fidelissime consulit, comparandus prudenter diligentibus patribus, qui juvenum filiorum non tam vota cogitant quam commoda. Favet congratulans, et auxiliatur cœlici Regis quolibet in ordine militibus, in veneratione militum et amore regem ipsum colens. Sic semper humanus vivit, sic abstemius, ut indesinenter afferat homini cuique, sæpius tamen non redituro, prandia sua, Deo jejunia sua. Hilarem se et communione gratum, minime silescentem, mensæ abundanti et lautæ non denegat, gustat imperio naturæ, non epulatur. Pascunt eum deliciæ, quibus animæ esurientes æterna pasci desiderat, quas Paracletus cœlestis dulcore infundit suavissimo; excubiæ orationibus vacantes, divinorum officiorum studiosa concelebratio, sacræ bibliothecæ cultus perfamiliaris, denique sancti cujusque operis indefessus amor. His, inquam, præcipue delectatur, his avide pascitur optimus Dominici ovilis pastor Hugo. In adversis eventibus constantia, in secundis modestia parilem laudem consequitur, nullius cupidus. Linguas amantes alienam famam lædere adeo sensit abominandas ut aurem suam pravitatis earum nunquam testem adhibere velit. Altitudinem suam admirandæ humilitatis privilegio sublimat, continentiam et virtutes reliquas, item quoscunque pias operationes eo tutissima atque saluberrima custode muniens, Mysticum namque illud rationale pectoris Aaron ornamentum spiritualiter ejus adornat interiora, Patrum sanctitatem quorum ei nomina inscribi præcipiuntur, jugiter commonens. Ne vero supra modi limitem

digrediamur, dum per honestissimæ vitæ templa jucunda raptamur consideratione, ad principis Willelmi gesta reverti placet.

Hispaniæ reges duo germani audita ejus magnitudine natam ejus in matrimonium cupientissime petierunt, suum et regnum et posteritatem hac magnificaturi affinitate. Nam et lis valde inimica inter ipsos propter eam orta est minime degenerem, sed omnino dignam tali parente, sic moribus ornatam, sic in amore Christi studiosam ut reginis ac sanctimonialibus exemplo esse posset puella non velata. Admirabatur, laudabat, ac venerabatur cum supra nomina regum imperii Romani majestas, cujus olim gloriosissimus moderator Henricus Conradi imperatoris Augusti filius cum ipso etiam tum puero veluti cum nominatissimo rege amicitiam junxit ac societatem. Ejus enim adhuc pueri nomen clarissimum per gentes ferebatur. Sed de magnitudine viri disseram. Optabat hunc vicinum et amicum nobilis et ampla multisque regibus dominans Constantinopolis, quo propugnatore sperneret gravem potentiam Babylonis. Jam in Northmanniam nemo confinium quidquam audebat. Ut seditionum, sic externi belli procella omnis defremuit. Franciæ, Burgundiæ item ulterius remotarum provinciarum præsules atque comites Northmanniæ domini curiam frequentabant; alii ut consilia, alii ut beneficia acciperent, plerique sola gratia gloriaturi. Portus et refugium apte nominabatur ejus benignitas, admittens et relevans plurimos. Homines advenæ cernentes apud nos equites hac illac pergere inermes et quoque iter cuique vianti tutum patere, hujuscemodi beatitudinem, quoties exoptavere suis regionibus! Hanc pacem, hanc dignitatem Willelmi virtus patriæ peperit. Juste itaque patria pro ipso invalitudine dubia aliquando decumbente lacrymas profudit atque preces, quales defuncto vitam valerent impetrare; orans tardissime moriturum, cujus in obitu præmaturo turbinem, quo prius vexabatur, denuo timebat oriturum; nec enim prolem tum relinqueret, ad gubernandum ætate idoneam. Creditur, et dignissime quidem, pia devotionis Arbitrum supernum strenuo majestatis suæ clienti sospitatem præstitisse et quietissimum otium, omni hoste protrito, ut meritus ad altiora evehi, regno prærepto mox facilius potiretur, securus de statu principatus.

Verus namque rumor insperato venit Anglicam terram rege Edwardo orbatam esse et ejus corona Heraldum ornatum. Nec sustinuit vesanus Anglus quid electio publica statueret consulere; sed in die lugubri quo optimus ille humatus est, cum gens universa plangeret, perjurus regium solium cum plausu occupavit, quibusdam iniquis faventibus. Ordinatus est non sancta consecratione Stigandi, justo zelo apostolici et anathemate ministerio sacerdotum privati. Dux Willelmus, habita cum suis consultatione, armis injuriam ulcisci, armis hæreditatem reposcere decrevit, tametsi complures majorum id ingeniose dissuaderent, ut rem nimis arduam, Northmanniæ viribus longo majorem. Habuit in consiliis ea tempestate Northmannia, præter episcopos et abbates, laici ordinis præstantissimos viros, quorum in collegio splendidiora quædam ejus lumina atque ornamenta emicuere, Robertus Moritoliensis comes, Robertus Aucensis comes, Lexoviensis episcopi Hugonis, de cujus vita supra scripsimus, frater, Ebroicensis comes Richardus Roberti archiepiscopi filius, Rogerus de Bellomonte, Rogerus de Montegomerici, Willelmus filius Osberni, Hugo vicecomes. Horum ingeniis atque industria conservari posset incolumis; nec adeo senatoribus ducentis indigeret freta his Romana respublica, si quanta apud veteres nunc polleret. In omni tamen deliberatione prudentiæ principis a cunctis concessum fuisse comperimus, ac si mente divina quid agendum foret aut vitandum prænosceret. Pie agentibus Deus dedit sapientiam, ait quidam peritus divinorum. Ille autem ab infantia pie operabatur. Quantum vero jubere libuit, tantum, nisi necessitas obsisteret, paruere cuncti. Quam igitur prudenti ipsius dispositione naves fierent, armis viris, commeatu aliisque rebus quæ bello sunt usui, instruerentur, qualiter totius Northmanniæ studia ferverent, prolixum est per singula enarrare. Neque minus provide disposuit qui Northmanniam se absente gubernarent ac tutarentur. Convenit etiam externus miles in auxilium copiosus, quos ex parte notissima ducis liberalitas verum omnes justæ causæ fiducia contraxit. Rapina omni interdicta, stipendio ipsius millia militum quinquaginta alebantur, dum ventorum incommoditas ad portum Divæ detinebat mora menstrua. Ea illius temperantia fuit ac prudentia: militibus et hospitibus abunde sumptus ministrabatur, nemini rapere quidpiam concedebatur, provincialium tuto armenta vel greges pascebantur, seu per campestria, seu per tesqua: segetes falcem cultoris intactæ exspectabant, quas nec attrivit superba equitum effusio, nec demessuit pabulator. Homo imbecillis aut inermis, equo cantans qua libuit versabatur, turmas militum cernens, non exhorrescens.

Tempore eodem sedebat sancti Petri Romæ papa Alexander dignissimus cui obediret, quemque consuleret Ecclesia universa. Responsa etenim edebat justa salutariaque. Is præsul Luciensis, cum altiorem gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum consensu, quorum apud Romanos tunc præcellebat auctoritas, ingenti concilio assentiente, in eo locatus est primatu quo præsulum orbis terræ caput existeret atque magister. Allectionem hanc sanctitate meruerat atque doctrina. Per eadem post ad ortum solis et occasum effulgebat. Neque sui cursus limitem sol immutabilius natura, quam per veritatis ille directum tendebat vita, quodquod ubiquaque per mundum potuit, iniquum corrigens, nulli concedens. Hujus apostolici favorem petens dux, intimato negotio quod agitabat, vexillum accepit ejus benignitate, velut suffragium sancti Petri, quo primo confidentius ac tutius invaderet adversarium.

Et Romanorum imperatori Henrico, Henrici im-

peratoris filio, nepoti imperatoris Conradi, noviter junctus fuit in amicitia, cujus edicto in quemlibet hostem Germania ei, si postularet, veniret adjutrix. Rex quoque Danorum Suenus fidem legationibus ei spopondit, sed inimicis ejus amicum exhibebat se fidelem, sicut in sequentibus legendo ipsius detrimenta spectabis.

Heraldus interea promptus ad decernendum prælio sive terrestri, sive navali, plerumque cum immani exercitu ad littus marinum operiens, callide subornatos transmisit exploratores. Quorum deprehenso uni, causamque sui adventus qua præceptum est specie obtegere conato, dux animi sui magnitudinem prodidit his verbis : « Non indiget, inquit, Heraldus auri sui vel argenti jactura tuam aliorumque fidem atque solertiam emere, qui subdole speculatum nos veniatis. Quid consulatur, quid apparetur apud nos certior cum quam velit et opinione ejus citior index, quippe mea præsentia docebit. Hoc ex me refer illi mandatum, nec ullam adversitatem ex nobis ei suscipiendam esse, quominus reliquam ætatem securus agat nisi intra annuum spatium, ubi tutiorem locum suis pedibus sperat, me conspexerit. » Stupentes vero grande promissum primores Northmannorum, multi diffidentiam suam non reticent. Amplificant oratione quam desperatio dictavit, opes Heratdi suas diminuunt. Thesauris illum abundare, quibus partis suæ duces et reges præpotentes conducantur; classem habere plurimam homines in ministeriis nauticis peritissimos qui sæpius pericula et prælia maritima sint experti. Terra illius uti divitiis, ita militis copia hanc multipliciter superari. Quis enim, juxta præstitutum, naves perfici, aut perfecti remiges inveniri annua spatio posse speraret ? Quis nova hac expeditione pulcherrimum statum patriæ in omnem redigi miseriam non timeret ? Quis Romani imperatoris opes ea vinci difficultate non affirmaret ?

Erexit autem diffidentes dux hac elocutione : « Innotuit nobis, ait, Heraldi sapientia, terrorem nobis ingerit, sed spem auget. Sua quidem inutiliter expendet, aurum dissipans, non consolidans honorem. Non eo animi viget robore, quo vel minimum quid meorum polliceri audeat. At arbitrio meo pariter quæ mea sunt, quæque dicuntur illius, promittentur atque dabuntur. Hostem haud dubie superabit, qui non minus quæ hostis possidet quam propria largiri valet. Navigio quo sufficiente citius gaudebimus, non præpediemur. Sint illi experti, quæ nos cum felicitate majore experiamur. Virtute melius quam numero militum bella geruntur. Præterea, ne rapinam amittat ille pugnabit, nos quæ dono accipimus beneficiis comparavimus, requirimus. Quæ partis nostræ prima fiducia periculum omne depellens, lætissimum triumphum nobis, summum decus, præclarissimum nomen dabit. » Etenim constabat viro catholico ac sapienti quod omnipotentia Dei, nihil volens iniquum, justam causam cadere non sineret, præsertim consideranti sese qui non tantum ditionem suam et gloriam augere, quantum ritus Christianos partibus in illis corrigere intendit. Jam tota classis providentissime exornata ab ostio Divæ vicinisque portubus, ubi Nothum, quo transmitterent, diutius exspectavere zephyri flatu in stationem sancti Gualerici delata est. Ibi quoque precibus, donis, votis, cœlesti suffragio se commisit optime confidens, princeps quem neque mora sive contrarietas venti, neque terribilia naufragia, neque pavida fuga multorum, qui fidem spoponderant, frangere prævalent. Quin et consilio adversitatibus obvius, submersorum interitus, quantum poterat, occultavit, latentius tumulando, commeatum in dies augendo, inopiam lenivit. Ad hoc hortamine diverso retraxit exterritos, animavit paventes. Sacris supplicationibus adeo decertavit ut corpus etiam acceptissimi Deo confessoris Gualerici contra præpedientem et pro secundo vento extra basilicam deferret ; concurrente in eadem humilitatis arma concione profecturorum cum ipso.

Spirante dein aura exspectata voces cum manibus in cœlum gratificantes, ac simul tumultus invicem incitans tollitur, terra quam properantissime deseritur, dubium iter quam cupientissime initur. Eo namque celeritatis motu impelluntur ut cum armigerum hic, socium inclamet ille, plerique immemores clientum, aut sociorum, aut rerum necessariarum, id solum, ne relinquantur, cogitant ac festinant. Increpat tamen atque urget in puppes ardens vehementia ducis, si quos ullatenus moram nectere notat. Verum ne prius luce littus, quo intendunt, attingentes, iniqua et minus nota statione periclitentur, dat præconis voce edictum, ut cum in altum sint deductæ, paululum noctis conquiescant non longe a sua rates cunctæ, in anchoris fluitantes, donec in ejus mali summo lampade conspecta, extemplo buccinæ clangorem cursus accipiant signum Memorat antiqua Græcia Atridem, Agamennona fraternos thalamos ultum ivisse mille navibus ; protestamur nos Willelmum diadema regium requisisse pluribus. Xerxem fabulatur illa Seston et Abidon ponto disjunctas urbes navium ponte conjunxisse ; Willelmum nos revera propagamus uno clavo suæ potestatis Nortmannici soli et Anglici amplitudinem copulavisse. Willelmum qui a nullo unquam superatus patriam inclytis ornavit tropæis, clarissimis locupletavit triumphis, superiore hostis manu devicto Xerxi, et sine classe æquandum, ac fortitudine anteponendum censemus.

Solutis noctu post quietem navibus, vehens ducem, retro cæteras agillime reliquit ardentius ad victoriam properantis, imperio suæ velocitatis parilitate quasi obtemperans. Jussus mane remex mari ab alto, num quæ veniant consequæ speculari, præter pelagus et aera prospectui suo aliud nihil comparere indicat. Confestim anchora jacta, ne metus atque mœror comitem turbam confunderet, abundans prandium nec Baccho pigmentato carens animosissimus dux, ac si in cœnaculo domestico me-

morabili cum hilaritate accepit, cunctos actutum affore promittens, Deo, cujus eos tutelæ credidit, adducente. Non indignum duceret Mantuanus poetarum princeps laudibus Æneæ Trojani, qui priscæ Romæ ut parens gloria fuit, securitatem atque intentionem hujus mensæ inserere. Inquisitus denuo speculator, naves quatuor advenire, tertio tantas exclamat ut arborum veliferarum uberrima densitas nemoris præstet similitudinem. Quo proinde spes ducis gaudio sit mutata, quam ex intimo corde divinam glorificaverit pietatem conjiciendum cuivis relinquimus. Penevesellum prospero flatu provectus, libere navibus egreditur, pugna nulla obstante. A Equidem Heraldus in Eboracensem pagum recesserat, cum fratre suo Tostillo et Heraldo Noricorum reges dimicaturus. Nec mirere quod germanus permotus injuriis, invasi honoris æmulus arma externa adduxit in Heraldum, quem germana quoque illi moribus absimillima cum armis non valeret, votis impugnabat et consilio, luxuria fœdum, truculentum homicidam, divite rapina superbum, adversarium æqui et boni. Voluit autem virilis prudentiæ femina, intelligens honesta quælibet, ac vita colens, Willelmum Anglis dominari, quem Edwardi regis mariti sui adoptio filii loco sibi succedere statuit, sapientem, justum, fortem.

BELLUM INTER WILLELMUM DUCEM ET HERALDUM REGEM ANGLORUM.

Gaudentes arrepto littore Northmanni prima munitione Penevesellum, altera Hastingas occupavere, quæ sibi receptaculo, navibus propugnaculo forent. Marius, aut magnus Pompeius, uterque eximius, calliditate atque industria meritus triumphum, hic adducto Romam in vinculis Jugurtha, ille coacto Mithridate ad venenum, sic in hostium fines delatus formidaret agens militem universum, se in periculum seorsim ab agmine cum legione segniter daret. Fuit illorum, et est ducum consuetudinis dirigere, non ire exploratores, magis ad vitam sibi, quam ut exercitu providentiam suam conservarent. Willelmus vero cum viginti quinque non amplius militum comitatu promptus ipse loca et incolas exploravit. Inde revertens ob asperitatem tramitis pedes, re non absque risu gesta, quanquam lector forte rideat, seriæ laudi materiam dedit, gestans in humero sociatam suæ loricam satellitis, dum nominatissimum vi corporis ut animi Osberni filium Willelmum ferreo fasce levavit.

Dives quidam fimum illorum inquilinus, natione Northmannus, Robertus filius Guimaræ nobilis mulieris, Hastingas duci domino suo atque consanguineo nuntium destinavit, his verbis : « Præliatus cum fratre proprio rex Heraldus et cum rege Noricorum quo fortiorem sub cœlo nullum vivere opinio fuit, pugna una ambos occidit, ingentes eorum exercitus delevit. Animatus eo successu, festinus redit in te, numerosissimum populum ducens ac robustissimum, adversus quem non amplius tuos quam totidem despectabiles canes æstimo valere. Prudens vir computaris, domi militiæque cuncta hactenus prudenter egisti. Nunc tibi consule, provide, labora, ne per temeritatem in discrimen unde non evadas temetipse præcipites. Suadeo intra munitiones mane, manu ad præsens confligere noli. »

Duc contra nuntio : « Pro mandato, inquit, quo mihi dominus tuus vult esse cautum, quanquam sine contumelia suadere decuerit, gratias ipsi et hæc refer. Non me tutarer valli aut mœnium latebris, B sed confligerem quamprimum cum Heraldo, nec diffiderem fortitudine meorum cum suis eum contritum iri, voluntate divina non resistente; tametsi decem sola millia virorum haberem, quales ad sexaginta millia adduxi. »

Quadam vero die, dum custodiam navium viseret dux, indicatum est forte spatianti prope navalia monachum Heraldi legatum adesse. Ipse protinus illum convenit ingeniosa hac elocutione : « Proximus, infit, ego sum Willelmi comitis Northmannorum ac dapifer. Cum alloquendi nisi per me copiam habere non poteris; quod affers mihi narra. Libens ille cognoscet idem per me, quia neminem suorum chariorem habet me. Post opportune uti voles mea C opera, coram locutum venies. «Legatione percepta, patefaciente monacho, sine cunctatione, dux legatum hospitio recipi et officiosa humanitate curari præcepit. Ipse interim secum et cum suis quid mandatis responderet deliberabat.

In crastino discumbens in medio primatum suorum, cucullato advocato dixit : « Ego sum Willelmus Dei gratia Northmannorum princeps. Quæ mihi hesterno die retulisti, in horum nunc præsentia refer. » Legatus ita elocutus est : « Hæc tibi mandat rex Heraldus: Terram ejus ingressus es; qua fiducia, qua temeritate nescit. Meminit quidem quod rex Edwardus te Anglici regni hæredem fore pridem decreverit et quod ipse in Northmannia de hac successione securitatem tibi firmaverit. Novit autem jure suum esse regnum, idem ejusdem regis D domini sui dono in extremis illius sibi concessum. Etenim ab eo tempore, quo beatus Augustinus in hanc venit regionem, communem gentis hujus fuisse consuetudinem donationem quam in ultimo fine suo quis fecerit, eam ratam haberi. Quapropter de terra juste sua cum tuis te regredi postulat. Alioquin amicitiam et cuncta pacta per ipsum in Northmannia tibi firmata solvet, penes te omnino relinquens ea. »

Auditis Heraldi mandatis, dux monachum inqui-

sivit unum legatum suum ad Heraldum cum salute perducere vellet. Ille salutis ejus ut propriæ curam se habiturum spopondit. Dux illico verbis his monachum Fiscamnensem quemdam instruxit, quæ citius Heraldo deferret. « Non temere, neque injuste, sed consulto et æquitatis ductu in hanc terram transvectus sum, cujus me hæredem, ut Heraldus ipse fatetur, statuit dominus meus et consanguineus rex Edwardus, ob maximos honores et plurima beneficia quæ illi atque fratri suo, nec non hominibus eorum ego et majores mei impendimus; et quoniam omnium, qui genus suum attingerent, me credebat excellentissimum, qui optime valerem vel ei quandiu viveret subvenire, vel posteaquam decederet regnum gubernare. Sane neque id absque suorum optimatum consensu, verum consilio Stigandi archiepiscopi, Godwini comitis, Levrici comitis, Sigardi comitis, qui etiam jurejurando suis manibus confirmaverunt, quod post Edwardi decessum me reciperent dominum, nec ullatenus peterent in vita illius patriam hanc ullo impedimento contra me occupari. Obsides mihi dedit Godwini filium ac nepotem. Postremo Heraldum ipsum in Northmannia transmisit, ut quod pater ejus atque cæteri supranominati hic mihi juravere absenti, is ibi præsens juraret præsenti. Qui dum pergeret ad me, in periculum captionis incidit, inde mea cum prudentia ac fortitudine eripui. Se mihi per manus suas dedit, sua manu securitatem mihi de regno Anglico firmavit. Præsto ego sum ad agendum causam contra illum in judicio, sive placet ille juxta jus Northmannorum, sive potius Anglorum. Si secundum æquitatis veritatem decreverint Northmanni aut Angli, quod ille regnum hoc jure debeat possidere, cum pace possideat. Si vero mihi justitiæ debito reddendum esse consenserint, mihi dimittat. At si conditionem hanc repudiaverit, non duco justum ut homines mei vel sui concidant præliando, quorum in lite nostra culpa nulla est. Ecce paratus ego sum capite meo contra caput illius asserere quod mihi potius quam illi jure cedat regnum Anglicum. »

Hanc verborum ducis diligenter compertam sententiam magis quam dictatum nostrum in oculos plurimorum venire volumus, quia plurimorum perpetuo favore eum desideramus laudari. Pulchre colligetur et ex ea, quod vere prudens, justus, pius, ac fortis exstiterit. Rationum namque copia, sicut liquet attento, quas infirmare nec valeret eloquentiæ Romanæ maximus auctor Tullius, Heraldi rationem destruxit. Denique judicium quod jura gentium definirent, accipere præsto fuit. Anglos inimicos mori ob litem suam noluit, singulari certamine proprio capite causam determinare voluit. Ut ergo mandata eadem Heraldo appropinquanti per monachum sunt relata, stupore expalluit, atque diu ut elinguis obticuit. Roganti autem responsum legato semel et iterum, primo respondit : « Pergimus continenter; secundo pergimus ad pretium. » Instabat legatus ut aliud responderetur, repetens non interitum exercituum, sed singulare certamen Northmanno duci placere. Nam vir strenuus et bonus justum aliquid ac lætum renuntiare, nec multos occumbere volebat, Heraldi caput, pro quo minor fortitudo, æquitas nulla staret, casurum confidens. Tum levato Heraldus in cœlum vultu ait : « Dominus inter me et Willelmum hodie quod justum est decernat. » Regnandi siquidem cupidine cæcatus, simul ob trepidationem oblitus injuriæ, conscientiam in ruinam sui rectum judicem optavit.

Interea exploratum directi ducis jussu probatissimi equites, hostem adesse citi nuntiant. Accelerabat enim eo magis rex furibundus, quod propinqua castris Northmannorum vastari audierat. Nocturno etiam incursu aut repentino minus cautos opprimere cogitabat. Et ne perfugio abirent, classe armata ad septingentas naves in mari opposuerat insidias. Dux propere quotquot in castris inventi sunt (pleraque enim sociorum pars eo die pabulatum ierat), omnes jubet armari. Ipse, mysterio missæ quam maxima cum devotione assistens, corporis ac sanguinis Dominici communicatione suum corpus et animam munivit. Appendit etiam humili collo suo reliquias quarum favorem Haraldus abalienaverat sibi, violata fide quam super eas jurando sanxerat. Aderant comitati e Northmannia duo pontifices, Odo Bajocensis et Goisfredus Constantinus, una multus clerus et monachi nonnulli. Id collegium precibus pugnare disponitur. Terreret alium loricæ, dum vestiretur, sinistra conversio. Hanc conversionem risit ille ut casum, non ut mali prodigium expavit.

Exhortationem qua pro tempore breviter militum virtuti plurimum alacritatis addidit, egregiam fuisse non dubitamus, et si nobis, non ex tota dignitate sua relatam. Commonuit Northmannos, quod in multis atque magnis periculis victores tamen se duce semper exstiterint; commonuit omnes patriæ suæ nobilium gestorum magnique nominis nunc probandum esse manu qua virtute polleant, quem gerant animus; jam non id agi quis regnans vivat, sed quis periculum imminens cum vita evadat; si more virorum pugnent, victoriam, decus, divitias habituros; alioquin aut ocius trucidari, aut captos ludibrio fore hostibus crudelissimis; ad hoc ignominia sempiterna infamatum iri; ad effugium nullam viam patere, cum hinc arma et inimica ignotaque regio subsistant, illinc pontus et arma; non decere viros multitudine terreri; sæpenumero Anglos hostili ferro dejectos cecidisse, plerumque superatos in hostis venisse deditionem, nunquam gloria militiæ laudatos, imperitos bellandi strenua virtute paucorum facile posse conteri, præsertim cum justæ causæ præsidium cœleste non desit. Audeant modo, nequaquam cedant, triumpho citius gavisuros fore.

Hac autem commodissima ordinatione progreditur : vexillo prævio quod apostolicus transmiserat; pedites in fronte locavit, sagittis armatos et balistis, item pedites in ordine secundo firmiores et loricatos, ultimo turmas equitum, quorum ipse fuit in

medio cum firmissimo robore; unde in omnem partem consuleret manu et voce. Scribens Heraldi agmen illud veterum aliquis, in ejus transitu flumina epotata, silvas in planum reductas fuisse memoraret. Maximæ enim ex omnibus undique regionibus copiæ Anglorum convenerant. Studium pars Heraldo cuncti patriæ præstabant quem contra extraneos, tametsi non juste defensare volebant. Copiosa quoque auxilia miserat eis cognata terra Danorum. Non tamen audentes cum Willelmo ex æquo confligere, plus eum quam regem Noricorum extimentes, locum editiorem præoccupavere, montem silvæ per quam advenere vicinum. Protinus equorum ope relicta, cuncti pedites constitere densius conglobati. Dux cum suis neque loci territus asperitate, ardua clivi sensim ascendit. Terribilis clangor lituorum pugnæ signa cecinit, utrinque Northmannorum alacris audacia pugnæ principium dedit: taliter cum oratores in judicio litem agunt de rapina, prior ferit dictione qui crimen intendit. Pedites itaque Northmanni propius accedentes provocant Anglos, missilibus in eos vulnera dirigunt atque necem. Illi contra fortiter quo quisque valet ingenio resistunt. Jactant cuspides ac diversorum generum tela, sævissimas quasque secures et lignis imposita saxa. Iis veluti mole lethifera statim nostros obrui putares. Subveniunt equites et qui posteriores fuere fiunt primi. Pudet eminus pugnare, gladiis rem gerere audent. Altissimus clamor hinc Northmannicus, illinc barbaricus armorum sonitu et gemitu morientium superatur. Sic aliquandiu summa vi certatur ab utrisque. Angli nimium adjuvantur superioris loci opportunitate, quem sine procursu tenent et maxime conferti, ingenti quoque numerositate sua atque validissima corpulentia; præterea pugnæ instrumentis, quæ facile per scuta vel alia tegmina viam inveniunt. Fortissime itaque sustinent vel propellunt ausos in se districtum ensibus impetum facere. Vulnerant eos qui eminus in se jacula conjiciunt. Ecce igitur hac sævitia perterriti avertuntur pedites pariter atque equites Britanni et quotquot auxiliares erant in sinistro cornu, cedit fere cuncta ducis acies, quod cum pace dictum sit Northmannorum invictissimæ nationis. Romanæ majestatis exercitus copias regum continens, vincere solitus terra marique fugit aliquando, cum ducem suum sciret aut crederet occisum. Credidere Northmanni ducem ac dominum suum cecidisse. Non ergo nimis pudenda fuga cessere, minime vero dolenda, cum plurimum juverit.

Princeps namque prospiciens multam partem adversæ stationis prosiluisse et insequi terga suorum, fugientibus occurrit et obstitit verberans aut minans hasta. Nudato insuper capite detractaque galea exclamans: « Me, inquit, circumspicite; vivo et vincam, opitulante Deo. Quæ vobis dementia fugam suadet? Quæ via patebit ad effugiendum? Quos ut pecora mactare potestis, depellunt vos et occidunt. Victoriam deseritis, ac perpetuum honorem; in

A exitium curritis ac perpetuum opprobrium. Abeundo, mortem nullus vestrum evadet.» His dictis, receperunt animos. Primus ipse procurrit, fulminans ense, stravit adversam gentem quæ sibi regi suo rebellans commeruit mortem. Exardentes Northmanni et circumvenientes aliquot millia insecuta se, momento deleverunt ea, ut ne quidem unus superesset. Ita confirmati vehementius immanitatem exercitus invaserunt; qui maximum detrimentum passus non videbatur minor. Angli confidenter totis viribus oppugnabant, id maxime laborantes, ne quem aditum irrumpere volentibus aperirent. Ob nimiam densitatem eorum labi vix potuerunt interemi. Patuerunt tamen in eos viæ incisæ per diversas partes fortissimorum militum ferro. Institerunt eis Cenomanici, Francigenæ, Britanni, Aquitani, sed cum B præcipua virtute Northmanni.

Tiro quidam Northmannus Robertus, Rogerii de Bellomonte filius, Hugonis de Mellento comitis ex Adelina sorore nepos et hæres prælium illo die primum experiens egit quod æternandum esset laude, cum legione quam in dextro cornu duxit irruens, ac sternens magna cum audacia. Non est nostræ facultatis, nec permittit intentio nostra singulorum fortia facta pro merito narrare. Copia dicendi valentissimus, qui bellum illud suis oculis didicerit, difficillime singula quæque persequeretur. At hoc nos illo properamus, ut finita Willelmi comitis laude, Willelmi regis gloriam scribamus.

Animadvertentes Northmanni, sociaque turba, non absque nimio sui incommodo hostem tantum simul resistentem superari posse, terga dederunt, C fugam ex industria simulantes. Meminerunt quam optatæ rei paulo ante fugam dederit occasionem. Barbaris cum spe victoriæ ingens lætitia exorta est. Sese cohortantes exsultante clamore nostros maledictis increpabant et minabantur cunctos illico ruituros esse. Ausa sunt, ut superius, aliquot millia, quasi volante cursu, quos fugere putabant urgere. Northmanni repente regyratis equis interceptos et inclusos undique mactaverunt, nullum relinquentes. Bis eo dolo simili eventu usi, reliquos majori cum alacritate aggressi sunt, aciem adhuc horrendam et quam difficillimum erat circumvenire. Fit deinde insoliti generis pugna; quam altera pars incursibus et diversis motibus agit; altera, velut humo affixa tolerat. Languent Angli, et quasi reatum ipso defectu confitentes, vindictam patiuntur. Sagittant, D feriunt, perfodiunt Northmanni, mortui plus, dum cadunt, quam vivi moveri videntur. Leviter sauciatos non permittit evadere, sed comprimendo necat sociorum densitas. Ita felicitas pro Willelmo triumpho maturando cucurrit.

Interfuerunt huic prælio Eustachius Boloniæ comes, Willelmus Richardi Ebroicensis comitis filius, Goisfredus Rotronis Moritoniæ comitis filius, Willelmus Osberni filius, Haimerius Toarcensis præses, Gualterus Giffardus, Hugo de Monteforti, Rodolphus de Toneia, Hugo de Grantmaisnil, Willelmus de Gua-

renna, aliique quamplures militaris præstantiæ fama celebratissimi et quorum nomina historiarum voluminibus inter bellicosissimos commendari deceat. Willelmus vero dux eorum adeo præstabat eis fortitudine, quemadmodum prudentia, ut antiquis ducibus Græcorum sive Romanorum qui maxime scriptis laudantur, aliis merito sit præferendus, aliis comparandus. Mobiliter duxit ille cohibens fugam, dans animos periculi socius, sæpius clamans ut venirent, quam jubens ire. Unde liquido intelligitur, virtutem illi præviam pariter fecisse militibus iter et audaciam. Cor amisit absque vulnere pars hostium non modica, prospiciens hunc admirandum ac terribilem equitem. Equi tres ceciderunt sub eo confossi. Ter ille desiluit intrepidus, nec diu mors vectoris inulta remansit. Hic velocitas ejus, hic robur ejus videri potuit corporis et animi. Scuta, galeas, loricas, irato mucrone et moram dedignante penetravit; clypeo suo nonnullos collisit. Mirantes eum peditem sui milites, plerique confecti vulneribus, corde sunt redintegrati. Et nonnulli, quos jam sanguis ac vires deficiunt, scutis innixi viriliter depugnant, aliqui voce et nutibus, cum aliud non valent, socios instigant, ne timide ducem sequantur, ne victoriam e manibus dimittant. Auxilio ipse multis atque saluti fuit.

Cum Heraldo tali, qualem poemata dicunt Hectorem vel Turnum, non minus auderet Willelmus congredi singulari certamine, quam Achilles cum Hectore, vel Æneas cum Turno. Tydeus adversum insidiatos quinquaginta rupis petivit opem, Willelmus par, haud inferior loco, solus non extimuit mille. Scriptor Thebaidos vel Æneidos, qui libris in ipsis poetica lege de magnis majora canunt, ex actibus hujus viri æque magnum, plus dignum considerent [f., conficerent] opus vera canendo. Profecto, si quantum dignitas materiæ suppeditaret carminibus edissererent condecentibus, inter divos ipsorum styli venustate transferrent eum. Nostra vero tenuis prosa titulatura ipsius humillime regnantibus pietatem in cultu veri Dei, qui solus ab æterno in finem sæculorum et ultra Deus est, prælium, quo tam fortiter quam juste vicit, veraci termino brevique concludat.

Jam inclinato die, haud dubie intellexit exercitus Anglorum se stare contra Northmannos diutius non valeri. Noverunt se diminutos interitu multarum legionum, regem ipsum et fratres ejus, regnique primate nonnullos occubuisse, quotquot reliqui sunt prope viribus exhaustos, subsidium quod exspectent nullum relictum. Viderunt Northmannos non multum decrevisse peremptorum casu, et quasi virium incrementa pugnando sumerent, acrius quam in principio imminere; ducis eam sævitiam quæ nulli contra stanti parceret, eam fortitudinem quæ nisi victrix non quiesceret. In fugam itaque conversi quantocius abierunt, alii raptis equis, nonnulli pedites, pars per vias, plerique per avia. Jacuerunt in sanguine qui niterentur, aut surgerent, non valentes profugere. Valentes fecit aliquos salutem valde cupiens animus. Multa silvestribus in abditis remanserunt cadavera, plures obfuerunt sequentibus per itinera collapsi. Northmanni licet ignari regionis, avide insequebantur, cædentes rea terga, imponentes manum ultimam secundo negotio. A mortuis etiam equorum ungulæ supplicia sumpsere, dum cursus fieret super jacentes. Rediit tamen fugientibus confidentia, nactis ad renovandum certamen maximam opportunitatem prærupti vallis et frequentium fossarum. Gens equidem illa natura semper in ferrum prompta fuit, descendens ab antiqua Saxonum origine, ferocissimorum hominum. Propulsi non fuissent, nisi fortissima vi urgente. Regem Noricorum, magno exercitu fretum et bellicoso, quam facile nuper vicerunt.

Cernens autem felicium signorum ductor cohortes inopinato collectas, quamvis noviter advenire subsidium putaret, non flexit iter neque substitit, terribilior cum parte hastæ quam grandia spicula vibrantes, Eustachium comitem cum militibus quinquaginta aversum et receptui signa canere volentem, ne abiret virili voce compellavit. Ille contra familiariter in aurem ducis reditum suasit, proximam ei si pergeret mortem prædicens. Hæc inter verba percussus Eustachius inter scapulas ictu sonoro, cujus gravitatem statim sanguis demonstrabat naribus et ore, quasi moribundus evasit ope comitum. Dux, fortitudinem omnino dedignans aut dedecus, invadens protrivit adversarios. In eo congressu Northmannorum aliqui nobiliores ceciderunt, adversitate loci virtute eorum impedita. Sic victoria consummata, ad aream belli regressus, reperit stragem quam non absque miseratione conspexit, tametsi factam in impios, tametsi, tyrannum occidere justo bello, sit pulchrum, fama gloriosum, beneficio gratum. Late solum operuit sordidatus in cruore flos Angliciæ nobilitatis atque juventutis. Propius regem fratres ejus duo reperti sunt. Ipse carens omni decore quibusdam signis, nequaquam facie, recognitus est et in castra ducis delatus, qui tumulandum cum Willelmo agnomine Maletto concessit, non matri pro corpore dilectæ prolis auri par pondus offerenti. Scivit enim non decere tali commercio aurum accipi. Æstimavit indignum fore ad matris libitum sepeliri, cujus ob nimiam cupiditatem insepulti remanerent innumerabiles. Dictum est illudendo oportere situm esse custodem littoris et pelagi, quæ cum armis ante vesanus insedit. Nos tibi, Heralde, non insultamus, sed cum pio victore tuam ruinam lacrymato miseramur et plangimus te. Vicisti digno te proventu ad meritum tuum et in cruore jacuisti et in littoreo tumulo jaces, et posthumæ generationi tam Anglorum quam Northmannorum abominabilis eris. Corruere solent qui summam in mundo potestatem summam beatitudinem putant; et ut maxime beati sint rapiunt eam, raptam vi bellica retinere nituntur. Atqui tu fraterno sanguine maduisti, ne fratris magnitudo te

faceret minus potentem. Ruisti dein furiosus in alterum conflictum, ut adjutus patriæ parricidio regale decus non amitteres. Traxit igitur te clades contracta per te. Ecce non fulges in corona, quam perfido invasisti, non resides in solio, quod superbe ascendisti. Arguunt extrema tua quam recte sublimatus fueris Edwardi dono in ipsius fine. Regum terror cometa, post initium altitudinis tuæ coruscans, exitium tibi vaticinatus fuit.

Verum, omissa nænia, felicitatem quam eadem stella portendit disseramus. Argivorum rex Agamemnon, habens in auxilio multos duces atque reges unicam urbem Priami dolo vix evertit obsidionis anno decimo. Quæ fuerint ejus militum ingenia, quæ virtus, carmina testantur. Item Roma sic adulta opibus, ut orbi terrarum vellet præsidere, urbes aliquot devicit, singulas pluribus annis. Subegit autem urbes Anglorum cunctas dux Willelmus copiis Northmanniæ uno die ab hora tertia in vesperum, non multo extrinsecus adjutorio. Si tuerentur eas mœnia Trojana, brevi talis viri manus et consilium excinderent Pergama. Posset illico victor sedem regiam adire, imponere sibi diadema, terræ divitias in prædam suis militibus tribuere, quosque potentes alios jugulare, alios in exsilium ejicere. Sed moderatius ire placuit, atque clementius dominari. Consuevit namque pridem adolescens temperantia decorare triumphos. Par fuisset, Anglorum qui sese per injuriam tantam pessumdederunt in mortem, carnes gula vulturis lupique devorari, ossibus insepultis campos fore sepultos. Cæterum, illi crudele visum est tale supplicium. Volentibus ad humandum eos colligere liberam concessit potestatem. Humatis autem suis, dispositaque custodia, Hastingas cum strenuo præfecto Romanærium accedens, quam placuit pœnam exegit pro clade suorum, quos illuc errore appulsos fera gens adorta prælio cum utriusque partis maximo detrimento fuderat.

Hinc Doveram contendit, ubi populum innumerabilem congregatum acceperat, quod locus ille inexpugnabilis videbatur. At ejus propinquitate Angli perculsi, neque naturæ vel operis munimento, neque multitudini virorum confidunt. Situm est id castellum in rupe mari contigua, quæ naturaliter acuta, undique ad hoc ferramentis elaborate incisa, in speciem muri directissima altitudine, quantum sagittæ jactus permetiri potest, consurgit; quo in latere unda marina alluitur. Cum autem Castellani supplices deditionem pararent, armigeri exercitus nostri prædæ cupidine ignem injecerunt. Flamma levitate sua volitans pleraque corripuit. Dux nolens incommoda eorum, qui secum deditionaliter agere cœperant, pretium dedit restituendarum ædium aliaque amissa recompensavit. Severius animadverti præcepisset in auctores incendii, ni utilitas et numerositas ipsorum occultavisset eos. Recepto castro quæ minus erant per dies octo addidit firmamenta. Milites illic recentibus carnibus et aqua utentes, multi profluvio ventris exstincti sunt, plurimi in extremum vitæ debilitati discrimen. Adversa tamen et hæc fortitudinem ducis non fregerunt. Custodiam inibi quoque relinquens et dysenteria languentes, ad perdomandum quos devicit proficiscitur. Occurrunt ultro Cantuarii haud procul a Dovera, jurant fidelitatem, dant obsides. Contremuit etiam potens me[illegible] metu et, ne funditus caderet, ullatenus resistendo, maturavit impetrare statum obediendo. Veniens postero die ad Fractam Turrim castra metatus est, quo in loco gravissima sui corporis valetudine animos familiarium pari conturbavit ægritudine. Volens autem publicum bonum, ne exercitus egestate rerum necessariarum laboraret, noluit indulgere sibi moras ibi agendo. Quanquam fuerit commune proficuum ac valde optandum optimum ducem ad sanitatem convalere.

Interea Stigandus, Cantuariensis archipræsul, qui sicut excellebat opibus atque dignitate, ita consultis plurimum apud Anglos poterat, cum filiis Algardi aliisque præpotentibus prælium minatur. Regem statuerant Edgarum Adelinum, ex Edwardi regis nobilitate annis puerum. Erat videlicet eorum voti summa non habere dominum quem non habuere compatriotam. Verum, qui dominari debuit eis, intrepide approperans, ubi frequentiorem audivit eorum conventum, non longe a Lundonia consedit.

Præterluit eam urbem fluvius Tamesis, peregrinas e portu marino divitias advectans. Cum solos cives habeat, copioso ac præstantia militari famoso incolatu abundat. Tunc vero confluxerat ad ipsam hospes turba propugnatorum, quam, licet ambitu nimis ampla, non facile capiebat. Præmissi illo equites Northmanni quingenti, egressam contra se aciem refugere intra mœnia impigre compellunt, terga cedentes. Multæ tragi addunt incendium, cremantes quidquid ædificiorum citra flumen invenere, ut malo duplici superba ferocia contundatur. Dux progrediens dein quoquo versum placuit, transmeato flumine Tamesi, vado simul atque ponte ad oppidum Guarengefort [Walengford] pervenit.

Adveniens eodem Stigandus pontifex metropolitanus, manibus ei sese dedit, fidem sacramento confirmavit, abrogans Adelinum quem leviter elegerat. Hinc procedenti, statim ut Lundonia conspectui patebat, obviam exeunt principes civitatis, sese cunctamque civitatem in obsequium illius, quemadmodum ante Cantuarii tradunt, obsides quos et quot imperat adducunt. Orant post hæc ut coronam sumat una pontifices atque cæteri summates; se quidem solitos esse regi servire, regem dominum habere velle. Consulens ille comitatos e Northmannia, quorum non minus prudentiam quam fidem spectatam habebat, patefecit eis quid maxime sibi dissuaderet quod Angli orabant; res adhuc turbidas esse, rebellare nonnullos, se potius regni quietem quam coronam cupere; præterea, si Deus ipsi hunc concedit honorem, secum velle conjugem suam coronari; denique non oportere nimium properari,

dum in altum culmen ascenditur. Profecto non illi dominabatur regnandi libido. Sanctum esse intellexerat, sancteque diligebat conjugii pignus. Familiares contra suasere ut totius exercitus unanimi desiderio optari sciebant. Quamquam rationes ejus opprime laudabiles dignoscerent, ex arcano uberrimæ sapientiæ manantes.

Aderat huic consilio Haimerius Aquitanus, præses Toarcensis, lingua non ignobilior quam dextra. Is, demirans et urbane extollens modestiam inquirentem animos militum num vellent dominum suum regem fieri, « Ad disceptationem, inquit, hujusmodi milites nunquam aut raro acciti sunt. Non est diu trahendum nostra deliberatione quod desideramus fieri quam ocissime. » At prudentissimi et optimi viri nequaquam ita cuperent in alto hujus monarchiæ illum locari, nisi præcipue idoneum perviderent, licet ipsorum commoda et honores per exaltationem ejus augeri volentes. Ipse, iterum omnia secum perpendens, acquievit tot petentibus totque suadentibus, præsertim sperans, ubi regnare cœperit, rebellem quemque minus ausurum in se, faciius conterendum a se. Præmisit ergo Lundoniam qui munitionem in ipsa construerent urbe et pleraque competentia regia magnificentia præpararent, moraturus interim per vicina. Adversitas omnis procul fuit, adeo ut venatui et avium ludo, si forte libuit, secure vacaret.

Die ordinationi decreto elocutus ad Anglos condecenti sermone Eboracensis archiepiscopus, æquitatem valde amans, ævo maturus, sapiens, bonus, eloquens, an consentirent cum sibi dominum coronari inquisivit. Protestati sunt hilarem consensum universi minime hæsitantes, ac si cœlitus, una mente data unaque voce. Anglorum voluntati quam facillime Northmanni consonuerunt, sermocinato ad eos ac sententiam percunctato Constantini præsule. Cæterum, qui circa monasterium in armis et equis præsidio dispositi fuerunt, ignotæ nimio strepitu acceptorem sinistram arbitrati prope civitati imprudentia flammam injecerunt. Sic electum consecravit idem archiepiscopus æque sancta vita charus et inviolata fama, imposuit ei regium diadema, ipsumque regio solio, favente multorum præsentia præsulum et abbatum, in basilica Sancti Petri apostoli, quæ regis Edwardi sepulcro gaudebat, in sacrosancta solemnitate Dominici Natalis, millesimo sexagesimo sexto Incarnationis Dominicæ anno. Repudiavit enim consecrari a Stigando Cantuariensi, quem per apostolici justum zelum anathemate reprobatum didicerat. Nec minus insignia regum decuerunt personam ejus, quam ad regimen idoneæ exstiterunt virtutes ejus. Cujus liberi atque nepotes justa successione præsidebunt Anglicæ terræ, quam et hæreditaria delegatione sacramentis Anglorum firmata et jure belli ipse possedit, coronatus tali eorundem consensu, vel potius appetitu ejusdem gentis primatum. Etsi ratio sanguinis poscitur, pernotum est quam proxima consanguinitate

A regem Edwardum attigerit filius ducis Roberti, cujus amita Richardi secundi soror, filiæ primi, Emma, genitrix fuit Edwardi.

Post celebratam ordinationem, non ut solitum est, post honorum augmenta, fieri, remissius laudabilia gerere cœpit, sed novo admirandoque ardore ad honestos et ingentes actus accenditur dignissimus rex, quod nomen, posito ducis nomine, libens acceptat stylus noster. Sæcularibus namque ac divinis operam impendebat strenuam utrisque, ad servitium tamen Regis omnium regum cor propensius habebat, quippe cui suos provectus reputabat, contra quem potentia aut vita neminem mortalium potiri diu posse sciebat, a quo gloriam interminabilem, ubi temporalem finiret, exspectabat. In hujus
B ergo imperatoris quasi tributum large erogavit, quod Heroldi regis ærarium avare inclusit. Terræ illi sua fertilitate opimæ uberiorem opulentiam conportare soliti sunt negotiatores gaza advectitia. Maximi numero, genere, artificio thesauri compositi fuerant, aut custodiendi ad vanum gaudium avaritiæ, aut luxu Anglico turpiter consumendi. Quorum partem ad ministros confecti belli magnifice erogavit, plurima ac pretiosissima egenis et monasteriis diversarum provinciarum distribuit. Id munificentiæ studium adjuvit non modicus census, quem undique civitates et locupletes quique obtulerant novitio domino. Romanæ ecclesiæ Sancti Petri pecuniam in auro atque argento ampliorem quam dictu credibile sit, et ornamenta quæ Bizantium perchara haberet,
C in manum Alexandri papæ transmisit. Memorabile quoque vexillum Heraldi, hominis armati imaginem intextam habens ex auro purissimo, quo spolio promunere ejusdem apostolici benignitate sibi misso par redderet; simul et triumphum de tyranno Romæ ulteriusque optatum pulchre indicaret. Quanti famulorum Christi cœtus tum læti gratiarum hymnos canebant pro victore antea fautores, illius precum armatura, summatim recitamus. Mille Ecclesiis Franciæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, necnon Arverniæ, aliarumque regionum perpetuo celebre erit Willelmi regis memoriale. Beneficii magnitudo semper vivens mori benefactoris memoriam non patietur. Aliæ cruces aureas admodum grandes insigniter gemmatas, pleræque libras auri vel ex eodem metallo vasa, nonnulla pallia vel pretiosum aliud quid
D accepere. Splendide adornaret metrepolitanam basilicam, quod minimum in his donis cœnobiorum aliquod lætificavit. Ducibus atque regibus hæc et scripta in hoc libello complura innotescere velim ad exemplum aut incitamentum. Munera quidem gratissima Northmanniæ advenerunt a suo dulci nato pio patre festinante affectu missa, cum sævitia temporis atque maris intrante Januario esset acerrima. Nuntium vero eventus, cujus exspectatione intenta fuit et anxia, millies chariorem accepit. Nec enim adeo gratum acciperet quidquid Arabia pulchrum aut suave donare posset. Nullus unquam illuxit ei dies lætior, quam cum certo rescivit prin-

cipem suum, auctorem sui quieti status, regem esse. Urbes, castella, villæ, monasteria, multum pro victore, maxime congratulabantur pro regnante. Lux quædam insolitæ serenitatis toti provinciæ subito exorta videbatur. Quæ licet destitutam se putaret communi patre, dum ejus præsentia careret, sic tamen abesse volebat eum, magis ut summa potentia ipe uteretur quam ut sibi præsidio foret aut decori amplius potens. Tantum namque cupiebat Northmannia illius majestatem, quam ille Northmanniæ commoda sive honorem. Profecto dubium erat illum patria, an patriam ille plus diligeret, qualiter est olim dubitatum de Cæsare Augusto et populo Romano.

Diligeres ac maximi haberes eum et tu, Anglica terra, totamque te ejus pedibus læta prosterneres, si abesset imprudentia atque iniquitas tua, quo meliore consilio dijudicare posses in qualis viri potestatem deveneris. Præjudicare noli, dignitatem ejus diligentius cognosce, et quotquot exegisti dominos parvi habebis cum eo comparatos. Ejus honestatis pulchritudo optimo te colore decoravit. Didicit per legatum suum valentissimus vir rex Pyrrhus, tales fere, qualis erat ipse, Romam habere cunctos. Illa civitas parens regum orbis, terræ caput et domina, hunc qui tibi dominaturus est progenuisse et ipsius manu defensari, sapientia gubernari, imperio parere gauderet. Hujus milites Northmanni possident Apuliam, devicere Siciliam, propugnant Constantinopolim, ingerunt metum Babyloni. Nobilissimos tuorum filiorum juvenes ac senes Chunutus Danus trucidavit nimia crudelitate ut sibi ac liberis suis te subigeret. Hic ne Heraldum vellet occubuisse; imo voluit patris Goduini potentiam illi ampliare et natam suam imperatoris thalamo dignissimam in matrimonium, uti fuerat pollicitus, tradere. At si hæc tibi mecum non conveniunt, profecto sustulit a cervice tua superbum crudelemque dominatum Heraldi; abominandum tyrannum, qui te servitute calamitosa simul et ignominiosa premeret, interemit. Quod meritum in omni gente gratum habetur atque præclarum. Benefacta vero saluberrimæ dominationis qua eris exaltata, in seqentibus aliqua contra tuam invidiam testabuntur. Vivet vivet in longum rex Willelmus et in paginis nostris quas tenui orationis figura scribere placet, ut res pulcherrimas dilucide plures intelligant. Præsertim cum præcipui oratores, quibus dicendi graviter copia magna fuit, humili sermone, dum historias scribunt, usi reperiantur.

Multa Lundoniæ, posteaquam coronatus est, prudenter, juste, clamenterque disposuit, quædam ad ipsius civitatis commoda sive dignitatem, alia quæ genti proficerent universæ, nonnulla quibus Ecclesiis terræ consuleretur. Jura quæcunque dictavit, optimis rationibus dictavit. Judicium rectum nulla persona ab eo nequicquam postulavit. Specie vindicandi reatus avaritiam plerumque velat regnans iniquitas supplicio addicit innocentem, ut possessionem addicti rapiat. Ille neminem damnavit, nisi quem non damnare iniquum foret. Nam uti adversus libidines alias, ita adversus avaritiam invictum animum gerebat. Intellexerat esse regiæ majestatis illustri munificentia præstare, nihil ubi æquitas contradicit accipere. Suis quoque primatibus digna se et gravi[illegible]pit et diligentia suasit æquitatem. Esse jugiter in oculis habendum, cujus vicerint præsidio æternum imperatorem. Nimium opprimi victos nequaquam oportere victoribus professione Christiana pares, ne quos juste subegerint injuriis ad rebellandum cogerent. Ad hoc decere, ne quid turpiter in externis agitando, terræ ubi natus vel altus est dedecus infligeret. Milites vero mediæ nobilitatis atque gregarios aptissimis edictis coercuit. Tutæ erant a vi mulieres, quam sæpe amatores inferunt. Etiam illa delicta quæ fierent consensu impudicarum, infamiæ prohibendæ gratia, vetabantur. Potare militem in tabernis non multum concessit, quoniam ebrietas litem, lis homicidium solet generare. Seditiones interdixit, cædem et omnem rapinam, frenant ut populos armis, ita legibus arma. Judices, qui vulgo militum essent timori, constituti sunt, simul acerbæ pœnæ in eos qui delinquerent decretæ sunt; neque liberius Northmanni quam Britanni vel Aquitani agere permittebantur. Scipionem aliosque priscos duces proponunt imitandos qui de disciplina militari scriptis docent. Prorsus æque aut plus laudanda exempla ab exercitu Willelmi regis in promptu est accipere. Sed festinando dicamus alia, ne diu suspendamur a memorando reditu quem Northmannia intenta exspectabat.

Tributis et cunctis rebus ad regium fiscum reddendis modum qui non gravaret posuit; latrociniis, invasionibus, maleficiis locum omnem intra suos terminos denegavit. Portus et quælibet itinera negotiatoribus patere et nullam injuriam fieri jussit. Pontificium Stigandi, quod noverat non canonicum, minime probabat; sed apostolici sententiam exspectare melius quam properantius deponere existimabat. Suadebant et aliæ rationes, ut ad tempus pateretur atque honorifice haberet illum cujus inter Anglos auctoritas erat summa.

In sede metropolitana meditabatur sanctum vita, fama charum, eloquentia divini verbi potentem, qui suffraganeis episcopis congruam formam præbere et ovili Dominico præesse sciret cunctisque prodesse cuperet studio vigilanti. Item de ordinationibus aliarum ecclesiarum præcogitabat. Omnimo proba ejus in regnando initia fuere.

Egressus e Lundonia, dies aliquot in propinquo loco morabatur Bercingis, dum firmamenta quædam in urbe contra mobilitatem ingentis ac feri populi perficerentur. Vidit enim in primis necessarium magnopere Lundonienses coerceri. Ibi veniunt ad obsequium ejus Eduinus et Morcardus, maximi fere omnium Anglorum genere ac potentia, Algardi illius nominatissimi filii, deprecantur veniam, si qua in se contra eum senserant, tradunt se cunctaque sua

ejus clementiæ; item alii complures nobiles et opibus ampli.

In his erat comes Coxo, quem singulari et fortitudine et probitate regi, post et optimo cuique Northmanno placuisse audivimus. Rex eorum sacramenta ut postulaverunt, libens accepit, liberaliter eis donavit gratiam suam, reddidit eis cuncta quæ possederant, habebat eos magno honore. Inde progrediens diversas partes regni accessit, ordinando ubique utilia sibi et incolis terræ. Quaqua pergebat, in armis nemo manebat. Iter nullum obstruitur, occurrunt passim obsequentes, aut explicantes. Omnes ille clementibus oculis respexit, clementissimis plebem. Sæpe vultu miserantem animum prodidit, jussit multoties misericordiam, cum supplices conspiceret aut egenos, matres animadverteret voce et gestibus precari cum liberis.

Adelinum, quem post Heraldi ruinam Angli regem statuere conati fuerant, amplis terris ditavit, atque in charissimis habuit eum, quia regis Edwardi genus contigerat. Ad hoc ne puerilis ætas nimium doleret non habere honorem ad quem electus fuerat; ejusdem liberalitatis dono acceperunt Angli complures, quod a parentibus vel prioribus dominis non acceperant. Custodes in castellis strenuos viros collocavit ex Galliis traductos, quorum fidei pariter ac virtuti credebat, cum multitudine peditum et equitum. Ipsis opulenta beneficia distribuit, pro quibus labores ac pericula libentibus animis tolerarent. Nulli tamen Gallo datum est quod Anglo cuiquam injuste fuerit ablatum.

Guenta urbs est nobilis atque valens. Cives ac finitimos habet divites, infidos et audaces. Danos in auxilium citius recipere potest. A mari quod Anglos a Danis separat, millia passuum quatuordecim distat. Hujus quoque urbis intra mœnia munitionem construxit. Ibidem Guillelmum reliquit Osberni filium, præcipuum in exercitu suo, ut in vice sua interim toti regno Aquilonem versus præesset. Hunc ex omnibus Northmannis paterno more sibi fidissimum domi belloque perspexerat, simul fortitudine egregium et consilio sive rei domesticæ, sive militaris, necnon Domino cœlesti multo affectu devotum. Hunc Northmannis charissimum, Anglis maximo terrori esse sciebat. Hunc præ cæteris familiaribus a pueritia utriusque dilexerat et exaltaverat in Northmannia.

Castrum vero Doveram Odoni fratri suo commisit, cum adjacente ora australi quæ nomine vetusto Cantium dicta, Galliam propius spectat, unde et a minus feris hominibus incolitur. Consueverant enim merces cum Belgis mutare. Perhibetur, etiam attestante pagina vetustatis, maritimam hanc regionem a Gallis olim fuisse possessam, quibus eo transvectis prædæ ac belli inferendi causa agri fertiles placuere. Odo ille Bajocarum præsul cognitus fuerat talis, qui optime negotia sustinere valeret ecclesiastica et sæcularia. Bonitatem ejus et prudentiam primo testatur

A ecclesia Bajocensis, quam ipse multo studio egregie ordinavit atque ornavit, juvenis adhuc ætate, animi canitie senibus præferendus. Dein omni Northmanniæ utilis fuit ac decori. In synodis, ubi de Christi cultura, in disceptationibus, ubi de sæculi rebus agebatur, intelligentia pariter atque facundia enituit. Liberalitate parem non habuit Gallia, ita opinio publica consensit. Nec minus æquitatis amore meruit laudem. Arma neque movit unquam, neque voluit moveri; valde tamen timendus armatis. Bellum namque utilissimo consilio, cum necessitas postularet, juvabat, quantum potuit religione salva. Regi cujus frater erat uterinus, quem tanto amplectebatur amore, ut nec inter arma vellet ab illo separari, B a quo magnos acceperat, atque sperabat honores, unice constantissimeque fidelis fuit. Libentes eidem obsequebantur, ut acceptissimo domino, Northmanni atque Britanni. Nec Angli adeo barbari fuerunt, quin facile intelligerent hunc præsulem, hunc præfectum merito timendum esse, venerandum quoque ac diligendum.

Rex ita commissa regni cura Penevesellum se recepit, quem locum in nominandis ponendum censemus, quoniam ipso portu primo littus illud attigit. Stabant naves, ad transmittendum paratissimæ, quas vere decuerat albis velis more veterum adornatas esse. Erant enim revecturæ gloriosissimum triumphum, nuntiaturæ maxime optatum gaudium. Convenit eodem multus Anglorum equitatus. Ex his abducere secum decreverat, quorum præcipue fidem suspiciebat ac potentiam: archipræsulem Stigan- C dum, Adelinum propinquum regis Edwardi, tres comites, Edwinum, Morcardum et Gallevum; simul alios complures altæ nobilitatis, ut ipsis auctoribus nihil sub decessum suum novaretur, gens vero tota minus ad rebellionem valeret spoliata principibus. Denique eos potissimum veluti obsides in potestate sua tali cautela tenendos existimabat, quorum auctoritas vel salus propinquis et compatriotis maximi esset. Sic autem fuere subacti, ut obsequentissime facerent imperata. Nam et si petere quid malebat, præcepti vice audierunt. Præsertim cum non traherentur ut captivi, sed dominum suum regem proximi comitarentur ampliorem ex hoc gratiam atque honorem habituri. Hanc enim ejus animadvertebant humanitatem unde optima quæque exspectanda fo- D rent nihil metuendum crudele vel injurium. At milites repatriantes, quorum in tantis negotiis fideli opera usus fuerat, larga manu ad eumdem portum donavit, ut optimum fructum victoriæ secum omnes percepisse gauderent. Ita solutis navibus, omnium animis lætissimis, in altricem terram prevehitur secundo et vento et æstu. Transmissio hæc mare diu pacavit, pirata omni procul fugato. Fidelitatem actorum, quæ qui noverit merito admiratur, multo magis admirandam celeritas fecit. Siquidem Octobris circiter Kalendas, die quo memoriam archangeli Michaelis Ecclesia concelebrat, terram ad hostilem dubius quem consequeretur eventum abiit, mense

Martio in sinum patriæ redditus, est melius quam scripta nostra exponant rebus gestis.

Julius Cæsar, bis transvectus in ipsam Britanniam navibus mille, (nam Anglis nomen antiquius est Britanniæ,)non æque magna peregit prima vice, nec a littore longius progredi, nec in littore, tametsi patria consuetudine castra munierit, diutius morari ausus est.Transiit in extremo æstatis, rediit ante æquinoctium quod prope instabat. Perturbatæ sunt legiones ejus magno metu, cum naves partim fractæ æstu maritimo aut fluctibus,partim inutiles ad navigandum essent, armamentis amissis.Aliquæ civitates quoniam in otio agitare quam populum Romanum, cujus tremenda erat per mundum opinio, hostem tolerare malebant,obsides ei dederunt. Cæterum,quos in continentem obside adducere imperavit, præter duas cunctæ neglexerunt, quanquam in Belgio cum immani exercitu hibernare eum noverint. Secundo pedites Romanos et equites ad millia fere centum transportavit, una ex civitatibus Galliæ primos quamplures cum eorum equitatu. Quid igitur hujus viri, quem scribimus, conferendum laudibus hac vice patravit? Equitatus Britannorum et Essedarii cladem illi non parvam intulerunt, æquo loco audacissime cum eo confligentes. Angli vero Willelmum pavidi in monte operiebantur. Cæsarem prælio sæpius adorti sunt Britanni. Anglos adeo Willelmus die uno protrivit ut post secum dimicandi fiduciam nullatenus reciperent. Cum idem imperator ad flumen Tamisim pervenisset, in fines Cassivellauni,qui contra se bellum administrabat, exercitum ducens, in adversa ripa hostes instructi obstabant. Ægerrime milites Romani vada transierunt, ex aqua capite solo exstantes. At cum in eamdem regionem dux Northmannorum adventaret, obviam ei clementiam deprecando processerunt civitates et municipia.Militibus ejus trajectum ultra flumen ponte,si id collibuisset imperare,sine mora paravissent. Cæsar, ut agros vastaret, igne ac præda equitatum suum effudit,quos latius vagari Cassivelau nus prohibebat,ex Essedis pugnare peritos immittendo. Willelmus autem,pacifica jubens incolis,terram quam citius evertere posse incolas cum terra sibi conservavit.Defendit Cæsar ab injuria Cassivellauni Maudrubatium et civitatem, cujus imperium reddidit Maudrubatio. Liberavit in perpetuo Willelmus gentem omnem a tyrannide Heraldi, atque solium obtinuit ipse, unde regionibus quæ sub multis regibus quondam egerant unus imperitaret. Romani solum ex Britanniæ majoribus Cingetorigem ceperunt. Mille ex ipsa natione illustres in vincula, si placuisset, conjecissent Northmanni. Quanta partibus in ipsis Romani gesserunt tempore æstivo! quanta Northmanni hiberno! Hiemem ad res bello gerendas minus quam æstatem opportunam esse pernotum est. Cæsari satis fuerat ad laudem vel utilitatem, prælia cum Britannis, uti cum Gallis, imperando facere. Equidem sua manu raro pugnavit. Hæc multa ducum antiquorum consuetudo fuit.

A Attestantur Commentarii eloquentia ipsius dictati. At dedecus visum est Willelmo, ac parum utile, in eo conflictu quo contrivit Anglos, officia præstare imperatoris, nisi præstaret officia quoque militis, uti bellis aliis consueverat. In omni enim certamine, ubi præsens aderat, primus aut in primis gladio suo pugnare solitus erat.

Si Romani illius et nostri principis acta attentius perspexeris, illum temerarium atque fortunæ nimis confidentem, hunc omnino providum hominem qui magis optimo consilio quam casu res bene gesserit, recte dices. Postremo Cæsar, civitatibus aliquot in deditione et obsidibus a Cassivellauno acceptis, necnon aliquanto vectigali, quod in annos singulos Britannia populo Romano penderet constituto, exercitum difficile duobus commeatibus in Belgium reportavit, navibus quippe refectis et minoris quam adduxerit numeri, ob incommodum quod ex tempestate acciderat. Tali minime Willelmus difficultate angebatur. Pareret ei gens eadem imperanti navigia nova ad numerum et modum quem vellet, insuper metallo pretioso decorata, velis purpureis adornata, peritis remigibus, delectis gubernatoribus instructa. En quam gloriose revectus est non trahens, ut Romani, vulgus captivum, sed habens in comitatu et obsequio suo totius Britanniæ episcoporum primatem, atque magnos in transmarinis cœnobiis abbates et filios Anglorum tam stemmatis quam opum dignitate reges appellandos. Attulit non aliquantulum vectigal, non rapinas, sed, quantum ex ditione trium Galliarum vix colligeretur, argentum atque aurum quod rectissimo jure acceperat, quod, ubi honestissimæ rationes postularent,expendere cogitabat.Chari metalli abundantia multipliciter Gallias terra illa vincit. Ut enim Horreum Cereris dicenda videtur frumenti copia, sic Ærarium Arabiæ auri copia.Mentionem super Julio Cæsare quæ forte notetur quasi derogans, omittamus.Fuit itaque eximius dux lectione doctus Græcorum præcepta militaria, militia Romana cum laude ab adolescentia usus, virtute consecutus Urbis consulatum. Bella multa cum bellicosis gentibus feliciter atque celeriter confecit, novissime Romam Africæ et Europæ atque Asiæ præsidentem regnum suum bellando effecit.

Vespasiani filio Tito, qui dum recta vehementer amaret, orbis Amor dici meruit, nunquam Italia lætior quam Northmannia occurrit Willelmo regi principi suo. Dies erant hiberni et qui pœnitentiæ quadragesimalis rigori vacant. Cæterum, ubique agebantur tanquam summæ festivi temporis feriæ; sol æstiva serenitate lucidus videbatur, gratia dierum solita longe major. Minorum sive remotiorum locorum incolæ in urbes, aut alio, ubi facultas conspiciendi regem daretur, confluebant. Cum in metropolim suam Rothomagum introiret, senes, pueri, matronæ, cunctique cives spectatum processerant, conclamabant salutantes reducem, adeo ut civitas illa universa applaudere putaretur, sicuti

Roma quondam Pompeio suo applaudens tripudiavit. A Monasteria certabant monachorum atque cleri quodnam in adventu sui charissimi tutoris ampliorem officiositatem impenderent. Nihil relinquebatur quod in studio talis honorificentiæ agi solitum est. Præterea, si quid novum adinvenire potuit, addebatur. Quam pietatem ipse confestim lucro multiplici recompensavit, donans pallia, libras auri, aliaque magna altaribus ac famulis Christi. Nullius unquam regis aut imperatoris largitatem in oblationibus majorem comperimus. Item quas ecclesias non præsentia sua, muneribus visitavit iterum. Cadomensi basilicæ modo specieque admirabili suis impendiis, ad titulum beati Stephani protomartyris a fundamento, ut ante est memoratum, exstructæ, tum diversa donaria advexit, materia artificioque pretiosissima, quæ ad sæculi terminum honore permanere valeant. B Singula descriptionibus aut nominibus designare spatiosum foret. Voluptuosum est ea perspectare hospitibus maximis et qui sæpe nobilium ecclesiarum thesauros viderant. Transiret illac hospes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eadem. Angliæ nationis feminæ multum acu et auri textura, egregie viri in omni valent artificio. Ad hoc incolere apud eos Germani solebant talium artium scientissimi. Inferunt et negotiatores qui longinquas regiones navibus adeunt, doctarum manuum opera.

Potentes nonnulli sanctis inique largiuntur, plerumque in iisdem donationibus laudem suam in mundo, delicta sua coram Deo adaugentes. Spoliant ecclesias et rapinis ipsis alias ditant. Rex vero Willelmus nunquam, nisi bonitate, sinceram famam sibi comparavit, donans vere sua, mente ad spem interminæ mercedis, non ad gloriam quæ deperi- C bit intentus. Abundantes Ecclesiæ transmarinæ, aliqua ei libentes, quæ in Galliam transferret, dederunt, quoniam ea multuplo redemit rebus aliis. Patriam, non minus regno charam sibi, præcipue causa probæ gentis, quam principibus terrenis fidam, culturæ Christi valde deditam noverat, in statu quem volebat invenit.

Optime quidem egerat in gubernaculo domina nostra Mathildis, jam nomine divulgato regina, et si nondum coronata. Illius prudentiam viri adjuvere consilio utilissimi, in quibus locum dignitatis primum tenebat Rogerus de Bellomonte, Humfridi hominis generosissimi filius, ob maturitatem ævi liberior ad negotia quæ domi geruntur. Filio adolescenti, super cujus fortitudine in prælio contra Heraldum paucis diximus, officio militari tradito. Verum quod finitimi incursionem nullam ausi fuerant, cum ter- D ram fere militibus exhaustam scirent, regi ipsius, cujus reversionem verebantur, primo ascribendum arbitramur.

Ad cœnobium Sanctæ Trinitatis Fiscanni Pascha celebravit Dominicum, Redemptorem resurrectionis suæ festo reverendissimo honorans cum frequentia venerabilium et præsulum et abbatum. Humiliter astans ille choris ordinum religiosorum, ludicra intermittere, concurrere ad divina militum plebisque turbas coegit. Regis Francorum vitricus intererat huic curiæ Rodulphus præpotens comes, multaque nobilitas Franciæ. Curiose hi cum Northmanni, cernebant crinigeros alumnos plagæ aquilonalis, quorum pulchritudini Galliæ comatæ formosissimi juvenes inviderent. Nec enim puellari venustati cedebant. Regis autem regiorumque satellitum indumenta spectantes intexta atque crustata auro, quæque antea viderant vilia æstimavere. Item, vasa argentea sive aurea admirabantur, quorum de numero vel decore vere narrari possint incredibilia. His tantum ex populis cœnaculum ingens bibebat, aut cornibus bubalinis metallo decoratis eodem circa extremitates utrasque. Denique plurima hujuscemodi competentia regali munificentiæ notabant, quæ reversi domum ob novitatem prædicarent. Cæterum, talibus longe insigniorem, atque plus memorandam ipsius regis cognovere honestatem. Æstiva illa et autumnum partemque hiemis circa mare transegit, tempus hoc patriæ amori omne donans. Quæ nec hac mora, neque superioris anni expeditione suas opes attenuatas fuisse dolebat. Ea illius temperantia fuit ac prudentia. Militibus et hospitibus abunde sumptus ministrabatur, nemini rapere quidpiam concedebatur. Provincialium tuto armenta vel greges pascebantur, seu per campestria, seu per tesqua, segetes falcem cultoris intactæ exspectabant, quas nec attrivit superba equitum effusio, nec demessuit pabulator. Homo imbecillis aut inermis equo cantans qua libuit vectabatur, turmas militum cernens, non exhorrens.

Interea Bajocensis præsul Odo et Willelmus Osberni filius, præfecturas in regno uterque suas laudabiliter administrabant interdum simul agitantes modo diversi. Si quando necessitudo postulabat, festinam alter alteri ferebat opem. Per amicam qua sincere voluntatem concordabant, amplius valuit prudens eorum vigilantia. Mutuo sese, regem æqualiter diligebant, affectu ardebant pari ad continendum in pace gentem Christianam, consilio alter alterius æquanimiter assentiebantur. Æquitate utebantur maxima, uti rex præmonuerat, qua homines efferi et inimici corrigerentur et benevoli fierent. Item præfecti minores, ubi quisque in munitionibus locatus fuerat, strenue curabant. Verum Angli, neque beneficio, neque formidine satis coerceri poterant, ut quietem serenam quam res novas ac turbidas mallent. Consurgere palam in arma non confidunt, sed regionatim de pravis conspirationibus tractant, si quibus forte dolis prævaleant ad nocendum. Ad Danos, vel alio, unde auxilium aliquot speratur, legatos missitant. Ultro in exsilium aliqui profugiunt quo extorres vel a potestate Northmannorum sint liberi, vel aucti opibus alienis contra eos revertantur.

Regi ea tempestate Eustachius comes Boloniæ adversabatur, qui filium de fide ante bellum in Northmannia obsidem dederat. Ei persuadent hi maxime qui Cantium inhabitant, uti castrum Doveram invadat, ipsis utens adjutoribus. Equidem fore, si firmissimo loco hoc sit potitus cum portu marino, ut potentia ejus latius distendatur, sicque potentiam Northmannorum diminutam iri. Nam, quia Northmannos odere, cum Eustachio pridem sibi inimicissimo concordavere. Eum bellandi peritum, atque in prælio felicem experimentis cognoverant. Si erat serviendum non compatriotæ, noto servire atque vicino satius putabant. Accidit ut occasio temporis eventum rei quam affectabant promitteret. Abierant ultra flumen Tamisim primi munitionis custodes, præsul Bajocensis, atque Hugo de Monteforti, militum parte majori secum ducta. Eustachius itaque, accepto nuntio Anglorum, cum suis ad eos noctis conticinio transivit, ut incaute opprimeret Castellanos. Classem duxit militibus delectis oneratam relictis equis præter admodum paucos. Vicinia omnis adfuit armata, auctior numerus ex ulterioribus accederet, si mora biduana obsidio traheretur. Cæterum custodiam invenerunt minus opinione remissam, plus metu ad defensandum validam. Eripiunt velocitas equi, notitia tramitis, navisque paratior. Nobilissimus autem tiro nepos ejus comprehensus est. Angli per diverticula plura eo facilius evaserunt, quo minus commodum erat paucitati Castellanorum insequi per diversa. Jure id Eustachio dedecus atque detrimentum contigit. Equidem si rationes quæ ejus liti controversantur depromerem, regis eum gratiam atque regis dono accepta beneficia ex æquo et bono amisisse plane convincerem. Neque sententia erravit dicta consensu Anglorum et Gallorum, qua de reatu multo convictus est. Sed parcendum sentimus personæ multifariam illustri, comiti nominato, qui reconciliatus nunc in proximis regis honoratur.

Eodem fere tempore Coxo comes, quem placuisse Northmannis diximus, morte occidit immerita et quam deceat propagari. Ut igitur vivat laus ejus, atque per exemplum oriatur in posthumis innocentia defuncti litteris efficere juvat. Prosapia ac potentatu Anglus hic juxta præcelsus, magis animi singularitate prudentis et omnino honesti excelluit. Hic regis causam et ipsum favore multo probabat. Sui vero satellites ab ipso dissidebant, factionum deterrimi fautores ac socii. Proinde eum ab officio transvertere tentabant, sæpe monentes quasi per amicitiam de privato honore, ut libertatem a proavis traditam defenderet; nunc obsecrantes atque obtestantes, tanquam gratia rerum publicarum, ut extraneos deserens optimorum hominum suæ nationis et consanguinitatis voluntatem sequeretur. Sane diutina variaque calliditate hæc suggerebant, et hujusmodi alia. Sed ubi mentem firmiter in tenore boni fixam taliter dimovere nequeunt, comprovinciales ad invidiam concitavere quam necessario placaret ab rege deficiendo. Postremo augescente in dies malevolentia ipsorum, cum ille popularium odia, omnemque injuriam perpeti, quam integritatem fidei temerare mallet, per insidias oppressum interfecere. Ita eximius vir suo casu, quod majestas domini sui stare deberet asseruit.

Sane pontifices quidam obsequio regio studebant, maxime Adelred primas Eboracensis....... *Reliqua desunt in ms. Codice.*

APPENDICES AD GESTA WILLELMI CONQUESTORIS

APPENDIX PRIMA.

GENEALOGIA DUCUM NORTHMANNORUM.

Ex veteri codice Ms.

Anno Dominicæ Incarnationis 896, regnante Francorum rege Carolo, qui Simplex appellatus est piratæ Danorum ex insula Scanzia, quæ Northvega, dicitur, egressi, cum in Francia multa gessissent præliare gnumque devastassent, Carolus prædictus acceptis obsidibus, eis Neustriam tradidit quam ab ipso tempore vocaverunt Northmanniam, eo quod ab ipsis qui ex Northvega venerant possessa erat. Robertus igitur, Rollo dictus, eorum primus erat dux comesque Northmanniæ. Robertus iste genuit Willelmum, qui Longa-Spatha cognominatus est, quem Franci dolo occiderunt. Willelmus autem Longa-Spatha genuit Richardum senem. Hic genuit filiam, nomine Emmam, de qua natus est Eduardus rex Anglorum. Richardus autem senex genuit Richardum. Richardus vero secundus genuit Richardum tertium et Robertum. Richardus autem genuit Nicolaum Sancti Audoeni abbatem. Robertus vero genuit Willelmum Nothum, qui post mortem Eduardi transfretavit in Angliam anno Domini 1066, regnumque obtinuit jure hæreditario, quia ejus atavus Richardus senex fuerat, cujus Emma filia Eduardum regem genuerat. Willelmus iste Nothus tres filios habuit, Robertum videlicet et Willelmum Ru-

fum atque Henricum, ex Mathilda filia Balduini comitis Flandriæ, qui sepultus est apud Insulanum oppidum. Willelmo Notho defuncto, Willelmus Rufus ejus filius rex creatus est et Robertus comes Northmanniæ. Willelmus ergo Rufus cum esset in silva venandi causa, quidam ejus miles, dum sagitta cervum appetiit, pro cervo ipsum regem occidit. Quo interfeto, Robertus regis frater, qui successor ejus esse debuit, tum erat Hierosolymis, et Henricus frater ejus et homo injuste regnum ejus invasit. Roberto autem urbe Jerusalem capta regresso, Henricus mare transmeato fratrem in Northmannia expugnavit et dolo cœpit, captumque A transmisit in Angliam et Northmanniam cum Anglia obtinuit. Hic accepit filiam Malcolumni regis Scotorum, nomine Mathildam, quam sancta Margareta peperit, neptis Eduardi regis Anglorum, qui fuit rex ante Willelmum Nothum. De qua, videlicet Mathilda, prædictus rex Henricus Willelmum et Mathildam genuit, quam imperatori Henrico Juniori dedit, anno Domini 1110. Anno vero 1120, dum Willelmus a Northmannia in Angliam transire vellet, patrem secutus cum comitibus et nobilium Anglorum filiis submersis periit, VIII Kal. Decembris,

EPITAPHIUM WILLELMI DUCIS NORTHMANNORUM ET REGIS ANGLORUM.

(*Hist. litt. de la France*, tom. VIII, p. 180.)

Qui rexit rigidos Northmannos atque Britannos
  Audacter vicit, fortiter obtinuit;
Et Cenomanenses virtute coercuit enses,
  Imperiique sui leges applicuit.
B Rex magnus parva jacet hi hic Willelmus in urna,
  Sufficit et magno parva domus domino.
Ter septem gradibus se volverat atque duobus
  Virginis in gremiis Phœbus, et hic abiit.

ALIUD EPITAPHIUM.

Ex membrana veteri semilacera.

(DUCHESNE *script. Rer. Norm.* pag. 317.)

  Flete, viri, lugete proceres, resolutus est rex in cineres.
Rex editus de magnis regibus, rex Willelmus in bello fortissimus,
Rex Anglorum et dux Northmanniæ, Cenomannis dominus patriæ.
  In omnibus quæ sibi subdidit et in quibus se cunctis prætulit,
Plus debetur virtuti propriæ, quam millibus suæ militiæ.
Magna virtus et sapientia, qua regebat tot unus millia.
  Rex Willelme, potens et nobilis, facta probant, quod es laudabilis.
Scribi debet in signum posteris, qua præstabas virtute cæteris.
Sed quis stylus, aut quæ facundia, possent ire per tot insignia?
  In feroci monstratur Anglia, præter mille miranda prælia,
Qualis comes in Cenomannia, quantus esset dux in Northmannia.
Rex de duce se fecit postea, dignissimum Romana laurea.
  Gens Anglorum, turbastis principem, qui virtutis amabat tramitem.
Vos sensistis quid posset facere, qui solebat per arma vincere.
Magnum fuit vobis exitium, sed ob vestri regis perjurium.
  Postquam suo junxit imperio, vos tractavit regni judicio.
Sic devicit potentes Angliæ, quod inclusit superbos Daniæ.
Magnus honor de tali domino, magnus dolor de vitæ termino.
  Rex Willelme, te claudit tumulus, sed per orbem te plangit populus.
Plangunt omnes facta mirifica, largitates, bella pacifica,
Quanto magis labuntur tempora, tanto de te suspirant pectora.
  Quisquis iret per tuam patriam, non timebat hostis injuriam.
Timor eras in multitudine, securitas in solitudine.
Nunc ex lege non est securitas nunc defendit sua pluralitas.
  Heu! post tanti principis obitum, summus honor tendit ad exitum.
Casus ille plangendus nimium, qui honori præstat exsilium.
Terra suis orbata viribus, pressa jaces longis mœroribus.
  Et merito. Nam nulli similis ille potens, ille mirabilis.

APPENDIX II.

COGNOMINA NOBILIUM QUI WILL. NORTHM. DUCEM IN ANGLIAM SECUTI SUNT.

Ex tabula monasterii de Bello in Anglia, vulgo BATTAIL ABBAY, *cum hac superscriptione.*

Dicitur a bello Bellum locus hic, quia bello
Angligenæ victi sunt hic in morte relicti:
Martyris in Christi festo cecidere Calixti.
Sexagenus erat sextus millesimus annus,
Cum pereunt Angli, stella monstrante cometa.

A

Aumerle.
Audeley.
Angilliam.
Argentoun.
Arundell.
Avenant.
Aabel.
Awgers.
Angenoun.
Archer.
Aspervile.
Amonerdvile.
Arey.
Akeny.
Albeny.
Asperemound.

B

Bertram.
Buttecourt.
Bræhus.
Byseg.
Bardolf.
Basset.
Bohun.
Baylife.
Bondevile.
Barbason.
Beer.
Bures,
Bonylayne.
Barbayon.
Berners.
Braybuf.
Brand.
Bonvile.
Burgh.
Bossy.
Blondel.
Breton.
Belasyse.
Bowser.
Bayons.
Bulmere.
Broune.
Beke.
Bowlers.
Banestre.
Belomy.
Belknape.
Beauchamp.
Bandy.
Broyleby.
Burnel.
Belot.
Beufort.
Baudewine.
Bordon.
Berteuyley.
Barte.
Bussevile.
Blunt.
Beawper.
Bret.
Barret.
Barnevale.
Barry.
Bodyt.
Bertevile.
Bertine.
Belew.
Buschell.
Beleners.
Buffard.
Boteler.
Botuile.
Brasard.
Bethelme.
Braunche.
Bolesur.
Blundel.
Burdet.
Bigot.
Beaupont.
Bools.
Belefroun.
Barchampe.

C

Camos.
Chanville.
Chawent.
Chancy.
Couderay.
Colvile.
Chamberlaine.
Chambernoune.
Cribet.
Corbine.
Corbet.
Coniers.
Chaundos.
Coucy.
Chaworthe.
Claremaus.
Clarell.
Camnine.
Chaundyt.
Claruays.
Chantilowe.
Colet.
Cressy.
Courtenay.
Constable.
Chancer.
Cholmelay.
Corleville.
Champeney.
Carew.
Chawnos.
Claruaile.
Champaine.
Carbonell.
Charles.
Chareberge.
Chawnes.
Chawmont.
Cheyne.
Cursen.
Conell.
Chayters.
Cheynes.
Cateray.
Cherecourt.
Chaunvile.
Clereney.
Curly.
Clyflord.

D

Deauvile.
Dercy.
Dine.
Dispencer.
Daniel.
Denyse.
Druell.
Denaus.
Dauers.
Doningsels.
Darell.
Delabore.
de la Pole.
de la Lind.
de la Hill.
de la Wate.
de la Watche.
Dakeny.
Dauntre.
Desuye.
Dabernoune.
Damry.
Daucros.
de la Vere.
de Liele.
de la Warde.
de la Planch.
Danway.
de Hewse.
Disard.
Durant.
Diury.

E

Estrange.
Estouteville.
Escriols.
Engayne.
Eners.
Esturney.

F

Foluile.
Fitz Water.
Fitz Marmaduk.
Fibert.
Fitz Roger.
Fitz Robert.
Fanecourt.
Fitz Philip.
Fitz William.
Fitz Paine.
Fitz Alyne.
Fitz Raulfe.
Fitz Browne.
Foke.
Freuile.
Facombrige.
Frissel.
Filioll.
Fitz Thomas.
Fitz Morice.
Fitz Hughe.
Fitz Warren.
Faunuile.
Formay.
Formiband.
Frison.
Finer.
Fitz Urey.
Furninall.
Fitz Herbert.
Fitz John.

G

Gargraue.
Graunson.
Gracy.
Glaunuile.
Gouer.
Gascoyne.
Gray.
Golofer.
Grauns.
Gurly.
Gurdon.
Gamages.
Gaunt.

H

Hansard.
Hastings.
Haulay.
Husie.
Herne.
Hamelyn.
Harewell.
Herdel.
Hecket.
Hamound.
Harecord.

I

Iarden.
Iay.

Inuuile.
Insparuile.
K
Karse.
Karson.
Kyriell.
L
Lestrange.
Leuony.
Latomere.
Loueday.
Logenton.
Leuel.
Lescrope.
Lemare.
Litterile.
Lucy.
Listay, or Liele.
Longspes.
Lonschampe.
Lastels.
Lindsey.
Loterel.
Longuaile.
Lewawse.
Loy.
Lancie.
le Despenser.
M
Marmilon.
Moribray.
Moruile.
Manley.
Malebranche.
Malemaine.
Muschampe.
Musgrave.
Mesni-le-Villers.
Mortmaine.
Muse.
Marteine.
Mounthocher.
Maleuile.
Mountney.
Malcherbe.
Musgros.
Musard.

Mautrauers.
Merke.
Murres.
Montagu.
Montalent.
Mandute.
Manle.
Malory.
Merny.
Muffet.
Menpincoy.
Mainard.
Morell.
Morley.
Mountmartinyners.
Mauley.
Mainwaring.
Mantell.
Mayel.
Morton.
N
Neuile.
Neumarche.
Norton.
Norbet.
Norece.
Newborough.
Neele.
Normanuile.
O
Otenel.
Olibel.
Olifaunt.
Oysell.
Oliford.
Oryoll.
P
Pigot.
Pocy.
Percecount.
Pershale.
Power.
Paynel.
Peche.
Penerell.
Perot.
Picard.

Pudsey.
Pimeray.
Pounsey.
Punchardon.
Pynchard.
Placy.
Patine.
Pampilion.
Poterell.
Pekeney.
Peruinke.
Penicord.
Q
Quincy.
Quintine.
R
Rose.
Ridle.
Rynel.
Rous.
Russel.
Rond.
Richemond.
Rocheford.
Reymond.
S
Seuche.
Seint Quintine.
Seint Omer.
Seint Amand.
Seint Leger.
Souervile.
Sanford.
Somery.
Seint George.
Seint Les.
Saulne.
Seint Elo.
Seint Albine.
Seinte Barbe.
Sandeuile.
Seint More.
Seint Scudomor.
T
Tows.
Talybois.
Tuchet.

Truslot.
Trusbut.
Traynel.
Taket.
Talbot.
Tanny.
Tiblote.
Trussell.
Turbenile.
Turuile.
Torel.
Tauers.
Torel.
Tirell.
Totels.
Tauerner.
V
Valence.
Vancord.
Vanasour.
Vendor.
Verder,
Verdon.
Aubric de Vere.
Vernoune.
Verland.
Verlay.
Vernois.
Verny.
Vilan.
Vinframuile.
Vnket.
Vrnall.
W
Wake.
Waledger.
Warde.
Wardebus.
Waren.
Wate.
Wateuile.
Woly.
Wyuell.

COGNOMINA EORUM QUI CUM WILLELMO CONQUESTORE ANGLIAM INGRESSI SUNT.

Ex Historia ms. Jorvalensi auctore Joanne Bramptono abbate Jorvalensi, qui floruit anno 1199.

Maundeville et Daundeville.
Oumfraville et Doumfreville.
Bolevile et Baskervile.
Evile et Clevile.
Morevile et Colevile.
Warbeville et Cawile.
Botevile et Stotevile.
Deuerous et Canvile.
Mooun et Bohun.
Vipoun et Vinoun.
Baylon et Bayloun.
Maris et Marmioun.
Agulis et Aguloun.
Chamberlain et Chambersoun.
Ver et Vernóun.
Verdeis et Verdoun.

Criel et Cardoun.
Dauver et Dauernoun.
Hasting et Camois.
Bardolph Botes et Boys.
Waren et Wardeboys.
Rodes et Denverois.
Auris et Argenton.
Botetour et Botevillein.
Malebouch et Malemein.
Hautevile et Hautein.
Dauney et Deueyn.
Malins ét Malvesine.
Morton et Mortemer.
Bravuz et Columber.
Seint Dennis et Seint Cler.
Seint Aubin et seint Omer.

Seint Philbert, Fyens et Gome.
Turbevile et Turbemer.
Gorges et Spenser.
Brus et Botteler.
Crenawel et seint Quintin.
Deueroug et seint Martin.
Seint Mort et seint Leger.
Seint Vigor et seint Per.
Avenel et Paynel.
Payver et Perdel.
Rivers et Rivell.
Beauchamp et Beauapel.
Lou et Lowel.
Ros et Druell.
Mountabouns et Mountsorell.
Trussebot et Trassel.

Burgas et Burnell.
Bray et Bolterell.
Biset et Basset.
Malevile et Mallet.
Bonevil et Bouet,
Nervil et Narbet.
Coinel et Corbet.
Mountain et Mount-ficher.
Genevile et Giffard.
Say et Seward.
Gari et Chaward.
Periton et Pipard.
Harecourt et Hansard.
Musgrave et Musard.
Mare et Mautrauers.
Fernz et Ferrern.
Barnevil et Berners.
Cheyne et Chalers.
Danudon et Daungers.
Vesey, Gray et Graungern.
Bertran et Bigod.
Trayly et Traygod.
Penbert et Pigot.
Freyn et Foliot.
Dapisoun et Talbot,
Saurauer et Saunford.
Vagu et Vautort.
Montagu et Moundford.
Forneus et Forneuous.
Valens, Yle et Vaus.
Clarel et Claraus.
Aubevil et seint Amous.
Agos et Dragous.
Malherbe et Maudut.
Brewes et Chaudut.
Fitz Aures et Fitz de Lou.
Cantenor et Cantelou.
Brayfuf et Hulbins.
Bolebek et Molyns.
Moleton et Besil.
Rochford et Desevil.
Watervil et David.
Nevers et Nevil.
Heynoys, Burs, Burdevon.
Ylebon, Hyldebrond et Helion.
Loges et seint Lou.
Mouban et seint Malou.
Wake et Waheuil.
Coudray et Knevil.
Sealiers et Cleremount.
Beomis et Beaumount.
Mouns et Mounchamp.
Percy, Cruce et Lacy.
Quincy et Tracy.
Stoker et Somery.
Seint John et seint Jay.
Greyly et seint Valery.
Nowers et Nowchamp.
Pinkeny et Pauely,
Monhaut et Monchensy
Loucin et Lucy,
Artos et Arcy,
Grevil et Courcy,
Arras et Cressy,
Merle et Moubray,
Gornay et Courtenay
Haustlaing et Turnay,
Husee et Husay,
Pounchardon et Pomeray,
Longevil et Longespay,
Payns et Pontelarge
Straunge et Sauuage.

MAGNATES SUPERSTITES ANNO XX REGNI WILLEMI CONQUESTORIS,

Et quibus in comitatibus terras tenuerant.

Comes Eustachius Kent Surrey, Hauischire, Somerset, Herford Oxon. Cant, Hunt. Bedf. Essex, Norff. Suff.

Comes Moritoniensis. Sussex, Surrey, Bork. Wiltz, Dorset, Somerset, Deuon. Cornubia, Mid. Hertford, Buck. Oxon. Gloc. Cant. Northamp. Nott. Ebor. Norff.

Comes de Ow. Suffex, Hunt.

Comes Rogerus. Sussex, Surrey, Hampscire, Wilt. Mid. Hertford. Gloc. Wigen. Cant. Wariwich, Staff. Salop.

Comes Alanus. Hamteschire Dorset, Hertford. Cant. Nothampt. Derb. Nott. Ebor. Lincoln. Essex Norff. Suff.

Comes Hugo. Hamschire. Berk. Dorcet, Somerset, Deuon. Buck. Oxon. Gloc. Hunt. Northampt. Warwic. Salop. Cestr. Derb. Nott. Roteland, Ebor. Linoln. Norfl. Suff.

Comes Ebroicensis. Ber.

Comes Albericus. Wilt. Northampt, Lecestr. Warwic. Oxon.

Comes Ivo Taylebois Lincoln.

Willelmus filius Asberni comes Herefordiæ, mortuus antea.

Ado comes Albemarlæ, mortuus antea.

Radulfus comes Estungliæ, mortuus antea.

Siwardus comes, mortuus antea.

Hugo de Monlfort. Kent.

Richardus filius Gisleberti comitis Kent. Surr. Wilt. Denon Mid.

Hamo vice comes Kanciæ. Kent. Surr.

Willelmus de Warenne, Sussex, Hamt.

Willelmus de Braiosa. Sussex, Surr, Hamt. Berk. Wilt. Dorset

Willelmus filius Ausculfi. Surr Berk. Mid.

Walterus filius Otheri. Surr. Hamt. Berk. Mid.

Walterus du Duvay. Surr. Somerset, Deuon.

Gislebertus filius Ricerii de Aigle. Surr.

Goisfredus de Mannevile. Surr. Berk. Mid. Hertf.

Goisfredus Orlatele. Surr.

Robertus Malet. Surr.

Hunfridus Camerarius. Surr. Hamt. Berk. Wilt Dorset, Somerset.

Radulfus de Filgeres. Surr.

Aluredus de Merleber. Surr. Hamt. Wilt. Somerset.

Hugo de Port. Hamt. Berk.

Hubertus de Port. Hamt.

Willelmus de Percy.

CATALOGUS NOBILIUM QUI IMMEDIATE PRÆDIA A REGE CONQUESTORE TENUERUNT.

Ex Censuali Angliæ libro, quem ipse Conquestor anno regni sui 20 confici jussit.

A

Willelmus filius Ansculfi,
Willelmus Alisius.
Willelmus arcuarius.
Osbernus accipitrarius.
Willelmus filius Azor.
Goscelinus filius Azor.
Gilo frater Asculfi.
Aiulfus vicecomes.
Albertus.
Theodricus aurifaber.
Stephanus filius Airardi
Regerius Arundel.
Robertus de Albemarle.
Ruald. Adobed.
Aiulphus.
Edgarus Adeling.
Nigellus de Albigni.
Milo frater Ansculfi.
Urso de Abetost.
Hugo Asinus.
David de Argentomago [Angentomo].
Henricus filius Azor.
Robertus Albus.
Walterus de Aincurt.
Goiffredus Alselin.
Osbernus de Aris.
Odo Arbalistarius.
Normam de Adreci.
Ansgotus.
Edmundus filius Algoti.
Hunfredus filius Alberici.
Aluredus.
Aldid.
Frodis frater abbatis.
Willelmus de Arcis.
Alsi.
Rabellus artifex.
Gislebertus arbalistarius.
Bernadus arbalistarius.
Radulfus arbalistarius
Robertus arbalistarius.
Gislebertus filius Richerii de Algle.

B

Willelmus de Braiose.
Willelmus Bertram.
Gislebertus de Bretevile.
Hugo filius [Baldrici].
Willelmus filius Baderon.
Willelmus Belet.
Hugo Barbatus.
Rogerus de Berchelai.
Rogerus de Belmont.
Serlo de Busci.
Hugo de Bosch-Herberti.
Rogerus de Busli.
Robertus Bastard.
Alaredus Brito.
Nicolaus balistarius.
Robertus Blundus.
Radulphus Baignard.
Hugo de Belcamp.
Goiffredus de Bech.
Goiffredus de Beluaco.
Maino Brito.
Hugo de Bolebech.
Nigellus de Berevile.
Gozelinus Brito.
Urso de Berseres.
Radulfus de Berchelei.
Walterus balistarius.
Balduinus.
Hunfridus de Buivile.
Hugo de Berneres.
Uxer Boselini.
Robertus de Buci.
Drogo de Beurere.
Willelmus Buenvalet.
Ogerus Brito.
Rainaldus de Balgiole.
Baldricus.
Radulfus de Burun.
Erneis de Burun.
Rainerius de Brimow.
Waldinus Brito.
Odo balistarius.
Willelmus blundus.
Heppo balistarius.
Thihellus Brito.
Rogerus Bigotus.
Radulfus de Belfago.
Hunfridus de Bohun.
Bernadus balistarius.
Herveus Bituricensis.
Oislebertus balistarius.
Radulfus balistarius.
Rainuldus Brito.
Bigot.
Bezelinus.
Tetbaldus. filius Bernerii.

C

Comes Eustachius.
Comes de Ow.
Comes Moritoniensis.
Comes Alanus
Comes Rogerus.
Comes Hugo.
Comes Ebroicensis.
Comes Albericus.
Comes de Mellend.
Comes Juo Taillebois.
Comes Albericus, mortuus.
Ida comitissa Boloniensis.
Juditha comitissa.
Godeva comitissa.
Comitissa de Albemarla
Albertus capellanus.
Milo Crispin.
Humfridus camerarius.
Albertus clericus.
Turstinus camerarius.
Herbertus camerarius.
Rainaldus filius Croc.
Gozelinus de Cormelies.
Goiffridus camerarius filiæ regis.
Albericus camerarius.
Willelmus filius Corbucion.
Robertus filius Corbucionis.
Willelmus de Calgi.
Radulphus filius comitis.
Reimbaldus de Cicestre, vel Cirecestre.
Rogerus de Curcelles.
Rainaldus Canutus.
Walterus de Clavile.
Aiulfus camerarius.
Willelmus Chievre.
Girardus capellanus.
Sigar de Cioches.
Willelmus camerarius.
Willelmus filius Constantini.
Albericus de Coci.
Albericus Cocus.
Richardus de Curcy.
Cristina.
Ansfridus de Cormeliis.
Hunfridus Cocus.
Willelmus de Cahaignes.
Hunfridus de Cioches.
Gislebertus Cocus.
Wido de Credun.
Godefridus de Cambray.
Rogerus filius Corbet.
Robertus filius Corbet.

Radulfus Cocus.
Colsuain.
Northmannus Crassus.
Goiffredus de Cambrai.
Colgrim.
Walterus Cocus.
Ansgerus Cocus.
Hubertus de Canesio.
Gundwinus camerarius.

D

Walterus de Duay.
Walscinus de Duay.
Robertus dispensator.
Walterus diaconus.
Herman de Drewes.
Eudo dapifer.
David.
Haimo dapifer.
Adam filius Durandi Malaopera.
Godricus dapifer.
Rogerus Deus-salvet-Dominas.

E

Edredus.
Richardus Esturmi.
Eddeva.
Swainus de Essexa.
Richardus filius Erfasti.
Eudo filius Erfasti
Eudo filius Espirewic.
Edricus accipitrarius.
Erchengerus pistor.

F

Radulfus de Felgeres.
Henricus de Ferrers.
Willelmus de Faleise.
Fulcherus.
Robertus Fafiton.
Walterus Flandrensis.
Vinemarus Flandrensis.
Willelmus Froisselow.
Hugo Flandrensis.
Richardus Forestarius.
Furstinus.
Baldewinus Flandrensis.
Ranulfus Famme.

G

Richardus filius Gisleberti comitis.
Robertus filius Geroldi.
Durandus de Glowcestr.
Walterius Giffard.
Gislebertus de Gand.
Osbernus Giffard.
Grimbaldus.
Beringarius Giffard.
Godescallus.
Odo filius Gamelini.
Godeboldus.
Gotscelinus.
Girardus.
Robertus Gernon.
Hugo de Grentemaisnil.
Willelmus Gozinboded.
Picotus de Grantebrige.
Girbertus.
Gerinus.
Gospatric.
Hugo de Gurnay.
Robertus filius Goberti.
Godwinus.
Hugo filius Grip.
Grim præpositus.

H

Hamo vicecomes.
Ernulfus de Hesding.
Eudo filius Huberti.
Hascoit.
Ernulfus de Hastinges.
Aluredus Hispaniensis, seu de Hispania.
Herveus de Helion.
Hainricus.
Robertus hostiarius.
Radulfus filius Huberti.
Robertus filius Willelmi hostiarii.
Helgot.
Hamo.
Willelmus hostiarius.
Hermerus.
Hago.
Tihellus de Herion.
Hachebernus.
Robertus filius Hugonis.

I

Rogerus de Iveri.
Hunfridus de Insula.
Aluredus de Hispania, v. sup.
Iseldis.
Ranulfus fratrer Ilgerii.
Richardus de Ingania.
Hugo de Iveri.
Willelmus Ingania.
Radulfus de Insula.
Ilbertus.
Ilbodus, vel Ilbodo.
Judichael, sive Juikel, presbyter.
Isaac.
Waldinus Inganiator.
Rainaldus filius Juonis.

L

Willelmus Louet, vel Loveth.
Rogerus de Laci.
Hugo Lasne.
Radulphus de Linesi.
Dermannus Lundon.
Rogerus de Luri.
Willelmus Levric.
Richardus Legatus.
Geri de Loges.
Albertus Lothariensis.
Aluredus de Lincolnia.
Hugo de Luri.
Ilbertus de Laci.
Gozelinus Loremarius.

M

Hugo de Montford.
Goisfridus de Manneville.
Robertus Malet.
Aluredus de Merleberg.
Radulfus de Mortemer.
Willelmus Maudoit.
Willelmus filius Manne.
Goisfridus Marescal.
Nigellus medicus.
Robertus filius Murdac.
Mathiu [Mattheus Mauritaniensis vel Maci de Mauretania.
Willelmus de Moion.
Humfridus Mauldoit.
Robertus Marescal.
Ausgerus de Montagud.
Turstinus Mantel.
Martinus.
Hasculfus, vel Hascoit Musard.
Humfridus de Madehalle.
Rogerus de Mulcelgros.
Griffinus filius Mariadoc.
Maino.
Durandus Malet.
Hugo de Montgomeri.
Willelmus Malbedeng.
Hugo de Mara.
Rogerus marescalcus.
Modwinus.
Giraldus marescalcus.
Adam filius Durandi Mala pera.

N

Lewinus de Newham.
Willelmus filius Northmanni.
Nigellus.
Northmannus.
Willelmus filius Nigelli.

O

Odo de Wincestria Taynus regis.
Walterus filius Otheri.
Goisfridus Ortale, vel Orleteile.
Oswaldus
Willelmus de Ow.
Hugo filius Osmundi.
Anschetillus filius Osmundi.
Robertus de Olgi.
Osbernus presbyter.
Willelmus de Odburvilla frater.
Rogeri.

P

Hugo de Port.
Hubertus de Port.

Willelmus de Perci.
Bernardus Pancevolt.
Richardus Puingiant, vel Puniant
Milo Portarius.
Willelmus Peurel.
Walterus filius Ponz.
Drogo filius Ponz.
Radulfus de Pomerci.
Radulfus Paganel.
Willelmus de Poilgi.
Ranulfus Perrel
Hugo pincerna.
Osbernus piscator.
Robertus pincerna.
Willelmus Pantulf.
Picot.
Richardus pincerna.
Rogerus Pictaviensis.
Theodoricus Pointel.
Radulfus Pinel.
Alvena uxor Phin.
Herbandus de Ponte-Adomari.

R

Gilbertus filius Richerii de Aigle.
Turstinus filius Rolf.
Walterus filius Rogeri.
Herbertus filius Remigii.
Willelmus filius Richardi.
Reinaldus presbyter.
Robertus filius Rolf.
Gozelinus de Rivere.
Wido de Reinbodcourt.
Reinbaldus.
Willelmus filius Rogeri.
Heraldus filius Ranulfi comitis.
Rogerus filius Radulfi.
Osbernus filius Richardi.
Richardus.
Rainaldus vicecomes.
Robertus de Rodelont.
Rainaldus.
Restoldus.
Robertus filius Rotscellini.
Rogerus filius Reinardi.
Radulfus arbalistarius.
Rabellus.

S

Edwardus Saresberiensis..
Willelmus filius Stur.
Robertus de Stadfort.
Radulfus filius Seifridi.
Hugo Stireman.
Richardus Sturmid.
Willelmus de Scoies, vel Scochies.
Osbernus de Saleeid.
Walterus de Sancto Walerico.
Robertus de Seint Legire.
Harduinus de Scalers.
Gislebertus filius Solomonis.
Swain vicecomes.
Osbernus filius Ric. Scrupe.
Swainus de Essex.
Willelmus Specs.
Walterus filius Secheri.
Siboidus.
Stephanus.
Nigellus de Stadford.
Eudo filius Spirewic.
Ranulfus de sancto Walerico.
Saisselinus.
Hugo de sancto Quintino.
Stainardus.
Starcolfus.
Robertus de Stratford.
Swain.

T

Henricus thesaurarius.
Durandus tonsor.
Ranulfus de Todeni.
Gislebertus filius Turoldi.
Judhel de Totenais.
Richardus filius Turoldi.
Robertus de Todeni.
Radulfus Tailgebosch.
Berengarius de Todeni.
Turchillus.
Ilbertus filius Turoldi.
Turstinus.
Robertus filius Tetbaldi.
Turoldus.
Hugo filius Turgisi.
Osbernus filius Tezzonis.
Gislebertus Tisun.
Willelmus Tailebose.
Turchillus præpositus.
Ivo Tailebois.
Tihellus.
Tovi.
Tuchil de Warwik.

V

Haimo vicecomes.
Walorannus venator.
Groc venator.
Aiulfus vicecomes.
Humfredus Vis de Lew.
Baldewinus vicecomes.
Albericus de Ver.
Petrus de Valoignes.
Bertran de Verdon.
Swain vicecomes.
Durandus vicecomes.
Robertus de Vesci.
Rogerus venator.
Richardus Vernon.
Walterus Vernon.
Radulfus venator.
Robertus de Verli.
Ulketel.
Vavasores regis.
Rainaldus vicecomes.
Ogerus filius Ungemar.
Willelmus de Warenne.
Willelmus filius Widonis.
Walterus de sancto Walerico.
Aluredus nepos Wigoti.
Urso de Vircestria.
Wlmarus.
Joannes filius Valeranni.
Willelmus.
Osbernus filius Walteri.
Winemarus.
Goiffredus de Wirce.
Turchil de Warwike.
Walchelinus.
Robertus filius Willelmi.
Willelmus hostiarius.
Joannes nepos Waleranni.
Willelmus de Watevilla.

VERBA WILLELMI CONQUESTORIS

IN EXTREMIS POSITI

(Orderic Vital, lib. vii, p. 656, apud Duchesne, *Script. Rer. Norm.*)

Multis, inquit, o amici, gravibusque peccatis onustus contremisco, et mox ad tremendum Dei examen rapiendus quid faciam ignoro. In armis enim ab infantia nutritus sum et multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala quæ feci per 64 annos, quibus in hac

ærumnosa vita vixi, pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor æquissimo Judici. Dum pater meus, sponte proficiens in exsilium, commisit mihi Northmanniæ ducatum, tenellus eram puer, utpote octo annorum; ex quo tempore usque nunc semper subii pondus armorum. Ipsumque jam ducatum in fere 56 annis gessi in discrimine bellorum. Mei quibus præeram, mihi sæpe insidiati sunt et damna gravesque injurias mihi nequiter intulerunt. Turchetillum nutritium meum et Osberuum, Herfasti filium, Northmanniæ dapiferum comitemque Gislebertum patrem patriæ, cum multis aliis reipublicæ necessariis fraudulenter interfecerunt. His itaque rebus gentis meæ fidem expertus sum. Noctibus multoties, cognatorum timore meorum, a Gualterio avunculo meo de camera principali furtim exportatus sum, ac ad domicilia latebrasque pauperum, ne a perfidis qui ad mortem me quærebant invenirer, translatus sum.

Northmanni, si bono rigidoque dominatu reguntur, strenuissimi sunt, et in arduis rebus invicti omnes excellunt et cunctis hostibus fortiores superare contendunt. Alioquin sese vicissim dilaniant atque consumunt. Rebelliones enim cupiunt; seditiones enim appetunt et ad omne nefas prompti sunt. Rectitudinis ergo forti censura coerceantur et freno disciplinæ per tramitem justitiæ gradiri compellantur. Si vero ad libitum suum sine jugo, ut indomitus onager, ire permittuntur, ipsi et principes eorum penuria et confusione probrosa operientur. Pluribus hoc experimentis jamdudum edidici. Proximi consanguineique mei, qui debuissent contra omnes mortales me omnimodis tutari, frequenti conspiratione facta in me surrexerunt et pene omnem patris mei hæreditatem mihi abstulerunt.

Guido, Rainaldi, Burgundionum ducis, ex Adelisa amita mea filius, malum mihi pro bono reddidit. Nam ego eum de alia regione adventantem benigniter susceperam, ac ut unicum fratrem honoraveram, atque Vernonum et Brioniam partemque Northmanniæ non modicam donaveram. Ille vero verbis et actibus mihi derogavit, me nothum degeneremque et principatu indignum detestatus indicavit et hostiliter diffamavit. Quid plura referam? Fidem suam mihi mentitus in me rebellavit, proceresque meos Ranulfum Bajocensem, ac Haimonem Dentatum, et Nigellum de Constantino, aliosque multos mihi subtraxit, secumque perjuros esse nefario monitu coegit. Immemor itaque hominii et fidelitatis quam mihi juraverat, totam Northmanniam auferre sategit. Sic igitur adhuc imberbis in illum coactus sum arma levare et in planitie apud Walesdunas contra consobrinum hominemque meum dimicare. Tunc, auxiliante Deo qui justus judex est, inter Padomum et Argentias [*Argentonium*; et in al. cod., *Bajocas*] hostes vici, quibus nutu Dei subrutis, patrium jus libere possedi. Deinde munitionem Brioniæ obsedi. Guidonem vulneratum et de bello fuga elapsum inclusi, nec indè discessi, donec hostem publicum de

A Neustria expulerim et cuncta ejus munimenta obtinuerim.

Non multo post alia mihi gravissima adversitas oborta est. Patrui namque mei Malgerius, Rothomagensis archiepiscopus, et Willelmus frater ejus, cui Archas et comitatum Calogii gratis dederam, me velut nothum contempserunt, et Henricum regem et Engelrannum, comitem Pontivi, contra me accerserunt. Mox ego ut in Constantino hujusmodi rumores auditui, multis dissuadentibus iter inivi. Aliquantos milites qui ferventiores ad ictus dandos erant Archas præmisi, et ipse cum exercitu non grandi subsecutus arduam munitionem obsedi. Sed antequam rura quæ inter duo flumina sunt, Sedam et Garumnam attigissem, præcursores mei præoccu-
B paverunt Engelrannum comitem in castrum intrare festinantem, ipsumque fortiter pugnantem, quia miles erat asperrimus, occiderunt et agmina ejus fugaverunt. Obsidione gravi castrenses coercui et perjurum comitem exsulare coegi; nec in omni vita sua redire ad id quod amiserat permisi. Protervam quoque præsulem qui nec Deo devotus, nec mihi fidus erat, de pontificali sede per decretum papæ deposui et Maurilium venerabilem cœnobitam, quem mihi Deus de Florentia, civitate Italiæ, transmiserat, in loco ejus subrogavi.

Henricus, regali potentia fretus et militari audacia fervidus, hostiumque meorum derogationibus admodum stimulatus, sæpe visus est me, velut inermem, conculcare, multisque modis proterere
C et indebita mihi jura imponere. Sæpe cum ingenti armatorum manu terram meam ingressus est; sed nunquam de præda spoliisque meis, hominumque meorum captura gavisus est. Cum grandi pompa minisque terribilibus plerumque fines meos intravit; sed nunquam lætus, nec sine dedecore ad sua repedavit. Plures secum probitate valentes huc adduxit quos quia meo meorumque gladio, proh dolor! perierunt, non reduxit.

Quondam nimis contra me inflammatus ingentem exercitum Gallia in duas partes dimisit rex Henricus; ut nostros opprimeret fundos geminis irruptionibus. Ipse unam phalangem in Ebroicensem diœcesim, ut usque ad Sequanam omnia devastaret introduxit; aliamque Odoni fratri suo ac Rainaldo de Claromonte, et duobus consulibus, Radulfo de
D Monte Desiderii atque Widoni Pedontivo, commendavit, ut per vada Eptæ Neustriam cito introirent, Braium et Calcegium totumque Rothomagensem [Calogium atque Rot.] pagum invaderent, ferro et flamma, necne rapinis usque ad mare penitus devastarent. Hæc itaque comperiens ego econtra non segnis processi, contra regis mapalia per littus Sequanæ cum meis me semper opposui et ubicunque conaretur cespitem meum depopulari, armis et ferro calumniam paravi. Robertum vero Aucesium comitem et rogerium de Mortuomari, aliosque milites probatissimos misi contra Odonem ejusque legiones. Qui dum penes castrum quod Mortuum

mare dicitur occurrissent Francis, utriusque partis A agminibus paratis, terribile prælium commissum est, et ex utraque parte multum sanguinis effusum est. Utrobique enim bellatores erant strenui et usque ad mortem cedere nescii. Hinc sæviunt Galli pro cupidine acquirendi; illinc feriunt Northmanni spe ferventes evadendi et se suosque lares defendendi. Tandem, juvante Deo, vicere Northmanni, et fugere Franci. Hoc itaque bellum trans Sequanam in hieme ante Quadragesimam fecere, octavo anno post bellum Walesdunense. Tunc Wido Pontivi comes captus est et Odo cum Rainaldo aliisque qui velocitate pedum viguerunt fugatus est. Godulphus quoque comes pariter caperetur, nisi Rogerius princeps militiæ meæ illi suffragaretur; hominium enim jamdudum illi fecerat. In tali ergo necessitate B pulchrum illi et competens servitium impendet, dum in castro suo illum triduo protexit et postea salvum ad sua perduxit. Pro hac offensa Rogerium de Northmannia ejeci, sed paulo post reconciliatus illi cæterum honorem reddidi. Castrum tamen Mortui maris in quo inimicum meum salvavit, illi jure, ut reor, abstuli; sed Willelmo de Guarenna consanguineo ejus tironi legitimo dedi. Widonem vero comitem Bajocis, quandiu placuit, in carcere habui et post duos annos hominium ab eo tali tenore recepi, ut exinde mihi semper fidelis existeret et militare servitium ubi jussissem, cum centummilitibus mihi singulis annis exhiberet. Deinde muneribus illum magnis donavi et honoratum cum pace dimisi.

Peracto certamine, mox ut certos rumores comperi, per Radulphum de Tœnia quæ trans Sequanam contigerat regi Francorum mandavi. Quibus auditis ille protinus noctu surrexit et cum exercitu suo velociter aufugit, nec unquam postea securus in terra mea pernoctavit. Sic a pueritia mea innumeris pressuris undique impeditus sum, sed per gratiam Dei de omnibus honorifice ereptus sum. Invidiosus igitur omnibus vicinis meis factus sum, sed auxiliante Deo, in quo semper spem meam posui, a nullo superatus sum. Hoc sæpe senserunt Britones et Andegavenses. Hoc astipulantur Franci atque Flandrenses. Hoc graviter experti sunt Angli et Cenomanenses.

Goisfredus Martellus comes Andegavorum et Conanus princeps Britonum atque Robertus Fresio satrapa Morinorum mihi multis machinationibus insidiati sunt. Sed, custodiente Deo, licet multum optassent et plures insidias perstruxissent, nunquam voti compotes effecti sunt. Diadema regale, quod nullus antecessorum meorum gessit, adeptus sum, quod divina solummodo gratia non jus contulit hæreditarium, Quantos ultra mare labores et periculosos conflictus pertulerim contra Exonios, Cestrenses et Nordanhumbros, contra Scotos et Guallos, Northwigenas et Dacos et contra cæteros adversarios, qui conabantur me regno Angliæ spoliare, difficile est enarrare, in quibus omnibus provenit mihi sors victoriæ. Sed quamvis super hujusmodi triumphis humana gaudeat aviditas, me tamen intrinsecus pungit et mordet formidinis anxietas, dum perpendo quod in omnibus his grassata est sæva temeritas. Unde vos, o sacerdotes et ministri Christi, suppliciter obsecro, ut orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo, ut peccata quibus admodum premor ipse remittat, et per suam infatigabilem clementiam inter suos me salvum faciat. Thesauros quoque meos jubeo dari ecclesiis et pauperibus, ut quæ congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis sanctorum usibus. Debetis enim recolere quam dulciter vos amavi et quam fortiter contra omnes æmulos defensavi.

Ecclesiam Dei, matrem scilicet nostram, nunquam violavi; sed ubique, ut ratio exegit, desideranter honoravi. Ecclesiasticas dignitates nunquam venundedi. Simoniam detestatus semper refutavi. In electione personarum vitæ meritum et sapientiæ doctrinam investigavi, et, quantum in me fuit, omnium dignissimo Eclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium abbate, hoc in Gerberto Fontanellense et Durando Troarnense, et in aliis multis regni mei doctoribus, quorum celebris laus personat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem et sapientiam inveni; ideoque semper gaudens optabam eorum consiliis perfrui.

C Novem abbatiæ monachorum et una sanctimonialium quæ a patribus meis in Northmannia fundatæ sunt, me adjuvante, cum auxilio Dei creverunt, et gloriose multarum augmentis rerum quas dedi magnificatæ sunt. Deinde ducatus mei tempore, decem et septem monachorum atque sanctimonialium sex cœnobia constructa sunt, ubi magnum servitium et plures eleemosynæ pro summi Regis amore quotidie fiunt. Hujusmodi castris munita est Northmannia, et in his discunt terrigenæ præliari contra dæmones et carnis vitia. Horum quippe aut ego, inspirante Deo, fui conditor aut fundator, fervidus adjutor, benevolus incentor. Omnes quoque res quas in terris vel aliis redditibus proceres mei Deo et sanctis ejus dederunt pro salute spirituali in Neustria et Anglia benigniter concessi, et D chartas largitionum contra omnes æmulos et infestatores principali auctoritate gratis confirmavi.

Hæc studia sectatus sum a primævo tempore, hæc hæredibus meis relinquo tenenda omni tempore. In his, filii mei, me jugiter sequimini, ut hic et in ævum coram Deo et hominibus honoremini. Hoc præcipue vos, viscera mea, commoneo, ut bonorum et sapientum indesinenter inhæreatis sodalitio et eorum in omnibus, si diu gloriosi vultis persistere, obediatis imperio. Piorum sophistarum doctrina est bonum a malo discernere, justitiam omnimodis tenere, nequitiamque omni molimine cavere, infirmis et pauperibus ac justis parcere et subvenire, super-

bos et iniquos comprimere ac debellare, et ab infestatione simplicium refrenare, ecclesiam sanctam devote frequentare, divinitatis cultum super omnes divitias amare et divinæ legi nocte dieque, et in adversis et prosperis, infatigabiliter obtemperare.

Ducatum Northmanniæ, antequam in Epitumo Senlac contra Heraldum certassem, Roberto filio meo concessi, quia primogenitus est. Hominium pene omnium hujus patriæ baronum jam recepit. Concessus honor nequit abstrahi. Sed indubitanter scio quod vere misera erit regio quæ subjecta fuerit ejus dominio. Superbus enim est, et insipiens nebulo trucique diu plectendus infortunio. Neminem Anglici regni constituo hæredem, sed æterno Conditori, cujus sum et in cujus manu sunt omnia, illud commendo. Non enim tantum decus hæreditario jure possedi, sed diro conflictu et multa effusione humani cruoris perjuro regi Heraldo abstuli, et interfectis vel effugatis fautoribus ejus, dominatui meo subegi. Naturales regni filios plus æquo exosos habui. Nobiles et vulgares crudeliter vexavi. Injuste multos exhæreditavi, innumeros maxime in pago
A Eboracensi, fame seu ferro mortificavi. Deiri enim et trans Humbranæ gentes exercitum Sueni Danorum regis contra me susceperunt et Robertum de Cuminis cum mille militibus intra Dunelmum, aliosque proceres meos et tirones probatissimos in diversis locis peremerunt. Unde immoderato furore commotus in boreales Anglos ut vesanus leo properavi. Domos eorum jussi, segetesque et omnem apparatum atque supellectilem confestim incendi et copiosos armentorum pecudumque greges passim mactari. Multitudinem itaque utriusque sexus tam diræ famis mucrone mulctavi. Et sic multa millia pulcherrimæ gentis senum juvenumque, proh dolor! funestus trucidavi. Fasces igitur hujus regni, quos cum tot peccatis obtinui, nulli audeo tradere, nisi Deo soli; ne post funus meum adhuc deteriora fiant occasione mei. Willelmum filium meum, qui
B mihi a primis annis semper inhæsit et mihi pro posse suo per omnia libenter obedivit, opto in Spiritu Dei diu valere et in regni solio, si Dei voluntas est, feliciter fulgere.

WILLELMI CONQUESTORIS EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

AD GREGORIUM VII PONTIFICEM ROMANUM.

(*Vide in Gregorio VII. Patrologiæ* tom. CXLVIII, col. 748.)

EPISTOLA II.

AD JOANNEM ABBATEM FISCAMNENSEM.

(*Vide Patrologiæ tom* CXLVII, col. 463.)

EPISTOLA III.

AD CLERICOS ET LAICOS PER ANGLIAM CONSTITUTOS.

(Edidit Seldem in notis ad Eadmeri *Hist. novor.*, Append. ad Opp. Lanfranci ed. 1675 pag. 113.)

Willelmus, Dei gratia rex Anglorum tam clericis quam laicis per Angliam constitutis, salutem.

Notum sit vobis me concessisse et confirmasse, assensu Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis, et Stigandi episcopi Cicestrensis, et consilio etiam episcoporum ac baronum meorum, ut ecclesia sancti Martini de bello, quam fundavi ex voto ob victoriam quam mihi Deus in eodem loco contulit, libera sit et quieta in perpetuum ab omni servitute et omnibus quæcunque humana mens excogitare potest, cum omnibus dignitatibus et consuetudinibus regalibus quas ei regali auctoritate concessi, sicut chartæ meæ testantur. Volo itaque, et firmiter præcipio, quatenus ecclesia illa, cum leuga circumquaque adjacente, libera sit ab omni dominatione et oppressione episcoporum, sicut illa quæ mihi coronam tribuit, et per quam viget decus nostri regiminis. Non liceat episcopo Cicestrensi, quamvis in illius diœcesi sit, in ecclesia illa, vel in maneriis ad eam pertinentibus ex consuetudine hospitari, contra voluntatem abbatis; nec ordinationes aliquas ibidem facere, nec abbatiam in aliquo gravare. Sed
C neque super illam dominationem aliquam, aut vim, vel potestatem exerceat; sed, sicut mea dominica capella, libera sit omnino ab omni ejus exactione. Ad synodum vero abbas ire non summoneatur nec compellatur, nisi propria voluntate pro aliquo negotio ire voluerit. Nec monachos suos ubi sibi opportunius viderit, ad sacros ordines promoveri facere prohibeatur. Nec altarium sacrationes, confirmationes, vel quaslibet episcopales benedictiones, abbatis vel monachorum requisitione a quolibet episcopo ibidem libere fieri, ab aliquo contradicatur. Hoc etiam regali auctoritate et episcoporum ac baronum meorum attestatione constituo, quatenus abbas ecclesiæ suæ et leugæ circumjacentis per omnia judex sit et dominus. Defuncto abbate, de eadem ecclesia abbas eligatur, nisi forte (quod absit) ibidem idonea persona reperiri non possit. Hanc constitutionem meam, sic voto et regali au-
D ctoritate confirmatam nullus successorum meorum violare vel imminuere præsumat. Quicunque igitur contra libertates vel dignitates ejusdem ecclesiæ fecerit, forisfacturæ regiæ coronæ subjaceat. Hujus rei testes sunt Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis, Stigandus Cicestrensis episcopus Walkelinus episcopus Winton., Wulstanus Wigorn. episco-

pus. Qui omnes, me præsente et audiente, horum præ- A
ceptorum meorum et constitutionem violatores perpetuo anathemate damnaverunt.

Apud Winton

Locus sigilli.

EPISTOLA IV.

AD REMIGIUM ANTISTITEM LINCOLNIENSEM.

(*Ubi supra.*)

Willelmus, gratia Dei rex Anglorum, comitibus vicecomitibus, et omnibus Francigenis et Anglis qui in episcopatu Remigii episcopi terras habent, salutem.

Sciatis vos omnes et cæteri mei fideles qui in Anglia manent, quod episcopales leges quæ non bene nec secundum sanctorum canonum præcepta, usque ad mea tempora, in regno Anglorum fuerunt, communi concilio, et consilio archiepiscoporum, meorum, et cæterorum episcoporum, et abbatum, et omnium principum regni mei, emendandas judicavi. Propterea mando, et regia auctoritate præcipio, ut nullus episcopus vel archidiaconus de legibus episcopalibus amplius in Hundret placita teneant; nec causam quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium sæcularium hominum adducant, sed quicunque secundum episcopales leges de quacunque causa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum quem ad hoc episcopus elegerit et nominaverit, veniat; ibique de causa sua respondeat; et non secundum Hundret, sed secundum canones, et episcopales leges, rectum Deo et episcopo suo faciat.

WILLELMI CONQUESTORIS LEGES

I.

(Edidit Selden in notis ad Eadmeri *Historiam novor.* Opp. S. Anselmi ed. 1675, append., p. 114.)

MONITUM

Vetusti Ecclesiæ Lichfeldiensis Chronici ms. auctor : « Anno, inquit, Willelmus regni sui quarto apud Londonias consilio baronum suorum fecit summoniri per universos Angliæ comitatus, omnes nobiles, sapientes, et sua lege eruditos, ut eorum leges et consuetudines audiret. Et licet idem rex Willelmus leges Northfolkiæ et Suffolkiæ, Grantbrigiæ et Deiræ (ubi quondam maxima pars Danorum et Norwegensium inhabitabant) prius magis approbaverat, et eas per totum regnum observari præceperat, pro eo quod omnes antecessores ejus et fere omnes barones Normanniæ, Norwegenses exstitissent, et quod de Norwegia olim venissent : sed postea, ad preces communitatis Anglorum, rex acquievit, qui deprecati sunt quatenus permitteret sibi leges proprias et consuetudines antiquas habere in quibus vixerant patres eorum et ipsi in eis nati et nutriti sunt, scilicet leges sancti regis Edwardi. Et ex illo die magna auctoritate veneratæ, et per universum regnum corroboratæ et conservatæ sunt, præ cæteris regni legibus, leges regis Edwardi. Quæ quidem prius inventæ et constitutæ fuerant tempore regis Edgari avi sui. Verumtamen post mortem ipsius regis Edgari usque ad coronationem sancti regis Edwardi, quod tempus continet annos LXVII, prædictæ leges sopitæ sunt et penitus prætermissæ; sed postquam rex Edwardus in regno fuit sublimatus, consilio baronum Angliæ, legem LXVII annis sopitam excitavit, excitatam reparavit, reparatam decoravit, decoratam confirmavit, et confirmata vocata est lex sancti regis Edwardi, non quod ipse prius adinvenisset eam, sed cum prætermissa fuisset et oblivioni penitus dedita a morte avi sui regis Edgari, qui prius inventor ejus fuisse dicitur, usque ad sua tempora, videlicet LXVII annis. Unde, per præceptum regis Willelmi electi sunt de singulis totius Angliæ comitatibus XII viri sapientiores, quibus jurejurando injunctum fuit coram rege Willelmo ut quoad possent, recto tramite neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes, legum suarum et consuetudinum sancita patefacerent, nil prætermittentes, nihil addentes, nihil prævaricando mittentes [*al.*, mutantes]. Aldredus autem Eboracensis archiepiscopus qui regem Willelmum coronaverat, et Hugo Londoniensis episcopus, per præceptum regis, scripserunt propriis manibus omnia quæ prædicti jurati dixerunt. A legibus namque sanctæ matris Ecclesiæ sumentes exordium, qui [*al.*, quia] per eam rex et regnum solidum subsistendi habent fundamentum, leges et libertates et pacem ipsius concionati sunt dicentes : *Omnis clericus*, » etc., uti legimus apud Rogerum Hovedenum in Annalibus Henrici secundi, ubi digressio est de Norwegiæ regibus. Et totidem ferme verbis eadem quæ hic transcripsimus, occurrunt apud eumdem Rogerum.

Atqui auctoris Lichfeldiensis et Hovedeni in hisce discrimen haud adeo contemnendum erat, ut ideo negligenda essent quæ habet ille nondum editus, quod eadem eisdem pene syllabis hic, qui publici juris factus est, narraverit. Qui utrumque perpenderit, id fateatur necesse est. Sequitur vero in auctore Lichfeldiensi pars aliqua duntaxat earumdem legum quas interserit Hovedenus. Atque ejusmodi pars etiam apud Henricum Knightonium canonicum Leycestrensem, scriptorem non indiligentem, qui nondum in lucem prodiit, reperitur. Triplo autem plures sunt quas Hovedenus habet quam aut Leycestrensis aut Lichfeldiensis. Apud hosce vero nulla est quæ in Hovedeno non comperta. Vetusti sane, fateor, sunt et Lichfeldiensis et Leycestrensis et Hovedenus auctores. Atque de aliis nonnulis qui eadem de hac re tradidere, idem dicendum. Sed eorum neminem, ante aliquot a Willelmo sæcula elapsa scripsisse palam est, neque interpolatione in evasisse leges illas apud Hovedenum. Nam in capite de tributo Danico, Willelmi regis junioris fit mentio. Et qualisnam fides (in re adeo vetusta ac viros neque rebus civilibus neque studiis forensibus satis occupatos plerumque fugiente) scriptoribus hujusmodi recentioribus adhibenda sit, et si statuere minime ausim, diligentius tamen inquiri velim. Recentiores voco dum Ingulpho abbati Crowlan-

diensi eos compono, qui in hac re testium non tam facile princeps merito dicendus est, quam solus forsan cui par sit ut credamus. Etenim non solum oculatus ille Normannici in Anglia imperii initiorum testis erat, verum etiam in aula apud Willelmum regem ad jura cœnobii sui stabilienda, assiduam navavit operam, in qua per virorum, qui rebus tum civilibus, tum forensibus exercitari, consuetudinem, legum Willelmi, hoc est Edwardi regis a Willelmo firmatarum. Normannico idiomate conscriptarum, atque ab iis, quas recentiores illi habent, multum discrepantium, exemplar nactus, Crowlandiam secum detulit, atque ad Historiæ suæ calcem adjecit. Quo Willelmi anno hoc fecerit, diserte non explicat ipse. Sed liquido constat tempus fuisse post annum ejusce xv aut circiter; quod ideo observatu dignum est, quoniam legum illarum apud recentiores quos diximus et recensitio et confirmatio anno Willelmi IV tribuuntur, cum tamen alias, easque plurimum dissidentes, decennio et amplius postea, eodem lemmate eodemque nomine insignes, circumlatas et pro genuinis ac solis quibus regis et ordinum auctoritas antea accesserat, habitas fuisse (si Ingulpho credas) sit exploratissimum.

Unde forsan elevanda fides eorum qui præter hasce, alias nobis temere obtrudunt. Tametsi enim singularia plurium annorum sancita Willelmum auctorem agnoscere potuissent, haud tamen ita verisimile est nec a quoquam narratur, aut iteratam esse legum Edwardi sub Willelmo recensitionem, aut plusquam unam fuisse eorum sive recognitionem sive confirmationem. Quod si plures forte essent, id interim plane statuendum foret, postremæ maximam, ne dicam solius, rationem habendam esse. Annum autem regis xv præteriisse cum Ingulphus exemplar suum in aula Londiniis nactus est, inde satis novimus, quod diplomati Crowlandensi cœnobio tunc temporis impetrato atque edita ejus historia reperto, testis sit Willelmus episcopus Dunelmensis, qui ante annum salutis 1081 seu xv Willelmi regis minime suffectus erat et earum forte erat genuinum exemplar legum quæ IV anno auctoritate publica et recensitæ et firmatæ fuerant. Nam fieri potest, nec veri est dissimile, recentiores illos, tametsi notho legum exemplari, saltem interpolato, decepti fuerint, verum nihilominus recensionis et confirmationis annum, utpote forsan decantatum, fideliter et didicisse et narrasse. Sed vero ipsum Ingulphum audiamus. « Attuli, inquit, eadem vice mecum Lundoniis in meum monasterium leges æquissimi regis Edwardi, quas dominus meus inclytus rex Willelmus authenticas esse, et perpetuas per totum regnum Angliæ (*ita codex ms.*) inviolabiliterque tenendas sub pœnis gravissimis proclamarat et suis justitiariis commendarat eodem idiomate quo editæ sunt, ne per ignorantiam contingat nos vel nostros aliquando, in nostrum grave periculum, contraire et offendere ausu temerario regiam majestatem, ac in ejus censuras rigidissimas improvidum pedem ferre contentas sæpius in eisdem, hoc modo.» Quæ verba finiunt editam ejus Historiam, adjectis tantummodo a V. C. Henrico Savilio editore: *Videtur hic leges Edwardi inseruisse quæ desunt.* Atqui certo scimus nos eum ibi eas inseruisse; quod non solum ex ipso Historiæ autographo, Crowlandiæ in agro Lincolniensis etiamnum servato, constat, sed etiam ex recentiori quo usi sumus exemplari ante annos CC aut circiter exarato. Inde, quatenus tum per librarii et incuriam et inscitiam, tum per mucidam sermonis et obsoleti et depravatissimi scabritiem licuit, eas statim exhibemus, ejusmodi Latinitate quam usurparunt veteres apud nos jurisconsulti, calente prelo, festinanter donatas, verbum scilicet verbo plerumque reddidimus, et barbara phrasi, sed materiei maxime idonea, quidquid intelligebamus potius interpretari voluimus quam in puriorem sermonem transferre, qui obscuritati hujusmodi non tam lucem afferret quam ut sæpius fit tenebras offunderet. Neque fere reperitur quispiam, nisi a foro et medii temporis historia nimium sit alienus, cui barbara hæc Latinitas non sit intellecta. Nitidiora vero Cæsarei juris vocabula hisce aptare, interpretem, Justinianum potius legisse ostenderet, quam propriam Normannici idiomatis vim aperiret. Neque tamen omnia quæ transferre hic ausus sum, me satis assecutum esse omnino persuasum habui, et perspicacioribus libenter compluria reliqui. Nam autographo destitutus quod interea nancisci impense et volebam et nitebar: sed frustra nolui me conjecturarum nugis ultra torquere, sed ubi prorsus fugiebat (uti sæpe) Normannicæ dictionis significatio, in ipsa versione eam, variato charactere, retinui. Mallem enim me palam inscientiæ reum confiteri, quam in crassissimis tenebris oculorum aciem incassum obtendere. Et apud peritiores conjectores, qui hujusmodi rebus, otio abundantes, delectantur, vicem, dum festino, cotis forsam obtinebo exsors licet ipse secandi.

Ces sont les Leis et les Coustumes que li Reis Villiam grantut [*al.*, grantat] a tut le Peuple de Engleterre, après le Conquest de la Terre. Ice les meismes que les Reis Eward sun Cosin tint devant lui.

I.

Co est a saveis. Pais a Saint Yglise. De quel forfait que home out fait en cel tems, et il pout venir a Saint Yglise; out pais de vie et de membre. E se alquons meist main en celui qui la Mere Yglise requirit, se ceo fust v Abbeie [*al.*, v Evesque], *v Yglise de Religion, rendist ce* [*al.* ceo] *que il i avereit pris, e cent sols de forfait: et de Mer Yglise de Paroisse xx. sols: et de Chappele x. sols. E que*

Hæ sunt Leges et Consuetudines quas Willelmus Rex concessit universo Populo Angliæ post subactam Terram. Eædem sunt quas Edwardus Rex, cognatus ejus, observavit ante eum.

I.

De Asylorum Jure et Immunitate Ecclesiastica

Scilicet, Pax sanctæ Ecclesiæ cujuscunque forisfacturæ quis reus sit hoc tempore, et venire potest ad sanctam Ecclesiam: pacem habeat vitæ et membri. Et si quis injecerit manum in id quod Mater Ecclesia postulaverit, sive sit Abbatia, sive Ecclesia Religionis, reddat id quod abstulerit, et centum solidos nomine Forisfacturæ. Et de Matrice Ecclesia Parochiali

Has Regis Willelmi Leges Latine sic reddidit vir Clar. Carolus du Frêne Dom. du Cange, Quæstor Regius.

I

(1) Scilicet pax sanctæ Ecclesiæ, quodcunque forisfactum quis fecerit hactenus, et venire potest ad sanctam Ecclesiam, pacem habeat vitæ et membri. Et si quis injecerit manum in eum qui Matrem Ecclesiam requisierit, si ea sit vel abbatia, vel Ecclesia religionis, reddat eum quem ceperit, et centum solidos pro forisfactura: et de Matre Ecclesia Parochiali xx

(1) V. LL. Edw. confess. c. 6, 7. *infra.*

ensy ant (al., enti aut) li pais le Rei en Merchenelae cent sols les amendes, altresi de Heinfare et de avveit purpense.

II

Icce pluz afierent a la Coroune le Rei. Et se aquens, v quens, uxvost [*al.*, v Prevost], *mefleist as homes de sabaillie, et de ço fuist atintde la Justic li Roi, forfait fuist a double de ce comme altre fait forfait.*

III

E que en Danelæ fruisse la pais le Roi, *vii vinz livrerez e iv. les amendes: e les forfais le Roi qui afierent al Vescunte xl. sols en Merchenelae, e l. sols en Vvest. Seixenelae, E e frans, home qui aueit Sac, e Soc, e Tol, e Tem, e Infangenetheof, se il est emplaidé, et seit mis en forfait en le countè afiere il forfait a oes le Vescunte xl ores en Denelae, e de altre home qui cest franchise non ad, xxxij. ores. De ces xxxij. ores arat li Vescunte a ces le Poi x. ores: e cil qui li plait aurat de remied* [*al.*, derepied] *vers lui xij. ores : e le Seignur en ki fin il maindra, x. ores : ço est en Denelae.*

IV

Co est la custume en Merchenelae : se alquens est apeled de larcin, v de roberie, e seit plevi devenir à justice, e il seit fuie dedenz, son plege si avera de iv. meis e i jour de quer le : e se il le put truver, si jurad scidodzime de main, queal ure que il le plevi, Laren nelsot, ne per lui ne seut[*al.*, fust] *est fui, ne aveir nel pot, dunc rendra le chatel, e xx. sols pur la tes', e iv. den. al ceper, e une maille pur la besche e xl. sols al Rei. En Vest-Sexenelae cent solz al clamur pur la test e iv livreres al Rei. E en Denelae le forfait viiq. Livreres les*

xx. solidos. Et de Capella x. solidos. Et secundum pacem Regis in Legibus *Merciorum* centum solidis emendet : similiter de *Heinfare*, et de insidiis præcogitatis.

II

De Hominum Regis privilegio.

Hæc placita spectant ad Coronam Regis. Et si qui male fecerint hominibus illius Ballivæ et de hoc sit attinctus per justitiam Regis, Forisfactura sit dupla illius quam alius quispiam Forisfecerit.

III

De Pacis publicæ violatoribus.

Et qui in *Danorum* Lege violaverit pacem Regis, cxliv. libris emendet; et Forisfacturæ Regis quæ spectant ad Vicecomitem xl. solidi in *Merciorum* lege, et l. soli i in Lege *Vvest-Saxonum*. Et de Libero homine qui habet *Sac* et Soc et *Tol* et *Tem* et *Infangenetheof* et implacitatus fuerit et ad Forisfacturam positus in comitatu pertinet Forisfactura ad opus Vicecomitis, xl Oræ in Danorum Lege et de alio homine qui ejusmodi libertatem non habet, Oræ xxvij. De his xxxij, oris habebit Vicecomes ad usum Regis oras decem, et is qui eum implacitaverit habebit in remedium versus eum oras xij, et Dominus cujus finibus manserit x. Oras. Hæc est Danorum Lex.

IV

De Latrocinii reo, et fidejussore qui morum ejus periculum in se susceperat.

Hæc est consuetudo in *Merciorum* lege; si quis appellatus fuerit de latrocinio, seu de furto et plegiatus fuerit venire ad Justitiam, et fugerit, Plegius ejus habebiti iv menses et unum diem ad eum quærendum, et si possit eum invenire, Juret se duodecima manu, quod tempore quo eum plegiavit Latro non fuerat, neque per eum esset quod fugerit, nec eum prehendere possit. Tunc reddat catallum, et xx. solidos pro capite, et iv. denarios *al ceper*, et unum obolum *pur la besche*, et xl. solidos Regi. In *Vvest-Saxonum* Lege c. solidos

solidos : et de Capella x solidos: Et qui infringit pacem Regis in Lege Merciorum, centum solidorum sint emendæ, similiter de *Heinfare*, et de insidiis præcogitatis.

II

Hæc placita spectant ad Coronam Regis. Et si quis sive Comes, sive Præpositus male fecerit hominibus suæ Ballivæ, et de hoc sit attinctus sive convictus, per justitiam Regis, forisfactura sit dupla illius quam alius quispiam forisfecerit.

III

Et qui in Danorum lege Pacem Regis fregerit, cxliv. libris emendet : et forisfacturæ Regis quæ spectant ad Vicecomitem, xl. solidi in Merciorum Lege, et l. solidi in Lege, West-Saxonum. Et de libero homine qui habet *Sac* et Soc, *Tol* et *Tem*, et *Infangentheof* si implacitatus fuerit, et in forisfactura positus in Comitatu, pertinet forisfactura ad usum Vicecomiiis xl. Oræ in Danorum Lege, et de alio homine qui hujusmodi libertatem non habet, vxxij. oræ de his xxxij. oris habebit Vicecomes ad usum Regis x. oras : et is quiplacitum contra eum ditationatus fuerit, xij. oras : Et Dominus in cujus finibus manserit, x oras. Hoc in Danorum Lege obtinet.

IV

Hoc est consuetudo in Merciorum Lege, si quis appellatus fuerit de Latrocinio, seu de Robaria (furto) et plegiatus fuerit (seu plegium dederit) de stando juri, et fugerit exinde, plegius ejus habebit iv. menses et unum diem ad eum quærendum : et si possit eum invenire, jurabit duodecima manu quod ea hora qua illum plegiavit, Latronem esse non scivit, neque per eum fuit quod fugerit, neque eum prehendere potuit; tunc reddet catallum, et xx. solidos pro capitali, et iv. denarios cippario (*seu custodi carceris*) et Malliam

xx. solz pur la test, et les vij. livres al Rei. E s'il pot dedens un an iv [*al.*, i]*jurs trover le larun e amener a la justice, si li rendra les xx. sols, k'is aurad ont, e smert* [*al.*, e si ert] *fainte la justice de larun.*

V.

Cil hk prendra Larum sanz suite e sans cri, que cil en leist a qui il aurad le damage fait, et vienge poit apres, si est raisun que il dunge x. solz de Hengvvite, efin face la justice a la primereine devise sans le congé a la justice si est forfait de XL. *solz.*

VI.

Cil qui aveir escut, v Chivalz, v Buefs, v Vaches, v Porcs, v Berbz que est Forfengend (2) *Engleis apeled, cil qil ela* [*al.*, l'a]. *durra al gros. s. al Provost aveir the* [*al.*, aveic, i cum] *Lestussun* VIII *den iatant n'i ait meis qu'il ont cent al maille ne durrad que* VIII. *deniers, et pur un Porc* IIII. *den. et pur un Berbz* I. *den. e isi tres que iiit pur chascun* IIII. *deniers de iatant n'i aurad, ne durrad que oit den. et durra vvage, e truverad plege. Que si altre veinged apres dedenz l'an e un jour pur l'aveir demander, qu'il i ait a droit en la Curt, celuy de que il avoit escus.*

VII.

Altresi de aver en direz, e de altre treveure; seit mustred del treis pars del veisined, que il eit testimonie de la troveure : si alquens vienge apres pur clamer la iose [*al.*, chose], *duist* [*al.*, doinst] *vvage, et trosse* [*al.*, trove] *pleges. que se altre clamur l'adedanz l'an è un jour, qui il l'ai a droit en la Curt celui pui l'averad troved.*

ad clamorem pro capite et iv. libras Regi. In Lege Danorum, Forisfactura est viij. libræ. xx. solidi pro capite, et vij. libræ Regi. Et si is potest intra annum et iv. dies invenire Latronem et eum aminare ad Justitiam. redhibebunt ei viginti solidos quos acceperint, et fiat justitia de Latrone.

V.

De Latronis prehensione.

Si quis prehenderit Latronem absque secta et absque clamore, atque eum ei cui damnum factum est dimiserit, et venerit postea, rationi conveniens est ut det ille x. solidos pao Hengwite, et finem faciat Justitiæ *a la primereine devise* absque licentia Justitiæ, Forisfactura est XL. solidi.

VI.

De Animalium redemptione.

Is qui Averium replegiaverit scilicet aut Equum, aut Bovem, Vaccam, aut Porcum, aut Ovem (quod forfengen Anglice dicitur- *cil qil ela* dabit *al Gros. s.* Præposito habere the Lestussum VIII. denarios, nec tamen *ait meis quil ont cent a. maille* non dabit plusquam VIII. denarios, et pro Porco IV. denarios, et pro Ove denarium i. *e isitres que vit* uniquique IV. denarios, nihilhominus neque habebit nec dabit plusquam VIII. denarios, et dabit vadios, et inveniet plegios se, si aliquis venerit ad probationem intra annum et diem ut Averium petat, salvum exhibiturum in Curia id quod replegiaverit.

VII.

De Rebus forte inventis.

Similiter de Averio *Endirez* et alia re inventa. Ostendatur tribus partibus Vicineti. ut testimonium habeat de inventione. Si aliquis veniat ad probationem ad rem clamandam, det vadios et inveniat plegios se si alius quispiam clamaverit Averium, intra annum et diem salvum exhibiturum in Curia id quod invenerit.

seu mea ailiam la prola *besche*, et xl. solidos Regi: in West-Saxonum lege c. solidos ad clamorem pro capite, et iv. libras Regi. Et in Danorum lege forisfactura est viij. libræ xx solidi pro Capitali, et vij libræ Regi: et si is potest intra annum et iv. dies invenire Latronem, et eum ad justitiam adducere reddentur ei xx. solidi quos exsolverat, et fiat justitia de Latrone.

V.

Pui Latronem prehenderit absque secta et absque clamore et in ejus potestatem tradiderit cui damnum factum est, et venerit postea. rationi conveniens est ut det illi x. solidos de Hengwita, et finem faciat justitiæ ad primam divisam *(seu ad primum placitum)* absque licentia justitiæ esque forisfactus de XL. solidis.

VI.

Qui averium recuperaverit, vel Equum, vel Bovem. vel Porcum aut Berbicem, quod *Forfengem* Anglice dicitur, is qui illud habuerit dabit ad Grossos solidum Præposito habere *the lestussun* VIII denarios, et si non tot sint, ut in malliam centum computentur, dabit tantum VIII. denarios, pro *Porco* IV. denarios, pro Berbin I. denarium: et sic usque ad octo pro singulis quatuor denariis, et si tot non fuerint, dabit tantum VIII denarios, et dabit vadium, et inveniet plegium. Quod si alius postea venerit intra annum et diem, et averium repetat, ad rectum habeat in Curia eum, a quo averium recuperatum fuerit.

VII

Et de averio, ita dicendum de alia re quavis inventa. Ostendatur tribus partibus vicineti, ut testimonium habeat de inventione. Si aliquis postea venerit ad rem clamandam, seu repetendam det vadium, et inveniat plegios, qui si alius intra annum et diem averium clamaverit, ad rectum habiturum in curia eum qui rem invenerit spondeant.

(2) *V. Gl. Somueri ad Histor Anglic.*

VIII.

Si home occit altre, e il sei counsaunt, e il denie faire les amendes: durra de sa manbote al seignor pur le franc home x. solz la vvere dol Thein xx. *li en Merchenelae e en Vvest-Sexenelae: e la vvere del Vilain C. solz en Merchenelae, e ensement en Vvest-Sexenelae.*

IX.

De la vvere primerament renarat l'um de halt Saine à la vidue e as orphanins x. *solz : ele surplus orphanins e les Parens departent entr'els.*

X.

En la vvere purra il rendre Chival qui ad sa cuille pur xx. *solz: et tor pur* x. *solz : e iter pur* v. *solz.*

XI.

Si home fait plaie a altre, e il denie otrei fair les amendes: primerement li rende sun le chefe; e li plaiez jurraz sur sentez, qui pur mes [*al.*, mains] *nel pot fairne pur haur* [*al.*. hair] *si chier nel fist de sarbote cho est de la dulor.*

XII.

Si la plaie lui vient a vis descuvert [*al.*, descueuvert], *al polz* [*al.*, pels] *tote veie* IV. *deniers et de tanz os cum hom trarad de la plaie al os tote veie* IV. *den. pois acordement si li metir ad avant honours* [*al.*, seignours. *Hic divino*] *qui si il li ont ço qu'il ad fait a lui, se son queur li purportast, et son conseil li donast. prendreit de lui ce qu'il offre a lui.*

XIII.

Si ço avent qui alquon colpe [*al.*, cope] *le poin a altre. v le pied, si li rendra demi vvere, sulue* [*al.*, selonc] *çeo q'il est : més del pochier rendrad la meité de la main. Del dei apres le polcier,* xv. *solz de solt. En-*

VIII.

De Homicido et Capitis æstimatione seu Wera.

Si quis alium occiderit, et sic reus co[n]sitens, et emendare negaverit, det de suo manbote Domino pro libero homine x. solidos, et pro servo xx. solidos Wera *Thani* xx. libræ in *Merciorum* Lege, et in *Vvest-Saxonum*. Et Wera Villani C. solidi in *Merciorum* lege, atque etiam in *Vvest-Saxonum.*

IX.

Quibus Capitis æstimatio seu Wera solvenda.

Quod ad Weram attinet, primo reddat is qui est de halt sanguine Viduæ et Orphanis x. solidos, et quod super est Parentes et orphani inter se dividant.

X.

Animalium aliquot valor, in Capitis æstimatione censenda

In Wera reddere poterit quis Equum non Castratum pro xx. solidis, et Taurum pro x. solidis et *iter* pro v. solidis.

XI.

De Percussore.

Si quis alium percusserit, et negaverit ultra emendare, primo reddat *sun le chefe* et plagas, juret super sancta quod aliter non potuit facere nec pro *haur si chier* nec fecit *desarbote cho est de la dulor.*

XII.

De vulnere indito.

Si plaga *lui vient a vis descuvert el polz tote veie* IV. denarios et de omni osse quod quis traxerit ex plaga, osse toto viso IV. denarios. postea *acordement si li metir ad avant honours que si illiont*, id quod ei fecit si cor suum ei suggesserit, et consilium suum ei donaverit, accipiat ab eo quod ei obtulerit.

XIII.

Membrorum præcisorum æstimatio.

Si acciderit ut quis pugnum cujuspiam absciderit aut pedem, reddat ei medietatem Weræ secundum id quod est. Sed pro pollice reddat medietatem manus. Pro digito qui pollici proximus xv, so-

VIII.

Si quis alium occiderit, et consenserit, et emendare denegaverit, dabit de sua Manbota Domino pro libero homine x. solidos, et pro servo xx. solidos. Wera Thani xx. libræ in Merciorum lege, et in West-Saxonum lege: et Wera villani C. solidi in Merciorum lege et in West-Saxonum lege.

IX.

De Wera primo reddetur de alto sanguine, viduæ et orphanis x. solidi : et quod superest orphani et parentes inter se dividant.

X.

In Wera reddere poterit quis Equum qui testiculos habet pro xx. solidis : et taurum pro x. solidis, et verrem pro v. solidis

XI.

Si quis alteri plagam fecerit et ultra emendare denegaverit, primo ei reddat suum capitale : et plagatus jurabit super sancta, quod pro minori (emenda) non potest facere, nec pro odio cariorem (vel majorem) fecerit de sarbota, id est de dolore.

(*Lingua Saxon.* Sag *est dolor*; Bota, *emendatio.*)

XII.

Si plaga ei inflicta fuerit ita ut appareat, pro pelle totius IV. denarios (dabit) et de tot ossibus quæ ex plaga extrahentur, pro quolibet osse toties IV. denarios (dabit). Quod si coram superioribus dominis pactum initum fuerit, de plaga quæ alio ei facta fuerit, si cor suum id ei suggesserit, et consilium suum ei donaverit, accipiet ab eo quod sibi oblatum fuerit.

XIII.

Si acciderit ut quis pugnum cujuspiam absciderit aut pedem reddet ei medietatem weræ secundum quod id est : sed de pollice reddet medietatem manus. Pro digito qui pollicem subsequitur,

gleis, ço est quer [*f.* quaranto : *nam in lege Salica solidus* XL.*denariorum fuit*] *deniers: de lunc dei* XVI. *solz, de l'altre qui ported l'anel* XVII *solz : del petit dei* V. *solz, de l'ungle, si il colpe, de cascun* V. *sols de solt Engleis : a l'ungle de pêtit dei* IV. *den.*

XIV

Ki altri espouse purgist, si forfait la vvere vers san Seignour.

XV.

Altresi qui faus jugement fait, pert sa vvere, si il ne pot prover sor Saintz qui mels nel sot juger

XVI.

Si home apeled altre de larcin, et il sot francz home, et il ait ond [*al.*, onk] *ca verre testimonie de lealté, s'en escoudirad per plein serment : et altre qui blasmed ait ested, per serment nomed : ço est a savoir qu'a corte homes leals per non, si il aver les pot, si s'en escouriad sei dudzime de main : et si aveir nes pot, si se defende per iüis, e li apeleur jurra sur lui jur* [*al.*, sur] *set homes només, qui pur haur* [*al.*, hair] *nel fist ne pur altre chose, si pur son dreit non purchaçer.*

XVII.

E si alcons est apelez de Muster fruisser, v de chambre, et il n'eit esté blamed en arer, s'en escoadit per XLII. [*al.*,XLIV] *leals* [*al.*, escondit per XII. leals] *homes nomez sei dudzime main : e s'il eit altrejée* [*al.*, altreñée] *ested blamed, s'en escondied* [*al.*, escondiet] *a tres dubles, ço a savoir per* XLVIII [*al.*.XXXVI] *homes leals nomès, sei trentesiste mein : e s'il aveir nes pot, aut a ta ivisse a treis dubles, si co il doust a treis du plein* [*al.*, dublein] *serment è s'il en arer*

lidos, de solido Anglicano, hoc est, *quer* denarios. Pro digito longo XVI. solidos. Pro altero qui portat annulum XVII solidos. Pro digito minimo V. solidos. Si unguem quis cuiquam præciderit, V. solidis de solido Anglicano emendet, et pro unguo digiti minimi, IV. denariis.

XIV.

De Adulterio.

Qui desponsatam alteri vitiaverit forisfaciat Weram suam Domino suo.

XV.

De Judice corrupto.

Etiam qui falsum tulerit judicium, Weram suam perdat, nisi tactis Sacrosanctis (*Evangeliis*) probare poterit se melius judicare non potuisse.

XVI.

De Purgatione illius qui Furti reus est.

Si quis alterum apellet de Latrocinio et is sit liber homo, et habeat *ond caverre* testimonium de legalitate purget se per plenum sacramentum, et alter qui infamis ante fuerat *per serment nomed*, videlicet XIV homines legales *per non* si is habere eos poterit se purget duodecima manu, et si habere non possit se defendat *per iuis* et Appellator jurabit *sur lui jur set* homines *nomes* quod propter *haur* non fecit nec propter aliam causam quam quis jus suum persequeretur.

XVII.

De eo qui Templum aut domum fregerit.

Et si quis appellatus fuerit de fractione Monasterii aut Cubiculi, neque fuerit antea infamis *enarer* se purget per XLII legales homines *nomes* se duodecima manu, et si alias infamia notatus fuerit, purget se *a tres dulles*, videlicet per XLVIII. homines legales *nomes* se trigesima sexta manu, et si illos habere nequierit eat *a le ivise a treis dubles si coil doust a treis* de pleno sacramento, et si *il enarrer larcin amanded alt alle vve* Archiepiscopus habebit de forisfactura XL.

XV. solidos solidorum Anglicanorum, hoc est quadraginta denariorum. Pro longo digito, XVI. solidos : pro altero qui portat annulum, XVII. solidos : pro digito minimo, V. solidos : de ungue si præcidatur, de quotibet V. solidos solidorum Anglicanorum : et pro ungue minimi digiti, IV. denarios.

XIV.

Qui sponsam alterius vitiaverit, forisfacit weram suam erga Dominum suum.

XV.

Similiter qui falsum judicium fecerit, weram suam perdit, nisi præstito super sancta sacramento probare possit, se melius judicare non scisse.

XVI.

Si quis alterum appellet de Latrocinio, et is sit liber homo, et aliquando habuerit verum testimonium de legalitate, excondicet (i *excusabit*) se per planum sacramentum : et qui infamatus ante fuerit, per sacramentum nominatum : videlicet ex curia hominum legalium parium, si eos habere potuerit, excondicet; seu purgabit se duodecima manu : et si eos habere non potuerit, defendet se per judicium (*ita purgationem vulgarem vocat*),et appellans jurabit super se et septem homines nominatos, quod propter nullum odium id fecerit ; nec propter ullam aliam causam quam ut jus suum persequeretur.

XVII.

Si quis appellatus fuerit de Monasterii vel Ecclesiæ infractione vel cameræ, et neque antea fuerit infamatus, excondicet seu purget se per XII. homines legales nominatos, se duodecima manu. Et si aliquando infamatus fuerit, purget se cum ter iterato testium numero, videlicet per XLVIII. homines legales nominatos se XXXVI. manu : et si illos habere non potuerit, eat ad judicium ter iteratum, quemadmodum debuerat ad ter iteratum sacramentum. Et si antea latroci-

larein amended, a't a l'euve : li Archevesque [*al.*, et li Archevesque] *avera de forfaiture* XL. *sols en Merchenelae, e lui Evestres* [*al.*, li Eveskes] XX. *sols, e li Quenz* XX. *sols, e li Baron* X. *solz, è li Vilain* XL. *deniers* [*al.*, denir].

XVIII.

Franc home qui ad aver champester trente deniers vailaunt, deit doner le denei saint Pere. Le Seignur pur IV. *den. que il dourad, si erunt quites ses Bordiers, e ses Boner e ses Serianz. Li Burgeis qui ad en soun propre chatel demi marc vailant, deit dener seint Pere* [*al.*, donner le dener S. Pere]. *Qui en Denalae Franc home est; e il avera demi marc en argent vailant de aver champestre, si deuera doner le dinier Seint-Pere* [*al.*, durad daner le dener saint Pere]. *E per le dener qui li Seignur durrat, si erent quietes ceals qui meinent en son demainer* [*al.*, demain].

XIX.

Kfi purgist femme per forze forait ad les membres. Ki abate, femme a terre, pur faire lui force, la multe al Seignur X *solz. S'il la purgiste, forfait est de membres.*

XX

Ki renent le dener Seint Pere, le dener prendra [*al.*, rendra] *per la justice de seint Eglise, è* XXX. *den. forfait. E se il en est plaide de la justise le Rei, le forfait à l'Evesque* XXX. *den. e al Rei* XL. *solz.*

XXI

Si elquuns creve l'oil al altre per aventure quelque seit, si amendrad LXX. *solz del solz Engleis. E si la purvele* [*al.*, purnelle] *i est remis* [*al.*, remes], *si ne rendra lui que la meité.*

XXII

(3)*De releife al Cunte, que al Rei*

(3) V. LL. Hen. I. c. 14.

solidos in *Merciorum* Lege, et Episcopus XX. solidos, et Comes XX. solidos, et Baro X. solidos, et Villanus XL. denarios.

XVIII

De Denariis sancti Petri, *seu Vectigali Romano.*

Liber homo qui habuerit averia campestria XXX denariis æstimanda, dabit denarium *sancti Petri.* Pro IV. denariis quos donaverit Dominus, quieti erunt Bordarii ejus et ejus *Boner*, et ejus Servientes. *Burgensis* qui de propriis Catallis habet id quod dimidia Marca æstimandum est, det denarium *sancti Petri.* Qui in Lege *Danorum* est liber homo. et habet averia campestria quæ dimidia marca in argento æstimantur, debet dare denarium sancto Petro. Et per denarium quem donaverit Dominus, erunt quieti ii qui resident in suo Dominico.

XIX.

De Muliere vi compressa et pudicitia luctamine tentata.

Qui fœminam vi oppresserit, forisfacit membra sua. Qui prostraverit fœminam ad terram et ei vim inferat, multa ejus Domino est X. solidi. Si vero eam compresserit, forisfacit. membra.

XX.

De iis qui vectigal Romanum *seu* sancti Petri *non pendunt.*

Qui negaverit denarium sancti Petri, cum pendat per justitiam sanctæ Ecclesiæ et XXX. denarios forisfacturæ. Et si de ea re est implicitatus per justitiam Regis, forisfaciat Episcopo XXX. denarios, et Regi XL solidos.

XXI.

De Oculo effosso.

Si quis alteri oculum effoderit infortunio quocunque, emendet LXX solidis solidorum Anglicanorum. Et si *la purvele* restituatur, dimidium duntaxat reddatur.

XXII.

De Revelio seu εἰσθεικτικῷ Comitis.

De Relevio Comitis, quod ad

nium emendaverit, eat ad aquam. Archiepiscopus habebit de forisfactura XL. solidos in Merciorum lege, et Episcopus XX. solidos, et Comes XX. solidos, et Baro X. solidos, et Vilanus XL. denarios.

XVIII.

Liber homo qui habuerit in averiis campestribus trigenta denarios, debet dare denarium sancti Petri. Pro IV. denariis quos dabit Dominus, quieti erunt Bordarii ejus, et ejus bonnarii, et ejus servientes. Burgensis qui dimidiam marcam habet in propriis catallis, debet dare denarium sancti Petri. Qui in lege Danorum est liber homo et habet averia campestria valoris dimidiæ marcæ in argento dare debebit denarium sancti Petri. Et per denarium quem Dominus donaverit, quieti erunt ii qui maunent in suo dominico.

XIX.

Qui fœminam vi oppresserit, forisfecit sua membra. Qui prostraverit fœminam ad terram, ut vim ei inferat, multa ejus Domino est X. solidos : si vero eam compresserit forisfactus est de membris.

XX.

Qui denegaverit denarium sancti Petri, reddet denarium per justitiam sanctæ Ecclesiæ, et præterea XXX. denarios pro forisfactura. Et si de ea re implacitatus fuerit per justitiam Regis forisfactura Episcopo erit XXX. denarios, et Regi XL. solidos.

XXI.

Si quis alteri oculum effoderit quocunque casu, emendabit LXX. solidis solidorum Anglicanorum : et si pupilla remanserit, dimidium tantum ei dabitur.

XXII.

De relevio Comitis quod ad

afiert VIII. *chivals selez e enfrenez, les* IV. *habers, e* IV. *hommes* [*al.*, haume, *ut inf. n.* 24], *e* IV. *Esens, e* IV. *Launces, e* IV. *Espes; les altres* IV. *Chaceurs, e Palfreis a freins et a chevestres.*

XXIII.

De relief a Barun, IV. *Chivals enselez è enfrenès, e* II. *Halbers, e* II. *Hammes, e* II. *Escus, e* II. *Launces, e* II. *Espes; e les altres* II *un Chaceur, e un Palefrei a freins e a chevestres.*

XXIV.

De relief a Vavasour a son lige Signur, deite [*al.*, deit] *estre quite per le cheval son peipe* [*al.*, pere], *vel poirė tel qu'il aveit a jour de sa mort, e per son Halbert, et per son Haume, e per son Escud, e per sa Lance, e per s'espe, s'il fust desapeilė* [*al.*, de sa pareille], *qu'il ne out ne Chival ne les armes per* C. *solz.*

XXV.

De civers deins aveir kil voldra clamer emblet, e il volge doner vvage e trover plege a porsuir son apel, dunt li scuverad a celui qu'i auverad entremeins nomer son guarant s'ul [*al.*, s'il] *l'ad; e s'il ne l'ad dunt nomerad son Heuvelborh, è ses testimonies, è ait les a jur è a terme, s'il les ad, v s'il les pot aver : è li enterceur liveriad en guage sei siste main, è li altre le metirad en la main son warant, v a son Heuvelborh, è il ait testimonies que il l'acharad* [*al.*, acharad] *al marthied* [*al.*, marchied] *in* [*al.*, li] *Rei, è qu'il ne set son warant, en* [*al.* ne] *le plage vif ne mort : ҫoo jurad od ses testimonies per plein serment : si perdra son Chatel, si il testimonient qui il Huvelborh enpust* [*al.*, enprist] *: è s'il ne pot aveir guarant ne testimonie, si perdrad, è pur soldrad pert sa werre vers son Seigneur, ҫo est en Merchenelae è en Deneloe, è en Vuest-Sexenelae. Ne vochere mie son Seignor warrant iceo qui seit mis en guage, è on Denelae meitre en vele; dissi la qui il seit derained : è s'il pot pro-*

Regem pertinet VIII. equi cum sellis et frænis, IV. Loricæ, IV. galeæ et IV. scuta, et IV. lenceæ, et IV. enses, et aliæ res IV equi venatorii, et palafredi cum frænis et capistris.

XXIII.

De Relevio Baronis.

De Relevio Baronis. IV. Equi cum sellis et frænis ornati, et Loricæ II. et II. Hammes et Scuta II. et II. Hastæ et II. Enses, et *les altres* II. *un chaceur* et unus Palfredus cum fræno et capistro.

XXIV.

De Vavasoris Relevio.

De Relevio Vavasoris ad ligium suum Dominum. Quietus esse debet per equum *son peip* talem quatem habuerit tempore mortis suæ, et per Loricam suam et *per son Haume*, et per scutum suum et per hastam suam, et per ensem suum, et si adeo fuerit inermis ut nec equum habuerit nec arma, per centum solidos.

(*Adeo me cæcutire hic fateor, ut nec lemma adjicere possim.*)

XXV.

De eivers deins aver Kil velit calumniare, *emblet*, et ille vult dare vadios et invenire plegios ad prosequendum appellum suum tunc *liscuverad* illi quod *il auverad entremenis nomer* warrantum suum si eum habuerit, et si non habuerit eum, nominabit eum, nominabit suum Beuvelborh, et testes suos, et habebit eos ad diem, et ad terminum si eos habeat aut eos habere poterit, et *li entreceur liuverad* in vadium se sexta manu, et alter ponat in manum sui warranti *v a son Heuvelborth*, et habeat ille testes quod *il lacharad al marthied in Rei,* et quod ille non *set* suum warrantum in plegio *vif ne mort coo jurad od* testes suos per plenum Sacramentum perdat catallum suum si is testimonium perhibeat quod Heuvelborth *enpust*, et si non poterit habere warrantum nec testem, perdat et pro *soldrad* perdat Weram suam Domino suo. Hoc obtinet in *Merciorum* jure, et in *Danorum*, et in *West-Saxonum*. Non vocabit Dominum suum ad Warrantum de hoc quod ponitur in

Regem pertinet, VIII. Equi Ephippiati et frænis ornati, IV. Loricæ et IV Hammes, et IV. Scuta, et IV. Hastæ, et IV. Enses, *les altres* IV. *chaceurs* et Palfredi cum frænis et capistris.

XXIII.

De relevio Baronis IV. equi cum sellis et frenis, et II. Loricæ, et II. galeæ, et II. scuta, et II. lanceæ, et II. enses ; et II aliæ res, unus equus venatorius, et unus Palafredus cum frænis et capistris.

XXIV.

De relevio Vavasoris ad ligium suum dominum, quietus esse debet per equum sui patris, talem qualem habuerit tempore mortis suæ. et per ejus loricam, et per ejus galeam, et per ejus scutum, et per ejus lanceam et per ejus ensem : nisi adeo fuerit rebus omnibus destitutus, ut nec habuerit equum vel arma pro centum solidis.

XXV.

Si quis velit calumniari seu repetere averia sua furto subrepta, et is velit dare vadium, et invenire plegios ad prosequendum appellum suum, tunc necesse erit ei qui ea habuerit, nominare suum warantum, si habuerit, et si non habuerit, tunc nominabit suum *euvelborh*, (i. *Fidejussores*) et testes, et eos habebit ad diem et ad terminum, si eos habuerit. aut habere potuerit : et intertrator dabit in vadium se sexta manu, et alter ponet in manum sui waranti, vel sui *Heuvelborh*, et habeat ille testes, quod ea (averia) emit in Mercato Regis, et quod non scit suum warantum, nec plegium vivum nec mortuum. Id jurabit cum suis testibus per planum, sacramentum Perdet vero suum catallum si ii in testimonio dicunt, quod *Heuvelborh* cepit. Et si non poterit habere warantum, nec testem, perdet et pro.... perdet weram suam erga suum Dominum. Hoc obtinet in Merciorum, Danorum. et West-Saxonum legibus. Non vocabit Dominum suum ad Warantum

ver qui ceo soit de sa nurture per treis parts sou vigued [*al.*, vicined], *se il aver ad deregued. Kar puis lei serment li est jugied, ne l'en pot pas puis lever par lo jugement de Engleterre.*

XXVI.

De murdre freceis [*al.*, se cis] *occist, è les homes del hundred nel prengent è amenent a la justice dedenz les oit jours per mustrer pur qui il la fait, sin rendront le murdre* XLVII. *Marcs.*

XXVII.

Si home volt derainer covenant de terre vers son Seignor, per ses Pers de la tenure meismes, qui il apelerad a testimonies, les cuverad (conviendra) *derainer. Kar per estranges nel purra pas derainer.*

XXVIII.

Home qui plaide en Curt, a qui Curt qui co [*al.*, quicon] *seit, fors là où le cors le est esti* [*al*, f. la Rei est,] *è home li mettid sur qu'il ait dit chose, qui il ne voille coinistre, se il ne pot derainer per* II. *entendable homme del plaidant et veant qui il ne l'aura dit, recovered a sa parole* (4).

XXIX.

De relief a vilain, le meillur aveir qu'il avera, v Chival, v Buf, v Vache, donrad a son Seignor de Releïf, et puis si serait euz les Vilains en franc plege.

XXX.

De iij chemins, ço est a saveir, Vvatlingstrete, et Ermingstrete, et Fos: Ki en alchun de ces chemins occit home qui seit errant per le pais, u asalt, si enfreint le pais le Roi.

(4) LL. Henr. I. 1, 31, 48.

vadio, et *ou* Danlæ *meite en vele dissi la* quod is sit *dereined*, et si potest probare quod hoc sit de *sa nurture*, per tres partes *sou vigued se il aver ad deraigued.* Nam post Sacramentum *li est jugied*: inde non potest postea *lever* per judicium Angliæ.

XXVI.

De ceturia mulcta, ubi reus homicidii judicio non sistitur.

De *Murdre freceis occist*, et homines hundredi non prehendunt et minant ad Justitiam infra VIII. dies ut ostendat ob quam causam fecerit, reddant *le murdre* XLVII. Marcas.

XXVII.

De clientis actione versus Dominum.

Si quis vult *derainer* conventionem de terra sua versus Dominum suum per pares suos de tenura, ipsos quos appellaverit ut testes sint *leseuverad derainer.* Nam per extraneos non potest *derainer.*

XXVIII.

De. . . . .

Qui placitat in Curia, cujuscunque curia sit, excepto ubi *le cors le est esti e home li mettid* super eo quod dixerit, rem quam nolti confiteri, si non potest *derainer* per II. intelligentes homines qui interfuerunt placito et videntes quod non dixerit, *recovered à sa parole.*

XXIX.

De Colonorum Relevio.

De Relevio Villani. Melius animal quod habuerit id (sive Equus sit, sive Bos, sive Vacca) donabit Domino suo pro Relevio, et postea *si seraitz cuz les Villain* in franco plegio.

XXX.

De viis publicis.

De tribus viis, videlicet, *Vvatlingstrete* et *Ermingstrete* et *Fosse.* Qui in aliqua harum viarum hominem itinerantem sive occiderit sive insilierit, is pacem Regis violat.

de hoc quod positum fuerit in vadio, et in Danorum lege, ponere velit, donec disrationatus fuerit, et si possit probare, quod ea (averia) sint de sua nutritura, per tres partes sui vicineti, si averium disrationaverit. Nam ex quo sacramentum ei judicatum et delatum est, non potest amplius illud levare per judicium Angliæ.

XXVI.

Si quis aliquem murdro occiderit, et homines Hundredi eum non prehendant, et adducant ad justitiam intra octo dies ut ostendant a quo murdrum factum est, reddent pro murdro xlvij. Marcas.

XXVII.

Si quis velit disrationare conventionem de terra erga Dominum suum, per pares ejusdem tenuræ, quos ad testes appelabit, erit disrationandus: nam per extraneos non poterit disrationari.

XXVIII.

Qui placitat in Curia, ejuscunque Curia illa sit, Præterquam ea ubi corpus Regis, est, et aliquis ei imponat, quod rem quampiam dixerit, quam agnoscere nolit, si non potest eum disrationare per duos intelligibiles homines qui interfuerunt placito et viderunt quod non dixerit, recurretur ad ejus sacramentum.

XXIX.

De Relevio Villani, melius averium quod habuerit, sive Equum, sive Bovem, sive Vaccam, donabit Domino suo pro relevio: et postea habebitur Villanus in franco plegio.

XXX.

De tribus viis, videlicet Watlingstrete, et Ermingstrete, et Fosse. Qui in aliqua harum viarum hominem per patriam errantem occiderit, vel adsalierit, is pacem Regis infringit.

XXXI.

Si larecin est troved, en qui terre qui ceo seit, et le Laron ouesque, le Seignor de la terre et la feme averunt la meited del aveir a Laron, e les chalejurs [*al.*, chalengeurs] *lor chatel, se il le trovent, e la bor merted* [*al.*, et la foi, meitted], *s'il est trové dedanz Sache et Soche, s'il perdra la feme, et le Seignor l'avered.*

XXXII.

De strewarde de chescon des hides de Hundred un home dedenz la feste de seint Michell, et le seint Martin, et Vvardireve, si aura xxx. hides quites per son travaile et si avers trepassent, perilot, vel denient vvatter [*al.*, devientent wattez], *cil ne pussent mustrer ne cri ne force qu[1] l'on fust faite, si rendisent l'aveir.*

XXXIII.

Cil qui custivent [*al.*, cultivent) *la terre ne deit l'um travailer, se de louer diotre* [*al.*, dreit.] *cense, non ne leist a seignurage de partir les cultivurs de leur terre, pur tant comme ils pussent le dreit scirvise faire. Les naïfs ki departet de sa terre, ne devient, cartre faut naïverie querre* [*al.*, et denient naïvere les faut querre], *qui il ne facent leur droit service, que apend à leur terre. Li naïfs ki departet de sa terre dunt il est nez, e vent a autrui terre, nuls nel retenget, ne li ne ses chatels; enz le facent venir arer a faire son servise, tel cum a li apend. Si les seinurages ne facent altri gainnys venis a lor terre, la justice le facet.*

XXXIV.

Nulhui ne toille a son senior son dreit servise, pur nul relais qui il li ait fait en arere.

XXXV

Si feme est jugée à mort, v a defacum [*al.*, defaction] *des membres, ki seit enceintée, ne faced l'um justice desquelles seit délivrée.*

XXXI.

De Latrone, cum latrocinio seu ἐπαυτοφόρῳ prehenso.

Si latrocinium sit inventum in cujuscunque terra sit et latro simul, Dominus terræ et uxor ejus habebunt medietatem bonorum Latronis, et *les chalieurs lor chatel se ille trouvent et labor merted*, si repertum sit intra *Sache* et *Soche* perdat Uxor, et Dominus habebit

XXXII.

De......

De Strevvarde de unaquaque Hidarum Hundredi unus homo intra festum *S. Michaelis et Martini*, et *Uvardire* habebit xxx. hidas quietas pro labore suo, et si averia moriantur *perilot vel devient water* et non possit ostendere nec clamorem nec vim quæ facta fuerit, reddat averia.

XXXIII.

De Colonis et Glebœ Ascriptitiis

Eos qui *custivent* terram non debet quis molestare præterquam de eorum *diotre* censu. Nec licet *a seignurage* discedere Cultores de terra sua, quin rectum servitium suum facere possint. Nativi qui discedunt a terra sua non debent *cartre faut naivire quere* quæ non faciunt rectum servitium quod spectat ad terram suam. Nativum qui discedit a terra unde est nativus et venit ad alteram, nullus eum retineat nec catalla ejus, sed redire cogatur ut faciat servitium suum tale quod ad eum spectat. Si *les seignurages* non faciunt *altri gainnys* venire ad terram suam, Justitia id faciat.

XXXIV.

Ne quis Domino suo debitas præstationes subtrahat.

Nemo Domino suo subtrahat rectum servitium suum, propter nullam remissionem quam ei antea fecerit.

XXXV.

De Fœmina gravida quæ capitali supplicio damnatur.

Si morti damnata si aut membrorum mutilationi fœmina in utero gestans, de ea non fiat justitia priusquam parturierit.

XXXI.

Si latrocinium inventum fuerit in cujuscumque terra sit, et latro simul, Dominus terræ et uxor ejus habebunt medietatem bonorum Latronis, et clamatores, *seu qui res suas repetunt*, sua catalla, si ea invenerint, et medietatem suam, si inventus fuerit intra Sacam et Socam, perdet uxor, et Dominus habebit.

XXXII.

De *Strewarde* de unaquaque Hidarum Hundredi quilibet homo intra festum sancti Michaelis et sancti Martini, et Wardireve, habebit xxx. hidas quietas pro labore suo, et si averia, seu animalia, moriantur, vel periclitentur, vel labe aliqua infecta sint, et non possit ostendi, clamorem vel vim factam fuisse, reddantur averia.

XXXIII.

Qui colunt terram non debent molestari, præterquam de eorum recto censu. Nec licet Dominus cultores de terra sua dimittere, quamdiu possunt rectum servitium facere. Nativi qui discedunt a terra sua, et denegant nativitatem, requirendi sunt, ut faciant rectum suum servitium, quod spectat ad terram suam. Nativum qui discedit a terra unde natus est, et in alterius terram venit, nullus retineat, nec eum nec ejus catalla: sed redire cogatur ad faciendum suum servitium quale ad eum spectat. Et si Domini non faciant alios cultores venire, in eorum terram, justitia id faciat.

XXXIV.

Nemo Domino suo subtrahat rectum servitium suum, propter ullam remissionem quam ei antea fecerit.

XXXV

Si fœmina morti damnata sit, aut membrorum diffactioni, seu mutilationi, et gravida sit, de ea non fiat justitia, priusquam enixa fuerit.

XXXVI.

Si home mort saus devise, si departent les enfans l'érite entre sei per yvel.

XXXVII.

Si le pere trutet sa file en avulterie en sa maison, v en la maison de son gendre, ben li laust oure [*al.*, ocire] *l'avultere.*

XXXVIII.

Si home enpuissuned attre, seit occis, v permanablement eissillé. Lo jettai vos chosez por cause de mort, et de co [*al.*, cco] *ne me poez emplaider : kar leist a faire damage a altre pur pour de mort, quant parele ne pot eschaper. E si de ço me mescez qui pur pour de mort nel feisse de ço mespriorai, e les choses qui sunt remises en le nef, seient departis en comune, sulun les chatels. E si alcun iothed les chatels fors de la nef senz buzun, s'il rendet.*

XXXIX.

Dous sunt parceners d'un crichet, e est l'un emplaidé sanz l'altre, et per sa folie si pert, ne dit [*al.*, *deit*] *per ço l'altre estre perdant, ki present ne fud* [*al.*, fust] : *Kar iose juge entre eus, ne fors juge pas les altres ki ne sunt a present.*

XL.

Cil qui tenent lur terre a cense, soit lur droit releif a tant cum a cense est d'un an.

XLI.

Ententivement se purpensent cil qui les jugementz unt à faire, qut si jugent, cum desirent, quant il dient : Dimitte nobis peccata nostra, *et nous dsendum* [*al.*, desendons *vel* desendun] *qui l'um Christien fors de la terre ne vende* (5), *n'en surchetut en pais um ne wart l'um, qui l'um l'amne ne perde, qui Du rachatat de sa vie. Ki tort elevera, v faus jugement fra per curruz ne per han-*

(5) Ll. Vill. Latine c. 65. al. v.

XXXVI.

De Intestatorum bonis.

Si quis intestatus obierit, liberi ejus hæreditatem æqualiter dividant.

XXXVII.

De adultera a patre deprehensa.

Si pater deprehenderit filiam in adulterio in domo sua seu in domo generi sui, bene licebit ei *oure*, [lege forsan *occire*] occidere adulterum.

XXXVIII.

De Jactu, velut ad Legem Rhodiam.

Si quis *en puissuned* alterum sit occisus aut per *manhablement eissille*, ego jecero res tuas de navi ob metum mortis, de hoc non potes me implacitare. Nam licet alteri damnum inferre ob mortis metum quando periculum evadere non potest, et si de hoc me *mesces* quod ob metum mortis *nel feisse de co mespriorai* et ea quæ in navi restant dividantur in communi secundum Catalla, et si quis jecerit Catalla extra navim, quando necessitas non exegerit, ea restituat.

XXXIX.

De Judicio in socium absentem.

Duo sunt participes unius *Crichet*, et unus eorum implacitatus fuerit absque altero, qui negligentia sua perdit; non inde debet damnum cedere alteri qui absens fuit. Nam quod judicatum est inter eos non debet præjudicare iis qui absentes fuerunt.

XL.

De Relevio eorum qui citentes censum pendunt.

Eorum qui Fundum suum tenent ad Censum, sit rectum Relevium tantum quantum census annuus est.

XLI.

De Judiciis.

Caute prospiciant ii quibus cura incumbit judicia facere, ut judicent uti petunt quando dicunt : *Dimitte nobis debita nostra*, et prohibemus ne homo Christianus extra terram non vendat *nen surchetut en paisumnevvart lum* quod homo animam suam non perdat quam Deus vita sua redemit, qui injuriam *eslevera* aut falsum judicium *fra pur curruz ne pur hange v pur aveir* sit in fo-

XXXVI.

Si quis intestatus obierit, liber[i] ejus hæreditatem ex æquo divident.

XXXVII.

Si pater deprehenderit filiam in adulterio in domo sua, seu in domo generi sui, bene licebit ei adulterum occidere.

XXXVIII.

Si quis alterum impotionaverit, interficiatur, vel perpetuo exilio damnetur. Ego jecero res tuas (de navi) ob metum mortis, de hoc non potes me implacitare. Nam Licet alteri damnum inferre ob mortis metum, quando aliter periculum vitari non potest. Et si de hoc probaveris, quod ob metum mortis id non fecerim, de hoc me misprenderem, et ea quæ in navi remanent, dividantur in communi secundum Catalla : Et si quis jecerit Catalla extra navim, nulla exigente necessitate, ea restituet.

XXXIX.

Duo sunt participes unius Cricheti, et unus eorum implacitatur absque altero, et per negligentiam suam perdit, non debet propterea alter perdere, qui præsens non fuit : nam res inter eos judicata non forisjudicat alios qui præsentes non fuerunt.

XL.

Eorum qui tenent terram suam ad censum, sit rectum relevium tantum quantum annuus census est.

XLI.

Caute prospiciant, quorum est judicia facere, ut judicent, quemadmodum capiunt, cum dicunt : *Dimitte nobis peccata nostra.* Statuimus igitur ne quis hominem Christianum extra terram vendat, ac præsertim in ea patria ubi non cavetur ne anima perdatur, quam Deus vita sua redemit. Qui injuriam excitaverit, vel falsum judicium fecerit ira vel odio, vel data

ge, v per aveir, seit en forsaunre [*al.*, forfactur] *le Rei de xl. solz, s'il ne pot aleier qui plus dreit fait* [*al.*, faire] *nelsont* [*al.*, sout] *si perde sa franchise, si al Rei nel pot rachater a son plaisir. E s'il est en Denelac, seit forfait de Laxlite, si alaier ne se pot, qui il melz faire ne solt. E qui dreite lei, et dreite jugement refuserad, seit forfait envers celi ki dreit ço est a aveir, si ço est envers li Rei, vj. livres; si ço est envers cunte, xl. sols : si ço est en Hundred, xxx. solz. E envers tous icons* [*al.*, iceus] *ki curt unt en Engleterre, ço est al solz Engleis. E en Denelae qui dreit jugement refuserad, sait en la mercie de Laxlite, e ne face bon* [*al.*, l'un] *plainte a Rei d'ici qui l'un li seit de faili el Hundred, v el Conté.*

XLII.

Ne prenge hum nam mil [*al.*, n'il *vel* nul] *en Conté ne de fors d'ici qu'il ait tres fois demand d.eit el Hundred vel Conté : e s'il a la tiers fiée ne pot treit aveir, alt al Conté, e le Conté l'en a sete* [*al.*, æséne] *le quart jura : e se cili de fait* [*al.*, defaut] *de ki il se claime, dunt prenge congé qui il pusse nam prendre pur le son lum e pref.*

XLIII

Ne nul achat le vailiant de iv. den. de mort, vif, sans testimonie ad iv. hommes. v de burt [*al.*, burg] *v de vile e te* [*al.*, se] *l'um le chalange, et il vent, ait testimonie; si n'ad nul vvarant, rende l'um al un* [*al.*, um] *son chatel, e le forfait ait Ki aver le deit : e si testimonie ad, si eum nous evis* [*al.*, deviz] *desunes* [*al.*, desures], *voest* [*al.*, ço est] *les treis foiz, et a la quart foiz le deraine, v il le rende.*

XLIV

Aus ne semble pas raison, qui l'um face pruvance sur testimonie ki conussent ço que entre [*al.*, emble] *est, e qui nul nel prust devant*

risfactura regis de xl. solidis. *S'il ne pot aleier* quod plus recti facere *nel sont si perde sa Franchise si al Rei nel pot rachater s son plaisir.* Et si sit in *Danorum* Lege sit Forisfactura de Lahslite *sil alaier ne se pot* quod melius facere non *solt* et quod rectam legem et rectum judicium recusaverit, sit Forisfactura erga illum cui jus hoc pertinuerit; si sit erga Regem vj. libræ, si sit erga Comitem xl solidi, si sit in Hundredo xxx. solidi, et erga omnes *i cons* qui Curiam habent in Anglia *eo cit* ad solidos Anglicanos. In *Danorum Lege* qui rectum judicium recusaverit, sit is in misericordia de suo *Lahstite* nec bene faciat querelam Regi de hoc quod quis ei defecerit in Hundredo aut in Comitatu.

XLII

De pignore, quod Namium *vocant, capiendo.*

Non capiat quis Namium aliquod in comitatu nec per vim usque d um ter rectum petierit in Hundredo aut in Comitatu, et si ad tertiam vicem rectum non potest habere, eat ad Comitatum et Comitatus præfigat ei diem quartum et si *cili de fait de ki il se claime dunt prenge conge ut possit* Namium capere *pur le son lum et pref.*

XLIII

Ne quis rem aliquam emat sine testibus.

Nemo emat quantum iv. denariis æstimatur; neque de re mortua neque de viva, absque testimonio iv. hominum aut de burgo aut de villa : et si quis rem vendicat et *il vent* habeat testimonium; si nullum habeat Warrantum, respondeat alteri Catallum suum et forisfacturam habeat, qui habere debet, et si testimonium habeat ut jam diximus, *voest* tribus vicibus vice quarta *le deremet el il le rende.*

XLIV

De : : : : : :

Præterea Rationi consonum non videtur ut quis *face pruvance sur testimonie ki conusens ço que entre est, et que nul nel prust devant*

pecunia, sit in forinfactura Regis de xl. solidis, si non potest se allegiare (seu purgare) quod plus recti facere non scivit, libertatem suam perdat, nisi eam a Rege redimere potuerit ad ejus beneplacitum. Et si sit in Danorum Lege sit forisfactus de Lahslite, si allegiare se non possit, se melius facere non scivisse. Et qui rectam legem et rectum judicium recusaverit, sit forisfactus erga eum ad quem jus hoc pertiuuerit : si sit erga Regem, vj, libris, si erga comitem xl. lib. si in hundredo xxx. solidet erga omnes illos qui Curiam habent in Anglia, id est ad solidos Anglicanos. Et in Danorum lege qui rectum judicium recusaverit, sit in misericordia de suo *Lahlite*, nec querelam Regi fiat, de eo quod quis ei defecerit in Hundredo, nec in Comitatu.

XLII

Nemo Namium capiat neque in Comitatu, neque extra (*Comitatum*) donec ter rectum petierit in Hundredo, vel in Comitatu : et si ad tertiam vicem rectum non potest habere, eat ad Comitatum, et Comitatus assignet ei diem quartum ; et si is deficiat de quo se clamat, tunc facultatem accipiat namium capiendi pro sua utilitate et proficuo.

XLIII.

Nemo emat quantum iv. denariis æstimatur neque de re mortua, neque de viva, absque testimonio iv. hominum aut de burgo aut de villa : et si clametur, veniat, et habeat testes : si nullum Warantum habet, reddat homo homini suum Catallum, et forisfacturam habeat qui habere debet : et si testes habeat, uti diximus supra, scilicet tribus vicibus: et ad quartam vicem eum disrationet, vel rem reddat.

XLIV

Non videtur rationi consentaneum ut probatio fiat per testes qui [illegible] cognoscant, et ut quis probet, vel probationem fa-

le terme de vj. meis avres ço qui l'aveir fu emblé.

XLV

E al [*al*, cil] *qui est redte, e testimoniet de leautè, et le plait trez fois eschuit, et al quart mustrent li sumenour de ses treis defautes, uncore le mande l'um qui il plege truse* [*al.*, truve], *e vienge a a dreit : et s'il ne volt, si ne uit l'um vif v mort, si prenge l'um quanque il ad, e si rende l'um al chalangeur sun chatel, e li Sireait la meité. Del remanant et le hundred la meité. Et si nul parent n'ami ceste justise deforcent, seient forfeit envers li Rei de vj. lib, e quergent* [*al.*, querent] *le larun n'en qui poesté il seit trové, n'eit Vvarant de sa vie, ne per defensed plait n'ait mes recovrer.*

XLVI

(6) *Nul ne recoit hom ultre iij. nuiz, si til* [*al.*, cil] *ne li comand od qui il fust aniz* (*al.*, venit].

XLVII

Ne nuls ne lait sun hum de li partir, plus qu'il est reté.

XLVIII

(7) *E qui larun encontre, sanz* [*al.*, saus] *qui a acient li leit aler. si l'amende a la vailance de larun, va se n'espurge per plener lei qui il laron nel sout. Et ki le cri orat, et sursera, la surcise li Rei amend, v s'en espurget.*

XLIX

E chascun Seniour *eit son Seriant, v sun plege, qi si net reté qui ait a dreit el Hundret.*

L

Si est ascons qui blamet seit, de

le terme vj. mensium postquam *que l'aveir su emble.*

XLV

De Vadimonio deserto

E-al qui est redte e testimoniet deleaute et le plait treizfois vicibus *eschui*, et ad quartam vicem ostendat summonitor de tribus defaltis, nihilominus *le mande lum* ut plegium inveniat et veniat ad jus, et si nolit, si non viderit hominem vivum aut mortuum, capiat quantum habet et reddat petenti catallum suum et Dominus habeat medietatem, residui et hundredum medietatem. Et si nemo *parent nami ceste justise deforcent seint forfeit envers le Rei de vj. lib. et quergent le larun nen qi poeste il seit trove, neit Vvarant de sa vie, ne per defensed plait mes recovrer.*

XLVI

De hospitibus.

Nemo alium recipiet ultra iij. noctes, *si til ne li command od qui fust aniz.*

XLVII.

De Famulis.

Nemo homo hominem suum a se discedere patiatur postquam rectatus fuerit.

XLVIII

De . . . .

Et qui Latronem *en contre e sanz qui a acient li leit aler si la mend a la vailance de larum, v se n'espurge per plener lei* quod Latro non sit *e ki le cri orat e sursera, la sursise li Rei amend, ou sen espurget.*

XLIX

De. . . . .

Quilibet etiam Dominus habeat servientem suum aut plegium suum *qi*, si non rectatus fuerit habeat ad rectum in Hundredo.

L

De. . . . .

Si quis intra Hundredum incu-

ciat, ante, terminum vj, mensium postquam res ablata et subrepta fuit.

XLV

Ille vero qui rectatus est, et testimonium habet de legalitate, et terplacitum deseruit, et in quarta vice tres ejus defaltas ostendunt summonitores : adhuc ab eo petitur, ut plegium inveniat et ad rectum veni[illegible] : et si nolit si non visus fuerit vivus aut mortuus, capiatur quidquid habet, et reddatur clamatori seu petenti, et Dominus habeat medietatem residui, et Hundredus medietatem. Et si nullus parens vel amicus hanc justitiam deforciant, sint forisfacti erga Regem de vj. libris, et quærant latronem, et in cujuscumque potestate inventus fuerit non habeat Warantum de vita sua, nec possit in posterum pro defensione sua placitum recuperare.

XLVI

Nemo alium recipiat ultra iij. noctes, nisi, is aliter jubeat cum quo venit.

XLVII

Nemo hominem suum a se discedere patiatur, ex quo rectatus fuerit.

XLVIII

Et qui in Latronem incurrit, cumque salvum gratis dimittit, emendam solvat ad valorem Latronis, vel per plenariam legem se expurget, quod latronem esse nescivit. Et qui clamorem audiet, et supersedebit, supersisam Regis emendet, vel se expurget.

XLIX.

Quilibet etiam Dominus habeat suum servientem, vel suum plegium, cum quo si rectatus fuerit, eat ad rectum in Hundredo.

L

Si is qui accusatur absconsus

(6) V. LL. Edv. Conf. c. 27.
(7) V. LL. Kanuti, part. II, c. 126, et LL. Henr. 1, cap. 12

dinz [*al.*, et dinz] *le Hundred iv. humes le retent. sei xii. main s'espurget, e si il sent suist* [*al.*, s'enfuist] *deduz la chalange, li Sires rende sun were, e si l'un chalange le Seignour, qui par le seut seit alé, si s'escudie sei vj. main: e s'il ne pot* [*al.*, vot], *envers li Rei l'ament, e cil soit vilage.*

satus fuerit et iv. homines *le retent*, se duodecima manu purget, et si *il sent suist deduz la chalenge*, Dominus reddat Weram suam *e si lun chalange, le Seignour que per le seutseit aler si se puaret* duodecima manu, et si non posset, emendet versus Regem et sit utlagatus.

est, et ad Hundredum a iv. hominibus rectatur, duodecima manu se expurget. Et si post clamorem aufugiat, Dominus reddat suam Weram. Et si clametur Dominus, quod ex sua scientia excesserit, se excondicat se vi. manu: quod si non potest, emendam solvat Regi, et sit utlagatus.

SELDENUS LECTORI.

Neque præter Ingulphum quis leges hasce tradidit; neque præter hasce aliquem omnino quæ illius ævi idiomate Gallico seu Normannico conscribitur, exstare puto; cum interim memoriæ sit traditum, Willelmum idioma illud, utpote vernaculum, nascentique imperio velut magis fidele, in Anglia propagari et populare fieri impense desiderasse, idque sancito jussisse. Missis quæ historici de ea re habent, Robertum Holkotium, virum, ut ævum tulit, doctissimum, testem adhibeo. *Narrant historiæ* (ita scribit ille ad librum Sapientiæ. cap. xi) *quod cum Willelmus dux Normannorum regnum Angliæ conquisivisset, deliberavit quomodo linguam Saxonicam posset destruere et Angliam et Normanniam in idiomate concordare, et ideo ordinavit quod nullus in curia regis placitaret nisi in Gallico, et iterum quod puer quilibet ponendus ad litteras, addisceret Gallicum, et per Gallicum Latinum*: *quæ duo usque hodie*, inquit *observantur*. Floruit autem Robertus iste sub Edwardo III, cujus regni anno vicesimo quarto, sæviente peste abreptus est. Vide Stat, 36, Ed. 3, cap. 15. Atqui complures aliæ, vetustis schedis Willelmo regi tributæ (præter eas Edwardo regi accepto, latas) reperiuntur quarum hasce subjungere etiam visum est tam quod apud Rogerum Howedenum ex mutilo nimium exemplari obtrusæ sint, aut librariorum injuria decurtatæ, tum quod Willelmi Lambardi codicem de priscis Anglorum legibus (ubi editæ quidem sunt, nec tamen undequaque exemplari quo utor consonæ) etiam studiosis rarissime occurrere certo sciam.

WILLELMUS, Dei gratia rex Anglorum dux Normannorum, omnibus hominibus suis Franciæ et Angliæ, salutem. A

LI.

De religione et pace publica.

Statuimus in primis super omnia, unum Deum per totum regnum nostrum venerari, unam fidem Christi semper inviolatam custodiri, pacem, et securitatem, et concordiam, judicium et justitiam inter Anglos et Normannos, Francos et Britones Walliæ et Cornubiæ, Pictos et Scotos Albaniæ. Similiter inter Francos et Insulanos provincias et patrias quæ pertinent ad coronam et dignitatem, defensionem et observationem, et honorem regni nostri et inter omnes nobis subjectos per universam monarchiam regni Britanniæ firmiter et inviolabiliter observari. Ita quod nullus alii foris faciat in nullo super foris facturam nostram plenam. B

LII.

De fide et obsequio erga regem.

Statuimus etiam ut omnes liberi homines fœdere et sacramento affirment quod intra et extra universum regnum Angliæ (quod olim vocabatur regnum Britanniæ) Willelmo suo domino fideles esse volunt terras et honores illius fidelitate ubique servare cum eo, et contra inimicos et alienigenos defendere.

LIII.

De Normanni seu Francigenæ cœde.

Volumus autem et firmiter præcipimus ut omnes homines, quos nobiscum adduximus aut post nos venerint sint sub protectione et in pace nostra per universum regnum prædictum; et si quis de illis occisus fuerit, dominos ejus habeat intra v. dies homicidam ejus si poterit; sin autem, incipiat persolvere nobis XLVI marcas argenti quandiu substantia domini illius perduraverit. Ubi vero dominus defecerit, totus hundredus in quo occisio facta est communiter solvat quod remanet.

LIV.

De Jure Normanorum qui ante adventum Willelmi cives fuerant Anglicani.

Et omnis Francigena qui tempore Edwardi propinqui nostri fuit in Anglia particeps consuetudinum Anglorum, quod ipsi dicunt *Anhlote* et *Anscote* persolvat secundum legem Anglorum.

LV.

De clientelari seu feudorum jure, et ingenuorum immunitate.

Volumus etiam ac firmiter præcipimus et concedimus, ut omnes liberi homines totius monarchiæ regni nostri prædicti habeant et teneant terras suas et possessiones suas bene et in pace, libere ab omni exactione injusta, et ab omni tallagio: ita quod nihil ab eis exigatur vel capiatur, nisi servitium suum liberum quod de jure nobis facere debent et

facere tenentur; et prout statutum est eis et illis a nobis datum et concessum jure hæreditario in perpetuum per commune consilium totius regni nostri prædicti.

LVI.

De nocturnis custodiis.

Statuimus etiam et firmiter præcipimus ut omnes civitates, et burgi, et castella, et hundredi et wapentachia, totius regni nostri prædicti singulis noctibus vigilentur et custodiantur in gyrum pro maleficiis et inimiciis prout vicecomes et Aldermanni, et præpositi et cæteri ballivi et ministri nostri melius per commune consilium ad utilitatem regni providebunt.

LVII.

De mensuris et ponderibus.

Et quod habeant per universum regnum mensuras fidelissimas et signatas, et pondera fidelissima et signata sicut boni prædecessores statuerunt.

LVIII.

De clientum seu vassalorum præstationibus.

Statuimus etiam et firmiter præcipimus ut omnes comites, et barones, et milites, et servientes, et universi liberi homines totius regni nostri prædicti habeant et teneant se semper bene in armis et in equis, ut decet et oportet, et quod sint semper prompti et parati ad servitium suum integrum nobis explendum et peragendum cum semper opus affuerit, secundum quod nobis de feodis debent et tenementis suis de jure facere, et sicut illis statuimus per commune consilium totius regni nostri prædicti, et illis dedimus et concessimus in feodo jure hæreditario. Hoc præceptum non nostrum sit violatum ullo modo super forisfacturam nostram planam.

LIX.

Ut jura regia illæsa servare pro viribus conentur subditi

Statuimus etiam et firmiter præcipimus ut omnes liberi homines totius regni prædicti sint fratres conjurati ad monarchiam nostram et ad regnum nostrum pro viribus suis et facultatibus contra inimicos pro posse suo defendendum et viriliter servandum, pacem et dignitatem coronæ nostræ integram observandam, et ad judicium rectum et justitiam constanter omnibus modis pro posse suo sine dolo et sine dilatione faciendam. Hoc decretum sancitum est in civitate London.

LX.

Ne venditio et emptio fiat, nisi coram testibus et in civitatibus

Interdicimus etiam ut nulla viva pecunia vendatur aut ematur nisi intra civitates, et hoc ante tres fideles testes, nec aliquam rem vetitam sine fidejussione et warranto, quod si aliter fecerit solvat et persolvat, et postea forisfacturam.

LXI.

De emptoriis, et jure urbium pagorumque notæ melioris.

Item nullum mercatum vel forum sit nec fieri permittatur nisi in civitatibus regni nostri, et in burgis, et in murovallatis. et in castellis, et in locis tutissimis, ubi consuetudines regni nostri, et jus nostrum commune et dignitatis coronæ nostræ quæ constituta sunt a bonis prædecessoribus nostris deperiri non possunt nec desiderari nec violari; sed omnia recte et in aperto et per judicium et justitiam fieri debent. Et ideo castella, et burgi, et civitates sita sunt et fundantur et ædificantur, scilicet, ad tuitionem gentium et populorum regni et, defensionem regni. et idcirco observari debent cum omni libertate et integratate et ratione.

LXII.

De purgatione forensi in judiciis publicis.

Decretum est etiam ut (*al. ad.* si) Francigena appellaverit Anglum de perjurio aut murdro, furto, homicidio, *Rau* quod dicunt apertam rapinam, quæ negari non potest Anglus se defendat per quod melius noverit, aut judicio ferri et duello. Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, emendet regi XL solid. Si autem Anglus Francigenam appellaverit et probare voluerit judicio aut duello, volo tunc Francigenam purgare se sacramento non fracto (non ferro *apud Hovedenum.*)

LXIII.

Firmantur leges Edwardi regis.

Hoc quoque præcipimus ut omnes habeant et teneant legem Edwardi regis in omnibus rebus, adauctis his quas constituimus ad utilitatem Anglorum.

LXIV.

De justitiæ publicæ fidejussoribus.

Omnis homo qui voluerit se teneri pro libero sit in plegio ut plegius eum habeat ad justitiam si quod offenderit; et si quisquam evaserit, talium videant plegii ut solvant quod calumniatum est, et purgent se quia in evaso nullam fraudem noverint. Requiratur hundredus et comitatus (sicut antecessores statuerunt) et qui juste venire debent et noluerunt, summoneatur semel; et si secundo non veniunt, accipiatur unus bos, et si tertio, alius bos; et si quarto, reddatur de rebus hujus hominis quod calumniatum est quod dicitur Ceapgyld, et insuper regis forisfactura.

LXV,

De servis et eorum manumissione.

Et prohibemus ut nullus vendat hominem extra patriam. Si quis vero velit servum suum liberum facere, tradet eum vicecomiti per manum dextram in pleno comitatu, et quietum illum clamare debet a jugo servitutis suæ per manumissionem, et ostendat ei liberas vias et portas, et tradat illi libera arma, scil. lanceam, et gladium; deinde liber homo efficitur.

LXVI.

De servis.

Item si servi permanserint sine calumnia per

annum et diem in civitatibus nostris, vel in burgis in muro vallatis vel in castris nostris, a die illa liberi efficiuntur, et liberi a jugo servitutis suæ sint in perpetuum.

LXVII.

De suppliciorum modo.

Interdicimus etiam ne quis occidatur vel suspen- A datur pro aliqua culpa, sed evernantur [*al.*, eruantur] oculi et abscidantur pedes, vel testiculæ, vel manus, ita quod truncus remaneat vivus in signum proditionis et nequitiæ suæ. Secundum enim quantitatem delicti debet pœna maleficiis infligi. [illegible]cepta non sint violata super forisfacturam nostram plenam. Testibus, etc.

Schedæ autem, quæ in hisce eruendis usui erant; leges etiam De examine forensi suppeditarunt, quarum exemplar correctius habetur apud Joannem Bramptonum abbatem Jornallensem ms., qui, diligentissimus alioquin rerum nostrarum, maxime autem legum vetustiorum indagator, Willelmum alias præter hasce, statuisse non memorat. Earum apud abbatem hunc hujusmodi lemma est, et hujusmodi stylus.

INSTITUTIONES SIVE LEGES REGIS WILLELMI.

WILLEMUS, Dei gratia rex Anglorum, omnibus ad quos scriptum hoc perveniat salutem et amicitiam. Mando et præcipio per totam Anglicam nationem custodiri.

LXVIII.

De examine forensi.

Si Anglicus homo compellet aliquem Francigenam per bellum de furto vel homicidio vel aliqua re pro qua bellum fieri debeat vel judicium inter duos homines, habeat plenam licentiam hoc faciendi. Et si Anglicus bellum nolit, Francigena compellatus adlegiet se jurejurando contra eum per suos testes secundum legem Normanniæ.

LXIX.

De eodem.

Item si Francigena compellat Anglicum per bellum de eisdem rebus, Anglicus plena licentia defen- B dat se per bellum, vel per judicium si magis ei placeat. Et si uterque sit invalidus et nolit bellum vel non posset, quærat sibi legalem defensionem.

LXX.

De eodem.

Si Francigena victus fuerit, persolvat regi LX sol. Et si Anglicus nolit se defendere per bellum vel per testimonium, adlegiet se per Dei judicium.

LXXI.

De examine forensi.

De omnibus utlagariæ rebus rex instituit ut Anglicus se purget ad judicium. Et si Anglicus appellet Francigenam de utlagaria et hoc super eum in veritate velit, defendat se Francigena per bellum. Et si Anglicus non audeat enim probare per C bellum, defendat se Francigena pleno juramento non in verborum observantiis (8).

(8) Monendum est, distributiones capitum in exemplaribus mss. minime repertas esse, sed a nobis consulto factas, tam ut faciliorem aditum (ubi fieri potuit) præberent capitum lemmata, quam ut curiosorum, qui hæc sectantur, observationibus subvenirent numeri, quos non alio consilio, a primo earum quas Ingulphus dedit capite, per cætera continenter deducimus.

Accedere etiam potest institutis Willielmi regis, illud a Joanne Sarisburiense lib. VIII De nugis curialium, cap. 7 : « Assumpto, inquit ille, regni diademate et pace composita, legatos misit ad exteras nationes ut a præclaris omnium domibus quidquid eis magnificum aut mirificum videatur, afferrent [*al.*, auferrent]. Defluxit ergo in insulam opulentam, et quæ fere sola bonis suis est in orbe contenta, quidquid magnificentiæ, imo luxuriæ potuit inveniri. » Porro hoc etiam de annona palatina quod habetur in Dialogo de Scaccario seu libro Nigro ita dicto a Gervasio Tilburiense (ut sententia recepta est) sub Henrico II conscripto, qui in archivo fiscali, quod *Receptum Scaccarii* phrasi forensi nominant, servatur. « In primitivo regni statu post conquisitionem, regibus de fundis suis non auri vel argenti pondera, sed sola victualia solvebantur. Ex quibus in usus quotidianos domus regiæ necessaria ministrabantur ; et noverant qui ad hoc deputati fuerant, quantum de singulis fundis proveniebat. Cæterum ad stipendia vel donativa militum, et alia necessaria de placitis regni, vel conventionibus, et ex civitatibus vel castellis, a quibus agricultura non exercebatur, pecunia numerata succrescebat. Toto igitur regis Willelmi primi tempore perseveravit hæc institutio, usque ad tempora regis Henrici filii ejus, adeo ut viderim ego ipse quosdam, qui victualia, statutis temporibus, de fundis regiis ad curiam deferri viderint. Certum quoque habebant officiales domus regiæ, a quibus comitatibus triticum, a quibus diversæ species carnium, vel equorum pabula vel etiam necessaria debebantur. His vero solutis secundum constitutum modum cujusque rei, regii officiales computabant vicecomitibus redigentes in summam denariorum : pro mensura scilicet tritici ad panem C hominum solidum I, pro corpore bovis pascualis solidos V, pro ariete vel ove IV denarios ; pro præbenda XX equorum similiter IV denarios. Succedente vero tempore, cum idem rex in transmarinis et remotis partibus sedandis tumultibus bellicis operam daret, contigit ut fieret sibi summe necessaria, ad hæc explenda, numerata pecunia. Confluebat interea ad regis curiam querula multitudo colonorum, vel, D quod gravius sibi videbatur, pretereunti frequenter occursabat, oblatis vomeribus in signum deficientis agriculturæ. Innumeris enim molestiis premebantur, occasione victualium, quæ per plures regni partes a sedibus propriis deferebant. Horum igitur querelis inclinatus rex, definito magnatum consilio, destinavit per regnum quos ad id prudentiores et discretiores cognoverat. Qui circumeuntes, et oculata fide fundos singulos perlustrantes, habita æstimatione victualium quæ de his solvebantur, redegerunt in summam denariorum. De summa vero summarum, quæ ex omnibus fundis surgebat in uno comitatu constituerunt vice-comitem illius comitatus ad Scaccarium teneri, addentes ut ad scalam solveret. » Nec prætereundum hic quod habet Henricus Bractonius, priscus apud nos jurisconsultus, de forinseco servitio quod scilicet ii præstant qui in subditorum clientela eo nomine fundum possidentes, dominorum suorum personam in officiis maxime militaribus regi præstandis indunt, quod,

II.

Concilium Juliobonense quod a Willelmo Anglorum rege cum episcopis et proceribus Normanniæ apud Juliam Bonam celebratum est in festivitate Pentecostes, anno Christi 1080, Gregorii VII papæ anno VIII, Philippi Francorum regis XX.

(LABB. *Concil.*, X, 391.— *Exstat in tabulario regio authenticum illius exemplar in membranis, quod vidimus : habetur quoque in pluribus mss. et apud Ordericum Vitalem lib.* V *Historiæ ecclesiasticæ*, etc.

TITULI CANONUM.

A

I. *Ut pax Dei firmiter teneatur, ejusque infractores ab episcopis coerceantur.*

II. *Ut de incestis matrimoniis juxta canones judicent episcopi.*

III. *De judicio clericorum qui de vetito feminarum contubernio accusantur.*

IV. *Quod laicus partem in reditibus ecclesiæ habere non debeat, et quale inde servitium reddere liceat presbytero.*

V. *Ut episcopi a presbyteris præter justos reditus nihil exigant.*

VI. *Ut archidiaconi quotannis presbyterorum suorum vestes, calices et libros visitent.*

VII. *De crimine quod presbyter in forestis regis vel baronum ejus commisit episcopus recognoscet.*

B

VIII. *Ut de singulis domibus ceræ denerata matri ecclesiæ quotannis per presbyteros offeratur.*

IX. *Ne laicus presbyterum det vel adimat ecclesiæ nisi ex consensu episcopi.*

X. *De cœmeteriis quæ sunt in civitatibus, capellis et burgis, vel in maceriis.*

XI. *De cœmeteriis villarum.*

XII. *De presbyteris quorum ecclesiæ donantur monachis vel canonicis.*

XIII. *De justitiis et consuetudinibus episcopalibus.*

PRÆFATIO.

Anno Incarnationis Domini 1080, papatus domini Gregorii papæ VII octavo, Francorum rege regnante Philippo, Anglorum rege Willelmo gubernante Normanniam, in festivitate Pentecostes, sub ejusdem regis præsentia, præsente Rothomagensi archipræsule Willelmo, congregatis etiam episcopis et abbatibus, consulibus quoque et cæteris Normanniæ principibus, celebratum est apud Lillebonam [Juliam Bonam seu Juliobonam (*Lillebone*)] concilium, in quo serenissimi regis Willelmi providentia præscriptorum fidelium suorum consilio diffinivit.

CANONES.

I.

Ut pax Dei, quæ vulgo dicitur trevia, sicut ipse eam initio constituerat, firmiter teneatur, et per singulas parœcias dictis excommunicationibus renovetur. Qui vero eam observare contempserint, vel aliquatenus fregerint, episcopi, secundum quod prius statutum est, eos judicando justitiam faciant. Si quis autem episcopo suo inde inobediens fuerit, domino in cujus terra habitat episcopus hoc demonstret, et ille eum subdet episcopali justitiæ. Quod si et dominus facere contempserit, regis vicecomes inde per episcopum requisitus, omni remota excusatione faciat.

ut scribit ille, dicitur regale servitium, quia spectat ad dominum regem, et non ad alium et secundum quod in conquestu fuit adinventum. Ad Willelmi hujus tempora eum respexisse palam est. Victoriam enim ejus, vocabulo barbaro, *conquestu*, præcise olim ut hodie signabant. Nonnullæ aliæ sunt ejusce

C

leges apud Matthæum Parisium, Henricum Huntingdoniensem, et alios; quas, quoniam sunt cuique obviæ, prætermittimus. Sed caveant interim lectores ne a Polydoro ejusque sequacibus in hisce fallantur. Indiligentia enim sua deceptus quasdam Willelmo velut auctori tribuit, quas vetustioribus Saxonici imperii temporibus certissimum est deberi; quasdam etiam, quæ non ante aliquot a Willelmo elapsa sæcula natæ sunt.

Sed oblitus hactenus præstiti a Willelmo rege juramenti, quo veteribus Anglorum sancitis etiam generatim observandis se obstrinxit, non intempestive hic Matthæi Parisii de ea re verba subjungo. Vitas conscripsit ille cœnobiarcharum D. Albani. In Fretherici autem cœnobiarchæ Vita (qui nempe vir strenuus et constans, Haraldi regis non minus devicti quam regnantis nomen sibi charissimum retinens, reluctantibus postmodum Anglis australibus, ut Aldredus antistes Eboracensis aquilonaribus,

D

se ducem fortiter, at frustra, præbuit) varia partium studia narrans : « Videntes, inquit, Angli rem agi pro capitibus, plures convocando exercitum numerosum ac fortissimum conflaverunt, præficientes sibi Edgarum speciosissimum et fortissimum, in cujus sinu tota spes reposita fuit Angligenarum, unde in Anglia tale exiit eulogium : *Edgar Etheling Engelondes Dereling.* Fuit autem inter omnes Anglos dux et promotor efficacissimus abbas S. Albani, Fretherieus, tanquam vir generosus, operibus et viribus non mediocriter formidabilis. Cœpit igitur rex vehementer sibi timere ne totum regnum quod tanti sanguinis effusione acquisierat, turpiter amitteret etiam trucidatus. Archiepiscopi igitur (*scilicet Lanfranci*) prudentia feliciter eruditus, mitius cœpit agere cum regni primatibus, ea quæ pacis sunt humiliter rogitando, et serena facie vocavit eos ad pacem sed subdolam, sicut rei series finaliter clarius patefecit. Occurrerunt igitur Angli memorati nil mali cogitantes in regimine et ducatu abbatis Fretherici apud Berckhamstude, ubi post multas deprecationes, præsente archiepiscopo Lanfranco, rex pro bono pacis juravit super omnes reliquias ecclesiæ Sancti Albani, tactisque sacrosanctis Evangeliis, minante [*ita ms.*] juramentum abbate Fretherico ; bonas et approbatas antiquas leges quas sancti ac pii Angliæ reges ejus antecessores, et maxime rex Edwardus statuit inviolabiliter observare. Et sic pacificati, ad propria læti recesserunt. »

II

De his qui de parentela sua uxores tenent, et uxores parentum suorum, episcopi canonicam justitiam exsequantur. Rex enim nullum inde sustinet vel tuetur, sed potius episcopos adjuvando admonet ut lex Dei firmiter teneatur.

III

Presbyteri, diaconi; subdiaconi et omnes canonici et decani, nullam omnino feminam habeant. Quod si posthac aliquis eamdem culpam visus fuerit incurisse, si per ministros episcopi prius inde fuerit accusatus, in curia episcopi se purgabit. Si vero parœcianorum vel dominorum aliquis eum accusaverit, habeat accusatus inducias, ut cum episcopo possit loqui; et si purgare se voluerit in eadem parœcia cui servit, præsentibus parochianis pluribus ante ministros episcopi et coram judicio se purgabit. Si vero se purgare non potuerit, ecclesiam perdat irrecuperabiliter. Hoc autem rex prædictus statuit, non perenniter episcopis suis debitam auferendo justitiam : sed quia eo tempore episcopi minus quam convenisset inde fecerant, donec ipse eorum videns emendationem eis redderet pro benefacto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commisso.

IV

Nullus laicus in redditibus altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat, nec pecuniam pro horum venditione vel donatione aliquatenus habeat. Nec presbyter inde servitium faciat, nisi legationem domini sui portet, ita ut eadem die ad ecclesiam revertatur et ad orationes, per Normanniam solummodo, victum domini sui habens, si dominus voluerit secum vadet; servitium ecclesiæ presbyter interim curet.

V

Presbyteri ab episcopis vel ab eorum ministris præter justos reditus episcopi, vi vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

VI

Archidiaconi per archidiaconatus suos semel in anno presbyterorum suffraganeorum suorum vestimenta, et calices, et libros videant, designatis ab episcopo in unoquoque archidiaconatu solummodo tribus locis, ubi vicini presbyteri ad hæc monstranda convocentur. Quo enim archidiaconus ad hæc videnda venerit, a presbyteris conveniunt triduo, si expedit, victum habeat sibi quinto.

VII

Si presbyter satisfactionem fecerit de forestis regis, vel baronum ejus nullam emendationem inde habebit episcopus.

VIII

Presbyteri semel in anno circa Pentecosten cum processionibus suis ad matrem ecclesiam veniant, et de singulis domibus ceræ deneratam, vel idem valens, ad illuminandam ecclesiam altari offerant. Quod qui facere noluerit, a presbytero per ministerium suum cogatur hoc solvere sine emendatione pecuniæ.

IX

Laicus presbyterum non det vel adimat ecclesiæ nisi ex consensu præsulis. Quem tamen , si rejiciendus est, episcopus non repellat; et si repellendus est non retineat.

X

In cœmeteriis ecclesiarum quæ sunt in civitatibus, vel in castellis, vel in burgis, quidquid episcopi tempore Rodberti comitis, et Willelmi regis ejus consensu habuerunt , episcopi habeant. In cœmeteriis vero quæ in marchis sunt, si guerra fuerit, et aliqui ad habitandum ibi faciant mansionem, dum guerra duraverit, et ipsi propter guerram in atrio manserint, nullam forisfacturam ab eis habebit episcopus, nisi quam habuisset, antequam ad atrium confugissent. Cum autem pax facta fuerit, qui propter guerram fugerant, de atrio exire cogantur, aut episcopalibus legibus supponantur. Qui vero in prædictis cœmeteriis antiquius manserunt, in antiqua quietudine permaneant.

XI

Ecclesiæ villarum quantum cœmeteriis habuerunt tempore Rodberti comitis, vel quantum habuerunt usque ad istud concilium, tantum habeant ; et in eis eas consuetudines habeant episcopi, quas tempore Rodbertis comitis vel Willelmi regis ejus consensu habuerunt, nisi episcopi aliquam quietudinem fecerint concedente rege Willelmo. Si post concilium intra villam aliqua nova ecclesia, sit, faciat episcopus cœmeterium consideratione dominorum et parochianorum ejusdem ecclesiæ. Si vero extra villam nova fiat ecclesia, indeque habebit quinque perticas cœmeterii.

XII

Si donatur monachis ecclesia, presbyter qui ejusdem tenet ecclesiam honorifice teneat quidquid de eadem ecclesia haberet antequam monachi eam haberent ; et tanto melius, quanto sanctioribus associatur hominibus eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, abbas idoneum quærat presbyterum, et episcopo eum per se vel per nuntium suum ostendat. Quem, si recipiendus est, episcopus recipiat. Si vero presbyter cum monachis religiose vivere voluerit, videat ut ecclesia, quam episcopali licentia intravit, honeste tractetur, tam in vestimentis quam libris et cæteris ecclesiæ serviendæ necessariis, secundum ejusdem ecclesiæ facultatem. Quod si presbyter cum monachis vivere, noluerit, tantum ei det abbas de bonis ecclesiæ, unde et bene vivere, et ecclesiæ servitium convenienter valeat adimplere. Quod si abbas facere noluerit, ab episcopo convenienter cogatur ut faciat. Presbyter vero episcopo suo juste sit subditus, et episcopales reditus persolvat. Quæ vero superabundant, in usus monasterii sui abbas habeat. Hoc idem in ecclesiis canonicorum observetur.

XIII

Violatio ecclesiæ et atrii, sicut superius determinatum est, et commissa pro quibus divinum officium remanet, episcopis per pecuniam emendentur. Assultus in itinere ecclesiæ similiter. Si quis iratus persequatur alium in atrium vel in ecclesiam, similiter.

Si clericus arat vel ædificat in atrio sine pontificali licentia, similiter. Si clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percusserit aut vulneraverit, vel occiderit, aut duellum sine licentia episcopi susceperit, aut namnum fecerit, aut assultum fecerit, aut aliquid injuste saisierit, aut incendium fecerit, aut manu pastus ejus, aut habitator atrii, similiter. Si clericus adulterium fecerit aut incestum, similiter. Si presbyter de ministerio suo satisfecerit, similiter. Presbyteri qui ad synodum venire neglexerint, similiter; et qui synodum et circadam statutis terminis non reddiderint, similiter. Si clericus coronam suam dimiserit, similiter. Si monachus vel monacha, qui sunt sine regula, habitum suum dimiserint, similiter. Si presbyter treviæ Dei infractores et latrones sine licentia episcopi excommunicaverint, similiter.

Si erraticum habens quod vulgo weidif dicitur, venerit in curiam sacerdotis vel clerici, qui in atrio maneant, vel in eleemosyna ejusdem ecclesiæ, ut in atrio episcopi erit. Si quid per contemptionem in domo presbyteri, vel clerici, vel in atrio sacerdotis, vel eorum manu pasto relictum fuerit, episcopi erit. Si quid in ecclesia vel in atrio inveniatur vel relinquatur, episcopi erit.

Si quis presbyterum aut monachum aut monacham assalierit aut percusserit aut ceperit, aut occiderit, aut eorum domos in atrio incenderit, similiter emendabit. Si quis adulterium aut incestum fecerit aut cum matrina, vel commatre, vel cum filiola coierit, similiter. Si quis uxorem suam vel si qua virum suum sine judicio præsulis reliquerit, similiter. Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter : qui intentum sibi crimen inficians ferri judicio convincitur excepta Dei trevia, similiter. Qui justitiæ resistens excommunicari se patitur, similiter.

Parochianorum crimina episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit episcoporum judicio examinentur, et contradictio judicationis facta fuerit, ante episcopum diffiniatur. Si furti judicium judicatum fuerit, ante matrem Ecclesiam terminetur. Si plana lex facienda erit, ibi fiat ubi placitum prius fuit in parochia episcopi sine licentia ejus nullus audeat prædicare.

Qui prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro quo qualitate criminis injungatur, et pecunia nullatenus exigatur.

Si laicus in atrio raptum fecerit, episcopo emendabit : si vero alibi fecerit, quomodocunque faciat, episcopus nihil habebit.

Has consuetudines episcopi habeant in illis locis in quibus eas tempore Rodberti comitis vel Willelmi regis ejus concesssione hactenus habuerunt. Quæ vero quieta fuerunt, eam quietudinem habeant quam huc usque solide tenuerunt. In his omnibus justitiis et consuetudinibus rex sibi retinet quod huc usque habuit.

Si presbyter domini sui judicium contradixerit de ecclesiastica causa, et eum in curiam episcopi eundo injuste fecerit fatigare, decem solidos emendabit domino suo.

Si episcopi aliquid quod hic non sit scriptum, in regis curia possint monstrare se habuisse tempore Rodberti comitis vel Willelmi regis ejus concessione, rex eis non tollet quin habeant : tantummodo illuc nullatenus saisiant, donec in curia ejus monstrent quod habere debeant. Similiter etiam laicis propter hoc scriptum rex nihil tollit, quod in curia regis monstrare possint episcopos non debere habere. Tantummodo episcopos inde non dessaisiant donec in curia regis monstratum sit quod episcopi inde habere non debeant.

In manuscripto exemplari synodo Juliobonensi præmittitur synodale decretum de pace quæ vulgo Dei trevia dicitur, et quæ die Mercurii incipit, constitutum a Guillelmo seniore rege Anglorum et duce Normannorum, et episcopis Normnniæ.

Fratres in Domino charissimi, in pace quæ vulgo dicitur trevia Dei, et quæ a die Mercurii sole occidente incipit, et die Lunæ sole nascente finit, hæc quæ dicam vobis promptissima mente dehinc in antea debetis observare. Nullus homo nec femina hominem nec feminam usquam assaliat, nec vulneret, nec occidat, nec castellum, nec burgum, nec villam in hoc spatio quatuor dierum et quinque noctium assaliat, nec deprædetur, nec capiat, nec ardeat nullo ingenio, aut violentia, aut aliqua fraude.. Quod si aliquis, quod absit ! illam, non tenendo quæ præcipimus, infregerit, si non xxx annorum spatio pœnitentiam in exsilio fecerit, et antequam ab episc. exeat, qnidquid fecit contra pacem emendaverit, a Domino Deo excommunicamus, et a tota christianitate sit separatus. Quicunque vero illi aliqua in re communicaverit scienter, aut consilium sive adjutorium dederit, aut ullum colloquium, nisi ut ad pœnitentiam veniat, et, ut dictum est, ab hoc episc. exeat, habuerit, similiter sit excommunicatus; donec ad emendationem venerit. Quod si ille sanctæ pacis violator miserrimus, postquam accepta pœnitentia xxx annorum, ubi exulat moriatur, nullus Christianorum præsumat illum visitare, aut corpus a loco in quo jacuerit tollere, nec quidquam ex substantiæ suæ bonis accipere. Præterea, fratres,

hanc pacem et treviam Dei de terris aut de bestiis, insuper de rebus omnibus quæ habere possunt tenebitis. Quod si quis aut aliquam bestiam, aut etiam obolum sive vestimentum in ista pace tulerit alieni, sit excommunicatus, donec ad emendationem veniat. Quod si ad emendationem voluerit venire, primum reddat quod rapuit, aut tantum quanti erat pretii quod rapuit. Dehinc VII annis pœniteat infra episcop. Si autem moriatur priusquam satisfaciat et pœnitentiam sumat, non sepeliatur, nec a loco quo obiit moveatur, nisi pro illo parentes ejus satisfecerint ei cui injuriam fecit. Ceterum in hac pace nullus nisi rex aut comes hujus patriæ caballicationes aut hostilitatem faciat, et quicunque in caballicatione aut hostilitate regis fuerit, in hoc A episc. nihil plusquam sibi ac suis equis necessaria ad victum accipiant; mercatores autem et omnes homines qui ab aliis regionibus per vos transierint, pacem habeant a vobis. Hanc etiam Dei treviam ab initio adventus Domini usque ad octavas Epiphaniæ et a capite jejunii usque ad octavas paschæ, et a diebus Rogationum inchoantibus usque ad octavas Pentecostes per omnes dies tenebitis. Qui hanc pacem observaverint, pro illis preces agendo benedicant, illos vero qui infregerint aut qui infractoribus concesserint maledicant. Si quis autem se pacem nescienter dixerit infregisse, prius sacramentum faciat, calidumque judicii ferrum portet, septem annis pœniteat.

III

Normannorum antiquæ consuetudines et justitiæ, in concilio apud Lillebonam, anno 1080 celebrato, confirmatæ.

(Marten. *Anecdot.* tom. IV, col. 117, *ex ms. S. Michaelis in Periculo maris.*)

I.

Hac est justitia quam rex Willelmus, qui regnum Angliæ acquisivit, habuit in Normannia, et hic scripta est, sicut Robertus comes Normanniæ et Willelmus rex Angliæ, filii ejus et hæredes prædicti regis fecerunt recordari et scribi per episcopos et barones suos eadem die XV Kalendas Augusti. Et hæc est justitia domini Normanniæ, quod in curia sua, vel eundo ad curiam vel redeundo de curia nullus homo gardam habuit de inimico suo: et si aliquis de inimico suo in via curiæ vel in curia forisfecerit; ita quod ipse sciret quod ille cui malum fecit ad curiam iret vel inde rediret: si probatus inde fuerit, et dominus Normanniæ habuit suam pecuniam et corpus ejus ad suam justitiam faciendam, et terram suam perdidit; ita quod nec ipse nec aliquis de parentibus suis eam clamare potuit; et si defendere potuerit quod scienter hoc non fecisset, per pecuniam fuit in misericordia domini Normanniæ sine perditione terræ.

II.

Et in via exercitus, et in exercitu, et octo diebus ante motum determinati exercitus, et octo diebus post exercitum, si aliquis foris fecerit: habuit inde dominus Normanniæ eamdem justitiam quod de forisfacto curiæ suæ; nec infra præscriptos terminos exercitus alicui licuit vammum capere: et si cepit, per pecuniam emendabit in misericordia domini Normanniæ. Et si in exercitu, vel in curia, vel in via curiæ vel exercitus, mislata evenerit, quæ pro præcedenti ira facta non fuerit; et in ea vulneratus vel occisus fuerit aliquis: ille cujus culpa hoc factum est, secundum mensuram forisfacti emendabit.

III.

Nulli licuit in Normannia fossatum facere in planam terram, nisi tale quod de fundo potuisset terram jactare superius sine scabello. Et ibi nulli licuit facere palicium, nisi in una regula: et id sine propugnaculis et alatoriis. Et in rupe et in insula nulli licuit facere fortitudinem, et nulli licuit in Normannia castellum facere.

IV.

Et nulli licuit in Normannia pro calumnia terræ domum vel molendinum ardere, vel aliquam vastationem facere, vel prædam capere.

V.

Nulli licuit in Normannia fortitudinem castelli sui vetare C domino Normanniæ; et si ipse eam in manum suam voluerit habere; et si dominus Normanniæ filium, vel fratrem, vel nepotem baronis sui, qui non esset miles, voluit habere obsidem de portanda fide: nullus sibi contradicere potuit.

VI.

Nulli licuit in Normannia in forestis ipsius domini hominem assalire, vel insidias ponere.

VII.

Nulli licuit inimicum quærendo, vel vammum capiendo, vexillum vel loricam portare, vel cornu sonare, neque cembellum mittere postquam insidiæ D remanerent, neque hominem damnare de membris suis sine judicio; nisi in tali actu et forisfacto inventus est pro quo membrum perdere debuisset, et ibidem perdidisset, et nisi per judicium curiæ domini Normanniæ de hoc quod ad eum pertinet; vel judicio curiæ baronum de hoc quod ad barones pertinet.

VIII.

Nulli liceat in Normannia haufare facere, vel incendium, vel raptum mulieris, vel vannum capere, quin fieret inde clamor apud eum qui clamorem inde habere debuit. Et si hæc facta fuerint, dominus Normanniæ habuit inde quod habere debuit in illis locis in quibus habere debuit; et barones inde habuerunt quod ad eos pertinuit in illis locis in quibus habere debuerant.

IX.

Nulli licuit in Normannia mercatorem disturbare pro aliquo anteriori forisfacto. Et si aliquis fecit, de corpore suo fuit in misericordia domini Normanniæ.

X.

Nulli licuit in Normannia monetam facere extra monetarias domos Rothomagenses et Bajocenses: et illam mediam argenti et ad justum pensum, scili-
A cet VIII solidorum in helmare. Et si aliquis alibi fecerit monetam, vel ibi fecerit monetam falsam; de corpore suo fuit in misericordia domini Normanniæ. Et si aliquis extra prædictas domos facere monetam, vel in prædictis domibus fecit facere falsam, terram suam et pecuniam forisfecit.

XI.

Hæc autem quæ superius scripta sunt, quia magis necessaria sunt; remanet autem multum extra hoc scriptum de justitia monetæ et reliquis justitiis Normanniæ; sed propter hoc quod non scribitur, ut prædictus comes Robertus et Willelmus de justitia quam pater eorum habuit, neque barones de hoc
B quod habuerunt tempore regis Willelmi, nulli licuit pro guerra hominem capere vel redimere, nec de bello vel conflictu pecuniam portare, vel arma, vel equum ducere.

IV.

Incipiunt leges sancti Edwardi regis quas in Anglia tenuit, quas WILLELMUS, hæres et cognatus, suus, confirmavit.

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De clericis et possessionibus eorum.*
II. *De temporibus et diebus pacis regis.*
III. *De justitia sanctæ Ecclesiæ.*
IV. *De universis tenentibus de Ecclesia.*
V. *De reis ad ecclesiam fugientibus.*
VI. *De fractione pacis Ecclesiæ.*
VII. *De decimis Ecclesiæ reddendis de ovibus et porcellis.* C
VIII. *De apibus, et aliis multis minutis decimis.*
IX. *De his qui ad judicium ferri vel aquæ judicati sunt per justitiam regis.*
X. *De denario sancti Petri, quod Anglice dicitur Romescot.*
XI. *Quid sit danegeldum, et qua occasione sit constitutum.*
XII. *De multimoda pace regis*, etc. *Item de manbota archiepiscopi, episcopi*, etc.
XIII. *De thesauris in terra absconditis et inventis.*
XIV. *Quid sit regis officium, et de Carolo et Pippino fratre* [leg. *filio*] *ejus exemplum.*
XV. *De baronibus qui suas habent curias et consuetudines.*
XVI. *De sacha.* D
XVII. *De soca.*
XVIII. *De thol.*
XIX. *De theam.*
XX. *De infangth[illegible].*
XXI. *De Judæis,*
XXII. *Decretum regis de usurariis.*

PRÆFATIO.

Post acquisitionem Angliæ Willelmus rex quarto anno regni sui, consilio baronum suorum, fecit submoneri per universos Angliæ consulatus, Anglos nobiles sapientes, et sua lege eruditos, ut eorum leges, et jura, et consuetudines ab ipsis audiret. Electi igitur de singulis totius patriæ comitatibus viri duodecim, jurejurando primum coram rege confirmaverunt ut quoad possent recto tramite incedentes, nec ad dextram nec ad sinistram divertentes, legum suarum et consuetudinum sancita patefacerent, nihil prætermittentes, nihil addentes, nihil prævaricando mutantes. A legibus igitur sanctæ matris Ecclesiæ sumentes exordium, quoniam per eam rex et regnum, solidum subsistendi habent fundamentum, leges, libertates, et pacem ipsius concionati sunt, dicentes :

I.

Omnis clericus, et etiam scholaris, et omnes eorum res et possessiones, ubicunque fuerint, pacem Dei et sanctæ Ecclesiæ habeant.

II.

Ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ pax Dei et sanctæ Ecclesiæ per omne regnum. Similiter a Septuagesima usque od octavas Paschæ. Item ab Ascensione Domini usque ad octavas Pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus Sabbatis ab hora nona, et tota die sequenti, usque ad diem Lunæ. Item vigiliis sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, sancti Johannis Baptistæ,

apostolorum omnium, et sanctorum quorum solemnitates a sacerdotibus Dominicis annuntiantur diebus, et omnium sanctorum in Kalendis Novembris: semper ab hora nona vigiliarum, et subsequente solemnitate. Item in parochiis in quibus dedicationis dies observatur. Item in parochiis ecclesiarum ubi propria festivitas sancti celebratur. Et si quis devote ad celebrationem sancti adveniat, pacem habeat eundo, et subsistendo, et redeundo. Item omnibus Christianis ad ecclesiam causa orationis euntibus pax in eundo et redeundo sit eis. Similiter ad dedicationes, ad synodos, ad capitula venientibus, sive submoniti sint, sive per se quid agendum habuerint, sit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absolvendi causa ad episcopum confugerit absolutus, eundo et redeundo pacem Dei et sanctæ Ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit, episcopus inde justitiam faciat. Verumtamen si quis arrogans pro episcopi justitia emendare noluerit, episcopus regi notum faciat. Rex autem constringat malefactorem, ut emendet cui forisfecerit, scilicet primum episcopo, deinde sibi: et sic erunt duo gladii, et gladius gladium juvabit.

III.

Ubicumque regis justitia, vel cujuscunque sit, placita tenuerit, si missus episcopi veniens illuc apparuerit causam sanctæ Ecclesiæ, ipsa primitus terminetur. Justum est enim ut ubique Deus præ cæteris honoretur.

IV.

Quicunque de ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam ecclesiasticam coactus non placitabit, quamvis forisfecerit: nisi, quod absit! in curia ecclesiastica rectum defecerit.

V.

Ubicunque reus vel noxius ad ecclesiam, præsidii causa confugerit: ex quo atrium ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per pontificem vel ministros ejus. Quod si fugiendo, domum sacerdotis, vel curiam ejus intravit, eamdem securitatem et pacem habeat quam et apud ecclesiam: dum tamen domus sacerdotis et curia ejus, in fundo ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit, si ad manum est, reddat: et si illud penitus extirpaverit, et de suo proprio unde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, et forte fortuito ad ecclesiam et sacerdotum domos frequenter evaserit: ablatione restituta, provinciam forisjuret, nec redeat: et si forte reditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a rege data licentia.

VI.

Si quis vero sanctæ pacem Ecclesiæ violenter infregerit, episcoporum est justitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad regem post quadraginta dies: et regis justitia mittet eum per vadimonium, et plegios, si habere poterit, usque dum Deo primitus, regi et ecclesiæ postea satisfaciat. Qui si infra triginta et unum dies sive per amicos aut notos, sive per justitiam regis inveniri non poterit, utlagabit eum rex verbo oris sui. Si vero postea repertus fuerit, et retineri possit, vivus reddetur, vel caput ejus, si se defenderit: lupinum enim gerit caput a die utlagationis suæ, quod Anglice *Wulfesheofod* dicitur. Et hæc est lex communis et generalis de omnibus utlagatis.

VII.

De omni annona, decima garba Deo debita est, et ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tantum vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum; qui unam vel duas, de vitulis singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, det Deo decimum; si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caseum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

VIII.

De apibus vero similiter decima commodi; quin etiam de bosco, de prato, de aquis, et molendinis, parchis, vivariis, piscariis, virgultis, hortis, et negotiationibus, et omnibus rebus quas dederit dominus, decima pars ei reddenda est, qui novem partes simul cum decima largitur. Qui eam detinuerit, per justitiam episcopi et regis, si necesse fuerit, ad redditionem arguatur. Hæc enim beatus Augustinus prædicavit et docuit: et hæc concessa sunt a rege, et baronibus, et populo. Sed postea instinctu diaboli multi eam detinuerunt, et sacerdotes locupletes negligentes non curabant inire laborem ad persequendas eas, eo quod sufficienter habebant suæ necessaria vitæ. Multis enim in locis modo sunt tres vel quatuor ecclesiæ, ubi tunc temporis una tantum erat, et sic cœperunt minui.

IX.

Die illo quo judicium fieri debet, veniat illuc minister episcopi cum clericis suis, et similiter justitia regis cum legalibus hominibus provinciæ illius, qui videant et audiant, ut æque omnia fiant: et quos dominus per misericordiam suam, non per merita salvare voluerit, quieti sint et libere recedant: et quos iniquitas culpæ, non dominus damnaverit, justitia regis de ipsis justitiam faciat. Barones vero qui suam habent curiam de suis hominibus, videant ut sic de eis agant, quatenus erga Deum reatum non incurrant, et regem non offendant. Et si placitum de hominibus aliorum baronum oritur in curiis suis, adsit ad placitum regis justitia, quoniam absque ea placitum finiri non licet Si qui barones judicia non habent, in Hundredo, ubi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem ecclesiam, ubi judicium regis erit, determinandum est, salvo jure baronum illorum.

X.

Omnis qui habuerit triginta denariatus vivæ pecuniæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum lege, dabit denarium sancti Petri; et lege Danorum, dimidiam marcam. Iste vero denarius debet submoneri in solemnitate apostolorum Petri et Pauli, et colligi ad festivitatem quæ dicitur, Ad vincula, ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad justitiam regis clamor deferatur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est: justitia vero faciat denarium reddere, et forisfacturam episcopi et regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit in festo apostolorum Petri et Pauli denarium reddat.

XI.

(9) Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est: patriam enim infestantes, vastationi ejus pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam, statutum est danegeldum annuatim reddi, scilicet duodecim denarios de unaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obviarent. De hoc quoque danegeldo libera et quieta erat omnis ecclesia, et etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat, ubicumque jacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persolvens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Hanc itaque tenuit Anglorum Ecclesia libertatem usque ad tempora Willelmi regis junioris, qui Rufus vocabatur, donec eodem a baronibus Angliæ auxilium requirente, ad Nortmanniam retinendam de Roberto fratre suo, cognomento Curtechose, Jerusalem proficiscente, concessum est ei, non lege statutum tamen, neque firmatum, sed hac nec necessitatis causa, ex unaquaque hida sibi dari quatuor solidos, ecclesia non excepta. Dum vero collectio census fieret, proclamabat sancta Ecclesia, suam reposcens libertatem: sed nihil profecit.

XII.

Pax regis multiplex est. Illa enim data manu sua, quam Angli vocant *cynninger honde sealdegrith*: alia, die quo primum coronatus est, quæ dies tenet octo: in Natali Domini, dies octo; in Paschate, dies octo; in Pentecoste, dies octo, etc. *infra*. Mambote vero (id est compensatio domino persolvenda pro homine suo occiso) Anglorum lege, regi et archiepiscopo, tres marcas de hominibus eorum propriis: sed episcopo ejusdem comitatus, et consuli, et dapifero regis, viginti solidos, baronibus autem aliis, decem solidos, *etc*.

XIII.

Thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel in cœmeterio inveniantur. Et licet ibi inveniatur, aurum regis est, et medietas argenti: et medietas, ecclesiæ ubi inventum fuerit, quæcunque ipsa fuerit vel dives, vel pauper.

XIV.

Rex autem qui vicarius summi regis est, ad hoc est constitutus ut regnum terrenum, et populum Domini, et super omnia sanctam veneretur Ecclesiam ejus, et regat, et ab injuriosis defendat, et maleficos ab ea evellat et destruat, et penitus disperdat. Quod nisi fecerit, nec nomen regis in eo constabit: verum, testante papa Joanne, nomen regis perdit. Cui Pippinus et Carolus filius ejus needum reges, sed principes, sub rege Francorum stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent Francorum reges solo regio nomine contenti. A quo responsum est: illos decet vocari reges, qui vigilanter defendunt et regunt Ecclesiam Dei, et populum ejus imitati regem Psalmographum dicentem: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*, etc. (*Psal.* c).

XV.

(10) Archiepiscopi, episcopi, comites, barones, et omnes qui habent sacham, et socam, thol, team et infangthefe: etiam milites suos et proprios servientes, scilicet dapiferos, pincernas, camerarios, coquos, pistores, sub suo friborgo habeant. Et item isti suos armigeros, vel alios sibi servientes sub suo friborgo. Quod si cui forisfacerent, et clamor vicinorum de eis assurgeret, ipsi tenerent eos rectitudini in curia sua: illi dico qui haberent sacham, et socam, thol, et theam, et infangthefe.

XVI.

Sacha est, quod si quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, et ille negaverit, forisfactura probationis vel negationis, si evenerit, sua erit.

XVII.

Socha est, quod si aliquis quærit aliquid in terra sua, etiam furtum, sua est justitia, si inventum fuerit, an non.

XVIII.

Thol (quod nos dicimus *telonium*) est, scilicet quod habeat libertatem vendendi et emendi in terra sua.

XIX.

Theam, quod si quispiam aliquid interciet super aliquem, et interciatus non poterit warrantum suum habere, erit forisfactura sua, et justitia similiter de calumniatore, si defecerit,

XX.

Omnis enim qui habet sacha et socha, thol et them, et infangdthefe, prædictas videlicet consuetudines: justitia cognoscentis latronis sua est, de homine suo, si captus fuerit super terram suam. Illi vero qui non habent has consuetudines, coram justi-

(9) Videtur hoc caput additum esse tempore Henrici II.

(10) Quæ præterea sequuntur apud Lambardum in hoc capite De officio regis, et de jure et appendiciis coronæ regni Britanniæ, cum epistola Eleutheri papæ ad Lucium regem, non habentur aut in nostro manuscripto, aut in Hovedeno.

tia regia rectum faciant in hundredis, vel in wapentachiis, vel in scyris. A

XXI.

Sciendum quoque quod omnes Judæi, ubicunque in regno sunt, sub tutela et defensione regis ligea debent esse: nec quilibet eorum alicui diviti se potest subdere sine regis licentia. Judæi enim, et omnia sua, regis sunt. Quod si quispiam detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat rex, si vult, tanquam suum proprium.

XXII.

Usurarios quoque defendit rex Edwardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo. Et si quis inde convictus esset quod fenus exigeret, omnis substantia propria careret, et postea pro exlege haberetur. Hoc autem asserebat ille rex, se audisse in curia regis Francorum, dum ibidem moraretur, quod usura summa radix omnium vitiorum est.

LEGES ALIÆ EDWARDI REGIS NORTMANNICO IDIOMATE CONSCRIPTÆ.

TITULI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. *De pace sanctæ Ecclesiæ, et asyli jure eidem concesso.*

II. *De eo qui monasterium, seu ecclesiam, vel domum fregerit.*

III. *De denario sancti Petri* (*seu* Romescot) *pendendo.*

IV. *De renuentibus sancti Petri denarium pendere,*

V. *De intestatorum bonis.*

PRÆFATIO.

Ces sont les leis et les custumes que le reis William grauntat à tut le puple de Engleterre, apres le conquest de la terre: iceles meismes que le reis Edoward son cosin tint devant lui. B

Hæ sunt leges et consuetudines quas Wilielmus rex concessit universo populo Angliæ, post terræ acquisitionem: ipsæ scilicet eædem quas rex Edwardus consanguineus ejus ante ipsum custodivit.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Ceo est a saveir: Pais à saint Yglise, de quel forfait que home ont fait ou cel tems, et il pout venir à saint Yglise out pais de vie et de membre. E se alquons mest main en celui qui la mere Yglise requireit, se ceo fust u evesque, u abbeie, u Yglise de religion, rendist ceo que il iavereit pris, e cent sols de orfait, et de mer Yglise de paroisse xx. solz. e de chappele x solz; e que enfraiant la pais le rei en Merchenelae, cent solz les amendes, altresi de heinfare, e de aweit purpensed. C

II.

Et si alquons est apelez de muster fruisser, u de chambre, e il neit ested blamed enarer, sen escondit per xii leals homes nomez sei dudzime mein, e sil est alre fiee ested blamed, sen escondied a treis dubles, ceo à saveir, per xlviij [xxxvi] homes leals, nomes sei trentesiste mein: e sil aver nes pot aut à la ivise à treis dubles si coil doust à treis du blein [*l.* dublein] serment, e sil enarer' larcin amended alt al ew, li arcevesque averad de forfaiture XL solz en Merchenelae, eli evesques xx solz e li quenz xx solz, e le baron x sols, e li vilain xl. denir. D

III.

Franc home qui ad aver champestre xxx deniers vailaunt, deit doner le dener seint Pere. Le seignur pur iiii. den. que il dourad, si erunt quites ses bordiers, et ses boner, et ses serianz. Li burgeis qui ad en son propre chatel demi marc vailant, deit doner le dener seint Pere. Qui en Denelae francz home est, et il averad demi marc en argent vai-

I.

Intelligendum est: Pax sanctæ ecclesiæ de quocunque reatu quis hoc tempore sit culpabilis, et venire potest ad sanctam ecclesiam, pacem habeat vitæ et membri. Et si quis manum ei injecerit, qui matrem ecclesiam quæsierit sive episcopi fuerit ecclesia sive abbatiæ, sive ecclesia religionis, restituat quod abstulerit, et mulctæ nomine centum solidos, matrici etiam ecclesiæ parochiali viginti solidos, et capellæ decem solidos. Et qui pacem regiam violaverit. centum solidis emendet lege Merciorum, similiter de heinfare, et de insidiis præcogitatis.

II.

Et si quis appellatus fuerit de fractione monasterii seu ecclesiæ, vel cubiculi; nec fuerit retro defamatus ipse abneget cum xii. legalibus hominibus, quos vocant, duodecima sua manu; et si alia vice increpatus fuerit, tunc hoc neget triplicato numero, videlicet xxxvi. legalibus hominibus quos vocant, tricesima sexta sua manu: et si hos habere nequierit, eat à la ivise (11) *triplicatum, sicut debuit ad triplicatum sacramentum: et si alias de latrocinio composuerit, eat ad judicium aquæ. Archiepiscopus habebit de forisfactura xl. solidos, in Merciorum lege, et episcopus xx. solidos. et comes xx. solidos, et baro x. solidos, et villani xl. denarios.*

III.

Liber homo qui habuerit 30 *denariorum valorem in averiis campestribus, debet dare sancti Petri denarium. Pro iiii denariis quos dominus dederit, quieti erunt bordarii sui, etiam bonerii et servientes sui. Burgensis qui in propriis suis bonis valorem possidet dimidiæ marcæ, tenetur dare sancti Petri denarium. Qui Danorum lege liber est et in campestribus ani-*

(11) Examinis genus: sed hæc per conjecturam.

lant de aveir champestre, si devrad doner le dener seint Pere : et par le dener qui li seignur durrat, si errent quites ceals qui meinent en son demaine.

IX

Qui renant le dener seint Pere, le dener rendra per la justice de seint Yglise, e xxx den. forfait. e si il en est plaidé de la justice le rei, le forfait al evesque xxx den. e al rei xl solz.

X

Si home mort sans devise, si departent les enfans l'erite entre sei per uwel.

nalibus valere æstimatur dimidiam marcam argenti, tenetur dare sancti Petri denarium : et per denarium quem dominus dederit, quieti erunt qui in suo degunt dominico.

IX

Qui negaverit denarium sancti Petri, eum reddat per justitiam sanctæ eclesiæ, et mulctæ nomine xx den. et si in jus vocatus fuerit a justitia regis, episcopo luat xxx denariis, et regi xl solidis.

X

Si quis intestatus obierit, liberi ejus hereditatem æqualiter dividant.

V.

Statuta antiqua in quibus Angliæ totius regni comitia ordinantur.

(Apud Acherium *Spicilegii*, tom. XII, pag. 557.)

MODUS TENENDI PARLIAMENTUM

Hic describitur modus quomodo parliamentum regis Angliæ et Anglicorum suorum tenebatur tempore regis Eduardi (III) filii regis Etheldredi; qui quidem mobus recitatus fuit per discretiores regni coram Willelmo duce Normanniæ et Conquestore, et rege Angliæ ipso Conquestore hæc præcipiente, et per ipsum approbatus et suis temporibust, ac etiam temporibus successorum suorum regum Angliæ usitatus.

Cap. I. *Summonitio parliamenti. — Summonitio parliamenti præcedere debet primum diem parliamenti per quadraginta dies.*

Ad parliamentum summoneri et venire debent ratione tenuræ suæ omnes et singuli archiepiscopi abbates priores et alii majores clerici, qui tenent per comitatum vel baroniam ratione hujusmodi tenuræ, et nulli minores. nisi eorum præsentia et eventus aliunde quam pro tenuris suis requiratur, ut sint de consilio regis, vel eorum præsentia necessaria vel utilis reputetur ad parliamentum : et illis tenetur rex ministrare sumptus et expensas suas de veniendo et morando ad parliamentum. Nec debent ejusmodi clerici minores summoneri ad parliamentum, sed rex talibus peritis mittere brevia sua rogando quod ad parliamentum suum interessent.

Item rem rex facere solebat summonitiones suas archiepiscopis, episcopis et aliis exemptis personis ut abbatibus, prioribus, decanis et aliis ecclesiasticis personis, qui habent jurisdictiones per hujusmodi exemptiones et privilegia separatim, quod ipsi pro quolibet decanatu et archidiaconatu Angliæ per ipsos decanatus et archidiaconatus eligi facerent duos peritos et idoneos procuratores de proprio archidiaconatu, ad veniendum et interessendum ad parliamentum, ad illud subeundum, allegandum, et faciendum idem quod facerent omnes et singulæ personæ ipsorum decanatuum et archidiaconatuum, si ibidem personaliter interessent.

Et quod hujusmodi procuratores veniant cum warantis suis, duplicatis sigillis superiorum suorum signatis, quod ipsi ad hujusmodi procurationem clerici missi sunt; quarum litterarum una liberabitur clericis de parliamento ad irrotulandum, et alia residebit penes ipsos procuratores ? et sic sub istis duobus generibus summoneri debet totus clerus ad parliamentum.

Cap. II. *De laicis.*

Item summoneri et venire debent omnes et singuli comites et barones, et eorum pares, scilicet illi qui habent teras et reditus ad valentiam comitatus vel baroniæ integræ, videlicet viginti feoda unius militis, quolibet feodo computato ad vinginti libratas, quæ faciunt quadringintas libratas in toto vel ad valentiam unius baroniæ integræ, scilicet XIII feoda, et tertiam partem unius feodi militis, quolibet feodo computato ad viginti libratas, quæ faciunt [cccc marcas : et nulli minores laici summoneri nec venire debent ad parliamentum ratione tenuræ suæ, nisi eorum præsentia aliis de causis fuerit utilis vel necessaria ad parliamentum, et tunc de illis fieri debet, sicut dictum est de minoribus clericis, qui ratione tenuræ suæ ad parliamentum venire minime tenentur.

Cap. III. *De baronibus portuum.*

Item rex tenetur mittere brevia sua custodi quinque portuum, quod ipse eligere faciat, et de quolibet portu per ipsum portum duos idoneos et peritos barones ād veniendum et interessendum ad parliamentum suum, ad respondendum, subeundum, allegandum [*f.* allocandum] et faciendum idem quod baroniæ suæ, ac si ipsi de baronibus illis omnes et singuli personaliter interessent ibidem, et quod barones hujusmodi veniant cum warantis suis dupli-

catis sigillis communibus portuum suorum signatis quod ipsi rite ad hoc electi et attornati sunt et missi pro baroniis illis: quarum una liberabitur clericis de parliamento, et alia residebit penes ipsos barones; et cum hujusmodi barones portuum licentia obtenta de parliamento recessum fecerant, tunc solebant habere breve de magno sigillo custodis quinque portuum, quod ipse rationabiles sumptus et expensas suas hujusmodi baronibus habere faceret de communitate portus illius, a primo die quo versus parliamentum venerint usque ad diem quo ad propria redierunt.

Facta etiam expressa mentione in brevi illo de mora quam fecerint ad parliamentum, de die quo venerint, et licentiati fuerint redeundi; et solebat mentio fieri aliquando in brevi, quantum hujusmodi barones capere debent de communitatibus illis per diem, scilicet aliqui plus, aliqui minus secundum personarum habilitates, honestates, et respectus, nec solebat poni per duos barones per diem ultra viginti solidos, habito respectu ad illorum moras, labores et expensas: nec solent hujusmodi expensæ in certo reponi per curiam pro quibuscumque personis sic electis et missis pro communitatibus, nisi personæ ipsæ fuerint honestæ et bene se habentes in parliamento.

Cap. IV. *De militibus.*

Item rex solebat mittere brevia sua omnibus vicecomitibus Angliæ, quod eligi facerent quilibet de suo comitatu per ipsum comitatum duos milites idoneos, et honestos et peritos, ad veniendum ad parliamentum suum eodem modo quo dictum est de baronibus portuum, et de warantis suis eodem modo, sed pro expensis duorum militum de uno comitatu non solet poni ultra unam marcam per diem.

Cap. V. *De civibus.*

Eodem modo solebat mandari majori et vicecomitibus Londoniarum, et majori et baillivis vel majori et civibus Eborum [*id est* Eboraci], et aliarum civitatum, quod ipsi pro comitatu civitatis suæ eligerent duos idoneos, honestos et peritos cives ad veniendum et interessendum ad parliamentum, eodem modo quo dictum est de baronibus quinque portuum, et militibus comitatuum, et solebant cives esse pares et æquales cum militibus comitatus in expensis, veniendo, morando et redeundo.

Cap. VI. *De burgensibus.*

Item eo modo solebat, et debet mandari ballivis et probis hominibus burgorum, quod ipsi ex se et pro se eligant duos idoneos, honestos et peritos burgenses ad veniendnm et interessendum ad parliamentum eodem modo quo dictum est de civibus, sed duo burgenses non solebant percipere pro expensis suis per unum diem ultra decem solidos, et aliquando ultra dimidiam marcam, et solebat taxari per curiam secundum magnitudinem et potestatem burgi, et secundum honestatem personarum missarum.

A Cap. VII. *De principalibus clericis parliamenti.*

Item duo clerici principales parliamenti sedebant in medio justitiariorum irrotulantes omnia placita et negotia parliamenti, et sciendum quod illi duo clerici non sunt subjecti quibuscunque justitiariis, nec est aliquis justitiarius Angliæ in parliamento, nec habent per se recorda in parliamento, nisi quatenus assignata vel data fuit eis nova potestas in parliamento per regem et pares parliamenti, ut quando assignati sunt cum aliis sectatoribus parliamenti ad audiendum et terminandum diversas petitiones et querelas in parliamento correctas [*f.*, porrectas], et sunt illi duo clerici immediate subjecti regi et parliamento suo in communi, nisi forte unus justitiarius vel duo assignentur eis ad examinanda et emendanda B eorum irrotulata: et cum pares parliamenti assignati sunt ad audiendum et examinandum aliquas petitiones specialiter per se, tunc cum ipsi fuerint unanimes et concordes in judiciis suis reddendis super ejusmodi petitionibus, tunc recitabunt, et processu super eisdem habito, et reddant judicia in pleno parliamento, ita quod illi duo clerici principaliter irrotulent omnia placita, et omnia judicia in principali rotulo parliamenti, et eosdem rotulos liberent ad thesaurarium regis antequam parliamentum licentietur. Ita quod omni modo sint illi rotuli in thesaurario ante recessum parliamenti, salvo tandem eisdem clericis inde transcripto sive contrarotulo si id habere velint.

Isti duo clerici nisi sint in alio officio cum rege, et feoda capiant de eo, ita quod inde honeste vivere C poterint, de rege capiant per diem unam marcam cum expensis suis per æquales portiones, nisi sint ad mensam domini regis, tunc capiant præter mensam suam per diem, dimidiam marcam per æquales portiones per totum parliamentum.

Cap. VIII. *De quinque clericis.*

Item rex assignabit quinque clericos peritos et approbatos, quorum primus ministrabit et serviet episcopis, secundus procuratoribus cleri, tertius comitibus et baronibus, quartus militibus comitatuum, quintus civibus et burgensibus; et quilibet eorum nisi sit cum rege, et capiat de eo talia feoda et vadia quod inde honeste possit vivere, capiet de rege per diem duos solidos, nisi sint ad mensam D domini regis, tunc capiant per diem duodecim denarios. Qui clerici scribent eorum dubitationes, et responsiones quas faciunt regi et parliamento; et intererunt ad sua consilia ubicunque eos habere voluerint; et cum ipsi vacaverint juvabunt clericos principales ad irrotulandum.

Cap. IX. *De casibus et Judiciis parliamenti.*

Cum briga, dubitatio, vel casus difficilis sive pacis vel guerræ emergat in regno, vel extra, referatur et recitetur casus ille in scriptis, in pleno parliamento: et tractetur et disputetur [illegible] inter pares parliamenti, et, si necessarium sit, injungatur per regem seu ex parte regis, si non rex intersit, cuilibet graduum parium quod quilibet gradus per se, et libere-

tur casus ille clerico suo in scripto, et in certo loco recitare faciant coram eis casum illum, ita quod ipsi ordinent et considerent coram se qualiter melius et justius procedi poterit in causa illa sicut ipsi. Pro persona regis, et eorum propriis personis, ac etiam pro personis eorum quorum personas ipsi repræsentant; et velint coram Deo respondere, et suas responsiones et avisamenta reportent in scriptis; ut omnibus eorum responsionibus et avisamentis, consiliis et avisamentis hinc inde auditis, secundum melius et sanius consilium procedatur: et ubi saltem major pars parliamenti concordat, ut si per discordiam inter eos et regem et aliquos magnates, vel forte inter ipsos magnates, pax regni infirmetur, vel populos, vel patriam, ita quod videtur regi et ejus consilio quod expediens sit, quod negotium illud tractetur et emendetur per considerationem omnium parium regni sui, vel si per guerram rex et regnum tribulentur, vel si casus difficilis coram cancellario Angliæ emergat, seu difficile coram justitiario fuerit reddendum, et hujusmodi.

Et si forte in hujusmodi deliberationibus omnes vel saltem major pars concordare non valeant, tunc comes senescallus, comes constabularius, et comes marescallus, vel duo eorum eligent viginti quinque personas de omnibus paribus regni, scilicet duos episcopos, tres procuratores pro toto clero, duos comites, et tres barones, quinque milites comitatuum, quinque cives et burgenses, qui faciunt viginti quinque, et illi viginti quinque possunt eligere ex se ipsis duodecim, et condescendere in eis, et ipsi duodecim sex, et condescendere in eis, et ipsi sex adhuc tres et condescendere in eis, et illi tres in paucioribus condescendere non possunt, nisi obtenta licentia a domino rege; et si rex consentiat in tres possunt, in duos, et de illis duobus alter potest in alium descendere [*f.* condescendere], et ita demum stabit sua ordinatio supra totum parliamentum, et ita condescendendo a viginti quinque personis usque ad unam personam solam, nisi numerus major concordare valeat et ordinare; tandem sola persona, ut est dictum, pro omnibus ordinabit, quæ cum se ipsa discordare non potest, salvo domino rege, et ejus consilio, quod ipsi hujusmodi ordinationes postquam scriptæ fuerint, et examinare, et emendare valeant, si hoc facere sciant, et velint; ita quod hoc ibidem tunc in pleno parliamento, et de consensu parliamenti et non retro parliamentum fiat.

CAP. X. *De negotiis parliamenti.*

Negotia pro quibus parliamentum est, debent deliberari secundum Kalendar parliamenti, et secundum ordinem petitionum liberatarum et affililarum [*gal. enfilees*], nullo habito respectu ad quorumcunque personas, sed qui prius proposuit, prius agat.

In Kalendari parliamenti rememorari debent omnia negotia parliamenti sub isto ordine: 1. de guerra, si guerra sit, et de aliis negotiis personas regis et reginæ et suorum liberorum tangentibus; 2. de negotiis communibus regni et de legibus statuendis contra defectus legum originalium, judicialium, et exsecutoriarum; post judicia reddita, quæ sunt maxime communia negotia, tertio debent rememorari negotia singularia, et hoc secundum ordinem petitionum filatarum ut prædictum est.

CAP. XI. *De diebus et horis ad parliamentum.*

Parliamentum non debet teneri diebus Dominicis; sed aliis cunctis diebus, illo die semper excepto, et aliis tribus, scilicet, Omnium Sanctorum, et Animarum, et Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, potest teneri: et debet singulis diebus inchoari hora media prima, qua hora rex tenetur parliamento interesse et omnes pares parliamenti debent teneri occulto loco. In diebus festivis parliamentum debet inchoari hora prima propter divinum servitium.

CAP. XII. *De gradibus parium.*

Rex est caput, principium et finis parliamenti, et ita non habet parem in suo gradu, et ita ex rege solo est primus gradus; secundus gradus est ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus per baroniam tenentibus; tertius gradus est de procuratoribus cleri; quartus de comitibus, baronibus et aliis magnatibus et proceribus tenentibus ad valentiam comitatus et baroniæ, sicut prædictum est in titulo de laicis; quintus est de militibus com. [comitibus]; sextus de civibus et burgensibus. Et ita est parliamentum ex sex gradibus. Sed sciendum est quod licet aliquis dictorum graduum post regem absentet, dum tamen omnes præmoniti fuerint per rationabilem summonitionem parliamenti, nihilominus censetur esse plenum.

CAP. XIII. *De modo parliamenti.*

Ostensa primo forma qualiter cuilibet et a quanto tempore summonitio parliamenti fieri debet, et qui venire debent per summonitionem, et qui non; secundo dicendum est qui sunt qui ratione officiorum suorum venire debent et interesse tenentur per totum parliamentum sine summonitione. Unde advertendum est quod duo clerici principales parliamenti clerici per regem et ejus consilium, et alii clerici secundarii, de quibus et quorum officiis dicetur specialius post; et principalis clamator Angliæ cum subclamatoribus suis, et principalis ostiarius Angliæ; quæ duo officia, scilicet officium clamatoriæ et ostiariæ, solebant ad unum et idem pertinere. Isti officiarii tenentur interesse primo die. Cancellarius Angliæ, thesaurarius, camerarius, et barones de Scaccario, justitiarii, omnes clerici et milites regis, una cum servientibus ad placita regis, qui sunt de consilio regis tenentur interesse secundo die, nisi rationabiles excusationes habeant, ita quod interesse non possent; et tunc mittere debent bonas excusationes.

CAP. XIV. *De inchoatione parliamenti.*

Dominus rex sedebit in medio majoris banci, et

tenetur interesse primo sexto die parliamenti, et solebant cancellarius, thesaurarius et barones de Scaccario justitiarii recordare defalta [*Gal., défauts*], facta in parliamento sub ordine qui sequitur. Primo die vocabuntur burgenses et cives totius Angliæ; quo die si non veniant, amerciabitur [*id est* mulctabitur] burgensis ad centum marcas, et civitas ad centum libras. Secundo die vocabuntur milites comitatuum totius Angliæ; quo die si non veniant, amerciabitur comitatus unde sunt ad centum libras. Tertio die parliamenti vocabuntur barones quinque portuum; et postea barones, et postea comites; unde si barones quinque portuum non veniant, amerciabitur baronia illa ad centum marcas, et comes ad centum libras; eodem modo fiet de illis qui sunt pares comitibus et baronibus scilicet qui habent terras et reditus ad valorem unius comitatus, vel unius baroniæ, ut prædictum est in tit. de summonitione. Quarto die vocabuntur procuratores cleri, quo die si non veniant, amerciabuntur episcopi sui pro quolibet archidiaconatu qui defaltum fecerit ad centum marcas. Quinto die vocabuntur decani, priores, abbates, episcopi, demum archiepiscopi; qui si non veniant, amerciabitur quilibet archiepiscopus ad centum libras, episcopus tenens integram baroniam ad centum marcas, et eodem modo de abbatibus, prioribus, etc. Primo die debet fieri proclamatio, primo in aula, sive monasterio, seu aliquo loco publico ubi parliamentum tenetur, et postmodum publice in civitate vel villa illa, quod omnes illi qui petitiones et querelas liberare velint ad parliamentum, quod illis deliberentur a primo die parliamenti in quinque dies proxime sequentes.

CAP. XV. *De prædicatione ad parliamentum.*

Unus archiepiscopus, vel magnus clericus, discretus et facundus clericus per archiepiscopum in cujus provincia parliamentum tenetur, prædicare debet uno istorum primorum quinque dierum parliamenti in pleno parliamento, et in præsentia regis; et hoc quando parliamentum pro majori parte fuerit adjunctum et congregatum, et in servitio suo consequenter subjungere toti parliamento, quod ipsi cum eo humiliter Deo supplicent et ipsum adorent pro pace et tranquillitate regis et regni, prout dicetur specialius in sequenti titulo de pronuntiatione ad parliamentum.

CAP. XVI. *De pronuntiatione in parliamento.*

Post prædicationem debet cancellarius Angliæ, vel capitalis justitiarius Angliæ, ille scilicet qui tenet placita coram rege, vel alius idoneus, honestus et facundus justitiarius, vel clericus per ipsum cancellarium et capitalem justitiarium electus, pronuntiare causas parliamenti; primo in genere, et postea in specie stando. Et inde sciendum est quod omnes de parliamento, (quicunque fuerit dum loquitur) stabunt, rege excepto, ita quod omnes de parliamento audire valeant eum qui loquitur, et si obscure dicat, vel ita basse loquitur, dicat iterato, et loquatur altius, vel loquatur alius pro eo.

CAP. XVII. *Loquela regis post pronuntiationem.*

Rex post pronuntiationem pro [*f.* in] parliamento rogare debet clericos et laicos nominando omnes eorum gradus, scilicet archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, archidiaconos, procuratores, et alios de clero, comites, barones, cives, burgenses, et alios laicos ut ipsi diligenter, studiose et concorditer laborent ad pertractandum et deliberandum negotia parliamenti, prout majus et principalius hoc ad Dei voluntatem primo, et postea ad ejus et eorum honores et commoda fore intelligent et sentient.

CAP. XVIII. *De absentia regis in parliamento.*

Rex tenetur omnimodo personaliter interesse parliamento, nisi per corporalem ægritudinem detineatur, et tunc potest tenere cameram suam, ita quod non jaceat extra manerium vel saltem villam ubi parliamentum tenetur, et tunc debet mittere pro XII personis de majoribus et melioribus qui summoniti sunt ad parliamentum, scilicet duobus episcopis, duobus comitibus, duobus baronibus, duobus militibus comitatuum, duobus civibus, et duobus burgensibus ad videndum personam suam ad testificandum statum suum, et in eorum præsentia committere debet archiepiscopo loci, senescallo et capitali justitiario suo, quod ipsi conjunctim et divisim inchoent et continuent parliamentum nomine suo facta in commissione illa expressa mentione adhuc de causa absentiæ suæ, quæ sufficere debet, et monere cæteros nobiles et magnates de parliamento, una cum negotio et testimonio dictorum duodecim parium suorum. Causa est quod solebat clamor et murmur esse in parliamento pro absentia regis, quia res damnosa et periculosa est toti communitati parliamenti, et etiam regni, cum rex a parliamento absens fuerit; nec se absentare debet, nec potest duntaxat nisi in casu supradicto.

CAP. XIX. *De loco et sessionibus in parliamento.*

Primo, ut prædictum est, rex sedebit in medio loco majoris banci; ex parte ejus dextra sedebit archiepiscopus Cantuariensis, et ex parte ejus sinistra archiepiscopus Eborum, et post illos statim episcopi, priores linealiter semper tali modo inter prædictos gradus et eorum loca, quod nullus sedeat nisi inter suos pares; et ad hoc tenetur senescallus Angliæ prospicere, nisi rex alium assignaverit. Ad pedem ejus dextrum sedebunt cancellarius Angliæ, et capitalis justitiarius Angliæ, et socii sui, et eorum clerici qui sunt de parliamento, et ad pedem ejus sinistrum thesaurarius, camerarius, et barones de Scaccario, justitiarii de banco, et eorum clerici, si qui sunt de parliamento.

CAP. XX. *De ostiario parliamenti.*

Ostiarius principalis parliamenti stabit infra magnum ostium monasterii, aulæ vel alterius loci ubi parliamentum tenetur, et custodiet ostium,

ita quod nullus intret parliamentum nisi qui . . . . . . debet ad parliamentum, vel vocatus fuerit propter negotium quod prosequitur in parliamento; et oportet quod ostiarius ille habeat cognitionem personarum quæ ingredi debent, si necesse sit habere plures.

CAP. XXI. *De clamatore.*

Clamator parliamenti stabit extra ostium parliamenti, et ostiarius denuntiabit sibi clamationes suas. Rex solebat mittere servientes suos ad arma, ad standum per magnum spatium extra ostium parliamenti ad custodiendum ostium, ita quod nulli impressiones nec tumultus facerent circa ostium per quod parliamentum ingreditur, sub pœna captionis corporum suorum; quia de jure ostium parliamenti non debet claudi, sed per ostiarium, et servientes regis ad arma custodiri.

CAP. XXII. *De stationibus loquentium.*

Omnes pares parliamenti sedebunt, et nullus stabit (*hic deest aliquid*). . . sed quando loquitur et loquetur, ita quod quilibet de parliamento eum audire valeat. Nullus intrabit parliamentum, nec exiet de parliamento, nisi per unum ostium, et quandocunque loquitur rem aliquam quæ deliberari debet per parliamentum, stabunt omnes loquentes: causa est, ut audiatur a paribus, quia omnes pares sunt judices et justitiarii.

CAP. XXIII. *De auxilio regis.*

Rex non solebat petere auxilium de regno suo nisi pro guerra instante, vel ad filios suos milites faciendos vel filias suas maritandas, et tunc debent hujusmodi auxilia peti in pleno parliamento, et in scriptis cuilibet gradui parium parliamenti liberari, et in scriptis responderi. Et sciendum quod si hujusmodi auxilia concedenda sunt, oportet ut omnes pares parliamenti consentiant. Et intelligendum est quod duo milites qui veniunt ad parliamentum pro comitatu, majorem vocem habent in parliamento in concedendo et contradicendo quam major comes Angliæ; et eodem modo procuratores cleri unius episcopatus majorem vocem habent in parliamento, si omnes sint concordes, quam episcopus ipse et hoc in omnibus quæ per parliamentum concedi, negari vel fieri debent. Et hoc patet, quod rex potest tenere parliamentum cum communitate regni sui absque episcopis, comitibus et baronibus, dummodo tamen summoniti sint ad parliamentum, licet nullus episcopus, comes vel baro ad summonitiones suas veniat; quia olim nec fuerat episcopus, nec comes, nec baro, et adhuc tunc reges tenuerunt parliamenta sua sed aliter est e contra, licet communitates, cleri et laici summoniti essent ad parliamentum, sicut de jure debent, et propter aliquas causas venire nollent, ut si prætenderent quod dictus rex non regeret eos si deberet, et assignarent specialiter in quibus eos non rexerat, tunc parliamentum non esset omnino, licet archiepiscopi, comites et barones episcopi et omnes eorum pares cum rege interessent. Et ideo oportet omnia quæ affirmari vel infirmari, concedi vel negari, vel fieri debent per parliamentum, per communitatem parliamenti concedi, quæ est ex tribus gradibus sive generibus parliamenti, scilicet ex procuratoribus cleri, militibus comitatuum, civibus et burgensibus, qui repræsentant totam communitatem Angliæ, et non de magnatibus; quia quilibet eorum est pro sua propria persona ad parliamentum, et pro nulla alia.

CAP. XXIV. *De partitione parliamenti.*

Parliamentum dispartiri non debet, dummodo aliqua petitio pendeat indiscussa, vel ad minus antequam non sit determinata responsio, et si rex contrarium permittat, perjurus est. Nullus solus de paribus parliamenti recedere potest, nec debet de parliamento recedere, nisi obtenta inde licentia de rege et omnibus suis paribus, et hoc in pleno parliamento, et quod de hujusmodi licentia fiat rememoratio in rotulo parliamenti. Et si aliquis de paribus durante parliamento infirmaverit, ita quod ad parliamentum venire non valeat, tunc per triduum mittit excusatores ad parliamentum; qua die si non venerit, mittuntur ei duo de paribus suis ad videndam et testificandam hujusmodi infirmitatem; et si sit suspicio, jurent illi duo pares quod veritatem inde dicent; et si comperiatur quod finxerat se, amerciabitur tanquam pro defalta, et si non finxerat se, attornet aliquem sufficientem coram eis ad interessendum ad parliamentum pro se, nec sanus excusari potest, si sit sanæ memoriæ.

Departitio parliamenti ita usitari debet: punctus peti debet et publice proclamari in parliamento, et infra palatium parliamenti; si sit aliquis qui petitionem liberaverit ad parliamentum, cui nondum sit responsum; quod si nullus reclamet, supponendum est quod cuilibet medetur, vel saltem quatenus potest de jure respondetur, et tunc primo, videlicet cum nullus qui petitionem suam ea vice exibuerit, reclamet parliamentum vestrum licentiabimus.

CAP. XXV. *De transcriptis recordorum in parliamento.*

Clerici parliamenti non negabunt cuiquam transcriptum processus sui, sed liberabunt illud culibet qui illud potierit; et capient semper pro decem lineis unum denarium, nisi forte facta fide de impotentia, in quo casu nihil capient. Rotuli de parliamento continebunt in latitudine decem pollices. Parliamentum tenebitur in quo loco regni regi placuerit.

WILLELMI NORMANNIÆ DUCIS

POSTMODUM ANGLIÆ REGIS

CONCIO AD EXERCITUM SUUM ANTE PRÆLIUM

(Henric. HUNTENDON, lib. VI, pag. 210, in *Rer. Angl. Script.*)

Vos alloquor Normanni, gentium fortissimi, non A quasi vestræ probitatis incertus, non quasi de victoria non securus; quæ nunquam casu aliquo vel impedimento a vobis evadere potuit. Quod si semel non vincere potuissetis, exhortandi forsitan essetis, ut probitas vestra præradiaret. Quod autem nativum vobis est, et quasi necessarium, qua indiget exhortatione? O mortalium validissimi, quid potuit rex Francorum bellis proficere cum omni gente quæ sunt a Lotaringia usque ad Hispaniam contra Hasting antecessorem nostrum? Qui quantum voluit Franciæ sibi acquisivit; quantum voluit regi permisit; dum placuit, tenuit; dum satiatus est ad majora anhelans, reliquit. Nonne Rou pater meus, dux primus et auctor nostræ gentis cum patribus nostris regem B Francorum Parisius in medio regni sui bello vicit? nec Francorum rex potuit sperare salutem, nisi et filiam suam, et terram quæ ex vobis Normannia vocatur, supplex obtulisset? Nõnne patres vestri regem Francorum in Rothomago ceperunt, et tenuerunt donec Richardo puero duci vestro Normanniam reddidit, eo pacto quod, in omni collocutione regis Franciæ et ducis Normanniæ, gladio dux accingeretur, regem vero nec gladium nec etiam cultellum ferre liceret? Hanc æternam sanctionem patres vestri regi magno cogentes statuerunt. Nonne idem dux patres vestros usque ad Mirmandam juxta Alpes adduxit, et urbis ducem, generum scilicet suum, sponsæ suæ prælians parcere coegit? Et ne parum sit vobis homines vicisse, vicit et ipse diabolum corporaliter colluctans, et prosternens, ligansque manus ejus post terga confusumque victor Anglorum reliquit? Sed quid prisca narro? Nonne vobis congredientibus in eo tempore apud Mortemer, Franci, præcipites præposuere fugam bellis, calcaria telis? Vos autem, Radulfo summo duce Francorum interfecto, fama spoliisque potiti, naturale bonum solita necessitate tenuisti. Eia procedat aliquis Anglorum, quos centies antecessores nostri et Daci et Norwagences bellis vicerunt: demonstretque gentem Rou ex ejus tempore usque nunc semel militiæ naufragia perpessum esse, et ego victus obscedo? Nonne igitur pudori vobis est gentem vinci solitam, gentem belli cassam, gentem nec etiam sagittas habentem, contra vos, o fortissimi, quasi bello ordinatam procedere? Nonne vobis pudet regem Heraldnm contra me in præsentia vestri perjurum faciem suam vobis ostendere ausum fuisse? Mihi tamen stupori est quod eos qui parentes vestros cum Alfredo cognato meo proditione nefanda excapitaverunt oculis vestris vidistis, et eorum capita adhuc humeris eorum supersunt. Erigite vexilla, viri: nec sit iræ promeritæ modus vel modestia. Ab Oriente ad Occidentem videatur fulmen gloriæ vestræ, audiatur tonitruum impetus vestri, vindicesque generosissimi sanguinis.

Nundum peror averat dux Willelmus, omnes ira accensi ultra quam credi potest, secundum acies suas impetu ineffabili provolabant in hostem, ducemque jam sibi soli loquentem relinquebant.

WILLELMI CONQUESTORIS DIPLOMATA

I

Pro eclesia S. Andreæ Roffensi.

(*Monasticon Anglic.* I. 29.)

WILLELMUS rex Anglorum, Walterio vicecomiti et omnibus baronibus suis, Francigenis et Anglis de comitatu de Glocestre salutem.

Sciatis me dedisse ecclesiæ Sancti Andreæ de Rovecestra et episcopo Gundulfo manerium Estona, qod fuit Godæ comitissæ, et quidquid ad illud pertinet, ita solidum et liberum et quietum sicut ipsa comitissa habuit illud unquam melius, et sicut ego ipse etiam illud habui in meo dominio, cum omnibus consuetudinibus quæ Anglice nominantur Soca et Saca, Toln et Team et Infangenetheof. Et hoc facio pro anima patris mei et matris meæ et pro anima mea. Testimonio Walcelini episcopi Winto-

A mensis, et Roberti episcopi Lincolniensis, et Willelmi cancellarii, et Ranulfi capellani, et Eudonis dapiferi, et Rogerii Bigot, et Hugonis de Evermu.

II

Pro eadem ecclesia.

(*Ibid.*)

WILLELMUS Dei gratia rex Anglorum, fidelibus suis Francigenis et Anglis salutem.

Sciatis me concessisse eam donationem quam Haimo dapifer meus fecit ecclesiæ Sancti Andreæ Roffensis civitatis, de ecclesia quæ est in Tarenteford manerio meo; et filii ipsius Haimonis Robertus et Haimo, me præsente, concesserunt eamdem patris sui donationem. Testes Robertus comes Mellent, Robertus comes de Meritolio, et alii multi.

III

Pro eadem ecclesia.

(*Ibid.*)

WILLELMUS rex Anglorum episcopo de Suthfolca et vicecomiti et aliis baronibus suis Francigenis et Anglis salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse donum Rogerii Bigot quod dedit ecclesiæ Sancti Andreæ Rovecestra, scilicet ecclesiam Sancti Felicis de Walcluna, cum decimis et omnibus aliis rebus quæ ad illam pertinent. Testimonio Eudonis dapiferi Apud Wintoniam.

IV

Pro eadem ecclesia.

(*Monasticon Anglic.* I, 29.)

WILLELMUS rex Anglorum episcopo de Suthsexa
C et vicecomiti et cæteris baronibus suis Francigenis et Anglis salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse donum Gisleberti de Tonebrige, quod dedit ecclesiæ Sancti Andreæ Rovecestræ; scilicet ecclesiam de Rethravelda et quidquid ad illam pertinet, sive in decimis sive in venationibus, vel in aliis quibuslibet rebus. Testimonio Rogeri Bigot et Haimonis vicecomitis. Apud Wintoniam.

V

Pro libertate Meldunensis cænobii.

(*Ibid.*, pag. 52.)

Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, illoque regente ac dominante omnibus elementis, qui etiam incomparabili pietate et magna
D majestate omnia sustentat, cunctaque prout vult sive visibiles, sive invisibiles, pulchro moderamine disponit atque dispensat. Quapropter ego Willelmus, Deo disponente, rex Anglorum, cæterarumque gentium circumquaque persistentium, rector ac dux Northmannorum, rogatus a fidelissima conjuge mea Mathilde regina et multis episcopis et baronibus meis, concessi Warino abbati Meldunensis cœnobii, ejusque successoribus, eamdem donationem terrarum atque possessionum, quam omnes prædecessores mei huic ecclesiæ providerunt et tribuerunt. Et quoniam eadem ecclesia in honore Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ fundata esse dignoscitur, atque sanctissimi Aldhelmi corpus ibidem requiescit et multorum sanctorum reliquiæ, maxime patroni nostri et præsulis Rothomagensis; dono et concedo huic ecclesiæ perpetuam libertatem et eamdem scilicet quam donavit rex Edwardus. Hæc est, ut sit libera et quieta de Schiris et Hundredis et placitis et querelis et omnibus Geldis et consuetudinibus. Concedo etiam ei Sacam et Socam et Tol et Tæm et Infangenethef, Donbriche, Damlokene, Forestal. Si quis autem, quod obsit! a diabolico inflatus spiritu, hoc meum regale donum infringere tentaverit, sciat se procul dubio ante districti tribunal Judicis titubantem tremebundumque turba archangeli perstrepente, anathematizatum, nisi prius digna satisfactione emendare voluerit. Quicunque servaverit
B regnare cum Domino Jesu Christo mereatur in gloria paradisi. Facta est hujus donationis chartula anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1081, indictione IV, anno regni Willelmi regis fortissimi XV. His testibus subscriptis: Ego Willelmus rex Anglorum hoc donum confirmavi. Ego Mathildis regina signavi. Ego Lanfrancus archiepiscopus. Ego Odo episcopus Bajocensis subscripsi. Ego Osmundus Sarisbirensis episcopus. Ego Remigius episcopus Lincolniensis. Ego Gosfredus Constantiensis episcopus. Ego Walthelmus Wintoniensis episcopus. Ego Walterus Eveshamii abbas. Ego Robertus comes subscr. Ego Henricus regis filius. Ego Halamius comes subscr. Ego Baldwinus vicecomes. Ego Robertus Danteseia. Actum Lundonias assistente Warino abbate.

VI

Pro eodem monasterio.

(*Ibid.*, pag. 53.)

Omnibus orthodoxis notum esse, remota omni ambiguitate, cognosco puro corde bona facientes æterna præmia recepturos. Quare ego Mathildis Dei gratia regina et legalis conjux Willielmi, Anglorum strenuissimi regis, cæterarumque gentium circumquaque persistensium præpotentis rectoris, ac Northmannorum nobilissimi ducis, eodem præclarissimo viro volente et sincero corde consentiente, atque reverendo Warino abbate hoc postulante, dedi sanctæ Dei genitrici Mariæ integerrimæ virgini, sanctoque Aldhelmo in Meldunensi monasterio, quamdam terram Gersdunam nomine, uti habebam propriam, cum omnibus sibi accidentibus hæreditario jure in perpetuo habendam, ad voluntatem monachorum in opere Dei ibi assistentium, atque ante divinæ conspectum clementiæ preces fundentium pro meorum remissione peccatorum et filiorum. Illa autem terra trium hidarum mensuram continet, et supradicti monasterii terris undique circumvallatur. Hanc vero donationem gratulanter feci, imperante summo atque inæstimabili Domino nostro Jesu Christo, ineffabilis Incarnationis anno 1081, indictione IV, regnante serenissimo rege Willielmo 15 anno, in mense Februario.

VII.

Confirmatio privilegii Edwardi regis pro ecclesia Petroburgensi.

(*Monasticon Anglic.* I, pag. 68.)

Ego Willelmus, Dei beneficio rex Anglorum, petente abbate Brand, istud privilegium in omnibus laudo et confirmo sicut suprascripti reges ante me, similiter etiam terras fratrum vel propinquorum suorum quas habebant sub rege Edwardo hæreditarias et liberas, hoc est, Scotera, Scotuna, Malmetun, Raganaldethorp, Melsingham, Cletham, Bibaldestopa, Thalcote, Mulcham, cum omnibus adjacentibus, ego concedo monasterio suo et ejusdem loci patrono beato Petro apostolo in perpetuum, liberas et quietas cum omnibus consuetudinibus quæ appellantur Anglice Saca et Socna, quatenus jugiter sint propriæ et dominicæ infirmas et quaslibet necessitates ibidem Deo servientium. Hæc ergo nemo hæredum vel successorum meorum temerare audeat, ne excommunicationis gladio intereat et pro hæreditate Ecclesiæ infernum possideat. Huic testes adfuere Aldradus, Eboracensis archiepiscopus; Wilwimus, Lincolniensis episcopus; Merleisuein vicecomes, Ulf, filius Topi; Willelmus comes, Willelmus Maleit, Ingelvus presbyter.

VIII.

Pro cœnobio Bathomensi in agro Sumersetensi.

(*Ibid.*, pag. 185.)

Willelmus, rex Anglorum, O., episcopo Saresberiensi, et L., abbati Glastoniensi, et A. vivecomiti, omnibusque baronibus Francigenis et Anglis de Sumerseta et de Wiltunscire salutem.

Sciatis me dedisse Deo et sancto Petro in Bathonia et Joanni episcopo totam civitatem Bathoniæ in eleemosynam et ad augmentationem pontificalis sedis suæ et omnibus successoribus suis, pro remedio animæ patris mei matrisque meæ et mei ipsius et antecessorum et successorum meorum; dedi, inquam ei ita libere et honorifice cum omnibus appenditiis, quidquid ego ibi habui, vel pater meus, dum melius habuimus, cum omnibus consuetudinibus extra et intra, ut liberalius habeo civitatem in tota Anglia, cum moneta, cum theleneo, tam in campis quam in silvis, tam in foro quam in pratis et in terris, ut cum maximo honore ibi pontificalem suam habeat sedem. Et de hoc propalantur testes, Walkelinus, Wintoniensis episcopus; Robertus, Lincolniensis episcopus; Robertus, comes de Mellent; Henricus, comes de Warmic; Robertus, filius Hamonis; Eudo dapifer, Ivo dapifer, Robertus, filius Geraldi; Robertus dispensator, Willel. de Carokela.

IX.

Pro ecclesia S. Mariæ Stowensi.

(*Ibid.*, I, 263.)

Willelmus, rex Anglorum, episcopis et omnibus fidelibus suis per Angliam salutem.

Sciatis me confirmasse donationem quæ Leofricus comes et Godiva sua conjux ecclesiæ sanctæ Mariæ Stowensi dederunt, scilicet Nuwercham et Flabur-

A cham ac Wellemapentae cum appendiciis suis. Præterea concedo prædictæ ecclesiæ, deprecatione Remigii episcopi, Egueshamensem ecclesiam cum terris quas modo possidet, tali pacto ut ibi abbas per meum consilium ordinetur, qui res ecclesiarum semper tractet, abbatia autem in meo dominio maneat sicut cæteræ per Angliam. Et ne quis ulla occasione querelam adversus ipsam abbatiam habeat concedo pro commutatione altaris de Stom et quatuor carrucarum terræ quæ pertinent ad episcopum, episcopis Lincolniæ, Statforde prædium bonum. Et hoc facio consilio et testamento L. archiepiscopi. Testes E. vicecomes et R. de Osli.

X.

Ad homines abbatiæ de la Stou.

(*Ibid.*, pag. 263.)

B Willelmus, rex Angliæ, hominibus abbatiæ *de la Stou* salutem.

Præcipio vobis omnibus ut ita sitis obedientes domino vestro Columbano abbati, sicut fuistis Remigio episcopo in omnibus rebus. Teste Richardo de Curci.

XI.

De excambio Sanctæ Mariæ de Stome.

(*Ibid.*, pag. 265.)

Willelmus, rex Anglorum, R. Linc. episcopo salutem.

Præcipio ut Columbanum abbatem pacifice et honorifice teneas et plene facias ei habere excambium suum pro omnibus terris quas habebat apud le Stou, ita ut nihil inde desit; quin habeat totum C ad valens sicut habebat illuc. Et vide ne inde amplius audiam clamorem, quia aliter non consensi te facere mutationem loci. T. W. cancellario apud Ou.

XII.

Charta Ivoni Taleboys concessa.

(*Ibid.*, pag. 307.)

Willelmus, rex Anglorum, R. Lincolniensi episcopo et omnibus baronibus et fidelibus suis salutem.

Sciatis omnes quod ego concedo quod Ivo Taleboys manerium, quod vocatur Spaldings, donet sancto Nicolao, de civitate Andegavensi, ita scilicet quod Ecclesia quæ in eodem manerio est et servitores ejus, manerium habeant, cum omnibus ap- D pendiciis suis, cum Saca et Soca et Tol et Theam et Infangthef et omnibus aliis consuetudinibus, sicut aliquis antecessorum suorum melius illud habuerit, ita tamen ut habeant, post obitum ipsius Ivonis, vel ante obitum suum si ipse Ivo voluerit. Testibus W. episcopo Dunelmensi, Roberto filio Hamonis, Willelmo cancellario, Eudone dapifero et Rogero Bigoto apud Hom.

XIII.

Pro cœnobio S. Edmundi in agro Suffolciensi.

(*Ibid.*, I, 288.)

Willelmus rex Anglorum, princeps Northmannorum atque Cenomannensium, archiepiscopis,

episcopis, abbatibus, comitibus et cæteris suis fidelibus.

Quoniam nos ad regni fastigia Dei miseratione provectos esse credimus, oportet ut de prospera stabilitate plebis nobis subjectæ, et maxime eorum qui in Domini servitio die ac nocte desudant, vigilare curemus. Igitur notum facimus fidelibus regni nostri præsentibus et futuris, quod Arfastus episcopus ecclesiam beati Edmundi, in qua ipse venerabilis rex et martyr incorrupto corpore diem exspectat beatæ resurrectionis, suam episcopalem debere esse sedem, nobis et multis aliis referebat. Unde inter Baldwinum abbatem prædictæ ecclesiæ et ipsum episcopum per multum temporis facta quam maxima altercatione, concilio archiepiscoporum, episcoporum et aliorum multorum nobis fidelium, ut utrorumque super his ratio in nostra discuteretur curia dignum censuimus. Qui dum die statuto coram adessent, episcopus suum satis facunde fecit clamorem, sed scriptis et testimoniis omnimodo vacuum. Abbas vero e contra quomodo Canutus rex a prædicta ecclesia cum communi consilio archiepiscorum, episcoporum et optimatum suorum, presbyteros qui inibi inordinate vivebant ejecerit et monachos posuerit. Quodque postmodum ipsam ecclesiam Ailnodus archiepiscopus Cantuariensis jussu prælibati regis dedicaverit, atque primum abbatem loci illius episcopus Lundoniensis, secundum episcopus Wintoniensis, ipsum etiam Baldwinum qui tertius est abbas, archiepiscopus Cantuariensis sacraverit.

Et quia per 53 annos, sine alicujus jam dicti Arfasti antecessoris contradictione, monachi prædicti loci a quibus voluerint episcopis ordines susceperint, ex ordine luculenter enarravit. Ostendit denique et præcepta, videlicet Canuti regis atque gloriosissimi regis Edwardi, in quibus ab omni dominatione omnium episcoporum comitatus illius funditus sæpedictam ecclesiam liberam perpetualiter ipsi reges esse concesserunt. Quod Cantuariensis archiepiscopus Lanfrancus et Thomas Eboracensis archiepiscopus et Odo Bajocensis episcopus frater meus et comes Cantiæ et plerique alii episcopi, Robertusque filius meus atque cæteri principes regni nostri qui aderant audientes, consuerunt tanti loci tantam auctoritatem inviolatam usque in finem sæculi debere permanere. Quorum irrefutabili judicio, prout dignum fuit, assensi et consensum præbeo.

Placuit etiam nobis, consilio archiepiscoporum, episcoporum, comitum, aliorumque multorum nobis fidelium atque digna petitione Baldwini abbatis, qui nostram humiliter requisivit serenitatem, antecessorum nostrorum Anglorum regum, scilicet Edmundi, Canuti, Herdecanuti atque illustris Edwardi, cujus miseratione Domini, genere et dono in regno sumus et hæredes, præcepta quæ jam sæpe nominatæ ecclesiæ contulerunt, nostro roborare præcepto, ex hoc ut ab Arfasti episcopi omniumque sibi per tempora succedentium episcoporum dominatione ipsa ecclesia et villa in qua sita est eadem ecclesia sit libera. Et ut hæc auctoritas nostris et futuris temporibus circa ipsum sanctum locum perenniter firma et inviolata permaneat, manus nostræ subscriptione cartam hanc decrevimus roborare et sigilli nosti impressione firmare.

✠ Ego Willelmus Dei gratia Anglorum rex hoc præceptum jussi scribere et scriptum cum signo Dominicæ crucis confirmando impressi. ✠ Ego Mathildis regina corroboravi. ✠ Ego Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus confirmavi. ✠ Ego Thomas archiepiscopus Eboracensis roboravi. ✠ Ego Odo Bajocensis episcopus assensum dedi. ✠ Ego Gosfridus Constantiensis episcopus consignavi. ✠ Ego Hugo Lundoniensis episcopus consensi. ✠ Ego Walquelinus Wintoniensis episcopus conclusi ✠ Ego Wlstanus Wigornensis episcopus assensum præbui. ✠ Ego Remigius Lindisfarnensis episcopus non renui. ✠ Ego Stigandus Bathoniensis episcopus affirmavi. ✠ Ego Osbertus Exoniensis episcopus assensum dedi. ✠ Ego Petrus Cestrensis episcopus consensi. ✠ Ego Arfastus Theodfordensis episcopus collaudavi. ✠ Ego Gundulfus Rofensis episcopus laudavi. ✠ Ego Osmundus Scaruberiensis episcopus roboravi. ✠ Ego Robertus Acrefordensis episcopus consensi. ✠ Ego Robertus regis filius assensum dedi. ✠ Ego Willelmus filius regis collaudavi. ✠ Ego Henricus filius regis confirmavi. ✠ Ego Mauricius regis cancellarius relegi et sigillavi. ✠ Ego Bernardus capellanus regis. ✠ Ego Scollandus sancti Augustini abbas. ✠ Ego Wlfwoldus Certesiensis abbas. ✠ Ego Vitalis abbas de Westmonasterio. ✠ Ego Ægelnothus Glastoniensis abbas. ✠ Ego Ægelwius Eoweshamensis abbas. ✠ Ego Ægelsinus Romesiensis abbas. ✠ Ego Turoldus Burgensis abbas. ✠ Ego Rogerius comes de Montegumerici. ✠ Ego Hugo comes Cestrensis. ✠ Ego Alanus comes orientalium Anglorum. ✠ Ego Albericus comes Northanhymbrorum. ✠ Ego Robertus de Belomonte. ✠ Ego Hugo de Monteforti. ✠ Ego Richardus Gisleberti comitis filius consignavi. ✠ Ego Baldwinus frater ejus. ✠ Ego Henricus de Ferrariis. Ego Hugo de Grentemaisnilo. ✠ Ego Walterius Giffardus.

Data pridie Kalendas Junii anno XV regnante Willelmo rege gloriosissimo, ab incarnatione autem Domini 1081, indictione IV. Actum apud Wintoniam in palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XIV.

Pro cœnobio de Bello in agro Sussexiensi (12)
(*Monasticon Anglic.* I, 317)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego WILLELMUS Dei gratia rex Anglorum notum facio

(12) De fundatione hujus cœnobii hæc apud Lelandum leguntur, Collectan, vol. III, fol. 73 : «Anno 1067 Willelmus rex, exsultans de victoria super Saxones obtenta, abbatiam de Bello construxit et monachos instituit ut pro occisis in bello ab ipsis in perpetuum hostiæ salutis Deo redderentur. »

VERSUS DE CŒNOBIO DE BELLO.

Anglorum regnum bello Bastard superavit.

omnibus tam posteris quam præsentibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, et omnibus fidelibus Francis et Anglis: quod cum in Angliam venissem et in finibus Hastingi cum exercitu applicuissem contra hostes meos qui mihi regnum Angliæ injuste conabantur auferre, in procinctu belli jam armatus coram baronibus et militibus meis cum favore omnium, ad eorum corda roboranda votum feci, ecclesiam quamdam ad honorem Dei construere pro communi salute, si per Dei gratiam obtinere possumus victoriam. Quam cum essemus adepti, votum Deo solvens, in honorem sanctæ Trinitatis et beati Martini confessoris Christi, ecclesiam construxi pro salute animæ meæ et antecessoris mei regis Edwardi et uxoris meæ Mathildis reginæ et successorum meorum in regno et pro salute omnium quorum labore et auxilio regnum obtinui, et illorum maxime qui in ipso bello occubuerunt. Et quia in hoc loco ubi sic constructa est ecclesia Deus mihi victoriam præstitit in bello, ob victoriæ memoriam ipsum locum Bellum appellari volui.

Huic igitur ecclesiæ Sancti Martini de Bello hanc in primis dignitatem regali auctoritate concedo, ut habeat curiam suam per omnia et regiam libertatem et consuetudinem tractandi de suis rebus vel negotiis, et justitiam per se tenendam. Sitque libera et quieta in perpetuum ab omni subjectione episcoporum et quarumlibet personarum dominatione, sicut ecclesia Christi Cantuariæ. Et si quis latro, vel homicida vel aliquo crimine reus, timore mortis fugiens, ad hanc ecclesiam pervenerit, in nullo lædatur, sed liber omnino dimittatur, abbati vero ipsius ecclesiæ liceat ubique latronem vel furem de suspendio liberare, si forte supervenerit. Concedo etiam eidem ecclesiæ leucam circumquaque adjacentem liberam et quietam ab omni Geldo et Scoto et Hidagiis et Denegeldis et opere pontium et castellarum et parcorum et clausuris et exercitibus et omnibus auxiliis et placitis et querelis et scyris et hundredis, cum saca, soca et toll et theam et infangenetheof et marpeni et lestagis et mamfocne et forestall et blovemite et chyldmite et latrocinio et liberam ab omni consuetudine terrenæ servitutis et ab omni exactione episcoporum.

Huic iterum ecclesiæ Sancti Martini de bello do regale manerium quod vocatur Wi cum omnibus appendiciis suis, ex mea dominica corona cum omnibus libertatibus et regalibus consuetudinibus, ita liberum et quietum sicut liberius et quietius tenui, vel ut rex dare potui, scilicet ab omni Geldo et Scoto et Hidagiis et Denegeldis et opere pontium et castellorum et clausuris parcorum et exercitibus et omnibus auxiliis et placitis et querelis et scyris et hundredis, cum saca et soca et toll et theam et

A infangenetheof et Warpeni et Lestagiis et hamlocne et forstall et blodemite et childmite et latrocinio si acciderit. Similiter do duos denarios de omnibus forisfacturis et placitis omnium hundredorum quæ pertinent ad summonitionem de Wi. In Dengemaris vero, quod est unum membrum de Wi, concedo eidem ecclesiæ omnes maritimas consuetudines quas illic habui cum omni Werec; et si piscis qui craspeile vocatur, illic advenerit, abbatis et monachorum sit totus. Si vero intra terminos de Blachemale et Horlemede et Bradelle usque Withiburne appulerit, duas partes ejusdem piscis et linguam habeat ecclesia, sicut ego semper habui.

Do etiam eidem ecclesiæ hæc maneria Alsistona, Lymenesfeld, Hom, Grammarcis, Briswaltintona B cum omnibus appendiciis suis, libera et quieta, cum supradictis libertatibus et regalibus consuetudinibus. Si infra leucam vel in maneriis ecclesiæ murdsc evenerit, vel thesaurus inventus fuerit, abbatis et monachorum sit utrumque; warennam propriam in ipsa leuca habeat ecclesia et in omnibus suis maneriis. Do etiam eidem ecclesiæ Sancti Martini ecclesiam de Radingis, et ecclesiam de Culintuna, et ecclesiam sancti Olavi de Exonia, cum terris et decimis et omnibus ad eas pertinentibus; et si aliquis ex baronibus meis, vel hominibus, aliquid de suo eidem ecclesiæ, in eleemosynam dederit, easdem libertates quas concessi rebus quas ego eidem ecclesiæ dedi eis concedo et præsenti scripto ut supra dicta, regali auctoritate confirmo.

C Wille✝mus rex. Lanfr✝ancus archiepiscopus Cantuar. Tho✝mas archiepiscopus Eborum. Mauricius ✝ episcopus London. Walkelinus ✝ episcopus Winton. Osbernus ✝ episcopus Exon. Gundulphus ✝ episcopus Roff. Hugo ✝ comes Cestriæ. Rogerus ✝ comes de Montgomeri. Willelmus ✝ comes de War. Willelmus ✝ filius Osberni. Willelmus ✝ de Bsai. Bernardus ✝ de Novomercato.

XV.

Pro eodem cœnobio.

(*Monasticon Anglic.* I, pag. 317.)

Willelmus, Dei gratia rex Anglorum, Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi, Stigando episcopo Cicestrensi omnibusque successoribus suis regnum Angliæ obtinentibus et cunctis fidelibus salutem. D Notum vobis facio quod locum victoriæ meæ, sicut Deo juvante mihi conquisivi et rex liberum possedi, ita illum liberum et ab omni exactione omnium hominum quietum obtuli Deo, ibidemque ecclesiam in honorem sancti Martini quam de Bello appellari volui, eo quod mihi Deus in eodem loco tantam victoriam attribuit, ut de adversariis meis mihi injuste resistentibus triumpharem, regnumque mihi debitum et successoribus meis jure

Atque monasterium disponere rex properavit.
Jejunans, orans, cupiens de sobole scire,
Divinum mox responsum merebatur audire.
Quod pedibus fiet Ecclesia de Battile longa,
Tot annos tua posteritas durabit in Anglia.
Quum licet Ecclesiam prolongare voluerunt
Trecentos pedes excedere non potuerunt.

hæreditario perpetualiter possidendum acquirerem. Votum itaque quod Deo et sancto Martino vovi implere festinans, idem monasterium monachicae religioni dedicans, ex ordine et religione Majoris monasterii fundavi et inde primum abbatem Gausbertum ad hoc tantum ut religionis ibi normam fundaret, constitui; ita tamen ut libera et quieta, in perpetuum ab omni subjectione et dominatione et querela majoris monasterii et aliarum personarum exactione permaneat, sicut ecclesia Christi Cantuariensis et sicut mea dominica capella et signum Angliçæ coronæ per quam ego regno et successores mei reges regnum Angliæ debent obtinere.

Statuimus itaque, tam ecclesiasticæ quam et regiæ prospectu potestatis, ut, decedente abbate de Bello, omnis possessio monasterii, ubicunque fuerit, libera et integra, cum omni jure et consuetudine sua remaneat in manu et dispositione prioris et monachorum capituli de Bello. Hoc autem ideo statuimus statutumque perpetuo servandum confirmamus, quia abbas de Bello proprios redditus non habet, sed communes cum fratribus. Qui igitur, Deo annuente, canonica fratrum electione, abbas substitutus fuerit, ibidem absque venalitate omni benedicatur sicut primum abbatem Gausbertum in eodem monasterio de Bello Stigandus episcopus Cicestrensis benedixit. Abbas itaque de Bello non cum suis sæcularibus consanguineis, seu quibuslibet aliis, eleemosynas monasterii male utendo disperdat, sed pauperibus et peregrinis et hospitibus suscipiendis, sed fraternam curam gerat; terras censuales non ad feudum donet, nec milites, nisi in sacra veste Christi faciat, nec de possessionibus ecclesiæ quisquam teneat aliquid feudaliter absolutum, sed ad censum annuum et servitium abbati et monachis debitum. In abbatis de bello et monachorum domo et possessione nullus intus vel extra, per hæreditatem officium teneat; sed in arbitrio abbatis et monachorum consistat de transmutandis præpositis, seu quibuslibet aliis officiariis.

Hanc igitur monasterio libertatis meæ de Bello et omnibus ad ipsum pertinentibus in perpetuum dono et confirmo liberam immunitatem et immunem libertatem. Quam etiam pro signo coronæ regni nostri regibus post me in Anglia regnaturis causam Dei commendo servandam ut eis Deus conservet æternam. Teste Petro episcopo Cestriæ, Hermano episcopo Sarisberiæ, Willelmo comite Warennæ Bernardo de Novomercato et Gausberto nunc ejusdem loci abbate, cum monachis suis qui ad hanc chartam faciendam præsentes fuerunt apud Winton.

XVI

Charta fundationis Armethwaytensis cœnobii in comitatu Cumbriæ.

(*Monasticon Anglic.* I pag. 324.)

WILLELMUS, Dei gratia rex Anglorum et dux Northmannorum, omnibus suis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem.

Sciatis quod nos ex mero motu nostro et intuitu charitatis fundavimus, construximus, et in perpetuum ordinavimus in puram et perpetuam eleemosynam unam domum et monasterium nigrarum monialium ordinis sancti Benedicti in honore Jesu Christi ac beatæ Mariæ virginis pro animabus progenitorum nostrorum et omnium Christianorum, prout situatur juxta aquam vocatam Croglyn in comitatu Cumbriæ. Etiam dedimus et concessimus monialibus ibidem duas acras terræ super quas prædicta domus et monasterium situantur; et etiam dedimus et concessimus eisdem monialibus tres carucatas terræ et decem acras prati cum omnimodis, communiis boscis et vastis eisdem tribus carucatis terræ quovismodo pertinentibus, jacentibus juxta monasterium prædictum.

Etiam dedimus et concessimus eisdem monialibus et successoribus suis in perpetuum ducentas et sexdecem acras terræ existentes infra forestam nostram de Ingelmode, jacentes ex parte boriali cujusdam aquæ Tarnenadelyn cum omnibus boscis proficuis et commoditatibus super easdem existentibus sive unquam postmodum crescentibus. Etiam concessimus eisdem monialibus communia pasturæ cum omnibus animabus sui pro se et suis ibidem tenentibus per totam forestam nostram de Ingelmode, capiendo ibidem sufficientem mœremium pro omnibus suis ædificiis quandocunque et quotienscunque necesse fuerit, per deliberationem forestariorum nostrorum, sive eorum unius ibidem existentium. Et etiam concessimus et confirmavimus eisdem monialibus et successoribus suis quemdam annuum redditum XL sol, annuatim percipiendarum in perpetuum de tenementis nostris in villa nostra de Barlile, solvendorum eisdem monialibus et successoribus suis per manus custodis nostri villæ de Barlile prædictæ ad festa Pentecostes et sancti Martini in hieme per æquales portiones. Et etiam concedimus pro nobis et hæredibus nostris quod prædictæ moniales tenentes et suis servientes liberi sint de tolneto pacando per totum regnum nostrum Angliæ pro aliquibus bestiis sive rebus quibuscunque per eas sive eorum aliquem tenentem seu servientem in posterum emendis. Et etiam concedimus et confirmavimus quod monasterium et domus prædicta cum prædictis tribus carucatis, duabus acris terræ cum decem acris prati, in omnibus libera sint et habeant omnes libertates suas simili modo sicut conceditur nostro monasterio de Vestmenster, absque vexatione molestatione sive aliqua inquietatione, seu læsione aliquorum vicecomitum, exactorum ballivorum sive aliquorum ministrorum seu ligeorum nostrorum quorumcunque. Et etiam concedimus eisdem monialibus communia pasturæ cum animalibus suis infra villam et communia de Aynltaplyth cum liberis introitu et exitu. Necnon concedimus

quod prædictæ moniales liberæ sint per totam terram suam pro quibuscunque tenentibus et liberam habeant warennam tam pro lectis curiarum nostrarum quam in aquis, boscis, terris, planis, seu metis suis eidem monasterio spectantibus seu quovis modo pertinentibus. Habenda, tenenda et occupanda omnia et singula prædicta recitata præfatis monialibus et successoribus suis in perpetuum de nobis et hæredibus nostris in puram et perpetuam eleemosynam spontanea ita voluntate et concessione. As hert may it thynk or ygh may it le. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud Vestm. sexto die mensis Januarii, anno regni nostri secundo

XVII.

Charta de prima fundatione abbatiæ de Salebi. (*Monastic. Anglic.* I,371.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Willelmus fortissimus imo potentissimus rex omnium regum illorum a quibus eo tempore sceptra regalia sub divo gubernantur, maximum imperium Anglicæ terræ regens, quod permissione atque voluntate Dei primum signis, mirabilibusque prodigiis ac deinde magnis viribus bellisque debellando Anglos, tandem acquisitum gubernans, viris tam ecclesiasticis quam suis comitibus, baronibusque atque ministris omnibus salutem.

Divina providente Dei misericordia et mea bonitate divina clementia inspirata, devote postulanti Benedicto abbati devotissimo, cœnobium in honore Domini nostri Jesu Christi et beatissimæ ejus genitricis et virginis Mariæ et sancti Germani Antisiodorensis episcopi in Salebia fundare concessi. In quo fundamine conjeci et regali libertate posui et dedi, de propria mea mensa ipsam Salebiam, videlicet, unam carucatam de terra Suaith et sex bovatas de Flarlep et Rodeliffe et dimidiam carucatam terræ in Bratone et unam piscariam in Whitegift et terras a Thoma archiepiscopo eidem ecclesiæ datas, videlicet Fristunam et Salebiam minorem tam secundum vivam vocem quam juxta brevis ejus tenorem.

Eodem modo Crull, scilicet una Hundreda quæ jacet in vicecomitatu Lincolniensi et Stanford, quæ est in vicecomitatu Hamptoniæ, quas dederunt Gaufridus de la Wirchi et Wido de Rainecourt, confirmavi et dando concessi et cuncta cum his undecunque tam in terris et possessionibus quam in aliis oblationibus quæ instinctu sancti Spiritus a devotis benefactoribus offerri et quaquaversum jure, prece et pretium acquiri possint sub regali munere, ab omni exactione et molestia et vexatione solute et quiete et libere, prout decet eleemosynam regiam et propriam abbatiam interminabili et perpetua pace tenere et curiam Suam cum Saca et Soca, Tol et theom et Infangenethele et cum omnibus consuetudinibus, quas meliores habet ecclesia sancti Petri Eboracensis habere et perpetuo possidere. Ad testimonium et ad confirmationem hujus eleemosynæ donationis, pro salute animæ meæ et tam præcedentium meorum quam subsequentium, data charta hæc et confirmata apud Lundonias, in præsentia istorum, scilicet, Odonis Bajocensis episcopi, Edwardi de Salesbiria, Hugonis de Portu, Hugonis de Montefort, Roberti de Olley, Richardi filii comitis Gilberti, Baldwini fratris ejus, Remigii episcopi, Radulphi Taleboys, Roberti de Tany, Gaufridi de la Wirchi et totius curiæ regis.

XVIII.

Pro ecclesia SS. apostolorum Petri et Pauli. (*Ibid.*, pag. 380.)

Sanctorum Patrum monemur exemplo possessiones quas nostris temporibus sanctæ Ecclesiæ a fidelibus collatas noverimus, litterarum memoriæ diligenter assignare, tum propter conferentium utilitatem quoniam eorum exemplo posteri ad bene agendum provocantur, tum propter malignorum perversitatem qui ad diripiendas possessiones ecclesiasticas toto conamine inhiare noscuntur. Nos itaque, mojorum imitantes industriam, posteriorum notitiæ scribendo transmittere curavimus quoddam pietatis opus quod venerabilis comes Rogerius et devota ejus conjux, Adelaisia nomine, nostra ætate Deo obtulerunt. Erat in suburbio civitatis Scropesbery parva satis ecclesia in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli constructa, cujus situs ad collocanda servorum Dei habitacula congruus videbatur. Comes ergo fretus licentia et auctoritate regis Willelmi et Cantuariensis archiepiscopi Lanfranci, necnon et Cestrensis episcopi Petri, ad cujus diœcesim isdem pertinebat locus, monachos illuc pro sua suorumque salute Domino exoraturos aggregavit anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo septimo. Quibus ad victus subsidia ipse et veneranda ejus uxor possessiones subscriptas in perpetuum donaverunt. In primis scilicet vicum unum eidem ecclesiæ contiguum cum tribus molendinis cunctisque redditibus ad eum pertinentibus, qui vicus Anglice dicitur Bifosieta, quod Latine significat *ante portam*. Deinde contulerunt eis quasdam ecclesias cum universis possessionibus ad eas pertinentibus quas hic nominatim expressimus. Ecclesiam scilicet sancti Gregorii de Damerfeld, cujus hæ sunt possessiones : Estleia, Nordleia, alias Estleia Crofta, Halchtonia, Chinsetleia, Harpefosd, Billingsleia, Nieutona, Tugalost, Fertecota, Westona. Ecclesiam quoque de Stotesdona, cujus possessiones istæ sunt ; Dodelmutha, Hinetona et Prestecota. Ecclesiam etiam de Dodeleberia cujus possessio est Spertforsd et dimidia ida terræ in Corstona. Ecclesiam quoque de Edmundon et illam de Toengia et illam de Donintona et illam de Welintona et illam de Werecordina et illam de Ercalom et illam de Hodeneth et illam de Conedouera et illam de Nessa et illam de Ballecherch ; cujus possessiones sunt Prestcota, Novelcia et Bagelcia. Cum his omnibus dederunt comes et comitissa eidem cœnobio

tres villas cum omnibus appendiciis earum, Etonam videlicet, Eiminstriam et Burtonam. Theoloneumque de lignis quæ per orientalem portam in civitatem deferuntur concesserunt monachis. Præceperunt etiam ut in festivitate sancti Petri in Kalendis Augusti totius provinciæ populus in eodem loco ad nundinas tribus diebus per singulos annos conveniret et monachi theoloneum totumque proficuum inde haberent. Postea concessit comes ut barones vel milites sui quicunque vellent, de terris et facultatibus suis eidem loco largirentur absque ulla sui vel suorum licentia ; ita ut de peracta eleemosyna nullum sibi ulterius servitium facerent vel dantes vel recipientes, totam quippe terram monachorum a geldo militum in perpetuum liberam esse statuit a geldo etiam communi, nisi ipse de dominio suo illud daret. Hæc autem comitis pia munificentia omnibus audientibus valde placuit, eosque ad amorem loci illius quamplurimum incitavit. Tunc Warinus vicecomes dedit ipsis monachis duas hidas terræ in villa quæ dicitur Tugafost et decimam de Opetona et ecclesiam de Biritona cum decima ejusdem villæ. Rainaldus frater ipsius Warini dedit eis villam quæ dicitur Lega. Girardus de Tornaco Bettonam. Goffridus dimidiam hidam in Herleia. Odo miles Hordleiam. Hæc omnia venerabilis comes Rogerius cum filiis suis Hugone scilicet, Roberto, Rogero et Arnulpho, concessit atque firmavit. Testesque fuerunt Herbertus archidiaconus, Godebaldus et Oilerius sacerdotes, Warinus vicecomes, Robertus filius Teobaldi, Rogerius Corbeth, Robertus pincerna et multi alii. Locus vero in quo cœnobium ipsum constructum erat de hæreditate cujusdam militis Siwardi nomine fuit. Et quia nolebat piissimus comes quod aliqua in posterum calumnia monachis inde emergeret, mutuo dedit eidem Siwardo villam nomine Longafeld. Postmodum vero cum fraternitatem monachorum reciperet, concessit quod eadem villa quam a comite acceperat, post suum obitum in eorum dominio deveniret. Testibus Godebaldo, Richardo de Belmesio et Richardo de monte Waroldi. Hæc omnia ego Willelmus rex Anglorum concessi et sigillo meo corroboravi.

XIX.

Pro ecclesia S. Mariæ Eboracensi.
(*Monastic. Anglic.*, I,397).

Willelmus rex Angliæ archiepiscopo T. Eboraci et justitiariis, vicecomitibus et omnibus baronibus et fidelibus suis Francis et Anglis de Ebosacileire et de Carleoli salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse Deo et ecclesiæ sanctæ Mariæ Eboraci et abbati Richardo et monachis ibidem Deo servientibus cellam sancti Constantini cum manerio de Wedderhale et cum capella de Warwic et cum exclusagio et stagno et piscaria et molendino de Wedderhale quod est fixum et firmatum in terra de Coskeby, quas quidem terras habuerunt de dono Ranulphi Meschine, comitis Cumbriæ, in puram et perpetuam eleemosynam. Et confirmo eis ex dono meo totam pasturam inter Edo et regiam viam quæ ducit de Carleoli ac Appelby, et a Wedderhale usque ad Dsibeke. Quapropter prohibeo ut nulli alii perturbent nec violent hanc nostram confirmationem sive donationem prædictis monachis factam. Testibus his, uxore mea Lucia et Henrico fratre meo et Odero et Huddredo militibus et Enesaunt Muserdde cum aliis.

XX.

Pro cœnobio S. Dionysii in Francia.
(*Ibid.*, pag. 547).

Willelmus rex Anglorum, comes Northmannorum atque Cenomannensium, Christi fidelibus ubique gentium. Miserator et misericors Deus patiens
B et multum misericors, inter cætera suæ miserationis præcepta, cum universa quæ possidet homo ultra quam dici potest compendiosa sint ad comparationem beatitudinis æternæ, præcepit nobis ex his quæ jure possidemus indeficientes thesauros thesaurizare, dicens : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo ubi nec ærugo nec tinea exterminant.* Cujus præcepti amore stimulati, ego et collateralis mea Mathildis, cum prudenti consilio procerum nostrorum, pro salute animæ nostræ omniumque liberorum nostrorum ecclesiam de Derherst sitam in territorio et comitatu civitatis Glocestriæ sancto Dionysio, cujus prærogativa apostolatu Gallus populus
C congratulatur, cum omnibus inibi appendiciis conferimus, sicut fideli nostro Baldwino, ejusdem sancti monacho illustris antecessor noster rex Edwardus suis propriis usibus dedit, priusquam abbatiam sancti Edmundi, cui nunc præest, ab eodem susciperet et sicuti nos postmodum adepto regno ipsi concessimus. Sit autem hæc cum omnibus quæ ad ipsam pertinere dignoscuntur libera ab omni negotio. Roboramus etiam hoc privilegio donum quod prænominatus rex eidem sancto pro nanciscenda mercede æterna contulit, videlicet Teyntuna cum omnibus ad se pertinentibus; sancientes eam liberam sicut et hanc quam ipsi tribuimus, quatenus nos et soboles nostra ipsius sancti precibus sociorumque ejus Rustici et Eleuterii adispici mereamur
D prosperum præsentis vitæ statum et æternæ stationis portum. Si quis autem ex hac nostra donatione quippiam dirimerit, cujuscunque potestatis sit, ex auctoritate Dei omnipotentis cum Dathan et Abiron similem sortiatur portionem, nisi recipiscens satisfactionem et emendationem sancto fratribusque loci ipsius attitulatis exhibuerit. Anno Dominicæ incarnationis 1069, regni vero Willelmi regis I in secunda die Paschæ hoc privilegium firmatum est in monasterio sancti Swithuni apud civitatem Wincestre cum celebraretur missa, his testibus consentientibus : Ego Willelmus rex hanc nostram donationem et corroborationem signo ✠ agiæ crucis munivi. Ego Mathildis regina ejusdem regis, hoc mihi placere professa sum Ego Richardus regis filius patris et

matris donum libentissime annui. Ego Stigandus ecclesiæ Cantuariensis archiepiscopus confirmavi. Ego Aldredus Eboracensis archiepiscopus confirmavi. Ego Willelmus episcopus Lundoniæ confirmavi. Ego Aielricus episcopus. Ego Hermannus episcopus. Ego Gilo episcopus. Ego Linricus episcopus. Ego Odo episcopus, frater regis. Ego Gosfridus episcopus I Landavensis. Ego Baldwinus Ebroicensis episcopus. Ego Ernaldus Cenomannensis episcopus. Ego Robertus comes, regis frater, cum benevolentia consensi. Ego Willelmus comes, filius Osberni. Ego Robertus comes Augensis castri. Ego Radulfus comes. Ego Brien. Ego Ranulfus de Alnoo. Ego Henricus Ferrariensis. Ego Hugo de Monteforti. Ego Richardus filius Gisleberti comitis. Ego Rogerus de Juri. Ego Haimo regis dapifer. Ego Robertus frater hujus Haimonis.

XXI.

Charta regis Willelmi Conquestoris de fundatione abbatiæ S. Stephani de Cadomo in Northmanniæ ducatu.

(*Monasticon Anglic.*, II, pag. 956.)

Quisquis Deo, seu pro Deo aliquid præstat, non ipsum a se alienat sed potius in futurum, cum spe vitæ æternæ, multiplicandum conservat. Hoc agit pia creatoris largitas, et larga ejus erga nos pietas; qui, cum bonorum nostrorum non egeat (*suus enim est orbis terræ, et plenitudo ejus*) honorari tamen de nostra substantia, immolarique sibi sacrificium laudis pro nostra salute desiderat. Hortatur nos ut ei serviamus, tribuit quod pro collatis beneficiis suis ei retribuamus. Quod tamen misericors pater, quasi C alienum suscipit, quasi nostrum rependit, in hoc sæculo peccata remittens, in futuro centuplum accepturus, seipsum et regnum cœleste promittens. Qua spe ductus, ego Willelmus Anglorum rex, Northmannorum et Cenomannorum princeps, cœnobium in honorem Dei, et beatissimi protomartyris Stephani, intra burgum quem vulgari nomine vocant Cadomum, pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum et parentum meorum disposui construendum. Cui loco, divinæ religionis cultura aliquando propter inopiam desit, hoc modo ipsi in posterum mea sollicitudo prospexit. Trado igitur præfato cœnobio villas juris mei, Lensium, Ros, Alamanniam, Pontem-Dinæ, Cathburgum, cum colonis et conditionariis (etc.), Terram quoque quam habuit D Hugo de Rosal in Gramivilla, silvam de Walopertuso et de Tortavalle et de Folonia et de Casneto, cum aquis et terris, seu omnibus ad eas pertinentibus. Concedo etiam totum alodium quod tenent Osmundus Aculeius et Richardus et Rogerus in territorio Calvi montis super Dinam, et etiam totum illud quod tenent quicunque alodarii infra leucam pontis Dinæ.

In terra Anglorum in comitatu de Debenesire, manerium do, quod vocatur Rostham. In comitatu de Dorseta duo maneria; unum quod vocatur Frantonia, et aliud quod vocatur Bsencumbe. In comitatu de Sumerseta, in territorio Crux, decem hidas terræ et ecclesiam, cum omni decima ejusdem territorii. In comitatu de Wiltesira ecclesiam de Cotham cum omni terra et decima ad eam pertinente. Concedo quoque in comitatu Dostfole manerium quod vocatur Welles, quod dedit prædicto cœnobio Will. de Scoeris, cum ecclesia de Northona et terra, ... decima eidem ecclesiæ pertinente in Essexa.

Item concedo in comitatu Essexæ maneriolum, quod vocatur Panfella (*Pannfeld, cella de Cadomo*), et in London quamdam terram, quæ fuit Leuzech, sitam prope ecclesiam sancti Petri, quietam de Gelth et de Scoth et de omni alia consuetudine, quam dedit Waleranus filius Ranulfi, cum decima totius terræ suæ, quam habet in Anglia, tam pro anima sua, quam pro mea. S. ✠ Willelmi regis. B Signum ✠ Mathildis reginæ. Signum Joannis ✠ archiepiscopi. Signum Roberti ✠ comitis, filii regis. Signum Will. ✠ comitis, filii regis. S. Lanfranci ✠ archiepiscopi. S. ✠ Odonis Bajocensis episcopi. S. Hugonis ✠ Luxoviensis episcopi, S. Gisleberti ✠ Ebroicensis episcopi. S. Roberti ✠ Sagiensis episcopi S. Michaelis ✠ Abrincensis episcopi. S. Gaufridi ✠ Constantiensis episcopi. S. Roberti ✠ comitis de Melent. S. Henrici ✠ de Bellomonte. S. Hugonis ✠ de Gorniaco. S. Walteri ✠ Giffardi. S. Richardi ✠ Abrincensis vicecomitis. S. Hugonis ✠ comitis. S. Willelmi ✠ comitis Ebroicensis. S. Rogeri ✠ comitis de Montegomerico. S. Willelmi ✠ de Bretolio. S. Roberti ✠ Aucensis comitis. S. Roberti ✠ de Belesmo. S. Hugonis ✠ de Monteforti. S. Hugonis ✠ de Grantemaisnil. S. Nigelli ✠ de Constantino. S. Will. ✠ Dunelmensis episcopi. S. Richardi ✠ de Courcero. S. Will. ✠ Crispin. S. Ingeiranni ✠ filii Hiberti. S. Alani ✠ comitis. Sigillum Will. de Warenna S. Henrici ✠ de Ferrariis.

XXII.

Charta ejusdem gloriosi Willelmi regis, post dedicationem ejusdem cœnobii firmata.

(*Ibid.*, pag. 956.)

Ego Willelmus rex Anglorum, princeps Northmannorum et Cenomannorum, trado cœnobio sancti Stephani, quod in burgo Cadomi a me constructum est, ecclesiam sancti Audoeni de Vileriis, cum tota terra quam dedit Milo mariscallus in maritagio, cum filia sua Arphasto, in territorio Venuncii et Cadomi et Valceles. Trado etiam totam terram cum pratis Osberni Masculi. Concedo quoque totam quam de me tenet Giraldus marescallus in territorio Cadomi, tam in alodio quam in fœdio. Medietate decimæ ad eamdem ecclesiam pertinente, quam dedit jam dicto cœnobio Radulfus presbyter, ut monachus fieret, concedente Hugone de Grantemaisnil, de cujus fœdio erat, (etc.). S. Will. regis Anglorum, ducis Northmannorum et principis Cenomannorum. S. Roberti filii regis. S. Wiell. archiepiscopi. S. Gaufridi Constansiensis episcopi S. Roberti Sagiensis episcopi S. Gisleberti Luxoviensis episcopi. S. Rogeri comitis. S. Roberti comitis Moretoni. S. Ro-

berti comitis de Mellent. S. Hugonis comitis. S. W. de Bretolio. S. Rogeri Bigoti. S. Richardi de Corceio. S. Roberti de Molberaco. S. Eudonis filii Huberti. S. Radulfi de Todeneio. S. Hugonis de Gorniaco. S. Henrici de Ferrariis. S. Walteri Giffardi S. Will. Crispini.

XXIII.

Charta de donationibus baronum et nobilium Northmanniæ pro eodem cœnobio a gloriose rege Willelmo suscepta et confirmata.

(*Monasticon Anglic.* II, pag. 956.)

Ego Rogerus de Montegomerico fidelis domini mei W. Anglorum regis, Northmannorum et Cenomannorum principis, ob amorem Dei, ejusdem domini mei et pro salute animæ meæ, trado cœnobio quod ab eo in burgo Cadomo in honorem beati Stephani constructum est, burgum de Trum cum silva de Alge, (etc.). Ego Rainardus, regis Willelmi camerarius, de cœnobio sancti Stephani de Cadomo super altare, una cum filio meo Corbello, molendinium de Waimara, quod de rege teneo (etc.).

Ego Serlo de Lingeuro, homo, peccator et misericordiam Dei indigens, tradidi de jure meo, cœnobio sancti Stephani de Cadomo, ecclesiam de Bruxedello, cum tribus acris terræ et dimidia et tota recta decima de dominio meo et villanis meis, cum tertia quoque parte decimæ de militibus meis, jam dictæ villæ et de aliis parochianis, qui ad eamdem ecclesiam conveniunt, pro salute mea et uxoris meæ, filiorum quoque et omnium parentum meorum, concedente hoc uxore mea et filiis meis, concedente quoque domino meo Willelmo Anglorum rege, Northmannorum et Cenomannorum principe et Willelmo camerario et Roberto de Molbrai, de quorum fœdio prædictæ villæ terram et ecclesiam teneo. Et ut hæc donatio mea firma et stabilis in perpetuum permaneat, recepi a Gisleberto, tunc temporis abbate jam dicti monasterii, ex charitate 45 libras denariorum et duas marcas argenti, et Ranulfus filius meus habuit unum bonum palefridum. De hoc vero dedi eidem abbati fidejussores, Ranulfum videlicet filium meum, Arnaldum de Tilleio, Robertum de Maisuilio, ut si aliquando quis calumniam inferret sancto Stephano et hac mea donatione, ego vel hæres meus omnino bene acquietaret. Testes ex parte mea, qui et fidejussores et Willelmus Pictaviensis et Willelmus de Holot. Ex parte sancti Stephani W. de Taisel, Auschitillus de Maletot et Rogerus filius ejus.

Ego Hugo de Rosel trado cœnobio sancti Stephani de Cadomo, terram quam in Grainvilla teneo de beneficio regis, eodem rege concedente, cum uxore mea et filio meo Hugone, ea conditione, ut in præsente me recipiant abbas et monachi ad ordinem. Testes. Hugo filius meus, Radulfus de Grainvilla, Robertus de Ros et alii plures.

Has donationes, quas barones et fideles mei, pro amore meo et salute mea, abbatiæ meæ fecerunt, cum gratiarum actione suscipio, concedo et cum eis hæc eadem confirmantibus, mea manu et auctoritate corroboro et confirmo. Illorum vero qui hanc chartam firmaverunt, ista sunt nomina: Willelmus rex Anglorum, princeps Northmannorum, Cenomannorum. Mathildis regina. Robertus filius regis. Will. filius regis. Henricus filius regis. Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus. Odo Bajocensis episcopus. Gislebertus Luxoviensis episcopus. Gaufridus Constanciensis episcopus. Michaelis Abrincensis episcopus. Gislebertus Ebroicensis episcopus. Robertus Sagiensis episcopus. Rogerus de Montegomerico comes. Robertus comes de Moratonio. Willelmus comes Ebroicensis, Rogerus de Bellomonte. Robertus comes de Mellent. Robertus de Balesmo. Henricus de Bellomonte. Hugo de Monteforti. Robert. Bertrannus. W. Bertrannus. Richardus filius Turspini. Ranulfus vicecomes. Hugo comes. Eudo vicecomes. Robertus comes de Molbrai. Ingilrannus filius liberti. Radulfus filius Anseredi. W. Goir. Rainardus. Hugo filius Hugonis de Rosel. Cerlo de Lingaurio. Corballus camerarius filius Rainardi. Will. canonicus, filius Sueri. Bernardus filius Ospaci. Radulphus filius Harfred.

XXIV.

Litteræ regis Willelmi Conquestoris fidelibus suis Carleolo et ultra Lædriam, præcipientes ut Christianitatem ab episcopo Dunelmensi recipiant.

(*Monastic. Anglic.*, II, 845.)

Willelmus, rex Angliæ, W., filio Theoderici, et omnibus fidelibus suis de Carleodo et omnibus qui manant ultra Lædriam, salutem.

Præcipio vobis ut recipiatis Christianitatem de episcopo Dunelm. et de archidiacooo suo, et prædicto episcopo sitis obedientes de Christianitatis legibus, sicut juste debetis obedire vestro episcopo Et videte, sicut me diligitis, ne amplius faciatis inde aliquam molestiam ministris episcopi injuste. Testibus Roberto, filio Giroldi, etc.

XXV.

Alia charta ejusdem regis ad G. vicecomitem et barones de Caerleil.

(*Ibid.*, pag. 845.)

Willelmus, rex Angliæ, G. vicecom. et baronibus suis de Caerleil salutem.

Volo et præcipio ut ita intendatis de Christianitate ad archidiaconum Dunelm., sicut intendebatis tempore Will., episcopi Dunelm., etc., teste E. dapifero.

XXVI.

Alia charta ejusdem regis de terris de Lunt et Hogum

(*Ibid.*).

Willelmus, rex Angliæ, Th. archiepiscopo et Bertramo de Verdon et baronibus suis Francis et Anglis de Cheriviclcire, salutem.

Sciatis me reddidisse Ranulpho episcopo Dunelm. terras illas omnes de quibus erat lis inter illum et Alanum de Perceio, et nominatim Lunt et Hogum, et quidquid pertinet Wellentone, et tu, Bertrame, saise eum inde. Testibus, Will., cancellario et comite

de Mellent, et Roberto, filio Hamonis, apud Salesberiam, quarto die Theophaniæ.

XXVII

Charta regis Willelm, terras ad Eveshamensem abbatiam in Warwicensi comitatu jacentes confirmans.

(*Monasticon Anglic.*, II, 852.)

WILLELMUS, rex Anglorum, W. episcopo et R. vicecomiti salutem.

Mando vobis et præcipio, quatenus Adelwinum abbatem terras ecclesiæ de Cbelham; Saltforda scilicet et Cdriceltum, et Milecotam, et Ragele, et Arwam, et Escleshalam, et Bildeburglunth, et Cralton, et Withlakesford, et Dorlitone, et alias terras, quas in vicecomitatu de Warewit habet, cum magno honore et quiete tenere faciatis, ut eas habeat et teneat ad usus servorum Dei, cum mea bona pace et protectione. Et tibi præcipio, R. vicecomes, ut non consentias quod aliquis ei injustitiam de aliqua re faciat, quia consentire nolo; sed cum saca et soca et omnibus consuetudinibus plenaliter suas res teneat. Et si ei aliquis injustitiam facere præsumpserit, clamet ad me abbas, et ego ei plenam rectitudinem de quibus clamaverit faciam.

XXVIII

Charta Willelmi, ducis Norhtmanniæ et regis Angliæ, qua terram de Staninge et Bereministri in Anglia abbatiæ Fiscamnensi, in ducatu Northmanniæ, concedit.

(*Ibid.*, 971.)

Ego WILLELMUS, Dei miseratione patronus Northmannorum, rex etiam Anglorum, timore Dei tactus et amore, et præcavens mihi in futurum, concedo et confirmo S. et individuæ Trinitati et ecclesiæ Fiscannensi, omnes terras suas in Anglia, terram scilicet de Stannig et terram de Bereministri, cum omnibus omnino appendiciis terrarum, cum omnibus legibus et omnibus libertatibus, liberis consuetudinibus et quietantiis, omnibus placitis et querelis et causis omnibus quæ sunt, vel fore possunt absque ulla inquietudine, vel diminutione cujuslibet sæcularis vel judiciariæ potestatis sicut res ad fiscum dominicum pertinentes, Quare inviolabiliter præcipio quod prædictæ terræ cum omnibus omnino earum appendiciis et earum possessoribus liberæ sint et quietæ ab omni consuetudine terrenæ servitutis et ab omni dominatione et subjectione baronum vel principum et omnium aliorum. Et quod abbas et monachi ecclesiæ Fiscannensis vel eorum ministri omnem regiam habeant libertatem et consuetudinem, et omnem justitiam suam de omnibus rebus et omnibus negotiis quæ in terra sua evenient vel poterunt evenire, nec aliquis, nisi per eos se inde intromittat, quia hoc totum regale beneficium est et ab omni servitute quietum. Similiter concedo et confirmo prædictæ ecclesiæ Fiscannensi pro anima mea et omnium prædecessorum meorum, omnes terras quas in Northmannia, cum omnibus earum pertinenciis, cum omnibus dignitatibus, liberis consuetudinibus et quietantiis omnibus, quas dominus et prædecessor meus, comes Northmannorum Richardus, in eleemosynam prædictæ dedit ecclesiæ quietas ab omni inquietudine vel diminutione cujuslibet sæcularis vel judiciariæ potestatis, sicut res ad fiscum dominicum pertinentes, quod non solum multorum relatione didici, sed etiam ejus litteris sigillatis. Si vero aliquis contra hanc confirmationem meam aliquid præsumpserit, iram Dei omnipotentis incurrat et coactus auri libras centum ad fiscum dominicum persolvat. Hoc autem ut ratum et stabile omni tempore permaneat, assensu conjugis meæ et prolis et procerum meorum regia auctoritate et crucis caractere confirmo et manibus fidelium meorum corroborandum trado. Signum Willelmi, regis Anglorum ✠. S. Mathildis, reginæ Anglorum. S. Willelmi comitis, filli regis. S. Roberti comitis filii regis. S. Roberti de Bellomonte, S. Henrici de Bellomonte. S. Roberti de Montegomerico. S. Odonis, episcopi Bajocensis. S. R., comitis Moritoniæ. S. Hugonis, comitis Cestriæ. S. W., abbatis Cormeliensis. S. Osmundi cancellarii. S. Rogeri de Bellomonte. S. Fulconis de Mosteriolo. S. Bernardi, filii Ospacti.

XXIX

Charta regis Willelmi Conquestoris qua donationes ecclesiarum de Mincherte, Bridetune, Scorestan et Lonecestre in Anglia monasterio Fontanensi in ducatu Northmanniæ confirmat.

(*Ibid.*, pag. 974.)

Notum sit omnibus, tam posteris quam præsentibus, quod ego WILLELMUS, Dei gratia dux Northmanniæ et rex Anglorum, pro redemptione animæ meæ et salute conjugis et filiorum meorum, Fontanellensi monasterio in honore sancti Vandregisili constructo, pro amore Guncardi capellani mei, qui ibi monachus factus est, quatuor ecclesias in Anglica terra positas concessi, cum decimis et omnibus suis custumis, sicut antecessor Guncardi eas tenuit, tempore antecessoris mei beatæ memoriæ Edwardi regis. Quarum duo Mincherte et Bridetune sunt in comitatu Wilte-scire. Quarta vero Lonecestre est in comitatu Dorthause-scire. Et ut donatio rata et firmata sit proprio signo eam auctorisavi; imprecans eis anathema et maledictionem, qui eam violaverint et eam disturbare voluerint, etc.

XXX

Charta regis Willelmi pro xenodochio B. *Petri Eboracensi.*

(*Ibid.* pag. 369.)

WILLELMUS rex Angliæ omnibus hominibus et ligiis nostris tam Francis quam Anglis, salutem.

Sciatis me dedisse et confirmasse hospitali beati Petri Eboraci illam antiquam eleemosynam supra qua dictum hospitale fundatum existit; videlicet, de qualibet caruca arante in episcopio Eboraci travam unam bladi. Testibus T. archiepiscopo, Galfrido Baynard, Radulpho Paganello, et aliis.

XXXI

Charta Willelmi Anglorum regis pro monasterio Floriacensi.

(Anno 1067.)

(Dom. Marten, *Thesaurus Anecdot.*, I, 196, ex archivis S. Audoeni.)

Quicunque hac fragili et caduca detinentur vita, oportet ut semper habeant præ oculis discussionem Dei omnipotentis, et agant dum licet, ne in ipsius judicio inveniantur in sinistra parte cum reprobis; maxime quidem illos quos Dei providentia super alios extulit, quia quanto ditiores et sublimiores sunt cæteris, tanto ad bona opera exsequenda, et ad justa promptiores esse debent judicia. Quæ omnia perpendentes, et secum sedulo pertractantes, Richardus Normannorum dux, et Robertus frater ejus, pro redemptione et salute animarum suarum, et antecessorum suorum, contulerunt Deo et S. Benedicto ecclesiam S. Jacobi (*Saint-James*), quæ in confinio Normanniæ et Britanniæ sita est, cum terra et aqua eidem ecclesiæ pertinente. Circa vero eamdem ecclesiam ego Willelmus successor eorum, dux Normannorum, et per Dei misericordiam Anglorum rex effectus, bellis ingruentibus, ob meæ terræ defensionem, cum locus magis idoneus ad id videretur, castellum exstruxi. Quo facto, multa illi quæ ibi non pertinebant attribui, videlicet landam, cum stagno et teloneo, et mercatum de cruce; pro quo Radulfo abbati, et monachis de S. Michaele commutationem et cambium dedi, et nundinas duas, et pedaticum. Tria stagna construxi, et homines illos, qui ibi pro sua voluntate manebant, stabiles esse feci. Videntes autem monachi S. Benedicti, per me, Deo juvante, melioratum, adierunt meam præsentiam communi consilio capituli S. Benedicti Hugo abbas et cæteri complures orantes et humiliter deprecantes, ut medietatem illorum quæ loco supradicto addideram illis donarem, eo pacto, ut et ipsi me in medietatem suorum colligerent, excepta ecclesia, et ad eamdem ecclesiam pertinentibus, quæ ipsius erant et sunt. Ego vero petitioni eorum libenter adquievi. Distinctio autem eorum inter nos talis fuit, quod medietatem totius castri, scilicet ex molendinis, ex furnis, ex teloneis, ex pedaticis, ex nundinis, ex mercatis, ex omnibus justitiis, sive ex omnibus redditibus et consuedinibus, quæ ex ipso castro, vel ex adjacentiis ejus accipiuntur, et de omnibus ad hæc pertinentibus. quæ ibi meliorabuntur, medietatem mihi retinui, et medietatem illis dedi: ita ut ab hac die, et deinceps, perpetuo in jure et dominatione sit S. Benedicti et fratrum Floriacensis cœnobii. De stagnis vero tribus quæ ibi feci, piscationem superioris mihi retinui; piscationem medii stagni totam illis concessi, piscationem vero tertii, mihi dimidiam servavi, et dimidiam illis dedi.

A

De ministris vero hoc decrevimus, ut ministri S. Benedicti mihi fidelitatem faciant, et mei ministri fidelitatem faciant S. Benedicto et monachis.

Et quoniam pro hoc facto magis quærebam et desiderabam remunerationem animæ quam corporis, hoc mihi spoponderunt, et hoc ab eis munus exegi, ut unaquaque hebdomada, pro salute et incolumitate mea, et uxoris meæ, et filiorum meorum, et pro remedio animarum prædecessorum et successorum meorum missam unam celebrent, et unum monachum, vitæ meæ loco, in monasterio S. Benedicti habeant, et semper unum pauperum pascant. Orationes quoque et eleemosynas et beneficia in vita et post obitum mihi polliciti sunt et pacti, non solum in monasterio S. Benedicti, sed et in cœnobiis Floriacensibus; hoc mihi concesserunt communi concilio abbas et omnes monachi. Et ut hoc firmum

B

atque indivulsum permaneat, signo annotationis meæ subterfirmavi, uxoris quoque et filiorum adstipulatione firmavi, etc.

Signum W. regis Anglorum, et Normannorum ducis ✝. S. Roberti filii sui, Normannorum comitis ✝. S. Mathildis conjugis suæ ✝. S. Ricardi filii sui ✝. S. Hugonis de Cornaio ✝. S. Giraldi de Novomercato ✝. S. Stigandi dapiferi ✝. S. Henrici de Ferreriis ✝. S. Rad. de Redon ✝. S. Gilberti de Mananoth ✝. S. Rainaldi junioris capellani ✝. S. Hilgeri.

Actum publice apud Rodolium supra Andenam fluvium (*le Bec d'Andène*), mense Aprili, anno ab incarnatione Domini 1066, regnante rege Philippo anno nono.

XXXII

Charta regis Anglorum Willelmi I qua secernit placita ecclesiastica a causis civilibus (13).

(Mansi, *Consil.* t. XX. col. 605, ex cod. ms. penes dec. et cap., eccl. Cathed. S. Pauli Londoniensis.)

C

Willelmus, Dei gratia rex Anglorum, R. Bainardo, et G. de Magnavilla, et P. de Valoines, cæterisque meis fidelibus de Essex et Hertfordschire et de Middlesex, salutem.

Sciatis vos omnes et cæteri mei fideles, qui in Anglia manent, quod episcopales leges, quæ non bene nec secundum sanctorum canonum præcepta, usque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt, communi consilio, et concilio archiepiscoporum, et episcoporum et abbatum, et omnium principum regni mei, emendandas judicavi. Propterea mando, et regia auctoritate præcipio, ut nullus episcopus, vel archidiaconus, de legibus episcopalibus amplius in Hundret placita teneant; nec causam, quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium sæcularium hominum adducant; sed quicunque secundum episcopales leges, de quacunque causa vel

D

culpa interpellatus fuerit, ad locum quem ad hoc episcopus elegerit et nominaverit, veniat; ibique de causa vel culpa sua respondeat, et non secun-

(13) Quoad tempus confectionis istius chartæ, videtur fuisse circa annum Domini 1085, nam Matth. Paris. De gestis regis Wilhelmi sub hoc anno locutus, ait: « Rex Wilhelmus paulo ante Remigio, Fiscanni monacho dederat Dorkecestriæ præsulatum; sed Remigius anno 1085 ad Lincolniam episcopatum transtulit, ibique condidit ecclesiam in summitate montis. » Et hæc charta est inter privilegia episc. Lincol. postquam translatus esset episcopatus.

dum Hundret, sed secundum canones et episcopales leges, et rectum Deo et episcopo suo faciat. Si vero aliquis, per superbiam elatus, ad justitiam episcopalem venire contempserit, et noluerit, vocetur semel, et secundo, et tertio : quod si nec sic ad emendationem venerit, excommunicetur ; et si opus fuerit ad hoc vindicandum, fortitudo et justitia regis vel vicecomitis adhibeatur : Ille autem qui vocatus ad justitiam episcopi venire noluerit, pro unaquaque vocatione legem episcopalem emendabit. Hoc etiam defendo, et mea auctoritate interdico, ne ullus vicecomes aut præpositus, seu minister regis, nec aliquis laicus homo, de legibus quæ ad episcopum pertinent, se intromittat ; nec aliquis laicus homo alium hominem sine justitia episcopi ad judicium adducat : judicium vero in nullo loco portetur, nisi in episcopali sede, aut in illo loco quem episcopus ad hoc construxerit.

XXXIII.

Charta Willelmi Anglorum regis pro monasterio S. Richarii.

(Ex *Spicilegio* d'ACHERY, IV, 574).

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. GUILLELMUS, gratia Dei Normannorum dux omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, quibus est cura animæ et corporis.

Cupimus notam fieri omni futuræ posteritati quomodo ecclesiam Scamelli-Villæ pro salute animæ meæ S. Richario perpetuo habendam firmaverim censura auctoritatis nostræ. Cum calumniaretur ab abbatissa Villaris monasterii, et ab abbate fuissem conventus monasterii S. Richarii, Gervino nomine, causam hujus negotii ipso eodem coram primatibus curiæ meæ explicante, sibi jure competere antecessorum meorum donatione, judicio eorum decernente, tali tenore reddidi, data insuper credulitatis gratia mea fide ut deinceps sub mea advocatione liberam teneret sicut acceperat a meo avo et patre. Adverteram enim illorum qui causam noverant, narratione suggerente præbendarium pro hoc beneficio in memoriam nostri debite illis inesse. Unde ne nostra confirmatio alicujus futurorum temeritate cassaretur, et nos meritum amitteremus, hujus testamenti litteras conscribere fecimus. Actum hoc anno Dominicæ incarnationis 1047, apud Argentulum III Kal. Novembris. Hujus rei testes sunt idonei, Storinstingus, Richardus filius ejus ; Yvo de Belismo ; Arnulfus nepos ejus, Rodulphus Taxo.

XXXIV.

Charta Willelmi Anglorum regis pro Majori monasterio S. Martini.

(BALUZ., *Miscel.* VII, 227.)

Omnibus hoc notum fieri volumus qui futuris id sunt audituri temporibus, quod ego Willelmus gratia Dei Normannorum comes, pro remedio animæ meæ parentumque meorum patris maxime et matris meæ, nec non etiam uxoris meæ hæredumque meorum, concedo jure perpetuo Deo et sancto Martino, monachis scilicet qui apud Majus monasterium sub Alberto abbate Deo deserviunt, per annos singulos linguam integram balænæ unius, sive etiam successoribus eorum abbatibus et monachis qui in monasterio illo Dei servitio militaturi sunt, in comitatu Constantino, apud villam Valongiam, sub præsentia testium quorum inferius subscripta sunt nomina. Quicunque vero eleemosynam hanc vel meis, vel hæredum meorum temporibus subtrahere sancto Martino voluerit, et ipse excommunicetur, et nullum habeat ejus conatus effectum, ut, dum stabilis fuerit eleemosyna mea, perpetua etiam fiat in monasterio illo memoria mea.

S. Willelmi comitis S. Nielli vicecomitis. S. Mainonis de Filgeriis. S. Richardi filii Torentini. S. Radulfi Taxonis. S. Giraldi seneschalchi. S. Rotberti filii Georgii. S. Hugonis Britonis. S. Tetbaldi filii Bernerii. S. Rotgerii de monte Gomerici.

ANNO DOMINI MLXXXVIII

DURANDUS
ABBAS TROBARNENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(GALLAND., *Veterum Patrum Bibliotheca*, t. XIV, Proleg. p. IX.)

Durandus ab infantia Fiscamnensis monachus, ordinis S. Benedicti, mox primus Troarnensis abbas in monasterio diœcesis Bajocensis recens fundato a Rogerio comite Montgomericensi, coætaneus fuit Fulberti Carnotensis, quem *sui temporis episcopum* appellat, quemque obiisse constat anno Christi 1028. Librum scripsit De corpore et sanguine Domini contra Berengarium, quem in novem partes distribuit, exaratum, ut creditur, anno 1060. Obiit satis plenus dierum anno 1088.

Testimonia Orderici Vitalis lib. VII *Histor. eccles. ad an.* 1087, *pag.* 658.

« In electione personarum vitæ meritum (*verba sunt Guillelmi Conquestoris in extremis positi*) et sapientiæ doctrinam investigavi et quantum in me fuit, omnium dignissimo Ecclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium abbate, hoc in Goreberto Fontanellense, et DURANDO Troarnense, et in aliis multis regni mei doctoribus,

quorum celebris laus personat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem et sapientiam inveni; ideoque semper gaudens optabam eorum consiliis, perfrui. »

Et lib. VIII, *pag.* 676.

« Durandus Troarnensis abbas grandævus, ab infantia monachus, religione et sapientia præcipuus, ecclesiastici cantus et divini dogmatis doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliisque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, et bene, ut prudens et fidelis servus, ire ad curiam Domini sui paratus, III Idus Februarii de sæculo migravit. »

Deinde post pauca :

« Venerabiles discipuli glebam religiosi doctoris in capitulo suo reverenter sepelierunt, et in candido lapide qui suppositus est, epitaphium hoc addiderunt : »

Hac tegitur tumba bonus et venerabilis abba,
Durandus, nostri norma monasterii.
Ad Domini laudem præsentem condidit ædem,
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub undena Februi resolutus habena
Carnis, ad angelicam dirigitur patriam.

DOMNI DURANDI

ABBATIS TROARNENSIS

LIBER DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI

CONTRA BERENGARIUM ET EJUS SECTATORES

(GALLAND. *Veterum Patrum Bibliotheca*, t. XIV, pag. 245, ex codice ms. bibliothecæ domni Bigot, Rothomagensis curiæ monetarum senatoris.)

PROŒMIUM

Doctorum cunctos labor est inquirere libros,
Ut divinarum quæ sit substantia rerum
Rite capi valeat, sub forma panis operta
Ac vini; quæ, post sacra verba, crucis quoque si-
[gnum,
Nil aliud sunt quam caro vera, cruor quoque verus
De vero Christi regnantis corpore in astris,
Ut regem regum decet ac Dominum dominorum.
Sint idcirco satis hæc nostra minus studiosis,
De multis Patrum libris excerpta priorum.
In quibus et fidei vigor emicat, et brevitatis
Concinnæ utilitas non parva datur recitanda,
Tantum simplicibus ; sapientes porro sequantur,
Ac studio freti potiora legendo capaci.
Verum ne nobis succensendum temere quis
Idcirco retur, quod præsumpsisse videmur
Talia, discat nos multa improbitate coactos,
Jam per Francorum fines et castra vagantum
Schismaticorum hæresis per quos cœpit nova no-
[stris
Temporibus, veneranda negans mysteria Christi,
Ecclesiæ quibus alma fides viget alta decenter.
Propterea ut vilem sapientum nemo laborem
Rideat, hunc nostrum multis fateor placiturum.
Optima namque Patrum decerpsi dicta priorum
Sinceræ fidei, de carne et sanguine Christi,
Atque hoc in parvo congessi multa libello.

INCIPIT LIBER
DOMNI DURANDI ABBATIS
DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI

PARS PRIMA.

I. Quoniam quidem veternus hostis, inimicus humani generis, et homicida crudelis, juxta vocem apostoli, ac si *leo rugiens circumit quærens quem devoret*, oportet ei nos resistere fortes in fide, sine qua prorsus est impossibile Deo placere. Ea enim est quæ virtutem ejus elidit, procacitatem obtundit, atque de eo victoriose triumphat braviumque vitæ

perennis reportat. Ipse namque virosus anguis antiqua mortalium pestis, qui per vasa suæ deceptionis aptata in interitum, multiformo pravitatis hæreticæ venenum a primordio fidei per orbem diffudit universum, nunc etiam per occultos nequitiæ suæ satellites et ministros catholicam fidem subtiliter conatur eludere, Christique Ecclesiam, in sua veritate antiquitus fundatam, exquisitis tentat argumentis labefactare. Nam quibusdam, vana sapientibus ac perverse non tam alios quam semetipsos decipientibus, persuasit sentire, atque callidis susurrationibus sensim et occulte aliis sentiendum intimare nihil in sacramentis Dominicis ad veritatem fieri, sed omnia potius per figuram et similitudinem geri. Qui, ut se hæreseos suspicione callide exuant ac Dominicæ sententiæ congruere ostendant, hac se calliditatis arte palliant, atque profanæ novitatis dogma ita tenus temperantes colorant, ut dicant ea quæ ad altare deferuntur panis et vini munera, post consecrationem etiam quod fuerant permanere, et sic quodammodo corpus Christi et sanguinem verum, non naturaliter, sed figuraliter esse. Ipsas quoque substantias divinæ oblationis adeo corruptibiles et corrumpentes delirant esse quatenus, et in digestione communium ciborum perire, et amplius æquo sumentes in crapulam et ebrietatis furorem queant vertere.

Sed et alia graviora satis multoque his turpiora sentiunt et consciis minusque suspectis insusurrare non desistunt; quæ, ne dicam proferre, verum etiam nefas est vel tenuiter cogitare. Sed quærendum arbitror, talesque doctores consulendum reor quid utilitatis efferat hujuscemodi eorum professio, in qua nihil sanctum, nullum prorsus reperitur sanctitatis imitandæ vestigium; sed omnia insana sunt et turpia, perversæque morum et actuum dissolutioni militantia. Quod si aliquatenus admittitur tanta perversitas ut in Dominicis mysteriis nulla credatur veritas, sed umbratilis duntaxat astruatur falsitas, quodque consequitur eorumdem sacramentorum turpis corruptela, quid, rogo, restat, nisi ut tota perierit professionis Christianæ disciplina? Sicut enim in his solidus catholicæ fidei vigor et salutis humanæ summa consistit, ita his ademptis nihil sanctitatis, nihil meriti reliquum fuerit. Nam si hic aliqua deprehenditur falsitas, ubinam, quæso, erit veritas? Nullus igitur timor nulla in sanctis erit ultra reverentia; nemo cordis munditiam, nemo corporis colet sanctimoniam; omnia erunt dissoluta, omnia plane incomposita, cessante summæ honestatis disciplina. Nec immerito. Quis enim deinceps modestiæ sobrietatique operam adhibuerit? quis ibi cultum divini timoris dependerit, ubi nulla est majestas veritatis? Cæterum si in cibo Dominico figura, et non substantiva veritas est, Christus qui dixit: *Accipite et comedite; hoc est corpus meum*, verax non est; si verax non est, nec Deus est; si Deus non est, inanis est sanctorum per

A orbem terræ prædicatio, inanis etiam Ecclesiæ catholicæ fides ac professio, in qua pretiosus martyrum nequidquam fusus est cruor, frustraque fortium labor athletarum in theatro mundi, ipso spectante, triumphum de hoste reportavit; ac per hoc nihil est quod agimus, nihil omnino quod speramus. Hiccine est fructus uber, hæccine opima merces, cui schismaticorum impudens inservit insolentia? O perditum fundamentum! quod tanta sequitur non structura, sed ruina. Sed absit ut Christus Deus non sit qui utique verax est, quia revera Deus est: si verax est, ergo quod ipso porrigente accipitur, quod præbente comeditur, quanquam diverso pro meritorum differentia modo, Dominicum tamen vere corpus est, quod internam

B duntaxat purificatam aciem, ipsa imbecillitate exteriorum luminum feriata, in fidei speculo alte rimari liquet. Sed tamen evidenti præconio Veritatis moderni dogmatistæ responsalesque Satanæ refragrntur, et tam impia turpiaque libertate temeraria submurmurando opinantur quæ et ipsius aeris inficiant auras, sibique faventium mentes hominum corrumpant et corda. Verumtamen ut tantæ perfidiæ notam caveant confutationemque liberius subterfugiant, omnibus divinis tractatoribus voluminum auctoritatem derogant beato papæ Gregorio, Leoni, Maximo et cæteris quicunque præter paucos aliquid in authenticis Ecclesiæ litteris disserendo laborarunt.

PARS SECUNDA.

C II. Sed valde incompetens videtur et absurdum ut abjecti spurcique homines, qui neque honestate vitæ, neque scientiæ, utilitate aliquod Ecclesiæ catholicæ contulerunt emolumentum, eatenus convalescant ut tot Patribus atque doctoribus, quorum vita hactenus, et institutione florere dignoscitur fides orthodoxa, prædicatione quoque et instantia succrevisse, atque in melius Deo suffragante diatim profecisse, fructum sui laboris auferant; nos quoque sibi impudenter inclinent atque suo errori perverse applicent. Inconsultum nihilominus esse liquet ut eos deseramus quorum doctrinis instruimur, sanctæ vitæ exemplis informamur, quotidianisque miraculis illustramur; eis vero inhæreamus quorum vita despicabilis. Si qua esset etiam recte docendi professio, merito foret vilis et obnoxia contemptui. Sed enim hoc tale esset, ac si vitæ renuntiantes mortem amplecteremur; lucem abdicantes, tenebris implicaremur; abjurantes veritatem, fallaciæ manus præberemus. Absit autem ut tam perversis et a veritate ipsa tantum aversis pari jungamur perfidia, atque in sancta Dominici corporis ac sanguinis communione minus aliquid fateamur quam catholica per universum orbem prædicat Ecclesia. In qua revera tam vera Christi caro, verusque sanguis existit quam ver[illegible]e ipse Christus probatur, qui ea prior sanctificavit, suisque demum auctoritatem formamque sanctificandi sua potestate concessit, quæ fideliter percepta justos clarificat,

peccatores justificat, impios condemnat, nec diversa in se pro, meritorum tamen qualitate in omni professione, sive persona, diversa cognosci ur operando peragere. Neque de cætero subire credenda est cujuslibet injuriæ incommoditatem, sed potius in spiritualem refundi virtute divina operationem. Unde scriptum est : *Panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vita.* Panis ergo caro est, quia ipsa Veritas dicit : *Panis quem ego dedero caro mea est ;* caro vero vita, et vita mundi, non corruptela. Ut enim Deus et homo Jesus Christus, impleta redemptionis humanæ dispensatione, a morte ad vitam, ad incorruptionem excessit a corruptione, ita etiam hoc divinum ac cœleste sacramentum, non immerito creditur a specie visibili in id repente transformari, quod solus ipse novit *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi,* expenso videlicet humanorum cœlestibus jungendorum officio satis efficaci. Unde Dominus : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Ubi, ut cunctis sanum sapientibus patenter liquet, non digestionis obscenitas, sed divinæ per sacramentum mansionis repromittitur negotium fidelibus ; ac proinde divinum mysterium fideliter atque competenter acceptum, et in id quod jam ex parte erat, ab eo quod adhuc visui subjacebat exteriori, divinitus ex toto transformatum. Sumentium quoque animas mentesque sanctificat ac provehit, divinæque mansioni coaptat et componit ; ac deinde a morte ad vitam transformat jure potenti, sicut Auctor ejusdem muneris attestatur, ubi ait : *Qui manducat me, vivet propter me.* Porro videamus quid beatus Augustinus doctor de hac transformatione senserit, quidve in libro tertio De sancta Trinitate tractatum reliquerit. "Si ergo," ait, "Paulus apostolus, adoptionem exspectans redemptionem corporis sui, potuit significando prædicare Dominum Jesum Christum aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis ejus, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis, quod cum per manus hominum ad illam invisibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei. Cum hæc igitur omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt Deus operetur, movens primitus invisibilia, sive ministrorum animas hominum sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes, quid mirum si etiam in creatura cœli et terræ, maris et aeris facit Deus quæ vult, sensibilia atque insensibilia ad seipsum in eis; sicut oportere ipse novit, significandum et demonstrandum, non ipsa sua, qua est, apparente substantia ?" In qua sententia illud diligenter et præcipue perpendendum

A proponimus quod ex terræ fructibus accipi ac prece mystica corpus Christi ac sanguinem consecrari dicitur per quamdam manum divinam, a forma visibili invisibiliter operante Spiritu sancto, hoc tam magnum fiat sacramentum ad invisibilem speciem indubitanter perduci pronuntiatur, revera enim ex visibilibus et terrenis substantiis, id est pane et vino aqua misto, incomprehensibili sancti Spiritus opificio, verbis quoque mysticis sanctum Domini corpus ac verus sanguis efficitur, mutata non specie, sed natura : vere nihilominus inter manus ministrorum ad invisibilem speciem cœlesti commercio perducitur ejusdem sacramenti etiam visibilis forma, videlicet ut tantum fiat sacramen- B tum, id est, ex toto sanctitas ac vita animarum. Nec ut pravi quique audent delirando confingere, in digestionis corruptionem resolvitur, sed magis in mentibus utentium vitam salutemque efficaciter operatur. Propter quod et Redemptor noster, sui auctor et sanctificator mysterii, in sancto Evangelio ait : « Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. » Ubi cum panem audis, minime turberis nec exteriori forma traducaris. Verum quæ sequuntur diligentius attende, ubi sua idem Dominus verba patenter dignatus est explanare, et sub visibilis rei obtentu aliud satis longe clarius et magnificentius voluit ostentare. Ait enim : « Et panis quem ego dabo caro mea est. » Ecce qualiter, quam lucide exprimitur quod prius aliud, hoc est panis vocabatur. Caro ergo dicitur, et panis vocatur ; panis, quia cibus est, vel propter similitudinem fo- C rinsecus apparentem ; caro vero, quia vita est, et propter veritatem intrinsecus dispensatorie latentem. Panis enim dicitur, ne exhorrescas statim ipso auditu, sicut olim multi discipulorum, de quibus scriptum est : « Quia abierunt retro, et jam non cum Jesu ambulabant, dicentes : Durus est hic sermo, quis potest eum audire ? » Caro vero vocatur, ut inviteris tantæ novitatis intuitu, utque intus trahatis repromisso tam ingenti beneficio. Tum subinfertur : *Pro mundi vita*; vita utique non corruptela, ut impia modernorum hæreticorum asserit temeritas : *pro mundi*, inquit, *vita*. Mundi quidem prius immundi propter vitæ corruptæ spurcitias, ac sordes et opera iniquitatis, quibus tam prævaricatione primi parentis humana natura D quam vitiatæ originis necessitate attaminata diatimque in deterius prolapsa sorduit ; at jam glorioso cruore Christi, ac si agni immaculati in crucis videlicet ara immolati, militis lancea profusa, ad plenum mundati, quia unde culpa, inde manavit et gratia ; nam de latere dormientis Adæ Eva formata processit, quæ mundo damnationem mortis per transgressionem præcepti invexit ; de latere nihilominus secundi Adæ, id est Christi, crucis in patibulo suffixi atque in soporem triduanæ mortis resoluti, sanguis et aqua profluxit, qui exclusa mortis æternæ pœna perennis vitæ gratiam refudit. Inde plane salus, inde vita est mundi, cui expiando ab omni sorde peccati tam

originalis quam actualis, hoc singulare remedii genus divina Providentia, humanos miserata errores, procuravit; sicque in sua sancta Ecclesia, per universum orbem longe jam lateque diffusa, unicum ac speciale instituit sacrificium quo et Deus ipse mundo misericorditer propitietur, et mortalis infirmitas quotidianis cum sceleribus offendens reconcilietur. Cui quicunque non recte credendo, vel impudenter atque impie blasphemando contradicit, divinis per omnia ingratus beneficiis, cœlestis aditum propitiationis saluti suæ præcludit; propter quod nec gratiam vitæ, quæ in tanto præfixa est sacramento, valet aliquatenus adipisci. De qua superius constat pronuntiatum: *Panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vita.*

PARS TERTIA.

III. Libet autem intueri diligentius quod caro Dominica bis oblata est pro mundi vita. Prius videlicet semel in sacramento, quando ipse Redemptor noster panem in manibus accepit, et in cœlum oculis elevatis benedixit, fregit, ac sic discipulis suis dedit, et ait : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Unde et hujus sancti sacrificii forma, quod jam non semel in pretio, quando ut genus mortalium redimeretur, idem Dei Filius crucis patibulum ascendit, seque ipsum Patri suo in sacrificium sacerdos ipse et hostia obtulit. Qui modus jam tunc præsignabatur, cum, ut prælibavimus, visibilem panis substantiam idem Salvator morti, quam præelegerat, jam loco et tempore propinquus, sanctificavit, dicens : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Ac ne cuilibet perverso facultas forte relinqueretur errandi, vel aliud quid intelligendi, subintulit : *Quod pro vobis tradetur.* Quibus nimirum verbis exclusa sunt omnia impia opinandi argumenta, ac falsa nuperæ hæresis commenta, quando illud, quod in manibus tenebat Dominus Jesus, quod discipulis offerebat, tam absolute suum testabatur corpus; nec prorsus aliud quam quod pro eis tradendum erat. Sane curiosius perpendendum quod pietas divina, quæ novit omnia novissima et antiqua, sicut sua sacramenta sanctæ suæ Ecclesiæ ad salutem tradidit, ita suis tam factis quam verbis ea communivit, ne in aliquo valerent infirmari aut contradici. Unde illis quæ præmissa sunt adnectit : *Hoc*, inquiens, *facite*, ac si diceret : Quod ego feci propria potestate, vos facite mea auctoritate. Ego exemplo, vos imitatione. *Hoc facite.* Qui? Vos mei, qui inpræsentiarum estis discipuli; et post vos hi qui non viderunt et crediderunt; et idcirco sunt revera beati. *Hoc facite.* Quid est, hoc facite? id est hoc corpus, hunc sanguinem meis verbis, mea invocatione conficite. Nec semel ut ego, sed quotiescunque sumitis. Ut quid ? *In meam*, ait, *commemorationem*, id est, ut mei memoriam per hoc firmius teneatis, meque pro vobis passum in mentem revocetis; postremo ut me videre spiritualiter, sentire præsentialiter, habere valeatis indubitanter. Et quia semel moriturus sum mihique mors nullatenus est ultra dominatura, per hoc mortem meam frequenti usu recolite, ut et vobis sit salubre pietatis commonitorium, et ad Patris mei propitiationem specialius obtinendam singulare ac potens fiat emolumentum. Res ergo tam divina, tamque salutaris, tantæ denique virtutis plena et majestatis ut indigestione pereat, cuilibet vel extremo fidelium nullatenus debet persuaderi, sed semel perceptam potius sub spe futuræ, quæ exspectatur, glorificationis, impræsentiarum nos consolari, et ad promerendam id postmodum quod pollicetur potenti præparare effectu oportet credi. Nimis autem videtur absurdum et a re ipsa decernitur alienum, ut, ubi Christus percipitur, de stercore cogitetur. Quod Apostolus, ne ipsis quidem, quibus hoc placet, unde et Stercoritæ jure nuncupantur, concedit; sed judicium potius eos comedere et bibere, dum non bene dijudicant, asseritur; fidelibus fideliter Domini corpus ac sanguinem sumentibus, sub specie visibili divini quod celebramus sacramenti. Quamobrem jam in Christo per sanctæ suæ carnis commercium naturaliter manemus, et ipse in nobis vicissim per assumptum infirmitatis nostræ morticinium esse dignatur, quoniam eo nos sibi potenter corporavit, quo se nobis dignanter attemperavit, ac per hoc se nobiscum assumptione nostræ humanitatis, nosque secum communicando carni suæ ac sanguini unúm naturaliter effecit. Sicut etiam beatus Hilarius in libro quem De sancta Trinitate titulavit, hanc novam reor hæresim prævidans in spiritu, definivit. « Eos, inquiens, nunc qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est qui et naturam carnis nostræ inseruit ? » Diligentius, quæso, attende, et quoties vere et naturam repetierit recense. Primo quidem vere Verbum carnem factum præmisit, ac deinde vere nos Verbum carnem cibo sumere Dominico intulit, ut profecto hujuscemodi insinuaret documentis non aliter carnem Verbi cibo sacramentario quam idem Verbum caro factum est percipi. Nam quia vere Verbum caro factum est, vere nihilominus eadem Verbi caro, ac potius Verbum caro, et non per cassam veritatis figuram in cibo sumi credenda est; nec sane hæsitandum, si quod præmissum est verum sit, quin id quod subnectitur consentaneum sit veritati, id est, ut sicut veritas Incarnationis facta est Verbi, ita vera per sacramentum visibile perceptio credenda sit Dominicæ carnis, quæ sumpta ex nobis sedet in cœlis consors majestatis.

IV. Hinc ipse Dominus, ut ad hujus rei nos veritatem informaret, suis ait discipulis : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quid lucidius? Quid expressius? Ecce ipsa Veritas de se testatur, cui adhuc, novitia hæresis impudenter re-

nititur, crassamque similitudinis ac figuræ nubem improbe consectatur. Quam divinus sophista rhetorque cœlestis Hilarius fortiter repercutit, calcatiusque refellit : « Quomodo non naturaliter, inquiens, in nobis manere existimandus est qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? » Ubi tertio naturam totidemque modis inculcavit, quia videlicet Verbum quod erat a principio permanens, et naturam carnis nostræ sibi inseparabiliter unitam quod non erat assumens, carnis suæ naturam ad æternitatis naturam admiscuit; ac per hoc eam nobis communicabilem sub sacramento præbuit. Proinde ambigendum nullatenus ast humanam posse naturam ad divinæ carnis pertingere edulium, quæ ineffabili Verbi commercio adusque divinitatis adorandum perlata est participium alioquin paganum erit, totumque penitus desipiet quod Scriptura refert : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. » Scabellum quippe divinitatis, sancta est humanitas redemptoris ; cui propter inseparabilis veritatem unitatis deferenda est reverentia submissæ adorationis, tumque præsertim quando munus supplet alternæ communionis : ad hoc siquidem divinitus institutum, ad hoc discipulis a Domino indictum, ad nos usque venerabile hoc decucurrit sacramentum ut per unitatis mysterium, ipsius participatione comparatum, divinitatis efficiamur grata sedes et regnum ab humanis videlicet in divina transfigurati, et a carnalibus ineffabiliter ad spiritualia provecti.

V. Si igitur quod majus est collatum nobis non abnuimus, nec quod minus est concedi posse diffiteamur, videlicet jure sub mysterio carnem sumere corporis Christi, quod jam de contiguo nobis est, quia dignanter corporis nostri carnem assumpsit quod supra nos est, quia vere homo ex virgine natus Christus fuit, ac per hoc de veritate carnis ejus communicandæ et sanguinis nullus jam relinquitur locus ambigendi, si quidem et ipsius Domini professione et nostra fide vere est caro, et vere est sanguis sacra confectio vivifici sacramenti, quæ accepta fideliter id efficit ut nos in Christo et Christus in nobis sit. Et hæc est vitæ nostræ causa, hæc salus, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus; qui licet jam longe sit alterius dignitatis et gloriæ quam nos, naturaliter tamen caro est, quod nos. Quia non adimit naturam, sed glorificat assumptio, dum unum fit Verbum et caro. Unde in nobis carnalibus etiam nunc manet Verbum caro, quam nobis communicandam, dum in stadio corruptibilis vitæ curritur, ea dispensatione Christus Deus procuravit ut in nobis maneret, qui per suam passionem mortisque supplicium indulto vitæ remedio prospexit, ut ad suam nos quandoque dignitatem contuendam ac pro modulo nostro promerendam proveheret, efficeremurque ei similes videntes eum sicuti est. Et vere hæc est vitæ nostræ causa, quia ipsa pro nobis occubuit Vita, ut nobis usualis fieret esca. Hæc etiam gloriæ firma spes promerendæ, quia ipsam gloriosæ divinitatis carnem hic tenemus in pignore, per quam in nobis carnalibus interim manentem Christum qui dominus virtutum est et Rex gloriæ, habemus, dum eam veram, atque ipsius Verbi naturalem, ministrorum officio, remoto totius erroris scrupulo, percipimus. Anne hoc veritas non est? Ecce iterum perspicacissimus mysterii contemplator divini falsitatis auctores redarguit, pœnamque eis, qua rei tantæ majestatis merentur plecti, urgente Christi Spiritu, qui in ipso loquebatur, imprecans adnectit : « Contingat plane his verum non esse qui Christum Jesum verum Deum denegant esse. » Hoc et nos sicut et ille, nisi ab errore suo resipuerint, juvat imprecari, ut quid negaverint saltem ultionis tortura valeant experiri. Nobis autem carnis suæ Salvatoris benignitas per veritatem suam nostramque fidem, naturam adeptis, et proprietatem perfectæ unitatis utrinque professis indulgeat quod repromisit, ut in ipso permaneamus, et ipse in nobis, fiatque digna merces piæ credulitatis optabile contubernium dignanter illapsæ majestatis et hospitæ præsentialiter divinitatis peridoneum videlicet tantæ gratiæ pignus et virtutis.

PARS QUARTA.

VI. Verum licet tanti viri sufficiat auctoritas, aliqua tamen deflorare libet de sancto Ambrosio, cujus in Ecclesia catholica post apostolos auctoritas habetur præcipua, cujus eloquentiæ affluens facundia Latinæ linguæ decus est et forma; beati quoque Augustini, cujus spectata fides et multiplex in Scripturis labor utilis et clarus comprobatur. Sed et aliorum sanctorum Patrum dicta nonnulla subtexemus, quæ sparsim reperta, sed simul diligenti studio, et non parvo labore congesta, hac de re pie quærentibus sint grata, et ad rationem fidei roborandam satis superque idonea.

VII. Ait ergo prædictus Ambrosius in libro. De myteriis : « Nunc illud consideremus, ne quis forte, visibilia videns, quoniam quæ sunt invisibilia non videntur nec possunt humanis oculis comprehendi, dicat : Judæis de manna pluit; unde dictum est: *Panem angelorum manducavit homo.* Sed tamen panem illum qui manducaverunt omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipiet, iste panis vivus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat, et corpus est Christi. Considera nunc utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cœlo, hoc supra cœlum; illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ob omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit; tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiavit

aqua; te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit, et sitit; tu cum biberis, sitire non poteris: et illud in umbra, hoc in veritate.» Et post nonnulla: «Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur?» Et quibusdam interjectis: «Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutetur elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia *ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*. Sermo ergo Christi, qui potuit de nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Nonne majus est novas res dare, quam mutare naturas? Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterio [*al.*, mysterii] veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mista femina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quærimus naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat. His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus Jesus, quibus animæ substantia firmatur.» Et post pauca: «In illo sacramento Christus est, quia corpus Christi est. Non ergo corporalis esca est, sed spiritualis est. Unde et Apostolus de typo ejus ait: Quia *Patres nostri escam spiritualem manducaverunt, et potum spiritualem biberunt.* Corpus enim Domini corpus est spirituale. Corpus Christi corpus est divini Spiritus.» Hæc tanti viri sententia fideliter expensa, omnes hæreticorum versutias, et universa destruit argumenta, catholicamque fidem e diverso instruit et roborat, et de veritate naturali corporis ac sanguinis Jesu Christi Salvatoris devotionem fidelium, ne de cætero in aliquo vacillet, sufficienter ædificat. Quam quia per singula nobis in quibus oporteret discutere non vacat, summatim percurrimus eam, monentes ut qui hæc lecturi sunt, per se diligentius inquirere et intelligere quæ indiscussa præterimus studeant.

VIII. Ait ergo: «Ista esca quam accipis, iste panis vivus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat, et corpus Christi est.» Ubi advertas oportet quod escam et panem quem de sacro altari percipimus, Domini indubitanter dicat corpus, et ideo vitæ æternæ substantiam subministrat digna devotione cordis illud accipientibus. Et revera. Christus enim vere est vita, sicut ipse dixit: «Ego sum via, veritas et vita.» Et necesse est ut qui Christum in se fideliter excipit, vitæ æternæ particeps mereatur effici, a qua longe fit qui se a sancto mysterio, aut male vivendo aut non recte credendo, elongare non metuit; cui quisque eo magis proximus existit quo per rectæ fidei studium emendatius vivit. Ne vero quis corpus aliter interpretari sive intelligere posset, quia videlicet Apostolus ait: «Et corpora cœlestia et corpora terrestria»; mox in subsequentibus idem doctor Christi carnem appellat, dicens: «Considera nunc utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Vere profecto corpus est vitæ caro Christi, quia ipse Christus, cui est ipsa caro corpus substantivum, vita est immortalis, seu quia vitam fideliter eo fruentibus constat spiritualiter operari.» Et post pauca: «Manna, inquit, illud umbra fuit, hoc corpus in veritate est.» Non immerito manna umbra dicitur, quia, etsi in veritate, cœlestis creatura fuit. Unde et angelorum panis nuncupatur, dum tamen aliud quam quod videbatur signo portendit; figura vel umbra mysterii futura, non ipsa veritas, exstitit, quæ exspectabantur temporibus revelanda novissimis, quando plenitudine quam divini consilii providentia disposuit ante tempura sæcularia jam accedente, Deus ipse homo pro hominibus dignatus est fieri, et hoc cœleste, ac potius divinum non ut ante per Moysen manna illud dederat, sed per semetipsum confecit, discipulisque suis in sui memoriam usque in sæculi consummationem, qua ipse manifeste venturus est, celebrandum, ita dicens: «Hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.» Unde nimirum constat eamdem veritatem carnis ac sanguinis esse in sacramento quod sancta per universum orbem Ecclesia uniformiter agit, quæ erat et in illo quod ipse Christus Deus suis sanctis manibus sanctificavit, ac suis qui eum ab initio prædicationis secuti fuerant, distribuit: *Accipite*, inquiens, *et comedite; hoc est corpus meum.* Ac deinceps, *Hoc*, ait, *facite in mei commemorationem.* Hæc vox, ut credimus et confitemur, est ad quam consecrationem Dominici mysterii quotidie fieri liquet. Quod quamvis aliud humanis cernatur obtutibus, quamvis aliud significare utiliter ratione typica non negetur, nihil tamen aliud omnino substantialiter esse quam vera Christi caro et verus sanguis comprobatur. Et sicut superius ait beatus Ambrosius: «Jam non est post verba cœlestia quod natura formavit, sed quod benedictio cœlestis consecravit, quia major est vis benedictionis cœlitus infusæ ad preces sacerdotis quam naturæ quia et ipsa natura ab eo quod erat in id quod non erat mutatur benedictione.» Unde et alias in libro De sacramentis idem ait: «Panis iste, panis est

ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et post nonnulla: « Si ergo inquit, tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? » Qua sententiola liquidius destruitur hæreticorum perfidia, qui aliter quam ipsa Veritas habet, adversus divina disputant sacramenta; in quibus solam esse figuram, et non veritatem affirmant, atque creaturam, ut fuerat omnino, permanere; aliquam virtutem spiritualiter, propter benedictionem unde Domini corpus vocetur, habere; nec in aliud quam fuerat demutari rerum veritatem, cum Ambrosius dicat: « Hoc autem corpus in veritate est; » quod qualiter in veritate sit ipse exponit, dicens: « Non est quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, quia benedictione natura mutatur. »

IX. At quia sunt nonnulli his aliquanto, ut sibi videntur, prudentiores atque religiosiores, qui carnem quidem dicant esse Christi, non tamen illam quam de Virgine sancta Christus ipse suscepit, in qua passus est, et a mortuis resurrexit, quam ad cælos cum triumpho victoriæ vivus et verax devexit: sed quamdam novam, quam benedictio recens consecravit: præfatus doctor apertissime definit horum errorem, destruens funditus, catholicamque fidem validius ædificans, qualiter hac de re, secundum Veritatem, sentiendum sit. Ait namque: « Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. » Et paucis interjectis: « Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Vere ergo carnis illius sacramentum est; ipse enim clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum. » Ex quibus omnibus luce clarius constat Dominica sacramenta vere esse corpus ac sanguinem Christi, non solum per virtutis efficaciam et spiritualem potentiam, sed etiam per proprietatem naturalis veritatis integerrimam; nec aliud omnino quam eamdem carnem quam Virgo de Spiritu sancto concepit, et integritate virginitatis illibatæ permanente præter humanam consuetudinem, non præter veritatem corporis humani, edidit; quæ crucis damnata suspendio, mortis addicta supplicio, sed postmodum beatæ resurrectionis glorificata triumpho, cœlorum superavit fastigia, sedetque nunc in æterna Patris dextera, ubi pro nobis juxta veridicam apostoli Pauli vocem pontifex in æternum factus, pro humana carne sedulus interpellat, sed per naturalem deitatis veritatem suorum suscipit fidelium vota, et votis annuit, pro potestate ac majestate divina. Hinc alia ejusdem doctoris testimonia super eadem re non incompetens videtur addere, ut multiplex dictorum copia fidelibus satisfecere, et perfidis vana, et profana docendi libertatem valeat funditus adimere. Ait ergo in tertio De virginitate libro: « Vide quantus ad natale Sponsi tui populus venit, et nemo impastus redit. Denique ad suas nuptias plures vocavit; sed jam non panis ex hordeo. sed corpus ministratur e cœlo. » Ac post multa: « In passione vulneratus est, atque ex vulnere aqua et sanguis ad potum spiritus ad resurrectionem. Unus enim Christus est nobis fides, spes, charitas. Fides in lavacro, spes in resurrectione, charitas in sacramento. » In secundo De viduitate: « Dominus, inquit, Jesus aliis panem hordeaceum, ne in via deficerent; aliis corpus suum, ut ad regnum contenderent, ministravit. » Et in libro De sacramentis: « Ergo didicisti, ait, ut panis corpus Christi fiat. Et quid? vinum in calice mittitur; sed fit sanguis consecratione cœlesti. » Ac post aliquanta: « Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Deinde ipse Dominus Jesus Christus testificatus est nobis quod corpus suum accipimus et sanguinem nunquid debemus de ejus testificatione et fide dubitare? » Et in superiori libro De sacramentis: « Sicut, inquit, verus est Dei Filius Dominus Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus. Sed forte dicas: Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi qui operatur, ut possit mutare et convertere genera instituta. Deinde, ubi non tulerunt discipuli dicentem Christum quod carnem suam daret manducare et sanguinem suum ad bibendum, recedebant. Ne igitur plures hoc facerent [*al.*, dicerent]. et veluti quidam horror esset cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramenta, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi*. Sed caro non descendit de cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis de cœlo, et panis vivus? quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis et corporis; et tu qui accipis carnem, divinæ ejus substantiæ participaris alimento. » In hac itaque sententia liquido declarat beatus Ambrosius quare superius dixerit carnis vel sanguinis similitudinem videri, non speciem, quia videlicet dispensatorie species, id est, veritas carnis ac sanguinis in sacramento latet, ne si, ut est, appareret, horrorem videntibus res incuteret. « In similitudinem, inquit, accipis veritatem, ne ipsa veritas tibi incutiat horrorem. » Ideo similitudo prætenditur ut veritatis horror pellatur; nec gratia tamen veræ naturæ, carnis et sanguinis minuitur, dum sub alia similitudine vera caro et verus sanguis Christi percipitur. Et similitudo quidem carnis ac sanguinis, panis ac vinum dicitur; vel propter ipsam veritatem quam, licet occultam, habet, seu quia, juxta aliquid, caro et sanguis sunt, propter quod sic jure dicantur, quia, per consuetum usum, vitam vescentium eis conservent, in carnem naturali incremento convertuntur et sanguinem. Unde et satis competenter Salvator carnem suam et sanguinem de panis ac vini materia constituit consecrari, quibus ipsa vita mortalis subsistit,

quibus denique humana substantia quotidiana incrementa consequitur, dum, per escam et potum assumpta, in carnem et sanguinem secreta quadam vi naturæ trajecta convertuntur. Cæterum in veritate caro et sanguis sunt post consecrationem panis et vinum, licet lateat species sub præordinata divinitus similitudine visibilium rerum. Sicut in libro De sancta Trinitate secundo idem antistes protestatur : «Quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur : Hic est panis vivus qui descendit de cœlo; panis hic caro est, sicut ipse dixit : Hic panis, quem ego dabo, caro mea est. » Et in octavo : « Videamus, inquit, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Jesus Christus in carnis assumptione suscepit; itaque per scabellum, terra intelligitur; per terram autem, caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus. » Beatus Augustinus in libro De verbis Domini : «Memini, ait, sermonis mei, quia cum de sacramentis tractarem, dixi vobis quod, ante verba Christi, quod offertur panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis, sed corpus appellatur. Quare ergo in Oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, *panem nostrum*? Panem quidem, sed *supersubstantialem* : non est iste panis qui vadit in corpus; sed ille vitæ æternæ panis qui animæ nostræ substantiam fulcit. » Ex hac igitur tam perspicua de sacramento Dominico sententia datur intelligi quod consecratio illa supercœlestis non umbra sit, sed vere corpus et sanguis. Ubi autem dicitur panem supersubstantialem, non qui vadit in corpus, sed qui animæ nostræ substantiam fulcit, patet utique quia Oratio Dominica non de isto temporali pane qui in corpus vadit et in secessum emittitur, dicat, sed de illo qui consecratur divinis verbis, sumptusque fulcit animam nostram. Qui, dum offertur, tantummodo panis est et temporale carnis morituræ subsidium; post consecrationis vero mysterium, caro Christi est vera et immortale fidelis animæ præsidium, sicque, sub forma quam invisibiliter prætendit, salutem quod divinum est operatur fideliter percipientis, nec per aqualiculum turpiter egestus perit, sed reverenter insumptus animæ substantiam fulcit.

X. Quod Paschasius quoque, divini sacramenti scrutator diligentissimus discussorque catholicus, in libro suo, ut beatus Augustinus sensisse comprobatur, in quo inter cætera sic ait : « Frivolum est ergo, ut in apocrypho legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in digestione alterius cibi. Denique ubi spiritualis esca, et potus percipitur, et Spiritus sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in eo adhuc carnale est transferatur in spiritum, et fiat homo spiritualis, quid commistionis haberi poterit? Quantum igitur distat illa æterna vita ab ista mortali, tantum et iste cibus omnino præeminet ab illo communi quo simul nobiscum etiam animalia vivunt. » Ecce quid memoratus vir secutus auctoritatem priorum Patrum dixerit. Bea-

A tus nihilominus Clemens apostolicus in epistola ad Jacobum directa in qua se apostoli Petri refert indidisse præcepta, imperat quatenus ministri, reliquias mensæ Dominicæ assumentes, quæ ea tempestate permaxime consueverant fieri, a reliquis cibis certis abstinerent horarum interstitiis, ut scilicet qui tertia diei hora communicaret, ad sextam usque jejunaret; qui vero sexta, jejunus præstolaretur nonam; et qui nona, in vespera reficeretur. Quia ergo post perceptionem mysteriorum statutis temporum momentis jussit a communibus observandum cibis, nunquid aliqua distendebatur sollicitudine de sacramentorum stercore, quasi pretiosiori, ne forte commisceretur aliorum ciborum viliori, quod honestiori forsitan secessu oporteret refundi ? Absit ! B Neque enim de discernendis stercoribus ab apostolo acceperat disciplinam, quam alii itidem apostolo mandaret tenendam, sed de sanctis mensæ Dominicæ fragmentis præceptionem, quam cæteris traderet, acceperat. Quæ cum quanta sint sanctitate reverentiaque tractanda, evidenter insinuat, cum participes eorum ad communes illico escas accedere vetat, non ut commistionis caveatur obscenitas; quæ si proveniret minime esset cavenda, sed ut sanctitatis officiales ad parcimoniam ampliorem que frugi vitæ informaret diligentiam, ac ne imperitis falsa opinandi occasio daretur, negligentesque damnabilis noxæ supplicium sequeretur, quod minatur Apostolus Corinthiis, qui inter agendum Domini cœnam effrenatius indulgebant gulæ illecebris, quibus ait: C *Itaque quicunque manducaverit panem hunc et calicem biberit indigne judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ideo namque reatus ingens contrahitur, inde vehemens pœna subsequitur, quod mysterium Dominicum non dijudicatur, id est, a reliquis cibis minime discernitur, quando ab imperitis, imo impiis, in digestione absolvi jactatur. Unde beatus Augustinus in Evangelio Joannis, *Quicunque, inquit manducaverit panem et biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* : De his erat sermo, cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiscrete negligenterque sumebant. Hic ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc est, non discernit a cæteris Dominicum corpus, quomodo damnatur qui ad ejus mensam fingens amicum, inimicus accedit ? D Proinde valde, ut superius diximus, cavendum est ne non discernatur, id est, indiscrete vel negligenter sumatur Dominicum corpus, quod non modo mortis æternæ supplicium submovere, verum etiam gratiam vitæ perennis fideliter sumptum creditur impertire, velut ejusdem muneris auctor testatur dicens : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Hic itaque panis cœlestis sacramenti, qui vitam mortalibus refundit mortisque pœnam repellit, longe incompatibiliterque ab illo qui corpora tantummodo curat, differt; ac per hoc credi quod pereat nequaquam oportet, ne, ubi vitæ gratia per fidem haurienda est, periculosa mortis ob perfidiam in-

curratur lues, sicut Augustinus ait: « Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putaverit Vitam. » Mendacem quippe putat Vitam, vel, quantum in se est, facit, qui sacratissima verba Redemptoris interpolare, vel falso præsumit interpretari: atque per hoc illi mors, non vita erit, dum de Vita aliter quam ipsa Vita sentit, quæ ait: *Panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vita.* Hic ergo specie tenus panis, sed in veritate caro Veritatis, et vita fidelis mundi, judicium vero infidelis, sicut ipsa Veritas cui fides adhibenda est, aperte præscripsit, in homine vitam non stercora, mentisque nitelam non corruptelam operatur ventris. Qui proinde vocatur supersubstantialis, quia superiorem fovet substantiam hominis, vegetatque ac provehit; quod profecto ante consecrationem agere nequit terrenus panis qui in corpus vadit: sed iste, nimirum qui animæ substantiam fulcit, qui merito jam post verba Dominica, ut Augustinus ait, vocatur Christi corpus, non panis, utpote in aliud transformatus operatorio cœlitus jure sacrandi. De quo pane quia spiritualis est et vitæ æternæ, magna nobis ingeritur necessitas postulandi, ut scriptum est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Si quotidianus est, quotidie pro certo et quærendus est; nec debet intercedere diuturna eum petendi dilatio, cujus constat vitalis salutarisque animæ perceptio. De temporali autem pane et communi sollicitudine interdicitur his verbis: *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? Quærite autem regnum Dei, et omnia hæc adjicientur vobis.* Regnum Dei Christus est, sicut scriptum est. *Regnum Dei intra vos est,* Christus autem panis est, sicut scriptum est: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Hoc pane quisquis fideliter satiatus fuerit, defuturum sibi panis terreni subsidium non timebit.

PARS QUINTA.

XI. Verum quia in auctorum libris alibi figura, alibi similitudo corporis et sanguinis Christi reperitur insertum, quanquam id nullum rectæ fidei afferat præjudicium, inde tamen sibi nequam homines defendendi erroris ingens se arbitrantur reperisse patrocinium. Dumque sibi volunt videri quasi spirituales, multo ipsis carnalibus inveniuntur, ut ita dicam, carnaliores, et, quod est verius, deteriores, quoniam ubi debuerant altioris gratiam intelligentiæ pulsando fideliter, quærendo humiliter investigare, ibi decipulam perfidiæ abruptumque perditionis præcipitium per obstinaciam noscuntur incurrisse. Non enim in Scripturis quid propensius oporteat sequi, sed quid validius inepto opituletur errori satagunt rimari; dumque suam tortitudinem ad Scripturæ normam dedignantur dirigere, sed ipsius rectitudinem potius violenter inflectendo nituntur deformare et ad usum suæ perversitatis intorquere, licet obtinere nequeant penitus quod ambiunt, vehementius tamen per hoc præsumptionis suæ vitio convalescunt, sibiqué viam profundioris scientiæ obstruunt, aditumque salutis pertinaciter repagulis damnant et seris blasphemiarum. At nos, quibus non animositas, sed veritatis placet sinceritas, auctoritati sanctæ Scripturæ cedentes, ac non eam secundum nos, verum nostros magis sensus ad eam conformantes, nec in ejus varietate dissonantiam, sed multiplicis intelligentiæ lineas amplectentes, ita sacramentum Dominicum figuram juxta aliquid et similitudinem non negamus, ut in veritate tamen corpus Christi et sanguinem naturaliter existere profiteamur. Ait enim Corinthiis Apostolus: *Quotiescunque panem hunc manducabitis et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quod ex verbis derivatum Dominicis ratio manifesta prodit, quibus utique Christus suis discipulis passionis suæ mentionem indicens, ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur; hoc facite in meam commemorationem.* Quia ergo *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur,* per hoc illius mortem quotidie annuntiamus, ut per eam Patris propitiationem promptius provocantes impetremus, ac sic salutare mysterium, mortis est Dominicæ significativum reconciliationisque humanæ effectivum. Quis igitur neget id similitudinem jure dici, seu figuram, quod Unigeniti passionem, quæ semel præcessit, repræsentat? Sed hæc similitudo vel figura plena est admodum veritate et gratia. Veritate quidem, quia carnis ac sanguinis Christi dulcedine, non modo potentialiter, sed naturaliter approbatur redundare. Veritate dico, quia nihil in ea minus est ab illa carne quæ clavis suffixa pependit in cruce, nec aliud est quam sanguis ille qui pertuso profluxit ex latere, sicut Augustinus ad neophytos probatur dixisse: « Hoc accipite, inquiens, in pane, quod pependit in ligno; hoc accipite, in calice, quod manavit de latere. » Ut manifeste patet, nihil in ligno aliud pependit quam caro, nihil aliud de latere manavit quam qui erat in corpore sanguis. Gratia autem plena redundat; quod nos temporali solatur munere, ut id demum quod prætendit revelata consequamur facie; gratia quoque, qua nos Capiti nostro agglutinat, ac dum tendimus ad patriam, sic nos vegetat ne deficiamus in via. Veritate postremo pariter et gratia figura hæc sive similitudo est referta, ubi illum proculdubio percipimus, per quem gratia et veritas facta est; et illud idem totum, de quo evangelicum intonat præconium: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* Hæc nimirum est gratia, quam dum mundus nescit, repente accepit. Hæc gratia, quæ nullum invenit meritum et prorogavit beneficium. Hæc postremo est veritas quæ omnem excedens intelligentiam piscatoribus tamen concredita, fatuam mortalium aut destruxit aut condivit sapientiam. Huic enixius veritati inhæreamus, ne a gratia excidamus, et ut ad ipsum qui veritas est pertingamus, tantæ gratiæ arrham non negligamus; quæ ut vera quandoque apprehendatur vita, impræsentiarum nobis constituta est via.

XII. Cæterum ut sua divinæ naturæ servetur majestas, ipsique sincera non obfuscetur serenitas, operosior adhibenda est diligentia, subtiliterque distinctio verborum facienda, ne profana sensuum irrepat confusio, unde perversa consuevit oboriri dissesio. Hinc etenim illa late serpens planta Manichæorum; hinc spurcissimus pullulavit surculus Arianorum; inde quoque innumerabilium pestis schismatum aut sumpsit exordium, aut usurpavit sibi suffragium; inde etiam modernæ hæreseos incentores impiique dogmatis conflatores puritati fidei calumniam parant, divinoque mysterio veritatem, quantum in ipsis est, derogant; eo quod similitudo dicatur aliquando, vel figura, ac si aliquod sit figmentum, non veritas. Verum diligenter cauteque perpensum ire oportet, quia, ut plura alia, homonyma sunt duo vocabula hæc, cumque multifariam pro varietate sensuum, quibus applicantur, queant accipi, ita tamen nonnunquam in divinis inveniuntur posita litteris, ut nihil veritati naturæ, nihil substantiæ præjudicent proprietati, ut est illud in Genesi: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sui.* Ubi cum fieri adjutorium homini dicitur, neva nimirum creatio mulieris intimatur; quæ bene similis perhibetur viro, quia profecto etsi in sexu sit discretio, nihil tamen est aliud mulier quam homo, eadem quippe natura, eadem conditio, quæ ubi una fuerint, nulla probatur dissensio. Sicut ergo mulier de viro non aliud quam eadem caro similis est homo, ita de vero corpore Christi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, substantivum verumque constat corpus ipsius, quod religiosis in sancta Ecclesia officiis tractamus, cui appositum nomen similitudinis in nullo contraire probatur. Porro si cui comparatio ista minus videtur efficax, et ad susceptæ rei negotium non satis idonea; vel illud apostolicum, ubi nulla fuerit ambiguitas, non ingratus audiat: *In similitudine hominum factus.* Hic nomen similitudinis, ut perspicuum est, hominis veritatem non excludit. Christus enim verus homo fuit, licet in similitudinem hominum dicatur fieri.

XIII. De figura autem ita in eodem Apostolo legitur alibi: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Hic superstitiosi verborum aucupes fraudulentique veritatis impostores, aut paternæ Christum substantiæ exuant penitus dignitate, aut divino sacramento calumniam de figuræ vocabulo desinant irrogare. Si enim figura hic substantiæ est abnegativa, non est Filius quod Pater, ac sic Christi sacramentum dum similiter dicitur figura, umbra est, non veritas, sicut illud unde refert Scriptura: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Quæ omnia? Maris videlicet multiplex beneficium, nubis in die refrigerium, splendoris in nocte solatium; sed et mannæ nectarei imbres, irriguæque silicis madores, et cætera quæ ibi replicantur. Sed horum manna sicut cætera dicitur figura, quia aliud erat atque aliud præsignabat. Quod enim videbatur, id totum substantialiter erat; Christi vero futura

A mysteria quibusdam intellectualibus indiciis præmonstrabat, quod utique non erat. Unde Apostolus alias: « Nolo vos, inquit, ignorare, fratres, quia patres nostri eamdem escam manducaverunt, eumdem potum biberunt; » eumdem scilicet per potentiam si[illegible]væ figuræ, non per veritatem exhibitæ naturæ; alioquin Christus adhuc in vasta eremo saxeus riget, ubi lapis ille profluus aquarum in sua mole torpet. Scriptum quippe est: *Petra autem erat Christus;* sed non petra de Virgine nata Christus. Hæc igitur figura jure dicitur umbra, quæ aliud præloquebatur quam erat. Si autem Patris Unigenitus, de Deo Deus, figura ejus a quo in nullo discrepat substantiæ dicitur, nec minus eo est cujus figura prædicatur, liquet profecto quod et divinum sacramentum figuram dici liceat, et nihil minus a veritate carnis Dominicæ habeat. Atque hæc est

B Dominicæ figura substantiæ; illa vero figura fuit hujus figuræ. Illic quippe fuit umbra, hic veritas est ipsa. Porro hic illam sancti Ambrosii sententiam inserere opportunum judicavimus, qua quidam in derogationem sancti sacramenti, imo in suam perniciem, ut experti sumus, abutuntur; in qua alibi similitudo pretiosi sanguinis scribitur, alibi vero figura corporis et sanguinis ponitur; quibus, ut dictum est, perversi quique in suo fortius errore implicantur, dum non auctoris sensum in eis per consequentiam dictorum perquirunt, sed ex nudis potius verbis suam in qua detriti sunt insipientiam astruere contendunt, exque tanti doctoris nomine auctoritatem sibi comparare, ac per hoc hæresim,

C in qua languent, contra catholicos nituntur defendere. Quod nullatenus procedet, nec ut volunt continget, sed potius res quæ in quæstionem venit clarius elucescet, si prioribus posteriora consequenter collata fuerint, et ex præcedentibus subsequentium tenor verborum rite intellectus exstiterit; qui ita se habet: « Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video; sed similitudinem habet. Sicut enim similitudinem mortis per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen redemptionis operetur. » Ecce unde tota processit quæstionis inter insipientes dissensio, de quibus dici per Spiritum sanctum in Propheta clamat ratio: *Dixit insi-*

D *piens in corde suo: Non est Deus.* Insipiens profecto est, qui Christum divinitate, quantum in se est, exuit, dum eum mentitum fuisse, quod in Deum non cadit aliquo modo, asserere non metuit, qui similitudinem vel figuram tantum esse impie dogmatizare præsumit, quod ille vere carnem et vere sanguinem esse suum probatur aperte protestari; quod tale est ac si diceretur a talibus, et taliter, non sapientibus, sed desipientibus: *Non est Deus.*

XIV. *Non est Deus* ergo dicere, est veritati, quæ Christus est, contradicere, et aliter quam ipse de seipso docuit, perverse sentire, quod insipientis omnino probatur esse. Aut nunquis insipiens non aperte probatur, qui ipsi Deo pro simplicis servuli verbo

quomodocunque prolato renititur, et ejus planis ac simplicibus sententiis calumniatur? Dominus dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Comedite, et bibite.* Et hoc idem *in mei memoriam facite.* Isti dicunt, Ambrosius dicit: Sanguinem non video, sed similitudinem habet, videlicet ex verbis discipuli Magistro cœlesti injuriam contumaciter irrogantes; et cum scriptum sit: *Non est discipulus super magistrum*, auctoritatem Magistri discipuli prælatione, quantum in se est, demunt; unde non minus prælatum offendunt quam eum qui ipsum præferunt: in utroque rei, utrobique nihilominus condemnandi. At nos sic honoremus servum ut semper et in omnibus præferamus, ut oportet, Dominum nec Domini sententiam ex verbis discipuli, sed potius discipuli dicta ex Magistri metiamur doctrina, cui nimirum contraria sentire non potuit, si quidem discipulus veritatis fuit. Sed jam attentius considerandum quomodo vir tantus, qui in litem ab infidelibus vocatur, a suo auctore Domino nostro magistro veritatis non dissentiat, imo in omnibus concors existat. Qui paulo superius ait: « Didicisti ut panis corpus Christi fit, et vinum in calice mittitur, sed fit sanguis consecratione cœlesti. » Hic sane nihil est dissonantiæ, nihil prorsus quod discrepet a regula veritatis catholicæ, nihil omnino quod verbis Dominicæ repugnet sententiæ. Hæc verba potius Dominica quomodo accipienda sint, dicta declarant. Dominus enim ait: *Hoc est corpus meum;* Ambrosius qua ratione id valeat fieri lucidius exponit, dum mutatione panis ac vini Christi corpus et sanguinem cœlesti testatur benedictione effici; qui si hanc suam tam perspicuam de veritate Dominici corporis et sanguinis sententiam in eodem pene versiculo oblitus aliud sensit, et aliter docuit, jam non Domino, sed sibi ipsi contrarius existit; quod ridiculum est cogitare, nedum affirmare.

XV. Ergo videamus quod sequitur: « Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video, sed similitudinem habet. » Hic in primis attende quod personam cujuslibet affigurat idiotæ dicentis: Speciem sanguinis non video; cui dubitanti, nec rem ut est expendere digne valenti, respondet: « Sed similitudinem, inquiens, habet. » Ac si diceret: O pauper ingenio, o efficax sensu, vel sicut discipulis Dominus ait, infirmis adhuc et divina nondum sacramenta capere valentibus, O stulte et tarde corde ad credendum; miraris quod corpus audis; quod sanguinem audis, sed speciem, id est veritatem carnis et sanguinis quæ intus est, quia non credis, non cernis; quam si nimirum crederes, sine dubio videres. Crede ergo ut videas, nam credere jam corde est videre; quod dum differtur, dum ad intuendam tanti mysterii profunditatem acies mentis fidei beneficio mundanda et illustranda exspectatur; quod exterius patet, interim quia similitudinem habet, ne contemnas, ne in judicium damnationis merito incredulitatis incurras. Suscipe quod patet, ut postmodum pertingere merearis, mediante fide, ad id quod intrinsecus latet. Sed similitudinem habet, intus veritas carnis et sanguinis est ex pane et vino cœlesti opificio mutatis: foris similitudo, ne horror valeat accedentem confundere ostensi cruoris. Sed similitudinem habet, inquit, ubi non ipsam quam prius testatus est veritatem denegat, sed quod aliud in veritate sit, aliter oculis videatur profecto declarat; similitudo igitur exterior, veritati non præjudicat interiori. Similitudo hæc non differt veritatem, sed præparat fidem, informat credulitatem; non minuit beneficium, sed cumulat meritum; mysterium velat, non adimit gratiam, fovet devotionem ac nutrit, rationem piam non impedit, temeritatem arcet, negotium salutis exercet; hæc similitudo attrahit te ac retinet, ut veritas te recreet ac provehat. Proinde ergo venerare et honora hanc similitudinem quam divina prætendit dispensatio, ut dignus quandoque fias qui veritatis quæ reposita est non frauderis beneficio, quia Mediatoris quodam modo vice fungitur, ut amoveat horrorem, gratiam largiatur. Hinc profecto subjungitur: « Sicut enim mortis similitudinem per baptismum suscepisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen redemptionis operetur. » Hic etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibi declarat, ut cruoris tantum horror procul absistat, sicut mortis similitudo suscipitur in baptisma, cum baptismum verum sit et efficax sacramentum, ut vitia obruat, vitæ sanctitatem conferat; aliquin si verum non esset, qualiter tantum boni deferret? Et tamen mortis similitudo dicitur, cum tamen, ut præmissum est, vere peccatis afferat interitum, virtutibus ortum præbeat et ministret incrementum. Sic quoque non immerito pretiosi sanguinis hauritur similitudo, ut cruoris auferatur penitus horror, et tamen sicut verus est sanguis, ita vere pretium operatur redemptionis. Unde jam de similitudine superducta, ob certæ rei gratiam, disputare præfatus doctor desinit, atque de veritate naturali, quæ Dominico inest sacramento, de qua etiam, ut superius patet, tanta dixerat, consuete disserit. « Didicisti, inquit, quia quod accipis corpus Christi est. » Corpus, ait, est quod accipis in veritate, cui similitudo militat dispensatione. Corpus ut redemptionem pretio operetur; similitudo, ut horroris tædium probellatur, et devotionis sinceritas exerceatur, ut, dum quod non videt, credit, dignius assequatur quod pollicetur operta majestas mysterii. Sequitur: « Vis scire quam verbis cœlestibus consecretur? accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. » Quod figuram dicit sic accipe: quia cum hoc dicit sacerdos et agit, ipsum Dominum figurat sua sacramenta tractantem et consecrantem, et ea ipsa pariter quæ sacrabat corporis sui et sanguinis mysteria præferentem: « Quod est, inquit, figura corporis et

sanguinis. » Figura dicitur, eo quod jam præsentetur simplex panis et vini substantia unde verbis potentibus cœlestia effici debeant sacramenta, ut sacerdotis oratio docet, et indicat : « Fac nobis inquiens, hanc oblationem ratam. » Videlicet ut suam naturam excellat; « rationabilem, » ut tibi placeat; « acceptabilem, » ut nobis proficiat; vel « ratam, » ut a figura transformetur in veritatem : « rationabilem, » ut nostræ tibi commendet devotionis servitutem; « acceptabilem, ut sufficiat ad impetrandam cœlitus propitiationem : « Qui pridie, inquit, quam pateretur accepit panem in manibus suis sanctis, respexit ad cœlum, ad te, Pater sancte, omnipotens æterne Deus gratias agens benedixit, fregit fractumque apostolis et discipulis suis tradidit, dicens : *Accipite, et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur*. Similiter et calicem postquam cœnatum est, dicens : *Accipite, et bibite, hic est* [al., *enim*] *sanguis meus.* Vide, illc verba omnia sunt evangelistæ usque *accipite*, sive corpus sive sanguinem. Inde verba sunt Christi. Vide singula verba : « Qui pridie inquit, quam pateretur, accepit panem. » Antequam consecretur panis est ubi autem verba Christi accesserint corpus est Christi. Denique audi dicentem : *Accipite, et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi in adversa convertere. Denique [*al.*, deinde] ipse Dominus Jesus testificatus est nobis quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare ? » Hic beatus Ambrosius de fide et testificatione Christi hæsitantes manifeste redarguit, verumque Christi corpus, verum ejus sanguinem, panem et vinum post verba Christi aperta confessione, asserit, mutatis videlicet naturis potentia dominici sermonis. Quapropter jam perspicuum et evidens est quare superius similitudinem habere sanguinis, non speciem videri dixerit. « Hæc, ait similitudo sola est sanguinis, non sanguis; sed similitudinem, inquit, habet, » cujus non videri dixerat speciem; quod si dixisset, spem sibi salutis pretiumque funditus redemptionis ademisset; ideoque Christo Jesu ac suis quæ ante præmiserat verbis, et post subdiderat; contrarius omnino probaretur esse. Cum ergo dixit speciem non videri, sed habere similitudinem, sanguinem revera nullatenus esse negavit, ad quem species, vel similitudo videntur referri, et aliud ei tribuere, vel negare sui diminutione; nam licet non videatur in sua specie, licet aliquam videatur quam prætendit similitudinem habere, non nihil tamen potest esse. Nam et verus sanguis est, vero de corpore Dei et hominis Jesu Christi. Nec alius quam qui de Virginis carne exortum accepit, et in pretium fusus est mundi, sicut post pauca declarat præfatus doctor ubi ait : « Ubi verba Christi accesserint, ibi sanguis efficitur qui

A plebem redemit. « Nota diligenter singula, et vim verborum pondera. Verba, inquit, Christi operantur, « sanguis efficitur qui plebem redemit, » quia nimirum non alius est qui efficitur, quam qui redemit sanguis. Idem igitur ille fusus, et iste sacratus unus est Christi sanguis verus, licet figura, juxta aliquid dicatur; non tamen sicut manna, quod corpus Christi non erat, sed signabat : propter quod et umbra vocatur, cum substantialiter manna tantum fuisse probatur. Unde Augustinus : «Sed manna umbra erat; ista veritas est : *Panis quem ego dedero, caro mea est; hic est panis de cœlo descendens.* Mira plane res ! panis descendit de cœlo, panis quoque est caro, ergo caro de cœlo ; itane est? Ita plane, sic enim scriptum est : *Qui descendit de*

B *cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Videsne quanta sit unitas Dominicæ personæ quantaque veritas utriusque naturæ in Dominico homine? In cœlo caro, Verbum in terra, imo Verbum et caro in cœlo et in terra, quia nimirum una Dei et hominis est Christi Jesu persona ; hic autem est panis vivus ex simila nostræ humanitatis, et divinitatis rore confectus ; sicut enim granum frumenti volubili tritum mola respergitur aqua, ut panis fiat, ita illud frumenti granum per dispensatoriam mortem in terram deciduum, ut multum afferret fructum stillicidio irroratur divinitatis, ut sit jam non duo, sed unus panis, atque ita figura Dei, et figura carnis, una sit figura sacramentarii panis, non futilis sed plena veritatis. Quem illa mulier evangelica tribus farinæ satis occuluit, quod sufficienter fer-

C mentatus fieret accommodus usibus humanis. Hoc igitur spiritualiter pane digneque prægustato, ita merebimur concorporari Christo ut ipse in nobis, et nos simus in ipso, fietque ex compluribus non plures, sed unus panis, per consummatæ videlicet sacramentum unitatis in ipso et in nobis. Unde Apostolus ait : *Itaque unus panis, unum corpus multi sumus.* Ingens igitur dependendus est labor, orationisque usus frequentior, colenda animi puritas, sectanda præ omnibus charitatis unitas, ac sic frequentanda tantæ gratiæ veritas ; quotidianus enim hic panis nuncupatur, cum in Oratione Dominica dicitur ; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* » Hic Pater Augustinus talia prosequitur ; « Si quotidianus, inquiens, est panis, cur post annum illum sumis quemadmodum Græci in Orienti facere con-

D sueverunt ? Accipe quotidie quod quotidie prosit, sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus pro filiis offerebat sacrificium ? ne forte aliquid vel in corde peccassent. Ergo tu audis quod quotiescunque hoc sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur et remissio peccatorum; et panem istum vitæ æternæ quotidie non assumis? Qui vulnus habet medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus ; medicina est cœleste et venerabile sacramentum. » Hæc sunt pretiosa sancti Augustini

dicta contra eos præcipue qui post novem annos semel communicant; et cum infidelitatis arguuntur, humilitatem mentiuntur, qui si humilitatis gratia a sacramento sancto sese suspenderent, nequaquam perversa sentiendo, et in luto nuperæ hæreseos impudenter hæsitando contra idem sacramentum procaciter disputarent. At nos, quibus alia sententia est, si munditia cordis cum innocentia operis consentit, divinis frequenter participemur mysteriis. Si vero capitalia premunt crimina sanctis, non ut in peccatis perseveremus, abstineamus; sed ne super impia temeritate damnemur, si impudenter mortalibus attaminati vitiis ad ipsa nos præsumenda immergamus. Ergo ad tempus abstinendum est ita a sanctis, sed pœnitentia ocius adhibenda, ut cessando a malis, dignaque satisfactione vitam mundando a peccatis, satagamus amissam reparando gratiam sacramentorum communione digni quandoque inveniri. Qui autem ab his criminibus vel vitæ innocentia immunis est, vel digna post lapsum pœnitentia subsequente indemptus effectus est sic frequenter atque cum humilitate communicet, ut et infirmitatem suam diligenter consideret et a minimis, opitulante Deo, peccatis abstinere de cætero festinet, deque Dei misericordia nullatenus desperet, qui ut quotidianis lapsibus nostris quotidianum procuraret remedium, cœleste hoc novumque non annuatim, sed diatim agendum, remotis veteribus, instituit sacrificium quo crebrius pasti ac subinde refecti innovemur, fideique gratia illustremur, quemadmodum ait Pater Augustinus : « Accesserunt Judæi ad Christum ut crucifigerent : nos accedamus ut corpus ejus accipiamus et sanguinem. Illi de crucifixo contenebrati sunt : nos manducando et bibendo Crucifixum, illuminamur. » Ecce hic nulla scribitur figura, sed aperte manducari Crucifixus atque bibi perhibetur. Alibi quoque ait : « In sacramento credentes biberunt sanguinem quem fuderunt sævientes. » Hic quoque nullum similitudinis offenditur nubilum, sed eumdem in sacramento dicti sunt bibisse sanguinem, credentes, quem sævientes fuderunt. Et in libro Confessionum : « Ille, inquit tuus unicus redemit me sanguine suo; non calumnientur mihi superbi, quoniam cogito pretium meum et manduco, et bibo, et erogo et pauper cupio saturari ex eo. » Ecce Augustinus Christum cogitat pretium suum, eumque se manducare dicit, quia cibus est, et bibere, quia potus est, utpote caro et sanguis, et erogare, episcopus enim erat, et pauperem cupere ex eo saturari, quia humilis nesciebat fastidium divini sacramenti.

XVI. Hæc igitur fideliter et cum fidelibus credamus, ut manducando Crucifixum et bibendo cum illis veraciter illuminemur, ne per infidelitatem cum impiis obtenebremur; qui, videlicet infideles, tametsi vocem Christi quæ carnem suam dixit comedendam bibendumque sanguinem nequiverint ferre, quia noluerunt reverenter credere, tamen Christus Deus **A** quia voluit, potuit absque dubio quod dixit implere, carnemque suam nobis in escam et potum præbere; quod quamvis ratione videatur minus compertum, fide tamen constat omnino perspicuum. Quemadmodum enim credimus Verbum carnem factum, et indubitanter tenemus, sed qualiter sit nulla ratione novimus : ita et in Dominico sacramento panem, qui cernitur, nihil aliud quam Christi carnem, quæ percipitur, intelligimus, tametsi hoc capere vel disserere nequeamus. Hoc autem credimus, quoniam ipsa eadem divinæ virtutis efficacia quæ Dominicæ incarnationis exstitit creatrix, hujus quoque cœlestis sacramenti semper sit efficax, potensque operatrix. His igitur propter perfidorum insolentiam, paucis quidem pro rei magnitudine **B** minusque accuratis pro majestatis dignitate, sed libratis rata veritatis æquitate, prælibatis potius quam peroratis, quorumdam temeritatem compescere, atque habenis modestiæ temperare dignum duxi, ut immoderatius divini sacramenti altitudinem perscrutari nequaquam præsumant, ne offensam sub obtentu pietatis incurrant, quibus sufficere debet pura fidei simplicitas, et ab inquis tradita et ab eorum successoribus ad nos usque transmissa; nec humana in divinis est sectanda loquacitas, unde est illa beati Hilarii sententia : « Non est inquit, humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, nec per violentiam, atque imprudentem prædicationem, cœlestium dictorum sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. » Hæc illos proprie sententia respicit qui humano **C** sensu cælestibus dictis violentiam inferunt exortæ impietatis, dum divinum sacramentum nota depravant turpitudinis.

PARS SEXTA

XVII. Sunt autem multa in Scripturis, quæ si vehementius exaggerata fuerint, non opem salutis, sed errorem inferant perditionis, nec acuant intellectum, sed mentis confundant intuitum ; in quibus quicunque modum reservarunt, in Ecclesia catholica persliterunt; qui vero pereffluxerunt obturatoque insipienti corde in cogitationibus evanuerunt, in multiplices falsitatis phantasias devoluti sunt, hæresiarchesque effecti, schismata et concisiones operati sunt. Cum ergo, ut dictum est innumera sint Scripturæ sacræ mysteria, quæ revereri magis **D** mortales quam scrutari oporteat, pauca hic ad evidentiam rei subtexam, ex quibus est illa de vocatione gentium, Judæorumque repulsione districta divinitatis censura in quam cum Paulus apostolus opportunitate disputationis impegisset, nec se explanandæ neque nos eis capiendæ sufficere pervidisset, in admirationem divini secreti repente erumpens : *O*, inquit, *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Sed et illud de animarum origine, de qua multiplex apud mundi philosophos fuit disputatio, inter nostræ religionis probatissimos duplex est agitata ratiocinatio. Cujus

altera quidem pars ad reddendam quæstionum solutionem paratior, altera vero est ad fidei integritatem propensior. Sed ea nimirum evicit quæ ad veritatem præponderavit. Ita quoque et hoc cœleste sacramentum credendum est potius quam discutiendum. Satius est enim aliquid dissimulanter ignorare quam quid inhoneste de re tanta diffinire, quia in altero præsumptionis est periculum, in altero sobrietatis catholicæ negotium. Unde beatus Gregorius ait: « Quod ex agno remanet igne comburimus, quando hoc quod de mysterio ejus penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus, ut non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cum Spiritui sancto reservat. » Ergo quod ipsa per se Veritas de suo sancto corpore et sanguine definivit, credamus, quoque, ut crederetur, per Scripturas divinitus inspiratas dignata est revelare, profiteamur. Ab his nulla recenter emergente opinione evellamur; pro his quoque defendendis quidquid est rerum, quidquid virium sed et sanguinem ipsum, si ita res exigit, impendamus. Caro enim vera est, verusque sanguis Christi sacra confectio panis et vini, quæ per mysterium passionem ipsius repræsentat Unigeniti, proque sumentium meritis, vitæ fit stipendium, sive judicii causa singulis. Quod si his altius quid pro perversitate ebullientium hæreticorum refellenda depromere necesse sit, idipsum quoque modum probabilis non excedat rationis, nec gratia destituatur plenissimæ honestatis, nam ad omne redundat præstigium impietatis aliquod ubi suspicari vestigium turpitudinis, ubi consistit forma disciplinæ cœlestis, decusque totius sanctitatis. His itaque quæ dicta sunt pro modo exortæ quæstionis, et sufficere credo his, quibus veritas placet, non prolixitas orationis; copiosa divinorum testimoniorum ex Patrum dictis excerpta adnectere exempla proposui, quibus fideles quique plenius informati suam tueantur credulitatem, et perfidorum securius subsannent impietatem et objectas acrius propellant quæstiones.

XVIII. Augustinus ergo ait in libro Psalmorum: « Ferebatur in manibus suis: hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine quis intelliget? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans ipsum corpus suum, ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebatur illud corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini nostri Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. » Et post pauca ait: « Accesserunt enim ad illum Judæi ut crucifigerent: nos ad eum accedamus ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de Crucifixo contenebrati sunt: nos manducando et bibendo illuminamur. » Alibi dicit: « *Qui manducat meam carnem et* A *bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo;* quomodo intellecturi sumus hoc? Nunquid etiam illos poterimus hic accipere de quibus dicit Apostolus quod judicium sibi manducant et bibunt, cum ipsam carnem manducent, et ipsum sanguinem bibant? Nunquid Judas, Magistri venditor et traditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum sacramentum carnis et sanguinis ejus cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas evangelista declarat, manducaret et biberet, mansit in Cristo, aut Christus in eo? » Item Augustinus: « Hoc totum quod Dominus de carne et sanguine suo locutus est, et quod hinc voluit intelligi manducatores et potatores carnis et sanguinis sui; hoc ergo totum ad hoc nobis valeat ut carnem et sanguinem Christi non B edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, et non scandalizemur etiamsi multi modo nobiscum manducent et bibant temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine tormenta. » Item supra: « *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* De cœlo descendit et manna; sed manna umbra erat, ista veritas est: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? vocatur caro quod non capit caro, et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro: hoc enim exhorruerunt, hoc non posse fieri putaverunt. » Et paulo superius: « Nunquid non morimur, fratres, qui manducamus panem de C cœlo descendentem? sic sunt illi mortui quemadmodum nos sumus morituri. Nam temporaliter et hi profecto morientur qui Christum manducant, sed vivent in æternum, quia Christus est vita æterna. » In eodem: « *Caro non prodest quidquam,* sicut illi intellexerunt, non sicut ego do ad manducandum carnem meam. » Item: « Vitam habes æternam in ministratione corporis et sanguinis tui; et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus filius Dei vivi, id est quia ipse vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es. » Hic stercorianistæ audiant quid tantus doctor dicat: « Non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es. » Vita æterna ipse es, et vitam æternam, quod es, das; non stercora, quod non es, in carne et sanguine, D qui ex te est. Item Augustinus: « Locutus est nobis Dominus de corpore et sanguine suo, quorum corpus dixit escam, et sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. Cum ergo commendans talem escam et talem potum, diceret: *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*: et hoc diceret de Vita, quis alius quam ipsa vita? erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam. Scandalizati sunt autem discipuli ejus, non quidem omnes, sed plurimi. Quibus respondit Dominus: *Hoc vos scandalizat?* putatis quia de corpore hoc quod videtis partes facturus sim, et membra mea conscissurus,

et vobis daturus? *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* A Quid sibi vult hoc? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore et sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem, et tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem. » Item Augustinus : « Ille tuus unicus redemit me sanguine suo, et cogito pretium meum et manduco, et bibo. » Alibi : « Recte ergo sub ara martyres collocantur, quia super aram Christus imponitur, recte sub altario justorum membra requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur; nec immerito illic justi vindicta sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. »

XIX. Sanctus quoque Cyrillus cum CC. apud Ephesum congregatis : Annuntiantes, inquit, se- B cundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est Jesu Christi, et resurrectionem ejus et in cœlos ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti; non ut communem carnem participantes, quod absit! nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti, secundum dignitatem unitatis, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam. » Et beatus Ambrosius : « *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ sacramenta cognoscis, divinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum : *Spiritus carnem et ossa* C *non habet.* Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quæ per sanctæ orationis mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem Domini annuntiamus. » Huc usque beatus Ambrosius, in cujus verbis considerandum est quod ait sacramenta, id est panem et vinum, quæ a *sacrando* ita dici patet, per sanctæ orationis mysterium in carnem transfigurari et sanguinem, quia profecto, ut supra ait Augustinus : « Post verba sacræ orationis non jam panis et vinum, ut pote in aliud cœlesti virtute translata, sed caro et sanguis Christi creduntur, per quæ mortem ejus annuntiamus. » Hinc etiam Eusebius Emissenus : « Recedat, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam et testis est veritatis. Nam D invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo, secreta potestate convertit ita dicens : *Accipite et edite; hoc est corpus meum*, et sanctificatione repetita : *Accipite et bibite; hic est sanguis meus.* Ergo ad nutum præcipientis repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum; et pari potentia in spiritualibus sacramentis verbis præcipit virtus, et rei servit effectus. » Et post pauca : « Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ et præsentia majestatis in Dominici corporis et sanguinis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. » Et beatus Gregorius: « Debemus, inquit, præsens sæculum, vel quia conspicimus defluxisse, tota mente contemnere et quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter [*al.*, singularis] victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium repræsentat; qui licet surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur; ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis, non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. » In dialogo quoque Basilii atque Joannis ita legitur : « Qui sursum sedet in dextera Patris, sacrificii tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, et eum veneratione complecti. » Sed et doctor Leo : « Tunc, ait, sacrificii munda est oblatio, et misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quid operentur intelligunt, nam dicente Domino : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis *amen* respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur. » Beda nihilominus : « Quotidie, ait, Christus tollit peccata mundi lavatque nos a peccatis nostris in sanguine suo; cum ejusdem beatæ passionis memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur; sicque corpus et sanguis illius non inter infidelium manus ad perniciem ipsorum occiditur, et funditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. » Paschasius vero : « Ergo cum Dominus ait : *Hoc est corpus meum; et hic est sanguis meus*, non aliam puto insinuasse carnem quam propriam, et quæ nata est de Maria Virgine, et pependit in crucem; neque sanguinem alium quam qui fusus est ex latere, et tunc erat in proprio corpore. » Amalarius etiam in libro Officiorum ; « In pane, inquit, commendavit Christus corpus suum, et in calice sanguinem suum dicens: *Comedite, et bibite; hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hic credimus naturam simplicem panis et vini verti in naturam rationabilem, scilicet corporis et sanguinis Domini. Mira ergo et magna est sanctæ Ecclesiæ fides, quæ spiritualibus videt oculis quod mortalibus deest. Credit sacrificium præsens per angelorum manus deferri, et sentit mandendum esse humano ore. Credit quoque corpus et sanguinem Domini esse, eoque morsu repleri sumentium animas benedictione cœlesti. » Ubi notandum quod priorum Patrum secutus auctoritatem dicit simplicem panis et vini naturam in rationa-

bilem Dominici corporis et sanguinis demutari naturam; quod enim in aliud vertitur, aliud procul dubio quam fuerat, repente habetur; proinde panis et vinum quæ deferuntur ad altare, verbisque consecrantur divini sacerdotis ore, et si videantur in priori qua deferuntur specie, Christi tamen substantialiter corpus et sanguis creduntur esse non aliqua phantasmatis vacua imagine, sed quemadmodum beatus Ambrosius, et sanctus Gregorius atque Eusebius, sanctusque Beda suis scriptis tradidere, rerum temporalium in vivificam carnis et sanguinis veramque naturam cœlitus mutatione; cujus perceptio, quæ fit humano ore, cum interiori sensu mediante fide, animas sinceriter accipientium et corpora cœlesti venustat benedictione. Sed hæc nonnisi a sapienter fidelibus valet ad liquidum capi, quibus id Deus per Spiritum sanctum suum, sine quo nemo potest dicere, *Dominus Jesu*, dignanter revelavit, gloriam quoque Deo fideliter dantibus, ac firmiter credentibus, quia quodcunque voluerit potest operari fidelis ipse in omnibus verbis suis, qui ut scriptum est: Facit magna, et inscrutabilia; quæ si non valent ad plenum comprehendi; debent tamen sine aliquo mentis scrupulo credi ad integrum.

XX. Licet igitur hæc sufficere crediderim, quæ de antiquorum Patrum dictis excerpta hic congerere curavi, adhuc tamen quid Fulbertus Carnotensis episcopus, nostri temporis sagax et acer philosophus, sed fide, vita, moribusque discipulorum Christi discipulus, hac de re senserit et scripserit adnotatum ire non ingratum duximus. Ait enim inter cætera: « Quia corpus suum quod semel pro nobis Christus offerebat in pretium, paulo post a nostris visibus sublaturus erat in cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis et sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit; non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus [*al.*, Christi]. Verum, quod quotidiana veneratione, sub visibilis creaturæ forma, invisibiliter virtus secreta in aeris solemnibus operatur. » Post pauca: « Quid autem indignum Deo judicari potest, qui uterum Virginis subiit; si virginibus creaturis infunditur? [*al.*, quæ] et licet simplicis naturæ paulo ante præferant imaginem, postmodum cœlestis Verbi sanctificatione inspiratis majestas vera diffunditur, et quod substantia panis et vini parebat exterius, jam corpus Christi et sanguis sit interius. Gusta itaque, et sume panem, vitæ interioris alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta, inquam, cœlestis ferculi suavitatem, sed ne nauses dispensatorium germinis terreni saporem. » Et paulo post: « Dubitari autem nefas est, si terrena materies naturæ et generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur: et si creaturas, quas de nihilo facere Deus potuit, has ipsas valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, et in sui corporis substantiam transfundere. » Ecce quid supradictus vir, secutus per omnia Patres antiquos, dixerit. Hæc quoque sunt Joannis Chrysostomi de re eadem sensa: « Præsens Judas erat, Christo dicente: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*. Dic, Juda, quem triginta denariis vendidisti? Iste est sanguis, de quo cum Pharisæis pacta fecisti. O Christi misericordia! O Judæ dementia! Ille cum triginta denariis paciscebatur ut venderet, et Christus ei sanguinem quem vendidit offerebat. » Et post nonnulla: « Nunc ille præsto est Christus, qui illam ornavit mensam; ipse quoque consecrat istam. Non enim homo est, qui proposita Christi corpus facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur, et gratia, *hoc est*, ait, *corpus meum*, hoc verbo proposita consecrantur; et sicut vox illa, quæ dicit: « Crescite, et multiplicamini, » semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem: ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. » Et post nonnulla: » Ad sanctum et terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcana, ubi occisus propositus est Christus: et cur occisus est? ut cœlestia pacificet. » Item post pauca: « Judæi Christum crucifixerunt, et tamen ille effusum sanguinem ad salutem eorum, qui effuderunt, larga pietate largitur. » Ad neophytos quoque ait: « Mortuo Jesu, et adhuc in cruce pendente approximat miles, lancea latus percussit, et exinde aqua fluxit et sanguis: unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ex latere igitur suo Christus ædificavit Ecclesiam, sicut de latere Adæ conjux Eva prolata est; et sicut in sopore quiescentis Adæ Deus lateris membra patefecit, sic modo post mortem aquam nobis donavit et sanguinem. Videte ergo quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est, atque nutrimentum; nam sicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fecunditate festinat, et Christus quos ipse regenerat suo sanguine semper enutrit. » Et alibi: « Mortuus est, inquit, Christus, ut tibi immortalitatem donaret. Esuriit, ut te sua carne satiaret. Sitivit, ut te sanguine proprio potaret. » Item: « Manducare voluisti, factus est tibi mensa. Bibere voluisti, factus est tibi poculum, sicut ipse ait: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.* » Et beatus Gregorius: « Quis, inquit, sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicisti. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste Agni sanguis est positus, quando sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. » Hæc igitur et superius annotata tantorum Patrum dicta diligentissime perpensa, omnem de tanto mysterio solvunt ambiguitatem, hæreticamque refellunt impietatem. Mirum autem

A vehementer, cum dominica per se sufficiant verba, quod alia extrinsecus quæramus ad fidei hujus firmitatem exempla; qui enim dicit : *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus;* et : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum;* et : *Panis quem ego dabo, caro mea est;* et : *Qui manducat me, ipse vivet propter me;* et : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* ; *Accipite et bibite. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur* , et cætera talia, nimirum hujus rei firmitatem facit, et omnem dubietatis errorem plenissime absolvit.

PARS SEPTIMA

XXI. Verum quia nonnulli sunt qui hæc fideliter pendere nolunt, ad exemplorum copiam redeundum esse decernimus. Ut qui forte rationi non credit, saltem auctoritate multorum opprimatur. Ait igitur Eusebius doctor : « Vere unica perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori effectu; unde merito cœlestis confirmat auctoritas, quia *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Itaque quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini; post verba autem Christi, corpus est et sanguis Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? imo minoris videtur miraculi esse, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare.. » Præterea Hincmarus præsul in illa mirabili descriptione quam verifice ad regem Carolum edidit, quamque ferculum Salomonis vocari instituit de veritate sancti sacramenti, cæteros secutus Patres, ita ait :

Agnus, lux mundi, proprio nos corpore pascens,
In nobis maneat; mansio nostra fiet.
Agnus, fons vitæ, proprio nos sanguine potans,
Semper more suo debriet atque regat.
Hic Deus omnipotens, per quem Pater omnia fecit ,
Naturas rerum mutat, ut ipse volet.
Hic cruce nostra creat propriis et munera verbis.
Fit caro, ac sanguis, pane liquore suus.
In cruce nam corpus fixum est;sanguis quoque fusus
Christi, quæ in cœna jam dedit ante suis.
Cum nos indigni hæc memoramus, jussa Redemptor
Emptorum pretium munera nostra facit.

XXII. Et in Epicolumniis ita ait : « Sacrificium corporis et sanguinis Christi Domini de pane et vino aqua misto, ineffabili sanctificatione, cruce, et verbis ipsius consecratur;et verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri Jesu Christi, et sanguis ejus verus ac proprius efficiuntur, sicut ipse protestatus est : *Hoc est corpus meum* ; *hic est sanguis meus.* » Competenter autem prædictus vir sententiam suam divina auctoritate studuit firmare; unde velut ex quodam fonte tota consistit forma veritatis, atque traditionis ecclesiasticæ, quæ uniformiter servatur ubique terrarum. Unde et Apostolus ait : *Tradidi vobis in primis, quod et accepi; quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit ; panem, et gratias agens benedixit, et fregit dicens : Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Perpende, quæso prudentiam accipientis, auctoritatemque considera tradentis; nihil namque eorum quæ acceperat immutavit, nihil novi, ut recentes schismatici, adnexuit, sed ea ipsa quæ acceperat, salva sensuum integritate ac verborum dignitate, ut veritatis discipulus contexuit, ubi nullam figuræ vel similitudinis mentionem interposuit, quia non quid significarent, sed quid essent Dominica sacramenta proposuerat intimatum ire male tractantibus ea Corinthiis. Quocirca non sua B sed Dominica verba ponere statuit, ut sibi pondus auctoritatis et tanto sacramento debitam compararet reverentiam de nomine Magistri dicentis : *Hoc est corpus meum.* Vere etenim hoc divinum sacramentum corpus est Dominicum, in quo vita manet perennis omnium. Unde Augustinus ait : « O sacramentum pietatis ! o signum unitatis! o vinculum charitatis ! qui vult vivere , habet ubi vivat, habet unde vivat; accedat, et credat; incorporetur, ut vivificetur. » Sed multa consideratione dignum est quod dicitur, « habet ubi vivat, » quia revera Christus inlocalis est, vitæ locus, in quo vivat Christianus; « habet unde vivat, » quia non aliunde quam ab ipso est vita; « accedat, » ergo fide non pe- C de, et « credat » corde, qui vult vivere; incorporetur » vero sacramentorum virtute, ut « vivificetur » charitatis veritate, ut per signum unitatis pertingat ad præmium incorruptionis, quod nemo aliter consequitur, nisi eo in quo consistit plena veritas sacramento pietatis. De cujus sinceritate Cassiodorus in psalmo centesimo nono prosequitur : « *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Cui enim potest veraciter aptari, nisi Domino salvatori, qui corpus et sanguinem suum in panis ac vini erogatione salutariter consecravit, sicut ipse ait : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*? Sed in ista carne, et sanguine, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, ne, sicut dicit Apostolus, *qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducet* ; sed vivificatri- D cem substantiam, atque salutarem et ipsius Verbi propriam factam, per quam peccatorum remissio et æternæ vitæ dona præstantur. » Bene autem dictum est, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat, » quia nimirum qui in Dominico aliquid sacramento cruentum seu corruptibile adhuc suspicatur, ex illis est qui idcirco refugerunt dicentes : *Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum*? cum *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, audirent: arbitrabantur quasi membratim essent divisuri, et morsibus corrosuri. Quod abhorrentes, a consectatu Christi se subtraxere, quia quod audiebant nullo

modo intellexere; tantique virtutem sacramenti, et vim dictorum non potuerunt penetrare. Ideo scandalizati dixerunt: *Durus est hic sermo;* quibus Augustinus eo loci ita dicit: « Putatis quia de hoc corpore quod videtis partes facturus sim, et membra mea conscissurus, et vobis daturus? Certe qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo de corpore et sanguine suo dedit nobis Dominus salubrem refectionem, et tam magnam breviter solvit de sua integritate quæstionem. » Bene plane dicitur « magnam solvit quæstionem, » sed illis qui non refugiunt veritatem atque Dominici venerantur et capiunt sacramenti virtutem; nam illi qui adhuc erronei dubitant, aliudque quam veritas habet sentientes, contra ipsam disputant, nodo tantæ quæstionis necdum soluti errant, quibus Dominus dicit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Vere enim nihil illi prodest, qui divinum hoc mysterium non vult intelligere ut oportet. Cæterum recte credenti, et digne percipienti per omnem modum prodest; unde Augustinus: « Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam?* an vita non prodest quidquam? Et propter quod sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quidquam? Caro non prodest quidquam; sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. » Quibus procul dubio similes moderni existunt hæretici, qui non dissimili errore possessi veritatem denegant Dominici sacramenti; illi ipsi repugnantes Veritati quæ dixit: *Hoc est corpus meum.* Qui dum aliud quod veritas habet sumi fingunt, ab ipsa penitus veritate extorres fiunt, et veram Dominicæ communionis, cujus fidem refugiunt, salutem amittunt. Nec immerito: cæcitatis namque suæ tenebris undique obvoluti, ideoque odibilis vitio obstinationis, quod proprie hæreticorum est, præoccupati, dum scientiæ singularitate sibi applaudunt, divinum Dominicorum dictorum lumen non attendunt, neque tantorum doctorum sententiis acquiescunt, quibus e diverso cum ipsi miserabiliter errant, erroris notam ascribere audent, in morem videlicet phreneticorum, qui violentia passionis cum per omnia desipiant, omnes ipsi insanire econtra putant. Quod si prudenter atque humiliter inter cæteras reliquorum doctorum sententias, hoc quoque quod prædictus vir Cassiodorus dicit, voluissent advertere, ad erroris sui probarent correctionem satis superque sufficere; ait namque: « Nihil cruentum, nihil corruptibile mens concipiat, sed vivificatricem substantiam, et ipsius Verbi propriam intelligat. » Substantiam, inquit, non umbram, et ipsius Verbi propriam, non figuram; quia revera in illo specie tenus pane vera probatur substantia carnis Dominicæ, et cum vera sit caro verusque sanguis nihil tamen corruptibile, nihil cruentum in tanto mysterio oportet credi, ne judicium sibi, non salutis percipiat, qui taliter forte sentit, non dijudicans salubriter corpus Domini, quod maximi genus est flagitii. Unde acerrimus disputator Augustinus in libro De doctrina Christiana dixisse invenitur ita: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Facinus, vel flagitium videtur jubere, sed infidelibus, qui quod dicebatur nolebant credere; qui, cum audirent: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, refugerunt, quia sacramentum quod divina parabat sapientia, sed interim differebat, non poterant ut pote carnales intelligere, sed possent nimirum cum Petro et cæteris apostolis qui perstiterunt fideliter, si vellent, credere, quousque cum illis glorificato Jesu et dato Spiritu confirmari mererentur in omni veritate. At quia in audiendo inconsiderati, in non præbendo Dominicis verbis fidem facti sunt indisciplinati, contigit illis non bene a bono Magistro recedere, in cujus discipulatu noluerunt firmam constantiam retinere, offensi verbo equidem duro, ut sibi videbatur, sed temperando post non multum simplici sacramento, quod jam, licet non manifeste, prædicabatur. » Veruntamen aliter his a consectatu Domini recedentibus facilius indulserim, qui adhuc carnales, carnalem hominem Christum Jesum Dominum cernentes, ad superna oculos cordis mysteria contuenda erigere necdum poterant, quam nostri temporis hominibus, in quibus per baptisma effusa est Spiritus sancti gratia, qui sacrosancta mensæ cœlestis mysteria divinis formata oraculis, sanctorum quoque doctorum declarata atque lucidius exposita doctrinis, apertis roborata ostentis miraculorum, nec vereri dignantur nec credere, sed potius, perversa dicendo, contradicere ac multa verborum turpium impietate, quia penitus nequeunt evertere, nituntur infamare; ac per hoc, ubicunque possunt, aliquam vel in verbis vel in sententiis majorum occasionem reperire, injustam non desinunt calumniam concinnare; sicut in hac sancti Augustini, quam proposuimus sententia noscuntur facere, quam idcirco gratius amplectuntur quam cætera illius de divino sacramento documenta, quia dicit: « Flagitium vel facinus videtur jubere. » Sed horum perfidia studiosius repudiata, quid memoratus doctor dixerit, vel quid in suis his dictis senserit, perscrutantes fideliter expendamus.

XXIII. « Facinus, inquit, vel flagitium videtur jubere. » Ubi in primis considerare placet quod dictum est, « videtur jubere, » non jubet. Videbatur namque intolerabile esse facinus, vel flagitium carnem hominis manducare, vel sanguinem bibere viventis, quod non jubebatur, sed in sacramento, quod jam prædicebatur. « Videtur, inquit, jubere, » non jubet: ubi Judæos tangit, et eorum sequaces erroris, qui grande flagitium in his Domini verbis esse arbitrati sunt; et ideo exhorruerunt et retro abierunt,

quia dictum ita acceperunt quasi dentibus voraturi essent Christum, sicut canes vivum atque cruentum cum comprehenderint vorant leporem aut cervum. Quod non procedit, neque ratio admittit. Facinus enim est et grande flagitium, hoc ita sapere, quod aliter est sentiendum. Videlicet ut caro Dominica ita putetur accipi, ut caro communis vel alicujus animalis, cum potius per sacramentum spiritualiter sumi credenda sit, et tamen non alia quam quæ passioni subjacuit, licet oblati species videatur panis; quod ita divina utique dispensatione procuratum esse oportet fideliter credi, ut fragilitas humana, quæ suis carnibus non consuevit vesci, ipso visu nihil hauriat quod horreat, et de cætero, nihilominus quam veritas habet, carnem Domini nostri Jesu Christi in sacramento percipiat, de quo Apostolus ait : *Etsi noveramus secundum carnem* Jesum Christum, *sed nunc jam non novimus*. Ubi veritatem assumptæ ex nobis non denegat naturæ, sed incorruptibilitatem significat in Deum [Deo] per resurrectionem glorificatæ substantiæ nostræ, quam sicut est incorruptibilis in Deo, ita nimirum sub visibili et usitata specie incorruptibilem sumimus in sacramento. Sed huic tanto sacramento percipientium conformandæ, coaptandæ sunt mentes, ut quod sumitur in mysterio, effectu proficiat interno, videlicet ut quisquis tantæ participat sanctitati, mortuus mundo et vitiis, in novitate vitæ de cætero studeat conversari. Ideo namque signum, vel figura ab eodem dicitur Augustino in supra memorato libro ubi ait : « Figura ergo [*al.*, est ergo], præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recolendum in misericordia [*al.*, recolendum in memoria] quod caro Christi pro nobis crucifixa et vulnerata sit. Passioni siquidem Christi communicat qui se crucifigit mundo et concupiscentiis, ut non quodcunque libet faciat : sed et utiliter recolit crucifixam et vulneratam pro nobis carnem Dominicam qui proximi necessitatibus benigne impendit misericordiam, apponendo et ipse pro fratribus animam suam. » Hoc profecto significare, cum talia diceret præfatus doctor, attenderat communionem Dominicam, quanquam secundum naturæ proprietam nihil aliud sit quod percipitur quam vera ac naturalis Christi carnis et sanguinis substantia. Proinde quoties in voluminibus beati Augustini Dominicum mysterium figura, vel signum, sive typus reperitur appellari, non debet inconsiderata temeritate accipi, sed diligenti opera cur ita nuncupetur ventilari, quia revera sibi ipsi tantus doctor contrarius esse nequit ; si enim ea quæ alibi dixerat, alias aliter sentiendo destrueret, prævaricatorem se proculdubio constitueret, ac per hoc nullus dictis ejus accommodare fidem deberet. Verum de errore dictorum ejus auferenda est omnis suspicio post ea quibus propria ipsius prospexit correctio ; et, diligens operosaque adhibenda intentio, ac locorum, in quibus videtur diversa posuisse, facienda discussio, ne alia accipiantur pro aliis, sed sua suis servetur dictorum proprietas quibusque locis. Nam ut cætera prætercam quæ de veritate Dominici corporis approbatur sensisse ac sanguinis, illud quod contra omnium hæreticorum argutias et versuta argumentorum jacula præcipuum sufficiensque decernitur, quodque in explanatione cujusdam psalmi edidisse cognoscitur inseram, unde luce clarius patet eum sacramento Dominico nihil inane et veritatis vacuum, nihil sensisse umbratile et fucatum ; quin potius designasse per omnia vere esse Christi corpus naturale, et sanguinem substantivum, qui fusus est in cruce, munera quæ consecrantur in altare licet nonnunquam videatur approbare innui nobis ipsa veritate aliquid, per quod eidem pressius informemur, et actius inhæreamus, opere faciendum. Ita namque ait (*in psal.* XCVIII) : « Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram ; rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit mihi psalmus : *Adorate scabellum pedum ejus*. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, et dicit nihil Scriptura : *Terra est scabellum pedum meorum*. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus : suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. » Et paulo post : « Cum dixisset : *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam*, scandalizati sunt discipuli ejus quidam, septuaginta ferme, et dixerunt : *Durus est hic sermo; quis potest illum intelligere? Et recesserunt ab eo, et amplius non cum eo ambulaverunt*. Durum illis visum est quod ait : *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam* : acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis ; dixerunt : *Durus est hic sermo*. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi : Non sine causa hoc dicit, *nisi*, quia est ibi aliquod sacramentum latens ; manerent cum illo lenes non duri, ut discerent ab illo, quod, illis discedentibus, qui remanserunt didicerunt. Nam cum remansissent duodecim discipuli, illis recedentibus, suggesserunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sint in sermone ejus, et recesserint. Ille autem instruxit illos, et ait illis : *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam : verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Spiritualiter intelligite quod locutus sum, nam hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri sanguinem, quem fusuri sunt illi qui me crucifigent. Sacramentum vobis aliquod commendavi, spiritualiter intellectum vos vivificabit, et si necesse illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. » Quid hoc apertius, hoc planius potuit dici? « Hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis,

et bibituri sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. » Hic nihil ambiguum est, nihil quod accipi valeat aliter quam corpus illud Domini quod videbatur comedendum, et sanguine qui fundendus erat bibendum. Hoc plane est quod ipse Dominus dixit: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic sanguis qui pro vobis effundetur. » Sed ad superiora redeamus: « Suscepit, inquit, Christus de terra terram, quia caro terra est, et ipsam nobis non aliam plane, sed ipsam quam suscepit de terra nobis carnem ad manducandum, et ad salutem dedit. » Ecce quod alibi certæ gratia rationis figuram dicit, et signum hic carnem Christi de terra sumptam aperte pronuntiat datam nobis ad manducandum, nec aliam sane quam quæ de Virgine nata est, quæque crucis suspendium perpessa est, quæ æthera transmisit, atque in paterna sede locata ad decus humanæ naturæ orbis imperium pro arbitrio disponit, divinæ per omnia consors majestatis; nulli ulterius obnoxia corruptioni, quæ eo sumentes se provehit, ut, devicta quandoque molestia naturæ mortalis, consortes et participes promereantur effici beatæ immortalitatis. In suæ igitur persistens integritatis incorruptione, nihil nostro vitio pati creditur corruptibile, licet visibili mysterio nostræ videatur officio servitutis non deesse. Veritas ergo credenda est in proprietate substantiæ, et sinceritas in ipsius sacramenti inæstimabili dignitate, ac sic vera caro verusque sanguis sentienda sunt sine qualibet corruptione, licet panis ac vini species dispensatorie reservata ministrorum devotioni famuletur temporaneæ, qua percepta, et ipsa in nos et nos ipsi mereamur in Christi membra transformari, per veritatem videlicet communicatæ utrinque naturæ, nostræ scilicet ac suæ, quam dignatus est ex nobis habere, ut illius nos efficiat participes, et modo utcunque, et hoc remoto, perfectius quandoque, in qua semper manet de Patre atque in Patre. Quanam autem ratione sanctus vir, qui carnem de terra Christum tam manifeste definivit assumpsisse, eamque nobis ad manducandum et ad salutem insinuat contulisse, contra suam sententiam potuit aliter alibi, quod absit! docere, et ex abrupto Dominicum sacramentum figuram duntaxat aut signum, nihilque aliud esse, imprudenter atque impie dogmatizare? Attamen Veritas ipsa, aliquid per mysterium nobis agendum notat. Unde Apostolus: *Quicunque manducatis hunc panem, mortem Domini annuntiatis.* Et Petrus: *Christus*, inquit, *passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

XXIV. Ecce signum, ecce figura quam tangit Augustinus, videlicet *ut sequamini vestigia ejus*, id est, ut qui creditis in eum fide, quem et sumitis in corpore suo ac sanguine, imitemini illum operum bonorum exsecutione et morum sinceritate: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Quicunque enim corpori

A Christi et sanguini qui per passionem fusus est, communicat, debet ei participare, et per sinceram in proximos benignitatem, et compatientis animi suavitatem. Hoc quippe est quod Augustinus ait: « Figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter, atque utiliter recolendum in memoria, quod caro Christi pro nobis crucifixa sit et vulnerata. » Ac si diceret: Veritas quidem est quod in sacramento percipitur, ac vera caro verusque sanguis quod sumitur; verumtamen ipsius veritatis indiculo, necne passionis Dominicæ quæ ibidem recolitur, exemplo commonetur omnium percipientium devotio, ut ad illius Agni per simplicis vitæ meritum contendat innocentiam, ac per compassionis fraternæ misericordiam, ejus suffe-

B rentiæ æmuletur vestigia, qui pro nobis nec opprobriorum contumelias, nec passionum refugit injurias, et omnibus tam credentibus quam incredulis singulare mortis suæ dignanter impendit remedium, ac vitæ procuravit beneficium. Quod ita se idem doctor nec aliter affirmat profecto sensisse in præcedenti, id est in secundo De doctrina Christiana libro liquidius, dum dicit inter cætera: « Nam odore unguenti Dominus quo perfusi sunt pedes ejus signum aliquod dedit, et sacramento corporis et sanguinis prægustato significavit quod voluit. » In quo loco simul posita licet advertas, odorem unguenti, quod et verum secundum gestorum fidem fuit, et tamen aliud juxta tropologiæ rationem significavit, et Dominici sacramenti prægustationem, id est, corporis et sanguinis Christi

C perceptionem, quæ nihilominus juxta integritatem rerum vera esse constat, et tamen a significationis gratia non vacant. Unde et alibi de sacramentis feria secunda Paschæ disputans ait: « *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnesque de uno pane* et de uno calice *participamus*, quia qui passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento corpus suum et sanguinem, quod etiam fecit et nos ipsos; nam et nos corpus ipsius facti sumus, sed per misericordiam ipsius. Non fuistis, et creati estis, ad arcam Dominicam deportati estis a laborantibus bonum, id est annuntiantibus Evangelium, triturati estis, cœpistis moli jejuniis et exorcismis; postea ad aquam venistis, et conspersi estis, et unum facti estis, accedente fervore Spi-

D ritus sancti cocti estis, et panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo videtis unum esse quod factum est, sic unum estote, et vos diligendo, vos tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando accipiunt hoc testimonium, contra se faciunt, quia illi quærunt divisionem, cum iste panis indicet unitatem. Sic et vinum ex multis racemis fluit, et modo in uno est, unum est in suavitate calicis post pressuras torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem et contritionem, jam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, et ubi vos estis in mensa, ubi vos estis in calice, nobiscum

estis. Simul enim hoc sumus, quia simul bibimus, quia simul vivimus. » Sic nimirum præfatus præsul, sic multis in locis, sic in hac sententia, sic etiam præmisso in capitulo Dominicum sacramentum non abrogata veritatis fide aliquid signare indicat. Sed dum scribendis libris operose insudat, minus se quibusdam in locis explicat, ac per hoc nonnullis minus eruditis, atque in sacris Scripturis apprime nequaquam elimatis, aut difficilis videtur, aut non recte intellectus, erroris seminarium fieri probatur. Cæterum si aliter quid intellexisse hac de re, et ab integritate tanti mysterii alienum probaretur dixisse, quod absit! ex diffinito proferendum erat, quod Apostolus ait: *Etiamsi angelus de cœlo annuntiaverit vobis præter quod accepistis, anathema sit.*

XXV. Porro ipse hac de re quid docuerit, quid senserit Apostolus, cui nec angelus de cœlo si contraria senserit suscipiendus sit, audiamus: *Calix* inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi?* Sed absit ut vir tantæ in Ecclesia Christi auctoritatis, de sacramento corporis et sanguinis Christi, aliter quam ipse Dominus tradidit vel ipse ejus Apostolus docuit sensisse putetur, qui tot ac talia sanæ fidei testimonia in diversis libris quibus nemo valet refragari, reliquisse invenitur, quæ ne dicam scribere, sed ne legere quidem quisquam occurrat! ex quibus est illud in libro quarto De sancta Trinitate: « Quis ergo tam justus et sanctus sacerdos quam unicus Dei Filius, non qui opus haberet per sacrificium sua peccata purgare, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab omnibus sumeretur quod pro eis offerretur quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grato offerri, et suscipi posset quam caro sacrificii nostri corpus effecta sacerdotis nostri, ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque Mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unum ipse esset qui offerebat? » Et in libro contra Faustum: « Habet magnum vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, *Amen.* Hæc est clara vox sanguinis quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. » Item « Quod post septem dies dimissa columba reversa non est, significat finem sæculi, quando erit requies sanctorum; non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu bibitur quod de Christi latere manavit, sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ cum traditur regnum Deo et Patri. » Item in primo libro De Symbolo. « Quantum nefas est occidere Christum! Judæi tamen eum occiderunt, et multi postea in eum crediderunt, et sanguinem ejus biberunt, et dimissum est illis peccatum quod commiserunt. » In secundo quoque: « Percussum est enim latus, et statim emanavit sanguis et aqua; aqua, in qua est sponsa purificata; sanguis, ex quo invenitur dotata. In isto sanguine sancti martyres stolas suas laverunt, et candidas eas fecerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, calicem acceperunt, biberunt eique propinaverunt, sanguinem namque ejus biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt. » In libro De quarta feria: « *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus.* Quid dicit, omnis homo, terra? quando accipit sanguinem Christi, *amen* dicit. Quid est amen? *verum est*: quid est, verum est? Quia fusus est sanguis Christi: quo faciente? discipulo tradente. *Amen* dicendo, verum clamando, dicit hoc: Omnis homo, terra. Ecce in Juda: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, probavimus quia ejus sanguine rigaris. Vide, terra quomodo accipias hunc sanguinem, quia quicunque accipit, accipit benedictionem. » Item in eodem: « Responde sicut respondit Cyprianus, Laurentius cæterique sancti qui, percipientes sanguinem Christi, pro sanguine quem biberunt sanguinem suum fundere non dubitaverunt. » Et post pauca: « Vide ne deseras mensam Sponsi tui, ut pulchra permaneas. Carnem ejus quotidie manducabis, et sanguinem potabis, et vitam æternam habebis. Mensa Sponsi tui panem habet integrum, et calicem sanctum. De isto pane, et de isto calice dicebat ipse: *Panis quem ego dedero, caro mea est*: calix quem sanctificavero, sanguis meus est. » In tertio libro De Symbolo: « Prostratus ad terram et effectus discipulus cœlestis Archiatri, antidotum confectum ex sanguine medici prior ipse bibit, et bibendum amatoribus propinavit. Hoc antidotum de sanguine crucifixi confectum etiam ipsi reges biberunt, et qui erant Ecclesiæ persecutores, ejus facti sunt defensores. » In libro De cataclysmo: « Comeditur enim Agnus per noctem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit, quod vesperum non habebit, jam non offeratur sacrificium imaginis Agni, sed ipsum Agnum, quem quotidie comedimus, et cujus sanguinem bibimus inveniamus illic sacerdotem perfectum, quem hic pro salute nostra constat occisum. » In Evangelio Joannis: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus et vita sunt.* « Spiritualiter intelligite quæ locutus sum, nam hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. » Nunquid hæc tanta, ac talia tamque perspicua sancti Augustini scripta non possunt nobis sufficere ad plenam eruditionem de veritate, quæ est in sacramentis Christi, et eidem ad evidentiam sinceræ fidei testimonium suffragari, qui licet figuram ob certæ rationis gratiam Dominicum dixerit sacramentum, nihil tamen aliud secundum veritatem quam veram carnem, quam verum sanguinem esse

vel senserit, vel sentiendum docuerit? Nam vide quid dixerit : « Hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, et sanguinem bibituri, quem fusuri sunt qui me crucifigent. « Quid apertius, quid lucidius dici potuit? Ideo ubi figuram dixit, non quid esset, sed quid significaret sacramentum Dominicum intendit.

XXVI Verum quia quidam perversi ex hac tanti doctoris sententia in erroris labyrinthum proruerunt, et alios post se pertinaciter inducere nisi sunt, sciendum est plerosque subtilia ejus dicta nequaquam intelligere. Quod eo præcipue comprobatur accidere, quia ea, non causa discendi, quæ ignorant legunt, sed ut ei potius in quo jampridem decepti languent errori patrocinium tanti viri comparent, aliisque laqueos deceptionis facilius innectant per ejus auctoritatem, quam perversitati suæ coaptant. Unde studiosius persuadendum monendumque videtur ut quicunque codices divinorum tractatorum offenderit ac legendos revolverit, cautius singula percurrat; et, ubi aliqua sibi obscuræ rei oborta fuerit difficultas, suæ tarditati, non doctoris imputet errori, ac proinde aut suo, si id processerit, studio quæ dicuntur elaboret intelligere; sin minus catholici magisterio doctoris maturet addiscere; aut certe, si assequi unde agitur nequiverit, reverenter discat honorare, ut pro hujusmodi humilitate, aut illud capiendi quod sibi arduum et difficile erat, aut aliam divinitus adipiscatur gratiam quam necdum habebat. Humilitas enim, sicut virtutum emolumenta quæ non erant acquirit, sic adepta ne amittantur agit. Proinde sane, cum in omnibus sit necessaria humilitas Christianæ religionis charismatibus, in hoc præsertim Dominicæ traditionis sacramento utilis et admodum opportuna comprobatur, in quo tanta divinæ virtutis refulget gratia, ut humilitate potius quam humana capiatur industria. De cujus magnitudine, terribili magisque reverenda quam discutienda, in Dialogo Joannis et Basilii valde competenter disputatum est inveniri; sic namque inter cætera reperitur scriptum : « Fuerunt quidem terribilia atque horribilia etiam ea quæ in Veteri Testamento ante gratiam gerebantur in lege, ut puta tintinnabula, malogranata, lapides in pectore ordinati, superhumerale, mitra, cydaris, vestimentum talare, lamina aurea, sancta sanctorum, intusque silentium et solitudo reverenda. Verum si quis ea quæ sunt in gratiæ ordinatione consideret, parva esse illa quæ præcesserunt terribilia judicabit, quodque de lege pronuntiatum est, etiam per hæc verum probabit, quoniam non sit glorificatum id quod glorificatum fuerat, propter excellentem claritatem. Nam, cum immolatum Dominum nostrum et incenso astantem videris sacerdotem, atque imprecantem, omnesque pariter pretioso illo imbui sanguine, adhuc te esse cum hominibus arbitraris, et non continuo animo translatus in cœlos, omnemque de mente sensum carnis excludens, nuda anima, sensuque mundissimo ea A quæ sunt in cœlestibus contueris? » Et item : « Hoc igitur ministerium ita reverendum, quæ despicere audebit insania? » Et paulo inferius : «Cum vero sacerdos Spiritum sanctum advocaverit, et reverendam illam immolaverit hostiam, communemque omnium Dominum subinde contigerit, ubi illum, dic mihi, nostra æstimatione ponemus? Tunc enim etiam angeli circumstant sacerdoti, et tribunal atque altaris locus cœlestibus virtutibus adimpletur in honorem ipsius qui immolatur, quod quidem ex ipsis etiam quæ aguntur, ostenditur. Ego autem audivi, referente aliquo, quoniam presbyter quidam vitæ sanctitate mirabilis, et qui revelationes soleret videre, retulisset illi tale spectaculum aliquando vidisse, id est sacrificii tempore conspexisse ange- B lorum multitudinem, sicut ei possibile erat intueri, stolis fulgentibus circumdantem, et altare coronantem, cum officio quo circa regem suum milites stare consueverunt. » Hæc autem illo exarata in libro ita se habent; in quibus quia revelatio divinitus ostensa continetur, alias, etiam diversis repertas in locis, narratum ire operæ pretium duximus; maximam enim legentibus utilitatem pollicentur.

PARS OCTAVA.

XXVII. Fuit namque matrona nobilis genere, moribus proba honestis, temporibus sancti papæ Gregorii, quæ aliquando, ut consueverat, oblationem ad altare detulit. Quam cum idem pontifex manibus suis consecrasset, ad horam communicandi ventum est. Cumque singuli pro ordinis sui dignitate Domi- C nicam communionem accepissent, inter cæteros præfatæ mulieri portio Dominici sacramenti manu ejusdem præsulis porrecta est, ipso dicente : *Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam*; ad hoc illa, recognita panis quem obtulerat particula, subrisit. Quamobrem pontifex commotus manum continuit, oblationem in ara reposuit, sermonem de re ad populum fecit, deinde preci cum fideli clero incubuit, surgens quoque a terra, panem illum, ut erat, carnem factum reperit, quam mulieri dubiæ, et cæteris ostendit. Quibus ea, reor, admodum in fide robori profuit.

XXVIII. His itaque succincte decursis, aliud nihilominus mirabile, non minus utile, dignum videtur si ad memoriam breviter litteris mandetur. Quidam presbyter electus, vita et moribus clarus, cum D divina sacramenta crebro ex devotione sacraret, præsumpta tamdem spe impetrandi tum de divina pietate, tum de merito sedulæ servitutis suæ inter agendum divina mysteria poposcit humiliter uti sibi res quam frequentabat divinitus revelaretur. Cui humi strato lacrymisque infuso angelus repente apparuit, ut surgeret actutum imperavit, et quod petierat obtinuisse innotuit. Ad cujus imperium illico surrexit, puerum ubi panem reliquerat sanctificatum certissime vidit, quem, o mira res! tremulis manibus accepit, pectori proprio pressius applicavit, et os ejus ori suo osculaturus flebilis pie admovit,

sicque diutius desiderio ardenti Christum cernendo, osculando et amplectendo satisfecit. Ad ultimum vero Dei Filium altari restituit, precibusque ut in pristinam redire formam dignaretur obtinuit, ac sic sacris ex more mysteriis participavit.

XXIX. Nequaquam vero prætereundum videtur quod beatus Hieronymus, cujus præcipua inter ecclesiasticos doctores auctoritas habetur, in libro quem Vitas Patrum nuncupari placuit, narrasse reperitur. Quidam seniorum magnus quidem vitæ merito, sed idiota, minusque in Scripturis eruditus de mysterio Dominico errabat; verum magis, ut dictum est, inscitia quam malitia. Quod cum aliis duobus Patribus innotuisset, et ipsis magna virtutum gratia et sapientiæ doctrina, ad eum ex condicto venire maturant; cumque de veritate Dominici corporis et sanguinis ei persuadere vellent, nequaquam acquievit, sed : Nisi rem videro, inquit, non credo vobis. Quo audito qui convenerant et sinceritatem rustico illi seni insinuabant, tridui jejunium secum eidem indicunt, ac super hoc negotio Dominum rogaturi conventum solvunt, Sed statuto tempore una conveniunt; deinde ad ecclesiam, ubi divina agebantur mysteria, contendunt, ibi rei quam conceperant mente præstolantur exitum. Quibus solis quæ agebantur collata est intuendi gratia, aperte videlicet intellectualium luminum acie revelata; et quando positi sunt panes in altare, visus est illis tantummodo tribus tanquam puerulus jacens super altare. Cumque extendisset presbyter manus ut frangeret panem, descendit angelus de cœlo, habens cultrum in manu et sacrificavit puerum illum, sanguinem vero ejus excipiebat in calice. Cum autem presbyter frangeret in parvis partibus panem, etiam angelus incidebat pueri membra in modicis partibus. Cum vero accessisset senex ut acciperet sanctam communionem, data est ipsi soli caro, sanguine cruentata, quod cum vidisset, pertimuit, et clamavit dicens : « Credo, Domine, quia panis qui in altare ponitur, corpus tuum est, et calix tuus est sanguis. » et statim facta est illa particula in manu ejus panis secundum mysterium: et sumpsit illud in ore agens gratias Deo. Tunc senes : « Deus, inquiunt, scit humanam naturam non posse humanis carnibus vesci, ideo proprietatem sui corporis et sanguinis, sub figura panis et vini, pia dispensatione latere voluit. »

XXX. Illud præterea, quod in libro De Vita sancti Basilii legitur, quia solvendo dubietatis modo plurimum opitulari credimus, narratiunculæ nostræ oportere inseri censuimus; quod ita se habere probatur. Hebræus quidam needum in Christo renatus, sed divinorum mysteriorum admodum curiosus, fideli populo latenter admistus ecclesiam aliquando subintravit, quæ ibi agerentur subtiliter exploraturus. Celebrante autem B. Basilio sancta sanctorum, cum ad horam distribuendi corpus Dominicum populo esset perventum, inter cæteros ad altare accessit, portionem de sacro mysterio carnem factam de manu ministri accepit. Cumque ad calicem sumpturus de eo venisset, eum quoque sanguine repletum vidisset, tanti miraculi stupore attonitus domum rediit, ignoranti quæ egerat et inspexerat uxori expedivit. Qua credente, die postera ad Basilium destinavit, acta visaque diligenter exposuit, sanctum baptisma prudenter virtutem Christiani nominis expendens sibi dari poposcit, et citius obtinuit. Si cui autem movet scrupulum acta res dubietatis, quod pagano imo Judæo portio Dominici corporis et sanguinis dicitur revelata necdum credenti, idque inficiatur potuisse fieri, perpendat alia Salvatoris longe fortiora insignia pietatis. Quomodo ignoranti mundo carne velatus apparuit, qualiter pro impiis et peccatoribus mori pertulit. Attendat etiam in Actibus apostolorum paganis et gentilibus Spiritus sancti gratiam præter spem indultam esse, animadvertetque nihil novi nihilque incredibile hac in re accidisse, quod aut veritatis excedat fidem, aut Salvatoris non deceat pietatem. De quo Scriptura continet : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, videlicet ut crucis suspendium mortisque supplicium pro redimendo mundo perferret. Qui de Judæis ortus, quibus ut repromissus fuerat a Patre, missus est, sicut ipse ait : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Non ergo mirum si suorum ille sacramentorum arcana retexit, corporisque sui ac sanguinis proprietatem revelavit pro quo se ex repromissione hæreditaria impendere redimendo voluit.

XXXI. Cujusdam quoque Judæi filius, cum inter Christianos pueros liberalium studiis litterarum exerceretur, quadam die ad basilicam gloriosæ et intemeratæ semperque virginis Mariæ, ubi missarum agebantur solemnia cum coævis sodalibus accessit, participationem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi ibi cum infantibus infans ipse accepit; sicque domum redit patris, cui, inter amplexus, oscula simpliciter quæ egerat retulit. Quibus auditis, pater impius, Christoque atque suis legibus inimicus, vehementer infremuit, pueroque minatus ait : Quia contra meam voluntatem egisti, ad ulciscendam violatæ legis nostræ injuriam, parricida jam nunc in te durus existam et crudelis. Quo dicto, apprehensum eum in fornacem propius ardentem injecit, sicque ligna ut vehementius exureretur adjecit. Interea mater hoc comperto, gemebunda quasi filium liberatura, ocius accurrit, sed præ vehementia flammarum nihil proficiens, dolore percita capitis velamen adjecit, sicque sparsis crinibus hac illacque discurrens, totam civitatem miseris plangoribus implevit. Ad cujus voces repente populus convenit, tantum facinus ex ordine didicit; unde ad fornacem indignatus accessit, flammas quantocius amovit, ac puerum qui inter flammas incolumis repertus est extraxit; patrem vero ejus tanti sceleris auctorem in easdem flammas deliberato simul consilio injecit, ubi divino judicio usque ad ossa combustus in momento disperiit. Requisitus autem puer

utrum illa flammarum incendia senserit, « mulier, inquit, quæ in illa basilica, ubi panem de mensa accepi, parvulum in sinu gestabat, pallio me suo, ne ignis ille devoraret, operuit. » Hic nimirum patenter datur intelligi quod non solum Filium Dei, sed et sanctam Genitricem ejus puer ille inter sacra mysteria inspexerit, cujus postmodum fretus præsidio flammarum incendia mortisque discrimen evasit. Qui utique innocentia et simplicitate puerili de tanta visione nihil confingere, neque mentiri potuit: cui rei satis evidens præstat testimonium, indultum sibi divinæ liberationis beneficium. Sed inter hæc diligenti studio perpendendum quod, sicut huic puero divinitus est revelatum, utrum corpus sit Filii Dei sacrosanctum quod de mensa percipitur altaris mysterium, sanctæ quoque Genitricis ejus nonnunquam adesse præsentiam suumque percipientibus B deferre patrocinium, quibus inter agendum simplicitatis et innocentiæ non defuerit meritum, quæ apud Deum singularem charæ familiaritatis obtinent locum, sicut ipse Salvator ait *Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum.* Unde et discipulos suos, quos puros et simplices elegerat, pueros vocat dicens per prophetam: *Ecce ego, et pueri mei quos mihi donavit Deus.* Et in Evangelio: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?*

PARS NONA.

XXXII. Verum quia multa, etsi imperito dicendi genere, salva tamen sensuum veritate et fidei integritate, dicta sunt de Dominici sacramenti veritate, libet paucis conscientiam nostram excusatum ire; meque hæc simplicibus et quibus sensus profunditas C vel librorum non suppetit copia simpliciter dictasse, fideliter intimare quod non ego solus videor præsumpsisse. Alii namque, idem nacti, occasionem venia dignam inveniuntur egisse, divino utique zelo compellente adversusque hostes perfidos Ecclesiæ multa conscripsisse, quorum maxima multitudo nostra tempestate Francorum occupaverat provincias, et veneno suæ perfidiæ circumpositas inficere moliebatur regiones et loca. Porro erroris hujus auctor videbatur, et caput quidam Berengarius, cui plures Francorum nonnulli quoque Northmannorum quos aut ipse docuerat aut in discendi studio aliquantisper juverat, plurimum favoris dependebant.

XXXIII. Is autem Dominicæ Incarnationis anno millesimo quinquagesimo tertio Northmannorum finibus irrepsit, et ad cœnobium quod Pratellis nun- D cupatur appulit, catholicoque viro, qui idem strenue regebat cœnobium, quo et honeste satis exceptus fuerat, multa blasphemus impie delatravit. Quod ipse quoque, eodem abbate, Ansfredo nomine, referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur, non multo post agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem abbate pertentatus, in multis perinde reprehensibilis et perfidus est repertus; qui inde digressus, Northmannorum principem festinus adiit, quem sua quoque irretire perfidia subtiliter

A attentavit. Verum ille, licet ætate adolescentiæ necdum excederet annos, tamen illum, quia catholicæ fidei merito præditus erat et gratia, callide suspendit, secumque quoad regni sui ad mediterraneam deveniret sedem, Briotnam [*al.*, Brionam] vocabulo detinuit ubi undique coactis catholicis ac sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum est, et res sequenti die ventilanda proposita. Cumque multi ex tota Northmannia sapientes, qui plurimi et clari habebantur, convenissent, præfatum hæresiarcham Berengarium cum alio quodam quem secum adduxerat clerico, in cujus eloquentia victoriæ sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt atque evidenti ratione superaverunt, quatenus eis silentium imponerent, verborumque, quibus fidem catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent. Berengarius autem, tandem non sine pudore evadens, Carnotum petiit, ubi positus de eadem quæstione se consulentibus (audita quippe jam longe lateque acta rés fuerat) clericis ejusdem urbis nulla respondit; cum vero sibi opportunitas daretur, se responsurum promisit. Unde non multo post litteras, quas et ipse legi, dictavit, in quibus multa absurda fideique catholicæ aliena anhelus declamavit, inter quæ Romanam Ecclesiam, caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotavit, cum qua rectorem ejus, dominum scilicet papam Leonem cujus fides catholica, spectabilis sapientia, laudabilis habebatur industria, quem non excepit, pariter infamavit, seque ad utrumque convincendum, dum respondere differret, interrogantibus intendisse retulit; tunc quippe instabat constituta dies concilii postmodum Vercellis habiti. Has itaque litteras puritatis, ut sibi videbatur, plenas, sed revera multa vanitate refertas, Carnotensibus. qui sibi quæstionem intentaverant, destinavit. Cum autem tanti mali fama crebresceret, et omnium corda fidelium vehementius percelleret, perque multos hujusmodi virus latenter et aperte jam serperet, contigit ut ad aures etiam regis Francorum Henrici perveniret. Qui consultu regni pontificum procerumque concilium Parisiis cogi decimo Kalendas Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut sua dicta Patrum auctoritate firmaret multis sibi obnitentibus, aut, si ea defendere nequiret, in catholicam, cui obviare non posset, fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtui Patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, frequensque conventus præsulum ac reliquorum sancti ordinis clericorum, necnon nobilium laicorum Parisiis factus est, sed jam dictus Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat, eo venire distulit, seque cum Brunone, suo videlicet episcopo Andegavensi; sub quo archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, et ipse noscebatur involvi. Interea præsul Aurelianensis quosdam apices in scheda haud prava digestos in conspectu omnium et regis (inter-

erat enim) protulit: « Et præcipiat, inquit, vestra sanctitas has litteras, a Berengario editas, si libet, recitari, quas ego quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cum eas cuidam suo familiari, nomine Paulo, per veredarium dirigeret, violenter rapui; » quibus susceptis et ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis præparantur. Sed inter legendum multum repente fit murmur, et per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit, damnato proinde communi sententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, tum codice Joannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur sumpta videbantur. Concilio soluto discessum est ea conditione, ut, nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis, cum [*forte*, in] ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubicunque A convenissent eo usque obsiderentur, donec aut consentirent catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi, non multo post in concilio super fidei suæ statu conventila se sicut Ecclesia tenet catholica credere fideliter et sapere publice professi sunt. Delatisque sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent atque de veritate fidei quam professi fuerant eos qui aderant certos facerent sacramentum dederunt. Sed omissa de talibus relatione, quos post hæc ad apostasiam et priorem vomitum audivimus redisse, libelli hujus tenorem, in quo fidei nostræ sinceritatem, juxta antiquorum Patrum auctoritatem, multis eorum exemplis adhibitis, ut potuimus, fideliter ostendimus tandem claudamus, Dominum omnipotentem totis B præcordiis glorificantes, cujus est donum et gratia, ut fideliter credamus et bene agamus, qui vivit et regnat in Trinitate unica et unitate perfecta per omnia sæcula sæculorum.

EPITAPHIUM AINARDI ABBATIS DIVENSIS,

Auctore DURANDO.

(ORDERIC. VITAL., *Hist eccles.* lib. IV, apud DUCHESNE, *Historiæ Northmannorum Scriptores*, pag. 545

Hic jacet Ainardus redolens ut pistica nardus
Virtutum multis floribus et meritis.
A quo fundatus locus est hic, ædificatus
Ingenti studio, nec modico pretio.
Vir fuit hic magnus, probitate suavis et agnus,
Vita conspicuus, dogmate præcipuus,
Sobrius et castus, prudens, simplex et honestus,
Pollens consilio, clarus in officio.
Mentis huic gravitas erat et maturior ætas,
C Canaque cæsaries, sed tenuis facies.
Quem nonus decimus Febuo promente Kalendas,
Abstulit ultima sors, et rapuit cita mors.
Pro quo qui transis supplex orare memor sis,
Ut sit ei saties alma Dei facies.

EPITAPHIUM MABILIÆ COMITISSÆ,

ROGERII DE MONTEGOMERICO UXORIS,

Auctore DURANDO.

(ORDERIC. VITAL., *Hist. eccles.* lib. V, ubi supra, p. 578.)

Alta clarentum de stirpe creata parentum
Hac tegitur tumba maxima Mabilia.
Hæc inter celebres famosa magis mulieres
Claruit in lato orbe sui merito.
Acrior ingenio, sensu vigil, impigra facto,
Utilis eloquio, provida consilio.
Exilis forma, sed grandis prorsus honestas,
D Dapsilis in sumptu, culta satis habitu.
Hæc scutum patriæ fuit, hæc munitio marchæ,
Vicinisque suis grata vel horribilis.
Sed quia mortales non omnia possumus omnes,
Hæc periit gladio, nocte perempta dolo.
Et quia nunc opus est defunctæ ferre juvamen,
Quisquis amicus adest subveniendo probet.

GUITMUNDUS

ARCHIEPISCOPUS AVERSANUS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, lib. VII, pag. 171).

Guitmundus, Guimundus, Guismundus, Wimundus, Witmundus (1), monachus primum Crucis Heltonis, S. Audoeni, sive S. Leufredi, ord. Bened. in Normannia, diœcesis Ebroicensis, an. 1070 arcessitus in Angliam, rogatusque ab Angliæ rege Guillelmo I, (2) inter duces Normanniæ Guillelmo II; ut in Anglia secum moraretur, et ecclesiasticum regimen reciperet, illud recusavit, reversusque in Neustriam sive Normanniam, defuncto (3) anno 1079 Joanni, Rothomagensi archipræsuli a rege et aliis designatus successor, (4) æmulis impedientibus archiepiscopatum non obtinuit, sed ab Odilone abbate suo licentia peregrinandi impetrata, a Gregorio VII exceptus benigne, et inter cardinales B R. E. delectus (5) postea etiam ab Urbano II, qui ann, 1088 cœpit papatum gerere, metropolitanus Aversanus creatus est in Apulia regni Napolitani, illamque Ecclesiam sibi commissam, teste Orderico (6) diu rexit, adeoque an. 1090 et ulterius adhuc superstes : unde constat falli eos qui diem aiunt obiisse an. 1080 (7) vel anno 1081. (8) Ex Urbani II ad eum epistola fragmentum exstat in parte secunda Decreti Gratiani, causa 24. quæst. 2. can. 3, ex qua ætatem Guidmundi jam observavit Latinus Latinius tomo I Bibl. sacro-profanæ, p. 81. Itaque aut duos oportet statuere Guidmundos, vel, Ordericum si audiamus, errare necesse est Anonymum Mellicensem, qui cap. 102 Guidmundum ait a Gregorio VII Aversæ episcopum factum esse. Parum etiam congruit cum Orderici relatione quod idem Mellicensis Guidmundum facit abbatem Sta- A bulensem, qui aufugiens, ne agnosceretur, nomen *Christiani* assumpserit, factusque pontifex Apulorum, contra Berengarium disseruerit invictissime. Vide si placet quæ supra in *Christiano Druthmaro* t. I, p. 375, seq. (*Patrologiæ* t. CVI *sub fin.*), ubi etiam de *libris* ejus *tribus contra Berengarium*, scriptis dialogi more, interlocutore Rogerio monacho. medicinæ artis perito, cujus rogatu hoc opus aggressus est, illique dedicavit. Scripsit hos libros, observante Mabillonio, dum adhuc in Neustria versaretur, Gregorio VII pontifice, adeoque post concilium Romanum (cujus meminit) habitum sub Nicolao II, an. 1059, et post Lanfrancum, quem B magistrum suum appellat : sed ante concilium Romanum an. 1078. Nemo ille accuratius, judice eodem Mabillonio, Berengarii (9) ejusque asseclarum varias opiniones indagavit. Editi fuerunt hi libri cum Algero per Erasmum Antwerp. 1530, et deinde Joanne Ulimerio curante, Lovan. 1561, qui Paschasii etiam et Lanfranci de hoc argumento scripta subjunxit. Denique in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi tom. XII, et Lugdunensi tom. XVIII, pag. 440, in qua (ut in prioribus) pag. 465 etiam subjicitur. Guitmundi *De sancta Trinitate, Christi humanitate, corporisque ac sanguinis Domini nostri veritate Confessio*; ac postremo, C pag. 468, *Oratio ad Guillelmum I Anglorum regem cum recusaret episcopatum*, qualis servata est ab Orderico Vitali IV Hist. eccles., p. 524, 526.

(1) Non confundendus cum *Guimundo* Anglo, Augustiniano, de quo Lelandus cap. 163, neque cum Guidone Aretino, de quo supra.

(2) Ordericus Vitalis IV, pag. 524. Mabillon. præf. ad Sæc. VI Benedictin., § 58.

(3) Sammarthan, t. I Galliæ Christ, pag. 576.

(3) Ordericus, pag. 526.

(5) Id.

(6) Ibid. adde Ughellum t. I Italiæ sacræ, pag. 488, ubi successoris in archiepiscopatu Aversano Joannis mentio non ante annum 1095.

(7) Ita Labbeus, tom. I de S. E., pag. 402 ; Caveus et alii.

(8) Joseph Eggs in Purpura docta, pag. 81.

(9) Confer argumenta librorum Guitmundi recensentem Benedictum Pictetum in Historia sæculi XI, pag. 524 seq.

GUITMUNDI

ARCHIEPISCOPI AVERSANI

DE CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI VERITATE IN EUCHARISTIA

LIBRI TRES

Interlocutoribus ipso GUITMUNDO *et* ROGERIO, *Benedicti instituti confratribus.*

(Biblioth. Pat. XVIII, 441).

INCIPIT LIBER PRIMUS

GUITMUNDUS

Ad rem his temporibus necessariam quidem, sed meliori quam ego sum injungendam, dilectissime frater Rogeri, me vocas, scilicet ut de veritate Dominici corporis contra quæstiones hujus temporis disseram, ac Berengarii Turonensis nugas pro meo captu scribendo refellam. Sed quamvis ad alias animæ utilitates me voluntas, imo necessitas mea ducat, tuis tamen desideriis et precibus, quem mihi valde charum intueor, desse non possum, cum etiam noverim communi commodo religiosam deservire petitionem tuam. Tu vero, hoc unum exsolveris quæso, quod in hac re obedienti certe debes, ut orando propensius Dominum mihi subvenire non cesses. *In manu quippe ejus sumus et nos et sermones nostri* (*Sap.* VII).

ROGERIUS.

Omnino quod postulas æquissimum est, nec de tantis sacramentis nisi comitantibus semper precibus disputari decet. Proinde adjuvante Domino ita fiet. Tu vero hunc mihi, obsecro, morem gere, ut, meis objectionibus auditis, quæcunque insuper, seu ex ipsius Berengarii libri seu ex multorum interrogationibus, quibus de hac re multoties interrogatus es, seu ex teipso, jure tibi opponi posse perpenderis, non reticescas.

GUITMUNDUS.

Quæ mihi super his sacramentis, et quemadmodum coram Deo conscientia loquitur, quantum satis esse videbitur, juvante Domino propalabo; sed ut totius erroris causam exortumque plenius noveris, primum de viri moribus et doctrina perpauca dicamus.

ROGERIUS.

Rem profecto congruam dicis: nam quoddam veluti pondus, nescio cujusmodi gravitatis ejus et antiquæ doctrinæ fastum, nonnulli attendentes, eum imitari maluerunt.

GUITMUNDUS.

Is ergo cum juveniles adhuc in scholis ageret annos (ut aiunt qui eum tunc noverunt), elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeo curabat, condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat. Sed cum per se attingere philosophiæ altioris secreta non posset, neque enim homo ita acutus erat (sed et tunc temporis liberales artes intra Gallias obsoleverant), novis saltem verborum interpretationibus quibus etiam nunc nimirum gaudet, singularis scientiæ laudem sibi arrogare, et cujusdam excellentiæ gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat: factumque est ut pompatico incessu, sublimi præ cæteris suggestu, dignitatem magistri potius simulans quam rebus ostendens, profunda quodque inclusione inter cucullum, ac simulatione longæ meditationis, et vix tandem satis desideratæ diu vocis lentissimo quodam quasi plangore incautos decipiens, doctorem sese artium pene inscius profiteretur. Sed postquam a D. Lanfranco in dialectica de re satis parva turpiter est confusus, cumque per ipsum D. Lanfrancum virum æque doctissimum liberales artes Deus recalescere, atque optime reviviscere fecisset, desertum se iste a discipulis dolens, ad eructanda impudenter divinarum Scripturarum sacramenta, ubi ille adhuc adolescens et aliis eatenus detentus studiis nondum adeo intenderat, sese convertit. Sed et ibi insipiens, quippe *in malevolam animam non introibit sapienta* (*Sap.* I), et ea quorum novitate omnium corda permoveret, atque ad se omnium oculos traheret, studiose perquirens, maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei private vivere catholicus. Tunc illa quibus mundanis

hominibus, et si multe, licet semper peccare cupientibus, placeret, aperuit: legitima videlicet conjugia, quantum in ipso erat destruens, et parvulorum baptisma evertens; ita ut in altero pessimis hominibus diabolus per os ejus licite omnibus feminis abutendum esse; in altero, cassato baptismate infantiæ in profundum omnium malorum, utpote postmodum baptizandis, impune ruere suaderet. Lego epistolam Leodiensis episcopi contra Berengarium ad Henricum regem Francorum, et eisdem pene verbis eadem ipsa ibi scripta reperies. Illis sane diebus et hanc quoque (contra quam Deo propitio acturi sumus) est ausus dementissime propinare blasphemiam, ad hoc etiam hic diabolo militans, ut ablata veritate Dominici corporis, peccare volentes, nulla reverentia, nullus metus percipiendæ sacræ communionis ab aliquo scelere revocaret. De cæteris sane impietatibus, quas satis multas per id temporis evomuit, nunc te remorari nolo. Ita igitur hujus initium pestis accepimus. Nunc autem qualiter et per quos tantisper retenta sit, qualiter etiam et per quos expugnata et damnata sit: ut ortu atque processu, casu quoque cognito, quid de illa sentias, melius noris, nisi longum putes, aperiam.

ROGERIUS.

Imo vero sitibundus hæc audiam. Multum enim ad rem propositam existimo profutura.

GUITMUNDUS.

Cum igitur superiores blasphemias, primam quidem propter injurias matrum, cæterorumque effectuum, secundam vero propter damnationem parvulorum suorum, nec aures etiam pessimorum sustinere possent, ipse vero in Scripturis sacris locum tuendi eas nullum penitus inveniret, maxime disputante contra eas copiosissime beato Augustino (*Pro nuptiis*, et *De Bapt. parvulorum*), in hanc se defensandam totum contulit; ubi et quodam velut testimonio sensuum niti videbatur: nec tam copiosissime ab aliquo sanctissimorum Patrum (quippe non indigente adeo temporibus illorum Ecclesia, cum tamen quid inde tenerent perspicuo et lucidissime sapientissimi eorum multi scripserunt contra hanc disputatum sentiebat. Aucupatis ergo nonnullis velut ratiunculis (neque enim ulla unquam hæresis sine aliqua versimilitudine rationis invalescere potuit), adhibitis quoque paucis male intellectis a se capitulis Scripturæ sacræ, quæ multis errantibus laqueus est mortis, per egenos scholasticos, jam per alimoniam qua sustendabat eos, et per suos dulces sermones corruptos, quaquaversum potuit, clanculo hujus tanti mali nefandissimum virus effudit. Si qui autem præterea aliquo modo receperint eum, hi sunt qui ex apostolica sententia territi qua dicitur: *Qui manducat et bibit indigne judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* XI), communionem sacram, quam pro ecclesiastico more sumere coguntur, mallent aut nullam aut non tantam esse, quam ejus metu se a flagitiis aliquatenus temperare. Ita igitur et per tales exsecranda pestis paululum adolevit. Mox ergo incipientibus his palam audiri, catholici viri graviter commoti, atque intolerabiliter ferentes, præsidente per semetipsum beatissimæ memoriæ domino papa Leone, Vercellis concilium ponunt. In quo etiam per nos aliqua dici cupis; jam nunc quæ tibi proponenda videntur expone.

ROGERIUS.

Berengarius et qui eum sequuntur, asseverant Eucharistiam Domini non esse vere substantialiterque corpus et sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari, pro eo quod tanquam umbra et figura significativa sit corporis et sanguinis Domini. Nec de hoc moverer adeo, si carnaliter sapientes, secundum sensus fallerentur, nisi quod nonnullas, ut B supra memorasti, ratiunculas obtendere, et eas ex quibusdam beati Augustini sententiis munire videntur. Aliqua etiam verba Domini Salvatoris jactitant, ex quibus infirmi scandilizari forsitan possint. Ac primum ipsas ratiunculas, deinde auctoritates ponam. Natura, inquiunt, hanc mutationem non patitur. Cumque affertur eis scriptum, quia *omnia quæcunque voluit Dominus fecit* (*Ps.* CXLIII), sed hanc, inquiunt, mutationem noluit. Absit enim ut fas sit Christum dentibus atteri, aut partibus dissipari, sicut ista dentibus atteruntur et in partes dissipantur. Ad hæc, si placet, interim responde, postmodum vero cætera proponam, quo diligentius opere distributo, singulis a me propositis responsa tua comparando, mihi ad unguem de omnibus in- C telligam satisfactum.

GUITMUNDUS.

Quoniam quidem superius postulasti ut tuis inquisitionibus, si qua mihi viderentur addenda, superadderem, cognosce primum quia non omnes qui de istis sacramentis errant, una incedunt via erroris. Nam Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt quia panis et vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere a quibusdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore et sanguine Domini sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras hæc et figuras esse dicunt. Alii vero, rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus et sanguinem Do- D mini revera, sed latenter contineri, et ut sumi possint quodammodo, ut ita dixerim, impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam aiunt. Alii vero non quidem jam Berengariani, sed acerrime Berengario repugnantes, argumentis tamen ejus, et quibusdam verbis Domini paulisper offensi (quod suo loco dicemus uberius) solebant olim putare quod panis et vinum ex parte mutentur et ex parte remaneant. Aliis vero irrationabilem istorum sensum longe horrentibus, eadem verba Domini, quibus isti moventur, non satis apte intelligentibus, videbatur panem et vinum ex toto quidem mutari, sed cum indigni accedunt ad communicandum carnem

Domini et Sanguinem, iterum in panem et vinum reverti. Quorum omnium erroribus, sicut Dominus dederit, obviare tentabimus.

Nunc primum Berengarianis utrisque respondeamus. Isti etenim, licet inter se diversi sint, contra nos tamen unam habent pene sententiam, et argumentis nituntur eisdem. Utrique enim nihil de pane et vino mutari essentialiter asserunt. Nunc argumenta eorum videamus, ac primum quid de natura asserant discutiamus. Nam cum dicunt, non potest hanc mutationem natura pati, aut absolute et absque ulla exceptione dicere hoc habent ut nullatenus scilicet, nec volente Deo, hoc possit, aut cum aliqua exceptione. At si absolute et absque ulla exceptione dicunt, primum quidem voluntatis Dei manifestos adversarios se esse declarant, dum ei aliquid impossibile esse confirmant. Ipsi denique seipsos destruunt quoties illum, quem dixisti, psalmi versiculum canunt: *Omnia quæcunque Dominus voluit fecit* (*Ps.* CXXXIV). Nam si versum hunc non recipiunt, frustra eum canunt; nec jam Dominum omnipotentem credunt, cui volenti naturam aliquam resistere posse contendunt. Si autem omnipotentem non credunt, nec Deum credunt. Non enim vere Deus est qui quod vult non potest. Sed Deum ipsi, ut puto, credere se non negant. Recipiant igitur, quia *omnia quæcunque voluit Dominus fecit*. Simul ergo necessario recipiant quoniam hanc mutationem ut possit natura pati, si voluit, Dominus fecit. Si enim ipsa omnium rerum natura cum omnino nihil esset, volente Deo factum est ut esset, et in tot rerum varias species formaretur, quomodo panis et vini natura jam existens volenti Deo resistet, ut vel in unum aliud non transferatur? Perridiculi homines, qui dum se defensitare naturam existimant, vim naturæ se potius ignorare demonstrant! Nam, sicut tu ipse testaris, qui per artem medicinæ ciborum naturas et hominum nosti, quotidie natura panis quem comedimus, et vini quod bibimus, naturaliter in nostram carnem et nostrum sanguinem transmutatur. Quod si tantum potest venter hominis seu etiam cujuscunque animalis, ut panem et vinum, vel quoscunque cibos intra se clausos, in vivam carnem et vivum sanguinem quotidie mutet, nonne tantumdem, si vult, poterit præsentiæ suæ majestatis, et virtute verbi sui Deus, ut videlicet in carnem et sanguinem suum panem vinumque transformet. Quod si vel tantum volunt Christiani concedere Deo quantum concessit paganorum magnus philosophus Plato, qui rerum naturam dixit esse id quod vult Deus, quid unquam erit absurdius quam id quod vult Deus Deo volenti contraire? Quapropter isti, nisi omnino careant corde, nunquam ita absolute dicent naturam mutationem pati nisi Deus velit; frustra ergo hoc quasi magnum aliquid contra nos asserunt. Nihil enim prorsus per hoc contra nos agunt. Nemo enim Christianorum credit hanc fieri mutationem nisi per Dei voluntatem. Desinant igitur inaniter dicere: Natura non patitur; et id tan-

A tummodo an Deus hanc mutationem velit, requiramus. Sed, absit, inquiunt, ut unquam hoc Deus velit! Non enim fas est Christum dentibus atteri. Ego vero in primis quæro quid dicant significare *atteri*. Si enim intelligunt *atteri*, velut pressius tangi aut fortius premi, quæro quare non sit fas Christum dentibus atteri? Nam si idcirco hoc ipsum non est fas, quia non possit fieri, eadem ratio est quam de natura dicunt, scilicet quia natura non potest pati. Et nimium vana ratio. Nulla quippe rerum impossibilitas potest impedire voluntatem Dei. Deinde quare non possit dentibus premi, qui manibus Thomæ et post resurrectionem potuit attrectari? Et sanctæ mulieres quibus occurrit post resurrectionem, scriptum est quia tenuerunt pedes ejus. Nulla B namque ratio est ut non possit tangere dens quod tangit manus; nam sicut ad manus, ita et ad totum corpus pertinet tactus. Quare quidquid tangit manus, potest et toto corpore tangi: potest igitur et dentibus tangi. Porro quod potest vel leviter tangi, cum solidum corpus sit, cur non possit etiam fortiuscule tangi, quod est atteri? Si ergo corpus Domini post resurrectionem manibus Thomæ apostoli et sanctarum mulierum potuit tangi, cur hodie a credentium dentibus non possit vel levius vel pressius tangi, id est atteri, nulla obstare ratio videtur. Porro autem si idcirco dicunt non esse fas Christum dentibus atteri, non quia impossibile est, sed eo quod indignum videatur; quæro iterum quare indignum debeat videri? An quia nimium Christus humiliari videatur? Sed qui dedignatus non est ob salutem fidelium, C virgis infidelium, corona spinea, cruce, clavis, lancea, nimis irreligiosissime quantum in ipsis erat, atteri, sicut scriptum est, *Attritus est propter scelera nostra* (*Isa.* LIII), is pro salute eorumdem fidelium dentibus ipsorum dedignatur religiosissime, in quantum valent atteri? Si enim id quod erat indignius pro nobis pertulit, quomodo quod minus indignum est dedignabitur pati? Maxime cum sicut oportuit Dominum Jesum Christum, in ligno suspendi, ut mors quæ per lignum venerat, per lignum crucis vinceretur, ita oporteat revera Christum manducari, ut quia veteres homines non umbram fructus, sed ipsum fructum ligni vetiti vere comedendo mortem susceperunt, novi homines non umbram, sed ipsum qui in ligno pependit obedientiæ, id est crucis, vere D comedendo mortem evadant et vitam sumant. Quod mysterium Isaias prophetasse videtur, ubi ait: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ; et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et præcipitabit mortem in sempiternum* (*Isa.* XXV). Propheta in Jerusalem erat. Quid est ergo dicere, *in monte hoc*, nisi ubi crucifixus est Christus? Et quid est, *convivium faciet omnibus populis*, nisi quia illud quod pependit ibi, manducant omnes populi? Quid in pinguibus istis medullatis, nisi carnem gratia Spiritus sancti pinguissimam, *in qua habi-*

tat plenitudo divinitatis corporaliter? (*Col.* II.) Quid in vindemia defæcata, nisi sanguinem sanctum, qui in specie vini bibitur, signat? Et quid nobis peristud convivium fiet? *Præcipitabit*, inquit, *mortem in sempiternum.* At fortasse immundi sunt dentes. Sed Apostolus ait: *Omnia munda mundis* (*Tit.* I). Igitur neque dens, neque aliud quidquam immundum est Christo. Certe sordidiores videntur manus esse quam dentes. Manibus quippe multas sordes tangimus, quas admovere dentibus horremus. Qui ergo se palpandum et post resurrectionem manibus obtulit, dentes propter immunditiam non vitabit. At fortasse metuunt isti Salvatorem lædere dentibus attrectando quem lædere non metuunt procaciter mentiendo. O! destruat Deus ad salutem inimicos defensores, si hoc scire nesciunt, quia caro Domini resurgentis, quod naturæ erat, retinuit, quod infirmitatis, amisit. Tangi namque naturale est carni, lædi autem infirmitatis est. Ita ergo potest Christus etiam dentibus tangi, ut quacunque pressura dentium jam non valeat lædi. Quare quoniam nec ulla obsistit impossibilitas, nec Christi abhorret humilitas (siquidem id nobis quoque ita expedit ad vitam), cum neque per hoc ulla immunditia Salvatori, vel læsura timenda sit, nullaque occurrat alia ratio cur nefas sit Christum dentibus atteri. Si atteri accipitur quasi pressius tangi, nihil prorsus contra nos valet quod vanissime jactitant, dicentes: Non est fas Christum dentibus atteri. Porro si atteri intelligunt quasi comminui vel frangi: tunc jam non duæ, sed una sola ratio est, quod dicunt dentibus atteri; et partibus dissipari, nisi quia plus est partibus dissipari, quam dentibus atteri; et ita intelligendum est tanquam si dicerent. Non est fas Christum in partes dissipari, vel dentibus atterendo, id est comminuendo, vel ullo alio modo.

Hoc equidem et nos confitemur: scilicet, quia non est fas Christum ulla quidem violentia, sive dentibus, sive alio modo per partes dissipari. Si vero illi cui *omnia possibilia sunt* (*Matth.* XIX), altissima et inscrutabili consilii sui ratione placet, ut corpus suum per partes ipse dividere possit, ita duntaxat, ut jam ultra non moriatur, neque lædatur, neque ullam corruptionem patiatur (nullam enim miseriam amplius sustinebit) quis impossibile hoc audeat æstimare? Quod igitur inferunt quia ista sacramenta dentibus atteruntur, et in partes dissipantur; si atteruntur, ponant quidem quasi diminuuntur; respondemus: Quoniam si ei, cui *nihil impossibile* est (*Luc* I), et qui de omnibus rebus quidquid vult facere potest, sicut dictum est, placet ut non quidem per nostram violentiam, sed per suam in nostro ministerio voluntatem, corpus suum sine morte vel læsione, vel aliquo sui incommodo in istis sacramentis dividatur, et per partes distribuatur: si et nos ita credimus, nemo super hoc inconveniens aliquod valeat adnotare. Ejus quippe hic (ut sanctus Gregorius ait) caro in populi salutem partitur. Si autem ei non placet, ut sine aliquo sui incommodo, caro ejus possit per partes divisa distribui; tunc nos ista neque dentibus minui, neque per partes aliquo modo credimus dissipari. Et tunc nobis intelligendum est hoc quod dicitur: Ejus caro in populi salutem partitur, dictum esse non quia partiendo minuatur, sed propter similitudinem fractionis. sicut immolari quotidie dicitur: Christus propter similitudinem passionis. Licet enim hæc magni causa mysterii sacerdos quasi dividere videatur, nos tamen Dominum et Salvatorem nostrum, quando corpus ejus venerabile fidelibus distribuitur, non se per singulos dividentem, sed participatione sui in diversos credere debemus venientem. Possumus quoque dicere tantumdem esse in una quasi portiuncula, quantum erat in hostia tota. Sicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus collegerat habuit minus (*Exod.* XVI). Ita ergo tota hostia est corpus Christi, ut nihilominus unaquæque particula separata sit totum corpus Christi. Nec tamen tres particulæ separatæ, sunt tria corpora, sed unum corpus. Nec ipsæ etiam particulæ a se tanquam plures differunt, quia quod corporis totius una est, hoc et cæteræ sunt. Itaque jam nec plures particulæ dicendæ sunt, sed una potius hostia integra et indivisa, licet officio sacerdotis videatur quasi dividi, propter magnum, ut dixi, mysterium, quod ita oportuit celebrari. Similiter et si dentibus, vel aliquo alio modo hæc frangi videntur, intelligimus non hæc frangi; quia nihil aliud in toto, quam in qualibet velut particula separata credimus contineri. Ne autem me quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum: præfationem istam, quæ per totum pene orbem Latinum, inter Epiphaniam et Septuagesimam, in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem: *Æterne Deus: et tibi hanc immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum: quæ offertur a pluribus, et unum corpus Christi, sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Propterea ipsi qui sumimus communionem hujus sancti panis et calicis, unum Christi corpus efficimur. Eusebius Emissenus ita dicit: Vetus narrat historia: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus* (*Exod.* XVI): eo quod Eucharistiæ sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto: quod dum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis. De quo sensu apostolica sententia derivata est, dicens: *Qui multum habuit, non abundavit. et qui modicum non minoravit* (*II Cor.* VIII). Si forte esum panis esurientibus apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos, quia particulatim et minutatim proportione sua unusquisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur nihil minus habent singuli,

quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures, sine diminutione percipiunt; quia benedictio hujus sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi. Idem quoque dicimus, et si mille missæ eodem tempore celebrentur. Nam ita in singulis totum credimus esse Christum, ut nec plures Christos, nec divisum Christum faciat aut sacerdotum diversitas aut locorum. In quo quidem illi contra nos esse non possunt, qui corpus Domini in omni missa adesse invisibiliter credunt. Nam cum simul mille celebrentur missæ, et sicut ipsi consentiunt, in omni missa est totum corpus Christi (dividi enim posse corpus Domini et ipsi negant) aut mille tunc erunt Christi corpora, aut fatebuntur nobiscum, uno eodemque tempore, mille in locis unum idemque Christi corpus totum et indivisum B posse haberi. Sed mille Christi corpora nec ipsi dicunt. Restat ergo ut in mille missis eodem tempore, unum idemque corpus Christi et indivisum esse credere debeant. Similiter igitur et in una hostia, et si videatur quasi in plures partes dividi: nullam tamen in eis dividi carnem attendimus, quia quod omnes simul junctæ, idipsum singulæ separatæ sunt, totum Christi corpus. Nec cuiquam incredibile id debet videri. Quotidiano enim experimento cognoscimus quia intellectus noster, id est verbum cordis nostri, cum illum quodammodo voce vestimus, ut qui in corde nostro latens nobis solus cognitus erat, per vocem aliis etiam manifestari possit eodem tempore et totus in corde nostro remanet, et totus æque mille hominibus cum assumpta voce sua quantum in se est, ita apparere C potest, ut non solum ipse simul omnium corda collustret, sed aures etiam cunctorum ipsa qua vestitus est voce eodem tempore tota et indivisa, perstringat. Si igitur humano verbo Deus tantum præstitit ut non solum ipsum, sed etiam vox, qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totaque pertingere valeat: nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico et omnipotente et coæterno Verbo, et de carne ejus, quam similiter ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, et si capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo et transitorio verbo hominis et momentaneis vocibus vixque existentibus et nunquam prævalet capere, et tamen pene semper experimento habet. Ipsam certe animam nostram corpore quod D corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri beatus Augustinus validissime probat. Qui ergo hanc nostræ animæ potentiam præbuit, ut una eademque et indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat: quare suæ propriæ carni id dignitatis si vult dare, non valeat, et ipsa in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus, tota simul et indivisa possit haberi cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ (imo multo melius per Dei gratiam) vita caro Salvatoris. Per animam quippe fit ut corpus utcunque temporaliter vivat: per carnem vero Salvatoris agitur ut Ecclesia non quomodocunque, sed beate in æternum vivat. Cum vero sapientissimus Salomon cunctas res esse difficiles dixerit (*Eccles.*), ita ut explicare eas homo non possit, nonne insanienti quam simillimus est qui hæc divina arcana discutere ad oculum violenter quærit? Omnes enim creaturæ Dei miracula nobis inexplicabilia sunt: Christus vero inter omnia aut præ omnibus miraculum singulare. Si igitur potest Christus efficere (sicut diximus) ut unaquæque separata particula sit totum Christi corpus, et tamen omnes separatæ non plura sint corpora, sed unum corpus: quemadmodum vox mille hominum percutit aures, et apud unumquemque tota est, nec tamen plures dicuntur, sed una sola: et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam præbeat singulis, non plures tamen, sed una est anima; ita jam nulla ratio propter hujuscemodi quasi partitiones obstare videtur, ut non possit aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut et ipse docuit et Ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum.

ROGERIUS

De mille missis, quæ eodem tempore celebrari possunt, videris mihi rem quidem valde difficilem sufficienter et satis idonee declarasse. Verumtamen in partitione unius hostiæ adhuc paulisper hæreo, quoniam quod prius unum tantummodo video, id, me partiente, ita in plura dividi cernitur, [ut] unaquæque portio minor quam illud quod erat integrum videatur. Si enim non mea vi, sed sua sponte hostia divideretur, aut post divisionem magnitudo integre non videretur immutata; jam satisfactum mihi esse crederem, quod et unaquæque portio et omnes simul absque ulla divisione unum integrum corpus esse possent.

GUITMUNDUS.

Si de mille missis quæ uno tempore celebrantur satis æstimas declaratum, mirum est quod de una hostia ita possis moveri. Nam sicut hic, priusquam partiaris hostiam, tantummodo unum vides; ita priusquam mille celebrentur missæ unum tantum Christi corpus in cœlis, et si non oculis, mente tamen vel fide cernis. Et sicut opere tuo putas hostiam dividi, sic putari potest sacerdotum opere fieri ut corpus Christi, quod in cœlis unum est, mille in locis simul teneatur. Sed absit hoc, ut vel illorum opere, vel tuo, unus Christus per plures locos vel partes dividatur! qua ipse est qui in opere vestro, non quod vester visus æstimat, sed quod ipse vult operatur. Nam sic violentia Judæorum videbatur mori, et tamen ipse dicit: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso* (*Joan.* x). Ita ergo cujuslibet fortasse violentia putatur frangi: nec tamen quod carnalis æstimat sensus, sed quod ipse vult Christus credendus est operari. Sicut sane post partitionem hostiæ singula tibi minora videntur quam hostia integra; ita in omnibus missis

minus apparet corpus Domini quam in cœlis esse credatur. Sed hoc tantum [totum] secundum sensus; qui sicut in multis rebus aliis sæpe, ita in hac re semper falluntur. Sed nunquid si hoc capere non potest oculus carnis, exstinguendus ideo est oculus mentis? Cum enim Maria Magdalene ad monumentum Domini plorans, ipsum Dominum cerneret; nunquid non ipse revera Jesus erat, quia illa secundum oculos decepta hortulanum se videre putabat? (*Joan.*, xx.) Aut cum ipse die resurrectionis suæ, duobus discipulis ambulantibus in via Scripturas tanquam peregrinus exponeret, nunquid aliud quam ipse erat; quia scriptum est: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent?* (*Luc.* xxiv.) Aut cum discipuli in mari laborantes, eum super undas cernerent ambulantem; quis audeat dicere non ipsum vere fuisse, quia ipsi deceptis oculis phantasma esse putaverunt? (*Matth.* xxiv.) Sed et secum in navi jam positum videntes, et miraculum ejus in sedato mari admirantes, sicut ex Evangelio potest conjici, non cognoverunt eum donec ad terram venirent. Sic enim scriptum est: *Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum* (*Marc.* vi). Quibus ex verbis potest (ut diximus) conjici quod in navi, fortassis obstupefacti adhuc recenti miraculo, aliqui non cognoverunt. Quid igitur? nunquid putandus est eos joculariter delusisse? Absit! Ipse enim ubique idem erat; ipse ubique veritas erat; ipse ubique sapientia erat. Sed nobis per hæc oportebat ostendi quoniam, quandiu cum Maria flente, velut ad monumentum Domini stamus (*Joan.* xx), nosmetipsos mortificando (*Coloss.* iii) et mortem Domini donec veniat annuntiando (*I Cor.* xi), quandiu in via positi peregrinamur a Domino (*II Cor.* v), quandiu in mari hujus sæculi laboramus, et ventus nobis tentationum contrarius est, quandiu ambulamus per fidem, et non per speciem (*Ibid.*): quamvis plorantes ad monumentum suum semper Dominus consoletur, quamvis in via positis semper Scripturas exponat, quamvis turbatos in mari tranquillet, quamvis præsens nobiscum sit semper in navi sanctæ Ecclesiæ *usque ad consummationem sæculi*; non tamen habemus eum cernere nisi in peregrina specie, maxime oculis carnis; licet non aliud quam ipsum habeamus in his sacramentis. Et merito. Nam quia fructus mortiferæ arboris antiquis hominibus spirituales veracesque oculos clauserat, carnales fallacesque aperuerat; justum est ut fructus vivificæ crucis novis hominibus ipsos carnis oculos claudat, et veraces mentis oculos, quibus veritas videtur, aperiat. Quemadmodum igitur ægrotanti palato, amara censenti quæ sano dulcia sunt, nemo sanus credit; ita infirmis carnalibus oculis contra sanatos mentis oculos, de ipsa medicina interioris luminis judicantibus, nemo nisi insanus consentit. Nam et res hæc tanta est, ut infirmo visu non valeat comprehendi, et fidem nostram ita utilius est interim exerceri; ut per hoc videlicet quod contra visum carnis in hoc tam necessario sacramento agitur, discamus visibilia transcendere, ad invisibilia festinare, et tenere certius occulta, quæ nunquam mentiens veritas docuit, quam quæ coram nobis fallax oculus pandit. Quapropter quoniam tibi ostensum est idem esse in particulis unius hostiæ quod est in pluribus missis quæ simul celebrantur, de quibus satis declaratum esse dixisti, nec secundum visionem oculorum carnalium debere te judicare evangelicis exemplis et ratione monstratum est. Utrum satis adhuc dictum arbitraris, expone.

ROGERIUS.

Videris equidem mihi, fateor, sinceræ fidei veritatem congrua prosequi ratione: veruntamen, illud quod me aliquo modo adhuc rodit, non tacebo. Superius quippe dixisti quia sacerdos videtur quasi dividere hostiam propter mysterium, quod ita celebrari oportet. Si ergo viderem quod hostia postquam est consecrata, jam non posse amplius dividi, nisi ob mysterii gratiam, quod sicut dixisti, ita oportet celebrari: omnem prorsus disputationis seriem inconcussa veritate ratam esse confiterer. Sed quoniam quilibet nullius consideratione mysterii prout vult, sibi eam dividere posse videtur: adhuc nescio quas hinc cogitatio mea tenebras sustinet, quas et expellere gestit, et tamen libere omnino non valet.

GUITMUNDUS.

Si plene animo supra dicta revolvas, nihil hinc tenebrarum, ut æstimo, tibi residere cognosces. Nam sensus persæpe falli, cum veterum philosophorum multa argumenta tum quotidiana experimenta plenissime docent. Æque enim, ut ait Boetius, sensus et in maximis et minimis confunduntur. Unde fit ut, his in quibus confunduntur, merum sincerumque judicium habere non possint. De mediocribus quoque rebus non juxta rerum veritatem, sed pro affectu judicant sentientis. Sano namque cuivis comedenti, si multum esuriat, etiam amara dulcia videntur; ægroto autem, aut multum saturo, etiam dulcia sunt amara. Item si quis deformis alicujus scorti amore depereat, nonne, illa talis forma oculis ejus summe gratissima est, cum omnium pene intuentium, quorum mens eadem miseria captivata non est, non mediocriter visus offendat? Remum in aqua, si interrogas oculos, fractum asserunt, quem mox extractum mansisse integrum testantibus oculis ratio probat. Quid de judicio aurium? quandoquidem illa quæ in auribus sobrii absurdissima resonat, lascivum quemlibet mimum cantilena mollis oblectat. Sed quid in his diutius immoror? Quis enim mirari debeat, si sensus exterior frequenter fallitur, cum interior atque omnium judex sensuum animus, nisi hunc Dei gratia regat, toties et tantum periclitetur? Ex quo fit ut, contra rationabilem sanctæ Ecclesiæ fidem, per hoc quod infirmus et lippus oculus se videre putat, nullatenus debeas impediri; quandoquidem eos, quos inobedientiæ cibus oculos aperuerat (*Gen.* iii), per hunc obedientiæ cibum oportere

A claudi credo jam retines, ut videlicet per spiritalem vitalemque cibum restitutis spiritualibus, quos carnalis ille ac mortifer clauserat oculus, jam non secundum carnem sapiamus (*II Cor.* v) ad mortem, sed, revelata facie, quæ sunt spiritualia contemplemur ad vitam æternam. Atque ita quandiu in agone fidei certamus, quandiu peregrinamur a Domino, fidem nostram sedulo convenit exerceri, quatenus exercendo erudiatur, erudiendo pascatur, pascendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. Quod autem fidei id exercitium esset, vel quod pro exercitio suo meritum tanti sacramenti fideles haberent, si sacram hostiam non posse, nisi per sacerdotem et in missa solummodo dividi, manifeste et quorumlibet oculis pateret. Quis non vel infidelium pro tam evidenti miraculo, magis quam pro ratione fidei consentiret? Denique manifesta miracula non propter fideles, sed propter infideles dicit Apostolus fieri; hæc autem sacramenta non sunt infidelium, sed fidelium, (*I Cor.* xiv). Unde nec infidelibus fas est illa distribui, sed nec etiam pandi. Non igitur infidelibus per aperta miracula pateant, soli vero fideles non carnis intuitu hæc, sed mente cernant. Nam et ipse Dominus noster Jesus Christus sacramenta hæc, mysterium fidei appellavit. Ut quid ergo mysterium, nisi quia occultum? Ut quid fidei, nisi quod hoc non carnis oculo, sed intuitu fidei convenit contemplari; nam, sicut sanctissimus ait Gregorius, non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Si igitur de fallacia carnalium sensuum, qui nec de rebus parvis, et quæ ipsis patere sensibus solent, nedum de maximis et occultis contra rationem credendi sunt, evidenter accepisti, si spirituales sensus ad spiritualia sacramenta aperiri, carnales vero claudi oportere didicisti, si denique tibi de mysterio fidei sic infidelibus occultando, fidelibus autem pro exercitio suo merito crescentis fidei plurimum profuturo, satisfactum est; nullis, ut arbitror, hic amplius tenebris improbæ tergiversationis te involvi decet. Ad summam, quis possit edicere vel mente capere, quanta etiam nostræ carnis post resurrectionem futura sit gloria, quanta potentia? Immutabimur enim, et *corruptibile hoc induet corruptionem*, et *corpus nunc animale surget spirituale* (*I Cor* xv), dabiturque nobis *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Cum igitur vel extremi cujuslibet homunculi caro quantam sit habitura potentiam nulla nunc possit comprehendere ratio, tu de corpore Salvatoris impudenter et carnaliter, juxta sensus disputas, quod præ se ineffabiliter omnes angeli venerantur! Certe enimvero quidquid humano intellectui occurrit nobis posse dari, minus est aut nihil, ad illud quod promittitur nobis. Cum igitur nos accepturos esse credimus quod nunc scire quomodo possit fieri, nisi quia Deo omnia possibilia sunt non valemus, tu de omnipotentis Dei corpore, quoniam quæcunque aguntur præ oculis bestialibus non habes, infantiliter garrire non cessabis? Proinde consideratius supradicta retracta, et fidenter tene, aut Dominum Deum nostrum carnem suam sine ullo ejus incommodo per partes ineffabiliter posse distribuere, aut, si id ei non placet, sacramenta suæ mensæ, vel secundum rationes quas diximus, vel secundum alias, si Deus tibi dederit forsitan meliores, licet oculorum carnalium infirmitati aliter videatur, tamen indivisa manere. At si illud quod prius dixi Domino placet, fas est ergo non per violentiam quidem nostram, sed per dignationem suam Christum secundum carnem dentibus atteri et per partes corpus ejus fidelibus ministrari. Si vero non placet, nihil nobis inconveniens de divisione sacramentorum et dissipatione debet objici quæ possunt, B ut diximus, rationabiliter indivisibilia et indisseparabilia comprobari.

ROGER.

Ita fateor; cunctis quæ opposui tua competenter occurrit ratio, ut per omnia gaudeam, et nihil ex his reliquum videam in quo justum putem te debere a me amplius fatigari.

GUITMUNDUS.

Illud sane scrupulum movet aliquibus, quominus hanc mutationem posse fieri credant, quod ex solido naturæ cursu nulla fere ex toto simillima occurrit mutatio. Nam cum aliquid substantialiter transmutatur in aliud, in id utique transire solet, quod non existebat prius, verbi gratia, *Virga Moysi mutata est in serpentem* (*Exod.* VII), quæ ante non C erat serpens, sed tunc cœpit esse serpens; quando vero dicimus mutari panem, non in carnem quæ nundum fuerat caro, sed in eam quæ jam erat Christi caro, sine ullo carnis ipsius Dominicæ cremento mutari confitemur. Et nos equidem ad intelligendum nobis in hoc sæculo difficilem mutationem hanc non negamus, non tamen ad credendum. Sed quorsum id? Num enim idcirco magnum hoc atque saluberrimum credere non debemus, si in hac vita, quomodo fiat, capere non valemus, cum necessario multa fide teneamus, quibus nostra cæcitas, aut multo magis, aut certe non minus repugnare videtur? De providentia namque et libero arbitrio, cum utrumque fideliter teneamus, et utrumque teneri oporteat, ita sibi rationes humanæ videntur alti insecus obviare, ut potius utramque [utrumque] D vicissim destruant, quam vel alterum esse concedant. Nulla mens hominis potest capere quomodo id quod in uno loco totum est eodem tempore totum esse possit in altero, cum de voce tamen hominis, id omnes teneant; animam quoque singulis inesse membris simul totam, beatus Augustinus inexpugnabili ratione confirmet. Et ecce omnium rerum creatio creditur, cum tamen ab homine non capiatur. Quis enim, ut de compendio loquar, valeat capere illud quod primo factum est, quando habuit fieri? Quod enim adhuc omnino non est, non fit; fieri enim jam ad esse pertinet. Postquam autem est, non fit; jam quippe est. Sed nec inter esse et non

esse, illud quod primum factum fuit, potest esse aliquid. Nam illud aliquid quod interesset, primo factum esset; illud vero alterum posterius. Quando ergo id quod primo factum est, habuit fieri? habuit tamen. Quod enim non caret initio nullatenus esset, nisi fieret. *Ipse quippe dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII). O admirabile fieri quod necessario creditur, et nullo cogitatu comprehenditur! At si quis hæc absurde ratiocinari me æstimat, eique hæc omnia displiceant, dicat, vel ipse quod placet, et inveniet se certe in omnibus verbis, in cunctis etiam cogitationibus suis, si tamen subtiliter adverterit, de rerum primis initiis, deficientem. Hæc itaque cum fidem necessario exigant, discussionem omnimodo non admittant, ad ipsius auctoris corpus, nonne rationabiliter expetunt simplicem creditorem, arguunt improbum discussorem? Hinc sane disputationis quoque hujus recolere decet initium. Proposueramus nempe ita, ut cum dicunt naturam non posse mutationem hanc pati, vel addi paterentur, nisi Deus velit, vel non. Si non patiantur hoc addi, sed præter exceptionem asserunt id naturam non posse pati, etiam si Deus velit, non ergo credunt quia *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit*. Si autem non credunt quoniam omnia quæcunque voluit Dominus fecit, primum quidem Scripturas canonicas, quas frequentissime et ipsi recitant, imo eum cujus sunt Scripturæ, videlicet Deum, despiciunt; deinde vero ipsum Deum nec omnipotentem, nec Deum credunt. Non enim vere omnipotens, aut vere Deus est qui quod vult non potest. Sed quoniam hæc et apud ipsos nefandissima sunt, fateantur necesse est quoniam omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Et hanc igitur mutationem quamlibet nobis difficilem, si facere voluit Deus, absque dubio fecit. Requirendum ergo tantummodo est an id Deus voluerit. Quod cum voluisse Deum ipso adjuvante opportuno loco monstraverimus, sive possit intelligi quomodo fiat, sive non possit, obtinebimus tamen necessaria ratione quoniam fecit. Non enim satis argumento est, si nostræ infirmitatis cæcitas id nunquam in hac vita capere valet, quominus debeas credere, si manifestæ rationis necessitas, rem ita ut diximus, probaverit esse. Non enim præcepit tibi Christus : Intellige, sed crede. Ejus est curare quomodo id quod fieri vult, fiat; tuum est autem non discutere, sed humiliter credere, quia quidquid omnino fieri vult, fiat. Non enim intelligendum prius est, ut postmodum credas : sed prius credendum, ut postmodum intelligas. Nec propheta Isaias dixit : Nisi intellexeritis, non credetis; sed : Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa* VII). Utamur igitur verbis sancti Augustini contra Felicianum dicentis : « Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare (*Aug.* c. 8). » Idem in secunda epistola ad Volusianum : « Hic si ratio quæritur, non erit mirabile : si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deo aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. » Non est, inquit beatus Hilarius, humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Unde beatus Ambrosius in libro de sacramentis (*De mysteriis initiandis*, c. 9) de hac ipsa quæstione agens : Quid, ait, argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Quid hic quæri naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Christus partus ex virgine? Quoniam ergo nos ad incarnationis seu virginalis partus invitat exemplum, operæ pretium reor paulisper hanc elucidare similitudinem pauloque altius incipiendum. Quadrifariam namque in Scripturis sanctis hominum generationem accipimus. Una est, singularis viri, neque de viro, neque de femina sed de limo terræ, quæ est Adæ. Altera huic quodammodo contraria, de viro et femina, ex qua et viri et feminæ; quæ omnium fere solemnis est. Alia rursus absque exemplo, qua de virgine viro prodiit virgo femina; de Adam videlicet Eva. Quarta nihilominus singularis atque unica, pro reliquis omnibus facta, omnibusque melior, et utilior reliquis, contraria et ipsa quodammodo tertiæ, qua vir de femina Virgine Virgo, de Maria utique Salvator omnium Christus nostro seculo natus illuxit. Ex his itaque generationibus illam qua de viro et femina viri nascentur et feminæ, quia quotidiano usu tenetur, nemo miratur, nemo incredibilem judicat. In qua tamen illud quod extra cæteras valde mirabile est; quod ex duobus corruptis nunquam nisi integrum, neque integrum unquam, nisi ex duobus non integris, tanquam ex contrario contrarium nasci possibile est. Illud vero penitus incomprehensibile scitu Salomon asserit, *quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis* (*Eccle.* XI). Illam quoque qua de non homine homo, Adam videlicet de limo formatus quæ et in hoc cæteris longe videtur mirabilior et illam qua de virgine Adam virgo Eva producta est; vix unquam aliquis impugnavit, vix aliquis accusavit. Quando vero de virgine Maria virgo Christus prædicatus est natus, totus mundus innumeris contradictionibus contra infremuit, et vi et dolo, omnique genere malitiæ, hanc generationem de medio prorsus auferre conatus est. Satis certe injuste, cum reliquis omnibus hæc excellentior sit atque utilior, utpote reliquarum omnium non solum honor atque nobilitas, verum etiam medicina. Siquidem hæc ab aliis nostri generis tantum naturam trahens, nihil autem honoris inde, imo vero infirmitatum ac tentationum plurimum sumens, ad perfectam undique felicitatem per virtutem divinam sibi ipsa sufficeret. Cæteræ vero per hanc de sub pedibus infelicissimi omnium rerum diaboli, usque ad consortium Dei omnipotentis sublimatæ, *ut simus* (ut ait beatissimus Petrus apostolus) *divinæ consortes naturæ* (*II Petr.* I), nisi hujus ope atque medela uterentur, irrecuperabiliter omnes perditum irent. Tum etiam, perspecta diligenter

inter tres singulares, usitatissimæ generationis A multo vicinior multoque similior, ideoque credibilior invenitur. Cui enim non satis elucet, communi generationi, quæ de viro et femina est, similiorem fore hanc quæ de horum est altero quam illam quæ est de neutro? Item, si contemplemur illam qua de viro solo femina prodiit, valde a communi usu et illa remotior. Familiarius quippe et accommodatius communi naturæ est ut femina marem (nam id quotidie fit) quam ut mas feminam pariat. Sed neque fortassis Evæ generationem, partum quispiam dixerit; atque ideo etiam a communi usu longinquior est. Sed quid et illud quod de viri latere dormientis, illa, imo costa de qua facta est illa, contra consuetum naturæ cursum repente prorupit (*Gen.* II); hic vero sicut cæteri homines in matris B alvo novem mensibus paulatim crevit, communique nascendi lege exivit; hoc excepto quod Mater in partu non doluit, et quod Matris ipse, ut talem decebat Filium, virginalia integerrima servans, singulari prærogativa decoravit! Neque enim fas erat ut, quia corrupta restauraturus atque inhonesta honoraturus veniebat, integra violaret, honesta dehonestaret, multoque decentius erat, si de viro virgine violatura mundum Eva processit, ut de Virgine femina restauraturus mundum Christus procederet. Addo etiam quod omnes aliæ servorum sunt, hæc Domini. Ex aliis homines, ex hac Deus. Alias omnes Deus fecit ex solo, ut ita dixerim, præcepto, hanc quasi ex magno studio faciens, et verbis et rebus gestis, et miraculorum novitate promittere ab initio et præfigurare non destitit. C Unde tanquam de opere speciali scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX). Quibus omnibus aliisque permultis digne consideratis, satis hæc credibilior chariorque quam primæ duæ debuit judicari. Sed quid attineant hæc ad rem de qua loquimur dignum est intueri. Quatuor enim nihilominus rerum mutationes substantivas sive efficientias nobis Scriptura divina commendat. Unam de qua omnino nihil in id quod sunt, facta sunt omnia; alteram huic contrariam, quam tametsi experimento non ita scimus, ratione tamen colligimus, qua videlicet de eo quod sunt, quantum in ipsis est, redire in nihilum possunt. Nam si hoc solo quia vult Deus, omnia sunt; si voluntatem suam qua præstat ut sint, vel modice substrahat, illico in D nihilum suum omnia remeabunt. Ita denique B. Augustinus contra Felicianum: «Creatura, inquit, ex nihilo prolata est: et propterea quantum ad se pertinet, ex eo quod est in id quod non est, id est in nihilum, nisi perpetua gratia fecerit, naturæ suæ qualitate vertenda est (*Aug.* c. IX).» Quamvis de accidentibus singulis, quæ supervenientibus aliis cedunt non appareat vere posse aliud dici quam quod omnino nihil fiunt. Nam si aliquid essent, in subjecto essent. Sed contrariis supervenientibus, nec in suo possunt remanere subjecto, nec ad alia transmeare. Omnino igitur nihil fiunt, nisi quis forte illa dicat in ea quæ superveniunt transmutari. Quod si ita est, innumera nobis exempla occurrent earum rerum quæ essentialiter in ea, quæ similiter existunt, transmutantur. Age enim, verbi causa, atramento nigerrimo membrana albissima inficiatur: albedo nigredini continuo cedit. Si igitur albedo in nigredinem versa est, in id utique versa est quod jam erat. Neque enim dici potest tunc ibi augeri nigredinem in quam transferatur albedo, quandoquidem nec atramentum nigrius est quam prius erat, neque aliquid membranæ præter atramentum occupavit nigredo. Idem quoque in aliis sæpenumero inveniri potest. Unde fit ut accidentia recedentia, sicut diximus, aut penitus nihil fiant, aut, si permutantur, in advenientia, quod nostræ causæ non parum accederet, in ea utique multoties permutentur, quæ jam erant. Tertiam autem mutationem solemniter cernimus, qua videlicet substantiæ in ea quæ non erant substantias vel naturali usu, vel per miracula transeunt; sicut nucleus in arborem, semen in herbam, esca et potus in carnem et sanguinem; vel sicut virga in serpentem, serpens in virgam, et cætera hujusmodi.

Quarta vero mutatio est, quia id quod est, transit in id quod nihilominus est, sicut panem et vinum virtute divina in corpus Christi proprium singulari quadam potentia credimus commutari. Et hæc quidem tribus aliis longe melior, longeque utilior credentibus facile judicatur. Melior quidem, quoniam in divinam carnem, quæ rerum est omnium optima, id quod mutatur, transit. Utilior autem, quoniam hanc propter alias factam, singularem nobis medicinam Christus constituit. De nihilo quippe primo facta sunt elementa, e quibus non felices facti sumus. Sed et aliæ duæ mutationes nihil nobis profuerant, quin ad summas traduceremur miserias, nisi quarta medicinaliter superveniens, subveniret. Cui itaque cæteris omnibus hæc honorabilior sit atque utilior, tum etiam illi quæ usitatissima est, multo vicinior atque similior; ideo multo credibilior, quam duæ reliquæ, reperitur. Cum enim non luce clarius pateat, ei mutationi, quæ usitatissime de aliquo in aliquid fit, eam quæ etiam ipsa de aliquo fit in aliquid, licet aliquanto mirabilius, propinquiorem admodum ac similiorem esse: quam illam, quæ de nihilo fit in aliquid, aut illa quæ de aliquo fit in nihil? Illæ enim duo aliqua habent; istæ unum tantum: adeoque a capacitate intelligentiæ nostræ remotæ sunt ut neque mutationes eas quis fortasse vocaverit: difficillimeque verbum reperiat, si tamen vel difficillime, quo eas aliquatenus proprie exprimere possit. Et cæteræ quidem mutationes rerum subjectarum sunt, hæc Domini; illæ creaturarum cæterarum hanc suo proprio corpori auctor ipse retinuit. Et cæteras quidem semel in principio jussit esse Deus, et factæ sunt; hanc autem et propheticis oraculis, et rebus gestis, maximeque sacrificiis et miraculorum novitate promittere et præfigurare ab initio non cessavit: cum etiam magna

A insuper precum solemnitate et studio, per verba quæ ad hoc ipsum propria Deus ipse ac Dominus noster Jesus Christus dictavit quotidie repetita præbet effectum. Quibus omnibus, aliisque permultis digne perspectis, valde credibilior hæc, chariorque, quam illæ duæ potest et debet judicari. Si enim Deus id quod difficilius et ab intellectu nostro remotius est, quia voluit, fecit : quomodo non id quod videtur aliquo modo facilius et intelligibilius, si voluit, fecit? Atqui difficilius illud Deum fecisse nemo dubitat. Istud igitur facilius Deum facere, si vult, nemo dubitare debet. Aut quare hanc quartam mutationem non deberet addere Deus ob medelam hominum, qui quartam generationem (ut ostendimus) addidit ob reparationem salutis ipsorum : ut sicut ille summe bonus cuncta bona in creaturis, quæ fore in eis decebat, sine invidia esse voluit; ita quoque mira varietatis pulchritudine nullus generationis modus decens deesset hominibus, nullus mutandi modus competens deesset rebus. Quoniam igitur satis de propositione, ut arbitror, constitit (scilicet quoniam mutationem hanc Deus, si voluit, fecit) probanda ; tantum restat assumptio, scilicet quia voluit. Sed quoniam multa adhuc exhaurienda venena supersunt, opportunius id suo loco servamus. Nunc igitur, prioribus adversariorum calumniis discussis, hic, si placet, aliquantulum quiescamus : ut et quæ dicta sunt diligentius recolas, et, dum novo initio in ea quæ sequuntur assurgimus, animus tuus nova intentione reparetur.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

GUITMUNDUS.

Dum tuis objectionibus respondeo, prudenter advertat si quis legerit, non me laborare nunc ad expugnandum nostris argumentis penitus hostem; sed ad muniendam interim contra hostilia argumenta catholicam fidem. Et illud quidem, Deo auxiliante, postmodum fiet. Nunc vero rem ita distinguere volumus, ut primo hostilem disputationem debilem esse, et nihil contra fidem nostram conficere posse monstremus : ut cum in suis inimicus ubique defecerit, nostris ad ultimum (Deo favente) plenius subruatur. Ex qua re puto fieri ut hæretica fallacia citius sileat, et catholica veritas clarius elucescat. Sed hæc propter eos dicta sint, qui festinantius quam res postulat satisfieri sibi omnino volentes. quia non omnia nostra hic expendimus, apud se nos forsitam de inefficaci opere reprehendant. Jam vero cætera prosequamur.

ROGERIUS.

Berengarius dicit : Caro Christi incorruptibilis est, sacramenta vero altaris, si diutius serventur, possunt corrumpi, videntur enim putrefieri.

GUITMUNDUS.

O calumniosa lingua ! o lingua blasphemis assueta! promptior ad extorquendam superbe de Scripturis Dei suam perditionem, quam ad percipiendam cum fidelibus salubrem refectionem. Credidit Scripturis sanctis dicentibus Christum esse incorruptibilem, et non credidit Christo dicenti : *Panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita* (*Joan.* VI), sed contra hoc opponit corruptionem. Videatur itaque malesanis corruptisque hominibus, juxta infidelitatem suam, corruptibilis et putribilis panis divinus, et sicut scriptum est tollatur impius ne unquam videat gloriam Dei (*Isai.* XXVI); sed semper ignominiosa de Deo somniet, semper scandala meditetur, sitque ei Christus semper *lapis offensionis, et petra scandali* (I *Petr.* II). Nobis enim panis ille Dei cœlestis,
B illa eucharistia, divinum illud manna; quod immaculati Agni carnem impassibilem factam, de sacris altaribus suminus, per quod et vivimus, et a corruptione sanamur, nunquam corrumpitur, nunquam putrescit; quia cum de die in diem nos renovet, ipsum veterascere nunquam novit cui sententiæ beatus Ambrosius astipulatur in libro De sacramentis, his verbis (cap. 9) : « Considera nunc utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religiose gustaverit corruptionem sentire
C non poterit. » Si ergo forte cuipiam vetustate corruptum et putridum aliquando videatur, si is non credit hoc quod videt, esse corpus Domini, juxta cor suum, cum eo credimus agi : (ut quemadmodum de Christo peregrino et duobus discipulis cum eo in via loquentibus beatus ait Gregorius) tale illi foris appareat, quale intus in corde videlicet creditur. Si autem credit, hoc quod videt esse corpus Domini, id cum eo fieri credimus, ut aut aliqua ejus negligentia corrigenda, vel punienda declaretur pro eo videlicet quod Domini sui corpus, quantum in se est, indigne tractaverit vel contra ecclesiasticas regulas diutius retinendo inobedienter egerit; aut certe fidei ejus soliditas copiosius remuneranda
D comprobetur, qui contra id etiam quod oculus cernit de rebus ac potentia Domini sui, et communi Ecclesiæ fide non dubitari. Ad hæc quæ dicimus, ex divinis libris exempla nobis in promptu sunt. Maria namque Magdalene nondum resurrexisse Dominum credens juxta incredulitatem suam quasi hortulanum vidit (*Joan.* XX). Discipulis quoque dubitantibus, ipsa resurrectionis die tanquam peregrinus apparuit (*Luc.* XXIV). Ubi etiam quo modo credentium negligentia puniatur vel corrigatur videri potest. Nam

quoniam prophetias de Christo minus diligenter attenderant, de negligentia primum quidem puniri, dum stulti vocantur; deinde corrigi, dum Scripturæ eis aperiuntur, meruerunt. Quomodo autem ad comprobandos remunerandosque fideles incorruptibilis Christus quasi corruptibilis videri dignatus sit, beatus Gregorius declarat de quodam Martyrio monacho narrans, qui Dominum Jesum in specie leprosi sibi apparentem propriis meruit humeris bajulare. Cumque is, inquit, qui quasi leprosus videbatur, de collo ejus evanuisset, ab ipso mox sententiam remunerationis accepit; Quoniam, inquit, non erubuisti me in terra, o Martyri, nec ergo erubescam te in cœlo. Sicut igitur ad comprobandum et remunerandam Martyrii humilitatem sive dilectionem, in terra deformi horrendaque specie Dominus noster Jesus Christus apparuit; ita ad comprobandam et remunerandam servorum suorum fidem, si nulla incredulitas est, vel negligentia punienda vel corrigenda, in specie corrupti illius panis, si quando hoc contingat, credendus est videri. Et, sicut non alium leprosum illum deformissimum fuisse nisi seipsum de collo Martyrii evanescens Christus ostendit; ita non aliud quam Christi carnem et sanguinem in divinis sacramentis, etiamsi sub specie quasi putrefacti panis et vini aliquando videantur, orthodoxorum prudentia credere novit. Quod si objicias (ut dici assolet) quia Berengarius Vitas sanctorum pro auctoritate non recepit, scias, quia tametsi quasdam sanctorum Vitas non recipit, beati Gregorii tamen libros numquam eum respuisse prout recordor, accepi. Quapropter et dialogum beati Gregorii pro auctoritate assumpsimus, in quo de martyrio memorantur ista quæ diximus. Tantus enim auctor non ea scriberet, nisi et ipse vera esse crederet, et digna credi a posteris judicaret. Postremo, totam ipsam dispensationem humanitatis Dominicæ animo percurramus. Tota quippe talis exstitit, de qua et inimicorum incredulitas magis excæcanda, propterea que damnanda, scandalizaretur: et credentium fides magis augmentanda, et propterea coronanda probaretur. Quid enim hoc ipsum, quod de Virgine desponsata Joseph nasci voluit? Nonne et inimicis ad augmentum mortiferæ impietatis scandali causa fuit, ut appellarent eum filium fabri; et credenti Petro ad augmentum remunerandæ fidei profuit, qui in nullo per hoc impeditus dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*? (*Matt.* XVI.) Quid denique tota carnis ejus infirmitas? Nonne et ipsum diabolum usque adeo excæcavit, ut nec miracula inaudita prius attendens, usque ad occidendum eum insurgeret nec damna irrestaurabilia sibi exinde proventura prævideret? Ex eadem tamen infirmitate tantisper illuminantur per fidem hodieque fideles, ut non solum valeant ipsius adjutorio fidei in suis infirmitatibus non deficere; sed ejusdem insuper Domini sui auxilium credentes charitati qua pro ipsis infirmatus est, usquequaque fiduciaius audeant implorare. De morte autem ejus quid dicam? Nonne dicit Apostolus, quia per ipsam *Christus Judæis est scandalum gentibus autem stultitia:* Christianis vero, *Christus Dei virtus et Dei sapientia* (*I Cor.* I.) Sicut igitur tunc eum inter homines mortalis adhuc Christus viveret, circa ejus carnem agebatur: ita etiam quandiu Ecclesia ejus usque ad consummationem sæculi mortalis erit, pro ead ... utilitate Ecclesiæ, quæ illa tunc fiebant circa ipsam eamdem carnem, salva incorruptione ejus, tale quid specie tenus apparere potest unde scandalizentur, et contenebrentur semper increduli, exerceantur autem et illuminentur magis electi. Quapropter desinant homines mente corrupti et putridi, corruptelam et putredinem opponere sacramentis Dei; quia, sicut assumpta peregrini vel hortulani, vel leprosi species, fidelium negligentiam, vel increpuit, vel corripuit, vel fidem dilectionemque probavit, veritatem tamen essentiæ Christi non evacuavit? ita si quando putredo, vel aliud simile indecens quid in Ecclesiæ sacramentis appareat, ad negligentiam ministrorum puniendam vel corrigendam, vel certe ad fidem dilectionemve probandam, ut diximus, valet: veritatem tamen essentiæ Dominicæ carnis et sanguinis evacuare non potest. Proinde ergo nec istas Ecclesia Dei hæreticorum versutias metuat: quæ ipsam etiam totam carnalem in terris dispensationem Domini sui sibi quidem salutem, scandalum autem semper fuisse reprobis non ignorat.

ROGERIUS.

A muribus quoque, vel hujuscemodi quibuslibet animalibus corrodi, vel consumi hæc sacramenta posse objiciunt.

GUITMUNDUS.

Mihi equidem sacramenta hæc nequaquam a muribus vel aliquibus brutis animalibus videntur posse corrodi. Quod si aliquando velut corrosa videantur, quod tunc de hortulano, de peregrino, vel leproso diximus, responderi potest, id est non esse corrosa; sed vel ad puniendam seu corrigendam ministrorum negligentiam, vel ad probandam eorum qui hoc viderint, fidem, in tali specie posse videri (10). Ad hoc vero quod a brutis animalibus consumi posse dicuntur, respondere possumus ob prædictas causas, id est, probandæ fidei, aut damnandæ seu corrigendæ custodum negligentiæ, bruta animalia eatenus ad corpus Christi posse accedere, quousque potest humanus visus aspicere. Deinde aut mox invisibiliter angelorum sibi semper assistentium ministerio, vel suapte virtute raptum iri,

(10) Quod Guitmundus indicare videtur species sacramentales Eucharistiæ revera non corrumpi, aut putrefieri, vel a muribus posse corrodi, aut ab aliis animantibus devorari, sed hæc tantum secundum apparentiam fieri, non satis cum placitis sinceræ theologiæ consonat, quæ vere species illas alterari, corrumpi, ab animantibusque mandi posse, quamprimum eædem illæ numero species desinunt, desinere quoque esse sub speciebus corpus Domini. Vide S. Thom. III p, .q, 77, art. 3, 4, 5, 6, 7.

in cœlisque constitui. Cujus sententiæ martyr gloriosus Tarsitius nobis idoneus testis occurrit. Qui cum veneranda Dominici corporis sacramenta portaret, a paganis forte supervenientibus, et quidnam ferret exquirentibus comprehensus est. At ille mori potius quam *sanctum dare canibus* (*Matth.* VII) eligens, palmam pretiosæ mortis emeruit. Illi vero curiosissime omnia scrutantes, rapto cœlitus Dominico corpore, nihil penitus, nisi sola linteamina repererunt. Porro vero si quis se vidisse dicat (nam isti contra quos agimus non curant quid proferant, dum tamen aliquid ne recto credant semper objiciant) hæc a brutis animalibus devorari, et intra eorumdem corpora inveniri, licet tale testimonium non facile recipiendum, dignumve responsione videatur, tamen ne quid neglexisse vel evitasse putemur, responderi potest, quoniam si placet Christo, vel propter eas quas modo diximus, vel propter alias quaslibet, quas ipse noverit causas, ut hæc sacramenta absque sui corruptione a bestiis sive avibus comedi possint : quid hoc ad veritatem, quam credimus, Dominici corporis obstat ? Certe enim non magis bestiarum, vel avium, quam nostro læditur gustu. Sed nec pro utilitate bestarium, ora vel avium rostra refugit, qui in lapide sepulcri jacuit, qui post resurrectionis etiam gloriam, terram calcavit. Manifestissimum quippe est ex ordine Dei, animata corpora inanimatis sensibilia insensibilibus meliora esse. Neque huic sententiæ ullum vel tenuiter sciolum refragaturum credo. Quæ autem meliora sunt, apud optimum Dominum chariora, ideoque honorabiliora sunt: quo fit ut corpus cujuslibet vivi animalis non sit apud Deum vilius quam terra et lapis. Sed ipsum Christi corpus, sicut jam diximus, in lapide jacuit, et terram calcavit : non igitur propter aliquam vilitatem cujuscunque animalis corpus horrescit. Quapropter, etiam si aliquo divino judicio bruta quælibet animalia non solum sacrosancta mysteria tangere, sed etiam valeant devorare, nulla tamen ex hoc nobis ratio obviat quæ veritatem Dominicæ carnis et sanguinis quam tenemus in sacris mysteriis, nos negare compellat. Quocirca sufficienter excussa et hac blasphemia cætera videamus. De igne grandis quoque quæstio oritur, pro eo quod in quibusdam, ut aiunt, canonibus igni tanquam absumenda, sacra mysteria tradi jubentur. Verumtamen non ut combustione consumantur, id præcipitur, sed tanquam omnium elementorum purgatissimo ac mundissimo dignissimoque, quod omnia reliqua elementa purgat, ipsum vero ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter committi jubentur. Satis tamen mihi placeret, ut quando aliqua negligentia vel certe miraculum novum de tantis mysteriis accidit, id inde fieret, quod mihi magister meus, vir eximius sine dubitatione credendus, D. Lanfran., se puero in Italia factum esse narravit ; nam cum presbyter quidam missam celebrans, inventam super altare veram carnem et verum in calice sanguinem, secundum propriam carnis et sanguinis speciem sumere trepidaret; rem protinus suo episcopo consilium quæsiturus aperuit. Episcopus autem, cum multis coepiscopis ad hoc convocatis, callicem illum cum eadem carne et sanguine Domini diligenter opertum ac sigillatim in medio altaris inclusit, pro summis reliquiis perpetuo reservandum. Si tamen sacra mysteria ignibus imponuntur, non traduntur equidem ignibus cremenda, sed mundissimo, ut dixi, elemento fideliter committuntur, nobis occultanda et supernis sedibus illico reponenda. Quod si forte cuivis curiose videantur comburi certissime noverit quod Dominici sacramenti substantia quidem nullatenus crematur ; sed a nobis, ut dictum est, cœlestia petens abripitur ; qualitates vero sensuales, quas ibidem post immutationem substantiæ Dei remanere altissimo consilio voluit, ostendunt quod suum est. Unde fit ut color et sapor, odor quoque, et si qua hujusmodi accidentia prioris essentiæ videlicet panis servata sunt, quemadmodum in pane vel ustulato [*al.*, jusculato] vel nimis diu servato solet fieri. Simili modo hic quoque, salva omnino Dominici corporis substantia, corruptioni exterius ipsa accidentia aliquatenus videntur obnoxia, quatenus cœlestis altitudo mysterii, retentis velata accidentibus, nec passim reveletur incredulis, et probatæ fidei merito, uberius et gratius commendetur justis.

ROGERIUS.

Si panis et vinum in Christi carnem et sanguinem verterentur, jam toties inquiunt, talia devorata sunt ut si Christi corpus tam magnum ut ingentissimus mons fuisset, jam totum devoratum consumptumque fuisset.

GUITMUNDUS.

Ita equidem videretur consequens, si nos concederemus corpus Domini membratim discerpi, atque ita (particulatim a fidelibus manducari ut jam sine ullo sui damno totum apud se remanere non posset; sed (quoniam ad instar vocis, quæ inter mille homines ut supra dictum est) ab uno prolata, ad singulos tota pervenit, et apud dicentem tota remanet, ita Dominicum corpus a singulis comedi credimus, ut tamen apud se totum integrumque remanere fateamur, jam nos in nullo impediens hæc objectio vana conticeat, quia sicut beatus Augustinus et Eusebius Emissenus dixerunt : « Hæc gratia Dei scit distribui, nescit distributione consumi.

ROGERIUS.

Corpus Domini inconveniens est in secessum mitti ; *Omne autem quod intrat in os*, ut Salvator ait, *in ventrem vadit et in secessum emittitur* (*Matth.* XV) Denique de sacramentis istis si multi panes, ut inquiunt, et multa vina sacrentur, potest quis longo tempore vivere, nihil aliud comedens aut bibens; unde igitur habebit secessum illo tempore, nisi ista n secessum vadant ? hæc sunt interim quæ mihi de rationibus Berengarii occurrunt; quibus postquam responderis, auctoritates apponam.

GUITMUNDUS.

Corpus Domini quidem nullo modo in secessum mitti et nos credimus. Sed non omnia quæ in os intrant in secessum ire concedimus. Non enim sententia illa Dominica, nisi de cibis qui ad sustentandam hujus mortalis corporis vitam ingeruntur competenter intelligi potest. Nemo est enim qui de eo quod Salvator post resurrectionem suam comedit, sicut nec de angelis qui apud Abraham comederunt (*Gen.* XVIII), id vel audeat suspicari. Sicut igitur cibus corruptibilis, cum ab immortalibus sumitur, hac secessus lege congrue creditur non teneri; ita cibum incorruptibilem, quod est corpus Domini, cum a mortalibus editur, secessus necessitatem pati nefas est arbitrari. Absit enim ut inhonestam corporis egestionem cibus ille sustineat qui corpus et animam ad æternam honestatem parat. Sed si cui hoc quod diximus fortasse non sufficit, audiat quod de ipsis nostris incorruptibilibus cibis physici et medici maxime, certissima ratione doceant, dicentes partem ciborum et potuum, eam videlicet quæ corpulentior et corruptior est, per secessum egeri; partem autem subtiliorem et utiliorem, ut naturæ per diversas corporis partes, distrahi et in carnis naturam ac sanguinis versum iri; partem vero aliam, subtilem quidem, sed minus utilem, per partes corporis similiter transfusam, per poros evaporari; partem autem residuam, neque tantisper subtilem, neque adeo, ut prima est, corpulentam, per fluxum narium aut per sputa, vel quolibet simili modo jactari. Quæ si ita sunt, non igitur cibus qui in ventrem vadit, omnis in secessum emittitur. Sed neque Dominus hoc in Evangelio dixit. Illud quidem ex sententia Domini intelligimus quod omnis cibus et potus qui ad sustentandum corpus in os intrat, in ventrem naturaliter vadit; non tamen dixit: Et omnis in secessum emittitur, sed tantum dixit: *Et in secessum emittitur*, de parte videlicet omnibus notissima loquens. Et hæc quidem quantum ad hunc locum attinet, de hac sententia evangelica dixisse sufficiat. Cæterum si quis hanc Domini sententiam enucleatius sibi exponi desiderat expositiones Evangeliorum studiosus legat. Nobis enim impræsentiarum hoc tantum dixisse sufficit, ne quis nos existimet Dominicæ sententiæ contraire. Sive autem hoc modo, sive quolibet alio, prædicta quæstio de sententia Domini convenientius solvatur: hoc interim, quod ad susceptam disputationem satis est, constat, scilicet, quia non omne quod in os intrat in secessum emittitur. Frustra igitur et hæc nobis offertur objectio, quia nullo modo per eam impedimur quod de mensa Domini sumimus corpus et sanguinem Domini credere, cum tam multa alia sciamus quæ in os intrant, in secessum non ire.

Illuc nunc quod addunt ex se videamus. « De istis, inquiunt, sacramentis, si multi panes et multa vina sacrentur potest quis longo tempore vivere nihil aliud comedens aut bibens; unde igitur secessum habebit tempore illo, si non ista secessum petent ? » Illud equidem ego confiteor quoniam ex virtute sacrosancti A corporis, si placet ita Deo, propter aliquam quam ipse noverit causam non dico ex multitudine panum, sed vel ex modica portiuncula potest quis longo tempore melius quam ex omnibus hujus mundi epulis sustentari. Nam si Elias, ex virtute refectionis illius quam ex duobus subcinericiis panibus et modico aquæ, angelo ministrante, perceperat, quadraginta diebus totidemque noctibus vixit (*III. Reg.* XIX), quanto magis ex virtute hujus cœlestis divinique convivii, in quo non jam subcinericios panes et aquam de manu angeli, sed ipsius Verbi Dei propriam carnem et sanguinem de manu ejusdem summus Christi, potest quispiam nullo alio cibo utens, si quando ita voluntas Dei est, optime sustentari! Denique et hoc de quibusdam sanctis Patribus legimus, qui, nullum aliud sumentes B prorsus edulium, sola communione Dominica diebus tantum Dominicis saginati, multis annis vixerunt.

Hoc igitur concedere possumus, posse videlicet aliquem ex virtute Dominici corporis per divinum miraculum longo tempore vivere; secessum autem ei posse fieri exinde omnino denegamus. Si quid sane interim habet secessus, aut ex reliquiis præteritorum ciborum, aut ex defectu sui corporis id esse necesse est. Sed hoc, inquit Berengarius, jam manifeste probatum est (ita enim nonnulli pro eo nobis responderunt) neque ex reliquiis præteritorum ciborum, quippe propter diuturnitatem longi temporis jam consumptis, neque ex defectu propriæ carnis, C quippe consueta corporis pinguedine permanente, Eucharistia pastos habuisse secessum. O hæretica malitia, hoccine experimento ausa es probare? hoc te probasse ausa es dicere ? hoc manifeste ausa es propalare ? Quam immanissima audacia, nec præsentis Dei tremendam majestatem in experiendo pertimuisti, nec Christiani populi pro tanto scelere digne sævituram indignationem in referendo formidasti ? Hic ego tamen quæro quando vel a quo istud probatum est. Si enim antiquis temporibus id probatum esse dicat, cum nullus hoc auctorum probabilium referat, nullo modo credendum est. At si propinquis temporibus probatum est, quis probavit? catholicæ partis equidem nullus. Quis enim hunc sacratum panem Christi corpus vere esse credens, D de experiendo tam nefandissimo scelere cogitaret? Quod si ipse vel suæ partis quispiam panes multos, aut pergrandem unum, tale quid probaturus sacravit, nos de missa infidelium et maxime tantum nefas probare volentium, quidquid eis contigerit non magnopere jam curamus. Non enim nisi apud eos qui verba Christi per virtutem divinam tantæ rei operatoria esse credunt, panem et vinum in carnem et sanguinem Domini transire necessario credimus. Apud eos autem qui fidem hujus rei tenent, hanc mutationem per verba Christi necessario fieri et credimus et confirmamus. At si forte aliquando quemlibet simplicem catholicum presbyterum ignorantem ad quid hoc fieret, ut plures sibi panes, aut unum maximum sacraret, ob ipsum experimentum decepit, aut suæ partis quispiam forte cum catholicis missam

celebrans itidem fecit, corpus equidem Christi quod sacratum est credimus, sed aut nunquam in secessum isse, aut eodem tempore Domini corpore invisibiliter assumpto, dignum fallendis refellendisque hæreticis qui secessum faceret panem ab angelis, sive a malignis spiritibus repositum respondemus. Nam in Vitis Patrum (quas et si Berengarius recipere non vult, ad instructionem tamen aliorum hoc profero) legitur, quod aspiciente quodam sanctissimo Patre, cujus ad id cernendum Deus oculos aperuerat, quibusdam indignis communicaturis corpus Domini invisibiliter angelus subtrahens, carbonem porrigebat, contra hanc de secessu quæstionem postero fortasse præmuniens. Non quod id semper indignis communicaturis faciat, sicut de hac re, volente Deo, posterius ostendemus. Sed et beatus Augustinus, quem saltem Berengarius nunquam respuit, in libro De civitate Dei (lib. XVI, c. 18), similem subtractionem per apostatas spiritus factam de Iphigenia virgine, regis Agamemnonis filia, dicit, asserens quod cum a patre diis immolanda esset, ut miraculi novitate miseros altius falleret, diabolus eam subtraxerit, pro qua interim alicubi sumptam cervam supposuerit. De quodam etiam suis temporibus magna contigisse mirabilia refert, qui inter jumenta videbatur in specie caballi frumenta subvehere, cum ipse interim gravissimo sterteret velut somno oppressus, et ejus specie assumpta diabolus, ac deinde coram hominibus in caballum transformatus frumenta portaret. Quocirca, quoniam vel in missa non credentium virtutem verbi Dominici, corpus Domini non fit, vel certe corpore Domini divina virtute, vel angelico ministerio invisibiliter ablato, potest hæreticis secessui congruus panis, aut ab angelis, aut dæmonibus subjici, jam de tali experimento Berengarius et sequaces ejus contra Ecclesiam Dei desinant oblatrare, cum, salva usquequaque in sacrosanctis mysteriis Dominici corporis veritate, magis ipsi altius in sua stultissima curiositate convincantur errare.

ROGERIUS.

Revera Dei gladio armatus multiplicem serpentem quæstionis hujus mira vivacitate concidisti. Et ego gratias ago Deo, quia de quo vehementer angebar, sufficienter mihi satisfactum esse conspicio.

GUITMUNDUS.

Nonne et illud audisti in quo vel maxime deridendo catholicos, gloriatur?

ROGERIUS.

Quidnam illud?

GUITMUNDUS.

« Christus, inquit, nunquam fuit seminatus, neque collectus in agris; sed ista fuerunt seminata in agris et collecta : quomodo ergo possunt esse corpus Christi? »

ROGERIUS.

Hoc profecto argumentum vel nunquam audieram, vel mente excesserat, cui quid responderi congrue debeat, abs te consequenter exponi desidero.

GUITMUNDUS.

Irridenda plane hæretici insana derisio. Quis est
A enim hominum, in cujus carnem manducata non mutentur ea quæ fuerunt seminata et collecta in agris? Quo fit ut omnes homines, qui vescuntur his quæ in agris seminata et collecta sunt, seminati et collecti in agris possint dici. Et sic falsum est quod ait Berengarius : « Christus nunquam seminatus est neque collectus in agris. » Aut si propter hanc causam nullus homo seminatus vel collectus in agris creditur, quid ergo impossibile est, si in Christi corpus neque seminatum in agris, neque collectum ea quæ in agris seminata et collecta sunt convertantur? Sed neque ea quæ fuerunt in agris seminata et collecta converti hic dicimus. Panem enim in carnem converti hic dicimus; panis vero nunquam in agris seminatur vel colligitur, sed grana ex quibus
B conficitur. Quod si ita est, falsum ergo et illud est quod ait Berengarius : « Ista fuerunt seminata et collecta in agris. » Rideatur igitur et in his, nec timeatur vanus irrisor, cum omnia ornamenta oppositionum ejus, velut aranearum telæ, conatu facili disrumpantur.

ROGERIUS.

Recipienda dignissime et toto corde amplectenda videntur mihi cuncta quæ dicis.

GUITMUNDUS.

Hæc igitur sunt omnia in quantum adhuc audivimus, quibus tanquam rationibus Berengarius et fautores sui contra Ecclesiam Dei hactenus cavillati sunt. Quibus arbitror, sufficienter explosis, jam nunc ad ea quæ de scripturis sanctorum Patrum sibi vi-
C dentur sumere patrocinia veniamus.

ROGERIUS.

Augustinus in libro De doctrina Christiana (lib. III, c. 9), cibum Dominici altaris signum et figuram, ut ipsi asserunt, nominat, dicens : « Hoc vero tempore posteaquam per resurrectionem Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ jam intelligimus operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradit disciplina : sicuti est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini, quæ unusquisque cum percipit quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed
D spirituali potius libertate veneretur. Ut autem litteram sequi et signa pro rebus quæ his significantur accipere servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est. » Audisti igitur, inquiunt, quod sacramenta altaris signa dicit? Deinde infert : « Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur. » Audisti quia non carnali servitute, sed spirituali libertate veneranda esse ista dicit? Et quasi quæreres quid est carnali servitute signa venerari. « Litteram, inquit, sequi, et signa pro rebus quæ his significantur accipere, servilis infirmitatis est. »

Item in sequentibus (lib. III, c. 16): Si autem flagitium aut facinus jubere, aut utilitatem et beneficentiam videtur vetare, figurata locutio est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Facinus vel flagitium videtur jubere: figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.» Audisti ergo, aiunt, figuram. Quid amplius requiris? Adde tamen quod apud omnes ecclesiasticos auctores, sed et in collectis missarum quas ubique Ecclesia celebrat, panis altaris dicitur sacramentum: quod est sacrum signum.

GUITMUNDUS.

O viri insipienter sapientes, nec Augustinum, nec cæteros auctores sanctos, nec consueta Ecclesiæ verba intelligentes, aut certe male pervertentes præclara diligentia! Nusquam etenim Augustinus in libro De doctrina Christiana cibum altaris Domini, signum vel figuram vocavit, sed celebrationem Dominici corporis signum dixit, quod idem et nos credimus. Nam quoties celebratio corporis et sanguinis Domini agitur, non equidem Christum iterum occidimus, sed mortem ejus in ipsa, et per ipsam celebrationem memoramus; estque ipsa celebratio, passionis Christi quædam commemoratio. Commemoratio autem passionis Christi ipsam passionem significat. Celebratio igitur corporis et sanguinis Domini passionis Christi est signum. Et hoc est quod ait beatus Augustinus: «Hoc vero tempore, posteaquam per resurrectionem Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ jam intelligimus operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini.» Quod vero addidit, quia sequi litteram, et signa pro rebus quæ his significantur accipere servilis infirmitatis es; de signis Veteris Testamenti, de quibus tunc loquebatur, hoc dicit. Revera enim servile erat et infirmum secundum litteram tantum circumcidi, pecudes immolare, neomenias et Sabbata celebrare agnum, petram et cætera hujusmodi quæ Christum significabant, pro Christo accipere. Quod si etiam de celebratione Dominici corporis, quam signum vocavit, hoc Augustinus dixit, et nos ultro sequimur. Nam, cum dicimus in celebratione Dominici corporis *Christus immolatur* nemo carnaliter hæc secundum litteram debet accipere. *Christus* enim semel mortuus, *jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Sed dum passionem ejus missas celebrando memoramus, pro nobis olim mortuus designatur. Denique si quis dicat: Celebratio Dominici corporis est Dominica passio, tanquam carnaliter sentiens a nobis repellitur. Non est enim celebratio ipsa Dominica passio, sed Dominicæ passionis jam

A peractæ significativa commemoratio. Ubi autem sequitur Augustinus dicens: «Si autem flagitium aut facinus jubere, aut utilitatem et beneficentiam videtur vetare, figurata locutio est: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI), facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, ut pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.» In qua re facinus vel flagitium videatur præcipere, ipse Augustinus in alio loco satis diligenter exponit. Non nostram opinionem in verbis Augustini sequamur, sed ipsum se diligentissime exponentem audiamus. Exponens enim psalmum nonagesimum octavum, sic dicit: «Durum illis visum est quod ait: *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam.* Acceperunt

B stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis et dixerunt: *Durus est hic sermo.*» Sed et super Evangelium secundum Joannem, ubi hæc eadem verba copiosius tractavit, hoc ipsum flagitium vel facinus quod eum præcipere putabant, latissima expositione prosecutus est dicens: «*Hoc vos scandalizat*, quia dixi carnem meam do vobis manducare, et sanguinem meum bibere? Hoc vos nempe scandalizat. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Quid est hoc? Hic solvit quod illos moverat, hic aperuit unde fuerant scandalizati: hic plane si intelligerent. Illi enim putabant erogaturum corpus suum, ille autem dixit

C se ascensurum in cœlum utique integrum. *Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*, certe vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis, erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus.» Et iterum: «Isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Jesu. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperientem; sed prout voluerunt ita intellexerunt, et more hominum, qua poterat Jesus aut hoc disponebat Jesus, carnem qua indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se.» Et paulo post: «Quid ergo? Non prodest quidquam caro: non prodest quidquam; sed quomodo illi intellexerunt.

D Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.» Et iterum: «*Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*, sicut illi intellexerunt carnem, non sicut ego do ad manducandum meam carnem.» Certe ergo satis in his verbis declaravit sanctus Augustinus quod flagitium vel facinus videbatur Dominus jubere: hoc videlicet, quod eis qui audiebant, durum visum est. Unde et scandalizati sunt quia et acceperunt, inquit, stulte et carnaliter. Sed quare stulte et carnaliter? Quia putaverunt, inquit, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis, putaverunt quod gratia ejus consumeretur morsi-

bus, et carnem qua indutum erat Verbum veluti concisam, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, distribueret credentibus, non sicut spiritu vegetatur. Hoc est ergo facinus vel flagitium, quod, ut ait beatus Augustinus, videbatur Dominus jubere, non quia facinus aut flagitium juberet, jubendo manducari carnem suam, sed videtur (inquit) jubere, illis videlicet, qui putaverunt, quod hoc jubendo, necessario etiam se juberet occidi, et membratim conscindi, atque ita demum carnem ejus crudam vel coctam manducari. Proinde ergo figura est, inquit, in hac locutione. Hic jam obstrepit, hic jam adgaudet fortassis umbraticus. Noli præpostere, umbratice, noli præcipitanter gloriari: cujus rei figura dicatur hic esse, patienter et diligenter adverte. Figura ergo est, ait Augustinus, præcipiens. Quid præcipiens? Quid figurans? Hoc enim figurat, quod præcipit, passioni Domini, inquit, communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit. Deo gratias. Quidquid igitur illud est, quod Augustinus hic figuram appellat (nam quid figuram dicat in his ejus verbis cognosci non tam facile potest) non utique corporis Domini, sed crucifixionis ejus et vulnerationis, hoc est, occisionis nostræque communicationis cum ea, id est, ut imitemur Christum et communicemus passioni ejus compatiendo, manifestissime figuram esse demonstrat. Paulo quoque apostolo concordante, qui ait: *Quotiescunque panem hunc manducabitis, et calicem Domini bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* ii). Quod si quæramus quid hic figuram Augustinus dixerit, nihil utique tam congrue videtur occurrere, quam id quod paulo superius doctor idem jam dixerat, id est, celebratio ipsa corporis et sanguinis Domini. Quas ob res, stulte et insipientissime Berengariani librum De doctrina Christiana nobis objiciunt, cum cibus altaris Domini nusquam ibi figura, nusquam ibi signum dicatur: et quidquid illud sit, quod signum ibi et figura dicitur, non utique signum et figura corporis et sanguinis Domini. sed passionis Domini et nostræ communicationis cum ea, certissime demonstretur. Porro autem si ipsam eucharistiam contentiose asserunt ab Ecclesia vocari signum et figuram (vocatur enim sacramentum, id est, sacrum signum), quid sibi, quæso, in hoc conferent, quid nobis oberunt? Nos quippe illam non veremur dicere figuram et sacramentum. Hic fortasse respondebit umbraticus, quod et dicere solitus est: Si figura est, quomodo veritas? Si sacramentum, quomodo veritas? O male cordati hominis insulsissima ratio. Non legistis in Evangelio ipsum Christum signum appellari? dicente Simeone: *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* ii). Et in Canticis canticorum ipse ad sponsam suam dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum* (*Cant.* viii). In Isaia quoque legitur: *Erit radix Jesse, qui stat in signum populorum* (*Isa.* vii). Quapropter si Christus est, et verus Christus est, et signum: nihil nos impedit, si hoc quod de altari Domini sumimus, cum sit verum Christi corpus, dicatur et signum. Sed cujus rei, forsitan inquies, nisi Dominici corporis est signum? Et ego vicissim abs te requiro, cujus rei Christus est signum? Si mihi respondes, tu ipse quod interrogas solvis. Si illud mihi non respondes, nec me respondere hoc cogis. Ad instructionem tamen fidelium, de hac re sicut Dominus dederit aliqua dicam: Christus enim, quoniam seipsum pro nobis obtulit, factus est nobis signum redemptionis. Omne enim pretium translationis, ejus rei cujus est pretium, signum est. Christus igitur quoniam quidem Redemptor noster est, de morte ad vitam ipse nos transtulit; et quoniam ipse est et pretium nostrum, hujus nobis translationis, id est, nostræ redemptionis est signum. Non absurde ergo credimus, si simili quoque ratione cibum altaris Dominici, et propter virtutem Divinitatis in eo plenissime habitantis, nostræ salutis effectivum, et quoniam pretium nostrum est, ejusdem salutis nostræ credimus significativum. Christus denique inter Deum et homines mediator (*I Tim.* ii), dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex divina consistens et humana substantia, fulget in prædicatoribus, cum, que Pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum et homines signum est fœderis sempiterni, juxta quod scriptum est: *Ponam arcum meum in nubibus et erit signum fœderis mei inter me et inter terram* (*Gen.* vii). Hujus quoque divini fœderis, hujus tam saluberrimæ pacis, sacrosancta altaris oblatio a nobis creditur signum. Sed et illud quod de Virgine natus est Christus, nobis est signum, quod et nos de matre virgine in Christo renascimur, quam *despondit* Apostolus *uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* xi), quæ est Ecclesia. In Christo crescente profectum nostrum *donec occurramus omnes in virum perfectum* (*Ephes.* iv), præsignatum attendimus. Ipse dæmonia ejicit, sanitates perficit, tertia die consummatur. Et nos primo quidem vitia expellimus, virtutes deinde nutrimus, tertio perficimur. Et quid amplius referam, cum tota ejus in hoc mundo carnalis conversatio, omnisque secundum carnem disputatio, nostræ vitæ Christianæ proponatur in signum? *Si enim dicimus nos in Christo manere, debemus sicut ipse ambulavit et nos ambulare* (*I Joan.* ii): Ut tamen et de fine aliquid memorem, idem crucifixus, mortuus, sepultus et resurgens, ad Patris dexteram demum ascendens, nonne juxta Apostolum hoc nobis designat, ut quotidie, sicut ipse præcipit, crucem nostram bajulemus (*Luc.* ix), quotidie huic mundo moriamur, *consepulti quoque* etiam non attendamus præsentia, sed sicut filii resurrectionis *ambulemus in nova vita,* ut post labores hujus sæculi conscendamus et nos ad cœlestia regna: *si enim,* ait Apostolus, *complantati fuerimus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus: hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut destruatur corpus peccati. Et quicunque ba-*

ptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus, consepulti ei per baptismum in mortem ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). Nam quod post hanc vitam bene gestam cœlestia petamus, omnium Christianorum orthodoxorum testis est fides. *Scimus enim*, juxta beatum Apostolum, *quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod habitationem habemus ex Deo, domum non manufactam in cœlis* (*II Cor.* V). In his igitur omnibus suæ sanctæ Ecclesiæ signum nobis Christus occurrit, quod in cruce pendens sanctissima sua auctoritate ipse confirmavit, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Math.* XXVII) Ubi enim Pater eum, aut quando dereliquit, cum ipse dixerit: *Non sum solus, quia Pater mecum est* (*Joan.* VIII)? et iterum: *Pater scio quia semper me audis* (*Joan.* XI)? In se ergo Ecclesiam suam quondam in Adam derelictam sine dubio figurabat. Cumque sicut nos beatus apostolus Paulus docuit: *Ipse caput Ecclesiæ* sit, et *Ecclesia corpus ejus* (*Coloss.* I): ipsum suum proprium, quod de beata Virgine sumpserat corpus, corporis sui, quod est Ecclesia, signum est, et figura et sacramentum. Quod videlicet Ecclesiæ corpus ad instar capitis sui, de Spiritu sancto et Ecclesia virgine corde nascitur; et ex omnibus gentibus, tanquam ex diversis membris in unum novum hominem congregatur. Omnia porro hæc, per id quod de altari Dominico sumitur, non incongrue credimus figurari. Nam ut inde facili compendio satisfaciam, neque tamen rationes altissimas divinorum mysteriorum passim prodam: de hoc certe universalis Ecclesia testis est, quia quotiescunque id sumimus, nos utique Christianos esse, id est, spiritualiter natos ostendimus. Consequenter ergo et concrucifixos, et conmortuos, et consepultos Domino nostro, per baptismum in mortem, sed et consurrexisse nos declaramus. Per hanc quoque vitia expellimus, per hanc nos in nova vita confirmari confidimus; per hanc postmodum perfecto ad regnum æternum nos ascensuros speramus. Jam vero quod unitatem corporis Ecclesiæ sacra figuret oblatio, non est necesse ut hoc probando laborem. Paulus enim id sufficienter declarat apostolus dicens: *Panis quem frangimus, et calix cui benedicimus, nonne participatio corporis et sanguinis Domini est? quia multi unum sumus in Christo* (*I Cor* X). Quod beatus Cyprianus intelligens in epistola ad magnum quemdam ita prosequitur (*lib.* I, *epist.* 6): « Denique unanimitate Christianos firma sibi atque inseparabili charitate connexos, ipsa etiam Dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat, commistione adunatæ multitudinis copulatum. Unde et beatus Augustinus super Joannem dicit (*Tract.* XXVII): « Hunc itaque cibum et potum, societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia. Et paulo post: « Propterea quippe, sicut ante nos intellexerunt, ait, homines sancti Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud unum ex multis granis conficitur; aliud unum ex multis acinis. »

Aptissime igitur et rationabiliter sacra oblatio, cum aliorum multorum bonorum, tum etiam corporis Domini, id est, Ecclesiæ ex multis hominibus vel populis velut granis, inter duo Testamenta, tanquam superiorem et inferiorem molam contritis, id est, humiliatis, per aquam baptismi, et ignem Spiritus sancti in unum collectæ atque compactæ, dicitur signum. Ipsius vero corporis quo divinitas Salvatoris proprie induta est apud quempiam auctorum, aut nusquam, aut vix signum aperte dici reperies. Ubi sane invenitur eucharistia dici sacramentum corporis Domini, aut constructionem verborum, sic resolvimus: Eucharistia est sacramentum quod est corpus Domini, ut ipsa quidem sit vere corpus Domini, sacramentum vero sit aliarum rerum, prædictorum videlicet bonorum. sicut solemus dicere: Deus est fons bonitatis, id est fons qui est bonitas, et plenitudo divinitatis, id est plenitudo quæ est divinitas, et multa hujusmodi alia. Aut certe intelligimus quod ipsa quidem sit corpus Domini, ipsius videlicet Verbi Dei proprium, et corporis Domini, quod est Ecclesia, sicut beatus Apostolus docuit, sacramentum. Quod si uspiam inveniretur etiam ipsius corporis quo Verbum Dei indutum est (quod tamen nusquam aut vix clare occurrit) sacramentum dici; quid nobis officeret, in quo fidem nostram labefactaret? Nunquid enim nullum sacramentum est, id cujus est sacramentum? Aut nulla figura est id cujus est figura? Quid ergo de Filio Dei in epistola ad Hebræos Paulus dicit: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I), id est Patris? Nunquid non est Filius id quod Pater? Absit. Filius enim id omnino, quod Pater, est, et nihil aliud quam id quod Pater est. Falsum est igitur dicere quod nulla figura sit id cujus est figura. Denique et Christus olim docens, miracula faciens, justissime inter homines vivens, manducans, bibens, dormiens, cæterasque nostræ humanitatis proprietates in se ostendens; quid nobis aliud quam seipsum Deum hominemque designabat? Sed et nunc quoque pro nobis interpellans, hodieque corpus suum cum cicatricibus vultui Patris ostendens, se pro nobis natum, passum ac resurrexisse, atque ad cœlos ascendisse designat. Idem igitur Christus sui ipsius est sacrum signum, id est sacramentum. Hæc eadem quoque divina nobis oblatio, sine fidei nostræ periculo signare potest. Cum hæc igitur ita sint eadem nobis per omnia, quæ et Christus, Eucharistia nostra significare invenitur: et quarum rerum illa, earumdem et

Christus sacramentum. Quæ cum ita sint nemo tamen idcirco dicit Christum umbram Christi, et non verum Christum esse; nec corpus ejus, quoniam corporis sui, quod est Ecclesia, et sui ipsius ut nunc ostendimus, significativum est, umbraticum et non verum corpus existere. Nemo igitur dicat eucharistiam nostram propter prædictas significantias umbram illius Dominici corporis, quod divinitas Salvatoris sibi proprie induit, et non ipsum verum et proprium Salvatoris corpus existere; nam si ob prædictas significantias ipsa non est verum Chrsti et proprium corpus, propter easdem significationes nec Christus erit verus Christus. Sed absit ab omnium mentibus hoc, ut quoniam tot tantorumque bonorum nobis est sacramentum Christus, idcirco ejus veritas ullatenus evacuetur. Absit ergo pariter ab omnium cordibus ut eucharistia nostra, quoniam nobis eadem bona significat, idcirco verum Christi et proprium corpus esse negetur. Quapropter satis, ut arbitror, abundeque monstratum est, quidquid ex prædicta beati Augustini scriptura aut ex nominibus, sacramenti videlicet, et figuræ, et signi quæ in usu tenet Ecclesia, adversarius objicit, nostræ fidei nihil obesse, verum quam pueriliter etiam in aliis desipiat, ex his patere.

ROGERIUS.

Constat equidem satisque probatum est nunc abs te quia sui ipsius Christus et signum; verumtamen id quomodo esse possit, desidero plenius declarari.

GUITMUNDUS.

Quid super hoc miraris? Res enim ita solemnis est ut neminem deceat dubitare. Quis enim hominum est (verbi causa) qui operans quidlibet, vel etiam solo suo motu spontaneo non significet se viventem? Itaque fit ut unus homo in substantia semper idem, secundum diversa opera seipsum significare possit. Ita ergo Christus substantialiter semper idem, tamen visibilia operans, seipsum significat invisibilia sperantem. Sed et verbo et habitudine, seu specie corporis his quibus aliquando apparuit, significavit se propitium vel iratum. Ad hunc quoque modum sacri altaris oblatio, cum substantia corporis Christi veraciter sit, secundum visibilem speciem et visibilia mysteria, vel de ipso Domino, vel de ejus Ecclesia, absque fidei nostræ periculo aliqua significare potest.

ROGERIUS.

Perge quo intenderas; nam de his insanissimum est amplius dubitare.

GUITMUNDUS.

Illud sane Berengarium movere permaxime solet quod, in expositione supradicti nonagesimi octavi psalmi, beatus Augustinus de verbis Domini ad discipulos ita dicit: «Cum remansissent cum illo discipuli duodecim, instruxit illos, et ait illis: *Spiritus est qui vivificat; caro autem nihil prodest. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI.) Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent.» Si ergo, ait Berengarius, non hoc corpus neque illum sanguinem, restat ut quod de altari sumitur, umbra tantum sit corporis et sanguinis et figura.

Quod si superiora Augustini verba in expositione ejusdem psalmi, vel certe in expositione Evangelii ubi hæc eadem verba Domini tractantur, diligenter advertisset, nunquam ex his forsitan erroris hujus calumniam perstruxisset. Sed infelix homo, diu in peste hæretica inveteratus, suadente diabolo cujus retibus pene inexplicabiliter implexus est libentius omnes ingenii sui vires ad aucupandum unum verbum, quo male intellecto propagatam stultitiam munire videatur, accommodat, quam divinarum Scripturarum providentissimam vigilantiam contra se valide reclamantem, vel tenuiter attendat. In eodem quippe psalmo hæc prædixerat beatus Augustinus: « Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est; et de carne Mariæ carnem accepit, et in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.» Si ergo ipsam carnem, quam de carne Mariæ accepit, in qua hic ambulavit nobis manducandam ad salutem dedit, quomodo non hoc corpus, nisi quia ipsam carnem dat nobis manducandam in eadem substantia, non hoc autem corpus, id est in eadem forma, ac si diceret: Corpus quidem meum, sicut audistis, dabo vobis, sed non secundum hoc quod videtis, id est non tale quale videtis, non in hac forma, non in hac specie quam videtis. Alioquin cur addidit: quod videtis, cum sufficeret dixisse non hoc: nisi quia hoc secundum essentiam, non hoc secundum quod videtis? Denique ut hoc quod dicimus Augustinum sensisse cognoscas, recense attentius quid in eis qui scandalizati sunt in expositione hujus psalmi vel Evangelii culpaverat. Certe enim substantiam illam quam cernebant oculis, datum iri sibi ad manducandum putabant, non panem, non aliud quidpiam. Augustinus autem hoc stulte et carnaliter dicit eos accepisse.

«Putaverunt enim, inquit, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis. Putaverunt quod gratia ejus consumeretur morsibus, et carnem qua indutum erat Verbum, non integram, sicut ascendit in cœlum, sed veluti concisam, vel quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, distribueret credentibus, non quomodo spiritu vegetatur, id est, non vivam. Nam si spiritu vegetatur, » viva est. Quid ergo si putassent se accepturos carnem integram, non per particulas concisam, non mortuam, sed vivam; non sicut in macello venditur, sed vivam sicut spiritu vegetatur? nunquid errassent? Utique non errassent. Dum enim culpantur, non ideo, quia illam carnem, id est ejusdem substantiæ se manducaturos putabant, sed hoc solo, quia non integram, non vivam, atque consequenter absque culpa fuissent, si eamdem, id est ejusdem substantiæ carnem se manducaturos putassent integram et vivam. Quod

si consequitur, imo quia consequitur, vide quam efficaciter Berengarii sententiam omnemque umbraticorum errorem prorsus interimit. Quare si hoc modo, quo diximus, convenientissime prædicta Augustini verba nulla circumstante parte Scripturæ reclamante, imo tota serie diligenter inspecta, et Evangelii expositione suadente, imo necessario cogente, intelligi possunt, quid sibi in his præsidii Berengarius contra nos collocat? quæ, ut indulgentius loquar, etiam in ambiguo essent, non magis suæ parti quam nostræ opitularentur. Nunc autem cum et ipsius Scripturæ circumstantia, et tractatus Evangelii tam perspicua ratio, et universalis Ecclesiæ auctoritas, nostro sese intellectui conferant, nihil hic loci ulterius habens hæreticæ corruptionis infectio contiscescat. Aut certe, si quo pacto nostram se confidit reprobare posse sententiam, aut suam ostendere meliorem, æquo animo audire parati sumus. Non enim quidquam subterfugere volumus, quod non diligenter, auxiliante Christo, discutiamus. Hoc idcirco dico, quoniam me audisse existimo, quod Berengarius de pronomine *hoc*, ad hunc modum ratiocinetur. *Hoc*, inquit, pronomen est, pronomina autem substantiam sine qualitatibus significant. Cum igitur dicit, non hoc corpus, de substantia corporis, non de qualitatibus dicit. Hic exclamare compellor juxta prophetam et Apostolum : *Ubi est litteratus?* Ubi trutinator, verborum *Ubi legis verba ponderans* (*Isa*, XXXIII) : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* (*I. Cor.* I.) Vere stultam dixerim hanc sapientiam. Nam iidem ipsi grammatici, qui hujusmodi proprietatem partium orationis dixerunt, figuras etiam loquendi, quibus a sua proprietate partes orationis decentissime plerumque deficiunt, tradiderunt et mirifice laudaverunt. Quis denique est qui, quotidiano usu loquens aut dictans, reprehendatur, si ita dicat : Non sum ego ille qui quondam fui, tu non es is vel ille qui solebas, cum eadem substantia sit, sed qualitates diversæ ; sed et dialectici, qui pernimium verba appendunt, quotidie res differre, et easdem esse non tantum secundum substantiam, sed etiam secundum qualitates et dicunt et legunt. Quod si *ille*, et *is*, et *idem*, pronomina sunt, et non semper substantiam, sed etiam qualitates apud doctissimos etiam persæpe significant, cur et *hoc* pronomen non possit idem pati? An quia Berengario non habenti unde suam aliter muniat hæresim, id non placet? Placuit tamen summæ auctoritatis quibusdam auctoribus grammaticæ artis non solum figurate qualitates in pronominibus posse accipi, sed etiam *talis* et *qualis*, quæ propriæ qualitatis significativa sunt, inter pronomina numerari. Sed viderit ille peritissimus grammaticus Donatus, qui, *qualis* et *talis* pronomina esse voluit, quid dixerit. Ego enim de auctoribus grammaticæ artis judicare nunc opus non habeo, cum ipsa argumentatione adversarii commodissime mihi uti possim, dicens : *Ipsa* pronomen est. Pronomina autem substantiam significant

A sine qualitatibus. Cum igitur Augustinus dicit : « In ipsa carne ambulavit, et ipsam nobis manducandam ad salutem dedit, » substantiam carnis Christi, non figuram nos manducuare dicit. Idem, *hoc* pronomen est. Cum igitur idem Augustinus dixerit in sermone ad Neophytos : » Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, et hoc accipite in calice quod effusum est de Christi latere : » substantiam corporis et sanguinis(Christi, non figuram nos manducare et bibere declaravit. Hæc igitur argumentatio tua o quisquis ea niteris, si quidem infirma est, nobis adeo curanda non est. Si autem firma, plus nobis quam tibi prodest, cum eam tu nonnisi in uno loco habeas, nos vero in multis. Cumque sibi Augustinus ita contrarius sit, aut non est jam

B recipiendus, aut in pluribus testimoniis magis quam in uno credendus : facilius quippe in uno quam in pluribus vel ipse errare, vel codices ejus ab aliquo falsatore corrumpi potuerunt. Elige igitur quod placet : aut infirma est hæc tua ratiocinatio, et nihil conficit ; aut firma, et nobis plurimum proficit. Nam si infirma est, ubi dicitur, non hoc corpus, non de substantia dictum esse comprobat. Si autem firma, ubi dicitur, ipsam carnem nobis manducandam dedit, et hoc accipite, et cætera similia, de substantia intelligenda esse confirmat. Aut si forsitan dicas : Ego sic illa pronomina resolvam ; ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, id est ipsius carnis figuram, et hoc accipite in pane, id est hujus corporis figuram accipite in pane, et ad hunc mo-

C dum cætera ; si hoc, inquam, dicas, et nos eodem modo tuum pronomen resolvimus dicentes : non hoc corpus, quod videtis, dabo vobis, id est, Non hujus corporis figuram ; non umbram, sed veritatem dabo vobis. Illas enim tuas resolutiones talis resolutio sequitur. Si ergo resolvendi figuras in pronominibus contra nos suscipis, qua fronte easdem contra te recusare possis? Aut igitur eas adhibe, et tuas tibi umbras auferunt ; aut respue, et nobis plurimum conferunt. Nam si prædictas resolutiones pronominum contra nos proponis, quod nobis opposueras capitulum, contra te et umbras tuas manifeste convertis. Si autem respuis et substantivam significantiam semper in pronominibus obstinate requiris. Augustinum in multis aliis, ut dixi, huic uni capitulo adversantem, tibique et sibi contrarium

D aut non recipimus, aut pluribus testimoniis magis credentes quam uni, concludimus quod optabamus, scilicet, quia substantive non umbratice corpus Domini manducamus. Quaquaversum igitur fugias, ex his palam est, quia si doctorem præcipuum Augustinum, quo maxime nitebaris, diligenter advertis, hujus erroris scilicet umbratici pestem absque ulla respiratione prorsus evertis. Pro inde hac dissoluta calumnia, ad illud etiam quod de epistola sancti Augustini ad Bonifacium Berengarius objicit, transeamus. Qua in re contentionis amore magis quam ratione aliqua, laborare satis aperte videtur. Quod enim ait sanctus Augustinus: *Sicut sacramen-*

tum corporis Christi, secundum quemdam modum, corpus Christi est, et sacramentum sanguinis Christi secundum quemdam modum, sanguis Christi est ita sacramentum fidei fides est, non id de sacramentis nostri altaris est necesse intelligi. Generaliter enim de sacramentis dixerat. Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac enim similitudine plerumque jam sacramenta ipsarum rerum nomina accipiunt. Deinde a genere ad partem descendens, per simile id quod intenderat conclusit, dicens : *Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi est corpus Christi*, etc., quod libera facultate intelligere possumus dictum esse de manna, vel de pane et vino Melchisedech (*Gen.* xiv), vel de aliquo veterum sacrificiorum, quæ sacramenta corporis et sanguinis Christi fuerunt. Possunt enim quodammodo per figuram corporis et sanguinis Christi appellari, sicut petra vocatur Christus. Et ideo non satis attendit homo quid opponat. Nam et si ex abundanti de sacramentis quoque altaris nostri dictum id velimus accipere, fidelis et facilis intelligentia patet. Cum enim sacramenta nostra sint substantive corpus illud quod est filii Dei proprium, sunt quodammodo per figuram ipsum corpus Christi, cujus sacramenta sunt, id est Ecclesia. Quod in expositione super Joannem confirmat Augustinus his verbis (*Tract*, 26) : « Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia. Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur et de Dominica mensa sumitur. » Idem in quodam sermone de sacramentis : « Qui passus est, inquit, pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento sanguinem suum et corpus, quod etiam fecit et nos ipsos. Nam et nos ipsius corpus facti sumus, et per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus. » Ecce quomodo cibum et potum altaris dixit esse quodammodo societatem corporis, quod est Ecclesia. Non quod ipse cibus et potus sit ipsa societas, sed ipsius societatis sacramentum, et hoc quod accipimus, dixit quodammodo esse nos, quia nostri est sacramentum. Ita ergo corpus Christi proprium est quodammodo per figuram illud corpus Christi cujus est sacramentum, quod est Ecclesia. Nec mirum cum ipse Dominus per prophetam dicat : *Indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis* (*Isa.* lxi). Se dicit sponsum, quia ipse Sponsus est, se dicit sponsam, quia ipse est quodammodo illud corpus suum, quod est Ecclesia, cujus ipse est sacramentum. Hanc intelligentiam nobis aptissime similitudo secuta commendat. Sicut enim dicimus proprium corpus Domini, alterius sui corporis, quod est Ecclesia, sacramentum, sic baptismum visibilem, alterius invisibilis, scilicet baptismi, cognoscimus sacramentum.

A Est namque baptismus exterior, aqua visibilis, carnem abluens ; est baptismus interior, fides invisibilis, animam simili modo purificans, teste beato apostolo, qui ait : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv). Et iterum : *Sic et vos salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (*I Petr.* iii). Proinde satis convenienter et sana fide intelligere possumus dixisse Augustinum, Sicut sacramentum corporis Christi, id est, sicut illud proprium Filii Dei corpus, quod est sacramentum corporis Christi, quæ est Ecclesia, secundum quemdam modum corpus Christi est, illud scilicet cujus est sacramentum, quod est Ecclesia. Ipse enim sponsus, ipse secundum quemdam modum et sponsa ; ita sacramentum fidei, id est exterior B baptismus, pro eo quod fidei signum est, secundum quemdam modum fides est. Offendit adhuc Berengarium sanctus Petrus, de Domino dicens : *Quem oportet cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium* (*Act.* iii). Si usque in finem, ait Berengarius, cœlo suscipi debet, nunquam de cœlo exit, ut in terris aliquando teneri possit. Nos credebamus Christum in cœlo regnare ; iste vero ita incarcerari ut etiamsi velit corporaliter usque in finem miseras non possit terras visere. Et Augustinus in libro De civitate Dei dicit (lib. xxii, ult. cap.) unumquemque sanctorum ad tantam gloriam perventurum, ut ubicunque volet suus spiritus, continuo sit et corpus. Et Berengarius asserit Christum ad tantam impotentiam devenisse ut qui de terra suum corpus elevavit ad cœlum, non possit illud usque in finem vel C ad horam reddere terris. O nimium cæca vanitas, et vana cæcitas ! Quis enim quotidiano usu loquens dicere metuat : Tot mensibus, vel tot annis in civitate illa mansit ille, etiamsi quotidie ad opus suum de ambitu exeat civitatis ? In Evangelio de Anna scriptum est quia non discedebat de templo (*Luc.* ii), cum tamen sæpius illam corporalis necessitas avocaret. Quapropter si ad terras Christum quotidie corporaliter descendere diceremus, beati Petri opposita nobis sententia non obesset. Sed absit hoc a Christianorum prudentia, ut sic dicamus Christum in terris sacrificari, vel manducari, ut necessario interim deserat cœlos. Ipse namque in cœlis totus est, dum totum corpus ejus vere manducatur in terris. Quod non esse habendum incredi- D bile ex virtute divinæ potentiæ, et ex supradictis exemplis, scilicet vocis et animæ satis facile comprobari potest. Quis vero risum tenere jam valeat, audiens Berengarium ipsa Domini verba de sacramentis interpretantem ? « Hoc, inquit, necessario panis, est corpus meum, et hic calix necessario vinum. » O impudentissima stultitia, et nimium patens, nec quid dicat, nec quorsum tendat aspiciens ! Quæ est enim hic necessitas, ut subaudiatur tam necessario panis et vinum, cum possit econtra congrue dici : hoc, subaudis corpus, jam non panis, est corpus meum ; et hic subaudiatur, potius, jam non vinum, est calix sanguinis mei ? Vel certe sic : Hoc,

subaudiatur hactenus panis, ex hoc jam est corpus meum, non panis; et hic calix, subaudiatur hactenus vinum, ex hoc jam est sanguis meus, non vinum. Vel certe sic absque istis subauditionibus: hoc enim pronomen non est ad supradicta relativum, sed tantummodo demonstrativum. Et ideo panis et vinum quæ supra in Evangelio nominata sunt, nulla hic necessitate subaudiuntur. Jam miseret me illius, et erubesco pro illo. Quis enim, nisi se ipse ita proderet, ejus nominis virum tam pueriliter garrire, et tam frivole desipere credere posset? Sed videamus per has tam necessarias subauditiones, tantus hic ratiocinator, quo pervenerit, quid confecerit, quid obtinuerit. Hoc, inquit, ut sacramenta altaris panis dicatur et vinum. Huccine igitur totus labor ille tendebat? Ad hoc solum ita te profudisti ut nec tuæ senectuti parceres quin te, pro disputatore egregio calomniosissimum cavillatorem, pro constructore perito, qualiumcunque panniculorum inertissimum et ineptissimum assutorem demonstrares? Quis enim id negat? Quis non id libenter fatetur, quod sacramenta Dominicæ mensæ recte panis et vinum vocantur, vel quia panis et vinum prius fuerunt, vel quia panis et vini similitudinem substantialiter transmutata servant? Sic namque serpens, qui de virga factus est, virga dicitur. Scriptum quippe est: *Devoravit virga Aaron virgas eorum* (*Exod.* VII), id est, serpens qui de virga Aaron factus fuerat, serpentes eorum. Sic homo quia inde factus est, sæpe terra, et pulvis, et lutum vocatur Sic etiam propter similitudinem dicit Apostolus: *Petra erat Christus* (*I Cor.* X). Et in Psalm. canitur: *Ego sum vermis et non homo* (*Psal.* XXI), cum substantialiter esset homo, sola similitudine vermis. Sic ultra numerum alia multa. Si igitur multæ res propter harum causarum alteram, recte aliarum rerum longe diversarum vocabulis nuncupantur, quanto magis sacramenta nostra propter utramque hanc causam, recte panis et vinum dici possunt, rerum videlicet quæ fuerunt multam retinentia similitudinem, cum substantialiter proprie Dominici corporis et sanguinis teneant veritatem?

Jam nunc illud quod ecclesiasticæ orationis auctoritate se conficere Berengarius jactitat, videamus: « Ecclesia, inquit, in missa quadam ita orat: Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Hic ergo ostendit se non habere rerum veritatem, sed speciem. » Heus, bone intellector, quarum, inquam, rerum speciem, non veritatem? Corporis, inquies, et sanguinis Domini. Bene. Considera ergo diligenter quod dicitur, ac mihi responde. Quid est quod nunc specie gerimus? Corpus, inquies, Domini specie, non substantive manducamus. Adde sequentia. Rerum veritate capiamus. Quid? In futuro ergo sæculo corpus et sanguinem Domini vere et subtantive manducabimus? Hoc quippe oratur ut id quod nunc specie gerimus, quidquid illud sit, illud idem in veritate capiamus. Quare, si semper in hoc sæculo corpus Christi, ut tu deliras, specie, id est, umbratice comedimus; restat, ut illud in altero sæculo substantive comedamus. Quod si sentire absurdissimum est, quam stultissime interpretaris orationem prædictam, jam nec teipsum latere puta. A capite igitur orationis quid velit Scriptura dicere, diligentissime videamus. Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta quod continent. Supra jam diximus, et beati apostoli Pauli verbis approbavimus, quod divina sacramenta unitatem corporis Christi, quæ est Ecclesia, disignarent, et hoc est quod significando continent. Hoc igitur rogat Ecclesia dicens: Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta quod continent, id est, « perficiant » ut nos vere simus unum Christi corpus, una Ecclesia, quod videlicet significant: ut quod nunc, id est, dum manducamus corpus Filii tui, specie gerimus, id est, figura tanti sacramenti significamus: hoc rerum veritate capiamus, id est, revera unum Christi corpus et una Ecclesia simus. Iste, credo, intellectus possibilis est, et Scripturæ est convenientissimus et nobis utilissimus, hunc beatus Paulus apostolus comprobat, huic totius Ecclesiæ fides concordat; adversarii porro vesaniam nullius auctoritas munit, sed Ecclesia tota ut venenum mortiferum fugit. Non eum ulla prorsus utilitas, non oratio ipsa commendat, sed absurditas intolerabilis, quæ illum sequitur, omnino recusat. Quis igitur pro bestiali, pro stultissimo, imo impossibili sensu, ullatenus debeat impediri, cum habeat rationabilem et congruentissimum intellectum, ac sapientibus omnibus amplectendum? Utrum ergo jam hæc sufficere æstimas, an adhuc plura requiris?

ROGERIUS.

Mihi plane ad cumulum ista sufficiunt, mirorque hæreticum suis objectionibus prostratum, ac propriis retibus irretitum.

GUITMUNDUS.

Hæc quidem sunt quæ ex libris beati Augustini, vel ex nomine sacramenti, seu ex oratione nunc discussa, Berengarium fidei nostræ objicere solere comperimus. Si qua vero alia ex beato Augustino objicit, in virtute Chriti confidens dico quia diligenter animadversa, aut pro nobis, aut non contra nos erunt. Proinde disputationis hujus hic terminum faciamus ea quæ restant alio initio, si voluerit Dominus, aggressuri.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Hactenus oratio ea, quibus adversarius et secundum rationes et secundum Scripturas contra Ecclesiam nitebatur, argumenta dissolvit. Quocirca hostium machinis, Deo auxiliante, copiose frustratis, etiam si nil amplius adderemus, sola tibi catholicæ fidei sufficere generalis consuetudo deberet. Illa enim sola firmissime tenenda est fides, etiamsi valde impugnetur, quæ catholica est. Quicunque enim vult salvus esse, sicut sancti Patres sanxerunt, et totus concinit mundus, necesse est ut teneat catholicam fidem. Quod si, impugnata, fortissime retinenda est, quanto magis, si omnia quæ sibi opponuntur expugnans patet ipsa inexpugnabilis, nullatenus relinquenda est? Sed quoniam et valde multa ad roborandas adhuc partes nostras, et adversariorum diruendas, Deo juvante, addi possunt, et te sitienter ea desiderare certe scio, tuis orationibus, Domino nobis favente, de sanctis Scripturis adhuc aliqua proferemus, quibus et hostis lubricus plenius prosternatur, et nostræ partis robur invincibile per propria argumenta nostra amplius demonstretur. Ac primo quidem juxta ordinem quæstionum, quod corpus Christi verum in substantia sua, non in umbra Berengariana comedimus, approbemus; deinde contra impanatores Dominici corporis vigilabit oratio.

In principio ergo disputationis nostræ, quoniam ex beato Augustino scandali pene totius videtur esse principium, quid nobilissimus idem doctor de sacrificio Ecclesiæ in expositione tituli tricesimi tertii psalmi sentiat videamus. Tractans enim quomodo David in manibus suis ferebatur coram Abimelech, ait: « Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Aliorum potest portari homo in manibus, suis nemo portatur? Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis. » O sententia lucidissima! o sententia fidelissima! o sententia vere beatissimo et excellentissimo doctore Augustino dignissima, a qua nulli est recedendum; cui ab omnibus est reverendissime concedendum! Quod in David, inquit, et in aliis hominibus secundum litteram non invenitur, in Christo invenitur. Quid illud? « Ferebatur enim, inquit, Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* » Si secundum litteram, id est, sicut littera sonat, hoc in Christo invenitur, non igitur umbratice, non figurative, sed substantive Christi corpus erat quod ferebatur. Si enim in Christo accipitur *hoc*, ut isti volunt, secundum figuram, non A secundum corporis sui substantiam, quod ferebatur in manibus suis, quomodo id invenitur in eo secundum litteram? Nunquid secundum litteram Christus est petra, et leo, et agnus, et serpens, cum sit hæc omnia secundum figuram? Minime. Sed in Christo invenimus, inquit, quomodo intelligatur secundum litteram? Aliter enim nullo modo construi potest oratio, quæ de Christo concedit quod de David negaverat. Non igitur ut isti volunt, secundum figuram, sed secundum substantiam. Diligenter, quæso, omnis prudens lector advertat, quam efficacissime hinc omnia hæreticorum istorum sophismata excludantur.

Ponamus enim, si placet, quod adversarii hinc dicere possunt, ut quid sequatur clarius elucescat. Cum enim ait: « Ferebatur Christus in manibus B suis, » et deinde: « Ferebat illud corpus in manibus suis; » si adversarii nostri hoc pro sua parte sic exponunt: Ferebatur Christus in manibus suis, id est, ferebatur umbra tantum vel figura Christi, non substantia in manibus suis, et ferebat illud corpus, id est umbram vel figuram illius corporis, non substantiam; si hoc, inquam, ita exponunt, hoc idem in David, hoc idem in omnibus fere hominibus invenire possumus. Quis enim fere hominum aliquam sui figuram, in qua non sit substantia sua (verbi gratia, vel statuam vel picturam) in manibus suis ferre non possit? « Sed hoc, inquit, in ipso David non invenimus, et manibus suis nemo portatur. In C Christo autem, ait, invenimus. » Quoniam ergo dicit in Christo inveniri, quod in David et in aliis hominibus, quomodo intelligatur non invenit; facile autem aliquam figuram sui, in qua nihil sit de substantia sua, manibus suis ferre et David et cæteri homines intelligi possunt, restat manifestissime, et absque ullo scrupulo sentiendum quod non figuram tantum vel umbram, sicut adversarii nostri dicunt, sed substantiam sui corporis juxta Augustinum ferebat Christus. Quid hic umbratici respondebunt; Ubi in tanta luce lucifugæ nostri umbram parabunt? Ecce Augustini manifestissima documenta recitantur; nihil in eis scrupulosum, nihil ambiguum. Aut de his se explicent, aut Augustinum nobis objicere desistant; et sicut Augustinus testatur, D veritatem Dominici corporis nobiscum credant. Sed forsitan hoc non adverterant scriptum. Si enim hoc fideliter attendissent, adhuc suam hæresim ex beato Augustino non traxissent. Nam quidquid ex eo pro se decerpunt, id attente perspectum, sicut jam diximus, aut pro nobis, aut certe nihil contra nos facit. Hoc vero quod nunc protulimus tam manifestissime illos destruit, ut qua exeant, nulla ratione invenire queant. Ita quippe Scriptura perspicua, ita est omnino cautissima ut istorum garrulitas

nulla penitus tergiversandi argumenta reperiat. Nam ut virtutem ejus quam brevissime nunc ostendam, aut substantive corpus Christi erat quod Christus ferebat, de quo dicebat : *Hoc est corpus meum*, aut tantum figurate. Sed tantum figurate non possunt pati præmissa, quibus dicitur; quia in aliis non invenitur, quod in Christo invenitur. Alioquin inveniretur et in aliis. Omnis quippe homo figuram sui, in qua nihil de substantia sua est, ferre potest. Sed in aliis, inquit, non invenitur. Manibus enim, ait, suis nemo portatur. Non igitur figurate tantum, non umbratice, quapropter substantive corpus Christi erat quod ipse ferebat. Non satis exprimere possum quantum in his beati Augustini verbis oblector, quantumque super horum miserabili cæcitate admiror. Ex his namque patenter ostenditur quid voluerit idem vir beatissimus intelligi, in expositione mox ejusdem tricesimi tertii psalmi, ubi dixit : « Nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. » Item alibi. « Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in cruce : et hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. » Et in alio loco : « Hoc biberunt, postea credentes, quod prius fuderant sævientes. » Item in alio quod supra jam diximus : « Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est; et de carne Mariæ carnem accepit et in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. » Et multa alia in pluribus libris suis in hunc modum. Cum igitur beati Augustini scripta ut sacrosanctum prorsus et intemerabile isti venerentur et teneant, quid eos aliud jam nisi forte inolita diu cæcitas remorari potest quin nobiscum credant ?

Sed et tu doctor egregie, beatissime Ambrosi, spiritualis pater beati Augustini, quem idem vir sanctissimus in libris suis, sanctum et beatum nominat, cujus auctoritatem (teste Augustino) martyrum revelator Paulus apostolus commendat : quem beatus Gregorius vir plane apostolicus præ se gerit ; cujus doctrinam recipiendam beatissimus Benedictus teste S. Gregorio, sanctorum prophetarum spiritu plenus judicavit ; cui totius Ecclesiæ Mediolanensis gloria specialiter attestatur ; quem merito fidei totus orbis veneranter amplectitur (non enim tot et tanti testes si te in fide catholica errare scissent, tanto præconio te prædicassent) : quid tu, inquam, de sacramentis altaris sentias explanato. Dixisti certe in libro tuo De sacramentis (lib. VI, cap. 1) : « Sicut verus Dei Filius est Dominus noster Jesus Christus, non sicut cæteri homines per gratiam, sed quasi filius per naturam, id est, ex substantia Patris, ita vera ejus caro est quam sumimus, et verus ejus sanguis est quem potamus. » Teneo ergo te dixisse, quia vera ejus caro est quam sumimus, et verus ejus sanguis est quem potamus. Sed quatenus vera ? Figurate an substantive ? Doce per præpositam similitudinem, cujusmodi intelligamus hanc veritatem. Sicut verus Dei Filius est, Dominus noster Jesus Christus : adhuc parum est. Potest enim, sicut cæteri homines justi filii Dei sunt per gratiam, et ipse secundum quod homo est, dici verus filius Dei per gratiam, licet ineffabiliter ampliorem et excellentiorem quam cæteri homines. Adde quod satis est. Non sicut cæteri homines per gratiam, sed quasi filius per naturam, id est, ex substantia Patris. Ita ergo dicis veram ejus carnem quam sumimus, et verum ejus sanguinem quem potamus. Quomodo vero ita ? Id est, non sicut cæteræ res, quæ propter aliquam gratiam significationis, caro et sanguinis Christi possunt dici (sicut verbi causa, per gratiam figurationis, caro et sanguis agni paschalis in Ægypto immolati (*Exod.* XII), caro et sanguis Christi possunt appellari. Eodem quoque modo et manna et cætera quamplura similiter), sed sicut caro et sanguis per naturam carnis et sanguinis Christi. Aliter enim coaptari similitudo non potest, nisi quod ibi negat hic negemus, quod ibi affirmat hic affirmemus. Quamobrem si hanc similitudinem tam expresse positam sequimur, id quod de altari sumimus, Christi carnem et sanguinem substantialiter confitemur. Si enim sic esset dictum : Sicut verus Dei Filius est Dominus noster Jesus Christus, ita vera ejus caro est quam sumimus, et verus ejus sanguis est quem potamus, poterat equidem adhuc (ut dictum est) in ambiguo esse sententia. Nam Dominus noster Jesus Christus secundum id quod homo est, verus Dei Filius est ; sed per gratiam, ut diximus, non ex substantia Patris. Ac per hoc dici posset, ita vera ejus caro est quam sumimus, id est, per gratiam figurationis, non per substantiam carnis ; et de sanguine similiter. Quod si doctor egregius sensisset, nihil amplius addidisset. Quid enim necessarium erat addere, quod huic sensui tam evidentissime contrarium esset ? Nunc vero tam diligentissime addita determinatio dicentis : « Non sicut cæteri homines per gratiam. » Et ne qua forte hic erroris nubecula remaneret subjungentis, « sed quasi filius per naturam. » Et ne hoc etiam obscurum videretur, expressius exponentis, id est, ex substantia Patris : his (inquam) omnibus tam diligentissimis determinationibus ; subjungendo, « ita vera ejus caro est quam sumimus, et verus ejus sanguis est quem potamus, » omnes adversariorum calumniosas argumentationes excludit, et carnem Christi et sanguinem substantive esse, quod sumimus et potamus, ostendit. Quare si contra teipsum non disputas, o beate Ambrosi, ab hac fide non dissentis. Si autem non dissentis te utique quam Berengarium satius est imitari.

Vidisti plane quid nobilissimus doctor hoc in loco de sacramentis altaris absque ullo velamine sentiat. Attende jam quam breviter quid etiam in alio loco ejusdem libri dicat : « Quid argumentis, inquit, utimur ? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generavit et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid quæris na-

turæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Christus partus ex Virgine?» Quid melius, quæso, quid apertius dictum quæris? Si enim sacramenta altaris umbra tantum et figura Dominici corporis essent, quid hic præter naturam fieret, cum petra non præter naturam, sed potius propter naturam suæ stabilitatis, et agnus non præter naturam, sed per suam naturam, id est, per innocentiam, et similiter cætera Christum figurent? Longum est si cuncta, quæ ex beato Ambrosio contra Berengarium possumus adhibere testimonia, disseramus. Jam ad alios auctores transeundum est.

Sanctissimus papa, Leo antiquissimus, omni Ecclesiæ Dei venerabilis, dixit in quodam sermone (*De jejunio septimi mensis*): « Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur. Et frustra ab illis *amen* respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur. »

Beatus quoque Cyrillus cum ducentis episcopis in Ephesina synodo, quam beatus Gregorius tanquam unum ex quatuor Evangeliis suscipiendam asserit, sic ait : « Ad benedictiones mysticas accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Cristi omnium nostrum Redemptoris effecti : non ut communem carnem percipientes, quod absit! nec ut viri sanctificati et verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem ; sed vere vivificatricem, et ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, (quia) qui eidem propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* (*Joan.* VI), non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse poterit caro hominis? Sed profitemur vere propriam ejus factam : qui propter nos filius hominis et factus est et vocatus. » Et iterum : «Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria verbi vivificare valentis, anathema sit. » Sed ducentorum istorum pontificum anathema Berengarius non metuit, qui suum proprium anathema quod ipse sacramento Romæ fecit proprio ore, et proposuit et adjecit, tanquam proprium gladium furiosus incurrit.

Beatus quoque Gregorius in homiliis *in Evang* cap. 58) ait : Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. » Idem in libro Dialogorum ultimo. « Hæc namque, ait, singulariter victima, ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis Unigeniti mortem per mysterium

A reparat. *Qui licet surgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur Rom.* VI), tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur. Ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale pro nobis hoc sacrificium sit, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse; summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus

B fieri? » Quapropter jam nunc sibi ponant umbratici isti silentium, quibus tot tantique auctores incontradicibili auctoritate resistunt. Considerent etiam atque etiam, quid in multis locis sanctus Hieronymus, quid Isidorus, quid Beda, sed et omnes doctores præcipui, tam Græci quam Latini, de corpore Domini doceant, atque errori suo, tot cedentes tantisque doctoribus, finem ponant. Non enim omnia discutere propter tædium longi operis debemus, cum iis quæ discussimus rationabiliter contradici non possit.

Beatissimum tamen Hilarium Pictaviensem pontificem, fidei pene suo tempore singularem columnam, sanctissimi Martini institutorem, a beato quoque Augustino, cæterisque posteris doctoribus, nec non et ab omni Ecclesia Dei summa devotione

C susceptum, ad medium volo deducere. Commodissimum namque reor fore ut quid etiam hic mirabilis disputator, de eucharistia Domini in libro octavo. De Trinitate sentiat, subtiliter attendamus. Contra Arianos quippe disputans, ut substantialiter Patrem esse im Filio demonstraret, ipsum Filium in nobis substantialiter esse per eucharistiam probavit hoc modo : « Eos nunc, inquit, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem factum cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi

D homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus; quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo Patrem naturaliter in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria natus fuit Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unus erimus quia Pater in eo est, et ille in nobis : quo-

modo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sit sacramontum unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum : neque per violentiam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum a sanitate alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est, et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane iis verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secundum hoc quod sumus ipse est (hoc quod nos sumus in Deo est). Quam (quod) autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur, dicens : Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videtis, quoniam ego vivo, et vos vivetis. In illa die vos cognoscetis, quoniam ego in Patre meo et vos in me, et ego in vobis (*Joan.* XIV). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum ejus inesse mysterium crederetur : ac si perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens, maneret in nobis, et ita ad unitatem Patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam (quod) autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse attestatus est : *Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI) Non enim quis in eo (in se) erit, nisi in quo ipse fuerit : ejus tantum ipse assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat, dicens : *Sicut me misit vivus Pater, et ego vivo per Patrem : et qui manducat meam carnem, et ipse vivet per me* (*Ibid.*). Vivit ergo per Patrem ; et quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus; victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam suæ carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem?» Hoc totum ex prædicto B. Hilarii libro seriatim hic ideo interponere volui, ut perspecta attentius totius disputationis hujus ratio, quid de veritate Dominici corporis, quod de altari sumimus, beatus sentiat Hilarius, invariabili certitudine nos perdoceat. Probat namque disputator mirabilis, quia Pater naturaliter est in Filio, id est, substantialiter. Aliter enim istud naturaliter non debet intelligi. Nam de substantiali unitate Patris et Filii tota contra Arianos quæstio versabatur. Nec disputator peritissimus tantopere illud probaret, nisi in quæstione esset. Id autem per hoc probat, quia naturaliter, id est, substantialiter ipse Filius est in nobis. Non enim et istud naturaliter alio modo intelligi debet. Nam si alio modo intelligeretur tota ipsa disputatio vacillaret. Quomodo enim nostra cum Christo unitas si substantialis non esset, Patris et Christi unitatem substantialem probaret? cum sibi hinc magis Ariani argumentum econtra conficerent, eo quod sicut nostra cum Christo unitas, quæ ad probandam Patris et Filii unitatem affertur, substantialis non esset, ita inter Patrem et Filium consequenter intelligi oportere confirmarent, hujus ipsius auctoritate nitentes, qui ait : Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, ut id de quo agitur, secundum propositum exemplum assequamur. Constat ergo et disputationis ratione et ejusdem viri auctoritate cogente, quia *naturaliter* hic pro *substantialiter* est accipiendum. Ex hoc igitur disputator egregius hujusmodi conficit syllogismum : Si Christus in nobis est naturaliter, id est, substantialiter, non tantum per concordiam voluntatis; et Pater in Christo naturaliter, id est, substantialiter, non tantum per concordiam voluntatis. Hanc propositionem assumptio comitatur, ab antecedenti hoc modo : Est autem Christus naturaliter, id est, substantialiter in nobis, non tantum per concordiam voluntatis. Quam assumptionem mirabili peritia disputandi interrogando maluit ponere, tanquam responsionem interrogatione extorquens, cum ait : «Eos nunc qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? » Deinde hujus assumptionis probatio : «Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem factum cibo Dominico sumimus; » quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis (subauditur contentam sub sacramento) nobis communicandæ carnis admiscuit? Et cætera quæ sequuntur idipsum inculcant. Et quasi quæreres : Quomodo scio quod Verbum carnem factum cibo Dominico sumimus, vel quod naturam suæ carnis sub sacramento nobis communicandæ carnis

admiscuit? « De veritate, inquit, carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. » Quare autem non est relictus ambigendi locus, consequenter probat, dicens : « Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra, vere caro est et sanguis est. » Quomodo et ipsius Domini professione et nostra fide vere caro est, et vere sanguis est, jam hic proxime præmonstraverat dicendo : « Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentiam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum a sanitate alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. » Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo (Joan.* VI). Hic sane interrogare placet : Qui sunt qui in his rebus Dei, humano aut sæculi sensu loquuntur? Nonne illi, qui, clausis internis luminibus, secundum sensus exteriores huic sæculo congruos, de myteriis cœlestibus ratiocinantur! Qui sunt, inquam, qui violenter extorquent impiam intelligentiam cœlestium dictorum? Illine, qui ea quæ scripta sunt, sicut jubet Hilarius, legunt, et sicut legunt simpliciter absque plane ulla adjectione sua intelligunt; an illi qui vexantes Scripturam quod illa sonat, respuunt, et figurationes quasdam ei pro arbitrio sui cordis imponunt? Illi certe non eam extorquent, non ei violenti sunt, qui simpliciter, sicut eam legunt, intelligunt. Illi igitur judicio beati Hilarii hic verba Salvatoris perverse atque impie intelligunt qui, simplici intellectu contempto, ad figuras, addendo quod sibi placet, ea trajiciunt. Ex his ergo verbis Dominicis cum probasset, quia nos Verbum carnem factum vere cibo Dominico sumimus, » ad assumptionem syllogismi sui revertitur, et quomodo hoc non tantum concorditer, sed etiam substantialiter sit Christus in nobis exsequitur, dicens : « Et hæc receptia atque hausta id efficiunt ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane iis verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. » Ad hoc ipsum cætera quoque referuntur, quæ usque ad conclusionem inferuntur. Deinde jam ad conclusionem fidenter accedit assumptionem cum sua probatione satis artificiose brevissime repetendo, hoc modo : « Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam suæ carnis adepti, quomodo non naturali secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem? »

Hunc ergo beati Hilarii syllogismum umbratici nostri, si valent, evadant. Advertite enim, o umbratici, quia per hunc cibum sumptum probat in nobis, substantialiter esse Christum. Cum ergo hunc cibum sumimus, substantiam Christi sumimus. Quomodo enim per hoc quod nos Verbum carnem factum cibo Dominico sumimus probatur, quia Christus in nobis substantialiter est, sic in hoc cibo umbra tantum Christi, et non substantia Christi est? Aut quomodo hæc accepta atque hausta id efficere possunt, ut Christus in nobis fit substantive, si in eis ipsis non est nisi umbratice? Quomodo, inquam, si nos Verbum carnem factum cibo sumimus, per hoc consequens est ut in nobis substantialiter maneat Christus? Quæ est hujus probationis necessitas? quæ consequentia? Nulla quippe necessitas est, nulla consequentia, ut ubi est alicujus rei figura, sit consequenter ejusdem rei substantia. Si enim cuivis dicerem : In hoc pariete est substantia tua, quia ibi est imago tua, nonne me diceret insanire? Sed nec quisquam omnino dixerit quando edebatur agnus legalis, ut ibi esset consequenter substantia Christi, cum ille agnus umbra esset et figura Christi. Quis vero audeat dicere, cum serpentem æneum Moyses in deserto suspenderet (*Num.* XXI), quod ibi substantiam Christi suspenderet cum substantiam Christi in ligno suspendendi serpens ille æneus figuraret? (*Joan.* III) Quocirca si assumptio Hilarii, qua dicitur quod substantialiter in nobis est Christus, per hoc rata esse monstratur, quod nos carnem et sanguinem Christi cibo Dominico sumimus, quæ accepta atque hausta id efficiunt, ut et Christus in nobis, et nos naturaliter unum simus in Christo, naturam suæ carnis adepti, nulla autem consequentia, ut ostendimus assumptio illa per hoc probari potest, nisi in cibo Dominico sit vere substantia corporis et sanguinis Christi : manifestum est quoniam prudentissimus argumentator Hilarius, qui suam assumptionem per hoc confirmare voluit, substantiam corporis et sanguinis Domini nos in cibo Dominico sumere, non umbram et figuram tantum, ut umbratici isti male somniant, credidit. Ut autem vis totius disputationis quam brevissime sub oculis reponatur, aut umbratice credidit beatissimus Hilarius nos comedere Verbum carnem factum, aut substantive. Sed si umbratice credidisset, nunquam hoc disputator egregius ad probandum quod Christus in nobis substantialiter est, attulisset, cum nihil sibi, sed potius adversariis prodesset. neque hoc quod intendebat ullo modo exinde confici sed potius econtrario, quod Christus in nobis non sit substantialiter quam facillime et ipse et quivis mediocriter eruditus cernere posset. Quoniam igitur vir eruditissimus ad probandum assumptionem suam id attulit, non umbratice naturam carnis Christianos comedere credidit. Credidit igitur substantive.

Hujus sane libri sancti Hilarii beatus Augustinus in suo libro De trinitate cum magna veneratione mentionem facit. Unde palam est quia disputationem hanc reprehensibilem non judicavit. Palam ergo et illud, quia ejusdem fidei fuit. Quapropter beatissimi et doctissimi viri Hilarii disputatio apud omnes fideles valeat, umbraticorum stultissima garrulitas penitus obmutescat.

Non solum prædictis auctoritatibus, sed et multis quoque miraculis evidentissimis, rationabiliter confutantur. Quod si miracula non recipiunt, hostes Ecclesiæ se declarant. Ecclesia enim miraculis quam maxime et propagata est et adulta. Quid denique est aliud miracula cassare, nisi Ecclesiam, quantum in se est, auferre? Eisdem quippe artibus (ut ait quidam) quibus partum est imperium, retinetur. Quapropter Ecclesiæ hostes sese, et non filios astruunt, si ejus miracula accipere nolunt. Quid autem stultius, quid vecordius quam evacuare miracula, cum nulla omnino res sine miraculo fiat? Utinam isti vaniloqui, nec seipsos aliquid loqui, dum impudenter jactitant talia, crederent, quoniam hoc ipsum quod loqui possunt, hoc ipsum etiam omnino quod sunt, non nisi ex divino miraculo est! Sed sunt qui miracula se non respuere quidem B respondeant; libros vero in quibus ea leguntur apocryphos asseverent. O iniqua licentia! Quos Ecclesia Dei in ædificationem sui per totum orbem tantis temporibus sub tantis doctoribus legit et legendos tradidit, hoc panculi minus docti et animales, nullo rationis intuitu, nisi tantum quia non placent eis, apocryphos dicunt, et qui paganorum libenter historias amplectuntur, Christianas historias quas totus amplectitur mundus, assare laborant. Sed et hoc ipso quod eis non placet, quod universali Ecclesiæ placuit, et obstinate respuunt quod libenter illa recepit, non pacificos ejus filios sed inimicos manifestos se probant. Quapropter qui se filios Ecclesiæ vel dici desiderant, libros quos illa recipit, non recusent. Qua ratione enim Vitam C beati Gregorii quilibet Christianus apocrypham dicat, quam attestante Roma editam, tot sanctissimi, doctissimique Romani pontifices nullo dissonante, hactenus probaverunt, eorumque auctoritatem secutæ tot Ecclesiæ, cuncto populo Christiano consonante, nunc usque susceperunt? In eadem sane Vita scriptum est quod beatissimus idem papa Gregorius, præsente populo Romano, cuidam matrifamilias, cum communicatura risisset, Dominici corporis portionem subtraxerit, quam in ara repositam communi mox prece Deum fusa, ad instruendam de veritate Dominicæ carnis matronæ, seu etiam populi fidem, coram omni populo in specie veræ carnis, quasi digiti auricularis ostenderit. D Cumque mulier, jam fidelior, propter horrorem carnis communicare trepidaret, cunctis iterum Domini misericordiam pro illa suppliciter implorantibus, eamdem ei particulam papa in consueta panis specie reporrexerit.

Illud etiam miraculum quod in Vitis Patrum legitur, licet Berengarius oderit, quia tamen opitulante Domino aliis proderit, vel tenuiter memoro, ubi videlicet abbas Daniel narrat senem quemdam de corpore Domini errorem simpliciter passum, cum Dominum pro dubitatione hac removenda multis precibus exorasset, angelum Dei super aram, sacrificii hora, vidisse puerum immolantem, sibique ad communionem accedenti ejusdem pueri particulam porrigentem. Sed cum ille nimium exterritus sumere trepidaret, multis lacrymis speciem panis, fide jam solidatus, obtinuit. Sed quem movere in admirationem et laudem divinæ bonitatis non debeant magni Patris nostri gesta Basilii, inter cujus manus Judæus in medio frequentis latitans populi, sacrificii tempore partiri puerulum vidit, exclamavit, et propterea baptizatus est? Multa quoque hujusmodi alia et nostri temporis, et antiqui narrari possunt, a quibus supersedeo. Nam et catholicos breviter commonuisse de miraculis sufficit, et hæreticos plurima talium narratione prosequi fortasse non proficit. Gesta namque sanctorum Patrum protervo ore dilacerant, nec ea quæ de his scripta sunt, vel dicuntur, diligunt, quibus se in credendo similes non novere. Sed quid mirum, si Patrum historias Berengarius et sui despiciunt qui Evangelio etiam contradicunt, dicentes nullatenus debere credi quod ibi legitur intrasse ad discipulos Dominum Jesum *januis clausis* (*Joan.* XX). Ad hoc tamen hæc narrasse me contra eos proficit, quia quidquid exterius garriant, conscientia tamen eorum ad seipsam rediens concutitur et marcescit. Dumque attendimus quam favorabiliter ubique tanto tempore mundus ista susceperit, quæ fuerit hactenus catholica fides de corpore Domini latere non potest. Tanti quippe temporis summe docti sanctique pontifices, eruditi religiosique abbates, monachi, clerici, universusque populus Dei, si contraria rectæ fidei ista cognoverant, quare non damnaverunt? Quare non destruxerunt? Quare vel legi non prohibuerunt? Atqui ipsi ea legerunt, ipsi dilexerunt, ipsi ob ædificationem fidei legenda usque hodie tradiderunt. Omnes favere, nemo auditus est, nemo lectus est refragatus. Non igitur contra fidem rectam esse sentiebant. Eamdem igitur fidem de corpore Domini omnes tenebant. Aut ergo istis omnibus umbratici nostri correcti consentiant, aut istos omnes contra se testes irrefragabiles damnandi persentiant. Quapropter nullum amplius habens rationis confugium, tantaque nube testium pressa eorum stultitia, penitus obmutescat. Claudatur, inquam, silentio perpetualiter umbratica impietas, ubi tot præcipuis testibus, tam clara voce conclamantibus catholica patet veritas. Quis enim hujusmodi stultissimos plane et impiissimos dicere dubitet, qui non vereantur Scripturas sacras ad nutum suum male interpretando corrumpere, venerabiles atque eruditissimos tot auctores nihili pendere, in ea re nunc conturbare Ecclesiam in qua cum Arianis immanissimis hostibus suis noscitur habuisse pacem, et in quo ipsa per os Hilarii sui contra eosdem Arianos, veluti argumento ratissimo se potuit communire, id nunc cum omnium Christianorum summa pernicie irrationabiliter cassum ire? Hæc interim contra umbraticos dicta sunt.

Nunc contra illos habenda est ratio qui, Ecclesiæ rationibus expugnati, jam quidem negare nequeunt

substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem ejus et sanguinem verti nequaquam credentes, sed Christum pani et vino commiscentes, tanquam subtiliori ratione hæresim alteram condiderunt. Quos quidem alios dico quasi alio errore detentos : nam alias idem sunt. Nam primum quidem apud quos possunt, quantumcunque possunt, nihil de corpore et sanguine Domini substantialiter sacramentis inesse contendunt, sed inde (ut diximus) pulsi, confugere malunt ad hanc impietatem, quam sinceram tenere cum aliis hominibus humiliter veritatem. Cujus vesaniæ causam proferunt hanc : Ut per panem et vinum, inquiunt, caro Christi comedi et sanguis potari possit. Sed ut quid hanc causam? Quare enim per se sine corporis alterius adjumento caro Domini non possit comedi et sanguis potari? Si enim carnis et sanguinis horrorem metuunt, cur non sufficit Ecclesiæ ratio per sanctum Ambrosium in libro De sacramentis generaliter respondentis; rerum quidem substantias mutari, sed propter horrorem, priorem saporem, coloremque et cætera quædam accidentia ad sensus duntaxat pertinentia retineri? Si vero respondent id non posse fieri ut in alio videlicet corpore color et sapor alius corporis teneatur, divinam possumus eis breviter objectare potentiam. Cui si concedunt, finem faciant quæstioni. Sin autem derogant, audiant scriptum : *Quia omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXIII), et cætera multa quæ jam in principio hujus opusculi contra blasphemias istorum satis abundeque respondimus. Ut tamen et exemplis res clareat, dignentur attendere quod de manna legitur quoniam ad nutum comedentis quorumlibet in eo ciborum continuo sapor alternabat. Ut igitur altioris mysterii causas, divinique consilii profundiorem sapientiam (*Sap.* VI), in quantum mihi exiguo scire conceditur sileam, sicut ibi consulebatur hominum carnalium voluptati, ita et hic consulitur infirmorum necessitati, et qui tunc multorum corporum sapore mutato removebat fastidium, nunc unius corporis sapore retento, tollit horrorem. De colore quoque et cæteris hujusmodi accidentibus non est difficilis ratio, cum ipse Dominus se per diversas legatur species discipulis demonstrasse, et nunc eis solitum colorem ostendisse, nunc ad instar solis et nivis transfiguratum resplenduisse (*Matth.* XVII), nunc se exhibuisse tanquam peregrinum (*Luc.* XXIV), nunc apparuisse velut hortulanum (*Joan.* XX), aliquando speciem exhibuisse ministrantis, aliquando formam tenuisse docentis.

Quod si ad illas causas refugiunt quas in ore sæpe habere solent, quia videlicet nefas sit Christum dentibus atteri, nefas sit illum dentibus minui, has ut puto in principio hujus operis sufficienter evacuavimus. Nam qui post resurrectionem manibus et labiis, (ut dictum est) potuit attrectari, et dentibus etiam potest. Eucharistiam vero, (si Christo quidem non placet, ut corpus suum sine aliquo ipsius incommodo dividatur, exemplo vocis et animæ, quæ totæ in diversis locis esse possunt), in comedendo negavimus minui, licet altissimi causa mysterii, quo et infidelibus tanta res clauderetur et fidelibus utile exercitium præbeatur, id videatur fieri. Et sicut isti negare nequeunt, cum uno tempore mille missæ locis diversissimis celebrentur, et propter diversos locos corpus Dominicum videri quasi divisum, et tamen nullatenus esse divisum, nam cum in singulis missis totum sit, jam non esse unum; quare similiter concedere non possunt, illud in uno ore propter exercitium fidei, et quasi divisum sentiri, nullam tamen divisionem pati? Vanissime ergo nefas istud, attrectandi scilicet dentibus, vel minuendi corpus Domini metuunt, cum et ipsum corpus sit attrectabile; et si jam sine sui incommodo dividi non potest, videri quasi diminutum in isto sacramento possit, cum maneat indivisibile. Quapropter cum et istæ causæ nihil valeant, nec alias ipsi afferant, quæ insania est ut Christum, ut ita dixerim, sua auctoritate impanent et invinent? Et quidem Christum incarnari humanæ redemptionis ratio exposcebat quod futurum prophetæ prædixerunt, factum Christus ostendit, apostoli prædicaverunt, mundus credidit. At impanari vel invinari Christum nulla (sicut ostendimus) expetit ratio, nec prophetæ prædixerunt, nec Christus ostendit, nec apostoli prædicaverunt, nec mundus, exceptis his paucissimis hæreticis, credidit.

Unde igitur eos malus error ista persuasit? Totus mundus concinit, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Nemo dicere audet, ita Deus et homo, et panis et vinum, unus est Christus. Unde igitur istis hæc nova companatio? Quare vel Apostolus non terruit eos, dicens : *Si quis annuntiaverit præter quam quod annuntiavimus vobis, anathema sit!* (*Gal.* I.) Christum enim isti impanatum et invinatum annuntiant, sed hujusmodi Christum apostoli non annuntiaverunt. Anathema igitur isti apostolica auctoritate incurrunt. Beatus sane Ambrosius, in libro De sacramentis (*De mysteriis initiandis*, c. 9) de his copiose disserens, non in pane et vino corpus et sanguinem Domini latere, sed panem et vinum in corpus et sanguinem Domini commutari docuit, ita dicens : Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant et in aliud commutentur? Audis igitur quia « in aliud commutantur. » Et hoc diligenter nota, quia non dixit, ut sint quod erant, sed ut ea quæ erant (inquit) sint, sed aliud quam erant. Quod videtur sentire, cum subjungit, « et in aliud commutentur, tanquam suam comparationem explicaret, sic : Si sermo Domini Jesu operatus est, ut inciperent esse quæ non erant, id est, ut essent res ex eo quod non erant, id est, ex nihilo, quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, id est, ut sint ista, id est, corpus et sanguis

ex eis quæ erant non ex nihilo? Aliter enim comparatio ista recte intelligi non potest. Quæ igitur erant, id est, panis et vinum sunt; sed non sunt quod erant, sed in aliud commutata. Et hoc est quod ait, ut sint quæ erant; et ita sint, ut non in se sint, sed in aliud commutentur. Hunc sensum in eodem libro idem doctor apertissime ostendit, dicens : Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Si igitur non sunt quod natura formavit, non sunt quod erant, id est, non sunt panis et vinum. » Ex superiori igitur sententia et ex ista, clare ostenditur quia quæ erant, sunt, id est, non de nihilo fit hic corpus et sanguis Christi, sed de his quæ erant, non tamen sunt id quod erant, quia non sunt id quod natura formavit, id est, non sunt panis et vinum, sed in aliud commutantur, et sunt id quod benedictio consecravit, id est, corpus et sanguis, quia benedictione ait, natura ipsa mutatur.

Et adhuc attende doctorem veritatis (AMBR., *ibid*). Quod si tantum, inquit, valuit sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret (*III Reg.* XVIII), non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti : *Quia ipse dixit et facta, sunt, ipse mandavit et creata sunt (Psal.* XXXII). Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas. Item (*De sacramentis*, lib. IV, c. 5) : Panis iste, panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi. Et iterum : Antequam consecratur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem : Accipite et edite ex eo omnes; *hoc est* enim *corpus meum*. Et ante verba Christi calix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo disce quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis quod corpus suum et sanguinem accipiamus. Nunquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare? Hæc beatus Ambrosius.

Sanctus autem Eusebius Emissenus, vere unica, inquit, et perfecta hostia fide æstimanda non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Unde cœlestis confirmat auctoritas : *Quia caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta postate convertit, ita dicens : *Accipite et edite, hoc est* enim *corpus meum*. Et sanctificatione repetita : *Accipite, et bibite, hic est sanguis meus.* Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis, ubi præcipit virtus, rei servit effectus. Et ut ibi novum et impossibile non debeat videri quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutantur, teipsum qui jam in Christo regeneratus es, attende, et reliqua. Ecce quomodo Pater sanctissimus doctorque præcipuus verbis paucissimis hæresim confutat utramque. Impanatores etenim destruit, dum nequaquam Christum in pane et vino latere, sed visibiles creaturas, id est, panem et vinum, in substantiam corporis et sanguinis Christi converti, et iterum terrena et mortalia in Christi substantiam commutari dicit. Umbraticos quoque nihilominus dissipat, dum hæc converti non in quamlibet creaturam, sed in substantiam corporis et sanguinis Christi confirmat. Item ipse, nec dubitet quisquam, ait, primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia majestatis, in Dominici corporis transire posse naturam. Et iterum : Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi. Quid est autem mirum, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? Imo jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agoscitur, condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Quid apertius? Quid expressius? Hæc non habent populi quia nihil unquam manifestius ab homine potest dici. In quodam missali Hispano, quod dicunt sanctum dictasse Isidorum, in hebdomada ante Pascha, in quadam missa sic inveni : Totum hoc, Domine, divinum est, totum, Pater, de cœlo est : demutatum in naturam Filii tui, et corpus et sanguis est. Non jam figura, sed veritas, non creatura mortalis, sed natura cælestis, edentibus vitam æternam, regnumque perpetuum collatura potantibus. Hos impanatores suos ipse Dominus Jesus verbo oris sui interficit, cum accipiens panem gratiasque agens ac benedicens, ait : *Hoc est corpus meum*. Non ait : In hoc latet corpus meum. Nec dixit : In hoc vino est sanguis meus, sed dixit : *Hic est sanguis meus*. Unde et Ecclesia Dei consequenter a se eosdem separat, cum in ipso canone missæ ex apostolica traditione ita orat : « Quam oblationem, tu Deus, in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. » Non hic oratur, ut in ea corpus et sanguis lateat, aut in eam corpus et sanguis adveniat, sed ut ipsa oblatio et corpus et sanguis fiat. Hac oratione Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, et cæteri omnes ecclesiastici auctores istos uno ore percutiunt; et quicunque missas celebrantes ipsi orationi tota devotione consentiunt. Equidem ego de hac impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum quantum super istorum stultissima audacia, et insanissima præsumptione admiror pariter et indignor

Nam contra divinas auctoritates, humana ratione incedere, id quidem insanum, sine ratione autem, id longe insanius. At vero et sine ratione, et contra rationem adversus Deum semper latrare, id prorsus supra quam dici possit insanissimum. Isti enim nequiores nequissimis fratres suos umbraticos præ se justificaverunt. Illi quippe judicium sensuum transcendere non valentes, tanquam ex infirmitate errasse videri possunt. Hi vero neque ex sensibus, neque ex ulla ratione, neque Scriptura aliqua causas erroris sui mutuantes, sola penitus superbia vesanire videntur, dum reclamante natura quam tantopere defensitare solent (quomodo enim in solido corpore panis alterum corpus latere possit videri non potest), reclamante, inquam, natura, reclamantibus Scripturis sacris, nullo sanctorum Patrum testimonio, nullo divino oraculo, nullo miraculo fulti, munitam undique catholicam pietatem, bestialiter obstinati, ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi esse videantur. O infelices, quos pietas non vincit! O infelicissimos, qui dum subjici pietati renuunt, impietatis servi esse non erubescunt! Contra quorum manifestissimam stultitiam respondere indignissimum videretur, nisi quia ad cumulum perditionis suæ non eis mors propria sufficit, nisi etiam quoscunque possunt vilissima falsitat perditum eant. Et hæc quidem specialiter contra istos. Deinceps vero utrosque præfatos hæreticos communiter Deo propitio disputatio secutura percutiet. Quibus quam maxime in primis ad argumentum videndæ falsitatis suæ ipsa hæresum scissura satis esse debuerat, quod nunc videlicet nihil carnis et sanguinis nisi tantum umbram et figuram, sacramentis Dei inesse, nunc vero substantiam carnis et sanguinis in eis latere contendunt. Fides namque apostolica, quæ sola vera fides est, in affirmationem et negationem non scinditur. Apostolus namque dixit: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Apostolica igitur fides una est tantum. Istorum autem vana credulitas dum quod in vana opinione tenet, in altera non tenere convincitur, in affirmationem et negationem scissa, non est una. Istorum ergo credulitas non est apostolica fides, atque ideo neque vera fides. Quapropter apostolicam fidem non habentes, ab apostolica quoque Ecclesia sejuncti sunt, contingetque illis quod Salvator ait: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur* (*Luc.* XI). Berengariani quippe in seipsis divisi sunt, ut ostendimus. Sed fortassis quis dicat: Non sunt ipsi regnum, quia pauci sunt. Ad quod respondeo: Si non sunt regnum, non sunt Ecclesia Christi. Ecclesia enim Christi, regnum Dei est, in quo Deus, id est ipse Christus, regnat. Si autem sunt regnum, quia mentiri Veritas non potest, cum in seipsos sint divisi, desolabuntur. De catholica sane Ecclesia Propheta prædixit: *Fundatur exsultatione universiæ terræ mons Sion* (*Psal.* XLVII); quod de nostra Ecclesia videmus impletum. Berengariana vero portio non fundatur exsultatione universæ terræ; neque enim eis vel una civitatula, vel etiam una villula concessit. Non sunt igitur mons Sion, id est, Ecclesia. Idem quoque Propheta ait: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra* (*Psal.* XCV). Unde beatus Augustinus in expositione hujus versiculi audiet et dicit: Si omnis terra domus Dei, qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus. Si Berengariani non hærent omni terræ, non sunt igitur domus Dei, sed ruina. Isaias de Ecclesia Christi dicit: *Lætare sterilis, quæ non paris, exsulta et lauda, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV). Illam quæ habebat tunc virum, Synagogam Judæorum intelligendam docet Apostolus (*Gal.* IV); sterilem vero, Ecclesiam. Quare si Berengariani Ecclesia Dei sunt, ostendant nobis multo plures filios suos per tam longa jam tempora, quam sint Judæorum. Quod non esse, omnibus patet. Item Isaias de Ecclesia: *Reges* inquit, *erunt nutritii tui* (*Isa.* XLIX). Et Joannes in Apocalypsi: *Reges*, inquit, *terræ afferent gloriam suam in eum* (*Apoc.* XXI). Sed quis regum terræ hanc Berengarianam stultitiam fovit? Quis regum terræ in eam gloriam suam attulit? Et quidem in Arianam vesaniam reges olim aliqui concesserunt: in Berengarianam autem nullus. Per Malachiam Deus dixit: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum* (*Malac.* I). Quamobrem si Dominus exercituum oblationem, quæ in omni loco ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur et offertur nomini suo, mundam dicit; cum præter hanc nulla possit esse oblatio munda, viderit Berengarius cum suis quam sit oblatio eorum immunda, quæ non dico in omni loco, sed vix ut in aliquo loco esset obtinuit. Daniel propheta cum vidisset lapidem de monte sine manibus abscissum, qui statuam in pedibus suis ferreis et fictilibus percussit atque comminuit, visionem hanc ita exposuit, ut a regno Dei, quæ est Ecclesia, quatuor principalia regna mundi, Chaldæorum videlicet, Medorum, atque Persarum, Græcorum quoque necnon et Romanorum, sicut exponente postmodum ipso eodem propheta perspicue declaratur, in diebus quarti imperii, id est Romani antequam ferreum esse desisteret, percutienda et comminuenda confirmaret, dicens: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur: et regnum ejus populo alteri non tradetur. Continuet autem et consumet universa regna hoc, et ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, et quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit ferrum, et testam et æs, et argentum et aurum* (*Dan.* II).

Hoc sane de nostra Ecclesia luce clarius videmus. Ipsa enim Romanum imperium, cum adhuc ferreum esset, et cætera regna contrivit. Ipsa hodieque, quod nemo negare postest, in ipsa domo quondam Romani imperatoris, domum obtinet Salvatoris. Inde enim

ipsa per bentum Leonem papam (Leo IX) hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit. Deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, D. Gregorium papam (Greg. VII) tunc archidiaconum ejusdem Romanæ sedis in concilio Turonensi convicit; ipsumque Berengarium, ut videba ur, correctum, ac propriæ manus sacramento satisfacientem, clementer suscepit. Reversumque aliquanto post ad vomitum suum, agente sanctæ recordationis Nicolao papa in generali concilio Romæ iterum confutatur; atque eumdem Berengarium coram ipso venerabilis orbis terrarum conventu, in verba certa quæ supra scripta sunt, et in multis habentur Ecclesiis jurare; prædictasque insanias proprio ore abjurare, ac libellos suos quos ad tuendas easdem blasphemias fecerat, propriis concremare coegit. Berengarianam porro plebeculam non dico quatuor principalia regna, sed nec unum solum regnum aliquo unquam tempore obtinuisse monstrari potest. Aut si obtinuisse confingitur, jam nunc regnum ejus populo alteri, id est, catholico nostro traditum est. Noster enim populus Romanum, cum omnibus regnis Christiano nomini subjectis, tenet imperium. Daniel autem dicit, quia regnum populi Dei, *populi alteri non tradetur, sed ipsum stabit in æternum* (*Dan.* II). Berengariani igitur non sunt illud regnum quod Deus cœli suscitaturus prædicitur. Quod si non pertinent ad regnum Dei cœli, consequitur ut sint de regno diaboli. Vides plane quomodo conclamantibus propheticis testimoniis nostra Ecclesia confirmatur, Berengariana vero portio utraque reprobatur. De quibus testimoniis beatus Augustinus in libro De civitate Dei ultimo (*cap.* 25) contra quosdam philosophos sic ait : Si propterea dicunt alio modo esse credenda, ne si dixerint vana esse conscripta, injuriam faciant illi Deo, cui tam magnum perhibent testimonium ; tantam prorsus ei vel etiam graviorem faciunt injuriam, si aliter dicunt esse intelligenda, non sicut mundus credidit, quem crediturum ipse laudavit ipse promisit, ipse complevit. Non itaque credentes quod mentiri possit, credent esse facturum quod se facturum esse promisit ; et sic credant sicut credidit mundus, quem crediturum esse prædixit, quem crediturum esse laudavit, quem crediturum esse promittit, quem credidisse jam ostendit. Si ergo vobis, o Berengariani, B. Augustinus ita, ut solet, clarissimus est, judicium ejus sequimini, credite de corpore et sanguine Domini quod mundus credit, et et sic credite sicut mundus credidit. Si enim aliud aut idipsum aliter creditis dicit vobis Augustinus vester quod gravem Deo injuriam facitis, quia creditis de Christo aliter quam sicut mundus credidit, quem crediturum esse Deus prædixit, laudavit, promisit ostendit. Quod si fidem mundi Deus laudavit, vestra utique figmenta reprobavit. Non enim est nisi una fides laudabilis apud Deum. Unde et vobis jure obveniet, quod idem sanctus Augustinus in eodem ultimo libro De civitate Dei (*cap.* 5) dicit his verbis : Si rem, inquit, credibilem crediderunt videant quam sint stolidi qui non credunt. Si autem res incredibilis est, unde toto terrarum orbe jam credita est ? Quocirca beati Augustini judicio vos stolidi estis, qui de corpore Christi quod in toto terrarum orbe creditur credere recusatis. Item beatus Augustinus in quarto libro De baptismo contra Donatistas (*cap.* 6): Quod universa, inquit, tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est : non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. Item in septimo ejusdem libro (*cap.* 53): Id autem, ait, fiducia securæ vocis possumus asserere quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Quapropter fides quam de corpore et sanguine Domini semper Ecclesia universa tenuit, multis insuper conciliis generalibus roboravit, ex apostolica auctoritate tradita rectissime creditur. Nam si illud quod semper Ecclesia tenuit nullis munitum conciliis apostolicum est, quanto magis illud quod et semper tenuit, et multis est (ut dixi) conciliis generalibus confirmatum, ex apostolica auctoritate traditum esse credendum est: Sed panem et vinum altaris Domini in corpus et sanguinem Christi substantialiter commutari (non sicut delirat Berengarius corporis et sanguinis Domini figuras tantum esse et umbras, aut intra se latentem Christum tegere), universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Secura igitur voce gubernante Domino Deo nostro et Salvatore Jesu Christo, id a nobis asseri potest. Diligenter sane si daretur locus, cum ipso Berengario discutere vellem, cum aliquos doceat nihil in cibo altaris Domini corporis et sanguinis Christi, nisi umbram tantum et figuram haberi, aliquibus vero, tanquam subtilius quærentibus, satisfaciens, ipsum ibi corpus Christi esse respondeat, sed impanatum latere: quid sibi in priore sententia displiceat, ut satisfacturus quærentibus transmigret ad alteram, aut quid in posteriore abhorreat, ut redeat ad priorem. Migrando enim ad secundam, priorem reprobat ; redeundo ad priorem, alteram damnat. Quo fit ut utramque defensando, neutram teneat. Unde consequitur, ut cum reliquas sententias omnes oderit, de his Dominicis sacramentis quid debeat credere penitus nihil sciat. Exinde quoque id accidit quod certissime novimus, quod Berengarius et sui, si ab eruditis Catholicis de sua fide discutiantur : id quod de corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut si profitemur, defendere non valent. Sed negatores veræ fidei de Christo, sententia illa Christi terribilis excipit, qua dixit: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet* (*Luc.* IX). Et Paulus : *Si negaverimus*, inquit, *et ipse negabit nos* (*II Tim.* II). At vero si profitentur et defendere nequeunt, si quidem veræ fidei defensores sunt, ubi est quod suis Christus pollicitus est dicens : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*? (*Luc.* XXI). Si enim veram fidem isti defenderent, esset vel aliquis

eorum cui adversarii omnes resistere non valerent. Non enim potest mentiri Veritas quæ suis hoc promisit. Nullus autem horum inveniri potest, cui non possint resistere nostri Catholici : usque adeo ut hæresiarches Berengarius multoties revictus, etiam sacramento propriæ manus in generalibus conciliis vesanias istas abjurasse teneatur. Quamobrem palam est quia non sunt isti defensores veræ fidei nec filii, sed adversarii Christi ecclesiæ. Porro autem si isti sunt Ecclesia Christi, aut a Christo Ecclesia non cœpit, aut aliquo post tempore esse desiit. Notissimum namque est hoc tempore priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nunquam fuisse. Sed ex tempore Christi ecclesia in apostolis et apostolorum discipulis fuit ; sed neque postea unquam defuit. Mentiretur enim Scriptura per prophetas clamans : *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I). Mentiretur Gabriel archangelus idipsum beatæ Mariæ dicens. Mentiretur et ipsa Veritas, quæ ait : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Sed absit hoc ut mentiri possit Veritas vel in verbis propriis, vel in tantis testibus suis. Nunquam igitur post Christum Ecclesia Christi esse cessavit. Non sunt igitur Ecclesia Christi, aut certe sis e a Christo cœpisse, et huc usque perseverasse impudantissimæ mentientes dicunt : Ostendant, juxta Danielis vaticinium, quatuor principalia regna mundi se contrivisse, ostendant se orbem terrarum implevisse, ostendant suum regnum alteri populo non cessisse. Quod eos non posse, omnibus satis abundeque perspicuum est cum noster populus regna mundi possideat, et hos ipsos auctoritate et ratione confringat. Quapropter Ecclesia nostra a Christo fundata non a Berengario, neque incœpta a Turonis vel Andegavis, sed sicut præcepit Christus, et prophetæ prædixerunt : ab Hyerosolymis in æternum valeat, Berengariana vero vesania ad Ecclesiam Christi non pertinens, in æternum confusa conticescat.

Nunc sane illam etiam propositionem quam in primo libello tantopere probavimus, an conficere aliquid possit, videamus. Probavimus enim quoniam si Deus hanc mutationem panis et vini quam credimus facere vult, facit. Nunc autem assumptum atque etiam satis probatum est, quia illam Deus facere vult. Nam spiritus sanctus per sanctissimos auctores quos templum ejus fuisse constat, hoc (ut ostendimus) clare perdocuit : Veteris ac Novi Testamenti incontradicibilis auctoritas confirmavit, Mundus universaliter credidit, cujus solius fidem Deus ipse laudavit. Indubitanter igitur quod evidentissime necessarioque conficitur, concludamus : scilicet, quia mutationem panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi Deus facit. Quapropter sileant apud omnes prudentes insipientissimorum hominum nova irrationabilia, falsa, inutilissima, vilissimaque commenta. Cedant, inquam, universa ecclesticæ fidei. Illa enim non est recens, illa non est hujus, aut, illius hominis, sed totius orbis. Illa

A sola rationabilis, sola vera, sola rata, usquequaque munita et invincibilis, utilissima, necessaria, jucundissima et honestissima comprobatur. Christi autem impanatio ubi in Veteri aut in Novo Testamento legitur ? Qua ratione, quibus argumentis, aut miraculis munitur ? Quæ necessitas, quæ utilitas, [illegible] Christum Dominum nostrum pro nihilo impanare, et invinare ? At vero panem tantum et vinum in figura et umbra Christi edere, quod isti credunt, et Christum in ipsa veritate substantiæ suæ manducare, quantum ad utilitatem et honorem et excellentiam nostram pertinet, quis vel dementissimus in aliquo momento conferre potest ? Dum enim verbum Dei carnem factum cibo Dominico absque impanatione et invinatione substantive, non

B umbratice nos sumere credimus ; dum ex virtute plenitudinis vitæ æternæ in eodem cibo manentis nos in æternum victuros speramus : quid hac fide, cum sit tot et tantis testimoniis approbata, verius, quid rationabilius excogitari potest? Quid hac inquam, fide utilius, quid magis necessarium, quid honorabilius; dum purum Christum, non umbraticum, neque impanatum pura ipsa suscipiens, utpote tantæ gloriæ munere dives, summo reverentiæ metu peccata magis abhorreat, summo desiderii ardore in omnem justitiam amplius ferveat, tanquam Domini sui hostem studeat summopere quotidie fugere mundum; jamque de promissionibus ejus pro tanto pignore certior, audientius atque ardentius revelata facie ipsum vitæ fontem votis omnibus gestiat apprehendere Deum?

C Multa contra istos jam diximus, multa quoque adhuc dici possunt ; sed piis mentibus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim amplius adversus istos quærerent, cum objectationes eorum sive per rationes, sive per scripturas, nostræ fidei nihil obesse, imo vero ipsas easdem Scripturas nobiscum magis esse satis lucideque monstratum sit: cum istorum dementias et singulatim et communiter tam venerabilium auctorum quam propheticis et evangelicis testimoniis teneant plenissime destructas : nostram vero fidem usquequaque firmissimam, utilissimam, excellentissimam summeque necessariam, videant evidentissime declaratam ? At vero impiis quid sufficiet, si duriores saxis tot argumentorum malleis percussi cedere nolunt, si tenebrosiores inferno tan-

D ta fortissimarum rationum luce collustrari non possunt, aut certe meretricum similes de sua turpitudine vel perspicua erubescere nesciunt? aut dæmonum simillimi cœptam semel vecordiam tanta pertinacia diligunt, aut veritatem gratis odio habeant, et a falsitate vel manifestissima nunquam resipiscant? O miserrimos homines et immenso lacrymarum imbre lugendos, si tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut a blasphemiis propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare. Redite, quæso, *Redite prævaricatores ad cor* (*Isai.* XLVI). Quare moriemini gratis ? Non talis hæc

disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hic, sicut in scholis, pro victoria, aut sicut in judiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur; sed, sicut coram Deo, pro vita æterna atque cœlesti disputatur : falsam etenim partem sempiterna mors devorat, veram autem vita æterna coronat. Quocirca justo examine vestra et nostra perpendite, si quid dignum contra nos habetis, afferte; si non habetis, acquiescite. Quare moriemini gratis? Sed quid amplius istos prosequar? Jam disputationi huic ponendus est finis. Nam de duabus reliquis propositionibus sermo brevis habendus est. Non enim longam disputationem res flagitat.

Contra eos qui dicunt partem propter indignos immutabilem remanere.

Ex his ergo una, panis et vini partem in carnem et sanguinem Domini transmutari confirmat; partem vero propter indignos immutabilem retineri. Altera vero, totum quidem panem et vinum altaris in carnem et sanguinem Domini converti asserit; sed cum indigni ad communionem veniunt, in panem et vinum iterum reverti. Nam utriusque sententiæ assertores nolunt ab indignis hominibus corpus et sanguinem Domini posse participari. His ergo cum sit error dispar, una tamen causa erroris est. Quem eisdem quoque muniunt argumentis, hoc modo : Christus ait, inquiunt : *Qui manducat meam carnem, et meum sanguinem bibit, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Indigni autem non manent in Christo, nec Christus in eis. Non enim possunt *duobus dominis servire* (*Matth.* VI), nec membra Christi simul esse et diaboli. Non igitur, aiunt, manducant carnem Christi, neque sanguinem bibunt. Idque etiam exemplo conantur astruere, quia videlicet in vitis Patrum cuidam seni visus sit angelus ad communionem sacram indignis accedentibus corpus Domini subtrahere, et loco ejus carbonem dare. Si igitur, inquiunt, tales carnem et sanguinem Domini non sumunt, necesse est, id quod accipiunt, aut non fuisse mutatum, aut in naturam priorem esse reversum. Et hactenus quidem istorum ratio, cui, auxiliante Domino, nunc obviandum est.

Ac de exemplo quidem primo notandum, quod nihil eis afferat; imo longe eorum opinioni repugnet. Si enim panis porrigendus indignis immutabilis remanet : quid sibi vult carbo datus eis et non panis? Quod si omnes carbone indigni pasti sunt, digni vero omnes carne et sanguine Domini? nihil igitur de pane non mutatum remansit. Aut si caro et sanguis mutabantur indignis accedentibus in carbonem, non igitur mutabantur in panem et vinum; non enim carbo est panis neque vinum. Quapropter hoc exemplo, istorum (ut dixi) opinio magis destruitur quam astruatur. Nobis porro exemplum hoc in nullo adversari videtur. Potuit enim fieri sub oculis illius, ut caro et sanguis in ea quidem specie qua porrigebantur justis, injustis subtraherentur, et ad ostensionem iniquitatis eorum, ipsa eadem in specie car-

A bonis porrigerentur. Aut certe (sicut jam superius dixi non quidem, ut semper ita fiat, sed ut seni qui aderant peccatorum iniquitas per ipsum corrigenda panderetur, revera caro et sanguis potuerunt per angelum subtrahi, carbo vero mox aliunde advectus dari. Utro autem horum modo factum sit, sana fide nostra fieri potuit.

Nunc ad verba Domini quibus dicitur : *Qui manducat meam carnem et meum sanguinem bibit, in me manet et ego in eo*, accedamus. In quibus exponendis non nostram interpretationem, sed beati Augustini ex libro De verbis Domini ponimus (*serm.* 11). Ait enim non universaliter, sed cum modo quodam debere intelligi, quo videlicet modo : Qui manducat carnem et bibit sanguinem Christi, in Christo ma-
B net, et Christus in eo. Is autem illo modo manducat, qui digne manducat. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Quapropter si omnis qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit : necesse est intelligi, ut ille solus qui manducat alio modo, id est digne, in Christo maneat, et Christus in eo. Ad cujus comparationem ille qui indigne manducat, nec æstimandus est manducans, sed potius quantum in ipso est conculcans. Manducat ergo et non manducat. Manducat corporaliter, sed non manducat spiritualiter, non eo sensu, non eis moribus, non ea charitate, ut digne manducet. Similiter et illa verba Domini accipienda sunt quibus dicit : *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth.* XII). Nam verba hæc nisi spe-
C cialem quemdam peccati modum sentiant, stare non possunt. Alioquin omnis qui peccat in Filium, peccat in Spiritum sanctum. Non enim Filium quis offendere potest, quin offendat et Spiritum sanctum. Sed *si quis contra filium*, inquit Dominus, *verbum dixerit, remittetur ei*. Quare et in Spiritum sanctum peccanti remittetur. Qua ergo ratione hinc exhibetur, nisi quidam modus peccati in Spiritum sanctum specialis intelligatur tam magnus, ut ad ejus comparationem cœtera non dicantur in Spiritum sanctum? Talis et illa sententia : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Et illa : *Quicunque inconvocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel* II). Non enim omnes qui credunt et baptizati sunt, neque omnes qui invocant nomen Domini salvi erunt; sed soli illi qui
D cum bonis moribus credunt, et digne invocant nomen Domini, salvi erunt. Permultæ quoque aliæ hujusmodi sententiæ in Scripturis sacris reperiuntur, quæ nisi cum modo competenter intelligi non possunt. Ita igitur et illud de quo iste sermo inceptus est, intelligendum est : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinen*, digne videlicet, *in ne manet et ego in eo*. Nam quod indigni qui scilicet in Christo non manent, nec Christus in eis, eamdem carnem manducent, et eumdem sanguinem bibant, audi eumdem beatum Augustinum in libro quinto De baptismo contra Donatistas ita dicentem : Sicut Judas, inquit, cui buccellam tradidit Domi-

nus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum diabolo in se præbuit; sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit ut, quia ipse malus, est, malum sit; aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Hæc Augustinus : Quare cum eamdem carnem digni cum indignis, sed diversis mentibus comedant, et eumdem sanguinem Domini bibant, cumque evangelica sententia qua dicitur : *Qui manducat meam carnem et meum sanguinem bibit, in me manet et ego in eo,* juxta Apostolum et beatum Augustinum, ad similitudinem quoque multarum talium sententiarum competenter intellecta nihil istis afferat, exemplum porro senis adjunctum totum illis potius auferat : cum et causa documenti hujus nulla sit et argumenta cuncta deficiant, cesset hæc nova a Christianis hominibus prorsus inventio, ne, si aliter doceant, apostolicum illud anathema incurrant quo dicitur: *Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I). Quid enim si nemo indignus corpus Domini accipit, et idcirco portio panis, propter indignos videlicet, immutabilis remanet? Cum se nemo dignum audeat dicere, quia scriptum est : *Nescit homo utrum amore an odio sit dignus in vita sua* (*Eccles.* IX), sed neque de alio audeat judicare, scriptum est enim : *Ne laudes hominem in vita sua, homo enim videt in facie, Deus autem in corde* (*Eccli.* XI) : nemo utique confidenter audebit confiteri corpus esse Domini, quod ipse vel totus etiam populus accipit. Quod si nemo id confidenter audebit confiteri, temere ergo sacerdos affirmat, hoc est corpus Christi; temere populus *amen* respondet, hoc est, verum est : cum omnino quid hoc sit nesciant, quoniam merita omnium tam sua quam cæterorum cuncti ignorant. Sed absit hoc ut totius Ecclesiæ religiosa confessio ullatenus sit reprehensibilis. Confidenter igitur credat et dicat unusquisque etiam si se fateatur indignum, Christi corpus esse quod accipit. Huc accedit, quod sacerdos plerumque indignissimus missam celebrat, solusque id quod consecratum est, totum sumit. Si vero id quod sumpturus erat indignissimus iste propter ipsum immutabile remansit; quoniam totum sumpturus erat, nihil de pane et vino in carnem et sanguinem Christi immutatum est. Si autem propter indignum presbyterum nihil de pane et vino mutatum est, prævaluit igitur (quod absit!) iniquitas sacerdotis verbis Domini Salvatoris, falsa est etiam et fides Ecclesiæ, quæ et per bonos et per malos ministros verba Domini credit æqualiter operari. Sed absit a cunctis fidelibus hoc, ut iniquitas hominis verba Salvatoris infirmare posse credatur! Absit ut Ecclesiæ fides falsa sit, quæ sola apud Deum laudabilis est, quæ et per bonos et malos ministros verba Christi æqualiter operatoria credit! Non igitur quod sumpturus erat indignissimus pre-

A sbyter, propter ipsum immutabile remansit. Cum ergo totum quod consecratum est sumat, carnem et sanguinem Christi presbyter indignissimus comedit et bibit. Quod si ita est, imo quia vere ita est, frustra dicitur partem panis et vini immutabilem remanere propter indignos. Quamobrem sileatur hujusmodi semper humana suspicio, et id tantum quod nobis commendatur in ipso canone missæ teneamus. Nam illic ita scriptum est : *Quam oblationem, tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui;* non hic dicitur, ut pars ejus fiat corpus et sanguis. Nec Dominus noster Jesus Christus, cum dixisset : *Manducate ex hoc omnes*, addidit.
B Pars enim ejus est corpus meum; sed id tantum. *Hoc est enim corpus meum.*

Illud sane extremum, quis vel mediocriter eruditus solo auditu non perhorreat, quod videlicet caro et sanguis Domini propter indignos in panem revertantur et vinum; caro quippe et sanguis Domini incorruptibilis est. Quod autem incorruptibile est, nec corrumpitur, nec corrumpi potest. At essentiam suam perdere, et in panem corruptibilem ac vinum corruptibile reverti, ista quidem magna corruptio est. Igitur caro, et sanguis Domini, in panem et vinum jam reverti non potest. Quapropter et hic error sepeliatur æterno silentio. Caveant vero utrique isti
C alienum ignem afferre circa divina altaria (*Lev.* X), ne moriantur coram Domino. Caveant etiam transgredi terminos patrum suorum, quos posuerunt sibi (*Prov.* XXII) : *Multi* quippe *cibi*, ut Salomon ait, *in novalibus Patrum*; *alii absque judicio congregantur* (*Prov.* XIII). Hujusmodo vero doctrinarum cibi in novalibus patrum non possunt inveniri. Igitur absque judicio congregantur.

ROGERIUS.

In quantum perpendere valeo, omnia te ratione firmissima video prosecutum.

GUITMUNDUS.

Ut igitur ad quid totus sermo noster profecerit, breviter ostendamus, quoniam sacrificium nostrum
D nec umbra tantum vel figura carnis et sanguinis Christi esse, nec Christum intra se impanatum tegere juxta Berengarium potest, neque vero substantiam panis et vini ex parte mutari, et ex parte non mutatam permanere veritas patitur; neque post mutationem in id quod fuerat reverti, aut in aliud quidquam mutari jam ultra fas est. Restat ut hæc tantum sit Deo juvante mera et solida fides ut totus ille panis et totum illud vinum altaris Dominici, ita per divinam consecrationem substantialiter, commutentur in carnem et sanguinem Chisti, ut postea jam in æternum aliud nihil omnino quam caro et sanguis Salvatoris Domini Dei nostri Jesu Christi esse possint. Cui pro tanta charitate gratias referamus æternas : regnanti cum Deo Patre et Spiritu sancto, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

GUITMUNDI

ARCHIEPISCOPI AVERSANI

CONFESSIO

De sancta Trinitate, Christi humanitate, corporisque et sanguinis Domini nostri veritate

(*Bibliotheca Patrum* XVIII, 465.)

Quoties Deum cogitare volumus, minus utique volumus quam debeamus; nec tamen tantum valemus, quantum volumus, quantominus igitur quantum debemus? Quod si humanæ mentis cogitatio interior debitum suum quomodo solvat non invenit; ipse oris sermo exterior quid persolvit? Verum, dilectissime frater Roberte, et si Pater noster in corde nostro sicut deceret non agnoscit Verbum suum, nos tamen quasi parvuli sub ubere vel balbutiendo ostendamus ei effectum nostrum. Quoniam itaque scriptum est : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x); liquet omnino quoniam, quamvis in corde fides recta teneatur quæ justitiœ!, pernecessaria est tamen in ore confessio quæ nos salvet. Sed quid de Deo ille pronuntiabit qui distortum aliquid, aut fortasse nihil adhuc inde cogitavit. Quorum alterum æternæ damnationis sacrilegium, alterum vero, si ille quicunque est jam ratione utitur, mortiferi somni est indicium. Vigilet ergo cor Christiani in fidei suæ cogitatione, ut, si necesse fuerit, sciat aperire os in confessione. Hæc perpaucis prælibavimus, ut quam necessaria sit fidei scientia et confessio ostendentes, ad ejusdem fidei tractatum Domino adjuvante licentius veniremus.

De sacrosanctæ Divinitatis unitate et trinitate.

Credo sacrosanctæ Divinitatis æternam Unitatem : credo in eadem unitate coæternam Trinitatem, Creator enim omnium unus est Deus et trinus autem, quia Pater est, et Filius et Spiritus sanctus. Non dico quod idem ipse sit Pater, et Filius et Spiritus sanctus; sed dico quod idem ipsum est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Cum dico *ipse* ostendo personam quæ est Pater, Filius, vel Spiritus sanctus; cum vero dico *ipsum*, ostendo substantiam quæ est Deus. Creditur itaque per singulos alia persona, sed non creditur in tribus nisi una substantia.

Sumamus nunc aliquod exemplum inter nos, per quod aliquantulum valeamus ascendere super nos. Videmus aliquem hominem filium genuisse, videmus eum patrem filii esse. Si igitur a me quæras. quid sit ille pater qui genuit filium, respondeo, homo. Si quæras quid sit filius, respondeo, homo. Cum dixi *homo* substantiam patris et filii indicavi. Vides igitur quia eadem substantia est patris hominis, et filii hominis. Si enim diceretur : Pater homo, et filius equus, quis aliud quam monstrum aut horrendum aliquid cogitare posset? Mox enim ut a me patris et filii diversas substantias audires, aut jocari, aut insanire potius quam veritatem dicere me non dubitares. Sed si iterum quæras quis est ille, dico, pater illius est. Si quæras de filio quis est ille, dico, filius illius est. Vides, charissime, quia in personis diversa nomina posui quæ sunt *pater* et *filius*; in substantia vero unum nomen ostendi, quod est *homo*. Quod in homine vides, hoc in multis creaturis videre potes. Si igitur in creaturis ut in una substantia sunt plures personæ, et in pluribus personis una substantia, natura postulat, et Deus hoc facit, quanto magis in Deo qui omnia creavit. Verumne Creatori creaturam coæquamus? Absit! Quamvis enim in creaturis de patre dicam quia homo est, et de filio quia homo est, et ita patris et filii una substantia est; tamen iterum dico, quia pater homo, et filius homo duo homines sunt. De Deo autem, valde aliter. Sic namque dico de Patre, quia Deus est; et de Filio quia Deus est, et de Spiritu sancto quia Deus est, ut nulli tamem credere liceat quod tres dii sunt. Jam nunc annuente eo de quo loquimur, de eadem Trinitate aliquid apertius loquamur. Creata consideremus, et in creaturis Creatorem admirantes laudemus. Cœlum itaque, terram, mare et quæ in eis sunt videmus; et hæc omnia creasse unum Deum corde retinemus, ore confitemur. Hæc tanta et tam multa, et tam admiranda ineffabili prorsus sapientia condidit; quam ipse non fecit, nec creavit, sed genuit. Quemadmodum enim in anima nostra videmus quoniam ipsa gignit consilium suum, et illud consilium quasi proles est animæ quod apud se habet, et per illud omnia exteriora operatur, ita Deus (quomodo Deum decet) Sapientiam suam de seipso genuit, per quam omnia quæcunque sunt ab eo facta sunt, et disponuntur. Hæc igitur est sapientia Dei Filius, Deus de Deo genitus; de quo Patri Deo dicitur : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII). Sed quid Deus per sapientiam suam faceret, si eamdem sapientiam ipse non diligeret? Aut quid in illa diligeret, si et ipsa eum a quo genita est similiter non amaret? Constat

igitur quia a Patre porcedit amor ad Filium, et a Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus sanctus, qui ab utroque ita procedit, ut semper in utroque maneat; et ita semper in utroque manet, ut ab utroque semper procedat. Coæternus autem est Patri Filius, quia Pater sine sapientia sua nunquam fuit. Coæternus Patri et Filio Spiritus sanctus, quia utrorumque unam substantiam ipse amor inseparabilis, qui est eadem substantia, semper univit. Totum autem se sapit Pater et totum se diligit quidquid est; tanta est igitur sapientia sua, et tanta charitas quantus ipse est. Æqualis est ergo Patri Filius et Spiritus sanctus. Quod si de Patris volumus substantia cogitare quid sit, prius de ejus sapientia cogitemus, quantum possumus, quid et ipsa sit. Ipsa enim est quæ dixit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV). Et: *Qui videt me, videt et Patrem meum* (*Ibid.*). In sapientia itaque nec latitudinem nec longitudinem, nec rotunditatem, nec ullam quantitatem, aut qualitatem videmus. Non in ea diversorum membrorum, quemadmodum in corpore nostro, distinctiones invenimus. Nihil igitur corporale in sapientiæ essentia invenitur, sed totum est Spiritus, quidquid de ea recte cogitatur. Errant igitur vehementer qui Deo Patri figuram hominis tribuunt, quia qualis est Filius, talem utique Patrem et Spiritum sanctum, qui non credunt, desipiunt. Iste autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ubique est totus, unus Deus, ubique incircumscriptus, ubique indivisus. Quod ut aliquantulum intelligamus, diligentius attendamus. Ponamus itaque coram nobis aliquod minutissimum corpus, vel ipsam ungulam nostram, quæ præsto est aspiciamus, et in ipsa quomodo Deus totus sit videamus si possumus, si videre non possumus, credamus. Video in ungula mea quinque superiora, inferiora, dextra et sinistra, et media; hæc omnia per sapientiam suam Deus jam fecit, et modo etiam ut subsistant, disponit. Non est autem sapientiæ Dei pars dextro ungulæ lateri, et altera sinistro lateri, et alia superiori, atque alia inferiori ungulæ ejusdem præsens est parti, alia medietati; sed sicut tota omnia operatur, sic tota præsens est omnibus. Ejus enim præsentia non localiter, sed potentialiter est æstimanda. Quæ quoniam eadem hora et eodem momento quo ista facit, etiam cætera omnia prout sibi voluntas est disponit, præsentem se utique semper et simul et in omnibus ostendit. Quod de sapientia, id est, de Filio vidimus, hoc de Patre, hoc de Spiritu sancto sentiamus, quia eos inseparabiles esse omnino necesse est ut credamus. Ad imaginem Dei, quæ est anima nostra, redeamus, et in ipsa si possibile fuerit, Trinitatem in unitate videamus. [Anima nostra, spiritus utique non corpus est. Quæ habet in se et de se, id est, de substantia sua tria, intellectum, memoriam, voluntatem. Horum singula in omnibus sunt; quia intellectus intelligit seipsum, intelligit memoriam suam, intelligit voluntatem suam. Ecce intellectus in memoria et in voluntate est. Memo-

A ria recolit seipsam, et intellectum suum, et voluntatem suam. Voluntas vult, id est dilligit seipsam et intellectum suum, et memoriam suam. Ita sunt in omnibus. Omnia vero sunt in singulis, quia eadem ratione, intellectus, memoria et voluntas, omnia simul in uno sunt. Et hæc non nisi una substantia sunt, quæ est anima. Dicamus igitur similiter de Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Pater vita est, Filius sapientia, Spiritus sanctus charitas. Vita itaque vivit, et sapientia vivit, et charitas vivit. Sapientia sapit, et vita sapit, et charitas sapit. Charitas diligit, et vita diligit, et sapientia diligit. Et hæc tria non nisi una substantia, quod est Deus.

B Cavendum est tamen ne vel animam nostram Deo nostro æquare velimus; ne forte, dum ejus similitudinem supra nos appetimus, ab hoc, quod per eum sumus, decidamus. Sicut igitur in opere imaginem vidimus operantis, sic iterum videamus quod factum est quantam distet ab eo qui condidit. In anima quippe intellectus, memoria, et voluntas una substantia est, quæ mens vocatur, non tamen intellectus est memoria vel voluntas, neque memoria est intellectus, vel voluntas, neque voluntas memoria, vel intellectus. Aliud est enim in anima præteritorum meminisse, aliud præsentia intelligere, et aliud quod meminerit, et quod intellexerit, velle. Unde intelligitur plus esse in anima tria hæc intelligere, meminisse, velle quam solum velle, vel solum intelligere, vel solum meminisse. Intellectus enim intelligit sibi et memoriæ, et voluntati; memoria recolit sibi, et intellectui, et voluntati. Voluntas autem vult sibi, et C memoriæ, et intellectui. In Deo autem qui omnino simplex est natura, non est aliud vivere, aliud scire, aliud diligere, nec plus tria hæc quam unum, nec unum minus quam tria credimus esse. Quod ita potest intelligi. Pater est vivens, Filius sapiens, Spiritus sanctus diligens. Et Pater, vivens, sapiens, diligens. Et singulus quisque itidem. Quoniam vero Deus omnium simplex est natura, sic vivens, ut sit vita, sic sapiens, ut sit sapientia, sic diligens, ut sit dilectio, singulus quisque autem Deus, singulus quisque igitur vita, sapientia et dilectio. Inconsequens autem est credere in simplici natura aliud esse vitam, aliud sapientiam, aliud dilectionem. Redigamus igitur hæc tria ad unum, et dicamus: Pater et Filius et Spiritus sanctus vita, vel sapien- D tia, vel dilectio. Ergo manifestum est non plus esse tria quam unum, nec minus unum quam tria. Videndum est tamen ne confundamus personas. Ita enim est Pater sapientia vel dilectio ut tamen Filius sit sapientia Patris, et Spiritus sanctus dilectio Patris et Filii. Hic oritur quæstio difficilis: si enim Pater sapiens, et Filius sapientia, quæritur utrum sit sapiens sapientia sua, quæ est Filius suus. Omnis enim sapiens, sapientia sapiens est. At quod ita respondetur: De hoc est sapientia quod est essentia. Si igitur Pater a Filio suo sapiens est, a Filio habet sapientiam; ab ipso ergo et essentiam. Pater igitur a Filio, non Filius a Patre. Atqui Pater non est a

Filio, non igitur sapientiam habet a Filio. Quod si- A militer disseritur de Spiritu sancto, qui dilectio est utrorumque. Credendum est ergo quia Pater perfecta vita est, et sapientia, et dilectio a seipso, et Filius perfecta vita, et sapientia, et dilectio est a Patre suo; et Spiritus sanctus hoc idem a Patre et Filio. Hanc trinam Unitatem, et unam Trinitatem, Adam ante peccatum incorrupta imagine Dei anima sua, lucide intellexit, quam lucem peccatum commissum obscuravit. Peccavit autem hominis anima voluntate, corpus opere. Utrumque igitur mortuum est, quia ab utroque peccatum commissum est. Quoniam vero mortuus est homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. Incarnata est igitur Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia. Sed insipientia hominis animam rationalem et corpus occidit; Dei vero sapientia, id est Filius, et animam rationalem et corpus assumpit. Et sicut ille sine peccato de immaculata terra factus est; ita iste sine peccato de incorrupta Virgine natus est; assumpsit autem ita Deus hominem ut nec Deus in hominem mutaretur, nec homo absorberetur in Deum. Si enim Deus in hominem mutaretur, jam non esset Deus, sed homo solus; et ideo non adjuvaret.

Si vero homo absorberetur in Deum, jam, non homo, sed Deus solus; et ideo mori non posset. Mori autem cum aliæ multæ rationes, quibus nos redimeret suppeterent, voluit, ut et diabolum justitia magis quam potentia vinceret. Justum enim erat ut, qui hominem vicerat, ab homine vinceretur, et nobis, quanta charitate reducat nos, ostenderet. Hinc est C quod de Spiritu sancto conceptus dicitur quia Spiritus sanctus charitas est, et totum hoc mysterium charitas operata est. Factus itaque homo est cum Deo una persona, sed conservata est utrique propria substantia. Homo iste sine peccato vixit, ut vinceret diabolum, et dolores sustinuit, ut deleret hominis peccatum. Miracula fecit, quia Deus erat; mortuus est, quia homo erat. Seipsum mortuum suscitavit, ut Deus crederetur; in carne palpabili postea apparuit ne homo esse dubitaretur. Corpus quidem in cruce mortuum in lapide sepeliri permisit; anima vero viva, cum Deo permanens, in infernum, non ut pateretur, sed ut dominaretur, descendit, quæ, liberatis inde quos dignos judicaverat, cæteris vero dimissis, corpus suum tertia die resumpsit. Ressuscitato autem corpore, cum discipulis, non continue, sed D certis vicibus apparens et etiam comedens, quadraginta diebus mansit. Quadragesimo die, videntibus illis cœlos ascendit. Quod vero post resurrectionem comedit, non indigentia, sed argumentum manifestæ resurrectionis fuit. Regnat itaque Dominus noster Jesus Christus in gloria Patris, venturus ad judicium omnibus in manifestatione carnis, reprobos traditurus æternis tormentis, electis se ostensurus in perpetuis gaudiis, in quibus nos regnemus per ævum et cum ipso Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De corpore et sanguine Domini,

Interim autem, dum ab eo in hoc mundo peregrinamur (*II Cor.* v), corpore et sanguine ejus in via pascimur, sicut apostolis suis hoc mysterium in cœna ultima ante mortem suam tradidit, et nobis sequentibus frequentandum per eos mandavit. Adhibenda est ergo fides Dominicis verbis, quibus dicit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* vi). Omni ergo exsecrata dubitatione, sicut credimus quia unigenitus Deus, coæternus Deus Patri Filius, vere in carne nostra natus, vere mortuus, vere resurrexit, vere in cœlum ascendit, vere sedet ad dexteram Patris sui, ita indubitanter credamus quia corpus ejus et sanguinem verum et integrum in altari post consecrationem manducamus. B Verum, inquam, corpus Dominicum et integrum, quod et totum in Patris dextera sedens gloriatur, et totum de sacerdotis manibus sumitur, et si per partes quasi frangatur, in unaquaque tamen parte, quamvis minutissima, totum et integrum habetis, et si, eadem hora et eodem momento, mille sacerdotes hoc mysterium operantur, in singulorum tamen manibus corpus Christi, totum et integrum consecratum, a singulis totum et integrum sumitur.

Hic quæri potest cur mysterium, vel sacramentum, vel etiam figura hæc, consecratio dicitur, si ipsa res et ipsa veritas est, et nihil aliud per hoc significatur. Ad quod ego respondeo quia et mysterium est, quia aliquid mysticum portat; et sacramentum, quia sacrum aliquid intelligendum intra se occultat; et figura, quia, excepto hoc quod corporaliter agitur, spirituale aliud valde necessarium figurat. Mysticum enim et sacrum, et spirituale, per hoc mysterium figuratur, quoniam sicut nos omnes Christi corpus corporaliter sumimus, ita nos ipsi ejus corpus spiritualiter vivendo effici debemus; non illud corpus, quod Verbum Dei in persona sua assumpsit, et Dominicum dicitur, sed quod in Scripturis sanctis Ecclesia vocatur, unde Paulus dicit: *Ipse est caput nostrum* (*Ephes.* v), et nos membra ejus. Hinc est enim, quod de pane et vino sacramentum istud conficitur. Panis enim ex multis granis unus efficitur, et vinum ex multis vinaciis in unum liquatur. Similiter et nos ex multis granis unum corpus efficimur, de corpore et sanguine Domini bene vivendo. et credendo catholica fide reficimur. Unde et per Paulum dicitur: Unus panis sumus omnes (*I Cor.* x). His itaque et aliis si plures sunt significationibus conservatis, conservetur etiam fides, quia Domini corpus ipsum verum non qualitative, sed substantialiter creditur, ut quod ipsa veritas omnino verum esse testatur nostra fallacia falsum aut imaginarium esse non opinetur. Hoc corpus si indigne sumitur (indigne autem tunc sumitur, si in mortiferis peccatis maneat anima, et cum ipsis accipitur), omnino ibi judicium manducatur et bibitur. Cum vero digne, in quantum potest humana fragilitas, per gratiam Dei suscipitur, absque dubio per hoc sacramentum ani-

ma nostra vitam æternam consequitur, quæ vere A pus et sanguinem concedatur in perenni sæculo. nobis a Domino nostro Jesu Christo per ejus cor- Amen.

GUITMUNDI EPISTOLA

AD ERFASTUM.

(Galland., *Veterum Patrum Bibliotheca*, XIV, 240).

MONITUM.

Cum adhuc presbyter esset Guitmundus, interrogatus fuit a fratre quodam Erfasto de substantia et unitate SS. Trinitatis, de mysterio Dominici corporis, item de similitudinibus quibus uti solent, puta sphæræ ad comprobandam Trinitatis unitatem. His postulatis respondet ut cautum sobriumque theologum decet. Mutila ad nos pervenit epistola, quam ex Spicilegio Dacheriano recudendam sumus mutuati.

Ad amantissimum fratrem Erfastum frater Guitmundus, indignus presbyter, sine fine gloriari in Christo Jesu Domino nostro.

I. Perlecta fraternitatis tuæ epistola, ex ipsa inquisitionum tuarum ratione perpendi correptum Dei, timore, ad sapientiam spiritualium rerum ac scientiam te, unde gratulor, non inutiliter exerceri. Quod enim de substantia atque unitate æternæ Trinitatis quæsisti, sapientiæ est. Quod autem de mysterio Dominici corporis adjecisti, ad scientiam spectat. Item illud quod ad comprobandam Trinitatis unitatem, similitudinem rei temporalis, de sphæra videlicet solis memorasti, scientiæ nihilominus est. Commoda plane pulcherrimaque, et jucundissima philosophia, si ei perseveras. Hæc namque non terreni nec humana, sed vere cœlestis est et divina: hæc laboranti suavis refectio est, post laborem perfecta beatitudo est, quam bene facis studiose quærendo, quæ et aperietur indefesse pulsando. Gaudens igitur ergo exercitio et profectui tuo, quæ aliquando si voluerit Dominus in longiorem disputationem de his conferre cogito, ne quæstiones tuas differam, quanta valeo brevitate succincte respondeo.

II. In illa itaque sphæræ solaris collatione, de qua tibi primum responderi flagitasti, diligenter observa ad hoc illam valere, ut sicut sphæra, splendor, et color, non tres, sed unum proferunt solem, ita in Patre, et Sapientia, et Amore utriusque non tres Deos, sed unicam sentias deitatem. Et sicut sol quem mittit splendorem sibi habet omnino coævum, ita Deus Pater sibi prorsus habet quem de se generat Filium coæternum. Illud sane volo sollicite attendas, longissime aliter utriusque atque in sole est, illam ipsam summæ divinitatis consistere unitatem. In sole quippe et fulgor et calor, qualitates sunt, sol vero ipse substantia est, atque idcirco non idipsum est sol, quod illa duo reliqua sunt. Sed et ipsæ qualitates substantialiter ab invicem differunt, quin et diversa facientes. Nam lucidum splendor, B calor autem calidum facit operandi virtute, locis etiam et temporibus subjectisque plerumque discretæ sunt. Sæpe enim sole oriente, solis fulgor cernitur, ubi ejus omnino nullus calor sentitur: et meridiano tempore calor ejus multa solida corpora penetrat, in quæ nihil prorsus luminis intrat. Nec eisdem quoque sensibus a nobis excipiuntur. Nam splendor visu, tactu calor admittitur, ita ut etiam per contrarium, et pergrandi quis frigore torpens, magnum a longe lumen solis videat: et tenebras cæcus patiens, calore ejus interdum valido contabescat vel hilarescat.

III. Longe igitur et ista duo invicem differunt. Non autem Deo cum sapientia sua, et amore suo, C tam parva, vel tam discrepans, ut ita dicam, est unitas: nec sapientia et amor Dei ipsius divinæ substantiæ qualitates sunt. Neque item ista duo tantisper ab invicem differunt. Illa quippe unus sol quodammodo dicuntur, quia in sole uno coæva illi, et inseparabilia sunt: non autem idipsum quod sunt per se singula, ad invicem unum sunt; quoniam, ut prædictum est, substantialiter ab invicem omnia differunt. At Pater, et Verbum, et Spiritus, sive Pater et Sapientia et Amor, ita in uno Deo, vel ita unus Deus sunt, ut unum ad invicem sine ulla distantia sit, quidquid per se singula essentialiter sunt. De Patre et Filio sic habes in Evangelio Dominum nostrum dicentem: *Ego sum in Patre, et* D *Pater in me.* Et: *Qui videt me, videt et Patrem.* Et: *Ego et Pater unum sumus.* Non enim Pater habet ex alio Filium quam ex se. Neque enim ante omnem creaturam aliud quidquam erat. Omnia autem quæ facta sunt, sicut scriptum est, per ipsum Filium facta sunt; si igitur omnia facta, per ipsum facta sunt neque ipse factus est, neque ex alia re, cum nihil aliud esset; sed de se Pater ante omnia genuit ipsum. Si autem ex substantia Patris natus est Filius, quoniam in substantia illa nulla pars est (nam primum principium incompositum est, nec componi omnino novit, quia omnia ipse composuit), item nec

in Filio pars est, nihil enim ejus nisi ex Patre, et in Patre est ; ex Patris porro (11) unitate prorsus individua et nunquam geminata, partium pluralitatem habere non potest. Ex toto igitur totus, nec major in aliquo, nec minor, idem de eodem in essentia natus est. Si enim partem non habet, cum ex illo et in illo et jam individuo sit, nullatenus differt. Nam si de illo est, aliquid ejus in se habet, vel potius aliquid si ejus ipse est. Porro si aliquid ejus parte carentis habet vel est, totum illum in se potius habet, vel magis, totum quod est ille, ipse est. Si vero sic illam ipsam Patris essentiam in se totam habet, immota illa essentia ipse est, cum et ipsius simplicitas individua partem nesciens, additamentum recuset : in nullo prorsus essentialiter differt. Item igitur omnino ad essentiam quidquid est Pater, et Filius est.

IV. Eadem tibi ratione de sancto quoque Spiritu satisfiat. Qui enim sine parte de individua est substantia Patris, una et eadem cum Patre substantia est; et qui parte carens de individua est substantia Filii; una et eadem cum Filio substantia est. Et cum a Patre simul procedat et Filio, non duæ sunt processiones, sed una processio, nec duo sunt Spiritus sancti, sed unus Spiritus sanctus. Quia cum nec loco divisa, nec tempore, una sit prorsus et eadem Patris et Filii substantia, Spiritus sanctus simul ab utroque procedens, eodem ipso quod ab uno procedit, simul idem procedit ab altero. Hoc in Evangelio Dominum docentem attendo, ubi ait : *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre.* Ego mittam a Patre dixit; ac si diceret : Una est ejus processio a me et Patre. Et paulo post : *Ille me*, inquit, *clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Id est substantia quam habet Pater, et mea una est ; propterea qui ex nobis est Spiritus sanctus, cum de Patre est, de me est. Est igitur Spiritus sanctus una eademque substantia cum Patre et Filio; est unus utriusque, unaque ejusdem ab utroque processio. Quapropter tria hæc ita in uno Deo, vel ita unus Deus sunt, ut unum ad invicem sine ulla distantia sit, quidquid per se singula essentialiter sunt.

V. Proinde quod sapientia vel virtus Patris dicitur Filius, quoniam sapere vel posse essentiale illi est, non qualitas creditur Patris, qua Pater qualis, sapiens videlicet dicitur et fortis, sed est perfecta sapientia sua et virtus sua, singulus, ut ita dixerim Pater; perfecta sapientia et virtus, singulus Filius ; perfecta sapientia et virtus, singulus Spiritus sanctus : et simul non tres sapientiæ, aut virtutes, sed una sapientia, et una virtus : estque Filius sapientia de sapientia Patre, virtus de virtute Patre : sicut essentia de essentia, vita de vita, Deus de Deo, A lumen de lumine. Sed quia per Filium infirmatum in carne et stultitiam crucis ejus nos infirmi, et stulti, fortes et sapientia facti sumus ; et sic factus est nobis ipse a Deo sapientia, et virtus et justitia, ut per ipsius infirmitatem et mortem justificati et corroborati, ad cognoscendum per ipsum quandoque Patrem convalescamus ; ideo enim juste quasi specialiter Dei justitiam, atque virtutem et sapientiam confitemur.

VI. Item Spiritus sanctus cum Patris et Filii dicitur charitas, vel amor, aut voluntas, non idcirco amborum qualitas creditur, cujus gratia utrique quales, amantes videlicet sint, aut volentes, aut certe spirituales, sed cum sint etiam singuli spiritus sanctus (nam et Pater est spiritus, sicut scriptum est : *Deus est spiritus* : et Filius secundum divinitatem) spiritus), et Pater sanctus, et Fi- B lius sanctus, et non tres Spiritus sancti, sed unus Spiritus sanctus. Et cum singuli sint charitas, quia *Deus charitas est*, et singuli amor aut voluntas, nec tamen tres charitates, vel amores, vel voluntates, sed una charitas, unus amor, una voluntas. Illum tamen qui ex Patre procedit et Filio, quasi proprie Spiritum sanctum, vel charitatem, vel amorem, vel voluntatem Patris et Filii dicimus ; ut per hoc quod velut suum habet in nomine, quod commune est iis ex quibus est id designetur aliquatenus, quia ipse ab utroque existens, communis est, consubstantialis, et nexus amborum.

C VII. Ita cum et Pater essentia et principium sit, et Filius æque essentia et principium sit, Spiritus quoque sanctus nihilominus essentia et principium sit, nec tres essentiæ, aut tria principia, sed una essentia et unum principium ; de Patre tamen hæc quasi proprie dicimus, ut per hoc noverimus quia ipse ita est, ut sit ex se : et sic principium est, ut non ex alio sit principio, tantum ex se, cæteræ vero personæ ex ipso. Nam Filius quidquid omnino est, non ex se, sed ex Patre ; item Spiritus sanctus non ex se, sed quidquid omnino est, ex Patre Filioque est. Sed [et] ut ex Filio procedat Spiritus, a Patre hoc habet Filius. Nam si quidquid habet, ex Patre illi est; et id ex Patre nascendo, habet a Patre, ut ex ipso sit Spiritus. Spiritus quoque D sanctus procedendo a Patre, ab ipso habet ut ex ipso ita sit, ut simul etiam existat ex Filio. Ita igitur sunt singula omnium, et omnia singulorum, et omnia unum ; certo tamen, ut dixi, rationis mysterio, quædam quasi proprie de Patre dicuntur, ut essentiale principium ; quædam de Filio, ut justitia, virtus, sapientia ; quædam de Spiritu sancto, velut hoc quod Spiritus sanctus dicitur, quod amor vel charitas, vel voluntas Patris et Filii nuncupatur : quatenus per hoc, sicut dictum est, non ex alio, sed ex se esse Patrem ; per Filium vero nos justificatos, fortes doctosque esse ac futuros esse; e Patre

(11) *Ex Patris porro.* Ediderat Acherius : *nulla pars est : nam primum pr. inc. est : nec. . . . . . ipse composuit. Item nec . . . . et in Patre est ex Patris. Porro unitate*, etc.

autem et Filio Spiritum sanctum communiter procedere intelligamus.

VIII. Sicut igitur in essentia majestatis idem sunt, cum nec loci aut temporis interstitio sejungantur, nec tres numero potentiæ, sed una potentia; ut unus operator sint (12), ita et in operationis effectum differunt, quia Dominus noster dixit: *Quæcunque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit*, et non alia quia non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Idem consequenter de Spiritu utriusque sentiendum est. Nam etsi hominem solus Filius induit, ipsum tamen hominem atque incarnationis mysterium tota Trinitas fecit, tota eum Trinitas ad mortem dedit, tota eum Trinitas resuscitavit, tota exaltavit. Ita quoque et vocem illam, per quam et solus Pater ad Filium loquens innotuit: *Tu es*, inquiens, *Filius meus dilectus;* et columbam illam, vel linguas igneas, in quibus vel super Dominum baptizatum, vel super dies Pentecostes Spiritus sanctus apparuit, tota utique Trinitas fecit. Quemadmodum et illa vox dissyllaba, quæ et Pater dicitur; et vox trissyllaba, quæ dicitur Filius: et duo nomina quæ Spiritus sanctus appellantur, et similiter aliæ voces quamplures, licet proprietatem singularum seorsum denotent et auditui præferant personarum, non tamen aliter quam illa dissyllaba vox quæ dicitur Deus, tota pariter significans Trinitatem, totius certe sunt opera Trinitatis. Quapropter etsi ex creaturis aliquæ ad declarationem singulorum proprie mysteriave pertineat personarum, palam tamen est quoniam Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sicut nec in substantia, ita nec in aliquo prorsus cujusque rei operatione dissentiunt. Palam etiam et hoc est quia et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non variis corporis sensibus, sed una eademque puræ mentis intelligentia et simul contemplamur, sicut a Veritate ipsa didicimus, quæ ait: *Qui me videt, videt et Patrem.*

IX. Ut igitur ex his dicendi finem breviter faciamus, quoniam eæ quæ in sole qualitates sunt, et ab ipso et ab invicem substantialiter differunt, operandi quoque virtute et secundum locum, et secundum tempus, diversaque subjecta dissentiunt, variisque sensibus haustæ, longe distare comprobantur. Cumque Patris et Sapientiæ et Amoris una sit prorsus eademque substantia; cumque in eis nulla non dico diversa, sed ne ulla etiam qualitas, nihil que omnino aliud nisi una pura essentia debeat cogitari, cum eadem sint eorum semper, et ubique, et in omnibus opera, unaque simul et eadem mentis intelligentia et inseparabiliter videantur, manisfestissimæ rationis indicio satis liquet longissime aliter veriusque non solum quam in sole est, sed quam in ulla etiam creatura esse possit, illam summæ atque individuæ Trinitatis consistere unitatem.

X. Sane cum dixissem supra quidquid essentialiter singuli sunt, communiter dici de omnibus, idcirco essentialiter dixi, quia quod Pater aut Genitor dicitur, item quod Filius aut Verbum, vel imago nominatur; vel quod Spiritus sanctus procedens appellatur non secundum se intelligendæ essentiæ sed distinctionis vel relationis personarum vocabula sunt. Caventes etenim confundere personas, Patrem quod non ex alio sit demonstrantes, vocamus ingenitum; et quod non sine Filio sit, vocamus et. Patrem. Item Patris illa et ineffabilis visio, in qua seipsum Pater intuetur et omnia, splendor ille, illa lux, quia non ex se, sed ex solo Patre est, dicitur Filius. Et quoniam nos, ut per speculum et imaginem suam (homo enim noster interior licet obscuret, tamen Dei imago est,) Deum cernere qualicun-
B que ænigmate valeamus: quoniam, inquam, nos quamcunque rem mente videndo sive quod extra nos est, sive ipsam mentem, nobiscum quodammodo de re quam cernimus loquimur, simillimamque ejus imaginem animo conformamus; ita ut cum semetipsam mens nostra intuendo, de se apud se sententiam veritatis quadam discussione parturiens, veræ tandem intelligentiæ lucem deprompserit, jure idipsum veri intellectus acumen et partum mentis, quia ex se hoc ipsa peperit, et verbum quo de se ipsa disseruit, et imaginem vel similitudinem, quod ipsa de sui contemplatione informavit, liceat appellari. Simili modo, ut per ejus, ut dixi, imaginem, quod sumus nos, Deum qualicunque ænigmate videamus, et de temporalibus si audemus, imo quia ita nobis temporalibus expedit,
C quomodocunque conjiciamus æterna. Simili, inquam modo ineffabilem illius paternæ visionis lucem semper de Patre, semper apud Patrem, et in Patre manentem, semper Patrem videntem, omnium conditricem, Patris revelatricem et idem esse cum Patre quoniam de Patre est, non de nihilo, et unigenitum et verbum, et imaginem, similitudinemque Patris corde credimus, et prout sufficimus sentimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem. Spiritum vero sanctum nec ingenitum dicimus, quia non est de nullo; nec genitum, quia non est de Patre solo sed a Patre et Filio procedentem, non tamen ab utroque nascentem, quoniam pariter eodemque modo Spiritus est amborum, cum nullus unquam quorum pariter eodemque modo possit esse filius
D patrum. Sed nec verbum utriusque, nec imago, nec similitudo dicitur; quia quamvis amantes aliquid sæpe illud animo versandi, nobiscum dicamus et imaginemus dicentesque et imaginantes amemus, dicere tamen et imaginare in nobis quidem visionis est proprie, non amoris. Amandum etenim quodlibet per mentis intuitum quid aut quale sit, vel quomodo se habeat, dicitur, ut, definito hoc, jam certius ametur.

XI. Sed quæ nostri comparatio ad æternitatem? Hoc autem propterea dico ut non carnali sensu ver-

(12) *Operator sint.* Forte; *ut unus operatur sunt. ita et in operationis effectu non differunt.*

borum proprietates, ut in nobis, ita omnino in Divinate requiras. Quippe si de verborum sensibus agas in Patris et Filii vocibus, et in cæteris relativis, cum de hominibus dicuntur, quædam ipsorum hominum, quibus ad se referuntur, accidentia : item in generandi et procedendi verbo, actum passionemve cum declaratione temporis accipere solemus. Æternam porro generationem Filii Dei, Spiritus sancti processionem, sic credimus, ut neque ibi tempus, neque actum generantis, aut passionem geniti, vel procedentis Spiritus, neque ullum denique accidens divinæ inesse substantiæ sentiamus. Non igitur supra distinctionum vel relationum verba proprie Divinitati conveniunt, nec omnino in Deo eodem sensu quo et in nobis accipienda sunt. Absit enim ut in æterna Trinitate, uno solo Deo, propter verborum nostrorum angustias, ante omnem creaturam aliquod accidens, aut ullam omnino rem, propter (13) simplicem Divinitatem fuisse dicamus. Nulla quippe creatura quamlibet perfecta, et ad imaginem Dei facta, plenissimam, ut est, exprimere vel æquiparare similitudinem prævalet Creatoris, nedum ea quæ pene nihil sunt mortalium verba illam, quæ supra omnem creaturæ omnis cogitatum ineffabili præeminet veritate, naturam Divinitatis explicare sufficeret.

XII. Non igitur hæc de Deo idcirco dicimus, ut id plane quod ibi est explicemus, sed qualibuscunque tamen prout possumus verbis agimus, ne id quod ex verbo Salvatoris certissime credimus; et quod vix quantumlibet attenuato spiritu, Christo adjutore, per ænigmata prægustare valemus, omnimodo comprimere silentio videamur. Cumque ineffabilia utcunque fari cupimus, aliquatenus per hæc verba non equidem accidentia ulla purissimæ Divinitatis, sed prout eloquii humani velut angustia hoc quod non est Pater ex alio per hoc quod ingenitus dicitur, nec sine eo qui ex ipso est, per hoc quod Pater vocatur; et quod non sit Filius ex se, nec sit nisi a Patre per nomen Filii : eodemque modo quod Spiritus sanctus non ex se, sed ex Patre et Filio sit, per procedendi verbum, ut prædictum est, denotamus.

XIII. Procul igitur sit a filiis sanctæ et universalis Ecclesiæ ut pro distinctione personarum quælibet sibi carnalis anima alicujus rei hic nulla penitus interstitia fingat. Nam si hoc in æterna Trinitate, quod absit! admitteretur, cum ante rerum omnium constitutionem sempiterna sit in Deo hæc Trinitas personarum, falso, quod iterum absit, cunctarum rerum præter se solum unum Deum conditrix, et principium Trinitas crederetur; nec jam Trinitas jure sed quaternitas aut quinitas melius, imo vero amplius juxta numerum rerum interjacentium vel

A accidentium, quod itidem absit! necessario diceretur. Quod quoniam a Christiana religione prorsus abhorrens, catholicæque est veritati summe contrarium, non ergo in omnipotenti æternaque et simplici Trinitate, salva, ut dictum est, ineffabili distinctione personarum, illius accidentis infectio, non rei omnino alicujus admistio vel interpositio, nonnisi una sola, unica sincera, et purissima Divinitas requiratur.

XIV. Quisquis sane hæc fidei processibus actus prout desuper datur, Deo jam nunc pro meritis fidei retribuente, interiori etiam quodam prædulcissimoque igneoque et inexplicabili mentis attigerit gustu, jam aliquatenus ut homo Deum suum sentiens, magno cum tremore gaudeat, et cum magno gaudio contremiscat. Ita tamen epuletur, ut non jam in eo

B remanendum quod invenerit; sed ut sibi largius aperiatur, pie semper quærendo, desiderando et orando validius pulset. Scriptum est enim : *Cum consummaverit homo, tunc incipit.* Et iterum : *Quærite faciem ejus semper.* Qui autem ad hoc invalidus est, ita tamen esse non dubitet, ad quod cernendum postmodum, patienter interim sinu fidei nutriatur.

XV. Porro si quis æternitatis malit violentus esse discussor, nec facile Deum aut sine numero trinum, aut in personis sine interpositione, vel admistione alicujus rei distinctum, aut sine extensione credat æternum, vel sine loco et situ totum ubique præsentem, vel omnino sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine motu, omnia facientem, sine passione omnia sustinentem, sine complexu omnia continentem, audiat iste quod scriptum est :

C *Ne quæsieris quæ ultra te sunt*; et ea quæ facta sunt potius admiretur, respondeatque sibi qua potentia hæc omnia de nihilo prodierunt. Non enim sua, quæ nulla erat. Si ergo Dei quomodo ea quæ nihil omnino erant, Dei præcipientis ut fierent imperium persenserunt? Aut certe eum non esse et esse simul non potuerunt, quo medio de altero ad alterum transierunt? Aut si forsitan de mundi principio agere renuit, quia necdum erat, de singulis quæ quotidie in promptu fiunt, quærat ortus, crementa, variationes, defectusque eorum, quomodo aut cur hoc vel illo potius modo eveniant, alta mente consideret. Quod si forte in minimis subtiliter pervestigando succumbit, cognovitque experimento veram esse sapientissimi Salomonis sententiam, dicentis : *Cunctæ res difficiles quæ in terris sunt, et quæ in pros-*

D *pectu sunt, invenimus cum labore ; quæ in cœlis sunt quis scit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris sanctum Spiritum tuum de altissimis*? desinat gigantea protervia cœlum petere, et credendo humiliter quod. . . . .

(13) *Propter*. Lego *præter*.

GUITMUNDI
ARCHIEPISCOPI AVERSANI
ORATIO

Ad Guillelmum I Anglorum regem cum recusaret episcopatum

(*Biblioth. Patr.* XVIII, pag. 468, ex Orderico Vitali, ecclesiasticæ Historiæ lib. v, cap. 17, cujus est hoc argumentum : *De Guitmundo monacho S. Leufredi, et ejus ad regem Angliæ Guillelmum oratione pulcherrima. — Guitmundus venerabilis monachus cœnobii quod* Crux Heltonis *dicitur, ubi gloriosus confessor Christi Leufredus tempore Hildeberti et Hilperici juniorum regum Domino feliciter* 48 *ministrasse annis legitur ; regio jussu accersitus pontum transfretavit, et oblatum sibi a rege et proceribus regni onus ecclesiastici regiminis omnino repudiavit. Erat enim ævo maturus et religiosus, ac scientia litterarum eruditissimus, cujus ingenii præclarum specimen evidenter patet in libro* De corpore et sanguine Domini contra Berengarium;*et in aliis opusculis ipsius. Hic itaque cum a rege rogaretur ut in Anglia secum moraretur et præstolaretur congruum tempus cum promovendi, secum subtiliter deliberavit, suique propositi votum aliud esse demonstrans, regi respondit* :)

Multæ causæ me repellunt ab ecclesiastico regimine, quas omnes singulatim nolo nec decet exprimere. In primis infirmitates meas, quibus in corpore et anima incessenter premor, considero. Quibus diligenter perspectis, divinum examen vehementer pertimesco, mœrens quod in via Dei quotidie labor et a veritate vacillo. Et, dum meipsum salubriter moderari nequeo, qualiter aliorum vitam ad salutis viam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non video qua lege digniter præesse valeam illorum cuneo quorum extraneos mores barbaramque locutionem nescio, quorum patres charosque parentes et amicos occidistis gladio, vel exhæredatos opprimitis exsilio, vel carcere, vel indebito intolerabilique servitio. Scrutamini Scripturas, et videte si qua lege sancitur ut Dominico gregi pastor ab inimicis electus violenter imponatur? Ecclesiastica electio prius debet ab ipsis subjectis fidelibus cum sinceritate fieri, ac postmodum astipulatione Patrum et amicorum (si canonica est) reverenter confirmari. Alioquin cum charitate debet emendari. Quod bello et effusione multi cruoris truculenter rapuistis, qua ratione mihi aliisque contemptoribus mundi, qui sponte pro Christo nudati sumus propriis, sine culpa impartiri potestis? Generalis omnium religiosorum lex est a rapinis abstinere, et de præda (etiamsi offertur) pro justitiæ observantia nolle recipere. Dicit enim Scriptura : *Immolans ex iniquo, oblatio est maculata* (*Eccli.* XXXIV). Et paulo post : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Ibid.*). Hæc et his similia divinæ legis præconia pertractans expavesco, et totam Angliam, quasi amplissimam prædam, dijudico, ipsamque cum gazis suis, velut ignem ardentem contingere formido. Et quia Deus jubet ut quisque proximum diligat sicut seipsum, dicam vobis sine dolo id quod mihi cœlitus est indictum. Quod mihi utile reor, vobis quoque salutare arbitror.

A Ergo, quod amicabiliter loquar, non videatur amarum; sed tu, strenue princeps, et commilitones tui qui grave tecum inierunt periculum, nostræ admonitionis benigno corde suscipite eloquium. Opera Dei cunctis diebus vitæ vestræ sagaciter considerate, et judicia ejus, quæ incomprehensibilia sunt, in omnibus operibus vestris timete ; et sic vestram vitam æqua lance moderari ad voluntatem Dei satagite, ut ipse Arbiter æternus sit vobiscum in ultimo discrimine.

Non vos decipiant adulatores vana securitate, nec insolentes pro secundis eventibus præsentis vitæ vos lethaliter obdormire suadeant in mundana prosperitate. Si vicisti Anglos in congressione, super hoc B superbire nolite; sed spiritualis nequitiæ gravius ac periculosius certamen cautius agitet quod restat adhuc et imminet vobis quotidie. Mutationes regnorum frequenter factæ sunt in orbe terrarum; sicuti sparsim legimus multiplicium per campos Scripturarum, quibus liberalium a Deo impertita est notitia litterarum. Babylonii sub Nabuchodonosor rege Judæam et Ægyptum et alia regna sibi plurima subegerunt, sed post septuaginta annos ipsi cum Balthasar rege suo a Medis et Persis, quibus præerant Darius et Cyrus nepos ejus, victi et subjugati sunt.

Deinde sub Alexandro Magno Macedones post 230 annos Darium regem Persarum cum multis legionibus devicerunt : et ipsi nihilominus post aliquot C annos, Romanis per totum orbem phalanges suas destinantibus, cum Perseo rege suo devicti sunt. Græci sub Agamemnone et Palamede Trojam obsederunt, et Priamum regem, Laomedontis filium ac liberos ejus, Hectorem et Troilum, Paridem et Deiphobum, Amphimachumque trucidaverunt; et famosum Phrygiæ regnum post decennem obsidionem flamma et ferro depopulati destruxerunt. Trojanorum una pars sub Ænea duce regnum Italiæ obtinuit, alia pars cum Antenore, per longum iter ac difficile

Daciam adiit, ibique sedem ponens usque in hodiernum diem habitavit. Romani regnum Hierosolymorum, quod David aliique potentes successores ejus spoliis Allophylorum ditaverant, et subactis barbaris gentibus, quæ in circuitu erant, sublimaverant, sub Vespasiano et Tito subverterunt, et nobile templum post primæ ædificationis ejus annos mille octoginta novem diruerunt, quando undecies centena millia Judæorum ferro seu fame perierunt. Franci Gallis, tempore Sunnonis ducis, associati sunt, et Romanorum jugo de cervice sua viriliter excusso, super eos regnare cœperunt, Angli Saxones, ducibus Hengist. et Horsa Britonibus (qui nunc Galii vocantur) imperium dolis et fortitudine jam fere sexcentis annis abstulerunt. Guinili, qui de Scandinavia insula sorte ejecti sunt, regnante Albuino rege filio Audonis, partem Italiæ, quæ nunc Longobardia dicitur, invaserunt, et Romanis diutius resistentes nunc usque tenuerunt. Omnes hi, quos victoria surgentes recolui, paulo post misere subjacuerunt perniciei, parique cum victis contritione torti, irremediabiliter gemunt in cloacis Erebi. Normanni sub Pollone duce Neustriam Carolo simplici subtraxerunt, jamque 190 annis, contradicentibus Gallis, et eum bellico tumultu sæpe calumniantibus tenuerunt. Quid de Gepidis et Wandalis, Gothis et Turcis, Hunnis et Herulis? quid de aliis loquar Barbaris, quorum conatus ad nihil est aliud nisi furari et rapere et conculcata pace jugiter furere? Terram turbant, ædes concremant, orbem vexant: opes dissipant, homines jugulant, omnia fœdant et inquietant. His itaque signis mundi portenditur finis, sicut ipsius patenter edocemur voce Veritatis: *Exsurget gens contra gentem et regnum adversus regnum, et erunt terræmotus magni per loca,* et pestilentiæ *et fames* (*Marc.* XIII), terroresque de cœlo, et signa magna erunt.

Cladibus innumeris premitur sic jugiter orbis.

His et multis hujuscemodi rotatibus in rebus humanis solerter inspectis, non in se glorietur victor de ruina comparis, qui nec ipse stabit, nisi quantum jusserit dispositio Conditoris. Conversionem locutionis meæ nunc ad te, o rex, faciam, quam tu (quæso tibi) benigniter haurias propter salutem æternam. Nullus patrum tuorum ante te regale stemma gessit, nec hæreditario jure tantum decus tibi provenit, sed gratuita largitione omnipotentis Dei, et amicitia Eduardi consanguinei tui. Edgarus, Aldinus aliique complures ex linea regalis prosapiæ orti, secundum leges Hebræorum, aliarumque gentium propinquiores sunt hæredes diadematis Anglici. Illis nimirum remotis sors tibi cessit provectionis, sed Dei judicium quanto occultius, tanto terribilius imminet tibi ad reddendam rationem commissæ villicationis. Hæc benigno ex corde sublimitati vestræ locutus sum, humiliter deposcens ut mens vestra semper sit memor novissimorum; nec vos nimis implicet prosperitas præsentium, quam sequi solet intolerabilis dolor, et ingens luctus ac stridor dentium. Gratiæ Dei vos et amicos atque fideles vestros commendo. Normanniamque cum vestra licentia redire dispono, et opimam Angliæ prædam amatoribus mundi, quasi quisquilias, derelinquo. Liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius et Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias mundi, quas Crœsus et Sardanapalus nimis amaverunt, et postmodum misere pereuntes, hostibus suis deseruerunt. Christus enim pastor bonus væ divitibus hujus mundi minatur qui voluptatibus vanis et superfluis hic perfruuntur; pauperibus vero spiritu promittit beatitudinem in regno cœlorum, quam nobis det ipse qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Admiratus rex cum proceribus suis insignis monachi constantiam, supplex ac devotus impenditei decentem reverentiam, et competenter honoratum, jussit eum remeare in Neustriam. Ibique, quo vellet, suam præstolari præsentiam. Auditum est passim, postquam Guitmundus ad septa monasterii sui remeavit, quod ipse monachalem pauperiem divitiis episcoporum præposuerit, et quod obtentum Angliæ in præsentia regis et optimatum ejus rapinam appellaverit, et quod omnes episcopos, vel abbates, qui nolentibus Anglis in Ecclesiis Angliæ prælati sunt, rapacitatis redarguit. Verba igitur ejus, per Angliam late divulgata sunt et subtiliter ventilata, multis displicuerunt; qui sequaces ejus esse spernentes, contra eum ingenti livore exarserunt. Non multo post, defuncto Joanne Rothomagensium episcopo, rex et alii plures Guitmundum ad archiepiscopatum elegerunt, sed æmuli ejus, quos idem vituperaverat, ne archipræsul fieret, quantum potuerunt, impedierunt. In tanto vero nihil objiciendum invenerunt, nisi quod filius esset presbyteri. Ille autem ab omni avaritia purgari volens, et inter exteros paupertate premi, quam inter suos dissensiones fovere malens, Odilonem, monasterii sui abbatem reverentem adiit, et humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit et accepit. Porro illiteratus abbas metiri nesciebat quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat. Ideo desiderabilem philosophum de monasterio suo facile dimisit; quem Gregorius VII papa venientem ad se, gaudens suscepit, cardinalem S. R. E. præfecit, et Urbanus papa jam probatum in multis metropolitanum Adversis urbis solemniter ordinavit. Hæc urbs tempore Leonis IX papæ, a Nortmannis, qui primo Apuliam incoluerunt, constructa est; et a Romanis, quia ab adversis sibi cœtibus ædificabatur, Adversis dicta est. Hæc utique divitiis opulenta, Cisalpinorum prompta strenuitate bellicosa, hostibus metuenda, fidis clientibus sociisque colenda, Nortmannorum optione soli papæ gratanter obedit; a quo Guitmundum sophistam mystici decoris pallio insigniter redimitum, pontificem accepit. Præfatus archipræsul ecclesiam sibi commissam diu rexit, et apostolicis privilegiis ab omni mortalium exactione liber plausit. Plebem studiose docuit, meritis et orationibus protexit atque post multos agones in virtutum exercitiis ad Dominum perrexit.

EBRARDUS

WATINENSIS MONASTERII CANONICUS REGULARIS

CHRONICON WATINENSE

(Edidit Dom Martene, *Thesaurus anecdot.*, tom. III, col. 797, ex ms. Dunensi.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

Altera quam ad illustrandas res Belgicas promisimus, Historia, est breve Chronicon monasterii seu præpositura Watinensis ordinis S. Augustini, auctore Ebrardo, ejusdem loci canonico regulari, Olfridi fundatoris discipulo ac proinde teste oculato, qui res prout viderat scriptis commendavit: cujus proinde opus, etsi breve, non tamen contemnendum. Et certe quæ de Adela comitissa et Roberto Frisio comite, ejus filio, quæ de Drogone et Huberto episcopis Tarvanensibus, quæ de Bergensis monasterii abbatibus refert, cuivis eo gratiora speramus, quo difficilius alibi reperiri credimus. Quæ vero de antiquæ ac nobilis Menapiorum civitatis ruderibus se vidisse testatur, eo majorem debent lectoris attentionem conciliare, quod Orosii testimonio maxime consentanea sint.

Porro codex Dunensis, ex quo illud descripsimus, illum tantummodo præfert titulum, Chronicon monasterii Guatinensis, auctore non nominato; verum Ebrardi nomen, quod primæ paginæ apposuit manus recentior, illum clare indicavit, quem etiam non ambigimus auctorem fuisse sequentis opusculi de miraculo quod Brugis contigit anno 1088, cum S. Donatiani meritis paralysi curatus est Tamardus canonicus regularis Watinensis; nam idem utroque in opere stylus. Illius autem miraculi meminere etiam Acta translationis S. Donatiani apud Surium 14 Octobris, et Hariulfus in libro Miraculorum S. Richarii, cap. 1. apud Mabillonium Sæculo v Benedictino. Denique perseveravit sub regula S. Augustini nobilis præpositura Watinensis ad usque erectionem episcopatus Audomarensis, quo tempore omnino exstincta fuit, reditibus mensæ episcopali attributis, qui tandem Patribus Anglis Societatis Jesu cesserunt.

CHRONICA MONASTERII GUATINENSIS

Exordium Guatinensis Ecclesiæ, in qua sub regula canonicæ unionis, prout Spiritus sanctus dat eloqui, jussu tuo, mi pater, aggressurus, primo ipsius loci descriptionem, secundo veterum historiarum traditiones, seu etiam id quod visu vel auditu verius compertum habetur, ponere decrevi, ut, dum res tenues, si quos delectat, audierint, quomodo carptim de minimis, ut aiunt, atomis in corporis massam colligi succreverint, gratius ordinem narrationis arripiant, quia diu reticita prodere, nova de veteribus cudere, de novis antiqua reparare, nec tam ficta quam vera et indubitata me velle cognoverunt, miscere enim vetustissimos Batavos cum Guatinensibus opinor, quia quorum occupamus locum, quorum destructa construimus, et desolata reformamus, horum profecto vocabulum non mutuatum, quamvis levibus syllabis permutatum, imo jure hæreditario nanciscimur obtinere id quod ita esse in subjecta pagina promptius apparebit. Nunc autem, ut ad percipientium singula quæ molimur latius perveniant obtutus, dicendi limitem ingrediamur.

I. *De situ monasterii.* — Antiquissimum igitur A oppidum fuisse Menaporum, quod nunc Guatinas vocatur vel Guatinum, nulli qui secundum historicos ejusdem pagi confinia vel situm territorii novit est ambiguum. Quos etiam historiarum cognitores Batavos appellant; ob cujus insigne rei aut eventus auspicium ignoratur. Ait enim de his in Annalibus suis Orosius (lib. I), dum locorum atque insularum diversos situs describeret: « Britannia Oceani insula per longum in boream extenditur, a meridie Gallias habet, cujus proximum littus transmeantibus civitas apparet (1), quæ dicitur Rutupi-portus, unde haud procul a Morinis in austro positis, Menapos Batavosque prospectat. » Unde cum Rutupi-portum in meridiana ejusdem insulæ ripa situm noverimus, nec minus a Morinis Menapos Batavosque in boream porrectos, eodem mari dividente, in ulteriori littore B contiguos prospectum sui ad alterutrum habere, nec dubium Guatinenses a scriptoribus jure Batavos appellari. Illud etiam eorum epitheton, quo genuina quadam feritate inter alias nationes ab auctoribus notati clarebant, si transeamus indicia Romanæ vindictæ clamant. Patent enim avulsa murorum

(1) *L.*, aperit.

fundamenta, sed ædificia partim diruta, et, ut veterem ruinam testantur vestigia, quanto plus fuerant timori, tanto crudelius ab adversariis sunt extirpati. Sed nec adhuc divinæ providentiæ visum est suffecisse quod primo illo eversionis momento, reliquiarum spes ad usque internecionem nullam veniam sit.... quin etiam ab inde per succedentia tempora ad tantam solitudinem, quasi civitas quæ devastatur, ipsa marmorum fragmenta devenere, ut silvestres feræ stabularent ubi deletæ domus, si quæ superfuissent, vivendi monumenta repararent. Sic hostili vastitate etiam per Christiana curricula consumptus, tanta ætate locus permansit vacuus, nihil in se memorabile habens, præter desolatæ mansionis vetustatem, quæ cuncta quaqueversum obduxerat, sola tantum cum sui cantoris tugurio ecclesia, quorum summo in vertice gestabat perspicuam inter vepres et serpentium latebras, inter dumeta et garrulos avium ramos vili admodum fabrica prominebat. Hanc missarum audire solemnia valde tenuis fidelium frequentabat conventus; ubi et ipse aliquando curialem adhuc strepitum quasi mimiloginæ, licet clericus ambiens, dum necdum tempus visitationis meæ seu miserendi ejus advenisset, cum comitatu transitum habui. Memini et meminisse juvat sedulitatem digne dicendi, tunc ibi saderdotis domni Alphumini quanta benevolentia nos accepit, quam strenuum in famulando circa nobis necessaria se exhibuerit. Videres humilitate serviendi officiosum charitate virum, neque verecundiæ urbanitate sedentem, ut facile divino quodam præsagio propheticum illud prævideres in nobis profuturum: *Ecce, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Quod non post multos annos Dei providentia impleri contigit, dum ambos nos sagena conversionis ad portum cœnobii, quod postea inibi fundatum est, traxit, ut in eodem, sicut postmodum claruit, subiret locum regiminis, et me, quod ante multis votis cupierat, post ejus transitum Ecclesia reciperet Guatinensis.

II. *Loci descriptio.* — Tum ego nova rerum facie curiosus, quæ in tanta vallis amplitudine solers antiquorum cura fuisset aspicio, miseratus locum, miseratus excidium, nihil minus quam quod hodie videmus futurum æstimabam, apparebat tamen ex facili quoniam fuerit suis diebus celeber, in quo tanta destructionis monimenta adhuc reservabantur. Nam quanta fuerit popularis frequentia, quantusque concursus, publicæ atque regales viæ utrinque convenientes præmonstrant. Quarum illa quæ a diffusa orientis plaga ad nos usque dirigitur, alveo subterfluente clauditur; altera vero a pharo altissimo, quæ domus olim specularia in hiberna Romanorum dicebatur, Bononiæ muro contigua, ad portum Oceani sita, Britanniam Deirorum insulam prospectans, ab occidentali parte supra dictum eumdem terminatur in amnem; quem, sicut vetustatis fama loquitur, per ambas vadosum stratas fuisse accolarum commenta ferunt. Sed fidem his non præbentes, magis hoc admirari quam credere volunt; est enim magnæ profunditatis, et non solum ex sui altura piscosam circummanentibus conferens abundantiam, verum et navigio habilis ab Oceano cui multis ostiolis infusus excipitur, tum diversa rerum mercimonia, tum multimodas ad fruendum ministrat capturas. A cujus margine, paulatim succrescente cumulo elementi proceritate, mons gignitur, qui sicut continuo deducta planitie ad subsolanum egeritur, ita a septentrione et meridie residentibus cumbis (2) in altitudinem cumulatur. Nemoribus consitus, pascuis uber, vini non ferax, quo solo beneficio Gallos admittimus irrisores, quod succo granorum fermentato coctione potamur, quasi mitioris liquoris potores innoxius (*sic*) ad Dei laudes non evigilent; arborum frugiferarum simul et diversi generis olerum ad usum famulantium, si colatur, adeo fertilis ut, si nolis procurare utilia, velis nolis, quasi desidiam laboratoris arguens, miro incremento germinet inutilia. At præterea tam salubriter spirantibus ventis expositus ut infecti crassitudinem aeris sive nebularum, quas isdem exhalat nocivam, alveus confluens in se coagulari non permittat.

III.— Et hoc sane gratum, et imitabile atque in re insensata quasi vivum documentum. Innuit enim, velut divino quodam oraculo, ad communem vitam concurrentes, his causis propositis ad provectum debere informari, ut summo videlicet exercitio culti, ad sancta vivendi stadia laboremus, ne quando, quod absit! boni propositi cultum deserentes, indecores nostræ professionis prorumpant abusus, qui vitam eminenti arce mentis copias semel congessimus, ubi nebulosas sæculi hujus umbras dies in occiduis salubriter aspirans in occasum semper demergit. Umbras dixerim, ut quidam velox ad fugiendas hujusmodi tenebras, quæcunque, ait, in hoc sæculo magna videntur, umbra vel somnia deputanda sunt. Pulchritudo scilicet corporis, sapientia litterarum, robur membrorum, infulæ dignitatum, regni potentia, hæc ad comparationem illius æterni diei, umbræ et somnia comprobantur.

IV.— Quare intra castra Ecclesiæ, in militia nominis apostolici, quod primo procinctu in toto maritima regione nos Christi pauperes (3) initiavit, ita vivendum est, ut vincti charitatis vinculis, præparati pedes in Evangelium pacis, stricto mucrone spiritus, ad debellandas aereas potestates, alios blanda commonitione, alios durius increpando, exemplo vitæ et verbo atque in civitate commanendi, in omni loco bonus odor Dei semper emen-

(2) Cumbæ vocabulum diversimode a scriptoribus mediæ ætatis accipitur: aliquando pro telonio, nonnunquam pro cymba seu navi, aliquoties vero pro loco declivi; quæ acceptio huic loco videtur magis accommoda. — Ni legatur *tumbis*, i. e. *tumulis*.

(3) Hinc colliges Watinense monasterium primum illis in regionibus fuisse ordinis canonicorum regularium S. Augustini, qui non ita pridem in Galliis originem habuerat. Unde et paulo post infra *inauditam ordinis canonici novitatem* appellat.

datiorem vitam omnibus offerendo, cum etiam iis similia posteris ad memoriam transmittendo, non solum dici; sed jure hæreditario Batavi, quasi *beati avi* hæredibus primitivæ apostolicæ conversationis esse possimus. Et ut scholastice, quemadmodum inter scientes applaudendo, quiddam verisimile subinferam, ne infertiles ipsi arbores ad aliorum simus provectum; nos forsan adhuc absentes pendula his arboribus poma manebant, ipsi nos fontes, ipsi nos montes, ipsa hoc arbusta notabant.

V. *De fundatore cœnobii Watinensis.* — Jam aliquantulum digrediendi usui nostro prout videbatur necessarium immorati, ipsum cœnobii nostri fundatorem, quem divina miseratione, sic actum arbitramur, ab orientalis Flandriæ partibus, ad memoratum destinavit mittere locum in opus Dei, ad medium producamus, ut non modo exteriora fundamenta jaciat; verum in ædificio spirituali vivos sanctuarii lapides, ut sapiens architectus, polite componat. Erat is religiosæ vitæ clericus, ordine sacerdotali decoratus, dignus non simpliciter dici domnus Olfridus, litteratura sæculari ac divinorum tam convenienter instructus, ut præter quos grammaticos appellamus, in libris divinis ab eo apud nos relictis luculenter appareat, quam diligens eorum examinator fuerit, dum omni eos genere distinctionum ad intelligentiæ famulatum, prout inter scholasticos de Scripturis sanctis audivit, gnaviter explevit. Sed forsitan aliquis tu cupidus dicere vel audire quid novi, remordeas, et quod pinxerit non sua, me dixisse reprehendas: teipsum in hoc convenio. Quid enim habes quod non accepisti? aut non sunt quærenda ab eis abscondita Scripturarum qui Dei voluntatem mentis acumine vicinius contemplantur? an non eorum sequenda vestigia, quibus divina testimonia scrutantibus revelata sunt? Non dico quod ingenium tantum sine doctore non sit laudabile; sed quod est inspirationis et gratiæ: sed dum quidam scioli conclave philosophiæ quasi per rimas tenuissime introspexerunt, vilipendenda dijudicant a doctoribus collecta, nisi academico sapore fuerint condita. Quos potius ridendos addixerim, qui per oblectamenta fallaciæ magis appetunt garrire, quam sancti Spiritus organis, virorum videlicet illustrium documentis obaudire. Quare tanto majoribus eum disciplinæ bonis inter nos dum vixit abundare vidimus, quanto non inventa aut ficta per se humana persuasione morum instrumenta palliavit. Verum secundum auctoritatem SS. Patrum religiose vivens enituit.

VI *Diversis cœnobiis peragratis Watinum prælegit fundator.* — Accedit ad hoc, quod vitæ superioris amore diversa cœnobitarum habitacula laborioso circuitu sicut vir desideriorum lustravit; sed soli Guatino specialiter designatus, opulentiæ divitiarum atque suffarcinatis (4) ferculis olera nostra sobrie A irrigata præferens, in horum nullo mansit fixus. Cæterum opinatissima quam potuit canonicæ institutionis undecunque decerpta mentis in alveario collegit, ut in horreum sanctæ Ecclesiæ messor divinus conferret, quæ secum in tritura laboraturis grato pastu cibaria dispensaret. Veniens igitur ad descriptum locum, quasi peracto currendi stadio, bravium ugonis accepturus: speculata silvarum solitudine, aptum private vivendi ab inopportunitate discurrentium ratus est sibi reperisse latibulum. Replicat tamen provide vices, velut perspicax in futurum vivendi provisor, et quasi ales jam vicina partui, ubi tuta cubilia ponat sollicita, hinc ventorum turbines, inde milvorum ingluviem, hinc trepida cogitat an grues tandem ardua tremulis in ramis anxie placet frondea. Ita crebra visitatione B non semel aut bis redeundo satiatus, quos jam in spe parturiens sibi sociari meditabatur, filiorum mansiunculas solerti curiositate providebat, ne tanta loci commoditate quoquomodo frustraretur.

VII. *Locum a Bergensis monasterii jugo liberari curat.* — Sed quia Bergensis monasterii membrum id esse deprehendit, ad quemdam majorem provinciæ virum, principii nostri et re et nomine quasi patrem A, cui æque honesta erat matrona, et hæc nostræ creationis, ut ita dicam, fecunda genitrix, scilicet hujusmodi concilium per se ferre non valens, detulit, et quid in supradicta tam angusta olim sede, si in sua cederet, fieri deliberasset aperuit. Parva fiducia ne id putas ausus, ut hominem quasi belluina rabie frendentem, ubique nequam, fama cognitum, elatum, incompositum, sine affectione, C ignotus ignotum adiret? An quod non crederes in aliquo aut alia hujusmodi parandum tibi posse mansuescere, multorum catenis punitorem? Sed audebat plane, et bonam voluntatem habebat timorem Domini istiusmodi hominibus suadere, corripere, docere in omni doctrina, perfectos reddere, ut mitigaret eos a diebus malis. Juvit in hoc ipsum qui mœrentium (5) dat Deus suscitare filium Abrahæ quasi vivum de lapide. Nam licet impune multos exquisitis malitiis ex consuetudine nocendi, sine misericordia sæpe multasset, sed in hoc laudandus, quod cum rarum vade sit cognitu, ad id usque alicui eum vel necessitate patienti in modico aliquando succurrisse, prædictum tantum religiosis virum primo aditu honeste suscepit, diligenter audivit, D veneratus est, et nobis ipsius hortatu res, terras, pecuniam, ornamenta, se insuper ipsum præ omnibus ad serviendum benevolus exhibuit. Tantum Olfridi lima sermonis evaluit, quæ mitem de crudeli, de inutili frugalem, increpata duritie pravitatem rodendo paulatim exsculpserat. Hic ergo cum ejus desiderium cognovisset, tum imminente (6) proba conjuge, tum inaudita canonici ordinis novitate, quem instituendum inibi paulo ante exposuerat,

(4) Hinc colliges primorum canonicorum regularium victum omnino tenuem exstitisse, eosque abstinentiam a carnibus observasse, quod certe aliunde satis constat.

(5) *Adde* consolator.

(6) *F.*, innuente.

totum se huic negotio impendit, quod isdem locus A cum annuis reditibus quos Bergensibus solvere solebat, libertati condonaretur. Quod hac molitione, sicut erat ingeniosus, admonitione prædicti provisoris nostri, indicta taciturnitate, cautos affecit.

VIII. *Richarius canonicus Morinensis, consentiente episcopo, dedit altare Ledringehen.*— Sed nos neminem latere volentes, tam nolentibus scire, quam volentibus innotescere studeamus, ut, sicut quis de qua sit oriundus linea novit, ne itidem cujus sit originis Guatinense cœnobium filii qui nascentur ignorent. Cujusdam ergo Richarii de canonicis S. Mariæ Morinensis altare Ledringehen quod usibus deserviebat, cessione ipsius, a beatæ memoriæ tunc episcopo Drogone domno Odfrido concedi laicus idem precibus obtinuit. Quod idem cum appendiciis B suis non post multos dies conditione inde convenmente, eodem prædicto episcopo mediante, cum idoneis personis, Ermengerus abbas Bergensis et monachi ejus in usus monasterii sui, pro Guatinensi Ecclesia et quos debebat annuatim solidos a domno Odfrido abbate nostro in cambio suscepit, utpote statim deinceps alterutrum mutata possessio perpetua stabilitate cui cessisset hinc vel inde firma remaneret. Hoc ita synodali publico conventu diffinito, quisque sibi ratis cesis receptis suas diœceses commutatæ sunt, proprio cum jure solide et quiete recognovit. Sic nuntiatum (7) a primo introitu prælationis in Gualinensi Ecclesia domnum Odfridum cognovimus, et ne occultatum posteris excidat, testimonio tali ad memorandum sus- C citamus.

IX. *Odfridus discipulos primo congregat.*— Ventum ergo jam erat ad ilum quem votis mille petitum ambigerat (8) vidisse diem, ut nacta videlicet opportunitate, cum his quos Deus ad hunc quietis monasterii portum appelleret canonice conversaretur, ab urbe Tervanensium directo itinere Guatinum pervenit, et composita pace cum his quos invenit, facto etiam, prout res erat, inventario, ipsum hactenus cantorem ejusdem ecclesiæ venerandum sacerdotio virum quem postea in ea priorem, ut dictum est, vidimus, Deo mediatore in in unum cor et animam unam conglutinans regulariter vivere cœpit.

X.— Hanc religionem præfatus ille bonæ ipse D laicus non mediocriter appretiatus, se cum uxore sua in societatem hujus fraternitatis suscipi et connumerari magna cum veneratione postulans impetravit; et sicut publicarum, quibus cingimur, forestium officialis erat, in cellulis, officinis ac necessariis fabricandis hilaris machinarum et lignorum administrator diligenter adjuvit. Eo tempore nihilominus idem vir obtulit quadraginta octo mensuras terræ cultæ in meridiana parte sub monte Caleti, ad sustentationem Ecclesiæ nostræ, in redemptionem suam et suæ collateranis, ut quam velut expositam nutritius a príncio colle erat, neglectam composuerat, humilem sustentaverat, infirmam refecerat, pannosam ornamentis speciose compserat, jam a fultam et quasi producendam ante omnes primitus oblationis dote firmaret,

XI. *Variæ donationes in ipso exordio fundationis factæ.* — Tunc etiam domnus Odfridus præpositus noster dedit viginti mensuras terræ in villa Aissengehem, Richardus (9) canonicus quatuor mensuras in Walins, Bernoldus canonicus in Petenham decem mensuras, Bedbertus canonicus in Petenham quinque mensuras, Herbertus canonicus et conversus in Sintina sedecim mensuras, Tainardus et Everboldus canonici triginta mensuras, Alfunnius canonicus decem mensuras in Broesela, Radulphus canonicus decem mensuras in Sintina; quarum Richardi quatuor mensuras et Bernoldi canonicorum et Alfunni decem vendidimus propter comparandum allodium Joannis Atrebatensis, et sicut in sequentibus dicetur, in meliorem possessionem commutavimus. Dedit postea Rodulfus conversus tredecim mensuras terræ et seipsum Ecclesiæ nostræ cum tota mansione in villa Ledersela, Gibbodo miles de Fleterne viginti mensuras in villa Thiggabust.

XII. *Adela comitissa Fland. cum comite Flandriæ Roberto Frisone omnia confirmat, aliaque dona supradictis adjicit. Confirmatio Drogonis episcopi Tarvanensis.*— Et ne ad incœpta majorum personarum deesset dignitas, ad confirmandum comitissam Flandriæ Adelam videlicet Balduini comitis apud Insulam sepulti viduam adiit, quid fecisset, quid vellet intimavit. Illa autem, ut erat indeficiens ad melioris vitæ provectum consolatrix, filium comitem videlicet Robertum cognomento Grisonem e vestigio convenit, bonum esse et salubre si hujusmodi benevolentibus conversari aliquid attribueretur, efficacissime suasit, nec ante desiit quam dominicalem curtem nomine Ballenberge ad occidentalem plagam Caleti montis juxta rivulum Penam, cum omnibus appendiciis integerrime, insuper et duas garbas totius parochiæ Guatinensis, nec non in circuitu atrii ad applicandum curtulia et mansiones quatuor diurniales terræ fiscalinæ, in remissionem peccatorum suorum, Deo et sanctis ad continentiam inibi servientium, nostræ Guatinensi Ecclesiæ ambo perpetualiter offerrent. Actum in villa Sithiu apud cœnobium S. Bertini, atque idem in synodo Tarvanensi publico consessu, idoneis astantibus personis cum eadem ecclesia nostra in testamento episcopali, quemadmodum scire volentibus patet, libertati inconvulsæ sub astipulatione confirmatum; præsidente Drogone episcopo, anno Incarnationis Domini 1072, indictione x, sexto Idus Junii, sexta feria.

XIII. *Adela comitissa monasterii fundamenta posuit.*--Needum animo satis dederat femina cœlitus inspirita, imo Guatinum venit, et quasi una de minoribus humili subsellio cum cæmentariis ac fossoribus operi immorata, sub divo solis patiens, sancti

(7) *F.*, initiatum.
(8) *Id est*, ambierat.

(9) Is Richardus esse videtur canonicus Moripensis, qui jam dederat altare de Ledringehem.

ædificii quod usque hodie est fundamenta jecit, et abscedens hac vice non modicum censum ad plastarum expensas per manum domni Odfridi Patris nostri dereliquit.. Quas quidem, ne serius opificium, exhaustis quas prius miserat, consummaretur, per plura incrementa non semel aut bis, sed multoties, ut ab his qui noverunt novimus, augere curavit. Erat tunc, quando numerosa pecunia in exstruendis molendinis apud Muggascola, quem locum, a silva per divisionem fossati quod fecimus, comitis dono suscepimus, perdite et sine effectu impensa est.

XIV. *Eadem procurante comitissa, terra Olderdesdit acquiritur.*— Præterea Joannes Atrebatensis, vir potens in ordine suo, provinciæ ipsius advocatus, allodium, terras videlicet magnas quas habebat in Flandria, eidem ipsi feminæ nobili pro quinquaginta libris solidorum ante aliquot annos apposuerat, ex quibus ipsa, statutis in eis duabus vaccariis, pensiones annuas juxta consuetudinem recipiebat. Sed hoc usufructu animæ commercium potius fœnerari cupiens, satagebat intenta mente quomodo ecclesiam nostram jure perpetuo eisdem terris (10). Sunt autem hæ in parochia videlicet Exenboldescappla virginti tria diurnalia, quæ terra vocatur Olderdesdit, in parochiis Stenen et Petingham diurnalia ducenta, quæ in summa ducenta viginti tria diurnalia, quæ vulgo mansuras nominamus, faciunt. Qua de causa cum fratribus nostris Joannem convenit, hortata est quatenus supradictum allodium in redemptionem peccatorum suorum ipse et uxor ejus Ermentrudis Guatinensi ecclesiæ tribuere nollent, vel misericordi pretio venderent. Tandem persuasit, pecuniam pacta est centum videlicet libras, et insuper quoad viverent annuatim decem libras, ab ipsa ecclesia scilicet in festo S. Martini c solidos, et quindecim dies ante Pascha c solidos, ea conditione ut, dum ambo defecissent, pro eorum absolutione decem illæ libræ sine repetitione aliquo perpetuo deinceps Guatinensi ecclesiæ remissa decidissent. Ita sapienter devota femina emptionis pretium ad hanc summam facilius recidere, nec aliter potuit. Quare ad decem annuas libras, quas idcirco pepigerat, propter spem diutius vivendi cupidos, annuas numerare prospexit. In quo debito illas quinquaginta libras, quas ab ea Joannes super prædictum allodium mutuaverat, eidem ipsi infra numerum C librarum sub emptionis et venditionis ratione, quemadmodum ab initio conventionis ecclesiæ nostræ ipsa donaverat, eo sic annuente statim in solutionem computavit. Reliquum autem, id est alias quinquaginta libras usque ad centum, nos undecunque corradendo, gravi dispendio ipsi persolvimus.

XV. *Acquisitio fuit gravis monasterio.*— Eo tempore adeo importabili debito addicti sumus, ut, extra terras quas vendidimus, libri etiam et ornamenta ecclesiæ distraherentur, quia levius visum fuit rebus mobilibus ad tempus desolari quam in futurum vivendi tam ampla possessione non hæreditari. Huic

(10) *Adde*, donaret, *vel quid simile.*

A autem pactioni, mediante comite Roberto Frisone, publice in plena curia Pentecostes in Bergis castro Joannes, consentiens atque irremeabiliter laudans, cum ad donum ac manumissionem faciendam pervenisset, uxor ejus reluctabatur, quasi dotem suam amissura; qua tamen duas auri uncias a nobis extorquente, et fieri permisit, et cum marito suo ipsa legitime fecit. Facta est autem hæc traditio anno Incarnationis Domini 1075 indictione XIII, octavo Kalendas Junii, feria secunda Pentecostes, in villa Bergis a Joanne Atrebatensi et uxore ejus Ermentrude, super reliquias ecclesiæ Guatinensis, in mansione ac dono Gonteri condictoris et ministri ejusdem Joannis, adhibitis judicibus quos scabinos appellamus, his de Cappla Eremberto, Fredeboldo de Uggeshen, Dodino filio Tidboldi de Verhen, Adalardo Tire, Ro ulfo filio Everardi Nossalim, Lugelmaro Stanin filio Inglemari Stanin, Lugelmaro Albo, Olrico filio Hermi, Eggafrido filio Arnoldi de Stenen, Wabrardo de Coldelkerke, Arnoldo filio Elmengeri, Malgero filio Wulfardi, Wanka de Petengham, Odfrido Renlofo filio Heregoti, Heregoto de Petengham Volrado fratre ejus, Godewino de Petengham, Waltero Voxbalg.

XVI. *Walterus Bergensis advocatus eam confirmat nomine principis.*— Et quia comes causis curialibus implicatus erat, Walterus Bergensis advocatus, ad hoc in forum judiciale transmissus, donum ac stipulationes et ratum sponsionis, ut in legibus mos est, in oculis testium qui infra conscripti sunt, ad opus ecclesiæ Guatinensis vice comitis suscepit. Testes ipse Valterus Bergensis, Eustachius Minensis, Lambertus frater ejus, Albertus de Bellis, Giselbertus frater Balduini Gandensis, qui ab Anglia tunc venerat, Onulfus dapifer, Rodbertus bucularius [bouvier], Rodulfus camerarius, Ragenfridus frater ejus, Franco Nivellensis, Wago Atrebatensis, Walterus filius Ursonis Duacensis, Goiffridus castellanus Cassiliensis, Rodulphus filius ejus, Rodulphus Sapin, Azo de Stapris, Gerardus scabinus, Giboldo scabinus de Fleterre, Arnoldus scabinus de Muc, Arnoldus de Castra. Bergenses Folcrannus castellanus Bergensis Boldravan filius Letræ, Balduinus frater ejus, Lectra frater ejus, Hagabaru filius Stulard, Boldravan frater ejus, Wizalo frater ejus, Malgor frater ejus, Bernoldus filius Norberti, Norbertus frater ejus, Ravan frater ejus, Arnoldus filius Ravan, Hugo Roda, Odbertus frater ejus, Hugo Roda de Port, Walterus filius Odfridi, Remgor filius Arnoldi nigri, Lugelmar filius ejus, Everardus filius Everardi, Adalim filius Vemardi, Lem. filius Wulfardi, Mankel Renger frater ejus, Herebertus filius Denes, Bernoldus filius Radulfi, Gozemar Glenchant, Arnoldus Uggeshem, Camo de Trembold filius Eggefridi, Eggefridus frater ejus, Erembertus frater ejus, Erembertus filius, Oden, Erembertus filius Onnakim, Reimlof filius Godildi, Hugo frater ejus, Ereemboldus frater ejus.

XVII. *Joannes Atrebatensis in ecclesia Watinensi*

iterum eadem confirmat. — Quo facto, sequenti die, id est tertia feria in Pentecoste, dilatione unius noctis mediæ, venit Joannes, et hujus traditionis majorem adhuc fidem facturus, quidquid Bergis in concessu judicum, in oculis jurisperitorum et testium dono, stipulatione, rato, promisso ac fidejussione fecerat, totum repetito ordine Deo et sanctis ejus Nicolao et Richario (11) ad usum ecclesiæ Guatinensis benevolus in altari renovavit, obtulit, manumisit. Cui secundæ traditioni juvenis comes Robertus filius comitis Roberti Frisonis ad hoc a patre et avia directus interfuit, et sicut scientes uti legibus, cautius dictaverunt, videlicet donum, stipulationes, et cætera quæ in hujusmodi fieri competebant, tam jussu quam vice patris ad jus ecclesiæ nostræ vindicans suscepit.

XVIII.— Sic Guatensis ecclesia allodium Joannis Atrebatensis, quod in jamdictis parochiis possidere videbatur, per sæpenominatam feminam acquisivit, pro quo per continuos novem annos sine remissione præscriptas decem libras ad libitum accipientes numeravimus. Decimo autem anno cum prius uxor ejus defuncta esset, et ipse interfectus est, sed ante solutis illius anni c scutis, debiti nostri quinque, quia de decentis plus minus libris si a principio conventionis ac deinceps per singulos annos, ut notavimus, computes, constitisse nobis easdem terras ante mortem Joannis invenies, si ad primas centum libras novies decem libras supputatis et semel centum solidis in hac conscriptione facillime taxare poteris. Quæ ita scire, ut supra posuimus, reor non oberit, imo et post ex illo die eamdem possessionem solide et quiete nos tenuisse apud memoriam posterorum multum nosse proderit.

XIX. *Variis calamitatibus turbantur Watinenses.* —Hujusmodi nostræ ecclesiæ provectus quos hactenus notavimus, ne beneficiis Dei ingrati essemus, semper aliqua amaritudine aspergebantur, ne vel minimum nasceretur commodum, quod non aliqua ex parte nobis fieret incommodatum. Primo enim omnium, postquam anima una et cor unum in Deo nobis esse cœperat, unitatem spiritus dissentionis ægre ferens, quia mutare cogebatur hospitium, amica suæ fraudis vascula serpentes nobis dereliquit; quorum tam innumera erat ante nos in his sedibus multitudo ut cum mansionario ejusdem atrii, anterioris scilicet ecclesiæ canlore, sub eadem casula gregatim habitarent. Et quamvis neminem morsibus læderent venenosis, tamen tractibus (12) mansiunculas atque ustensilia quæque polluebant, quem tandem tam imminenti grassatione sunt aggressi ut præ nimia importunitate deserere locum compellerent. et mansionem mutare. Videres enim, ut affirmant, ita mansuetos, ut qui naturali formidine humanos solerent vitare occursus, præter id quod multoties immissa nescio qua audacia, inter consedentium pedes allabebantur; tum etiam a tecto per tegulas, tum per impluvium ipsius tugurii semel penduli capitibus inversis præcipitabant, domestica quadam familiaritate lectulos quorumdam ascenderent, et facto foramine in orbem intra vestes se sibi implicarent. Ubi si quando reperiebantur, non quasi deprehensi latebras quærebant, sed velut officiosi servitute parentes de mutato loco ex latere ad horam majori cedere videbantur. Observabant etiam reficiendi tempus, ne vel prandium vel cœna sine illorum participio transiret, qui ipsam mensam aliquando, sicut docti, scandere parabant, nisi violentia aut incusso terrore arcerentur. Ita dies de improvisa eorum ingressione, ubi minus adesse putabantur formidolosi, noctes vero omnino suspectæ ducebantur. Quia enim hæc reptilia, prout a referentibus, qui talia noverunt, contigisse innotuit, apertis oribus dormientium solent insidiari, ut sicubi laxa, sicut fit, solutis sopore membris observaverint, corpora humana ingrediantur, vix satis tutum erat dormire, nisi mundioris alicujus brandei glomus ora compilata aut facies velamine obvolvisset. Si quando vero, quod ex natura pati non possunt, frigore aut aeris aliqua incommoditate a latebras redire compellebantur, videres alios palis ac sudibus, alios perticis ac lapidibus armatos exploratas tavernas obsidere, et cum desuper ab aliis de sterquiliniis comprimerentur, egredi ab aliis excepti diversis mortibus exterminarentur. Sed cum nos Deus ad hanc habitationem lue mortifera forsan extergendam, imo ad suæ mansionis receptacula in nobis mundanda convocasset, hujusmodi portenta etiam claustri nostri penetralia ita pervio lapsu aliquando permeabant ut sedilia fratrum sæpius occuparent, promptuaria irrumperent, vias deambulantibus frequenter sepirent.

XX.— Erat tunc juvenis quidam inter nos frater, divino, credo, impetu cæteris audacior, qui quotquot offendebat, aliis pro solo visu pavitantibus immisericorditer multabat. De quo quia res ita se offert, jocosum triumphum simul ac memorabile ponere non ab re duxi, ut dum ætas junior constantia simplicitatis qualiter impulsa nescio quid fecerit, majores audierint, fidei tutela indubitanter armati quid ipsi in eo qui dat potestatem calcandi supra scorpiones et serpentes præsumare valeant, non cunctentur. Hic enim dum forte quiddam operis habens in claustro, die quadam, sederet, ex improviso insolitæ magnitudinis, quantum ad solitos videri, ante pedes ejus serpens allapsus est. Quem cum, pallentibus aliis, reptantem advertisset, statim licet inermis eo spiritus impetu quo solebat fidens aggreditur, et medium nuda manu arreptum, rigentem, quasi telum, vibrans, solidum parietem, qui ex latere stabat ictu tam facili transverberavit ac si missile aliquod pro serpente jecisset. Ad hujus facti re-

(11) Monasterii patronis. Nam prima Watinensis Ecclesia S. Richario consecrata fuit, cui constructo cœnobio, et antiqua restaurata ecclesia, S. Nicolaus patronus alter accessit,

(12) *L.*, tactibus.

lationem dum ego requirerem quid de illo suo vivo jaculo deinde fecisset, respondit tandiu in perfosso pariete hinc atque inde pependisse, donec subsecutus et rei effectum disceret et bestiam interimeret. Mirari ergo, prout dignum admiratione videbatur, cœpi; ille autem nihilominus affirmare et ne quidem minimam aperturam antehac in ea parietis parte qua serpens transierat fuisse perfectissime probatum habere asserebat. Insuper non rei fide, sed ne quis forsan virtuti tale quid incomperta diffamatione attribueret, quosdam hujus esse generis colubros, quorum facie præacuta lignea quælibet maceries, si quis tentaret, absque difficultate actu transfigeretur. Sed ego inverecundius historicorum disertissimis, qui Libyæ tantum siticulosa regione, aut Arabiæ divitibus arvis hunc quem dicunt jaculum morari serpentem opinantur, ad cujus jactum dum irascitur, non armorum vasa salutem tueri valeant, magis crediderim. Istud autum, quaslibet opiniones machinetur, quas vel excusationes ad non credendum prætendat, nonnisi divinæ virtutis indicium et occultum futuri alicujus beneficii præsagium dixerim. Hæc non me confingere, quemadmodum graphio committuntur, quisquam præjudicet, dum ab eorum labiis exceperim quibus et videndi atque interesse facultas frequenter pavitantibus fuit.

XXI. — Addidit hic totius iniquitatis seminarum diabolus tentationes adversum nos, adhuc arma commovere et peccatis nostris exigentibus permissus. Facto soricum grege omnes officinarum mansiunculas usque adeo vehementi tabe commaculans infecit, ut, præter quod solito casu naturæ mandi poterat, lectorum sternia, vestes, manutergia, altaris pallas, libros divinos absque ullo respectu, præterea vasa, calices ligneos, pyxides panum sacrificandorum cum ipsis panibus immisericorditer deroderent, et vix, ut timebatur, ab humanis carnibus temperarent. Sed forsan in hoc proxime imminens adversitatis portendebat indiculum, ut cum immundorum animalium lacerati dentibus evasissemus, mundorum attrectandi morsibus, quemadmodum contigit, deputaremur.

XXII. — Nam huic successit incommodo totius fere provinciæ contra nos, maxime autem clericorum, conflata suspicio, quod mandatorum apostolicorum plus æmulatores præ cæteris videbamur, videlicet de non suscipiendis ad missas faciendas uxoratis sacerdotibus, de incestuosis et Simoniacis vitandis, tum etiam de aliis capitulis quæ in decreto Gregorii papæ VII distinguuntur servandis, atque ob hoc velut incentores hujus commotionis domnum Odfridum odiis, opprobriis ac maledictionibus insectabantur, ut præter illa quæ ubique disseminando verbum Dei foris patiebatur convicia, comprovinciales et clerici vicini cædes, incendia, exterminium exitiale quotidie domi nobis comminabantur. Ila foris pugnæ, intus timores, vix aliqua securi inter vivendum hora. Hinc, ut aiunt, lapides, inde sagittas, aliunde consumpturas omnia flammas timebamus.

XXIII. — Sed periculis futuris præscius Deus præmunitionis clypeum objecit, ne, si quando peccatis exigentibus ingruerent, locus omnis sine spe desolaretur. Nam egregio concepit animo prædicta virtutis femina Romam ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli properare, in quo comitatu prædictum præpositum nostrum sibi socians, ad beatæ memoriæ Gregorium VII perduxit. A quo oblata cessione Tarvanensis episcopi, privilegium sancti Petri ad confirmationem ecclesiæ nostræ solemniter datum suscepit, et feliciter iens ac feliciter rediens, ad nos usque perduxit.

XXIV. — His Romanis opibus ditati quietiores degere putabamus, cum ad offensionem suam omnia fieri reputantes, quasi agmen aculeatum exasperati, acrius nobis adversarii insurgunt. Nec clam muriculis per se conferentes capita cleri atque ipsum episcopum concitant, auctoritatem ligandi atque solvendi Romano libellatico præpositum nostrum suscepisse accusant, hujusmodi privilegio sic corroboratum sit jus episcopale destrui, de cætero solo nomine episcopum militare, Guatinenses imperare, summa imis commutari, inversa omnia, caput in caudam, nihil jam deesse præter infulas episcopales, actum esse nisi Guatinum funditus concidat, et id genus plurima quæ etiam sanctissimas mentes justitiæ arma corripere cogere possent, donec sumpta occasione, et cleri conventu, præsentari privilegium mandat. Defertur, legitur, et velut adulterinum cum violentia atque injuria, sine jure, sine judicio trahitur, rapitur, et in armario episcopi recluditur. Latorem autem præpositum nostrum contumeliis affectum, sine ratione exspoliatum, ne quidem ulterius jam convincendum, sed prout confusus tumultus acclamabant sine auditione damnatum dimiserunt.

XXV. — Singula quid opus est retexere? quos luctus, quas ignominias, quæ opprobria, quas invectiones, quas comminationes, terrores, derisiones interim nostra Ecclesia tulerit, dum suo capite nudata, viduitatis vestibus amicta, restitutionis tempus exspectabat. Consolabatur tamen in filiorum qui residui erant constantia, quia viriliter omnibus quæ acciderant infortuniis, canonicæ vitæ a regia via non exorbitabant, sed pro seipsis et loco agentes, nihil impossibilius quam Romano decreto superordinari posse judicantes, resumptis viribus, per seipsos episcopum adeunt, rogant, expostulent, incusant, cur scilicet Guatinensem Ecclesiam ludibrio habitam, sine lege fecisset; cur iniquorum machinatione destruere moliretur quod ipse fecisset privilegium quod abstulisset Guatinensem Ecclesiam ex furtiva usurpatione non præsumpsisse, datorem adhuc vivere, nec emendandum esse quod ex sua conscientia et cessione Romani pontificis permissum erat, nullius objectionis convictos accusatione, simulationes reos factos non attestatione, ut si culpa-

bilem discutere vellet, seipsum in causa esse qui injuriasset non injuriatos, se invenire puniendum, punitos autem impuniendos : placeret tandem ablata reddere, exspoliatos receptis propriis jurisdictione in sua restituere, patre turpiter repulso pupillorum causæ non obviare. Satis jam et plusquam satis malignorum superbia et obtrectatione Guatinenses terra marique fuisse decantatos, jam invidos ad cumulum grassatos, nil restare spei in posterum præter miseriæ et plorationis elogium. Sed eo tamen miseros apud judicem miserabiliores in omni causa debere fieri, quo ab æmulis opprimuntur; tamen super omnia cogitandum quod in divinas leges impie impune agere diu non cedatur. Sin autem Neroniana tempora his posse convinci, quæ licet Petrum absumpsissent, sed tamen fidem illius sub testimonio reservasse. Nunc vero in hac rerum intemperie, si tenuis injustitiæ frena laxentur, quid aliud nisi fidei totius fundamenta collidere, atque ipsa Veritate reclamante: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, quæ infidelium intemerata reliquit impietas, ejusdem cujus non desinet fides contra Veritatem etiam testamenta delere?

XXVI. — Intererat huic altercationi filius sanctæ Romanæ Ecclesiæ L. Sancti Audomarensis canonicus, quem in sacro palatio cum venerandæ memoriæ Gregorio VII non parvo tempore commoratum et novimus, et splendide peregrinatum vidimus. Qui Romuleos apices reserata charta veluti familiaris aliquandiu collectaneus acumine clariori quid continerent intuitus, rata interpretatione sine difficultate resolvit, et oppilato refragantium ore Guatinensi Ecclesiæ cultum privilegium resignari abundanti ratione convicit. Sic igitur restituti ac grate postliminium reversi, deinceps aliqua inquietudine libertatem nostram a nemine rescivimus cauponari.

XXVII. *Watinensium in adversis moderatio. Drogo episcopus Tervanensis moritur.* — Ea tempestate, cum in Galliis per diversas sedes plurima concilia celebrarentur, et ab Hugone Diensi sanctæ Romanæ Ecclesiæ legato multa corrigerentur, clerus Morinensis per simplicitatem episcopi senis, tum in nobis, tum in aliis, pro qualitate temporis ita impune delirabant. In hoc tamen conamur eos excusare, quod cum multo minus quam quorumdam poscebat invida suggestio pateremur, animus eorum vix a nobis, salva episcopali reverentia, in nostra defensione recessit. Sed in his omnibus quæ pacis alii eversores, atque alii suggerebant, digna quidem animadversione si ulcisci de nos pulsantibus vellemus, nunquam propterea venerandos canos tam annosi sacerdotis offendimus, nec in tanta levitate morum vel concilia appellavimus, vel sententiam in eum jaculandam aliqua protervia censuimus. Tanta mansuetudine commotionem nostram in nobismetipsis fregimus, cum inter multiplices querelas atque impetentium perversitates prout ab osoribus nostris impellebatur, nos injuriasset. Et quidem Romana pietas, cui in eodem assentiabamus, quæ semper laborantes misericordiæ gremio suscipere solet virum habet velut emeritum suum, quamvis in aliquibus statum reipublicæ labefactantem materne sustinebat, quia simplicitatem cum senectute pensans, tanto pro eo sollicitior atque timidior videbatur, quanto scientia ac discretione excedens morti vicinior, dierum plenus quotidie efficiebatur. Etenim non multo post ipse defungitur anno episcopatus sui quinquagesimo.

XXVIII. *Hubertus archidiaconus succedit.* — In cujus sedem Hubertus ejusdem Ecclesiæ archidiaconus subrogatur, vir elegantis scientiæ ac dignus dominio, si sibi, ut aiunt, dominari potuisset: quæ res plerosque multotiens ad usque interniciem confudit potentes. Qui sacerdotium adeptus, cum ad continentiam Ecclesiæ suæ possessiones et altaria, in quibus cum defecto prædecessore et ipsa defecerat, strenue conferret, et quasi redivivam reformare disponeret, bonæ spei apud plures esse cœperat, quod utiliter episcopalibus reditibus provideret : unde si ab eo collata servata remansissent felices usque hodie successores prædicaremus episcopos, qui unde alerentur non egerent, nec distraherentur contra Spiritum sanctum venalia sanctorum locorum patrocinia, quæ per Simoniam ignobilibus commissa personis, ad miseranda vivendi commercia suis mercenariis suffragantur.

XXIX. *Quomodo se gesserit in episcopatu.* — Talibus autem initiis si reliqua, dum fuit in episcopio, pro tempore locis et personis convenienter adæquasset, minus infortunio, plus decoris habuisset. Sed dum in ordinandis quibusdam, sibi contentus magis libertati gratiæ qua se promotum fidebat, quam discretioni attenderet, damnose magisterii clavum regens, in altiores personas impegit. Nam pluribus aliis quibus confidere posset ante abjectis, ipsum principem totius Flandriæ tandem hac de causa in perniciem sui commovit. Cum enim in concilio Pictavensi quodam a domno Hugone Romano legato E. abbas Bergensis cœnobii depositus rediisset, et monachi benigne licentiam a principe accepissent, orta dissensione, atque diu habita inter eos quæstione, ob invidiam ascendendi in unum convenire non potuerunt. Ad quod definiendum Viennensem archiepiscopum W. qui forte diebus illis advenerat, qui cœnobii Cluniacensis inter præcipuos regulares habebatur, princeps accivit, ut ipsius consilio quem destitutæ ecclesiæ patrem constitueret, regulari decreto investigaret.

XXX. *Prior Watinensis eligendum suggerit in abbatem Bergensem Ad. monachum S. Agerici Virdun.* — In quo conventu prior noster in medium suggessit Virdunensis monasterii S. Ayrici sub regula sancti Benedicti religiose disciplinatum domnum Ad. (13) proximis diebus nos visendi gratia, in diversorium ecclesiæ nostræ declinasse, ibi mo-

(13) In serie abbatum Bergenium nullus est, cujus nomen ita incipait, sed Ermengero subjicitur

rari, a Deo quasi transmissam: si hunc promovere placeret, tutum fore, nec posse desperare de bonæ vitæ provectu sub illo, qui tam honesta conversatione non parvi temporis dispendio, districte in monachico habitu philosophatus erat. Ad hæc grave periculum imminere, si nolentibus regulariter vivere, consentiret: communicare peccatis alienis, si rebelles et contentiosos ex sententia sua agere non reprimeret, negotium jam adesse, devenisse, provideret ne locus sine rectore detrimentum sustineret, et ut sacer ordo qui apud illos deperisset, vel modo sero per regularem rediret.

XXXI. *Electionem approbat princeps Flandrensis.* — Princeps vero rationis valde capax, tum auctoritate archiepiscopi, tum etiam comitissæ matris ejus assensu, ita fieri præbuit, si divelli a monasterio sui abbatis cessione potuisset. Monachis autem ex aliqua parte in obstinatione persistentibus, alii saniori mentis intuitu, salutem suam cum timore Dei considerantes, ad justam voluntatem et principis petitionem, remoto studio, imo consensu, talem sibi præficiendum expetierunt. Hujus ergo postulationis directa relatione ad patrem monasterii S. Ayrici Verdunensis, qui missi fuerant a principe, redierunt, cessionem nullis intercessionibus sibi fieri, nisi frater ad claustrum obediens redeat sub attestatione referunt. Quem cum item eo usque peracta legatione princeps canonice recepisset, Bergensi cœnobio remota omni quæ manu laica fieri solet, promotione præesse concessit.

XXXII. *Electum consecrare renuit episcopus Tervanensis.* — Adierant interim quidam ... monachi Huberti Tervanensis episcopi notitiam, qui sicut ipsi legi Dei subjecti fieri timebant, ita illius animum repellentes ab intentione principis, ut quoquomodo quod liberatum erat cassaretur, subdolis molitionibus obstabant. Quorum persuasionibus aurem patens, non tamen eo quod contra justitiam quæsierant, cum plurimum artificiose tentassent, eis profuit; quoniam prædictæ matronæ ac filii principis, si vel soli sibi episcopari didicisset, inimicitias comparavit. Nam cum reliqui fratrum secundum sancita canonum ad pontificalem sedem consecrandum electum suum obtulissent, ipse renuit, et ne sibi suffragantem ecclesiam talis electus opprimeret, quod suus non esset, viva voce interdixit.

XXXIII. *Et priorem cum ipso electo excommunicat.* — Sic imperfecto pro quo ierant negotio ad contumeliam principis, turpiter a sessione sua velut nugaces abegit, ac derisui habitos redire permisit. Nec adhuc quidem pensans quod catenus animi sui motum tam inconsiderate fuisset executus, ipsi electo simul et priori nostro qui secum venerat, quod rei hujus consiliarius videbatur, pro benedictione quam petierant, maledictionem anathematis invexit. Nec illud quidem semel aut bis, verum ubicunque solemnes agere solebat litanias, ut quasi multiplici scandalo memoriæ principis quod fecerat commendaret, quam eis indixerat excommunicationis vinculum rememorando, ad infamiam eorum notificabat.

XXXIV. *Electus ergo a principe ipso Hugoni Diensi episcopo sistitur benedicendus.* — Princeps vero ad nutum Salomonis sapiens differt spiritum, et reservat in posterum. Injuriatus verbis non obstrepuit; sed ut dicitur, *ad quod intenderis ingenium ut valet* (Sall). Etiam nihil propositum differens, cum solemnitate decreti et omnium postulantium subscriptionibus roboratum, et sua ipsius pagina prosequente, nec non et archiepiscopo Viennensi propriis apicibus consonante, electum eumdem domno Hugoni Diensi ordinandum sine dilatione cœnobio Bergensi direxit. Cui roganti quatenus alligationem episcopi Tervanensis sibi resolveret, cardinalis tale fertur dedisse responsum: « Debeo pensare potius illati causam criminis, quam ultionem injustæ animadversionis, nec ullo modo apud ipsum valere sententiam præcipitationis, qui novit intime quantum discernat ficta damnatio pastoris; idcirco non esse dignum absolutione, quod non commiserat qualitas culpæ, valere in pace, nec ulterius se credere privatum apostolica communione. »

XXXV. *Benedictione accepta Romam proficiscitur a summo pontifice confirmandus.* — Si ergo accepta benedictione, cum ad principem peracto negotio repedassent, Hubertus Tervanensis ab eo quod fuerat non mutatus in sua sententia perdurabat, et quos antea necdum auctoritate cauta firmatos, communione privaverat, etiam nunc anathematis ruga propter sui despectum acrius notabat. Videns autem princeps ad ingratitudinem suam rem magis commoveri, cogitabat quomodo ecclesiæ fieret consultum, ne de beneficio ecclesiarum quas in episcopio plures tenebat, alicujus amissione pro hac vindicta incurreret damnum. Accitum igitur L. Sithiensem canonicum, qui, ut jam dictum est, in sacro palatio inter primos notus erat, atque nuntium sibi quasi suo responsali eumdem abbatem Romam sub celeritate mittit, et a domno Gregorio papa eidem cœnobio firmissimum privilegium contra omnes immissiones et angarias impetravit, quod non multo post incendio cum ipsa ecclesia Simoniæ intrandi limitem miserabiliter patefecit; sed quia quod id ita evenerit compendio perstringi non potuit, nec ad præsens negotium pertinet, melius inde supersedendum fore ratus, dispositum narrationis aggredior.

XXXVI. *Gravis inter principem Flandr. et Tervan. episcopum discordia.* — His adhuc Hubertus Tervanensis a Romana Ecclesia repudiis non coercitus, cum et abbatem, ut dictum est, ordinatum ac

Manasses, de quo in Necrologio S. Agirici: *obiit V cal. Maii Manasses abbas cœnobii Bergensis.* Quem etiam Ermengero abbati suffectum fuisse auctoritate comitis, cujus erat consanguineus, scribit Joannes Iperius supra. Itaque aut memoria lapsus est auctor sive amanuensis, aut Manasses duo habuit nomina.

privilegium sibi firmatum videret; cum etiam cassatam obligationem anathematis, quam sibi ac priori nostro indixerat, nihilominus intelligeret, quid ageret, quo se verteret, anxius pavore dissimulabat; et, quamvis sibimet suspectus, ne ad affectum rei pertingeret, semel tamen inceptum inverecunda cumulatione urgebat. Sed et princeps hac eadem ab eis occasione suscepta, qui ad cardinales et Romam ierant, sibi non prodesse judicans, quæ illis interdicta non oberat, communionem ejus et per se et per responsales suos unanimiter declinabat, atque hac de causa majori odio priorem nostrum insectabatur: quod initium totius absumptæ pacis inter se ac principem ab ipso crevisse illum nutrimentum discordiæ, obicem reconciliationis, atque depositoribus suis conspirare causabatur. Tantum ad hoc invidiæ pondus, nobis superinducens, quandocunque unquam observatione poterat, ecclesiæ nostræ quotidie suæ improbitatis intentabat. Nos autem econtra vel minimas occasiones nocendi omni cautela, ne alicubi adhæreret, amputabamus, ut ne quidem priori nostro, quod ab illo interdictus erat sine causa, cum tamen honeste id liceret, communicaremus.

XXXVII. *Prior ad sedandum episcopum prioratum sponte abdicat.* — Sed dum adversum animum illius, non obsequium non officiosa frequentia nulla tandem ratio nobis delinire valeret; veriti ne id idem pauculum quod habere videbamur in aliquo damnificaretur vel, quod majus erat, his simultatibus locus omnino desolaretur, communi consulto in hoc convenimus, quatenus, secundum consilium domni Gregorii papæ VII, prior noster prælationem redderet, ne, si res in perniciosiorem partem tenderet, vel dissidentes ad invicem majores personæ confœderarent, nos dissimulati plecteremur, quod eatenus inter se divites improbe delirassent. Indixerat enim jamdictus vir memorabilis, tum audito introitu illius atque ordine, ad nos nuntiandi scriptorum suorum paginam apostolica libertate roboratam ecclesiæ nostræ delegaret, quatenus suffragante se apud memoriam apostolorum, ad tempus ecclesiam regeret, utque rationem dati et accepti pro ea omnino excusare non poterat, dum idoneam personam Deus loco attribueret, quæ posset curam omnem agere, deposito regimine hanc in suo loco subrogare non differret: ipse autem vacans a prælationis honore, ei quem sua et fratrum electione præficeret, pro omnipotentis Dei timore suppositus et obediens in eodem ordine permaneret.

XXXVIII. *Ejus cessionem admittere differt episcopus.* — Qui videlicet timore cordis, de nomine honoris afferri non appetens, privatum vocabulum summa cum devotione se velle subire annuit, atque causam periculi imminentis amoveri, de seipso

A aiens, benignissime decrevit. Missa igitur scriptis postulatione ad eumdem Tervanensem, et juxta datas inducias a domno Gregorio papa, eo regimine recusante, dum loco illius alium eligendum nobis præficere peteremus, pro voluntate sua distulit, et ad horam ecclesiæ renuntianti consulere noluit. Cavebat enim in hoc, ne quasi contra fornicarios, eumdem quibus ipse patrocinabatur infestiorem et audaciorem redderet, si absolutum subjectione a se removeret, quos multoties continentiæ zelo severa correptione confuderat.

XXXIX. *Eligitur novus prior.* — Qua dilationis causa cognita, nil ultra remorati, electum nostrum fecimus; et cum sedi pontificali ipsum prior noster obtulisset, prælationem reddidit, et electam personam B sibimet incolumi ut succederet omni dignatione præordinare fecit, sese in Christi discipulatum ei omni obedientia subjecit. Nos vero tantam humilitatis gratiam in eo venerati, Deum glorificabamus, quia sicut in allevatione monasterii sine falsa gloria subnixum per plures annos vidimus; ita sine mœrore depositi culminis mentis rectitudinem æquanimiter retinuisse cognovimus. Nam, sicut antea commune legumem, fercula non digniora, non archipisces, non archigallinæ, non ambitiosior vestis, non stratus mollior, fulcra non altius strata animum extulerant; ita non amissorum suspiria commovebant, quia omnia æquali nobiscum mensura, ut prior sic et privatus quandiu vixit, postea recepit.

XL. — Reliquit hanc memorabilem hactenus C apud nos moderationis formam, duplici scilicet ordinis dulcedine conditam, uti ne in magisterii gradu ab initio quemquam elevet dignitas, vel subjectionis in statu positum, ascendenti cupiditate humilitas gravet. Voluit enim sic præesse dum præfuit, ut quantum gradu superior apparebat in ordine, tantum sui despectum gereret in humilitate. Atque ideo absque indignatione subesse potuit, quem paulo ante in honore positum mentis elatio non evexit, quia unde major in dignitate se efferre noluit, inde minoratus in moderata consuetudine remanens, discipulus esse non contempsit.

XLI. — Rexit autem ecclesiam ab eo quo eam fundavit anno qui est ab Incarnatione Christi 1072 septem annis, mensibus octo, diebus sex, in quibus D quantas invidorum pervasiones sustinuerit, ex parte digessimus, quia quibus in quotidiano pene discrimine perturbationibus propter divini verbi dispensationem sit allisus, prolixum notare duximus. In quo ipsius tempore quæ loco nostro per largitionem sint donatæ, per compendium terras repetere nolui, ut fastidiosis absque gravamine sit cognitum, quod de superiori tractatu singulis exceptionibus requirere fieret onerosum (14).

(14) Obiit autem Olfridus [Gandavi, sepultus in Blandinensi S. Petri monasterio, ut discimus ex Hariulfi libro De miraculis S. Richarii cap. 1. ubi dicitur *vir sanctissimus*, refertur que de illius gloria revelatio. Successorem vero habuit Bernoldum præpositum, qui anno 1087 interfuit exsequiis sancti Arnulfi Suessionensis episcopi, quemque eumdem esse opinor cum Bernardo præposito Watinensi, qui

PRÆFATIO

In miraculum de quodam canonico Guatinensi per S. Donatianum curato.

Cum in antiqua Morinorum urbe ante hos paucos (A) elapsos dies pro causis pastoralis sollicitudinis, præsul venerande, devenisses, et, a publico cleri populique conventu adventus tui celebrata solemnitatis susceptione, inter alios me recognovisses, anteriori familiaritate, qua penes te solitus eram haberi notus, benigne invitasti, statum meum et quid ibi agerem diligentius requisisti. Quem cum tibi exposuissem, videlicet jam sæcularibus impedimentis exutum, ad regularem et apostolicam vitam, cui sufficientia Deus est, in cœnobio Guatinensi transisse, gratum ac paterne accepisti, ac propositum collaudans, exhortationis fomento me vacillantem refecisti. Tum in sermone communi, qui de ecclesiæ nostræ conferebatur consolatione, incidisti in miracula quædam in ea relatione quæ (B) nuper in ea Deus fieri voluit multorum congratulatione; quæ etiam, ut mos est sapientis bona semel audita verius inquirere, a Patre monasterii mei qui præsens erat eodem quo erant ordine acta cognovisti. A me ut ea scribendo digererem, admodum devota postulatione exegisti, ut quod per sanctissimum confessorem Christi Donatianum patronum nostrum facta summotenus attigeras, haberes ubi tanti prædecessoris tui signa relegens, merita retractares, quantus apud Deum sit recoleres, quatenus in sua metropoli ac sede te successorem dirigeret, te pastorem cum tuo grege, imo et suo summo pastori reconciliaret.

Hoc ego tam præcordiale desiderium exosculans, (C) non habui consilium renitendi, ne apici tanto videretur injuria fieri; sed levi, ut fit, puerorum affectu, qui dum parentibus liceat commeare, longiora itineris spatia faciliora promittunt, annui voluntati tuæ. In quo dum efficacem mandati, licet inculto sermone susceperis, non ea tamen quasi alleviatum hoc fasce te subtrahas; quia, si qua, dum legerit, aura contrarietatis efflaverit, illud nimirum apologeticum mihi prætendas domni archiepiscopi Remensis remigio me navigare, non meo. Sic enim in causa mecum eris, dum ego infirma operis perventione, tu autem jussione periclitaberis.

Quia ergo delitescere cupientem ad publicum egredi præcepisti, hujus opusculi recitatorem ea tu lege cognoscas, ut apud improbos mores, dum lacessitus (D) fuerit, etiam ipse defendas. Nam sunt plures, quorum Donatianus et Deus fiat sortis sanctorum in lumine, qui mox ut e latebris, quas elegi, tam publica apud te emersione prodire cognoverint, quas putas calumnias, quas nocendi occasiones non connectent? Nocuit olim apud aliquos mihi tua qua compte fruebar notitia, quorum fœda cupiditate ac dolenda morum corruptione dum moliebar ut purgaretur Ecclesia, Zenonis tormento, Platonis invidia, Socratis veneno pene interieram. Necdum etiam exhaustum in parte vereor, siquidem eradicari cœperat absentia mea, aconitum redivivo germine, si apparuero, resumat incrementum. Non mentior; nego enim ullum esse bonum, ut ait quidam sapiens, quod noceat habenti. Quare satietates, honores, divitias varias, fortunæ jucunditates, quas mortales mirantur in mundo, paucis ac modificatis sanctæ Ecclesiæ sufficientiis inferiora esse contendo Sicut enim omnem possidet divitiarum abundantiam cui sufficit Christus et Ecclesia, ita credo semper egentem, quem extollit diabolus et pecunia. Harum ego te, quia vere divitiarum dilectorem considero, dum hujus sancti virtutum thesauri conchas tecum communicando compono, nec discernas a quo uno administratore suscipias, solum id quod porrigit in te habeas, quod sapido gustu mentis interiora contingat; in quo, dum sinis parvulos ad te venire, mandatæ per Evangelium humilitatis formam exhibes, et locupletem in spe scientiam, quasi vir desideriorum, diversis mercium oblectamentis eo fecundius intus cumulas quo sine personarum acceptione quid quisque boni deferat, indifferentius pensas. Quæ cum ita sint, eadem etiam constantia in tuis agendis te ac tua disponis, dum, ut alia prætermittam, ante quos tibi collimitaneos novimus, adversus matris Ecclesiæ inimicos, ad destructionem munitionum validior aries assurgis, surgentes tempestates alias verbi tonitruo dissipas, alias procellas turbinum sedas, et quæ obnubilata vel ignorantia seu erroris tenebris alicubi offendis, detersa caligine ad regulam intelligentiæ doctrinæ manu reducis. Inde illa ab incunte fidei germine semper gloriosa, adhuc etiam nunc, te præsule, et re et specie clara, Remorum metropolis sic excellit, magistra urbium regiminis altitudine, ita et rectoris et decentissimi cleri summa religione, quæ quotquot circa fidem naufragantes reperit, ut expertum in multis habetur, aut a se fugat, aut convertit. Cum ergo tam rigidi honesti sint servatores Remorum indoles, tremor invadit pauperem calamum quidquam conscribere quod veniat inter Tul-

anno 1092 interfuit concilio Remensi, ubi mendose dicitur præpositus *Waranensis*, de quo Joannes Iperius in Chronico S. Bertini cap. 39 et cum Bernoldo præposito Watinensis, qui anno 1114 subscripsit chartæ Clarembaldi de possessionibus de *Leustinghen* monasterio S. Bertini concessis, tom..., nostrorum Anecd., pag. 134.

liana facundia florentes. Sed quia non diffiteor æquum esse servire majoribus, ad nutum tuum qualecunque defero scriptum, illorum tradendum manibus qui quanto sunt ingenio subliniores, tanto quibuslibet in casibus vereor judicio certiores. Quare quem sapientia verbi, venustate dicendi, non colore, vel causa, vel materia sribenda tua mediante præsentia commendet, ut quod rei veritate almum est, a culpa sui necessitate, quia taceri non debuit, quod peccatum est non excludat a venia.

A Insuper et gratum debet accipi de tanto patrono nova signa ad rememorandum referre, cujus si quæ fuere forsan vetustate temporis, cum penoria notariorum, tum etiam, quod facilius credo, ipsius armarii ecclesiæ cui præsides devastatione antiqua periere. Deinde cum servi dominis, aut filii parentibus thesaurizant, sit licet exiguum, libet exile, licet rusticum quod afferunt, quasi primitias proprii fructus accipiunt, dum hi quibus contulerunt mutuam vicem beneficiis impendunt.

MIRACULUM

DE QUODAM GUATINENSI RELIGIOSO PER S. DONATIUM AB ÆGRITUDINE SUA SANATO

Miracula sanctorum, quibus vel corporali præsentia in mundo claruerint, vel his ærumnis absumpti apud ossa sua et memorias quotidie redeunt, quales et ipsi vitæ merito fuerunt nobis indicant, et supernæ patriæ in quam transierunt ad superna gaudia capienda nos invitant. Vivunt enim ibi, quia feliciter vivunt, quia, mansuræ Jerusalem jam cives effecti, sic hujus habitationis quæ dissolvetur adhuc hospites visitant, ut ab illa in qua vere innititur mansione, nunquam voluntate recedant. Ostendunt enim et posse impetrare quod rogantur, dum postulata conferunt, quæ, nisi feliciter ibi viverent, ad eos suspirantibus donare non valerent. Ex qua communi angelorum et hominum curia, quæ una per adoptionem jam est facta respublica, rex Christus, præsidens singulis quibusquam gentibus, sua Dei suffragia, ut corpus ejus, quod est Ecclesia, utique pervigiles habeat suæ peregrinationis excubias, ne invidentis inimici per incautelam incurrat insidias, per hos rectores, secundum prophetæ vaticinium, requirit oves suas, ut quod abjectum fuerit reducat, quod confractum fuerit alliget, quod infirmum fuerit reducat, quod pingue et forte custodiat. Ex quibus unum de multis quos diversis artibus mirificavit Donatianum, fidelem gregis præambulum, cavit, emeritum suæ domus mansionarium nobis marinis plebibus, sanctissimum confessorem delegavit Donationum, fidelem gregis præambulum, frugalem nutritium, votorum susceptorem, hilarem in omnibus datorem, medelæ largum curationis sanctum, salutis diuturnæ tutorem sanctissimum. Qui non modo ubi venerabilis corporis ipsius thesaurus honoratur virtutibus coruscat, verum etiam extra territorii sui limites multoties miraculorum signis innotuit; quæ non tam scriptorum inopia quam sua semper curans, non quæ Jesu Christi, terrena sollicitudo negligentius oblivione delevit. De quibus memorabilia quædam dono sancti Spiritus notificare suscepimus, quæ in Guatinensi nostra ecclesia ante hoc triennium per eumdem patronum nostrum patrata cognovimus, B fidentes ab illo donari munera linguæ qui linguas dat in munere.

Est ergo pagus inter Legiam fluvium et Flandrinenses maritimos, Menapia cognominatus, cujus incolæ generali vocabulo ab historiographis Menapi denominantur; gens antiqua et aspera, quæ a Romanis etiam, ut veterum historia meminit, domari non potuit. Hæc non reperitur alieno aliquo sanguine inducta, sed quæ illis sedes eadem est et origo. Hi, fortissimis ac muratis oppidis inter se olim divisi, commune dominativum pagi propriis a principio in Caletos et Batavos subdivisere vocabulis. Pagi autem ipsius longitudo ab oriente extenditur, atque ab occidente Enula videlicet fluvio, C finem excipiente, terminatur; a cujus margine paulatim succrescente tumulo clementi proceritate mons gignitur, et plano deductu ad subsolanum egestus, a septentrione ac meridie residentibus cumbis in altitudinem cumulatur. Nemoribus consitus, pascuis uber, olerum diversi generis adeo ferax, ut si nolis procurare utilia, velis nolis. quasi desidiam laboratoris arguens, miro incremento germinet inutilia. Præterea tam salubriter flatibus ventorum expositus ut aeris infecti seu nebularum aquarum confluentium isdem alveus exhalat, in se crassitudinem coagulari non permittat. Apparet quoque ex facili quanta populi frequentia suis diebus fuerit locus celeber, ad quem publicæ atque regales viæ conve- D nientes adhuc præmonstrantur; quarum illa quæ a ab occidente in portum Oceani terminatur. In hoc diffusa oriente usque ad nos dirigitur, alveo subterfluente clauditur, altera vero Britanniam prospectans ergo monte historiarum testimonio quondam Batavorum colonia, modo vere Guatinensis nostra sita est ecclesia, a viro quodam religioso Odfrido nomine, a radice fundata. Cujus bonæ conversationis quam in illa promulgavit initium inter duros et incultos homines multis dedit animarum provectum Nam cum primo sui adventus tempore locum vidisset solitarium, quemadmodum diu desideratum dilexit,

et ecclesiolam quam inter vepres ac serpentes vilibus tabulatis intextam invenit, non post multum episcopalibus gestis suscepit clericorum habitatione instituit, et secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam vivere cœpit. Ad quem cum alii vocis novitate permoti, alii vero devotione et occulto gratiæ beneficio inspirati confluerent, ex parvo principio re in dies crescente, ampliorem fundavit, atque ad bene vivendi propositum plurimorum animos incitavit, ut et communi vitæ se libentes contraderent, atque omnium quæ in sæculo habere videbantur renuntiantes, Christum hæredem facerent. Inter quos convicaneus quidam, H. nomine, vir fidelis, tunc etiam duos filios parvulos obtulit, atque sub regulæ jugo prædicto sacerdoti erudiendos tradidit. Quos ille suscipiens paterne nutrivit, atque vitæ merito sub sancta societate degentes, prout ætas illa sinebat, sub sacris ordinibus servituros promovit. De quorum uno, Tamardo nomine, relatione præclara per S. Donatianum Deus ostendit miracula virtute fulgida, claritate perspicua, in se probabilia, alieni testimonii non egentia. Et quia conversantes a principio quotidie illa videmus, quotidie oculis aspicimus, quotidie manibus contrectamus, volumus etiam quosque fideles ea nobiscum admirari, nobiscum venerari, et, licet non præsentes, vel in hoc scripto nobiscum contueri. Hic igitur cum novennis juvenculus a parentibus in eodem monasterio esset oblatus, in illa sancta societate pro modulo suo sub disciplina pastorali regulariter est conversatus, promptus obedienter domestica implebat officia, et ad nutum monentis facilis operabatur injuncta. Et ad quod provectior ætas competens agere non poterat, ut consuetudo est, in domo Dei minores instruere in sorte sua cum coætaneis veniebat. Agebat sic sub scholaribus altis tempus prolixius, et ad quod instituebatur providentia Dei in dies proficiebat in melius, et pubescentem ætatem sub custodiis transigebat regularibus. Intelligebat jam tunc tutam viam esse sub ductoribus, tutam viam vivere sub rectoribus, tutum laborare cum hujusmodi laboratoribus. Sed sub intuitu cernentis cuncta judicis, quid tutum aut sibi confidens esse queat? quid opificem sui operis aliquatenus lateat? quid divini luminis acumen effugiat? Nulla transeunt, nulla succedunt, omnia videt, omnia penetrat, scrutatur omnia, judicat omnia, neque opus habet ut sibi quis dicat testimonium de homine, ipse novit quid sit in homine, ipse etiam in hoc famulo suo invisibili judicio forsan, sciebat occultum quod misericorditer puniri voluit, ne transiret inultum aut si proprio reatu puniri non debuit, salutiferum in eo judicium nostræ corruptionis indixit.

Nam decursa, ut dictum est, minori ætate, jam grandiusculus eminebat, jam calentis adolescentiæ terminos attigerat, cum acutissima, quam Græci paralysim vocant, passione dissolutus, decubuit, ac membrorum destituta compage, a planta pedis usque A ad verticem dimidius emarcuit. Erat miseranda facies præferentis vivum cum mortuo. Cum adhuc tota corporis mole superstite, sinistrum latus omne tulisset passio, ac vivos artus pars mortua sibi deputasset officio. Et quia seipso carere salus non erat, pondus tædiosum oculis omnium præferebat, quod in eo ne omnino deperisset, morbus ipse solidaret. Jacebant a ministerio vacua languida membra et superficiem solam humani corporis exhibebant, nullo usui congrua. Si quando autem, ad modicum remissa passione, ad ecclesiam aut alicubi eundum erat, baculo sustollente, vivum cadaver segniter ac fatigabiliter tripodabat, aut absente custode se aliquando minus sane ad aliena movebat, miserum hominem multoties in reptile quoddam transformabat. B Lingua sine officio erat, vel si quid balbutiendo dilatrabat, aliena ab intellectu, ac sine sensu personabat. Longum est memorare per singulas miserias, et quas tam dira passio solet excitare molestias. Nam dies sine quiete, noctes insomnes, dum a fratribus continuatas; ac majora recolo specialius, narrare minora prætereo. Sed unum satis mirandum pono quod partem vivam corporis quam præmortuam trahebat: tanta passionis adjumento collata virtus roborabat ut non solum non deficeret, sed quod languentibus accidere non solet, duobus aut tribus retinentibus aliquando valentior obsisteret. Qui tam indomitabilis vigor nec ante passionem unquam exstitit, nec sanitate recepta ulterius in eo remansit.

C Cumque fere per triennium hujusmodi martyria dilatio protenderet, nec jam spem recuperandi ullam inveterata morbi affectio promitteret, in memerata semper cum fide postulantibus divina miseratio adfuit, et diuturnitate afflictum a beneplacito tamen suo non derelictum fuisse demonstravit. Nam cum S. Nicolai Patris nostri anniversarius natalis advenisset, ac frequentior ob ejus memoriam ad nos populus confluerct, idem frater, quadam in se mentis alacritate inter ipsa flagella tractus, commonitus petiit quatenus communi lætitiæ, quam celebrandam noverat, cum cæteris fratribus interesset. Deductus autem ad vigilias noctis, officium lectionis quod sibi licere postulaverat, devotus explevit: sed invaletudinem non ferens, ante alios, finitis laudibus, ad stratum rediit. D Vix dum tenuissimo sopore solvitur, ut, quemadmodum fieri solet, facile dormiens potius te vigilare credas, cum ecce subita luce cubile in quo jacebat omne perfunditur, in qua magnificos duos viros ad se venire de improviso conspicatur, quos officiosa sedulitate senior quidam præcedens quasi obsequentis vicem ante tantam dignitatem gerere videbatur. Ipsi autem admodum decenti gravium personarum incessu hinc inde pone sequebantur. Territus inopino lumine frater, atque inviso ante has formas atque habitus fulgore totus concutitur et quidnam incertus faceret, solam eorum quos aspiciebat præsentiam tremulus admirabatur. Is autem qui eos antecebat, quasi familiaris visitator propius accedens, lectulo astitit, et aliquandiu ta-

citus habitudinem jacentis exploravit. Quem cum diligentius desuper intuentem intueretur, priorem atque ecclesiæ nostræ fundatorem dominum Odfridum, qui ante biennium vita decesserat, toga regulari splenditicum hunc esse recognovit. Gratulatione statim attollitur, gaudio interiori relevatur: inopinatum enim reditum diu amissi Patris exosculatur, et quo valuit nutu cœlicum illum conventum ac reverentia veneratur. Nunquid erga, Pater, tui non vides affectum filii? nunquid ergo te habitudinem mentis illius attendis? Si valeret, jam adventum tuum salutationibus præoccupasset; si debilitas sineret, obsequiis lætis paruisset; si membra libera non rigerent obvius tantis brachiis in amplexus venisset. Nunc autem, quod potuit, gratulabunda cognitione dignanter occurrit: recognovit enim filius patrem, recognovit discipulus magistrum, cognovit paterfamilias mancipium, fidelis hæres longinqua regione ad propria redeuntem dissimulando non avertit: imo superiorem omnium possessorem ac priorem recognovit. Quia ergo Pater ad eum visitandum venisti, compella quem olim tibi commissum meministi. Quid de illa felici habitatione tua prodisti? compella juvenem quem ab ineunte ætate sub tua custodia enutristi. Quia, inquam, divina providentia ad habitaculum tuæ fundationis repedasti, compella quem sacræ disciplinæ rudimentis diligenter instructum reliquisti. Certum namque esse pro quo venisti scimus, ratum esse ad quod redisti scimus, firma cautione apud superos constipulatum esse quod machinaris scimus, et forsan pro reformanda integritate hujus infirmi quia venisti scimus. Sed quia ligata verba frater habet, libet interim tecum, o senior, vicem confabulationis accipere, libet causas tui reditus te teste tractare. Nec enim erit cœlica offensio in hac mora, quæ non tam erit nugax, quam fructuosa. Profectus, inquit, a fide in fidem, profectus a specie in speciem, profectus a speculatione in visionem, quod perfectum est festina in illo supplere quod ex parte est. Appareat in eo perfectionis effectus dum recuperetur qui deperiit incolumitatis defectus. Sed quia te medicum non profiteris, quia obeundo salutem hujus opitularis, quæ istæ tam idoneæ personæ sint enuntia quas conducis, quæ in fumoso tugurio noctis tenebras fugant, schema caliginosum sine fulgoribus illustrant, ne forte quemadmodum lucis videntur ministratores, adveniant etiam hujus ægritudinum curatores. Huic, inquam, operi ad salutem suspiranti, quem adeo diuturna vexatione fatigatum novisti, et commenda sanandum cuilibet istorum, quem toties veluti nutrix filium refovisti. Jam ergo sciscitare quomodo se agat, quia nova rerum facie magis quam sopore depressus loqui reformidat. Tunc senior: Num, inquit, dormis, fili? Et ille: Nunquid, Pater, posse me dormire credis, quem imminenti ac tam gravi debilitate vinculatum cernis? Somnus namque aufugit ab oculis, quemadmodum sanitas a membris. Ad hæc senior: Vide, inquit, fili (et ex latere stantes innuebat), vi-

A de inquam, et sanctum Donatianum Brugensem hunc esse ac tui visitatorem venisse cognoscas, istum Blandiniensis cœnobii conservatorem ac mansionarium beatum Gudwalum assistere nec minus ambigas: quorum ultra humanum modum ad coruscos vultus et infulas episcopales dum studiosius aciem oculorum intendit, formas et corporum qualitates in memoriam sibi depinxit, et velut alicujus vitales adhuc carpentis auras statum et proprietates ita nobis exposuit. Erat autem sanctus Donatianus statura æqualis, quæ nec longitudinem nimis excederet, aut sui parvitate personæ dignitatem deprimeret. Scapulis latis, pectore virili et inextenuato, cervice torosa, facie rotunda et hilari, oculis grandibus et claritate micantibus, naso directo, labiis summo tenus B expressis, obesa fronte, auribus patulis, et arrectis circa tempora per ambitum frontis circinos densioribus canis respersus, retro autem capillatura plana naturalem colorem vix rara albedine interlucente. Beatus autem Gudwaldus altitudine procera omni superficie membrorum eminentior forma elegans multi temporis senex et ætatis maturæ nivibus candidatus.

His dictis, ad beatum Donatianum conversus: En, inquit, vir sancte, Deus præcipit ut hunc canonicum sanes, qui etiam in hac proxima Christi Nativitate Brugis ad tuam curiam veniet, ac suæ mensuræ filium argenteum duos anglicos appendens pro munere tibi deferet, quo etiam dono singulis annis dum vixerit revoluto termino rediens, altare tuum honorabit. Cui sanctus respondit: Laudo. Nunquid C sancte Dei, verbum non amplius addis? medicus designaris, et promissum medicinæ uno verbo concludis? munus propositum audis, et spe augendi muneris non altercaris; securitatem fiendæ sanitatis accipis, et oblata duo munera non spernis; tam longa via venis, et pro itinere mercedis nihil requiris. Non Arabs, non Indus, non dives virga species mittit quales portas, et quæ dono possedisti vili pretio pensas. Diversis tamen quæstibus colluctantur medici, diversis imposturationibus acquirunt medici, diversis modis seipsos extrudunt medici, multis assertionibus promittunt, multis promissionibus fallunt: tu autem omni ambiguitate postposita, multiloquio non uteris, aviditate pretii non caperis, sed *laudo*, quinque litteris et duabus syllabis totum hominem sanare confidis. Dives littera, dives sen- D sus, dives responsio. Magna medicina in parva dictione, magna salus in brevi conscriptione. Donatianus vocaris, a donatione nomen accepisti; dona, mi Domine, convenienter edissere quid respondisti, imo ipse resolvas; *laudo* quod dixisti. An non ita, sancte, aisti? ergo senior a Deo te missum asseris, curialem illius te profiteris? *Laudo*. Veredarium cœleste te fateris, inter summa et ima discurris. *Laudo*. Medicum fieri me præcipis, hujus curationem mihi impendis, *laudo*. Adventum ejus ad me disponis, inter meos curiales moraturum promittis *laudo*. Ne appareat ante Deum vacuus intendis, pretium oblationis appendis. Ergo hoc *laudo*. Restat

ergo, sancte Dei, ut manum in tua jam recipias, et sanatum postquam ad te venerit, ad sua remittas. Restat ut vivifica manu contractum tangas, et ad portandum sui portatorem facias. Suscipe ergo grabato decumbentem, et resigna nobis non ut solet miserabiliter tripodantem. Et apprehensam jacentis manum morbidam senior dextræ sancti inseruit, eumque sub hujusmodi verbis attentius commendavit. Accipe, inquit, o sancte Dei, hunc canonicum pro illo uno de tuis, quem tibi nomino, qui nisi velociter vitam correxerit, jam in Dei præsentia damnandum prædico. O altitudo divitiarum misericordiæ Dei! dignus morte non moritur, puniendus, punitati subtrahitur; peccator non judicio, sed terrore multatur; premens misericordia judicium remoratur, panditur via peccatori ut a pravis actibus convertatur, dilatio pænitendi promittitur, et ei proponitur qui non meretur, spem recuperandi patientia nuntiat, et illi offertur qui non exspectat. Reus ex nomine in sanctorum conventiculo denotatur, quem fidelis auditor publicare formidat, ne malorum concione confundatur. Quam pura revelatio sine convicio? quam affectuosa visitatio sine opprobrio! quam dulcis admonitio sine imperio! reum comminatio castigat, non pœna. Conversio proponitur in vindicta, et nisi conditionem dissimulaverit corrigendi, vera certitudo docetur sententiam evadendi. Quin etiam et fidum pectus auditoris additum celat, ne divini secreti proditor judicandus existat. Simplex affectio conscientiæ trepidat denudare crimen culpæ. Sed nunquid, frater, ita sincere discernis? nunquid conscientiæ bonum amittis, si hunc qui perire desiderat, a laqueo proditionis avertis? aut si nemini licet loqui arcanum quod novisti, vel illi certe licet de quo audivisti. Nec enim beatorum spirituum fides arguitur, in quo prophetæ spiritus comprobatur. Ait enim: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ipsius de manu tua requiram.* Et certum objurgationis modum dat Evangelium, ubi peccantem corripere præcipit inter te et ipsum solum. Et Apostolus: *Peribit,* inquit, *in tua conscientia frater pro quo Christus mortuus est.* Certe crudelitas non est, si solum soli confiteris, imo magis innocens non eris, si fratrem quem corripiendo lucrari poteris, tacendo perire permittis. Cæterum replica consequenter quæ tibi dicta est conditionem, et utique invenies emendationis vitæ commonitionem; alioquin eversorem mandati teipsum constituis, si ferrum quo putridum vulnus secari potest, subtrahendo abscondis. Festina ergo lucrari animam fratris, si converti feceris, pro certo reus non erit, quia scriptum est: *Muta imperium, et non erit.* Frater autem ad horam hunc taceri voluit, quia de seipso quid revelationis compleretur tacitus exspectavit, et quemadmodum sanctorum consecretalis fuit in audiendo, ita quoque cautus reum non prodidit detegendo; quia nulli unquam qui esset indicare voluit, præter eumdem ipsum quem revelatio denotavit. Sed nunquid hunc peccatorem felicem non licet arbitremur, fratres, oraculo divino præmonitum felicem transgressorem tam idoneis testibus convincendum, qui ante Deum in causa positus, reatum post admonitionem occultare timebit, quem hactenus de se confiteri vel erubuit vel contempsit? Felicem plane, nec inficiari poterit, quin etiam ipsum similis negligentia cum David sancto propheta componit. Ille namque Deo satisfacere de pervasa Uriæ uxore voluit, iste sponsam Christi quam in se fœdavit, confessione mundare contempsit: ille commissum flagitium justo silentio cautius occulere curavit, iste ne animæ vulnus appareret, conscientiæ tenebris obvolutus, in lucem venire vitavit; ille innocentis homicidium callida machinatione composuit, iste indesinenti plaga seipsum petens conamine quo valuit quotidie mori disposuit; ille de manifestato scelere prophetæ parabola convincitur, iste sanctorum in audientia nisi reverti voluerit, auditione mala damnandus addicitur. Ambo ergo patratores illiciti; sed ille convicti criminis, iste occulti; ambo misericordia Dei indigi et gratiæ aqua ceciderunt, egentes reconciliari. Non ergo magis abominandus peccator iste, quia dignitate minor, imo venerabiliter in forma cuique magis anteponendus, quia cum regali majestate sui voluit esse corrector. Retulit namque idem frater nobis a se postea commonitum ante mortem suam attentius ad lamenta fuisse conversum.

Interea cœlicus ille conventus solvitur, et relicto qui cum eo venerat seniore, sanctus uterque divertitur. Senior autem sollicitudinis instantia adhuc alia quædam domestica dispositurus in ipso lumine substitit, atque discipulum quid deinceps ageret, diligenti eruditione amplius informavit. Vade, inquit, fili ad fratres nostros, et cambarium eorum antehoc aliquod tempus rebus humanis exemptum intolerabiliter cruciari nuntia, sed eorum precibus, si unanimiter pro illo egerint, a Deo in brevi concedendum fideliter indica. Et ne, inquies, diffidant de venia, quia per eos redimetur pro certo a pœna. Addas etiam tuis assertionibus ne anniversarium Gregorii papæ septimi de cætero negligentia transeant, sed annis singulis celebri obsequio solemniter ambiant, quia ecclesiam nostram signo et apostolico decreto firmavit, et recte vivendi viam in ea nobis paterna traditione promulgavit. Quod si devote complere voluerint, non frustari remuneratione sine dubio affirmes; quia vir sanctus est et magni meriti, et in multa gratiarum actione Deus suscipiet quod mando pro eo fieri. Ita consummata visione sanctorum comitatus vestigia senior quoque abcessit, et fratrem præ angustia spiritus multo sudore velut aqua perfusum dereliquit. Vix enim onus visionis propter sui difficultatem sustinuit, sed non tam quod in stupore mentis vidit, licet pene exæstuantem terruit, quam odoris fragantia atque recipiendæ sanitatis jam in spe gratia delectabiliter refovit. Nunc age, frater, tolle moras, quid jaces? surge, conventum adi, mandata comple. Oratore pro te non eges,

quod mente habes, ipse prout vales pro te loquaris; ipse te et quod vidisti exponas; ipse, nemo enim verius potest quam tu, veni in medium, prodi in publicum. Non opus est multis, benevoli sunt auditores: fratres enim sunt, sæpius miserando de te planxerunt, elogio sæpius tuæ infirmitatis affectuose compassi sunt vinculo, habent tecum flere, habent tecum gaudere, pro placito silentium indicent, audire te current, discere a te desiderabunt, intentique ora tenebunt. Impeditam linguam habes, ne timeas, sub dialogo nihil ages, quæstionibus non expungeris, spatium loquendi cum eis non permutabis, solam habeas vocem narrandi, non respondendi. Ingredere, inquam, sermonem edoce, miseriarum tuarum finem edoce, sospitatis redintegrandæ fidem denuda, quod vidisti somnium per quod denodabitur tuæ invaletudinis vinculum denuda, mirandæ dispensationis promissum, indubitandæ curationis emolumentum, et affirmavere revelationis in te proventum. Tecum cognoscant certionem ministrorum cœlestium, audiant quis te suscepit, medicum, audiant efficacium antidotorum pigmentarium ubi mansionis habet locum, Brugis notifica castrum, quo cum perveneris, paratum invenias diversorium. Specialius aperi diem determinatum, parent expensas, quia apud sanctum Donatianum tua sit parata sanitas, profecto ut te velint sanandum deducendum ad hunc evangelicum stabularium, nec amplius patiantur debilem, quia sine dubio ipsum sis habiturus curatorem. Adjunge quoque ad hujus sanctissimi confessoris præconium, quod in calce revelationis est annexum, quia illi jure videbitur attribuendum quod a se comitante salubriter fieri est præmonitum.

Jam sol astrigeras cursu properabat ad arces,
Et rosea stellas cæcabat luna minores.

cum alienus frater quiete percellitur, et se magis certum vidisse cœlicolas quam dormisse miratur. Qui statim ordine recomputato, ad confessionem eorum quæ viderat in consessu fratrum quam citius pervenit atque mirantes præ gaudio et de promissa salute alacriores reddidit, et de cœlesti visitatione loci in magnam spem unanimiores excitavit. Fit interim præteriens decursus temporis longior, atque salutaris terminus, quando se nostri Salvatoris nativitas acceleret cupienti animo præoptatur. Salutat quotidie adventus diem, salutat futuræ sanitatis sponsionem, solum sancta statio veniat, jam securus loquitur. In conscientia de sua statione se jactat, dilationem passionis diuturnæ non reputat lucescat dies quam Virginis proles et idem Filius Dei sacrat. Nihili pendit membra corpus tortura contractum, dum sustinetur dies pollicita quæ restituet erectum, sed venit ad votum tardior, et qui alimentum ministerio remoratur, inhianti suspirantis desiderio prævenitur. Tandem vero jussu prælati ac fratrum consilio parata profectione, iter optatum arripuit, atque Brugas castrum ad locum sancti triduo ante Natale Domini multo sudore pervenit. Quem prima nocte liberalis quidam de fratribus hospitio suscepit, sed ejus causam cum præpositus cognovisset, statim in domo sua diversorium habere concessit. Unde, quia ecclesia contigua esset, ante sanctum deponi potuisset, et ordinatis ad ejus custodiam officiis, idoneas personas cum eo de fratribus qui omni benevolentia aderant eis, et commendatum dereliquit. Ipse sollicitus ad alia tractanda longius abiit. En, patrone sancte, tuus infirmus collectus est, cura hospitalis habita omnis auctor quiescat. Sed jam, frater, quid remoraris? quid ad stationem indictam venisti? Quia Donatiani magnatis cœlestis ad curiam intrasti, obtutibus ejus te præsenta quem requisisti, quia territorii fines ipsius attigisti, ad tui recognitionem excita quem adisti. Vade igitur, quia venisse te non ignorat, sed ad se ut venias jam exspectat, faciem tuam jam prænoscit; sed requirendus est sanctus ubi requiescit. Vade, inquam, et prosterne coram eo misericordiæ clamorem, quia gratum procul dubio senties propitiatorem. Dulcedo namque pauperum est iste sanctus, crede quia bene venisti; plus consolator miserorum est, confide quia bene venisti; fortitudo debilium est, confortare quia bene venisti; susceptor tuus fidelis est, ergo bene venisti. Per ipsum enim in te implebitur illud propheticum: *Tunc scilicet claudus quasi cervus, et clara erit lingua mutorum.*

Cumque jam, consummata vespertinali synaxi, nox imminere cœpisset (erat enim quæ proxima Dominicas vigilias antecedebat), ecclesiam adiit, ibique aliquandiu moratus, dum orationum vota persolvit, tam subita concussione viribus deficit, ut, dum redire pararet, per se nullo modo prævaleret. Ex quodam enim horrore superinfuso ut ante sanctum hic..... æstus latens per ima viscerum statim cucurrit, ac deinde ad exteriora pervagatus, singula membra sensim carpere cœpit; unde totum corpus simul copiosissima sudoris inundantia permanavit: quod etiam post sanitatem receptam multis diebus in recuperato latere siccari non potuerit. Tortus autem aliquandiu, dum accrescentem defectionem non sufferre, ministrorum manibus ad lectulum ab ecclesia reportatus est. Videres tunc hominem diversis a fratribus angustiari, occultis quibusdam fatigabiliter suggestionibus huc illucque versari, nihil stabile, nihil certum agere, nunc aptius jacere, nunc sedere commodius; sed nec locus ad quietem, nec lectus ad requiem tentationibus tot fatigata membra commodabat, ita ut nec excruciatum doloribus, ne furiose ageret, custodes aliquandiu formidarent. Nec tamen ad tam varios motus quibus humana compages in se reformabatur victi cedere, imo nunc fomenta caloribus adhibere, nunc ad refocillandum vix dum anhelanti frigora ministrare, interdum, ad aliena conantem strenue cohibere, inter omnia mirari tantam valetudinem in non valente. Tum interim latus illud quandiu stolidum jacuerat, paulatim rigore soluto calere, crebris momentis subrepente vigore titillare, nervorum connexiones ad usus pri-

stinos reparari, manus cum lacerto cum pede sæpius tentatis reflexionibus crus ab inguine redire, donec sensim repens, undique sanitas quasi post medicantis tactum a summo usque deorsum hominem redintegravit, atque inter sibi considentes veloci saltu in pedes erexit. Mœror in gaudium, luctus in exsultationem continuo permutatur, et qui paulo ante compatiendo tristes constiterant, jam congratulando undique confluebant. Tentant, contingunt, et an ita se habeat, ut factum est, præ nimia signi admiratione aliqui adhuc ambigentes multiplici experimento, alii videre audita, alii non semel audire visa, quasi novum semper amica stupentes curiositate concertant. Stat medius, et argumenta fidei circumferens, quibusque obviantibus gaudenter exponit, atque in his quæ videbant monstratis indiciis certiores reddit. Tunc omnes unusquisque videlicet impensi famulatus fructum per ipsum offerre Deo cupientes, iter ad ecclesiam cum eo accelerant. Sed velut apostolicus Æneas novus gressibus fidens, non ille auxilium, non ille lumen quæsivit : imo per difficilia et angulosa loca solus omnes alios antevenit, subsequuntur curiosi, qui ad ministerium præcedere debuissent, et quod nulla impactione se læserit nocte ac periculoso in transitu, cum intactum reperissent, Deum glorificantes plus mirantur. Ut autem adhuc major fidei firmitas appareret, ipse a superiori basilicæ solario ubi intraverat, nemine regente, ante altare, quod majus appellant, per cocleam celerrime descendit, lilium argenteum, sicut injunctum erat, in ipso ad sancti corpus obtulit, atque in [illegible] multis veniis quas nisi sanus facere non potuisset, brevi spatio se in oratione afflixit. Hujusmodi probationibus ne momentaneum impulsu aliquo contigisse crederent, spectantibus qui aderant satisfecit. Die facta, nihilominus in choro continue sanus apparuit, portatoribus suis ipse saliens dapifer eadem die ad mensam ministravit, et omni ambiguitate detersa secunda nocte Dominicas vigilias cum pleno conventu celebravit. Die autem ipsa Natalis Domini prælatus ecclesiæ publica statione, eodem fratre attestante, de omnibus quæ acciderant in sermone ad populum credibiliter peroravit. Erat annus Incarnationis Domini 1088, indictio XI. Cum in ecclesia S. Donatiani Patris nostri hoc præclarum miraculum consummatum est, atque ante corpus ejusdem sancti magno cleri plebisque tripudio fideliter recitatum, ad laudem et gloriam Dei Patris et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

GESTA PONTIFICUM CAMERACENSIUM

SAMUEL MAROCHIANUS EX JUDÆO CHRISTIANUS

OSBERNUS CANTUARIENSIS ECCLESIÆ MONACHUS ET PRÆCENTOR.

BARTHOLOMÆUS ABBAS MAJORIS MONASTERII.

BERNARDUS COMES BISULDUNENSIS.

ANASTASIUS MONACHUS ET EREMITA

SANCTUS ANSELMUS, LUCENSIS EPISCOPUS.

UDALRICUS CLUNIACENSIS MONACHUS.

VICTOR PAPA III.

GUILLELMUS APULUS.

GAUFREDUS MALATERRA, MONACHUS BENEDICTINUS.

VILLELMUS I REX ANGLORUM COGNOMINE CONQUESTOR.

DURANDUS ABBAS TROARNENSIS

GUITMUNDUS ARCHIEPISCOPUS AVERSANUS.

EBRARDUS WATINENSIS MONASTERII CANONICUS REGULARIS.

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI NONI

Nevers, imp. Ve GOURDET et FILS.